UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvae Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1615

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-466

Visual Library



Johs. Fassbender
Buchhandlung und Buchdruckerei
Elberfeld.

D2
792

L. ANNÆI SENECÆ

OPERA

A

I. VSTO LIPSIO

emendata & Scholiis illuſtrata.

Editio ſecunda, atque ab vltimâ LIPSI *manu.*



LIPSIADÆ, velum eſt Timantis, imago. videri
Sol quoque ſub piceâ non niſi nube poteſt.

Henr. d'Oultremannus.

Corn. Galle ſculp.



L. ANNÆI


SENECÆ PHILOSOPHI OPERA, QVÆ EXSTANT OMNIA:

A IVSTO LIPSIO emendata et Scholijs illuſtrata.

Editio ſecunda, atque ab vltimâ LIPSI *manu.*

LABORE ET CONSTANTIA.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
apud Viduam et Filios Io. Moreti.
M. DC. XV.
Cum Priuilegijs Cæſareo et duorum Regum.



PAVLLO V.
PONTIFICI
OPT. MAX.

BEATISSIME PATER,

ALonginquis Belgarum oris ſtilo & affectu Romam venio, & ſacris tuis pedibus aduoluor duo allaturus, Gratulationem & Donum. Illam, cum omni Chriſtiano orbe, qui in auſpiciis noui Pontificatus exſultat, & talem ſibi datum in fluctibus & procellis his rerum, voce, geſtu, animo triumphat. Audierant fata duorum Pontificum, nec longo temporum interuallo diuiſa, & dolebant: ſed tui renunciatione allatâ, vidiſſes ſubitâ luce vultus illuſtres, & mutaſſe lacrimas in gaudia, an & gaudia in lacrimas dicam? Certè in multis ea vis fuit, & meritò. nam ſecunda illa fama virtutum tuarum iamantè ſic inualuerat, vt ſuffragia quidem ſacri Collegij apicem huius honoris contulerint, ſed vota omnium deſtinarint. Rara felicitas, iudiciis dignitatem poſſidere, antequam infulis præferre: & cenſeri Pontificem, nondum eſſe. O magna vis virtutis! & ô occultum in animis præſagium, qui eò vocabant, quò Deus & merita iam ducebant! Deus, inquam. nam electio tua, quid niſi palàm diuina fuit? Non enim de-

liberatione longâ, nec ſuffragiorum morosâ trutinâ Pontificatus delatus eſt, ſed impetu & veriùs inſtinctu impoſitus; & vna ac conſentiens vox, quid vocem dico? neque ea exſpectata eſt, ſed procurſus & adoratio talem fecit. Agnoſco in rebus humanis vim & regimen Numinis, ſed præſertim in arduis; & quos ſibi proximos conſtituit, clariore quâdam notâ eligit, tuetur, fouet. Te fecit. quem? à naturâ, à doctrinâ, ab vſu eximium; & ſanctimoniâ, caſtitate, benignitate, prudentiâ, quid verba facio? ab omni virtute ſic conſpicuum, vt publica vox ſit & confeſſio, talem eſſe debere qui à populis adoretur. Ergo iure gratulamur, & nos etiam Belgæ propriâ quâdam cauſſâ. Ecce iactamur, ac pænè mergimur, fluctibus armorum ſimul & errorum: ſpes nobis eſt, & preces porrigimus, ô adiuua. vtere auctoritatè tuâ & Principum, ac funeſta hæc arma poni iube, quæ inualeſcunt in exitium Europæ. Cuius exiguus quidem, ſed potens & magni in omnes partes momenti, angulus ſumus: & vt hîc facies rerum erit, vereor & prædico (da veniam) in plerâque finitimâ Europâ erit. Non vocamus ad ſeuera, ſed ad mitia conſilia: Pacem, Pacem ingeminamus, & ſuaue illud nomen, quod non niſi belluæ adſpernantur. Gratulationem igitur vides, BEATISSIME PATER, ſed donum etiam nunc meum offero & reuelo. En, ANNAEVM SENECAM, laudatiſſimum inter omnes veteres ſcriptorem, & virtutis ſtudio pænè Chriſtianum (ita noſtri cenſuerunt) emendatum variè & illuſtratum damus, & deponimus ad ſacros tuos pedes. Libens ROMAM venit, quid mirum

rum eſt? in vetus ſuum domicilium & ſedem. Ad PAVLLVM: quídni faciat? ad olim etiam familiarem & amicum. Nam Apoſtolorum ille alter quòd hunc complexus ſit, & ipſe illum; etſi è ſcriptis huius parùm liquidò conſtat, tamen conſenſu ſuadent credere priſci illi noſtri & ſancti Patres. Suſcipe igitur ô ſumme Antiſtes, & Virtutis atque Honeſti vnicum præconem, tu qui illa habes & colis, amplectere, & bono generis humani (audacter dicam) famam & lucem illi circumda. Tui hoc arbitrij eſt. qui attollere & deprimere potes; quem Europa, Aſia, Africa, quem America & ipſe nouus orbis ſuſpiciunt, & ab oraculo tuo ſolliciti omnes pendent. Nos certè, BEATISSIME PATER, & affectu iam, quod dixi, congeniculamus; felices, ſi præſentibus liceret! Louanij, v. Kalend. Iulias, ∞. IↃCV.

IOANNIS WOVERI ANTVERP.

DE

IVSTI LIPSI V. C.

POSTVMA SENECÆ EDITIONE

BREVE ALLOQVIVM.

ENtibi LECTOR beniuole,à poſtremâ inſignis doctrinæ & ſâpientiæ Viri recenſione, SENECAM. Scriptorem LIPSIO olim noſtro ſic vnicè carum,vt adfirmare numquam dubitauerit,multùm eum ad bonam mentẽ profeciſſe,cui ille placere cœperit.Format enim firmatque animum ; ſolum deſpicere, ſuſpicere cælum docet; & ſi compendio eius vti licet,hominem cognitione ſui imbutum , *placidum, inconcuſſum, cum Diis ex pari viuere* iubet. Meritò igitur IVSTVS, cùm ingenium ſuum humani generis bono impendere decreuiſſet , hunc ANNÆVM, ante omnes quos è profundi temporis naufragio benignus æternitatis Genius ſeruauit,commendare,& iugi eruditionis ſuæ labore illuſtrare non deſtitit. Quo ſanè in opere ſic viuus perſtitit, vt niſi moriens de hac tabulâ manum tollere, & ſic perfectum potiùs quàm abſolutum opus relinquere potuerit . Nam inter alias extremæ voluntatis, quas mihi mandauit,curationes,SAPIENTEM iſtum eſſe voluit,talibus verbis inuolucro codicis ſui inſcriptis: *Hic* SENECA *corrigi à me cœpit(& ſpero perficiam)ad alteram editionem. ſi quid ergo mihi humanitùs eueniet , eò ſeruetur:&* MORETO *eiúſve liberis detur,quibus iam nũc lego.malus improbuſq; qui interuertet.*Præſtiti quâ debui religione,fideiq. huius, PLANTINIANA typographia,omniũ quot fuerunt & ſunt emendatiſſima,fidem faciet. Fruere quiſquis es,ROMANI SAPIENTIS inclyti ſalubribus aureiſq. ſcriptis,nuncverè immortalis LIPSI à ſupremâ manu diligentiſſimè caſtigatis,ab eruditione vltimâ luculentiſſimè illuſtratis.Si laboris ad fructum reſpicis,mecum examina inſcriptionem quâ me olim Auctoris huius ad lectionem, *mearum grande decus columenq; rerum* hortabatur.

IOANNI WOVERIO, QVEM AMO,
HVNC SENECAM QVEM AMO
DONO DEDI.
HORTORQ. AD SERIAM ET FREQVENTEM
EIVS LECTIONEM,
QVI ANIMO SAPIENTIAM INSERIT ET
VIRTVTEM.
FAC ET SALVE.

LOVANI, VI. KAL. OCTOB. ∞. IↃCV.

Sic tu quoque bone Lector FAC ET SALVE. Antuerpiæ, ∞. IↃC. XV. Prid.Id.Ianuar.


Corn. Galle sculp.


BALTHASAR MORETVS LECTORI S.

QVO maius nouæ ANNAEI SENECAE editioni ornamentum accederet, de verâ Philosophi imagine sedulò mihi inquirendum duxi. quam enim sapientissimus eius Interpres, IVSTVS LIPSIVS, olim ex Vrbe, elegantì magis quàm fidâ amici manu pictam acceperat, atque in priori editione apponi iusserat, haud vndique perfectam postmodum deprehendit. Defuncti igitur iudicio meritò lubenter satisfacere conantem, opportunè Petrus-Paullus Rubenius, æui nostri Apelles, adiuuit. qui cùm huberrimum rei antiquariæ thesaurum Româ Antuerpiam attulerit, nec eximij Philosophi imaginem, prę aliis veteris æui deliciis, neglexit: atque adeò pro suo in LIPSIVM, atque ipsum SENECAM, affectu, duplicem eam liberaliter suppeditauit.

Prior ex Lucullĕo marmore fabrefacta, quondam Romæ in ædibus Ducis AB AELTEMPS visebatur: deinceps Ill^mo Cardinali BORGESIO oblata, inter eius admiranda Antiquitatis monumenta cernitur. Vera *est effigies* (vt LIPSIANIS eam vocibus describam) *in balneo animam iam exhalantis, & in verbis monitisque aureis deficientis. viuidum, acre, igneum aliquid refert.* Manus digitosque ita exporrectos vides, vt Sapientiæ & Constantiæ præcepta aduocatis Scriptoribus dictantem, haud obscurè cum Tacito agnoscas: à quibus nec vicinæ mortis cruciatus, satis peritè in ipso vultu ab artifice adumbrati, Sapientem prohibebant. Facies parum formosa, nescio quid Africanum præ se ferat, buccâ hianti, turgentibus labris, naribus distentis; vt hominem Cordubæ (in Bæticæ prouinciæ coloniâ, quæ Africæ proximè adiacet) & parentibus Cordubensibus natum, minimè requiras. Sed & corpus, longâ valetudine, multo studio, &, ex Taciti sententiâ, paruo victu tenuatum, paullo attentiùs considera: quod cùm exercitiis durioribus, cultu agri & fossione vinearum, firmasse ipsum constet; cutis exhausto succo laxatæ maciem, & laboribus induratæ firmitatem, venis musculisque, quos labor maximè attollit, exstantibus, ingeniosè & diligenter statuarius effinxit. At verò nec artis suæ industriam Rubenius, nec archetypi veritatem desiderari voluit: tantùm eam corporis partem, quæ decenter aspici haud potest, habitâ honestatis ratione, velo obduxit.

Alteram quam spectas effigiem, è prototypo marmoreo idem Rubenius expressit: quod Româ allatum, in elegantissimo Musĕo suo asseruat; planè idem cum eiusdem Philosophi simulacro apud Ill^mum Cardinalem FARNESIVM exstante, & à Fuluio Vrsino inter *Illustrium* Imagines, Fabri Bambergensis Commentario illustratas, non satis ad amussim edito. Prerogatiuam vtrumque hanc habet, quòd cum nummis, quibus ipsum SENECAE nomen inscriptum, perquàm exactè conueniat. Capillitio intonso & promisso, ab imagine priori nonnihil ista differt; sed virilis sectæ principem, acerrimi ingenij maximique spiritus virum, vigiliis & lucubrationibus pænè confectum, egregiè repræsentat; vt vel ipsa vultus effigies ad præclara sapientissimæ mentis scripta vltrò alliciat. Ad quæ modò LIPSIVM, studiose Lector, amicè INVITANTEM audi, benignè INTRODVCENTEM sequere; atque efficaci Sapientiæ antidoto aduersus letales æui huius morbos munitus, diu feliciter vale.

At LIPSIANA etiam imagine, SENECAE Operum titulo præfixâ, te firmari & oblectari desidero: quam Rubenius non minùs ex fide quàm eleganter, nec suo vnius sed plurium LIPSI cultorum iudicio, formauit, aptissimoque Prudentiæ & Doctrinę parergo insigniuit. neque enim decere mecum æstimabat, vt multa veteris Sapientis imagini opera impenderetur, eloquentissimi Sapientię Interpretis effigie neglectâ. Tu itaque grauissimi vultus suauissimo recreatus aspectu, ad immortalia diuini ingenij monumenta penitus perspicienda excitare; & in iis omnis antiquioris Doctrinæ & melioris Sapientiæ imaginem lubens amplectere, atque iterùm vale.



L. ANNÆVS SENECA.

INVITATIO
AD
SENECAM.

ANNAEVS iſte SENECA, quem vides LECTOR,
Ait fuiſſe magnus inter auctores,
Seu tu Latinos, ſiue reſpicis Græcos:
Sapientiâ, inquam, & Eloquentiâ magnus.
Et ſcripta luſtra, iudicabis hoc mecum.
Nam dictio ipſa docta, florida, arguta:
Quid ſenſa? promit dogma Stoicæ ſectæ,
Sectæ virilis, altæ, ad alta ducentis.
Vis vana rerum, & falſa regna Fortunæ
Deſpicere, vel ridere? vis decus ſummum
In vno Honeſto ponere atque Virtute?
Docebit, aſſerétque. meliùs vt poſſit,
Nos cenſione puriorem ab hac noſtrâ,
Itémque clariorem ab ingenI luce,
Tibi damus. aude tangere, atque luſtrare:
Ego fallor, aut ad ipſa templa te ducet
Sophiæ ſerena, clara. vbi illa ſit mentis
Tranquillitas ſerenitáſque diffuſa.
Vnde tibi fas aſpicere cælicas oras,
Et fas ſimul ſuſcipere cælicas curas,
Deſpicere terram, & terrea iſta. quid dico?
INGREDERE, dictis plura ſcio reperturum.

INTRO-

INTRODVCTIO LECTORIS.

AEDIFICIVM enim vides: via munienda est, vt adeas, & me & Senecam cum fructu legas. Duo dicam: & *Quid à me* hîc factum, & *Quid à te* velim: da aurium, siue oculorum leuem operam, disces quæ ex vsu sit sciuisse. De me primùm, pro copiâ ingenij aut iudicij ista præstitisse. Primò,

Senecæ CONTEXTVM, & ipsa verba, quàm emendatissima dedisse: secutum meos aut alienos libros veteres: quos diligenter comparaui, & iudicio ex iis elegi, aut reieci. Adiumentum mihi in eo à quatuor eruditis viris, qui præiuerunt: Erasmo, Pinciano, Mureto, Grutero. Erasmo, qui primus manum & limam Senecæ admouit: & sæpè vtilem aut expolientem, est fatendum. Neque enim virum celebrem audio optantem, Ne ille vmquam eum attigisset! Malignum votum est, & ab affectu, non à iudicio emissum. Ego aliter, & veriùs, enuncio: Nisi ille præueniisset, & explanasset; salebras & aspera fuisse, ad quæ etiamnunc fortassis adhæreamus. Sed alter ab eo Ferdinandus Pincianus est: vir, vt verbo dicam, germanæ Criticæ exemplar: cui maximam partem sanum Senecam, meo quidem suffragio, transscribas. Bonis in Hispaniâ libris, & benè est vsus: non præceps, non præpes, acutus tamen, & sagacitate ac modestiâ pari. Sed ille in solo textu emendando fuit: sensa non attigit, neque aliter illustrauit. Excepit igitur M. Antonius Muretus, elegantis ingenij & iudicij vir, & adspirauit ad vtramque hanc palmam. Totum Senecam dedit, & aut emendatum à se voluit, aut illustratum. Voluit, caussâ duplici vix fecit: & quia labor eum & instantia in talibus (virum nouimus) non sequebatur; & quia mors assecuta est, & filum hoc operis præcîdit. Bona tamen & laudabilia multa sunt: vnum non attollas, imò non toleres, quòd fidenter nimis sæpè contra libros rescribit, & Senecam non eorum fide, sed suo sensu, facit loquentem. Ah, apage. & honos sit scriptoribus priscis, & religio etiam scripturæ priscæ: à quâ, si cùm libuit abimus,

quid puri aut germani mox erit? Ianum Gruterum noſtrum hoc mouit, vt ipſe ſuccederet, & Senecam iterùm cum libris priſcis & chirographis conferret: quod fecit induſtriè & ſic perfectè, vt nimius videri quibuſdam aut μικρολόγος poſſit. Non mihi. qui in Critico amo ſedulitatem & fidem: & hanc etiam in Grutero operam, quòd aliorum paſſim Notas aut Interpretationes adiecit. Vſui mihi fuit, ingenuè fateor: & amo virum è meâ olim diſciplinâ, nunc & docendo factum. Quid autem ego, poſt hos omnes? Quod cœpi dicere, iudicio ex iis ſelegi, & meam etiam operam inſpectionemque addidi, & Textum totum reformaui. Non cito paſſim libros, fateor: quid opus eſt? ſemel hîc moneo & clamo, quidquid eſt, ab iis eſſe. Pauca ſanè à coniecturâ noſtrâ: niſi ſicubi ea ita clara eſt, vt peruicacia ſit dubitare. Reliquas, nec paucas aut improbas, magis viſum fuit, Notis inſerere arbitrandas.

Alterum, quod à me propriè imputo, eſt INTERPVNCTIO, & ſenſuum verborúmque DISTINCTIO: quę ſic confuſa aut indecora anteà in Senecâ, vt negem in alio ſcriptore fuiſſe. Quàm minuta pleraque, & interciſa? quàm diuulſa, aut pendula? Verè erat, quod Caligula obiiciebat (ſi tamen hoc ſenſu) *Arena ſine calce*. Nos ordinauimus, coniunximus, diſiunximus, vt res erat: & præter lucem ſententiæ, quam largiter infudimus, faciem eloquentiæ reddidimus, vberis illius & profluentis. Nam hæc ei fuit: *Iudicium* noſtrum vide. Tertiò,

ARGVMENTA etiam libris ſcriptíſque ſingulis præpoſui, & in breuiario quodam Ordinem ac materiam dedi. Hoc quàm vſui lectori ſit, & quàm appoſita introductio, ipſe dicet: ego tantùm, difficile mihi fuiſſe, & ſupra quàm aliquis credat. Intricatus enim & multiplex Seneca, & parùm ſæpè (liberè dicendum eſt) compoſitus aut digeſtus. Siue copia rerum hoc fecit, quas accumulauit; ſiue Stoico quodam more fortaſſe, materiem & opus parùm ab initio ordinauit. Vtcumque eſt, culpam hanc agnoſco: nec niſi iis titulis velo. Quartò,

NOTAS PERPETVAS addidi: atque vno tenore perduxi, ad opus Epiſtolarum. In iis ſubſtiti aut defeci, fateor: & valetudo manum de tabulâ coëgit. In loco moneo, & videbis. Sed in prioribus vſqueeò diligentiam & ſtilum extendi, vt etiam minora quædam, & ſemidoctis obuia non neglexerim: quid ita? quia Senecam producere, & vulgi manibus inſerere, votum mihi fuit: ideóque conſilium, vulgo etiam hæc adaptare. qui paucis & doctis modò ſcribunt, an non famam ſuam magis,

gis, quàm fructum Lectoris ſpectant? Iſtum ego: & ſcio quædam ſæpè tranſiri, aut ſeponi, vt minora, in quibus & Varrones noſtri hæreant, cùm diſquiruntur. Itaque nihil in pompam Notæ iſtæ dabunt: Senecæ ſeruient, & illum illuſtrem, non me volent. Breues etiam ſunt: quia ad externa aut aliena non diffundor. Si quid rituum aut hiſtoriæ veteris occurrit, ſigno magis quàm explico: quid enim iſta ad Senecam propriè? cuius ſententiam ſi capis, boni & legitimi Scholiaſtæ munus impleui. Atqui iuuat & pulchrum eſt rituś illos diſcere, & antiquitatem luſtrare. Pulchrum, ſed in loco: quid iſta ad Philoſophiam, quæ hîc tractatur? Qui autem ſimul omnia volunt & affectant, pulcherrimè cum Polybio guloſis, & imminentibus conuiuarum, comparantur. Καὶ γὰρ ἐκεῖνοι πάντων ἀπο- Lib. III.
γευόμενοι τῶν παρακειμένων, οὐδὲ κατὰ τὸ παρὸν οὐδενὸς ἀληθινῶς ἀπολαύουσι τῶν βρωμάτων, οὔτ' εἰς τὸ μέλλον ὠφέλιμον ἐξ αὐτῶν τὴν διάδοσιν καὶ τροφὴν κομίζονται: *Nam & illi omnia, quæ apposita ſunt, guſtantes, neque in præſentiâ verè fruuntur vllo ciborum, neque in poſterum digerunt ſatis, aut vtiliter iis nutriuntur:* planè hîc ſimile. voluptatis gratiâ deguſtant & libant varia; & ſine alio fructu (Senecæ verbis) *omnia curſim & properantes tranſmittunt.* Itaque vetus meum conſilium magis magiſque ſedet, quo inſtitueram *Facem Hiſtoricam*, tum & *Ritualium* libros ſcribere, & in eos congerere, quidquid eſſet in moribus ritibuſque priſcis obſcurum. Et facem quidem cœpi accendere: in quam grandiores illos ritus, *De Sacerdotibus, De Magiſtratibus, De Ludis, De Militiâ, De Nuptiis, De Funeribus*, & qui tales, volebam includere: in Ritualium autem libros, minores, & ſingulos ſuis verbis ac litterarum quodam ordine explicandos. Sicut Lexica quædam verborum vtiliter habemus: ſic hęc rerum volebam eſſe. Vt ecce, in Senecâ occurrunt, *Abdicatio, Acta, Admiſsio, Adoratio, Aſſeſſor, Atrienſis.* Iterúmque, *Balnea, Baſilica, Boleti:* &, *Calda, Caldarium, Canuſinati* ſerui, *Carica* anno nouo, *Ceroma, Ceſtus:* & vno verbo, quidquid ritum antiquum tangit aut alludit; in iſto libro, & ſuâ quodque litterâ, haberes teſtibus exemplíſque firmatum aut illuſtratum. Quid opus in ſingulis auctoribus perſequi, quæ omnium ferè communia ſunt? Itaque & communis hic quidam velut Commentarius eſſet, Latinorum, Græcorum; Poëtarum, Oratorum, Hiſtoricorum, Philoſophorum, Miſcellorum. Hæc, inquam, inſtitueram, & materiem ab annis XXV. iam paraueram: diſponere & exſtruere ætas, & magis valetudo, me vetant. O vtile tamen opus! ô quis æmulatur, & ſuſcipit! trado facem, & vnà glo-

riam, quæ cum litteris lucebit & viuet. Sed de noſtrâ nunc re: breuis igitur fui, nec vagus aut ſuperuacuus: exemplo quidem veterum, quotquot Græci aut Latini Scholiaſtæ exſtant. Iamnuper hæc profluentia cœpit: parùm ſæpè decora, fatendum eſt, cùm aut palàm * πξίεργοι ſunt, & quod dicitur, λυκοῦ πλεϱὰ ζητᾶσι; aut inepti, & vt aliquid nouæ obſeruationis infarciant, *galeam tibiæ, ocream capiti inducunt.* Atqui *Philoſophica* etiam, inquies, parcè, & ſtillicidium de ſitulâ, donas. In Notis, agnoſco: ſed alibi nónne affatim, & pleno ſinu, à me factum? Profudi, quidquid eius opus erat, in tribus *Manuductionis*, totidem *Phyſiologiæ* libris: totidem *Ethicorum* reſtant, ſi Deus expolire & conſummare dabit. Atque eos libros ſic inſtitui, vt quamquam à capite ſectam ſenſúſque Stoicos ordine exſequar, nihil tamen inſeram, quod propriè non ſit Senecæ illuſtrando. Inquire, videbis: & vnà totum hoc opus probabis, ſi tibi cum Homero quidem * — πεύθϱων κϱαδίη, ϛ θυμὸς ἀγλαὸς ἔνδον. Nam quibus alterum abeſt, volente me à libris iis abſint. Hæc ſi miſcere *Notis* ipſis voluiſſem, & ſuis quæque locis inſpergere: quàm floridæ magis & vberes fuiſſent! Conſidera, & maciem earum alibi ſic excuſa. Nam ego rem tuam inſpexi: è quâ magis fuit, ſemel & vno gradu, quàm per ambages aut ſaltuatim, in Porticum illam induci. En habes, quæ præſtiti: ſequitur,

*Nimij.
*Lupi alas quærunt.

* pectus prudens, animuſq; virilis.

Quid te pariter velim: à quo pauca etiam eo exactum, ſiue rogatum. Primùm, vt quamquam pleraque omnia Senecæ vtilia, & ad vitam; tamen quæ maximè talia, eligas, & ea ad mentem ſæpiùs referas & ad manum. Inter libros eminent, me iudice, iſti: *Duæ Conſolationes, De Prouidentiâ, De Clementiâ, De Tranquillitate, De Conſtantiâ, De Breuitate vitæ, De Vitâ beatâ.* Sunt & libri *De Irâ* inter bonos, item *De Beneficiis:* ſed in partibus ſpinas ſuas aut faſtidia habent: alioqui & pulcherrimos ac diuinos locos. In *Epiſtolis* ſimile. quarum quædam (Argumenta mea ſtatim dicent) vtiliſſimæ: & aliæ in argutiis, aut, ſi res dicenda eſt, ineptiis occupantur.

Secundò, vt Philoſophi, non Grammatici oculis iſta legas. id eſt, rem, non verba cogites: & quamquam ea ducunt, ſplendida ſæpè & magnifica, ab illâ tamen non abducant. Sicut boni canes, non pellem extremam leuiter ſtringunt, ſed ipſam feram prehendunt & mordent: ſic te oportet in ſenſus, non in circumdata verba intentum, eos captare. Atquin aliquid etiam eſt, vbi adhęreas. Vide an Notæ transferent: ſi non, ipſe te transfer. Sicut in viâ, ſi ſalebra aut lama obiecta ſit, tranſire qui-

quidem tentas : sin profundius est, nec licet, non stas stupidus, sed circumis leuiter, & iter tuum pergis : ita hîc. Tenta & conare semel iterúmque capere : non capis, abi. Tertiò, vt

Excerpta habeas, & selectas aliquas sententias, siue locos : quas apud te sæpè agites, & in animo reuoluas. Cui vsui alioqui lecta? vt concitemur fortasse, dum legimus, mox calor abeat, & iidem simus : non aliter, quàm spectatores in theatris. Imò verò adhæreant illa, nostra fiant, id est concoquantur. *Non prodest cibus*, ait Seneca, *nec corpori accedit, qui statim sumptus e-mittitur*. Epist. 11. Sedeant igitur in animo fideliter : nec sicut vnguentorum aliquis odor, statim ad aërem dissipentur. Huc te ducet, aut trahet potiùs, adiunctus Epictetus, quem lege, & Enchiridium quidem eius edisce. Postrema denique est precatio mea, siue etiam deprecatio. Illa, vt grata acceptáque habeas, quæ feci; hæc, ne culpes nimis aut succenseas, si quid omisi aut deliqui. Ætatem meam vide fatiscentem, valetudinem iam fessam; labores assiduos & scripta, quæ etiam huic operæ interuenerunt : durus es, nisi veniam, non dicam largiris, sed offers. Quòd si quis meliora etiam afferet, faciat : vellem tamen apponi meis (& ex vsu publico esset) non opponi : ego certè me non opponam, & Democriti illud aureum imbibi, * Νόμῳ, καὶ ἀρχοντι, καὶ σοφωτέρῳ εἴκειν. Vale, & aliis scriptis meis frui te, istis vti, meum est votum.

* *Legi, Magistratui, et Sapientiori submitti.*

IVDICIVM

Super SENECA eiúsque SCRIPTIS.

*Ex professo in Manuduct. cap. XVIII.

LAVDAVIMVS *hunc auctorem* alibi, & dotes ac bona eius diffudimus: sed ad* Iudicium *nunc imus, & qui aduersantur audiemus, &* EX ANIMI SENTENTIA *tabellam dimittemus. Video inter veteres, tres fuisse qui ex professo culparunt, Caligulam, Fabium, Agellium: quâ causâ, aut fine, videamus. De Caligulâ, Suetonius:*

Cap. LIII. Lenius comptiusque scribendi genus adeò contempsit, vt Senecam tum maximè placentem, Commissiones meras componere; & Arenam esse sine calce, diceret.

Sueton. cap. XXXIIII. *Caligulæ hoc iudicium est: nempe illius, qui* cogitauit etiam de Homeri carminibus abolendis: *itémque* Virgilij & T. Liuij scriptis, ex omnibus bibliothecis amouendis. *En hominem, cui bona scilicet placeant: & quo arbitro Seneca stet, vel cadat. Quid tamen in dicteriis illis voluit?* Commissiones componere, *id est, pompæ tantùm & theatris apta scribere: quæ florem & fucum magis, quàm robur & veritatem haberent. Sunt enim* Commissiones, *cùm inter se ingenia committuntur, pro palmâ: ἀγωνίσματα Græcis, ἢ Παιδείξεις. Hoc eò spectat, quòd vt Suetonius dixit,* comptum & lene *illud dicendi genus Caligula odisset. Et de* comptu, *in Senecâ est, fatemur: de* lenitate, *mihi non videtur, in istis quidem Philosophicis. vbi robur magis est, & acrimonia: fortasse aliter in Orationibus, de quibus propriè Caligula fortasse censebat. Sed alterum, quale est?* Arenam sine calce. *An quòd minuta commatia, & sensus iaceret, parùm inter se deuincta? quòd difflueret oratio eius, nec hæreret? An etiam, quòd longus & sine fine esset: sicut stadium vel circus (nam id quoque Arena) sine metâ? Possis vtróuis ducere: & de priore, mox in Fabio viderimus: de altero, certum est vberem & copiosum in rebus verbísque esse, eidem etiam Fabio assertum. Atque hunc igitur audiamus: non per conuicia, sed iudicio, vt apparet, & consilio arbitrantem. Ait, lib.* x.

Ex industriâ Senecam in omni genere eloquentię versatum distuli, propter vulgatam falsò de me opinionem, quâ damnare eum, & inuisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum, & omnibus vitiis fractum dicendi genus, reuocare ad seueriora iudicia contendo: tum autem solus ferè hic in manibus adolescentium fuit, quem non equi-

dem

dem omnino conabar excutere, ſed potioribus præferri non ſinebam. quos ille non deſtiterat inceſſere: cùm diuerſi ſibi conſcius generis, placere ſe in dicendo poſſe iis, quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis, quàm imitabantur, tantúmque ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis deſcenderat. Foret enim optandum, pares, aut ſaltem proximos illi viro fieri: ſed placebat propter ſola vitia, & ad ea ſe quiſque dirigebat effingenda, quæ poterat. Deinde cùm ſe iactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat: cuius & multæ alioquin, & magnæ virtutes fuerunt, ingenium facile & copioſum, plurimum ſtudij, & multa rerum cognitio, in quâ tamen aliquando ab iis quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus eſt. Tractauit etiam omnem fermè ſtudiorum materiam. nam & orationes eius, & poëmata, & epiſtolæ, & dialogi feruntur. In philoſophiâ parùm diligens, egregius tamen vitiorum inſectator fuit: multæ in eo claræque ſententię, multa etiam morum gratiâ legenda, ſed in eloquendo corrupta pleraque, atque eò pernicioſiora, quòd abundant dulcibus vitiis. Velles eum ſuo ingenio dixiſſe, alieno iudicio. Nam ſi aliqua contempſiſſet, ſi parùm concupiſſet, ſi non omnia ſua amaſſet, ſi rerum pondera minutiſſimis ſententiis non fregiſſet: conſenſu potiùs eruditorum, quàm puerorum amore comprobaretur. Verùm ſic quoque iam robuſtis, & ſeueriore genere ſatis firmis, legendus vel ideò, quòd exercere poteſt vtrumque iudicium. Multa enim, vt dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda ſunt: eligere modò curæ ſit, quod vtinam ipſe feciſſet! Digna enim fuit illa natura, quæ meliora vellet, quæ quod voluit, effecit.

Iſta Fabius. quem boni rectiq; plurimùm iudicij Cenſorem agere, libens fateor: niſi ſicubi affectus abducit, quod hîc vereor factum. Ipſe non diſſimulat, ſparſam de ſe opinionem, iniquiorem Senecæ eſſe: & ego hercules agnoſco. Tamen vel ſic bona de Senecâ, quædam alia dicit: & penſitemus. Ait, In omni genere eloquentiæ verſatum.] *Magna & vera laus eſt: verſâ & proſâ valuit, omne ſtudiorum argumentum ferè tractauit. Pergit:* Ingenium facile, & copioſum.] *Agnoſcimus: & de facilitate, quis non inter legendum videt, fluere omnia è pleno pectore, & inexhauſto illo ingenij fonte? Ipſe de ſe:* Qualis ſermo meus eſſet, ſi vnà ſederemus aut ambularemus, ILLABORATVS & FACILIS, tales eſſe Epiſtolas meas volo. *De Epiſtolis hoc ſignatè. Atqui eæ ſunt, quæ curam & tractationem habuiſſe, inter omnia ſcripta, videantur. Iam de* Copiâ, *inuentiones illæ tam variæ & diſpares, in* Epiſt. LXXV.

vnâ re Moralium, dicent. Quot libri sunt, quot etiam fuerunt? Et inter omnia similia, nihil idem: imò vix sententiam aut imaginem reperias iteratam. Mirabitur, siquis inquiret: & tale exemplum alibi requiret. Iterùm Fabius: Plurimum studij.] *Quod me dat in stuporem. In aulâ, in coniugio, in illo genere vitæ, familiâ, opibus, occupationibus, potuisse in libris scriptisq; sic esse. Sed ipse pertinax & intempestiuum suum studium non celat, scribitq; Lucilio suo:* NVLLVS mihi per otium DIES exEpist. VIII. it: PARTEM NOCTIVM studiis vindico. Non vaco somno, sed succumbo; & oculos vigiliâ fatigatos cadentésque in opere detineo. Secessi non tantùm ab hominibus, sed à rebus: & primùm à meis. POSTERORVM NEGOTIVM ago: illis aliqua, quæ possint prodesse conscribo. Salutares admonitiones, velut medicamentorum vtilium compositiones, litteris mando. *En virum diligentem studiorum, & nostri! quis non amet pariter, nobis sic natum & occupatum? Verba ea repete & examina, quisquis es: pudebit vel spargere, vel audire calumniam, in generis humani sic amantem. Studium autem illud nisi tale fuisset; vnde tot istæc opera quæ habemus, & non habemus? Voluptati, somno, vitæ detraxit: quod nobis impendit. Pergit etiam Fabius:* Multa rerum cognitio.] *Vides Polymathiam, quam nouelli iudices frustrà detractum eunt. At Fabius candidè donat, & magnus ille Plinius, qui* Principem eruditionis, *inuidendo elogio, appellat. Et quis detrahet, qui varia in omni materie scripta eius videt, aut cogitat? In poësi plurima fuerunt: exstat Medéa tragœdia, & gloriæ sufficit aut palmæ, in hoc quidem genere scriptorum. Quid oratoria eius, historica, philosophica, miscella? Omnia enim tractauit, non solùm tetigit: atque etiam* Dialogos *scripsit (vt hîc Fabius) quo argumento nescio, & desiderabile tamen mihi hoc opus. At vna etiam Satyra in Claudium exstat: quàm variè docta, arguta, venusta? nec Venus aut Lepor aliquid addant. Sed porrò etiam Fabius:* Egregius vitiorum insectator.] *Sanè fuit, & vel nimium hac parte aliquis dicat, aut potiùs iam dixit. Mihi tamen non videtur. aut nimius etiam Epictetus, qui vel acriùs ea insectatur. Cynicum hoc fuit, destringere passim & defricare: Stoïci tenuerunt, etsi modestiùs, & in scriptis magis quàm sermone, vsurparunt. Quis autem in philosopho damnet, vitia insequi, pellere; virtutes aduocare, inducere? proprium illorum opus est, aut debet. Ceterùm noster hac parte meritò à Fabio attollitur, acer & calidus insectator, & hostis toto animi sensu. Vide stimulos & ictus sententiarum, cùm hoc agit: vide insurgentem, & panè dicam ardescentem. Simplicius de Epicteti acrimoniâ:* Qui ab eâ non excitetur, eum non nisi apud inferorum tribunalia corrigendum. *De nostro verissimè vsurpem. sensum boni honestiq; non habet, quem eò non impellit. At ipse, inquiunt, hæc non sensit. Non*

sensit?

ſenſit? da qui ſimulat, & ſic ſcribit. Sophocles olim verè:

—— ἀνδρὸς γὰρ καλῶς
Πεφύσονθ' ἁνάγκη χρηστὰ κερδαίνειν ἔπη:

—— virum eſt opus
Benè facientem, verba conſequi bona.

Eſt opus. & è fonte puro, pura; è ſordido, ſordida & maculantia aliqua manare. Neque abnuo, ſimulari iſta poſſe, & ſolere: ſed ſic, vt frigus & remiſſio appareat, & vno verbo, animi diſſenſio & pugna. Amplius: Multæ in eo claræque ſententiæ.] *Hoc vnicè iactamus, & parem ei in Græciâ aut Latio non damus. quid parem? vix propinquum. Atque ea ſententia acres, argutæ, penetrantes ſunt; & quod caput, ſalutares. Vnus libellus, vna epiſtola eius dabit, quod ſatis ſit vitæ formandæ, aut corrigendæ, ſiquis medenti ſe donat. Denique Fabius:* Multa probanda, multa etiam admiranda ſunt.] *Quid hoc eſt? cenſorem, an laudatorem induximus? adhuc talis fuit: & ex animi ſenſu, contra animum panè fuit. Venite, audite, qui Fabium nobis obducitis: ego plura aut maiora non dixerim, qui Senecam produco.* Eſt probabilis, eſt ADMIRABILIS in multis: *quid vltrà volumus? nam vbique talem eſſe, conditio hæc hominis non capit. Sunt igitur & culpæ, ſiue Vitia: atque ea ab eodem Fabio (nam ego ordine excerpam) audiamus. Primum eſt,* quòd antiquos inceſſerit, diuerſi conſcius ſibi generis.] *Hoc caput, hic fons eſt Fabianæ reprehenſionis: qui veteris eloquentiæ (nec immeritò) amator, reuocare eam, & nimium aui ſui comptum, & fractum dicendi genus emendare conabatur. Qui autem tuebantur, Senecam auctorem aut ducem præferebant: ideoq; & hunc repellit, aut inuadit. Ait,* veteres inceſſiſſe: *nec falsò. minimè antiquarius Seneca, & epiſtolæ iſtæ (vbi iudicia talia inſpergit) docent. Imò adeò abhorret, vt vix alium quàm Virgilium è poëtis aduocet, aut Publium: rarò vetuſtioris aui aut ſtili quemquam. Proprium aliquod & ſuum genus habuit: vt ſolent iſta vel cum ætatibus mutari, vel pro ingenio atque animo cuiuſque formari. Quis Ciceronem Graccho aut Catoni ſimilem dicat, aut velit? Nec illi Senecam, aut Plinium: ſed nec Tacitum. nam & iſte cauſſas egit, & orationes ſcripſit. Tamen puro ſinceróque iudicio, laudanda in ſtilo & eloquio hi poſteriores etiam habent. Quid de Symmacho dicam, quem multi boníque iam olim mirantur? tantum etiam ab illis abiuit, quantum illi à Cicerone. Vt in vultibus noſtris, ſic in ſtilo diuerſitas: & laudabiles etiam formæ, non ſunt, vt ſic dicam, vniformes. At enim multa Senecæ* in eloquendo, *ait Fabius,* corrupta.] *Ab hac cauſſâ, quam dixi, à cultu & flore nimio: denique etiam, quòd* rerum pondera minutiſſimis ſententiis fregit.] *Ita enim idem addit: neque abnuo, crebras & minutas iſtas ſententias interuenire. Sed pondera etiam rerum frangere? hoc nego, in*

iſtis

*ist*is quidem philoſophicis libris, qui exſtant. Augent magis, & intendunt. Stoicorum hoc proprium fuit, non gladiis, ſed pugiunculis, rem gerere: & breui & accincto ſermone eſſe. Docui * alibi: & vel Epictetus, qui ſuper-eſt, dicet. Imò verò in Philoſophiâ mirè hoc decere videtur: aliud in Oratoriâ fateor, de quâ propriè Fabium cenſere mihi liquet. Et tamen, vt reuelata fronte & pectore agam, non etiam abnuo interdum Sententiolas interuenire, frigidas aut inani argutiâ: & quas exire magis, quàm ferire dicam. Sed pauca ſunt iſta: & meliorum numerus obumbrat. At culpat etiam Fabius, vt in Philoſophiâ parùm diligentem.] Quid hoc eſt? aut de quâ parte loqui eum putem? Logicâ? non, opinor, tractauit. Naturali? quædam in eâ ſunt, & nominatim libri VII. Quæſtionum: ſed illi verò ita exacti, curioſi, ſubtiles, vt ipſa Ariſtoteléa prouocent, aut vincant. De Morali igitur? nuga, regnum hic inter omnes tenet. Sed Fabij mentem ego hanc arbitror, non inquiſiſſe nimis aut penetraſſe in interiora Philoſophiæ; externâ hac populari, & velut medicante, contentum. Quod fateor: & ipſe noſter ſæpè hunc ſenſum & finem ſuum prodit, vtilia magis quàm ſubtilia ſequi. Prodit, & mihi probat: atque vtinam operati omnes Philoſophiæ huc eant! Vltimum eſt, Pleraque corrupta in eo eſſe.] Quod ad eloquentiam iterùm ſpectat, non illam puram, ſimplicem, & antiquam. Iam faſi ſumus, & prædiximus: oratio eius (Taciti verbis) multum cultus prætulit. quare? cauſſâ duplici: vt fuit illi viro amœnum ingenium, & temporis eius auribus accommodatum. *Ecce, prior cauſſa ab ingenio & indole eſt, cultâ & amœnâ, facili & copioſâ: altera ab aui moribus & ſenſibus, cui oratio ferè ſe aptat.* Epiſt. CXIV. *Noſter veriſsimè:* Quemadmodum vniuſcuiuſque actio dicenti ſimilis eſt; ſic genus dicendi imitatur publicos mores. *Corruptio igitur iſta, non niſi in cultu nimio: & quid valdè damnes? ipſe Fabius fatetur*, abundare eum dulcibus vitiis. *Sanè dulcibus: & capiuntur, ſcio, iſtiipſi qui carpunt. Sed ad Fabium ſatis: tertius aſſurgat, & agat Agellius, qui ſic ſcribit:* De Annæo Senecâ partim exiſtimant, vt de ſcriptore minimè vtili, cuius libros attingere nullum precium operæ ſit: quòd oratio eius vulgaris videatur & protrita; res atque ſententiæ aut inepto inaníque impetu ſint, aut vt leui & quaſi dicaci argutiâ; eruditio autem vernacula & plebeia, nihílque ex veterum ſcriptis habens neque gratiæ, neque dignitatis. Alij verò, elegantiæ quidem in verbis parùm eſſe, non inficias eunt; ſed & rerum, quas dicat, ſcientiam doctrinámque ei non deeſſe dicunt; & in vitiis morum obiurgandis ſeueritatem grauitatémque non inuenuſtam. *Duæ partes ſunt. prior ex profeſſo hoſtilis, nec iudicium ſed odium adfert. Ait*, ſcriptorem minimè vtilem. *Túne? quin vnica eius epiſtolæ*

* 1. Manuduct. Diſſ. XIV.

ſtola magis talis, quàm agelli tui omnes fructus. Attingere libros nullum operæpretium.] *Non vobis illis, ſiqui logodædali tantùm eſtis, & in vnâ linguâ poliendâ occupati. Deinde*, Oratio eius vulgaris & protrita.] *Quid poteſt vanius? alij nimium cultum obiiciunt; hic nullum. An id indicium eſt, modum tenuiſſe?* Res & ſententiæ inepto inaniq́ue ſonitu.] *Tua, ita me Deus, omnia hæc verba: ſed non tua: aliis neſcio quibus tribuis; mox mitiora, & vero magis confinia adiungis. Eaipſa tamen tenuem & macram, vt ſic dicam, laudem habent: notam autem animi tui ab hoc ſcriptore auerſi, à quo & ſtilo nimiùm diuertis. Hæc cauſſa repudij. quæ quiſque amat & habet, amari ab aliis vult; & odit diſſentientes. Audi ſemel Agelli. tu nil niſi veteres Comicos, & Latij puritatem ſectaris, & exprimis (fatendum eſt:) noſter in viâ altâ & aliâ, in cothurno eſt: ne reuoca ad tuum ſoccum. Denique in te, & omnes iſtos caniculas. genus ſcribendi & materiem videamus: nihil pro eâ melius fortaſſe potuit, aptiusq́. Philoſophatur, animos & mores format, excitat à formidine, à luxu & faſtu reprimit: hæc omnia fortiter & calidè agenda ſunt, & oratio talis adhibenda. An non fecit? Ciceronem in eo genere confer, ſtagnum dices: hunc autem flumen rapidum, quod lectorem ſecum trahit. Satis, ſatis. ego Senecam vniuersè, admiratione magis quàm laude proſequendum arbitror: in partibus aliquid eſſe quod cenſeas, aut cui ſuccenſeas, non nego. Sanè decidit interdum, aut à ſe mutat. vt in iocis aut dictis, quàm ineptus alibi, ſiue affectatus eſt? in laudibus aut vituperiis, ſine modo? exordia, aut tranſitus, longinqua, aut comica? incuria etiam in hiſtoriis? inquiſitiones aut diſſertationes in Philoſophiâ, ſed & philologiâ; tenues? Sunt enim iſta, ſed pauca: & meliorum ſtatim interuentu ita penſantur, vt momentum ad deprimendum non habeant, in hac iudicij lance. Itaque ſententiam pro te, Seneca, audacter ferimus: in Philoſophiâ, & præſertim Morali eius parte, vicisti qui fuerunt, qui erunt: accipe palmam, non magis quàm Herculi clauam (omnes omnia faciant) extorquendam. In ipsâ eloquentiâ, duæ tuæ virtutes eximiæ: Copia in breuitate, Vehementia in facilitate. De Copiâ, bonus iudex & ſagax ſtatim agnoſcit, & * Fabius vt peculiarem virtutem etiam alibi adſignat:* Copiam Se- * Lib. XII. cap. X.
necæ, vires Africani, maturitatem Afri. *Vt videre meritò ſit illos, qui ſiccum & aridum nobis dicunt. At de Vehementiâ, ego eius miror: & eſt tota oratio ferè accincta, intenta, & robur in eâ & acrimonia, quâ vel ad Demoſthenem ſe iactet.* Δεινότης, *quæ mirabilem illum oratorem facit, cum iſto certè ei communis eſt, itemq́ numeri illi viriles. Vnde autem, niſi ab animo tali? &* Pectus eſt (*pulcherrimo ſenſu Fabius*) quod diſertos facit, & VIS MENTIS. *Iudica ſic bone Lector, & bono tuo (ſpondeo, reſpondeo) Senecam ama.*

DE

DE VITA ET SCRIPTIS
L. ANNAEI SENECAE.

CAPVT I.

De patriâ, & parentibus.

VIRORVM illuſtrium vitam prodere, vetus inſtitutum eſt: & quorum ingenia, ſcripta, aut facta miramur, iuuat alia noſſe, quæ adhæſerunt. De Senecâ igitur, quatenus poteſt, dicam: & colligam ac diſponam, ex ipſo & variis ſcriptoribus, quod huc facit. Patriam ei Cordubam fuiſſe conſtat, veterem florentemque in Hiſpaniâ Bæticâ coloniam: atque adeò in iis regionibus primam. Strabo apertè: Πλεῖσον δὲ Κόρδυβα ἠυξήθη, Μαρκέλλου κτίσμα, καὶ δόξῃ καὶ δυνάμει, καὶ ἡ τῶν Γαδιτανῶν πόλις. ἡ μὲν διὰ τὰς ναυτιλίας, καὶ διὰ τὸ προσεχὲς Ῥωμαίοις τῇ συμμαχίας· ἡ δὲ, χώρας ἀρετῇ καὶ μεγέθει, προσλαμβάνοντος καὶ τοῦ ποταμοῦ Βαίτος μέγα μέρος: *Plurimum inter Hiſpaniæ Bæticæ vrbes Corduba aucta eſt, Marcelli opus, gloriâ & potentiâ: itémque Gaditana vrbs. Hæc quidem ob nauigationes, & Romanorum ſocietates; illa verò, ob regionis bonitatem, & amplitudinem, Bæti etiam fluuio multum huc conferente.* Laudat, & ſimul veterem oſtendit, *Marcelli opus*. Cuius? Prætoris, an Conſulis? Nam Prætor Hiſpaniam obtinuit M. Marcellus, ex Liuio, anno Vrbis DLXXXV. etſi in pace & otio, vt videtur. eóque magis inclinem, coloniam ab hoc deductam, fortaſſe & opidum auctum ornatumque. Neque enim nouum planè conditum, vel Silius dixerit: qui iam tempore Annibalis Cordubam nominauit. Ad illum igitur magis, quàm ad Conſulem Marcellum rettulerim, qui anno DCI. Hiſpaniæ præfuit, ſed *citeriori*, vt eſt in Epitome, & ex Appiano colligas: atque ibi re feliciter geſtâ, triumphauit de Celtiberis. Itaque nihil ei tunc fuit cum Bæticâ, aut Cordubâ noſtrâ: quæ eſt in Hiſpaniâ vlteriore. Addit porrò ampliùs Strabo: Ὤικησάν τε ἐξ ἀρχῆς Ῥωμαίων τε καὶ Ἰταλικῶν ἐπίλεκτοι ἀνδρες. καὶ δὴ καὶ πρώτην ἀποικίαν εἰς τόσδε τοὺς τόπους ἔστειλαν Ῥωμαῖοι: *Habitarunt hanc Cordubam ab initio ſelecti Romanorum, & indigenarum: atque adeò primam hanc in ea loca coloniam miſerunt Romani.* Nota, de Selectis. Ita enim fuit: eoque obtinuiſſe poſteà credam, vt *Colonia Patricia* diceretur. Plinius apertè: *Corduba, colonia Patricia cognominata.* Et in Auguſti nummis, PERMISSV. CÆSARIS. AVGVSTI. caput eius: tum parte alterâ, COLONIA. PATRICIA. Cui titulo cauſſam dediſſe arbitror, quòd ſplendida & diues, Patres ac Senatores etiam rei Romanæ daret. Nam iam Auguſti ævo, ex prouinciis paſſim in Senatum legebantur. Sed ait & Strabo, *primam colo-*

Lib. III.

Lib. XLIII.

Lib. III. cap. I.

coloniam eò missam: quod cautè lege. Nam *Carteia*, in eâdem Bæticâ, iamantè colonia deducta, à L. Canuleio Prætore: sed quia ex parùm honestis, *Libertinorum* appellata fuit. Leges in Liuio, initio libri XLIII. Tueri tamen Strabonem possis, fortasse & debeas: quòd non missi coloni illi Româ aut ex Italiâ, sed ibi nati ex militibus Romanis & fœminis Hispanis, permittente Senatu, hybridæ isti libertate donati sint, & in coloniâ collocati. At Strabo *missam primam* disertè scripsit. Satis de Cordubâ: atque hæc patria fuit. qui parentes? E gente *Annæâ* fuisse liquet: cui, ominis caussâ, ab annis videtur nomen factum: respondetque cognomen *Senecæ*, item ominis boni. Ita enim ego opinor primò inditum: etsi Isidorus, *eum qui primus ita dictus sit, canum fuisse natum*, arbitretur. Sanè *Seneca*, vel vt veteres, *Senica*, (est enim à *Sene, Senicis.*) γεροντικον significat, vt *Senecio*. Videatur Nonius, in *Senica*. Addo, quòd in aliâ etiam gente reperio hoc cognomen, vt in *Acciâ*, lapide prisco: *M. Accio. Seneca .... Manlio Planta II. vir. Quinq.* Sítne autem stirpis Hispanæ gens Annæa, an in Coloniam ex Italiâ missa, haud adfirmem: illud tantùm, Equestrem etiam fuisse. Ita Seneca ipse de se, apud Tacitum: *Egóne equestri & prouinciali loco ortus, proceribus ciuitatis adnumeror?* Lib. XIV. *inter nobiles, & longa decora præferentes, nouitas mea enituit?* Pater igitur, fortasse & auus, inter Equites: neque vltrà. Nam de *Nouitate* suâ mox subiungit, non facturus, siqui maiorum ad honores peruenissent. Pater autem à se scriptisque suis etiam notus, *L. Annæus Seneca:* quem *Declamatoris* agnomine (in hoc genere excelluit) à filio ferè distinguunt. Exstant non ipsius, sed alienæ ab eo digestæ Declamationes: quas Præloquiis, aut Interloquiis distinxit: & vel sic come atque amœnum ingenium suum satis ostendit. Vxorem habuit *Elbiam*, item Hispanam aut Hispaniensem, magni animi atque ingenij fœminam, vt filius eam (in Consolatione ad ipsam) satis descripsit. Pater, Augusti temporibus, Romam venit; & secuta mox vxor cum liberis, cumque ipso hoc Senecâ nostro, adhuc tenello. Diu ibi in gratiâ & famâ vixit, rem fecit: & ad vltima Tiberij censeo ætatem produxisse. Inducit me, quòd Seianianæ coniurationis mentio est in eius libris, & alia quæ huc spectant. Omitto, & ad filium transeo, de quo proposui.

CAPVT II.

De ipso L. Annæo Senecâ, eiúsque fratribus: vbi natus, & quando Romam delatus.

Is natus Cordubæ, & puer inde Romam trnslatus: quod ita indicat ipse, vbi materteram laudat. *Illius manibus in vrbem perlatus sum; illius pio maternóque nutricio, per longum tempus æger, conualui.* Si manibus perlatus, puerili in ætate oportet fuisse: & vides languisse tunc etiam, & operâ curáque eiusdem focillatum. Hoc ego euenisse colligo decimoquinto, aut circiter anno, ante Augusti excessum: argumento ab adolescentiâ Senecæ in Tiberij æuo, mox dicendo. Ergo nec pater diu antè Romam migrarit. Fratres duos Consol. ad Helu. cap. XVI.

Ad Helu. cap. 11. habuit, neque vllas sorores. ex verbis eius ad matrem: *Carissimum virum ex quo trium liberorum mater eras, extulisti.* Hi tres autem, M. Annæus Nouatus, L. Annæus Seneca, L. Annæus Mela fuerunt: nati ordine, quo recitaui. Hoc ex Controuersiarum inscriptionibus liquet, vbi sic, etsi cognominibus solis, recensentur. Maximus autem fratrum nomen mox mutauit, & in Iunij Gallionis transiit, ab eo adoptatus. Qui Gallio Senecæ patri in Declamationibus aliquoties nominatur, & *Noster* ei dicitur: siue à communi patriâ, Hispaniâ; siue ab amicitiâ, quæ cum eo fuit. An & necessitudo aut cognatio? nescio, suspicor tamen ob hanc adoptionem. Est autem ille *Gallio*, qui *Pater* Quinctiliano agnominatur, itémque Tacito, sexto Annalium. Noster autem iste adoptiuus in Eusebiano Chronico, *Junius* * *Annæus Gallio, frater Senecæ, & egregius declamator*, dicitur: an duplici illo gentis nomine (quod tamen veteribus rarum, imò non fuit) vt notet in quam adoptione iuit, & in quâ naturâ fuit? Apparet, si recta est nomenclatura aut scriptura. Est ille, ad quem libros *De Irâ* noster scripsit & misit, quem in iis *Nouatum* appellat: at eumdem, inscriptione De vitâ beata, *Gallionem fratrem*; itemque in Epistolis, *Dominum suum Gallionem*. honestè, vt fratrem scilicet seniorem. Sed obserua igitur, non adoptatum videri, quo tempore libri *De Irâ* scripti, id est Caio viuo: posteà denique, & tunc cognomen mutasse. At frater minimus, Annæus Mela est, Tacito, Dioni, & Eusebio nominatus, qui eques tantùm Romanus (nam prior ille Senator fuit) Lucanum filium genuit, *grande adiumentum* (ait Tacitus) *claritudinis.* Atque hi igitur tres fratres, de quibus Martialis capiendus:

* Malim *Annæanus*

Et docti Senecæ ter numeranda domus.

Doctum vocat, illum Declamatorem: triplicem domum, tres filios familiasque dictas.

CAPVT III.

Adolescentia eius, præceptores, & studia.

Epist. cviii. PVER igitur Romam venit, atque ibi, in optimis artibus, optimum ingenium adoleuit. *Adolescentia* eius in *Tiberij principatum incidit*, vt ipse fatetur: idque eo tempore, quo *aliena sacra mouebantur.* Is fuit annus Tiberij quintus, Vrbis conditæ DCCLXXII: quod ex Tacito est manifestum, qui *sacra Ægyptiaca & Judaica pulsa* eo anno scribit. Itaque Seneca tunc plenam adolescentiam egerit, viginti aut vigintiduorum annorum. Nam ætatem grandiusculam sub ipso Augusto habuisse, ex eo liquet, quòd cometam, siue flammam, ante excessum eius obseruauerit, de quo prodit: *Vidimus ante Diui Augusti excessum simile prodigium*: nec planè pueris talia curiosè adnotentur. Præceptorem in eloquentiâ habuit ipsum patrem, opinor: atque id Controuersiarum libri & Prefationes dicunt. Cur autem non optimus senex, qui alios ducebat & docebat, suos in hac viâ dirigeret? Fecit, & duos egregiè disertos reliquit, Gallionem, & nostrum: nam de Melâ tale nihil legi. Ille est Gallio, quem à suauitate eloquij Statius commendat:

Lib. 11. Annal. in fine.

1. Quæst. cap. 1.

Hoc

Hoc plus, quàm Senecam dediſſe terris,
Et dulcem generaſſe Gallionem.

Sonante & tinniente quâdam eloquentiâ fuiſſe, auctor libelli De cauſſis corruptæ eloquentiæ oſtendit: qui commemorat, *tinnitus Gallionis*. Si tamen huius, non patris. At noſter, præter eloquentiam, philoſophiæ magno impetu ſe dedit, & Virtus elegantiſſimum ingenium rapuit, etſi patre renitente. Ipſe non ſemel oſtendit, auerſum eum à Philoſophiâ fuiſſe, vxorem & ſe auertiſſe: imò odiſſe, palàm alibi ſcribit. Ardor tamen filij vicit, & inſignes ac ſerios eius æui Philoſophos aſſiduus audiuit: nominatim, *Attalum* Stoicum, *Sotionem* eiuſdem ſectæ, etſi Pythagoriſſare etiam viſus, itemque *Papirium Fabianum*: quos & nominat identidem, ac gratâ memoriâ laudat. Sotioni quidem puer etiam operam dedit, ſcribitque: *Modò apud Sotionem puer ſedi.* Sed & *Demetrium Cynicum* admiratus eſt, & coluit: ſæpè cum eo item grandior & iam in Aulâ, domi foriſque verſatus. Nam & in viâ ac peregrinatione habebat. Iſte ad honeſta impetus: ſed pater tamen fregit, & foro ac * cauſſis interim mancipauit. Quas diu actitaſſe eum apparet, & Caij etiam temporibus, magnâ eloquij gratiâ & famâ. Sanè ſcripta vlla Philoſophica ante id æui non exſtant. Epiſt. XLIX. *Vide Epiſtolam XLIX.

CAPVT IIII.

Honores, & ciuilis vita.

ATQVE idem pater latum clauum ſumere etiam ſuaſit, honorum candidatum. Itaque Quæſturam primò geſſit, in quâ adipiſcendâ ſuffragium materteræ ſuæ agnoſcit. *Illa*, inquit, *pro Quæſturâ meâ gratiam ſuam extendit, & quæ ne ſermonis quidem, aut claræ ſalutationis, ſuſtinuit audaciam, pro me vicit indulgentiâ verecundiam.* Quid fæminæ hæc fuerit, & quo marito, in Notis meis ibi diſces. Sed quando Quæſturam geſſerit, haud liquidò ſcio: ætas non abnuit, vt ſub Tiberio: potuit & ſub Caio, neque libet definire. Illud magis, Præturam ſtatim ab exſilio geſſiſſe, Agrippinâ faciente. Ita enim Tacitus: *Agrippina veniam exſilij pro Annæo Senecâ, ſimul Præturam impetrat* (à marito) *latum in publicum rata, ob claritudinem ſtudiorum eius, vtq; Domitij pueritia tali magiſtro adoleſceret, & conſiliis eiuſdem ad ſpem dominationis vteretur.* Vides, Prætorem ſtatim deſignatum: & laudes dotéſque, quas Tacitus candidè adiungit. Vulgi beniuolentia eo facto conciliabatur; quia iam vulgo in ore & gratiâ Seneca, *ob claritudinem ſtudiorum*; denique *tali* & tanto *magiſtro* volebat Domitium ſuum creſcere; itemque *conſiliis eius* (nota ciuilem prudentiam) ad parandum Principatum, ſed & regendum, niti. Ergo Prætor anno Vrbis DCCCII. fuit: numquid poſteà & Conſul? Affirmant libri legum, ad SC. Trebellianum. vt Vlpianus: *Temporibus Neronis, octauo Kalend. Septembres, Annæo Senecâ & Trebellio Maximo* COSS. *factum eſt Sc^tum*. Idem in Iuſtiniani II. Inſtitutionum ſcriptum. Qui autem Faſtos nobis concinnarunt, faciunt hos Conſules ſuffectos (nam ordinarij non fuerunt) anno Vrbis DCCCXV: Conſol. ad Helu. cap. XVI. XII. Annal.

quod esset, anno & paucis mensibus ante Senecæ mortem. Aliquis de totâ re dubitet fortasse. quia Ausonius Gratiarum actione palàm: *Diues Seneca, nec tamen Consul:* itémque nec ipse Seneca meminit vsquam huius honoris, etsi Epistolas pleraſque tunc scripsit. Respondeo. de Ausonio, intelligendum Ordinarium consulatum videri: de ipso nostro, silentium non esse negationem. Sed hoc etiam addo, non videri benè digessisse Fastorum concinnatores: neque illo anno profectò fuit. Nam ecce statim initio anni, Tacitus memorat refrigeratam eius apud Neronem gratiam, & calumniatores variè vellicasse: atque ipsum animosâ oratione Principem accessisse, commeatum petentem, & opes suas refundentem. Non admisit quidem Nero: sed tamen Seneca ab eo tempore (addit Cornelius) *instituta prioris potentiæ commutat, prohibet cœtus salutantium, vitat comitantes, rarus per vrbem, quasi valetudine infensâ, aut sapientiæ studiis domi attineretur.* Hæc non sunt pro nouo consule, aut etiam candidato: & mors eius non diu pòst secuta vetat assentiri. Quid tamen mouit viros doctos sic suspicari? Quod Tacitus illo anno *S C. factum* scribit, *ne simulata adoptio in vllâ parte muneris publici iuuaret, ac ne vsurpandis quidem hereditatibus prodesset.* Sed profectò nihil hoc ad Trebellianum illud: aliò spectat, siquis priora etiam illa in Tacito legit. Itaque fuisse equidem Consulem consentio, sed alio & priore tempore: nec certò designem. At perpetuus ille eius honos, Principis doctorem moderatorémque fuisse: optimi sanè, quamdiu huius consiliis monitísque se dedit. Tacitus non celat, & duos nominat, quibus vtiliter Princeps se permisit. *Ibatur in cædes, nisi Afranius Burrus, & Annæus Seneca, se obiecissent. Hi rectores imperatoriæ iuuentæ, & pari in societate potentiæ concordes, diuersâ arte ex æquo pollebant. Burrus militaribus curis, & seueritate morum: Seneca præceptis eloquentiæ, & comitate honestâ: iuuantes inuicem, quò facilius lubricam Principis ætatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent.* O laudabilem conatum, & consensum! Consensum, qui nimis rarus in Aulis, vbi quisque ita eminere ferè vult, vt alium nolit. Sed ad Senecam:

Annal. XIV.

CAPVT V.

Priuata vita, vxores, liberi, exsilium.

ILLE in publico ecquid aliud gesserit, haud scio: priuatim reperio, aut certè colligo, in Ægypto adolescentem fuisse, occasione quòd auunculus Præfectus ibi esset. Nam scribit de materterâ, ad matrem: *Exemplum tibi suum, cuius ipse spectator fui, narrabit.* Spectator? ergo in nauigatione eâ adfuit (de quâ ibi) cùm ex Ægypto matertera rediret. Et quomodo, nisi ipse etiam ex Ægypto? Planè ita fuit: & hæc causſa, cur pluscula de ipsâ Ægypto, & Nilo, curiosè libris (præsertim Quæstionum Naturalium) inspergat. Fortasis & ex Ægypto ad Indiæ oras iuit, per mare rubrum: atque ita de Indiâ commentari voluit, Plinio scriptum. Sed Romæ iam, vxorem duxit: quam, non est proditum; habuisse tamen, liberi euincunt. Nam ipse *Marcum blandissimum puerum*, multâ laude & affectu commemorat, ad *Heluiam* matrem:

Consol. ad Helu. cap. XXI.

Lib. VI. cap. XVII.

matrem: neque ambigendum quin filius sit. Vel carmen eius doceat, vbi inter vota:

Sic dulci Marcus qui nunc sermone fritinnit,
Facundo patruos prouocet ore duos.

Nam vt illos audiam, qui ad *Marcum Lucanum* hoc referunt, ratio non videtur. Atqui mentionem prioris vxoris non facit. Non in his libris, fateor: quid tum? nec Annæi etiam Melæ fratris nominatim. non ergo habuit? Etsi videndum, an non de priore vxore capias ista: *Harpasten, vxoris meæ fatuam scis hereditarium onus in familiâ meâ remansisse.* Vix enim est vt de Paullinâ sic loquatur, & sentiat: imò onus relegat ad defunctam vxorem, à quâ penes heredem cum aliâ familiâ mansit. Sed clariùs etiam alibi: *Cùm sublatum est lumen, & vxor moris mei iam conscia conticuit.* Quæ vxor? illa prior. nam libri de Irâ, Caio adhuc viuo, videntur scripti, in loco nobis doctum. At Paullinam post exsilium denique duxit, nobilem fæminam: quæ, inquam, iam seni nupsit, & potenti in aulâ. Quod ipsum Dio quoque, aut quisquis ille apud Dionem fuit, obiiciendum Senecæ putauit: nempe quòd ætate grauis iuuenculam illam duxisset. Talis vterque fuit, & ipse Seneca prodit: *Hoc ego Paullinæ meæ dixi, quæ mihi valetudinem meam commendat. Venit mihi in mentem, in hoc sene & adolescentem esse, cui parcitur.* Adolescentem? ipsam Paullinam. Sanè amans ea viri, vt ibi pluribus iactitat: nec falsò, & in morte eius ostendit, cui suam (quod in ipsâ fuit) iuit iunctum. Posteà videbimus. Atque istæ vxores: & alia vita quieta, & ferè sine offensâ, excipio grandem illum exsilij casum. Nam sub Claudio, primo imperij eius anno, cùm *Julia* Germanici filia accusata adulterij esset (Dij Deæque, à Messallinâ!) & ipsa extorris est acta; & quasi inter adulteros Seneca, in Corsicam relegatus. Veráne culpa fuerit, non dicam: nolim, & Tacitus fortasse mecum. qui, vbi de exsilio: *Seneca infensus Claudio, memoriâ iniuriæ credebatur.* Nota, *iniuriæ*: ergo hæc ei facta. Et sanè quis aliàs accusationes impudicissimi illius scorti (Messallinam dico) & damnationes huius obnoxiæ pecudis (Claudij) ignorat? Neque enim aliquid mali ferè, nisi bonis & insontibus, sunt machinati. Vixit in exsilio annos circiter octo: & fortiter, imò vt ipse ait, feliciter vixit, optimis studiis meditationibusque intentus. Ita enim ad matrem: *Inter eas res beatum se esse, quæ solent miseros facere:* & pulcherrimè deinde (vide, sodes) philosophatur. Addit in extremo, & assurgit: *Qualem me cogites, accipe: latum & alacrem, velut optimis rebus. Sunt autem optimæ, cùm animus omnis cogitationis expers, vacat operibus suis, & modò se leuioribus studiis oblectat, modò ad considerandam sui vniuersique naturam, veri auidus, insurgit.* O hominem, ô verba honesta! quæ imitari Octauiæ tragœdiæ auctor (non enim ipse: apage.) voluit, his versibus, in personâ Senecæ:

Epist. I.

III. De Irâ.

Epist. CIV.

Cap. IV.

Melius latebam, procul ab inuidiæ malis
Remotus, inter Corsici rupes maris.
Vbi liber animus, & sui iuris, mihi
Semper vacabat, studia recolenti mea.
O quàm iuuabat (quo nihil maius parens

Natura genuit, operis immensi artifex)
Cælum intueri, Solis & currus sacros!

Hæc meliora, veriora etiam, quàm quæ in Consolatione ad Polybium abiectè nimis & demissè scribuntur: & an à nostro Senecâ? Dubitare non semel subiit, & pænè abdicare. Quomodocumque, homo fuit: & illud certè scriptum non nisi inimici protraxerunt, & publicarunt: fortasse & macularunt. Sed notes in Senecæ suprà verbis, *Leuioribus etiam ibi studiis se oblectasse:* quæ Poëtica censeo: & exstat in iis *Medéa:* quam in exsilio scriptam, quo tempore Claudius Britanniam subegit, mihi pænè certum: atque adeò argumentum illud elegit de Iasone, vt aliquid inspergeret scilicet de Oceano subacto. Sanè versus illi in Choro quò, nisi ad Claudium, spectant?

Parcite ô diui, veniam precamur,
Viuat vt tutus, mare qui subegit.

Iterúmque:

Iam satis diui mare vindicastis,
Parcite diuo.

Quod item ad Claudium, etsi viuum: & Deos Deo vult parcere, poëticâ adulatione.

CAPVT VI.

Opes eius, villæ, agri, fœnus.

SED ab exsilio reuersus statim in splendore iterùm fuit, opum iamtunc, & ante Aulam, largus. Nàm pater eas reliquerat, nec omnes suæ indu-
Cap. 14. striæ aut fortunæ debet. Ipse ad matrem: *Tu filiafamilias locupletibus filiis vltrò contulisti.* Liberalitatem eius laudat, eò magis quòd in *locupletes*, vt ait, nec sanè egentes. Hæc ante Aulam: at in ipsâ ingentes opes quæsiuit, siue potiùs venientes vltrò admisit. Plerasque enim ex Principis munificen-
Lib. XIV. tiâ habuit: atque ipse ita ad Neronem, in Tacito nostro. *Tu*, inquit, *gratiam immensam, innumeram pecuniam dedisti: adeò vt plerumque intra me ipse voluam, Vbi est animus ille modicis contentus? Tales hortos instruit, & per hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis, & tam lato fœnore exuberat?* Nota Hortos, Villas, Agros, Fœnus, omnia laxè & vbertim. Vis iterùm Taciti ver-
Annal. XIV. ba, sed ab alieno ore & sensu? *Calumniatores*, inquit, *variis criminationibus Senecam adoriuntur, tamquam ingentes, & priuatum supra modum euectas opes, adhuc augeret: quódque studia ciuium in se verteret: hortorum quoque amœnitate, & villarum magnificentiâ quasi Principem supergrederetur.* Et Suil-
Lib. XIII. lius, apud eumdem, modum etiam opum expressit: *Quâ sapientiâ, quibus Philosophorum præceptis, intra quadriennium regiæ amicitiæ, ter millies* HSS. *parauisset? Romæ testamenta & orbos, velut indagine eius capi: Italiam & prouincias, immenso fœnore hauriri.* Is modus nobis esset, *septuagies quinquies centena millia Philippicorum.* Opes pænè regiæ, fateor: sed de malis artibus & captaturâ, quod adiungit, adspernamur. Habuit antè censum magnum, vt dixi: & in copiosâ illâ Aulâ, & amplâ re Romanâ, quid mirũ si auxit? Sed ait etiam, *Italiam*

liam & prouincias fœnore eius hauriri. Significat, fœnebrem variis locis pecuniam habuisse: & suspicor etiam in Ægypto. Id ex epistolâ, quâ scribit naues Alexandrinas subitò adueniisse, omnes concurrisse in portum aut litus: *at ego,* inquit, *in hoc omnium discursu, magnam ex pigritiâ meâ sensi voluptatem, quòd epistolas meorum accepturus, non properaui scire, quis illic esset rerum mearum status, quid afferrent. Olim iam nec perit mihi quidquam, nec acquiritur.* Habuit ibi suos (nempe actores, aut procuratores) & res eius agebatur: ergo in pecuniâ aliquâ grandi, aut & agris. Nam trans mare possediisse, vt illa ætas & copia erat, nihil nouum. Enimuerò Dio inter caussas etiam Britannici belli recenset, quòd *Seneca cùm quadringenties* H S S. (sunt decies centena millia Philippicorum) *magno fœnore Britannis credidisset, vniuersam illam pecuniam vno tempore repetebat.* An verè hoc, nescio: vbique enim infensus, & ex professo hostis, est nostro: tamen à vero non abit, etiam illîc pecuniam habuisse. Quid iam Hortos, & Villas? plures habuit, & cum vario instructo. Iuuenalis attigit: —— *Senecæ prædiuitis hortos.* Sed & ipse villas suas commemorat *Nomentanam, Albanam,* itemque *Baianam*: & habuit sanè plures. Sed & domum in vrbe, quæ nomen apud posteros tenuit: locatque *Senecæ domum, in regione* x. P. Victor. Iam & supellex inuidiam habuit, obiicitque Dio πενταπλασίας τρίποδας κεδρίνου ξύλου, ἐλεφαντόποδας, ἴσους καὶ ὁμοίους: *quingentas mensas è cedro, cum eburneis pedibus, similes omnes & æquales.* Magnum hoc fuit, si verum (nam ita semper in Dionis obiectionibus cauendum est:) magnum, tot illas mensas habuisse, quarum vna aliqua taxari vel latifundij æstimatione solet. Sed non tam lectas aut raras fuisse has oportet: quid si nec fuisse? Non, quin moris, lautis & luxuriosis habere. ita enim & Martialis de quodam:

Et Mauri Libycis centum stant dentibus orbes,
Et crepat in nostris aurea lamna toris.

Lib. IX. Epigr. XXIII.

Nam in magnis conuiuiis, singulis suas mensas anteponebant (alibi adnotandum) & hoc fine sic plures habebant. Non, inquam, eò nego aut dubito. sed quia ipsus Seneca tangit & castigat hanc insaniam sæpiùs; etiam in Aulâ & senex, libris de Beneficiis, quos tunc scripsit. Quid, quòd in illo De Tranquillitate (sub initium) palàm negat *placere sibi mensas varietate macularum conspicuas*, nec solere vti? Mira hæc impudentia, in re conspicuâ & eius ævi oculis obiectâ, palàm sic dissimulare, aut mentiri. Non arbitror; & magis Dionem, aut cui Dio partes has adsignat. Nam ex oratione aliquâ aduersariâ hæc videri, * alibi adnotaui: atque obiter ibi diuitiarum crimen dilui, legendum siquis volet. Sed magis ipsum Senecam legat, qui sub hoc tempus *De vitâ beatâ* librum edidit: in quo scopum habet aduersus criminantes se tueri. O elegantem, ô sapientem libellum! & calumniam hoc ipso caram, quòd fuerit huic eliciendo.

* 1. Manud. Dis. XIIX.

CAPVT VII.

Mores, & primùm abſtinentia, veritas, ſanctitas pietáſque.

SED Mores ipſi etiam hoc de Opibus refrigerant: & vſum iis clamant, non abuſum. Quid enim in faſtum, luxum, pompam? doceant, & ſilemus. In cibos fortaſſe, & lautitiam? Audiamus ipſum, in publico profitentem: *Ego cùm Attalum audirem in vitia, in errores, in mala vitæ perorantem, ſæpè miſertus ſum generis humani, & illum ſublimem altiorémque humano faſtigio credidi. Cùm cœperat voluptates noſtras traducere, laudare caſtum corpus, ſobriam menſam, puram mentem: non tantùm ab illicitis voluptatibus, ſed etiam ſuperuacuis, libebat circumſcribere gulam & ventrem. Inde mihi quædam permanſere Lucili. magno enim ad omnia impetu veneram: deinde ad ciuilem vitam reductus, ex benè cœptis pauca ſeruaui. Inde oſtreis boletiſque in omnem vitam renuntiatum eſt: inde in omnem vitam vnguento abſtinemus: inde vino caret ſtomachus: inde in omnem vitam balneum fugimus.* Epiſt. CVIII.

Quæ talis alibi frugalitas, an quo nomine appellanda? Et ſcripſi de eâ in *Laudatione Senecæ: ne hîc iteremus. Iam reliqua etiam vita ſeria & ſeuera. Non corrupit eum Aula, nec ad familiare & cognatum pænè vitium Adulationem flexit. Minimè. ipſe ad Neronem: *Diutiùs morari me hîc patere, non vt blandiar auribus tuis: nec enim mihi hic mos eſt: maluerim veris offendere, quàm placere adulando.* Et iam moriturus, apud Tacitum, referri iubet Principi: *Non ſibi promptum in adulationes ingenium: idq; nulli magis gnarum, quàm Neroni, qui ſæpiùs libertatem Senecæ, quàm ſeruitium expertus eſſet.* Ampliùs, quæ morum vitæque exactio, & examen? Iterùm ipſe: *Vtor hac poteſtate, & cottidie apud me cauſſam dico. Cùm ſublatum è conſpectu lumen eſt, & conticuit vxor moris iam mei conſcia, totum diem mecum ſcrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi abſcondo, nihil tranſeo: quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cùm poſſim dicere, Vide ne iſtud ampliùs facias, nunc tibi ignoſco?* Poteſt maius aut clarius ſtudium elucere Virtutis? Denique & pietas in Deum & ſubmiſſio, quoties apparet? Vnum excerptum poſuero: *Siquid credis mihi, intimos affectus meos tibi cummaximè detego: in omnibus quæ aſpera videntur & dura, ſic formatus ſum. non parco Deo, ſed aſſentior; ex animo illum, non quia neceſſe eſt, ſequor. Nihil vmquam mihi incidet, quod triſtis excipiam, quod malo vultu: nullum tributum inuitus conferam.* Et plura ſunt talia in *Manuductione*, aut *Phyſiologiâ*, à nobis notata. Imò tam claræ quædam pietatis, vt Tertullianus & priſci *Noſtrum* appellent, Concilia ipſa quædam auctoritate eius (in Fragmentis poſui) vtantur. Atque adeò Otho Friſingenſis aſſerat: *L. Senecam non tam Philoſophum, quàm Chriſtianum dicendum.* Atque ob has eminentes virtutes, etiam illo æuo, ingens de eo opinio, & vel imperio deſtinabant. Tacitus apertè hoc agitatum ſcribit: *vt traderetur imperium Senecæ, quaſi inſonti, claritudine virtutum ad ſummum faſtigium dilecto.* O Roma, non manebat te hæc felicitas, nec Deus ſic reſpexit! Alioqui,

* I. Manud. Diſ. XIIX.

II. De Clem.

XV. Ann.

III. De Irâ.

Epiſt. XCVI.

XV. Ann.

Libe-

Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni? Iuuen. Sat. x.

At enim de veris virtutibus eius quidam dubitant, & verba hæc ac ſcænam fuiſſe. An igitur in morte fidem non fecit, quàm omnia humana in leui haberet, quàm Deo ſe præberet?

CAPVT VIII.

Mors eius, fortis, conſtans, è Tacito narrata.

ET de eâ commodùm videamus: vnde autem potiùs, quàm è fidiſſimo ſcriptorum Tacito hauriemus? Verba eius ecce habes:

Sequitur cædes Annæi Senecæ lætiſſima Principi, non quia coniurationis manifeſtum compererat, ſed vt ferro graſſaretur, quando venenum non proceſſerat. Solus quippe Natalis, & hactenus prompſit: miſſum ſe ad ægrotum Senecam vt viſeret conquereretúrque, cur Piſonem aditu arceret: melius fore ſi amicitiam familiari congreſſu exercuiſſent. Et reſpondiſſe Senecam, ſermones mutuos & crebra colloquia neutri conducere: ceterùm ſalutem ſuam incolumitate Piſonis inniti. Hæc ferre Granius Siluanus tribunus prætoriæ cohortis, & an dicta Natalis, ſuáque reſponſa noſceret, percontari Senecam iubetur. Is, fortè an prudens, ad eum diem ex Campaniâ remeauerat, quartúmque apud lapidem ſuburbano rure ſubſtiterat. Illò propinquâ veſperâ tribunus venit, & villam globus militum ſepſit. Tum ipſi cum Pompeiâ Paullinâ vxore & amicis duobus epulanti mandata Imperatoris edidit. Seneca miſſum ad ſe Natalem, conqueſtúmque nomine Piſonis quòd viſendo eo prohiberetur, ſe ratione valetudinis & amore quietis, excuſauiſſe reſpondit. Cur ſalutem priuati hominis incolumitati ſuæ anteferret, cauſſam non habuiſſe, nec ſibi promptum in adulationes ingenium: ídque nulli magis gnarum quàm Neroni, qui ſæpiùs libertatem Senecæ, quàm ſeruitium expertus eſſet. Vbi hæc à tribuno relata ſunt, Poppæâ & Tigellino coram, quod erat ſæuienti Principi intimum conſiliorum, interrogat, an Seneca voluntariam mortem pararet. Tum tribunus nulla pauoris ſigna, nihil triſte in verbis eius aut vultu deprehenſum confirmauit. Ergo regredi & indicere mortem iubetur. Tradit Fabius Ruſticus, non eo quo venerat itinere reditum, ſed flexiſſe ad Fenium præfectum, & expoſitis Cæſaris iuſſis, an obtemperaret interrogauiſſe: monitúmque ab eo, vt exſequeretur, fatali omnium ignauiâ. Nam & Siluanus inter coniuratos erat, augebátque ſcelera in quorum vltionem conſenſerat. Voci tamen & aſpectui pepercit. Intromiſitq; ad Senecam vnum ex centurionibus, qui neceſſitatem vltimam denunciaret. Ille interritus poſcit teſtamenti tabulas: ac denegante centurione, conuerſus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod vnum iam tamen & pulcherrimum habebat, imaginem vitæ ſuæ relinquere teſtatur, cuius ſi memores eſſent, bonarum artium famam tam conſtantis amicitiæ laturos. Simul lacrymas eorum, modò ſermone, modò intentior in modum coërcentis, ad firmitudinem reuocat, rogitans: Vbi præcepta ſapientiæ? vbi tot per annos medi-"

tata

» *tata ratio aduersum imminentia? Cui enim ignaram fuisse sæuitiam Nero-*
» *nis? neque aliud superesse post matrem fratrémque interfectos, quàm vt educa-*
» *toris præceptorísque necem adiiceret. Vbi hæc atque talia velut in commune disse-*
ruit, complectitur vxorem. & paululum aduersus præsentem formidinem molli-
tus, rogat orátque temperaret dolori, ne æternum susciperet, sed in contempla-
tione vitæ per virtutem actæ, desiderium mariti solatiis honestis toleraret. Illa
contrà, sibi quoque destinatam mortem adseuerat, manúmque percussoris ex-
poscit. Tum Seneca gloriæ eius non aduersus, simul amore, ne sibi vnicè dile-
ctam ad iniurias relinqueret: Vitæ, inquit, delinimenta monstraueram tibi, tu
mortis decus mauis. non inuidebo exemplo. Sit huius tam fortis exitus constan-
tia penes vtrosque par, claritudinis plus in tuo fine. Post quæ, eodem ictu bra-
chia ferro exsoluunt. Seneca, quoniam senile corpus & paruo victu tenua-
tum, lenta effugia sanguini præbebat, crurum quoque & poplitum venas abrum-
pit. Sæuísque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum vxoris infringeret,
atque ipse visendo eius tormenta, ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud
cubiculum abscederet. Et nouissimo quoque momento suppeditante eloquentiâ
aduocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quæ in vulgus edita eius verbis, in-
uertere supersedeo. At Nero nullo in Paullinam proprio odio, ac ne gliscé-
ret inuidia crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Hortantibus militibus, serui
libertíque obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignaræ. Nam
vt est vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec im-
placabilem Neronem timuerit, famam sociatæ cum marito mortis petiuis-
se; deinde oblatâ mitiore spe, blandimentis vitæ euictam: cui addidit pau-
cos posteà annos laudabili in maritum memoriâ, & ore ac membris in eum
pallorem albentibus, vt ostentui esset, multum vitalis spiritus egestum. Se-
neca interim durante tractu, & lentitudine mortis, Statium Annæum diu si-
bi amicitiæ fide & arte medicinæ probatum, orat prouisum pridem venenum,
quo damnati publico Athenienſium iudicio exstinguerentur, promeret: al-
latúmque hausit frustrà, frigidis iam artubus & clauso corpore aduersum vim
veneni. postremò stagnum calidæ aquæ introiit, respergens proximos seruo-
rum, additâ voce, Libare se liquorem illum Ioui liberatori. Exin bal-
neo illatus, & vapore eius exanimatus, sine vllo funeris sollenni crematur.
Ita codicillis præscripserat, cùm etiam tum prædiues & prapotens, supremis
suis consuleret.

Hæc Tacitus: neque pigebit insistere leuiter, & examinare, aut illustra-re. Ait, *lætissimam Principi hanc cædem.*] Iamdiu enim grauabatur boni rectíque hunc doctorem, & reuerentiæ illud frenum (quod vel inuito inhærebat) semel excutere voluit, eo sublato. Tamen aliter iurauerat, vt Suetonius prodidit: *Senecam*, inquit, *præceptorem ad necem compulit, quamuis sæpè commeatum petenti, bonísque cedenti, persanctè iurasset, suspectum se frustrà, periturúmque potiùs, quàm nociturum ei.* Iurauit, id est Deos quoque illusit. Ait, *Quando venenum non processerat.*] Tentauerat enim, & ita idem Tacitus suprà: *Tradidere quidam, venenum Senecæ per libertum ipsius Cleonicum paratum, iussu Neronis; vitatúmque à Senecâ, proditione liberti, seu*

Eodem libro.

pro-

propriâ formidine, dum ſimplici victu, & agreſtibus pomis, ac ſi ſitis admoneret, profluente aquâ vitam tolerat. Pergit. *An prudens.*] Quaſi gnarus coniurationis, & diei deſtinatæ. Item, *Ex Campaniâ remeauerat.*] E villâ aliquâ ibi ſuâ. Et ſanè ibi ante obitum ſæpè in ſeceſſu vixit, & pleraſque Epiſtolarum ad Lucilium ſcripſit. *Quartúmque apud lapidem.*] In villâ item aliquâ ſuâ. An Nomentanâ? Hoc Xicho Polentinus ſcripſit, ſed merâ, puto, coniecturâ. Neque Tacitus admittit, qui de *quarto lapide* ab vrbe prodit: atqui Nomentum vel *duodecimum* diſtat. *Nulla pauoris ſigna.*] En dignam Philoſopho, & quidem Stoico, mortem: quam & ſequentia deprædicant. *Imaginem vitæ ſuæ.*] Obſecro, ſi fœdus Seneca, vt Dio voluit, hæcne de vitâ ſuâ, in clauſulâ diceret? amicos ſcilicet, & arbitros eius cottidie, ſic falleret? *Modò ſermone.*] Leniter, & vt in alloquiis. *Aduerſus præſentem formidinem mollitus.*] Non reſcribo temerè: tamen ambigat aliquis, an non *mollitam*, & ad vxorem referatur. Sequentia videntur inducere, cùm rogat temperaret dolori, & quæ iungit. *Vitæ, inquit, delinimenta.*] Hæc & pleraque alia, ſunt ipſa Senecæ, aut certè ſimilia: quia exſtabant vulgata, vt mox dicet. *Senile corpus.*] Meo calculo LXIII. aut quattuor annorum. Neque vltrà fuiſſe, Neronis illa ad Senecam euincunt, non diu antè prolata, apud Tacitum: *Verùm & tibi valida ætas, rebuſq; & fructui rerum ſufficiens:* quæ de ſeniore haud verè dicas. *Aduocatis ſcriptoribus.*] O virum, ô animi robur! in ipsâ etiam morte dictare, quod poſteros iuuaret. Neque enim ambigendum, talia fuiſſe, ac conſtantiæ & ſapientiæ mera præcepta. Argumentum, quòd *in vulgus edita:* haud futurum, niſi præclara aliqua eſſent. Et quia edita, Tacitus omiſit. ô improuidè factum! & nobis quoque cygnæas illas voces audire vel leui aure eſſet! *Stagnum calidæ aquæ.*] Solium. & tunc primùm calidâ vſus, cùm non vltrà vſurus. *Balneo illatus.*] Laconico & ſicco, vt opinor. Nam vapore, & acrimoniâ caloris, exanimatum oſtendit. *Cùm etiam tum prædiues & prapotens.*] Aliquid eſt, in quo Tacitus carpere videtur: nec ſatis tamen capio. Tacitum funus voluit, & ſollennia eius vetuit: ſed quomodo in eo *ſupremis ſuis conſulit*? An ne teſtamentum Nero rumperet? qui fortaſſe heres in parte magnâ ſcriptus, & nolebat ſibi per impendia aliquid perire. An in eo parcimoniam Senecæ tangit? ſed verba examinata non huc eunt. Alius videbit.

CAPVT IX.


Corpus, morbi, forma.

FINIVI, niſi placet de Corpore aliquid addi: & iuuat magnorum ingeniorum etiam habitacula, vt ſic dicam, nouiſſe. Corpore igitur à pueritiâ infirmo fuit. Ipſe de materterâ, poſtquam in vrbem perlatus eſſet: *Illius pio maternoq; nutricio,* PER LONGVM TEMPVS *æger, conualui.* Et in epiſtolâ quadam: *Longum mihi commeatum valetudo dederat; repentè euaſit. Quo genere? inquies. Prorſus meritò interrogas: adeò nullum mihi ignotum eſt. Vni tamen morbo quaſi aſſignatus ſum: quem quare Græco nomine appellem, neſcio:* Conſol. ad Helu. cap. XVI. Epiſt. LIV.

* Aſthma. *neſcio : ſatis enim aptè dici* Suſpirium poteſt.* Et mox addit : OMNIA *corporis aut incommoda, aut pericula, per me tranſierunt.* Vide ſenem, benè exercitatum! qui etiam adoleſcens *Deſtillationibus* vexatus fuit, & per eas videbatur ad tabem ire. Ipſe iterùm : *Vexari te deſtillationibus crebris ac febriculis, eò moleſtius mihi eſt, quia expertus ſum hoc genus morbi, quod inter initia contempſi. Poterat adhuc adoleſcentia iniurias ferre, & ſe aduerſus morbos contumaciter gerere : deinde ſuccubui, & eò perductus ſum, vt ipſe deſtillarem. Ad ſummam maciem deductus, ſæpè impetum cepi abrumpendæ vitæ : patris me indulgentiſſimi ſenectus retinuit.* Satis clarè ſcribit, de macie ſuâ, & marcore : nec mirum Caligulæ ſic à fœminâ perſuaſum. Scribit enim Dio, *cùm cauſſam quamdam in Senatu egregiè & feliciter Seneca egiſſet, liuore ſuffuſum illum Principem, qui ſolus videri eloquens volebat, cogitaſſe de Senecâ tollendo : & feciſſet, niſi vna è concubinis admonuiſſet, Fruſtrà mortem parari iam morituro : tabe quippe laborare.* Credidit, & ſaluti ea res Senecæ fuit. Adeò verum eſt, quod ipſe (an huc adſpiciens?) ſcripſit : *Multorum mortem diſtulit morbus, & ſaluti illis fuit, videri perire.* Ceterùm corpore ſicco & exhauſto ad extremum fuit: quid mirum vel à morbis, vel magis à ſtudiis? Et Tacitus etiam tertiam cauſſam adiungit : *Corpus paruo victu tenuatum.* Neque id formoſum fuiſſe, indicare videtur ipſe Seneca alibi : *Quòd libros meos petis, non magis ideò diſertum me puto, quàm formoſum, ſi imaginem meam peteres.* Tangit, non fuiſſe : & imago quæ à Fuluio quidem Vrſino prodita eſt, vix præfert dignum illo animo vultum. Eſt iſta :

Epiſt. LXXIIX.

Epiſt. XLV.



Epiſt. CIV. Lib. III. cap. VII. Epiſt. CXII. Ceterùm, corpus etſi tenue, firmabat exercitiis durioribus: & cultu agri, & foſſione vinearum : cuius meminit in Epiſtolâ quâdam, & Quæſtionibus Naturalibus : vbi *diligentem vinearum foſſorem* ſe appellat : itemq; vniuersè hortorum. quod *artificium* etiam *ſuum* dicit.

CA-

CAPVT X.

Libri, qui non exstant.

DE Corpore tantum est: nec ab eo nobis fructus: ab animo maximi, & per Indicem videamus. Scripta enim eius exstant multa, plura non exstant: & hæc, quod eruere potui, hîc dabo. Perierunt igitur, primùm

VERSVS *eius & poëmata*, quos certum est vbertim scripsisse. Ipse in exsilio fecisse ostendit; & Tacitus, iam etiam seniorem, & in Aulâ. Ita enim inuidi calumniantur apud Neronem: *Obiiciebant etiam, eloquentiæ laudem vni sibi adsciscere, & Carmina crebriùs factitare, postquam Neroni amor eorum venisset.* Lib. XIV.

ORATIONES, siue caussarum Actiones. Egit multas & illustres, atque in ipso Senatu: vt omittam quas Principi scripsit, in Senatu item recitandas. Neque dubito *Edicta* ad populum, & *Epistolas* grauiores, ab illo conscriptas, aut dictatas: quorum omnium leuis memoria supersit, & tulit, vt solet, æuum.

DE TERRÆ MOTV liber, quem iuuenem se scripsisse ipse testatur VI. Nat. Quæst. cap. IV. Non desideres, quia eãdem materiam, in iisdẽ Quæstionibus, retractauit.

DE MATRIMONIO. Fuerítne liber, an Epistola, nescio: sed citat Hieronymus adu. Iouinian. lib. I.

HISTORIA, aut compendium. ex Lactantij VII. cap. XV.

DE SVPERSTITIONE liber, haud dubiè inter sapientes. Laudat & excerpit quædam Augustinus VI. De Ciuit. Meminit & Tertullianus in Apologetico.

DIALOGI. quos Fabius nominat, nec vltrà.

MORALIVM libri. Lactantius citat lib. II. cap. II. atque alibi, & ipsemet noster epist. CVI. initio, & epist. CIX. Scripsit in extremo, vt inibi appâret: ô insigne opus, & lugeo interceptum.

EXHORTATIONVM libri. Plures enim fuerunt, è Lactantio, & Fragmenta nostra vide. Hocipsum quis non inter egregia operum censebit reponendum? Sunt alia, sed quæ incertò ad hunc referas: vt *Notarum* libros, qui patris magis fuerunt. Item *De Caussis*. Ita enim scriptor innominatus Rerum Britanniæ: *Seneca de caussis commemorat, Catonem oratoris officium definientem dixisse, Orator est vir bonus dicendi peritus.* Sed is quoque Patrem spectat, & sunt Controuersiarum libri: in quorum primo, Præfatione ipsâ, hoc Catonis reperies ibi citatum. Siquid me etiam fugit, in Fragmentis reperies: etsi minora non tam effugiunt, quàm patior elabi.

Sed heus, EPISTOLAS ad *Diuum Paulum* non memoramus? Quæ nunc sunt, non sunt tanti: imò certum est eiusdem auctoris, & Pauli & Senecæ, illas esse, & compositas à semidocto in ludibrium nostrum. Tentat Latinè loqui, quisquis auctor fuit. Ergo inter se non scripserunt? [a] Hieronymus, [b] Augustinus; atque etiam antiquior vtroque [c] Linus Pontifex, asserũt, & passiua opinio olim fuit. Atque adeò [d] Io. Sarisberiensis fortiter: *Desipere videntur, qui non venerantur eum, quem Apostolicam familiaritatem meruisse constat.* Itaque reiicere hoc totum & calcare non ausim: fuerint aliquæ, sed aliæ: si istæ, requiro iudicium optimorum Patrum. Sed quid alij etiam de Senecâ, videamus.

[a] De scriptoribus Eccles.
[b] Epist. LIII. ad Maced. & VI. De ciuit. c. X.
[c] De passione diui Pauli.
[d] Lib. VIII. Polycrat. cap. XIII.

DE L. ANNÆO SENECA VETERVM AVCTORVM LOCI.

Eusebius in Chronologiâ.

I. Olymp. CCXI. ANNÆVS *Seneca Cordubensis, præceptor Neronis, & patruus Lucani Poëtæ, incisione venarum, & veneni haustu periit.*

B. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis.

II. *L. Annæus Seneca Cordubensis, Socionis Stoici discipulus, & patruus Lucani Poëtæ, continentissimæ vitæ fuit: quem non ponerem in Catalogo Sanctorum, nisi me illæ epistolæ prouocarent quæ leguntur à plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum: in quibus, cùm esset Neronis magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit*, eius esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos. *Hic ante biennium quàm Petrus & Paulus coronarentur martyrio, à Nerone interfectus est.*

Commentarius antiquus in Iuuenalis Satyr. v. versu CIX.

III. A Senecâ.] *Hic sub Claudio quasi conscius adulteriorum Juliæ Germanici filiæ, in Corsicam relegatus, post triennium reuocatus est. qui etsi magno desiderio Athenas intenderet, ab Agrippinâ tamen erudiendo Neroni in palatium adductus, sæuum immanémque natum & sensit citò & mitigauit: inter familiares solitus dicere*, Non fore sæuo illi leoni, quin, gustato semel hominis cruore, ingenita redeat sæuitia. *Huic postremò, quòd habitus esset inter conscios coniurationis Pisonianæ, Nero per Tribunum vltimam necessitatem denuntiauit. Hic interritus, amicorum animos, quibus iam eius casus lacrimas exciuerat, ad firmitudinem reuocauit, rogitans:* Vbi præcepta sapientiæ? vbi tot per annos meditata ratio aduersus imminentia? cui prætereà ignara fuerit Neronis sæuitia? neque aliud superesse post matrem fratrémque interfectos, quàm vt educatoris præceptorísque necem adiiceret. *Deinde sibi venas præsecans, crurúmque venas abrumpens, & durante tractu lentitudinéque mortis, hausto veneno, postremò calidæ aquæ stagnum introiens, exanimatus est.*

Tacitus lib. xv. Annalium. Cuius verba in Vitâ data & explicata sunt.

Cetera quæ ad Senecæ vitam pertinent, videre potes apud eumdem auctorem lib. XI. XII. XIII. XIV. & XV. Annalium: sed & apud Dionem lib. vlt. Suetonium & Xiphilinum in Nerone, Plutarchum περὶ ἀοργησίας, & in vitâ Othonis.

NOTÆ.

II. EIVS ESSE LOCI APVD SVOS.] Hoc in adsimulatis illis epistolis adumbratũ exstat: *Nam qui meus apud te locus, qui tuus velim vt meus.* Balbuties est, fueritque: *qui tuus apud tuos locus, velim vt meus.*

III. SENSIT CITÒ, ET MITIGAVIT.] Pro mente Scholiastæ videbatur: *& indicauit.* Nam sequentia sic volunt.

VBI PRAECEPTA SAPIENTIAE?] Sunt è Tacito sumpta, an ex ipsis Senecæ verbis? quæ vulgo tradita Tacitus scribit.

ELO-

ELOGIA AVCTORVM

DE L. ANNAEO SENECA.

L. Iunius Moderatus Columella, lib. III. de re ruſt. cap. III.

SED *Nomentana regio nunc celeberrimâ famâ eſt illuſtris,* I.
& præcipuè quam poſsidet Seneca VIR EXCELLENTIS INGENII ATQVE DOCTRINÆ, *cuius in prædiis vinearum iugera ſingula culleos octonos reddidiſſe plerumque compertum eſt.*

M. Fabius Quinctilianus cap. x. lib. XII.

In his etiam quos ipſi vidimus, COPIAM SENECÆ, *vires Africani, maturitatem Afri reperimus.* II.

Tacitus Annalium lib. XII.

At Agrippina, ne malis tantùm facinoribus noteſceret, veniam exſilij pro III.
Annæo Senecâ, ſimul præturam impetrat, lætum in publicum rata, ob CLARITVDINEM STVDIORVM EIVS, *vtq; Domitij pueritia* TALI MAGISTRO *adoleſceret, & conſiliis eiuſdem ad ſpem dominationis vteretur.*

Lib. XIII.

Quamquam oratio compoſita à Senecâ MVLTVM CVLTVS *præferret, vt* IV.
fuit illi viro INGENIVM AMOENVM, *& temporis illius auribus accommodatum.*

Eodem libro.

Burrum tamen & Senecam MVLTARVM RERVM EXPERIENTIA COGNITOS. V.

Plinius cap. IV. lib. XIV.

Nouiſsimè Annæo Senecâ PRINCIPE TVM ERVDITIONIS, *ac potentiæ, quæ poſtremò nimia ruit ſuper ipſum, minimè vtique miratore inanium.* VI.

Plinius Iunior epiſt III. lib. V. de his qui doctrinâ & moribus inſignes amatoria luſerunt.

Sed ego verear ne me non ſatis deceat quod decuit M. Tullium, C. Caluum, VII.
Aſinium Pollionem, M. Meſſalam, Q. Hortenſium, M. Brutum, &c. Annæum Senecam, &c.

Franciſcus Petrarcha epiſt. ad Annæum Senecam.

Plutarchus (inquit) ſiquidem Græcus homo, & Traiani principis magiſter, VIII.

NOTÆ.

I. NOMENTANA REGIO.] Vbi prædium & vineæ Senecæ: epiſt. CIV. & CX.

VIII. PLVTARCHVS SIQVIDEM GRAECVS.] Vnde hæc Petrarcha, neſcio: in hodierno Plutarcho nõ puto legi. Bis quidem nominat Senecam: ſed ſine laudatione aliâ aut elogio. Semel, libello De non iraſcendo: *Ideò*, inquit, *cùm Nero tabernaculum quoddam octangulum, formâ & pretio eximium confici iuſsiſſet: Seneca ad eum, Oſtendiſti pauperem teipſum. nam ſi hoc amiſeris,*

ſter, ſuos claros viros noſtris conferens, cùm Platoni & Ariſtoteli, quorum primum diuinum, ſecundum dæmonium Græci vocant, Marcum Varronem, Homero Virgilium, Demoſthenì Marcum Tullium obiecisſet, auſus eſt ad poſtremum & ducum controuerſiam mouere, nec eum tanti ſaltem veneratio diſcipuli continuit. IN VNO SANE SVORVM IMPARIA PRORSVS INGENIA NON ERVBVIT CONFITERI, *quòd quem tibi ex æquo in moralibus præceptis obiicerent, non haberent.*

Idem epiſtolâ contra Gallum.

IX. *Et cum Tullio Senecam pono, de quo Plutarchus magnus vir & Græcus vltrò fatetur,* NVLLVM IN GRÆCIA FVISSE, QVI SIBI IN MORALIBVS POSSIT COMPARARI.

Fronto orator apud Ioh. Saliſberienſem Policrat. lib. VIII.

X. *Seneca tantus vtique, quem Fronto ſecundùm quoſdam nepos Plutarchi aſſerit,* ſic vniuerſos exterminare errores, vt aurea videatur ſæcula reformare, & Deos ab humano genere exſulantes, eius operâ reuocatos, hominibus contractâ ſocietate miſceri.

Dio lib. LIX.

XI. Ὁ γὰρ δὴ Σενέκας ὁ Ἀνναῖος Λούκιος ὁ παιδαγωγὸς μὲν τοῦ καθ' ἑαυτὸν Ῥωμαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους σοφίᾳ ὑπερέφερας, διεφθάρη παρ' ὀλίγον, μήτ' ἀδικήσας τι, μήτε δόξας, ὅτι δίκην τινὰ ἐν τῷ συνεδρίῳ παρόντος αὐτοῦ Γαΐου καλῶς εἶπε: Annæus Seneca, qui OMNES SVI ÆVI ROMANOS, multos verò & alios SAPIENTIA ANTEIVIT, propemodum periit: etſi nihil admiſiſſet vel ſuſpicione leui, ſed quia cauſſam quamdam in Senatu, præſente Caio, diſertè egerat.

Xiphilinus in Nerone.

XII. Ἐδυσχέραινεν ὅ τε Σενέκας καὶ ὁ Βοῦρρος, φρονιμώτατά τε ἅμα καὶ δυνατώτατοι τῶν περὶ τὸν Νέρωνα ὄντες, &c. Ægrè tulerunt Seneca & Burrus, prudentiſſimi ſimul & potentiſſimi eorum qui Neroni aderant.

Iuuenalis Satyrâ V.

XIII. *Nemo petit modicis quæ mittebantur amicis*
A Senecâ, quæ Piſo bonus, quæ Cotta ſolebat
Largiri.

Satyrâ VIII.

——— *Quis tam*

XIV. *Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni?*

Satyrâ IX.

XV. *Temporibus diris igitur iuſſuq; Neronis*
Longinum, & magnos Senecæ prædiuitis hortos

Clau-

ſeris, tale non reparabis. Et ita euénit, cùm nauis ſubmerſa eſſet, periit & tabernaculum: quod Nero tamen moderatiùs tulit, memor Senecæ admonitionis. Iterùm in Galbâ, vbi de Othone: *Otho vtebatur familiariter Senecâ, cuius operâ & monitu miſſus eſt à Cæſare prætore in Luſitaniam.* Attende obiter. generoſa illa poſteà mors Othonis, ab hac conſuetudine & præceptis Senecæ profectò fuit. Aliquid, etſi molli, ex forti amicitiâ adhæſit. Hactenus in Plutarcho reperio: cetera fide Petrarchæ nituntur.

Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors.

Martialis lib. VII. ad Ouidium.

Facundi Senecæ potens amicus. XVI.

Idem lib. XII.

Non es, crede mihi, bonus. quid ergo? XVII.
Vt verum loquar, optimus malorum.
Pisones, Senecásque, Memmiósque,
Et Crispos mihi redde, sed priores:
Fies protinus vltimus bonorum.

Tertullianus de Animâ, cap. XX.

Seneca, SÆPE NOSTER. XVIII.

Ausonius in gratiarum actione pro Consulatu suo ad Gratianum Imperatorem.

Diues Seneca, non tamen Consul. XIX.

Sidonius Apollinaris ad Felicem.

Non quod Corduba præpotens alumnis XX.
Facundum ciet, hîc putes legendum,
Quorum vnus colit hispidum Platona,
Incassumq; suum monet Neronem.

Cetera elogia inter Fragmenta reperies.

XXX

FRAGMENTA
EX LIBRIS SENECÆ
QVI INTERCIDERVNT.

Quinctilianus cap. III. lib. VIII.

I. NOSTRI *autem in iungendo, aut deriuando paullum aliquid auſi, vix in hoc ſatis recipiuntur. Nam memini iuuenis admodum inter Pomponium & Senecam etiam præfationibus eſſe tractatum, an* gradus eliminat *apud Attium, in tragœdiâ dici oportuiſſet.*

Cap. V. eiuſdem libri.

II. *Facit quaſdam ſententias ſola geminatio, qualis eſt Senecæ in eo ſcripto, quod Nero ad Senatum miſit occiſâ matre, cùm ſe periclitatum videri vellet:* Saluum me eſſe adhuc nec credo, nec gaudeo.

Cap. II. lib. IX.

III. *Noui verò, & præcipuè declamatores, audaciùs, nec mehercules ſine motu quo dam imaginantur. vt Seneca in controuerſiâ, cuius ſumma eſt, quòd pater filium & nouercam, inducente altero filio, in adulterio deprehenſos occidit:* Duc: ſequor, accipe hanc ſenilem manum, & quocumque vis imprime. *Et paullò pòſt:* Aſpice, *inquit*, quod diu non credidiſti. Ego verò non video, nox oboritur, & craſſa caligo. *Habet hæc figura manifeſtius aliquid. Non enim narrari res, ſed agi videtur.*

Ibidem.

IV. *Nam in totum iurare, niſi vbi neceſſe eſt, graui viro par ùm conuenit. Et eſt à Senecâ dictum eleganter*, Non patronorum hoc eſſe, ſed teſtium.

Plinius Nat. Hiſt. lib. VI. cap. XVII.

V. *Seneca etiam apud nos tentatâ Indiæ commentatione*, LX. amnes eius prodidit. gentes duodeuiginti centumque. *Par labor ſit montes enumerare.*

Cap. LIII. lib. IX.

VI. *Æui piſcium memorandum nuper exemplum accepimus. Pauſylipum villa eſt Campaniæ, haud procul Neapoli. in eâ in Cæſaris piſcinis à Pollione Vedio coniectum piſcem, ſexageſimum poſt annum exſpiraſſe ſcribit Annæus Seneca, duobus aliis æqualibus eius ex eodem genere, etiam tunc viuentibus.*

Suetonius Tiberij cap. LXXIII.

VII. Seneca eum (*Tiberium*) ſcribit, intellectâ defectione, exemptum anulum, quaſi alicui traditurum, parumper tenuiſſe: dein rurſus aptaſſe digito, *&c.*

A. Gel-

NOTÆ.

II. NEC CREDO, NEC GAVDEO.] *Nec credo, ob magnitudinem ſcilicet & præſentiam periculi: nec gaudeo, ob pietatem, quia mater molita eſt, & in eam debui inſurgere ad amoliendum.*

III. SENECA IN CONTROVERSIA.] *Dubites, ſit noſter iſte, an pater.*

V. TENTATA INDIÆ COMMENTATIONE.] *Itaque regiones deſcripſit, aut & hiſtoriam ſcripſit, vt appâret. Adde Fragmentum* VII. *&* XXIX. *&* XXXVIII. *&* XXXIX.

IX. TER-

A. Gellius cap. II. lib. XII. Noct. Atticarum.

Seneca in lib. XXII. *Epistolarum moralium quas ad Lucilium composuit, deridiculos versus* VIII.
Q. Ennium de Cethego antiquo viro feciſſe hos dicit:

—— Dictus ollis popularibus olim,
Qui tum viuebant homines, atque æuum agitabant,
Flos delibatus populi & suada medulla.

Ac deinde scribit de iisdem versibus verba hæc: Admiror eloquentissimos viros, & deditos Ennio, pro optimis ridicula laudasse. Cicero certè inter bonos eius versus & hos refert. *Atque id etiam de Cicerone dicit.* Non miror, *inquit*, fuisse qui hos versus scriberet, cùm fuerit qui laudaret: nisi fortè Cicero summus orator agebat causam suam, & volebat hos versus videri bonos. *Paullò pòst.* Apud ipsum quoque, *inquit Seneca*, Ciceronem inuenies etiam in prosâ oratione quædam, ex quibus intelligas illum non perdidisse operam, quòd Ennium legit. *Ponit deinde quæ apud Ciceronem reprehendat, quasi Enniana, quòd ita scripserit in libris de republicâ, Vt Menelao Laconi fuit suauiloquens iucunditas. & quòd alio in loco dixerit, Breuiloquentiam in dicendo colat. Deinde:* Non fuit, *inquit Seneca*, Ciceronis hoc vitium, sed temporis. necesse erat hæc dici, cùm illa legerentur. *Deinde adscribit, Ciceronem hæc ipsa interposuisse ad effugiendam infamiam nimis lasciuæ orationis & nitidæ. De Virgilio quoque eodem in loco verba hęc ponit:* Virgilius quoque noster non ex aliâ causâ duros quosdam versus, & enormes, & aliquid supra mensuram trahentes interposuit, quàm vt Ennianus populus agnosceret in nouo carmine antiquitatis aliquid. Addit non multò pòst ex Senecâ: Quidam sunt tam magni sensus Q. Ennij, vt licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter vnguentatos placere. *Et cùm reprehendisset versus quos suprà de Cethego posuimus*, Qui huiusmodi, *inquit*, versus amant, liceat sibi eosdem admirari & Soterici lectos. *Audias tamen commemorari ac referri pauca quædam quæ ipse idem Seneca benè dixerit: quale est illud quod in hominem auarum & auidum & pecuniæ sitientem dixit*, Quid enim refert quantum habeas? multo illud plus est quod non habes.

Tertullianus de Animâ, cap. XLII.

Multò coactiùs Seneca: Post mortem, *ait*, omnia finiuntur, etiam ipsa. IX.

Lactantius diuinarum institutionum lib. I. cap. IV.

Annęus quoque Seneca, qui ex Romanis vel acerrimus Stoicus fuit, quàm sæpè summum X.
Deum meritâ laude prosequitur? Nam cùm de immaturâ morte dissereret, Non intelligis, *inquit*, auctoritatem, ac maiestatem iudicis tui? Rector is orbis terrarum, cæliq; & deorum omnium Deus: à quo ista numina, quæ singula adoramus & colimus, suspensa sunt? *Item in exhortationibus:* Hic, cùm prima fundamenta molis pulcherrimæ iáceret, & hoc ordiretur, quo neque maius quidquam nouit natura, nec melius, vt omnia sub ducibus suis irent, quamuis ipse per totum se corpus intenderat, tamen ministros regni sui deos genuit. *Et quàm multa alia de Deo* NOSTRIS SIMILIA *locutus est? quę nunc differo, quòd aliis locis opportuniora sunt.*

Cap. VII.

Et est illud verum quod dixisse in Exhortationibus Senecam suprà retuli, genuisse regni XI.
sui ministros Deum.

Eodem cap. VII.

Quod Seneca VIR ACVTVS *in exhortationibus suis vidit.* Nos, *inquit*, aliunde pen- XII.
demus. Itaque ad aliquem respicimus, cui quod est optimum in nobis, debeamus. Alius nos edidit, alius instruxit: Deus ipse se fecit.

Eiusdem

IX. TERTVLLIANVS DE ANIMA.] *Citabant aliud ex eodem, cap.* XX. *vt Fragmentum: atqui exstat* IV. *De Benef. cap.* VI. *totidem verbis. Sed & sequens sentẽtia alibi in Epistolis, nisi memoria fallit.*

XII. DEVS IPSE SE FECIT.] *Condito nempe mundo, qui est Deus Stoicus. Aliquid pro hoc sensu in Physiolog.* I. *Dissert.* VII. *vide, & hunc locum, sis, adde.*

Eiusdem lib. cap. XVI.

XIII. *Non illepidè Seneca, in libris moralis philosophiæ,* Quid ergo est, *inquit,* quare apud poëtas salacissimus Iupiter desierit liberos tollere? Vtrùm sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit? an impetrauit ius trium liberorum? an tandem illi venit in mentem, Ab alio exspectes, alteri quod feceris? & timet, ne quis sibi faciat, quod ipse Saturno.

Libri II. cap. II.

XIV. *Rectè igitur Seneca in libris Moralibus*: Simulacra, *inquit,* deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant: illis per totum assident diem, aut adstant: illis stipem iaciunt, victimas cædunt: & cùm hæc tantopere suspiciant, fabros, qui illa fecêre, contemnunt.

Eiusdem lib. cap. IV.

XV. *Meritò igitur etiam senum stultitiam Seneca deridet.* Non, *inquit,* bis pueri sumus (vt vulgò dicitur) sed semper. Verùm hoc interest, quòd maiora nos ludimus.

Cap. IX.

XVI. *Meliùs igitur Seneca, omnium Stoicorum acutissimus, qui vidit nihil aliud esse Naturam, quàm Deum.* Ergo, *inquit,* Deum non laudabimus, cui naturalis est virtus? Nec enim illam didicit ex vllo. Immò laudabimus. quamuis enim naturalis illi sit, sibi illam dedit, quoniam Deus ipse natura est.

Lib. III. cap. XV.

XVII. *Eodem ductus errore Seneca (quis enim veram viam teneret, errante Cicerone?)* Philosophia, *inquit,* nihil aliud est, quàm recta viuendi ratio: vel, honestè viuendi scientia: vel, ars rectè vitæ agendæ. Non errabimus, si dixerimus philosophiam esse legem benè honestéque viuendi. Et qui dixerit illam regulam vitæ, suum illi nomen reddiderit.

Ibidem.

XVIII. *Idem Seneca in Exhortationibus:* Plerique, *inquit,* Philosophorum tales sunt, vt sint diserti in conuicium suum. quos si audias in auaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, professionis indicium putes: adeò redundant in ipsos maledicta in publicum missa. quos non aliter intueri decet, quàm medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena.

Ibidem.

XIX. Faciet sapiens, *inquit idem Seneca,* etiam quæ non probabit, vt etiam ad maiora transitum inueniat: nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit: & quibus alij vtuntur in gloriam, aut voluptatem, vtetur agendæ rei caussâ. *Et paullò pòst:* Omnia quæ luxurioſi faciunt, quæque imperiti, faciet & sapiens, sed non eodem modo, eodemque proposito.

Cap. XVI. eiusdem libri.

XX. *Et Seneca:* Nondum sunt, *inquit,* mille anni, ex quo initia sapientiæ nota sunt. *Multis ergo sæculis humanum genus sine ratione vixit.*

Cap. XXIII.

XXI. *Fuisse Seneca inter Stoicos ait,* qui deliberaret, vtrúmne Soli quoque suos populos daret, *ineptè scilicet, qui dubitauerit.*

Cap. XXV.

XXII. *Platonem quidem redemisse Aniceris quidam traditur sestertiis* VIII. *Itaque insectatus est conuiciis redemptorem Seneca, quòd paruo Platonem æstimauerit.*

Lib.

XXII. REDEMISSE ANICERIS SESTERTIIS OCTO.] *Iustissimè, vt neutro genere accipias* octona sestertia: *id est,* Philippicos ducentos. *Sunt enim ipsa* viginti minę, *quibus venisse*

Lib. v. cap. IX.

Qui volent ſcire omnia, Senecæ libros in manus ſumant, qui MORVM VITIORVMQVE PVBLICORVM ET DESCRIPTOR VERISSIMVS, ET ACCVSATOR ACERRIMVS *fuit.* xxiii.

Eiuſdem libri cap. XIV.

Rectè igitur Seneca, incongruentiam hominibus obiectans, ait: Summa virtus illis videtur magnus animus. & iidem eum, qui contemnit mortem, pro furioſo habent. quod eſt vtique ſummæ peruerſitatis. xxiv.

Lib. VI. cap. XVII.

Item Senecæ in libris Moralis philoſophiæ dicentis: Hic eſt ille homo honeſtus, non apice, purpuráve, non lictorum inſignis miniſterio, ſed nullâ re minor: qui cùm mortem in vicino videt, non ſic perturbatur, tamquam rem nouam viderit: qui, ſiue toto corpore tormenta patienda ſunt, ſiue flamma ore recipienda eſt, ſiue extendendæ per patibulum manus, non quærit quid patiatur, ſed quàm benè. *Qui autem Deum colit, hæc patitur, nec timet.* xxv.

Cap. XIV. lib. VI.

Nec lucrari ſe quiſquam putet, ſi delicti conſcium non habebit. ſcit enim illa omnia, in cuius conſpectu viuimus: nec ſi vniuerſos homines, celare poſſumus cui nihil abſconditum, nihil poteſt eſſe ſecretum quod: Exhortationes ſuas Seneca mirabili ſententiâ terminauit, Magnum, *inquit*, neſcio quid, maiuſque quàm cogitari poteſt, numen eſt. cui viuendo operam damus, huic nos approbemus. Nihil prodeſt incluſam eſſe conſcientiam: patemus Deo. *Quid verius dici poteſt ab eo qui Deum noſſet, quàm dictum eſt ab homine veræ religionis ignaro?* xxvi.

Ibidem.

Idem in eiuſdem operis primo: Quid agis? *inquit*. quid machinaris? quid abſcondis? Cuſtos te tuus ſequitur. Alium tibi peregrinatio ſubduxit, alium mors, alium valetudo: hæret hic, quo carere numquam potes. Quid locum abditum legis, & arbitros remoues? Putas tibi contigiſſe, vt oculos omnium effugias? Demens: quid tibi prodeſt non habere conſcium, habenti conſcientiam. xxvii.

Eiuſdem, cap. XXV.

Quanto meliùs & veriùs Seneca? Vultíſne vos, *inquit*, Deum cogitare magnum & placidum, & maieſtate leni verendum? amicum, & ſemper in proximo? non immolationibus, & ſanguine multo colendum: quæ enim ex trucidatione immerentium voluptas eſt? ſed mente purâ, bono honeſtoque propoſito? Non templa illi, congeſtis in altitudinem ſaxis, ſtruenda ſunt: in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore. xxviii.

Lib. VII. cap. XV.

Non inſcitè Seneca Romanæ vrbis tempora diſtribuit in ætates. Primam enim dixit infantiam ſub rege Romulo fuiſſe, à quo & genita, & quaſi educata ſit Roma: deinde pueritiam ſub ceteris regibus, à quibus & aucta ſit, & diſciplinis pluribus, inſtitutiſq; formaxxix.

niiſſe eum Laërtius ſcripſit: etſi alij augent ad triginta.

XXIV. IIDEM EVM, QVI CONTEMNIT MORTEM.] *De Peripateticis ſermo, qui abhorrent mortem ſpontaneam.*

XXV. NON APICE, PVRPVRAVE.] *Apice, ſacerdotum.*

XXVI. MAGNVM NESCIO QVID.] *Mirifica ſententia, & meritò Lactantio laudata. Sed nota, quòd clauſerit Exhortationes Senecæ: ſicut & eadem Phyſiologiam noſtram, de Diuinis.*

XXIX. NON INSCITE SENECA.] *Hæc ad* Flori hiſtoriam, *quæ exſtat, referunt, & colligunt* Senecam *cognomento fuiſſe. Non puto huc facere, & res inſpecta dicet: quia alia in Floro diuiſio, aliisq; finibus ætates terminantur. Confer, agnoſces. Ergo verius,*

formata : at verò Tarquinio regnante cùm iam quasi adulta esse cœpisset, seruitium non tulisse, & reiecto superbæ dominationis iugo, maluisse legibus obtemperare, quàm regibus : cumque esset adolescentia eius fine Punici belli terminata, tum denique confirmatis viribus cœpisse iuuenescere. Sublatâ enim Carthagine, quæ tam diu æmula Imperij fuit, manus suas in totum orbem terrâ marique porrexit : donec regibus cunctis, & nationibus imperio subiugatis, cùm iam bellorum materia deficeret, viribus suis malè vteretur, quibus se ipsa confecit. Hæc fuit prima eius senectus, cùm bellis lacerata ciuilibus, atque intestino malo pressa, rursus ad regimen singularis imperij recidit, quasi ad alteram infantiam reuoluta. Amissâ enim libertate, quam Bruto duce & auctore defenderat, ita consenuit, tamquam sustentare se ipsa non valeret, nisi adminiculo regentium niteretur.

B. Hieronymus aduersus Iouinianum libro primo.

XXX. *Claudia virgo Vestalis, cùm in suspicionem venisset stupri, & simulacrum matris Idææ in vado Tyberis hæreret, ad comprobandam pudicitiam suam fertur cingulo duxisse nauem, quam multa millia hominum trahere nequiuerant.* Meliùs tamen, *inquit Lucani poëtæ patruus*, cum illâ esset actum, si hoc quod euênit, ornamentum potiùs exploratæ fuisset pudicitiæ, quàm dubiæ patrocinium.

Eodem libro.

XXXI. *Scripserunt Aristoteles, & Plutarchus, &* NOSTER SENECA *de matrimonio libros, ex quibus & superiora nonnulla sunt, & ista quæ subiicimus.* Amor, formæ obliuio est, & insaniæ proximus, fœdum minimeque conueniens animo sospiti vitium, turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit: querulos, iracundos, temerarios, durè imperiosos, seruiliter blandos, omnibus inutiles, ipsi nouissimè amori, facit. Nam cùm fruendi cupiditate insatiabili flagrat, plura tempora suspicionibus, lacrymis, conquestionibus perdit, odium sui facit, & ipse nouissimè sibi odio est.

Paullò infrà.

XXXII. *Refert prætereà Seneca*, cognouisse se quemdam ornatum hominem, qui exiturus in publicum, fasciâ vxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præsentiâ eius carere poterat, potionemque nullam nisi alterius tactam labris, vir & vxor hauriebant: alia deinceps non minùs inepta facientes, in quæ improuida vis ardentis affectus erumpebat.

In fine.

XXXIII Nam quid, *ait Seneca*, de viris pauperibus dicam ? quorum in nomen mariti, ad eludendas leges quæ contra cælibes sunt, pars magna conducitur. Quomodo potest regere mores, & præcipere castitatem, & mariti auctoritatem tueri, qui nupsit.

B. Augustinus de ciuitate Dei lib. VI. cap. X.

XXXIV. *Libertas sanè quæ huic defuit, ne istam vrbanam theologiam theatricę simillimam, apertè sicut illam reprehendere auderet, Annęo Senecæ, quem nonnullis indiciis inuenimus Apostolorum nostrorum claruisse temporibus, non quidem ex toto, verùm ex aliquâ parte non defuit. Affuit enim scribenti, viuenti defuit. Nam in eo libro quem contra superstitiones condidit, multò copiosiùs ac vehementiùs reprehendit ipse ciuilem istam & vrbanam theologiam, quàm Varro theatricam atque fabulosam. Cùm enim de simulachris ageret,* Sacros, *inquit*, immortales, inuiolabilesque deos in materiâ vilissimâ atque immobili dedicant. Habitus illis hominum, ferarumque, & piscium, quidam verò mixtos ex diuersis corporibus induunt. Numina vocant, quæ

verius, ipsius Senecæ scriptum hoc fuisse: & Florum imitando decerpsisse.

XXXIII. QVI NVPSIT.] *Nempe pauperculus ille, vmbratilis maritus. Qui nubere dicitur asperè, quoniam in leges & manum venit, facturus quod iubetur, & obnoxius vt fœmina.*

XXXIV. *Pulcherrima hæc Fragmenta explicata à me toto Cap.* XVIII. *libri* II. *Electorum.*

XXXVI. VI-

quæ ſi ſpiritu accepto ſubitò occurrerent, monſtra haberentur. *Deinde aliquantò pòſt, cùm theologiam naturalem prædicans, quorumdam philoſophorum ſententias digeſſiſſet, oppoſuit ſibi quæſtionem, & ait :* Hoc loco dicet aliquis : Credam ego cælum & terram deos eſſe, & ſupra lunam alios, infra alios ? Ego feram aut Platonem, aut Peripateticum Stratonem, quorum alter fecit Deum ſine corpore, alter ſine animo? *Et ad hoc reſpondens,* Quid tandem ? *inquit* : veriora tibi videntur T. Tatij, aut Romuli, aut Tulli Hoſtilij ſomnia? Cluacinam T. Tatius dedicauit deam, Picum Tiberinumque Romulus, Hoſtilius Pauorem atque Pallorem, teterrimos hominum affectus : quorum alter mentis territæ motus eſt, alter corporis, ne morbus quidem, ſed color. Hæc numina potiùs credes, & cælo recipies ? *De ipſis verò ritibus crudeliter turpibus, quàm liberè ſcripſit ?* Ille, *inquit*, viriles ſibi partes amputat, ille lacertos ſecat. Vbi iratos deos timent, qui ſic propitios habere merentur ? dij autem nullo ipſi debent çoli genere, ſi & hoc volunt. Tantus eſt perturbatæ mentis & ſedibus ſuis pulſæ furor, vt ſic dij placentur, quemadmodum ne homines quidem ſæuiunt. Teterrimi, & in fabulas traditæ crudelitatis tyranni, lacerauerunt aliquorum membra, neminem ſua lacerare iuſſerunt. In regiæ libidinis voluptatem caſtrati ſunt quidam, ſed nemo ſibi ne vir eſſet, iubente domino, manus intulit. Se ipſi in templis contrucidant, vulneribus ſuis ac ſanguine ſupplicant. Si cui intueri vacet quæ faciunt, quæque patiuntur : inueniet tam indecora honeſtis, tam indigna liberis, tam diſſimilia ſanis, vt nemo fuerit dubitaturus furere eos, ſi cum paucioribus furerent : nunc ſanitatis patrocinium eſt, inſanientium turba. *Jam illa quæ in ipſo Capitolio fieri ſolere commemorat, & intrepidè omnino coarguit, quis credat niſi ab irridentibus aut furentibus fieri? Nam cùm in Sacris Ægyptiis Oſirim lugeri perditum, mox autem de inuento magnum eſſe gaudium deriſiſſet ; cùm perditio eius inuentioque fingatur, dolor tamen ille atque lætitia, ab eis qui nihil perdiderunt, nihilque inuenerunt, veraciter exprimatur*: Huic tamen, *inquit*, furori certum tempus eſt. Tolerabile eſt, ſemel in anno inſanire. In Capitolium perueni, pudebit publicatæ dementiæ, quod ſibi vanus furor attribuit, officij. Alius numina Deo ſubiicit, alius horas Ioui nuntiat, alius lictor eſt, alius vnctor qui vano motu brachiorum imitatur vngentem. Sunt quæ Iunoni ac Mineruæ capillos diſponant, longè à templo non tantùm à ſimulachro ſtantes, digitos mouent ornantium modo. Sunt quæ ſpeculum teneant, ſunt quæ ad vadimonia ſua deos aduocent : ſunt qui libellos offerant, & illos cauſſam ſuam doceant. Doctus Archimimus ſenex iam decrepitus, quotidie in Capitolio mimum agebat, quaſi dij libenter ſpectarent, quem homines deſierant. Omne illîc artificum genus, operantium diis immortalibus, deſidet. *Et paulò pòſt :* Hi tamen, *inquit*, etiam ſi ſuperuacuum vſum, non turpem nec infamem Deo promittunt : ſedent quædam in Capitolio, quæ ſe à Ioue amari putant : nec Iunonis quidem, ſi credere poëtis velis, iracundiſſimæ reſpectu terrentur. *Hanc libertatem Varro non habuit, tantummodò poëticam theologiam reprehendere auſus eſt, ciuilem non auſus eſt, quam iſte concîdit. Sed ſi verum attendamus, deteriora ſunt templa, vbi hæc aguntur, quàm theatra, vbi finguntur. Vnde in his ſacris ciuilis theologiæ has partes potiùs elegit Seneca ſapienti, vt eas in animi religione non habeat, ſed in actibus fingat. Ait enim :* Quæ omnia ſapiens ſeruabit tamquam legibus iuſſa, non tamquam diis grata. *Et paulò pòſt* : Quid quòd & matrimonia, *inquit*, deorum iungimus, & ne piè quidem, fratrum ſcilicet & ſororum ? Bellonam Marti collocamus : Vulcano Venerem : Neptuno Salaciam : quoſdam tamen cœlibes relinquimus, quaſi conditio defecerit : præſertim cùm quædam viduæ ſint, vt Populonia, vel Fulgora, & diua Rumina, quibus non miror petitorem defuiſſe. Omnem iſtam ignobilem deorum turbam, quam longo æuo, longa ſuperſtitio congeſſit, ſic, *inquit*, adorabimus, vt meminerimus, cultum eius magis ad morem, quàm ad rem pertinere. *Nec leges ergo illæ, nec mos, in ciuili theologiâ id inſtituerunt, quod diis gratum eſſet, vel ad rem pertineret : ſed iſte, quem Philoſophi quaſi liberum fecerunt : tamen quia* ILLVSTRIS POPVLI ROMANI SENATOR *erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat.*

Cap. XI. de eodem Senecâ.

Hic inter aliàs ciuilis theologiæ ſuperſtitiones reprehendit etiam ſacramenta Iudæorum, & maximè ſabbata : inutiliter id eos facere affirmans, quòd per illos ſingulos ſeptem in- XXXV.

terpo-

terpositos dies septimam ferè partem ætatis suæ perdant vacan do, & multa in tempore vrgentia non agendo lædantur. *Christianos tamen iamtunc Iudæis inimicissimos, in neutram partem commemorare ausus est: ne vel laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem.*

Ibidem.

XXXVI. *De illis sanè Judæis cùm loqueretur, ait:* Cùm interim vsque eò sceleratissimæ gentis consuetudo conualuit, vt per omnes iam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt. *Mirabatur hæc dicens, & quid diuinitus ageretur, ignorans. Subiecit planè sententiam, quâ significaret, quid illorum sacramentorum ratione sentiret. Ait enim:* Illi tamen caussas ritus sui nouerunt, & maior pars populi facit, quod cur faciat, ignorat.

Scriptor vitæ P. Virgilij Maronis.

XXXVII *Seneca tradidit, Julium Montanum poëtam solitum dicere*, inuolaturum se quædam Virgilio, si & vocem posset, & os, & hypocrisin. eosdem enim versus, eo pronuntiante, benè sonare; sine illo, inarescere quasi mutos.

Seruius in VI. Æneid.

XXXVIII *Seneca scripsit de situ & sacris Ægyptiorum. hic dicit*, circa Sienem extremam Ægypti partem esse locum, quem Philas, hoc est Amicas vocant, idcò quòd illic est placata ab Ægyptiis Isis, quibus irascebatur, quòd membra mariti Osiridis non inueniebat, quem frater Typhon occiderat. Quæ inuenta posteà cùm sepelire vellet, elegit vicinæ paludis tutissimum locum, quem ad transitum constat esse difficilem. limosa enim est & papyris referta.

Idem Seruius in IX. Æneid.

XXXIX. *Ganges fluuius Indiæ est, qui secundùm Senecam in situ Indiæ* nouem alueis fluit, *secundùm Melonem septem: qui tamen & ipse commemorat nonnullos dicere, quòd tribus alueis fluat.*

Priscianus lib. VII.

XL. *Seneca Ouidium sequens*: Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba.

Concilium Turonense II. Can. XV.

XLI. *Aliqui Laici, dum diuersa perpetrant adulteria*, hoc quod de se sciunt, in aliis suspicantur, *sicut ait Seneca*, pessimum in eo vitium esse, qui in id quo insanit, ceteros putat furere.

XXXVI. VICTI VICTORIBVS LEGES DEDERVNT.] *Rutilius*:

Atq; vtinam numquam Iudæa subacta fuisset,
Pompeij bellis, imperioque Titi!
Latiùs excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Vbi etsi Iudæi nominantur, certũ Christianos maximè intelligi: sicut & in Senecâ ipso.

XXXVIII. DE SITV ET SACRIS.] *An & ipsam Aegyptum ergo descripsit? nisi legis*, de ritu. *Tamen & statim, Fragm. proximo*, de situ Indiæ.

XL. GAVSAPA SI SVMPSIT.] *Est ipse Ouidij versus, lib. II. de Arte. Ergo hoc vult, Senecam non versum scripsisse, sed illo exẽplo* Gausapa *extulisse.*

L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ

DE IRA AD NOVATVM

LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B LIBRI De Irâ *scripti inter Philosophiæ primos videntur, certè inter eos quos habemus. Suspicamur ex verbis Senecæ, lib.* III. *cap.* XVIII. Modò C. Cæsar Sex. Papinium, cui pater erat consularis, Belienum Bassum Quæstorem suum, flagellis cecidit. *Ait*, modò: *iamnunc recenti facto. Imò ipso Caligulâ viuo, è Cap. sequenti:* Quod tanto opere admiraris, isti belluæ cottidianum est: ad hoc viuit, ad hoc vigilat, ad hoc lucubrat. *Sanè hæc omnia de homine qui est, non qui fuit. Scripsit tunc igitur: sed non edidit (melior illi mens) etsi statim, opinor, ab eius morte.*

Argumentum *est, quod titulus præfert, De Irâ noscendâ, & deinde fugiendâ. Primus liber habet itaque descriptionem eius, & fœdum habitum iratorum ac faciem. tum definitiones; tum quæstiones, An in solum hominem cadat? asserit. An secundùm naturam sit? negat, cum Stoicis. An vtilis sit, præsertim temperata? id quoque negat, & contra Peripateticos variè disputat. non acui animum ab eâ aut robur: ne malis quidem irascendum esse, nec in cæde patris, raptu matris: tuendum tamen, & vindicandum. Denique non magni, sed imbecillis animi hanc notam esse. Libri in partibus pulchri & eminentes sunt, in toto parùm distincti, & repeti-*
C *tionibus aut digestione confusi.*

CAPVT PRIMVM.

EXEGISTI à me, [1] Nouate, vt scriberem quemadmodum posset ira leniri: nec immeritò mihi videris hunc præcipuè affectum pertimuisse, maximè ex omnibus tætrum ac rabidum. Ceteris enim aliquid quieti placidique inest; hic totus concitatus, & in impetu doloris est: armorum, sanguinis, suppliciorum, minimè humanâ [2] feruens cupiditate: dum alteri noceat, sui negligens; in ipsa irruens tela, & vltionis secum [3] multa tracturæ auidus. Quidam itaque è sapientibus viris iram dixerunt [4] breuem insaniam. æquè enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum im-
D memor, in quod cœpit pertinax & intenta, rationi consilijsque præclusa, vanis agitata caussis, ad dispectum æqui verique inhabilis, ruinis simillima, quæ super id quod oppressêre, franguntur. Vt autem scias non esse sanos, quos ira possedit, ipsum illorum [5] habi-

COMMENTARIVS.

CAP. I. 1. NOVATE.] *Frater eius fuit, qui postea* Iunius Gallio *per adoptionem. Et hoc quoque argumentum aliquod maturæ scriptionis.*

2. FERVENS.] *Scripti*, furens.

3. MVLTA TRACT.] *Mureti hoc est, nec spernam, nisi libri voce insertâ scribant:* multam rem tractare. *ex quo velim:* secum vltima rerum tracturæ. *ipsam mortem, suam vel alienam.*

4. BREVEM INSAN.] *Definit ita Themistius,* ὀργὴν μανίαν ὀλίγου χρόνιον. *Cato Priscus eâ mente,* Iratum ab insano non, nisi tempore, distare. *Philemon poëta:*

Μαινόμεθα πάντες, ὁπόταν ὀργιζώμεθα:

Insania omnes nos habet, cùm irascimur.

Quid alius Græcus? τῆς ὀξυθυμίας τὸ ἄνθος, μανίαν εἶναι: Iræ florem, insaniam esse.

5 HABI-

[5] habitum intuere. Nam vt furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tri- A
stis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementiùs acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant, & [6] micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordijs sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, [7] articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpiùs manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, [8] magnasque minas agens, fœda visu & horrenda facies deprauantium se, atque intumescentium. Nescias, vtrum magis detestabile vitium sit, an deforme. Cetera licet abscondere, & in abdito alere: ira se profert, & in faciem exit: quantoque maior est, hoc efferuescit manifestiùs. Non vides, vt omnium animalium, simul ad nocendum insurrexerunt, procurrant notæ, ac tota corpora solitum quietumque egrediantur habitum, & feritatem suam exasperent? Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu: taurorum cornua iactantur in vacuum, & harena pulsu pedum spargitur: leones fremunt, B
inflantur iratis colla serpentibus, rabidarum canum tristis aspectus est. Nullum est animal tam horrendum, tamque pernicioſum naturâ, vt non appareat in illo, vbi ira inuasit, noua feritatis accessio. Nec ignoro, ceteros quoque affectus vix occultari, libidinem, metumque, & audaciam dare sui signa, & posse prænosci. neque enim vlla vehementior intra cogitatio est, quæ nihil moueat in vultu. Quid ergo interest? quòd alij
CAP. II. affectus appârent, hic eminet. Iam verò si effectus eius damnaque intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis cædes ac venena, & reorum [9] mutuas sordes, & vrbium clades, & totarum exitia gentium, & principum sub [10] ciuili hastâ capita venalia, & subiectas tectis faces, nec intra mœnia coërcitos ignes, sed ingentia spatia regionum hostili flammâ relucentia. Aspice nobilissimarum ciuitatum fundamenta vix notabilia: has ira deiecit. aspice solitudines per multa millia sine habitatione desertas: has ira exhausit. aspice tot memoriæ proditos duces, mali exempla fati. alium ira in cubili suo confodit; alium inter sacra mensæ ira percussit; alium [11] inter leges celebrisque C
spectaculum fori lancinauit; alium filij patricidio dare sanguinem iussit; alium seruili manu regalem aperire iugulum; alium in cruces membra [12] diuidere. Et adhuc singulorum supplicia narro. quin si tibi libuerit, relictis in quos ira viritim exarsit, aspicere [13] cæsas gladio conciones, & plebem immisso milite contrucidatam, & in perniciem promi-
* scuam [14] totos populos capitis damna passos, [15] *tanquam aut curam nostram [16] deserentibus,

5. HABITVM.] *Hîc describit, iterâtque lib.* II. *cap.* XXXV. *lib.* III. *cap.* III. *&* IIII. *vbique diffusè, & cur toties?*

6. MICANT.] *Ne muta. Lucretius, de irato:* --& ex oculis micat acribus ardor. *Homerus, de Agamemnone:* --ὅσσε δὲ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην: -- rutilam referebant lumina flammam. *Causſa huius ardoris in Aristot. Probl. Sectione* XXXI.

7. ARTICVLORVM.] *Petronius:* Manibus inter se, vsque ad articulorum strepitum, contritis. *Adde infrà lib.* III. *cap.* IIII.

8. MAGNASQVE MINAS.] *Libri veteres:* magnasque iræ minas. *An*, magnasq; intrà minas?

CAP. II. 9. MVTVAS SORDES.] *Qui accusant inuicem, & accusantur.*

10. CIVILI HASTA.] *Sullæ, & Triumuirorum.*

11. INTER LEGES.] *Nescio an ad Asellionem Prætorem adspectum, quem ius non pro ipsis dicentem, fœneratores in foro occiderunt. Appianus* I. *Ciuil.*

12. DIVIDERE.] *Alij* diffindere: *meus*, distendere. *Placeat, sed ita vt* in cruce *tum legam.*

13. CÆSAS GLAD.] *Ad Sullanam sæuitiam, qui legiones inermes ita cecîdit: vel ad tribunicios furores.*

14. TOTOS POPVLOS.] *Vt Sulla Prænestinos, Spoletinos, Interamnates, & municipia plura damnauit.*

15. TAMQVAM AVT.] *Non hærent prioribus, & lacuna est ingens. Fuêre hîc definitiones Iræ, quas ita explicat, vt quæ opponi solerent, adducat. Nam eò hæc & sequentia spectant. Resarcire in parte fas è Lactantij de Irâ Dei:* Definitiones, *inquit*, Iræ Seneca enumerauit in libris, quos De Irâ composuit. Ira est, inquit, cupiditas vlciscendæ iniuriæ. Alij, D
vt Posidonius, cupiditas puniendi eius, à quo te iniquè putes læsum. Quidam ita definierunt, Ira est incitatio animi ad nocendum ei, qui aut nocuit, aut nocere voluit. *Istaipsa hîc fuere, sed & plura.*

16. DESERENTIBVS.] *Scripti voce immissâ*, dijs deserentibus. *& rectè, si de Prouidentiâ hîc dictum. Quod tamen non opinor, & magis responsum obiectiunculis, quæ aduersus illam partem erant, de* iniuriâ, *aut* lesione. *Nam, aiebant, si ab iniuriâ ira: quid ita histrioni aut ludio iracimur neglegentiùs agenti? cur gladiatori, tardè pereunti aut perdenti? Aiebat, speciem hîc iniuriæ esse: quia tales aut* curam nostram *& intentionem* deserunt, vel contemnunt auctо-

A tibus,aut auctoritatem contemnentibus. Quid [17] gladiatoribus,quare populus irascitur, & tam iniquè, vt iniuriam putet, quòd non libenter [18] pereunt? contemni se iudicat, & vultu, gestu, ardore, de spectatore in aduersarium vertitur. Quidquid est, certè non est ira,sed quasi ira: sicut puerorum, qui si ceciderunt, terram verberari volunt, & sæpè ne sciunt quidem, cui irascantur, sed tantùm irascuntur sine caussâ & sine iniuriâ, non tamen sine aliquâ iniuriæ specie,nec sine aliquâ pœnæ cupiditate. Deluduntur itaq; imitatione plagarum,& simulatis deprecantium lacrymis placantur, & falsâ vltione falsus dolor tollitur. Irascimur, inquit,sæpè non illis qui læserunt, sed his qui [19] læsuri sunt: III.
vt scias iram non tantùm ex iniuriâ nasci. Verum est,irasci nos læsuris:sed ipsâ cogitatione nos lędunt,& iniuriam qui facturus est,iam facit. Vt scias,inquit,non esse iram [20] pœnæ cupiditatem,infirmissimi sæpè [21] potentissimis irascuntur: nec pœnam cõcupiscunt, quam non sperant. Primùm [22] diximus, iram cupiditatem esse pœnæ exigendæ, non facultatem: concupiscunt autem homines, & quæ non possunt. Deinde nemo tam humi-
B lis est, qui pœnam vel summi hominis sperare non possit. ad nocendum potentes sumus. [23] Aristotelis [24] finitio non multum à nostrâ abest. ait enim,Iram esse cupiditatem doloris [25] reponendi. Quid inter nostram & hanc finitionem intersit,exsequi longum est. contra vtramque dicitur, feras irasci, nec iniuriâ irritatas, nec pœnæ doloríve alieni caussâ. Nam etiamsi hoc efficiunt, non hoc [26] petunt. Sed dicendum est,feras [27] irâ carere, & omnia præter hominem. Nam cùm sit inimica rationi, nusquam tamen nascitur, nisi vbi rationi locus est. Impetus habent feræ,rabiem,feritatem,incursum: iram quidem non magis, quàm luxuriam. Et in quasdam voluptates intemperantiores homine sunt. Non est quod credas illi qui dicit,

Non aper irasci meminit, non fidere cursu
Cerua, nec armentis incurrere fortibus vrsi.

Irasci dicit,incitari,impingi. Irasci quidem non magis sciunt,quàm ignoscere. Muta animalia humanis affectibus carent: habent autem similes illis quosdam impulsus. Alio-
C qui si amor in illis esset, & odium esset; si amicitia, & simultas; si dissensio, & concordia; quorum aliqua in illis quoque exstant vestigia: ceterùm, humanorum pectorum propria bona malaque sunt. Nulli nisi homini concessa prudentia est,diligentia, cogitatio: nec tantùm virtutibus humanis animalia,sed etiam vitijs prohibita sunt. Tota illorũ vt extrà, ita intrà, forma humanæ dissimilis est. [28] Regium illud & principale parum subtile, parum exactum: vt vox est quidem, sed non explanabilis, perturbata, & inefficax: vt lingua, sed deuincta, nec in motus varios soluta. Capit ergo [29] visus speciesque rerum, quibus ad impetus euocetur, sed turbidas, & confusas. Ex eo procursus illarum tumul-

auctoritatem. *Sed quod ad ipsas finitiones; sunt Stoicæ & in Zenone Diogenes totidem ferè verbis:* Ὀργὴ, ἐπιθυμία τιμωρίας τοῦ δοκοῦντος ἠδικηκέναι οὐ προσηκόντως: *Cicero vertit* IIII. *Tuscul.* Ira est libido puniendi eius, qui læsisse videatur iniuriâ.

D 17. GLADIATORIBVS.] *Super hoc affectu Senecam vide epist.* VII. *item de Tranquil. cap.* XI. *nostra Saturnalia, lib.* II. *cap.* XXII.

18. PEREVNT.] *Meus*, perimunt. *& rectum vtrumuis. Lactantius:* Irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter è duobus alter occisus est.

CAP. III. 19. LÆSVRI SVNT.] *Contra illam Posidonij definitionis partem*, à quo te putes læsum.

20. POENÆ CVPID.] *Contra eamdem, primis verbis.*

21. POTENTISSIMIS.] *Negat Aristoteles, aut temperat,* I. *Rhetor. ad Theod. cap.* XI. *Vide.*

22. DIXIMVS.] *Nempe in ijs, quæ è Lactantio reponimus.*

23. ARISTOEELIS.] *Hæc ipsa transscripsit idem ille Lactantius, libro dicto.*

24. FINITIO.] *Quam habes* I. *De animâ, cap.* I. Physicus, *inquit*, Iram definiet, ὄρεξιν ἀντιλυπήσεως: cupidinem doloris reponendi. *Sed hoc ibi obiter, & in alieno argumento; ex professo* I. *Rhet. ad Theod. cap.* II. Ἔστω δὲ ἡ ὀργὴ, ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης, διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν, εἰ εἰς αὐτῷ τινὰ προσηκόντων: Esto Ira cupiditas cum dolore apparentis vltionis, propter apparentem in se vel in suos contemptum.

25. REPONENDI.] *In Lactantio legitur*, rependendi.

26. PETVNT.] *Finis earum non est, vt ego doleam puniárve.*

27. IRA CARERE.] *Stoici affectus amouent à feris, & relinquunt quasi affectus.* πάθος *enim, esse auersionem à ratione: vbi ergo non ea, propriè nec illud. Quin tamen impetus habeant affectuum similes, non negant. Vide Manuduct.* III. *Diss.* VII.

28. REGIVM.] τὸ ἡγεμονικὸν, *vt Græci dicunt.*

29. VISVS SPEC.] φαντασίας.

tumultuſq; vehementes ſunt: metus autem, ſolicitudineſque, & triſtitia, & ira non ſunt, A
ſed his quædam ſimilia. Ideò citò cadunt, mutantur in contrarium, & cùm acerrimè ſæuierunt, expaueruntque, paſcuntur: & ex fremitu decurſuque veſano ſtatim quies ſo-
IIII. porque ſequitur. Quid eſſet ira, ſatis explicatum eſt: quo diſtet [30] ab iracundiâ, apparet: quo ebrius ab ebrioſo, & timens à timido. Iratus poteſt non eſſe iracundus: iracundus poteſt aliquando iratus non eſſe. Cetera, quæ pluribus [31] apud Græcos nominibus in ſpecies iram diſtinguunt, quia apud nos vocabula ſua non habent, præteribo: etiam ſi [32] amarum nos, acerbumque dicimus, nec minus [33] ſtomachoſum, rabioſum, clamoſum, [34] difficilem, aſperum: quæ omnia irarum differentiæ ſunt. Inter hos moroſum ponas licet, [35] delicatum iracundiæ genus. Quædam enim ſunt iræ, quæ [36] intra clamorem [37] conſidant; quædam non minùs pertinaces, quàm frequentes; quædam [38] ſæuæ manu, verbis parciores; quædam in verborum maledictorumque amaritudinem effuſæ; quædam vltra querelas & [39] auerſationes non exeunt; quædam [40] altæ gra- B

CAP. IIII. 30. AB IRACVNDIA.] *Suetonius Claudij cap.* XXXVIII. Iræ atque Iracundiæ conſcius ſibi, vtramque excuſauit edicto, diſtinxitque: pollicitus, alteram quidem *(Iram)* breuem & innoxiam; alteram *(Iracundiam)* non iniuſtam fore. *Paullò aliter quàm Seneca & alij*, Iracundiam *longam iram facit, & quaſi Odium. Nam ita hæc duo Valerius diſcriminat, lib.* IX. Ira quoque & odium in pectoribus humanis magnos fluctus excitant: procurſu celerior illa, nocendi cupidine hoc pertinacius. *Et ira inueterata, eſt Odium. Omnino tamen propriè*, Iracundia *eſt* ὀργιλότης, *id eſt, propenſio & habitus quidam ad iram: vt hîc Seneca, & Cicero* IV. *Tuſculanâ:* In alijs Iracundia dicitur, quæ ab Irâ differt, vt Anxietas ab Angore. Neque enim omnes ſunt anxij, qui anguntur aliquando: neque anxij ſemper anguntur. vt inter Ebrietatem & Ebrioſitatem intereſt, aliudque eſt eſſe Amatorem, aliud Amantem. *Hæc ille. at ego opportunè è Stoicis ipſis ſpecies & diſcrimina dixerim huius affectus. Diſtinguunt igitur* ὀργὴν, μῖσος, μῆνιν, φιλονεικίαν, θυμόν. Ὀργὴ *ſiue* Ira, *iam ſuprà definita eſt: at* μῖσος *ſiue* Odium *eſt ijs*, ἐπιθυμία τὶς τοῦ κακῶς εἶναί τινὶ, μετὰ προκοπῆς τινος καὶ παρατάσεως: cupiditas quædam vt malè ſit alteri, cum progreſſu aliquo & incremento. μῆνις *ſiue* Iracundia (*exemplo Claudij: nam Latinum nomen non ſuppetit aliud*) ὀργὴ πεπαλαιωμένη καὶ ἐπίκοτος, ἐπιτηρητικὴ δὲ: eſt ira inueterata & plena odij, obſeruans vltionis tempus. *Iam* φιλονεικία *ſiue* Contentio, ἐπιθυμία τὶς περὶ αἱρέσεων: cupiditas quædam circa opiniones tuendas. *Denique* θυμὸς, Excandeſcentia, ἔστιν ὀργὴ ἀρχομένη: eſt ira incipiens & naſcens. *Sed ad Senecam iterùm: etſi hæc toti rei explicandæ.*

31. APVD GRÆCOS.] *In Ariſtotele* IIII. *Ethic. Nicom. cap.* V. *quædam exſtant.*

32. AMARVM.] *Quem Græci* πικρόν. *Deſcribuntur ab Ariſtotele:* Οἱ δὲ πικροὶ δυσδιάλυτοι, καὶ πολὺν χρόνον ὀργίζονται, κατέχουσι γὰρ τὸν θυμόν. παῦλα δὲ γίνεται, ὅταν ἀνταποδιδῶσιν: Amari vel acerbi dicuntur, quorum ira ſolui difficilis, & diu iraſcuntur, atque eam continent. Fit autem pauſa, cùm repoſuerint, fuerintque vlti.

33. STOMACHOSVM.] *Cadit in genus, quos* Ἀκροχόλους *idem ille Philoſophus dicit, & deſcribit:* Ὑπερβολῇ δὲ εἰσὶν οἱ ἀκρόχολοι ὀξεῖς, καὶ πρὸς πᾶν ὀργίλοι, καὶ ἐπὶ παντὶ, ὅθεν καὶ τὄνομα: In exceſſu ſunt ad iram mobiles, qui Acrocholi dicuntur, in omnia, in omnibus. vnde & ab extremitate ijs nomen.

34. DIFFICILEM.] *Ipſo Græco verbo*, χαλεπὸν *Ariſtoteles. Deſcribit:* Χαλεποὺς δὲ λέγομεν τοὺς ἐφ' οἷς τε μὴ δεῖ χαλεπαίνοντας, καὶ μᾶλλον ἢ δεῖ, καὶ πλείω χρόνον, καὶ μὴ διαλαττομένους ἄνευ τιμωρίας ἢ καὶ κολάσεως: Difficiles dicimus, qui nec ob quæ oportet, & plus quàm oportet, & diutiùs exaſperantur: neque mitigantur ſine vltione aut pœnâ.

35. DELICATVM.] *Nam moroſi ſunt, qui exactè nimis omnia fieri, dici, expoſcunt: quibuſq; ægrè eſt placere & ſatisfacere. Propriè* δυσάρεστοι.

36. INTRA CLAM.] *Non vltrà exeunt. ſtatim incaleſcunt, ſtatim refrigerantur & deſinunt.* Ὀργίλους *Ariſtoteles appellat. Horatius talem ſe fatetur,* C
Iraſci facilem, tamen vt placabilis eſſet.

37. CONSIDANT.] *Aliàs*, concidant: *pariter benè.*

38. SÆVÆ MANV.] *Ad rem citiùs, quàm ad verba veniunt. Nec mutemus: etſi meus tamen,* quædam ſine motu. *Quod eſſet, placidæ & tacitæ quædam iræ, intra animi penetralia clauſæ.*

39. AVERSATIONES.] *Scripti,* aduerſationes: *bono etiam ſenſu. Litigant, & aliquid aduerſantur: tum placantur.*

40. ALTÆ GRAVESQVE.] *Illæ verò peſſimæ. Lentè concipiunt ignem, lentè ſeruant: & idem ille ſub cinere tectus fallit, nec comparet niſi cùm adurit. Viris naturiſq; grauibus ſæpe talis affectus. quem Liuius in Romanis expreſſit, lib.* XXI. Quò leniùs a- D
gunt, ſegniùs incipiunt, eò cùm cœperint, vereor vt perſeuerantiùs ſæuiant. *Arrianus de ijſdem:* Μεγαλόθυμοι πρᾴως εἰσί τινες, ἡσυχῇ καὶ οἷον ἀοργήτως πράττοντες, ὅσα καὶ οἱ σφόδρα τῷ θυμῷ φερόμενοι. φυλακτέον δὲ καὶ τὸ τούτων ἀβλέπημα, ὡς πολὺ χεῖρον ὂν τῷ διατεινόμενον ὀργίζεσθαι. ἕτοιμοι μὲν γὰρ, ταχὺ κόρον τῆς τιμωρίας λαμβάνουσιν· οἱ δὲ, εἰς μακρὸν παρατείνουσιν, ὡς οἱ λεπτῶς πυρέττοντες: Sunt quidam leniter magnanimi, placidè & tanquam ſine irâ omnia facientes, quæ etiam maximè excandeſcentes ſolent. Obſeruanda igitur & cauenda hæc iſtorum remiſſio. vt quæ multò deterior ſit, quàm ira magno niſu intenſa. Iſta enim ſtatim vltione aliquâ ſatiantur; at illa in longum extenditur, non aliter quàm ij qui lentâ febriculâ vexantur.

41. ET

A graueſque ſunt, [41] & introrſus verſæ. Mille aliæ ſpecies ſunt mali multiplicis. * *
[42] Quid eſſet ira, quæſitum eſt: an in vllum aliud animal, quàm in hominem caderet: v.
quo ab iracundiâ diſtaret, & quæ eius ſpecies ſint: nunc quæramus, an ira [43] ſecundùm
naturam ſit, & an vtilis, atque ex aliquâ parte retinenda. An ſecundùm naturam ſit, ma-
nifeſtum erit, ſi hominem inſpexerimus: quo quid eſt mitius, dum in recto animi ha-
bitu eſt? quid autem irâ crudelius eſt? Homine quid aliorum amantius? quid irâ infe-
ſtius? Homo in adiutorium mutuum generatus eſt: ira in exitium. Hic congregari vult,
illa diſcedere: hic prodeſſe, illa nocere: hic etiam ignotis ſuccurrere, illa etiam cariſſimos
petere: hic aliorum commodis vel [44] impendere ſe paratus eſt: ira in periculum, dum-
modò deducat, deſcendere. Quis ergo magis naturam rerum ignorat, quàm qui [45] opti-
mo eius operi & commendatiſſimo, hoc ferum ac pernicioſum vitium aſſignat? Ira, vt
diximus, auida pœnæ eſt: cuius cupidinem ineſſe pacatiſſimo hominis pectori, mini-
mè ſecundùm eius naturam eſt. Beneficijs enim humana vita conſiſtit, & concordiâ: nec
B terrore, ſed mutuo amore, in fœdus auxiliumque commune conſtringitur. Quid ergo?
non aliquando caſtigatio neceſſaria eſt? Quid ni? ſed hæc [46] ſincera, cum ratione. non
enim nocet, ſed medetur ſpecie nocendi. Quemadmodum quædam haſtilia detorta, vt
corrigamus, adurimus, & adactis cuneis, non vt frangamus, ſed vt explicemus, elidimus:
ſic ingenia vitio praua, dolore corporis animique corrigimus. Nempe medicus primò
in leuibus vitijs tentat non multum ex quotidianâ conſuetudine inflectere, & cibis, po-
tionibus, exercitationibus ordinem ponere, ac valitudinem tantùm mutatâ vitæ diſpo-
ſitione firmare: [47] proximum eſt, vt modus proficiat. Si modus & ordo non proficit,
ſubducit aliqua, & circumcidit. ſi ne adhuc quidem reſpondet; interdicit cibis, & abſti-
nentiâ corpus exonerat. ſi fruſtra molliora ceſſerunt; ferit venam, membriſque, ſi adhæ-
rentia nocent, & morbum diffundunt, manus affert: nec vlla dura videtur curatio, cu-
ius ſalutaris effectus eſt. Ita legum præſidem, ciuitatiſque rectorem decet, quamdiu po-
teſt, verbis, & his mollioribus, ingenia curare, vt facienda ſuadeat, cupiditatemque ho-
C neſti & æqui conciliet animis, faciatque vitiorum odium, pretium virtutum: tranſeat
deinde ad triſtiorem orationem, quâ moneat adhuc & exprobret: nouiſſimè ad pœnas,
& has adhuc leues & reuocabiles decurrat: vltima ſupplicia ſceleribus vltimis ponat, vt
nemo pereat, niſi quem perire etiam [48] pereuntis interſit. Hoc vno medentibus VI.
erit diſſimilis, quòd illi quibus vitam non potuerunt largiri, [49] facilem exitum præſtant:
hic, damnatum cum dedecore & [50] traductione, vitâ exigit. non, quia delectetur vllius
pœnâ (procul eſt enim à ſapiente tam inhumana feritas) ſed vt documentum omnium
ſint;

41. ET INTRORSVS.] *Qui, vt Tacitus ait de Domitiano, ſecreto ſuo ſatiati, reponunt odia. quorum* ira quò obſcurior, eò irreuocabilior. *Talis illa Vlyſſis in Melanthium, apud Homerum, Odyſſ. γ.*

Α'λλ' ἀκέων κίνησε κάρη, κακὰ βυσσοδομεύων:
Sed tacitus mouit caput, & mala mente parabat.

D *Talis Tiberij, de quo Tacitus* IIII. *Annal.* In animo reuoluente iras, etiamſi impetus offenſionis elanguerat, valebat memoria.

CAP. V. 42. QVID ESSET.] *Ego miror hanc præproperam ἀνακεφαλαίωσιν & dictorum repetitionem: ſanè præter rem, & Senecæ morem. Paucis lineis hæc dicta, aut perſtricta potiùs: quid recolligis, quaſi ex materiâ largâ & latè ſparſâ? Falli poſſum, ſed incidit, mutilata hæc eſſe, & in partibus parùm plena.*

43. SECVNDVM NAT.] *Quæ Ariſtotelis eſt clara ſententia, lib.* VII. *Ethic. Nicom. cap.* VI. *Aſſerit ibi,* Incontinentiam iræ minùs fædam malamque eſſe, quàm aliarum cupiditatum. *& argumentum, vt firmum, capit, quòd Ira inter ὀρέξεις φυσικὰς,* appetitiones naturales ſit, & magis talis, quàm ceteræ: eoque venia magis digna. *Hunc igitur, & aſſeclas, nunc refutat.*

44. IMPENDERE.] *Totum ſe dare, atque adeò perdere.*

45. OPTIMO.] *Homini.*

46. SINCERA.] *Cui cupiditas non immixta.*

47. PROXIMVM EST.] *Verba ſubobſcura, & quæ quibuſdam viſa (quinque dico proxima) ſuperfluere. At examinanti mihi, aliter. Dicit, primum opus medici eſſe ordinem cibi, potus, exercitij leuiter diſponere, & ad horas ſuas aptare; ſi nec id proficit, in modo mutare, id eſt, qualitate & genere iſtorum. tales cibos, tales potus præſcribere. Tertium, ſubducere & minuere in cibis: quartum etiam ieiunium indicere, & eo corpus deplere. Quintum denique, ſectio. Hæc ipſa mox ita ordine accommodat, in alterâ ſimilitudinis & ſequenti parte.*

48. PEREVNTIS.] *Ne in nequitia diutiùs hæreat, & quo vno modo poteſt, deſinat malus eſſe.*

CAP. VI. 49. FACILEM EXITVM.] *Vno verbo, εὐθανασίαν.*

50. TRADVCTIONE.] *Publicâ oſtenſione: ad exemplum ſcilicet, quò ſupplicia ſpectant. Per*

sint; & qui viui noluerunt prodesse, morte certè eorum respublica vtatur. Non est ergo A
natura hominis pœnæ appetens: & ideò nec ira quidem secundùm naturam hominis,
quia pœnæ appetens est. Et [51] Platonis argumentum adferam: quid enim prohibet alie-
nis vti, ex parte quâ [52] nostra sunt? Vir bonus, inquit, non lædit. pœna lædit. bono ergo
pœna non conuenit: ob hoc nec ira: quia pœna iræ conuenit. Si vir bonus pœnâ non
gaudet; non gaudebit nec eo quidem affectu, cui pœna voluptati est: ergo non est natu-
VII. ralis ira. Numquid, quamuis non sit naturalis ira, assumenda est, quia [53] vtilis sæ-
pè fuit? Extollit animos, & incitat: nec quicquam sine illâ magnificum in bello fortitu-
do gerit, nisi [54] hinc flamma subdita est, & hic stimulus peragitauit, misitque in pericula
audaces. Optimum itaque quidam putant, [55] temperare iram, non tollere: eoque detra-
cto quod exundat, ad salutarem modum cogere: id verò retinere, sine quo languebit
actio, & vis, ac vigor animi resoluetur. Primùm, facilius est excludere pernicioſa, quàm
regere: & non admittere, quàm admissa moderari. nam cùm se in possessione posuerunt,
potentiora rectore sunt, nec recidi se minuíve patiuntur. Deinde, ratio ipsa, cui fræni B
traduntur, tamdiu potens est, quamdiu diducta est ab affectibus: si miscuit se illis, & in-
quinauit, non potest continere, quos submouere potuisset. Commota enim semel &
concussa mens, ei seruit, à quo impellitur. Quarumdam rerum initia in nostrâ potesta-
te sunt: vlteriora nos suâ vi rapiunt, nec regressum relinquunt. Vt [56] in præceps datis
corporibus nullum sui arbitrium est, nec resistere moraríve deiecta potuerunt, sed con-
silium omne & pœnitentiam irreuocabilis præcipitatio abscidit, & non licet eò non per-
uenire, quò non ire licuisset: ita animus, si in iram, amorem, alioſque se proiecit affectus,
non permittitur reprimere impetum. rapiat illum oportet, & ad imum agat suum pon-
VIII. dus, & vitiorum natura procliuis. Optimum est, primum irritamentum iræ pro-
tinus spernere, ipsisque repugnare [57] seminibus, & dare operam ne incidamus in iram.
nam si cœperit ferre transuersos, difficilis ad salutem recursus est. Quoniam nihil ratio-
nis

theatra, per fora traduci solent, & dico infrà de Benef.

51. PLATONIS.] *Vbi hoc, nescio.*

52. NOSTRA SVNT.] *Nobiscum faciunt. dogmata nostra asserunt.*

CAP. VII. 53. VTILIS.] *Et hæc pars contra Aristotelem, sed & Platonem: qui vbique Iram laudant, vt fortitudini administram. Plato* II. *de Rep. Custodem suum, quem tueri patriam vult*, corpore robustum esse, animo iracundum *cupit. atque addit*: πῶς δ' ἔ; ἀνδρεῖος δὲ εἶναι ἆρα ἐθελήσει ὁ μὴ θυμοειδὴς, εἴτε ἵππος, εἴτε κύων, ἢ ἄλλο ὁτιοῦν ζῶον; ἢ οὐκ ἐννενόηκας, ὡς ἄμαχόν τε καὶ ἀνίκητον θυμός; οὗ παρόντος, ψυχὴ πᾶσα πρὸς πάντα ἀφόβος τε καὶ ἀήττητος: Et quomodo non? fortísne erit vnquam non iracundus, siue equus, siue canis, siue aliud quodcumque animal? aut non obseruasti, quàm inuictum quiddam atque insuperabile sit Ira? quæ cùm adest, omnis animus ad omnia intrepidus est, & vinci nescius. *Sed & alibi laudat: Aristoteles quid? vt alia omittam,* III. *Ethic. Nicom. cap.* VIII. *sunt ista.* Ἀνδρεῖοι γὰρ εἶναι δοκοῦσι καὶ οἱ διὰ θυμὸν, ὥσπερ τὰ θηρία ἐπὶ τοὺς τρώσαντας, φερόμενοι. ὅτι καὶ οἱ ἀνδρεῖοι θυμοειδεῖς. ὀρμητικώτατον γὰρ ὁ θυμὸς πρὸς τοὺς κινδύνους. ὅθεν καὶ Ὅμηρος, Σθένος ἐμβαλε θυμῷ: Fortes enim videntur, & qui per iram, sicut feræ in eos qui læserunt, feruntur: quoniam & fortes sunt iracundi. Res enim concitatissima est ad pericula, Ira. Ex quo & Homerus, Robur iniecit animo. *Et plura ibi atq; alibi ille Sophus. Vide me Manuduct.* III. *Dissert.* VII.

54. HINC FLAMMA.] *Si retines, tum & mox scribe*, hinc stimulus. *Et adspicit sanè ad gladiatores, qui flammâ & flagellis agebantur in mutuas cædes. Sed magis placeat legi* hæc flamma, *&* hic stimulus: *quia ad solam Iram referuntur. Flammam autem iustè appellat. quia reuera cum calore ea est, imò ex calore &* igne *(vt Aristoteles loquitur* XIII. *Probl.) originem habet. Quin & aquâ frigidâ largè infusâ, ea sedatur.*

55. TEMPERARE.] *Hoc omnes Peripatetici. & audiamus vnum Plutarchum*: Οὐμὴν ἀλλ' ἐπιμελείας εἰς αὐτὰ δεῖ καὶ μελέτης. ἢ καὶ μάλιστα ἁλίσκονται κατάπρας οἱ παραδεξάμενοι τὸν θυμὸν ὡς σύμμαχον ἀρετῆς, ἀπολαύοντες ὅσον αὐτοῦ χρήσιμόν ἐστιν, ἔν τε πολέμῳ, καὶ νὴ διὰ ἐν πολιτείαις. καὶ τὸ πολὺ δὲ αὐτῷ, καὶ τὸ ἐπιπόλαιον ἐκκρίνειν καὶ ἐκβάλλειν τῆς ψυχῆς, ὅπερ ὀργή τε καὶ πικρία δὴ ὀξυθυμίαν λέγεται: At enim curâ & industriâ aduersus ista opus est. quæ vel summa deprehenditur in ijs qui Excandescentiam, tanquam commilitonem Virtutis sumunt, fruentes vtentesq; quod in eâ vtile est, & D
in bello & in ipsâ republicâ. Oportet autem secernere & eijcere animo, quod in eâ nimium & redundans est, quod Ira & Acerbitas nominatur. *Scripsit & Themistius* De moderatione affectuum: *cuius egregium huic rei locum in Stobæi Sermone* I. *vide: adde Agellium lib.* XIX. *cap.* XII. *ipsum Aristotelem* II. *Ethic. Nicom. &* III. *sparsim.*

56. IN PRÆCEPS.] *In hac materie plusçula Aristoteles* III. *Ethic. cap.* V. quædam initio in nostrâ potestate esse, quæ posteà non sint. vt lapidem quem proieci, recipere & reuocare mihi non licet, at licebat non iacere.

CAP. VIII. 57. SEMINIBVS.] *Aliàs* sensibus: *sed illud præualet. Intellegit primos ortus iræ, & cùm ea surgit: ac tunc resistendum.*

58. INTRA-

A nis est, vbi semel affectus inductus est, iusque illi aliquod voluntate nostrâ datum est. faciet de cetero quantum volet, non quantum permiseris. In primis, inquam, finibus hostis arcendus est. nam cùm [58] intrauit, & portis se intulit, modum à captiuis non accipit. Neque enim sepositus est animus, & extrinsecus speculatur affectus, vt illos non patiatur vltrà quàm oportet procedere, sed in affectum ipse mutatur: ideoque non potest vtilem illam vim & salutarem, proditam iam infirmatamque, reuocare. Non enim, vt dixi, separatas ista sedes suas diductasque habent: [59] sed affectus & ratio in melius peiusque mutatio animi est. Quomodo ergo ratio occupata & oppressa vitijs resurget, quæ iræ cessit? aut quemadmodum à confusione se liberabit, in quâ peiorum mixtura præualuit? Sed quidam, inquit, in irâ se continent. Vtrum ergo ita, nihil vt faciant eorum quæ ira dictat, an vt aliquid? [60] Si nihil faciunt, apparet non esse ad actiones rerum necessariam iram: quam vos, quasi fortius aliquid ratione haberet, aduocabatis. Denique interrogo, valentior est quàm ratio, an infirmior? Si valentior: quomodo illi modum ratio poterit
B imponere, cùm parêre nisi imbecilliora non soleant? [61] Si infirmior est: sine hac per se ad rerum effectus sufficit ratio, nec desiderat imbecillioris auxilium. At irati quidam constant sibi, & se continent. Quomodo? cùm iam ira euanescit, & suâ sponte decedit, non cùm in ipso feruore est: tunc enim potentior est. Quid ergo? non aliquando in irâ quoque & dimittunt incolumes intactosque quos oderunt, & à nocendo abstinent? faciunt. Quomodo? [62] cùm affectus repercussit affectum, aut metus, aut cupiditas aliquid imperauit. non rationis tunc beneficio quieuit, sed affectuum infidâ & malâ pace.

Denique nihil habet in se vtile, nec acuit animum ad res bellicas. Nunquàm enim IX. virtus vitio adiuuanda est, se contenta. Quoties impetu opus est, non irascitur, sed exurgit, & in quantum putauit opus esse, concitatur remittiturque: non aliter, quàm quæ [63] tormentis exprimuntur tela, in potestate mittentis sunt, in quantum torqueantur. Ira, [64] inquit Aristoteles, necessaria est: nec quicquam sine illâ expugnari potest, nisi illa impleat animum, & spiritum accendat. Vtendum autem illâ est, non vt duce, sed [65] vt mi-
C lite. quod est falsum. Nam si exaudit rationem, & sequitur quâ ducitur, iam non est ira: cuius proprium est contumacia. Si verò repugnat, & non vbi iussa est quiescit, sed libidine ferociaque prouehitur: tam inutilis animi minister est, quàm miles, qui [66] signum receptui negligit. Itaque si modum adhiberi sibi patitur, [67] alio nomine appellanda est: desinit ira esse, quam effrænatam indomitamque intelligo. si non patitur; pernicioſa est, nec inter auxilia numeranda. Ira aut ira non est, aut inutilis est. Nam si quis pœnam exigit,

58. INTRAVIT.] *Simili imagine Hyperides:* Ἀρχομένων δεῖ τῶν ἀδικημάτων ἐμφράττειν τὰς ὁδούς. ὅταν δ' ἄπαξ ῥίζωθῇ κακία, ἡ πάλαια γένηται, καθάπερ σύνθροφος ἀῤῥωσία, χαλεπὸν αὐτὴν κατασβέσαι: Incipientibus vitijs obstruendæ sunt viæ. cùm verò semel malitia radices egerit, & inueterauerit; sicut coalita ægritudo, difficilis est exstinctu.

D 59. SED AFFECTVS.] *Libri scripti, & meus, ita præferunt: rectè, si tamen disiungendi particulâ, peiúsve, scribamus. Sententia est. non seorsim habitant affectus & animus, neque item ratio: sed animus hæc duo velut hospes excipit, modò rationi mancipatus, modò affectui. Mutatur cum illis: in melius, si ratio; in peius molliusque, si affectus occupauit. Vide Manuduct.* III. *Dissert.* VII.

60. SI NIHIL.] *Alterum membrum omittit. & profectò calumniari eum Peripatetici posſint dicere. Nam illi fatentur aliquid agere, atque impetum & vires dare; sed modificanda à ratione. Sicut puer qui vocem tollit, aliquid agit; sed modos à pausario accipit: sic in affectu, & ratione.*

61. SI INFIRMIOR.] *Nec hoc argumentum firmum. multa imbecilla in auxilium fortioris aduocantur: imò pleraque auxilia (vel exemplo à militiâ) sunt talia.*

62. CVM AFFECTVS.] *Et hoc suggillem, ac fateor me in hac parte non esse Stoicum. Quid affectus? imò ratio & melior mens creberrimè vincit affectum: & sine beneficio contrarij affectus. Si diducere libeat, res clara sit: nec nisi in contentione neganda.*

CAP. IX. 63. TORMENTIS.] *Ballistis, aut Catapultis. quæ, vt arcus, intenduntur ac remittuntur, pro arbitrio dirigentis.*

64. INQVIT ARISTOT.] *Credo sequentia ex Aristotele ipso esse: in hodierno tamen alius quærat.*

65. VT MILITE.] *Proba comparatio, pro nostris Ambulonibus: etsi in Aristotele aliam reperio, nec minùs aptam. Nam is Iram cum* Ministro *comparat, aut* Cane. *quorum ille, priusquam mandatum domini plenè audierit, excurrit ad peragendum; iste, priusquam consideret si amicus sit, quicumque pulsauerit ostium, latrat: talis, inquit, ira, quæ rationem, sed non plenè semper audit.* VII. *Nicomach. cap.* VI.

66. SIGNVM REC.] *Ex libris hoc est. & phrasis nota, sicut Vestis indutui, & plura.*

67. ALIO NOMINE.] *Est verum. à modo transit in virtutem: sed affectus tamen fuit.*

exigit, non ipſius pœnæ auidus, ſed quia oportet; non eſt annumerandus iratis. Hic erit A
vtilis miles, qui ſcit parêre conſilio: affectus quidem tam mali miniſtri, quàm duces ſunt.
Ideò nunquam aſſumet ratio in adiutorium improuidos & violentos impetus, apud
quos nihil ipſa auctoritatis habeat. quos nunquam comprimere poſſit, [68] niſi pares illis
x. ſimileſque oppoſuerit: vt iræ metum, inertiæ iram, timori cupiditatem. Abſit hoc
à virtute malum, vt vnquam ratio [69] ad vitia confugiat. Non poteſt hic animus fidele
otium capere: quatiatur neceſſe eſt, fluctueturque, qui malis ſuis tutus eſt: qui fortis eſſe,
niſi iraſcitur, non poteſt; induſtrius, niſi cupit; quietus, niſi timet: in tyrannide illi viuendum eſt, in alicuius affectus venienti ſeruitutem. Non pudet virtutes in clientelam
vitiorum demittere? Deinde deſinit quicquam ratio poſſe, ſi nihil poteſt ſine affectu, &
incipit par illi ſimiliſque eſſe. Quid enim intereſt, ſi æquè affectus inconſulta res eſt ſine
ratione, quàm ratio ſine affectu inefficax? par vtrumque eſt, vbi eſſe alterum ſine altero
non poteſt. Quis autem ſuſtineat, affectum exæquari rationi? Ira, inquit, vtilis affectus
eſt, ſi modicus eſt. Imò ſi naturâ vtilis eſt; ſed ſi [70] impatiens imperij rationiſque eſt, hoc B
dumtaxat moderatione conſequetur, vt quò minor fuerit, minùs noceat. Ergo modi-
x 1. cus affectus, nihil aliud quàm malum modicum eſt. Sed aduerſus hoſtes, inquit,
neceſſaria eſt ira. Nuſquam minùs: vbi non effuſos eſſe oportet impetus, ſed temperatos
& obedientes. Quid enim eſt aliud, quod Barbaros tanto robuſtiores corporibus, tanto
patientiores laborum comminuat, [71] niſi ira infeſtiſſima ſibi? Gladiatores quoque ars
tuetur, ira denudat. Deinde quid opus eſt irâ, cùm idem perficiat ratio? An tu putas venatorem iraſci feris, vel cùm & fugientes perſequitur, & venientes [72] excipit? omnia illa
ſine irâ facit ratio. Quid Cimbrorum, Theutonorumque [73] tot millia ſuperfuſa Alpibus
ita ſuſtulit, vt tantæ cladis notitiam ad ſuos non nuntius, ſed fama pertulerit, niſi quòd
erat illis ira pro virtute? quæ vt aliquando perculit, ſtrauitque obuia, ita ſæpiùs ſibi exitio eſt. [74] Germanis quid eſt animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur innutriunturque: quorum vnica illis cura eſt, in alia negligentibus. Quid induratius ad omnem patientiam? vt quibus magnâ ex parte [75] non tegu- C
menta corporum prouiſa ſunt, [76] non ſuffugia aduerſus perpetuum cæli rigorem. Hos
tamen Hiſpani Gallique, & [77] Aſiæ Syriæque molles bello viri, [78] antequam legio viſatur, cædunt: ob nullam rem aliam [79] opportunos, quàm ob iracundiam. Agedum, illis
[80] corporibus, illis animis delicias, luxum, [81] opes ignorantibus, da rationem, da diſciplinam:

68. NISI PARES.] *Negabunt, & iure, Ariſtotelei.*

CAP. X. 69. AD VITIA CONF.] *Non dicunt hoc illi. ſed affectus ad aliquem vſum inſitos volunt à Deo & Naturâ: is autem à Ratione indagatur, & eò deinde ducuntur. Sicut plantæ ſilueſtres cultu meliores fiunt, ſicut animalia domantur & docentur: tale in iſtis.*

70. IMPATIENS.] *Nobiſcum ita lege. Ita, inquit, ſi per naturam vtilis: ſed ſi per eam aſper, & impatiens melioris imperij eſt; non eſt vtilis dicendus, ſed dumtaxat modo impoſito, minùs noxius.*

CAP. XI. 71. NISI IRA.] *Imò altera cauſſa, inopia Diſciplinæ.*

72. EXCIPIT.] *Venabulo. eſt venatorium verbum, & notat exſpectare, ſubſiſtere, ferire. Curtius:* Feram non excepit modò, ſed etiam vno vulnere occidit. *Spartianus in Caracallâ:* Excepit apros frequenter, contra leonem etiam ſtetit.

73. TOT MILLIA.] *Circiter trecenta.*

74. GERMANIS.] *Notent in ſuam laudem, ſed & in cautionem.*

75. NON TEGVM.] *Ita & Tacitus de ijs:* Nudi, aut ſagulo lenes.

76. NON SVFFVGIA.] *Sunt ſanè hodie, & caldariæ illæ cellæ emolliunt aſperam indolem, ſed & minuunt virtutem. At de voce,* ſuffragia *libri plerique ſcripti habent: quod omnino probum. Suffragia, ſunt auxilia, ſubſidia. quæ nobis commodant, ſicut ij qui vocem & punctum. Valerius:* Læta negotia diuinâ ſuffragatione fouentur. *Ammianus:* Suffragantes abſolutionem lectiones. Suffragium ætatis, Suffragium temporis *in legum libris. Suffragatores, commendatores. Capitolinus:* Suffragatoribus non citò credidit. D

77. ASIÆ SYR.] *Non quòd in ijs locis belligerent Germani; ſed quòd Syri & Aſiatici iam, ſub Principibus, inter Romana auxilia: quæ ex omnibus prouincijs colligebant, & in caſtris habebant.*

78. ANTEQVAM LEGIO.] *Nam ita tunc moris, vt auxilia ordirentur ferè pugnam:* ingens victoriæ decus, citra Romanum ſanguinem bellantibus, *ait Tacitus.*

79. OPPORTVNOS.] *Obnoxios, cædi vincique faciles.*

80. CORPORIBVS.] *Tam magnis.*

81. OPES IGNOR.] *Olim, olim. nam imperij reliquijs in eam gentem tranſlatis; mox & opes, & vitia.*

82. REPE-

A nam: vt nihil amplius dicam, neceſſe erit nobis certè mores Romanos [82] repetere. Quo alio Fabius [83] affectas imperij vires recreauit, quàm quòd cunctari, & trahere, & morari ſciuit, quæ omnia irati neſciunt? Perierat imperium, quod tunc in extremo ſtabat, ſi Fabius [84] tantum auſus eſſet, quantum ira ſuadebat. Habuit in conſilio [85] fortunam publicam, & æſtimatis viribus, ex quibus iam perire nihil ſine vniuerſo poterat, dolorem vltionemque ſepoſuit, in vnam vtilitatem [86] occaſionis intentus, iram antè vicit, quàm Hannibalem. Quid Scipio? nónne relicto Hannibale, Punico exercitu, omnibuſque quibus iraſcendum erat, bellum in Africam tranſtulit, [87] tam lentus, vt opinionem luxurię ſegnitiæque malignis daret? Quid alter Scipio? non circa Numantiam [88] multùm diuque ſedit, & hunc ſuum [89] publicumque dolorem æquo animo tulit, diutiùs Numantiam quàm Carthaginem vinci? quam dum [90] circumuallat, & includit hoſtem, eò compulit, vt ferro ipſi ſuo [91] caderent. Non eſt itaque vtilis, nec in prœlijs qui- XII.
dem aut in bellis ira. In temeritatem enim prona eſt: & [92] pericula dum inferre vult, non
B cauet. Illa certiſſima eſt virtus, quę ſe diu multumque circumſpexit & rexit; & ex lento ac deſtinato [93] prouexit. Quid ergo? inquit, vir bonus non iraſcetur, ſi cædi patrem ſuum viderit, ſi rapi matrem? Non iraſcetur: ſed vindicabit, ſed tuebitur. Quid autem times, ne parum illi magnus ſtimulus, etiam ſine irâ, pietas ſit? Aut dic eodem modo: Quid ergo, cùm viderit ſecari patrem ſuum, filiúmve, vir bonus non flebit, nec linquetur animo? quæ accidere feminis videmus, quoties illas leuis periculi ſuſpicio perculit. Officia ſua vir bonus exſequitur inconfuſus, intrepidus: & ſic bono viro digna faciet, vt nihil faciat viro indignum. Pater cædetur? defendam. cæſus eſt? [94] exſequar: quia oportet, non quia dolet. Cùm hoc dicis Theophraſte, quæris inuidiam [95] præceptis fortioribus, & relicto iudice, [96] ad coronam venis. quia vnuſquiſque in eiuſmodi ſuorum caſu iraſcitur, putas iudicaturos homines id fieri debere, quod faciunt. Ferè enim iuſtum quiſque affectum iudicat, quem agnoſcit. Iraſcuntur boni viri pro ſuorum iniurijs? ſed [97] idem faciunt, ſi [98] calida non benè præbeatur, ſi [99] vitrum fractum eſt, ſi calceus luto [100] ſparſus
C

82. REPETERE.] *O pulchrè. quaſi amiſſos igitur, in togâ & ſago. Ac verè perierant, nec niſi mole ſuâ & fato aliquandiu hoc corpus ſtetit.*

83. AFFECTAS.] *Languidas, ægras: imò pænè ab Annibale confectas.*

84. TANTVM AVSVS.] *Concurrere videlicet, & pugnando vlciſci.*

85. FORTVNAM PVBL.] *Id eſt, cum eâ communicauit: & vidit Deos & fata tunc Romanis non æqua. Aliter. aſpexit in conſilio capiendo, triſtem fortunam & ſæpè aduerſam, per quam vires exhauſtæ; nec vltrà iacturam vel leuem patiebantur, ſine corporis totius interitu.*

86. OCCASIONIS.] *Ita ex meo libro. Sepoſuit, inquit, vltionis cogitationes, vertit ſe tantùm & in-*
D *tendit in fructum qui ex occaſione dari poterat: carpere agmen opportunè, commeatu prohibere, & ſiquid tale.*

87. TAM LENTVS.] *Præter ingenium iræ. Sed vbi lentus? in Sicilià deſedit, cum pallio crepidiſq; in gymnaſio obambulans: & quæ in Senatu ei obiecta, apud Liuium libro* XXIX.

88. MVLTVM DIVQVE.] *Annum ferè & tres menſes. Velleius.*

89. PVBLICVMQVE.] *Tanquam indignum Romano nomine & magnitudine, tam lentum cum vnâ vrbe bellum.*

90. CIRCVMVALLAT.] *Ambitu circiter* quinquaginta ſtadiorum *(ſex milliarium amplius) vallo & foſſâ clauſit.*

91. CADERENT.] *Plerique omnes.* virum quidem vnum ſuperfuiſſe *negat Florus: Appianus pauculos.*

CAP. XII. 92. PERICVLA.] *Democritus:* Φιλονεικία πᾶσα ἀνόητος. τὸ γὰρ κατὰ τῶ δυσμενοῦς βλαβερὸν θεωρεῦσα, τὸ ἴδιον συμφέρον ἒ βλέπει: Contentio omnis imprudens. dum enim in hoſtis ſui noxam intenta eſt, proprium commodum non videt.

93. PROVEXIT.] *Longiùs iuit, ſed conſilio, non impetu.*

94. EXSEQVAR.] *Id eſt, vindicabo, vlciſcar. Ita loquitur* De conſt ſapient. *cap.* X. *atque ibi ego.*

95. PRÆCEPTIS FORT.] *Id eſt, verbis iſtis popularibus, vocas in inuidiam. Stoica & robuſta noſtra præcepta.*

96. AD CORONAM.] *A iudicijs publicis ſumptum. vbi orator ſæpè à iudice ad circumſtantem populum ſe vertebat, cùm grata aut volentia illis diceret. Significat igitur, Theophraſtum & Peripateticos, popularia ſerere: & vulgum, quàm ſapientes, iudicem malle.*

97. IDEM FACIVNT.] *Irridet Theophraſtum. Quid tu ais? iraſci eos in ſuorum iniurijs? dabo tibi qui etiam in rebus minimis, & per delicias, iraſcatur.*

98. CALIDA.] *Inter epulas. ſolent enim aquam calfactam interponere, aut & cum vino miſcere. Dixi abundè* I. *Elector. cap.* IIII.

99. VITRVM.] *A miniſtro menſali.*

100. SPARSVS.] *Nam calceis altiuſculis vſi veteres: atque ij munduli, aſpergebantur interdum ab aliquo improuidè tranſeunte.*

101. PVE-

ſus eſt. Non pietas illam iram, ſed infirmitas mouet: ſicut [101] pueri, qui tam parentibus A
amiſſis flebunt, quàm nucibus. Iraſci pro ſuis, non eſt pij animi, ſed infirmi. Illud pulchrum dignumque, parentibus, liberis, amicis, ciuibus prodire defenſorem, ipſo officio ducente: volentem, iudicantem, prouidentem, non impulſum & rabidum. Nullus enim affectus vindicandi cupidior eſt, quàm ira: & ob id ipſum ad vindicandum inhabilis, prærapida & amens: vt omnis ferè cupiditas ipſa ſibi in id, in quod properat, [102] opponitur. Itaque nec in pace, nec in bello, vnquam bona fuit. Pacem enim ſimilem belli efficit: in armis verò obliuiſcitur Martem eſſe communem, venitque in alienam poteſtatem, dum [103] in ſuâ non eſt. Deinde non ideò vitia in vſum recipienda ſunt, quia aliquando aliquid bóni effecerunt. [104] nam & febres quædam [105] genera valetudinis leuant: nec ideò non ex toto illis caruiſſe melius eſt. Abominandum remedij genus eſt, ſanitatem debere morbo. Simili modo ira, etiam ſi aliquando, vt venenum, & præcipitatio, & naufragium, ex inopinato profuit, non ideò ſalutaris omnino iudicanda eſt. ſæ-
XIII. pè enim ſaluti fuere peſtifera. Deinde quæ habenda ſunt in bonis, quò maiora, eò B
meliora & optabiliora ſunt. Si iuſtitia bonum eſt, nemo dicet meliorem futuram, ſi quid [106] detractum ex eâ fuerit: ſi fortitudo bonum eſt, nemo illam deſiderabit ex aliquâ parte deminui: ergo & ira quò maior, hoc melior. quis enim vllius boni acceſſionem recuſauerit? atqui augeri illam inutile eſt: ergo & eſſe. Non eſt bonum, quod incremento malum fit. Vtilis, inquit, ira eſt, quia [107] pugnaciores facit. Iſto modo & ebrietas. facit enim proteruos & audaces: multique meliores ad ferrum fuere malè ſobrij. Iſto modo, dic & phreneſim & inſaniam viribus neceſſariam: quia ſæpè validiores furor reddit. Quid? non aliquoties metus è contrario fecit audacem? & mortis timor etiam inertiſſimos excitauit in prœlium? Sed ira, ebrietas, timor, aliaque eiuſmodi, fœda & caduca irritamenta ſunt: nec virtutem inſtruunt, quæ nihil vitijs eget, ſed ſegnem aliquando animum & ignauum paululum alleuant. Nemo iraſcendo fit fortior, niſi qui fortis ſine irâ non eſſet. Ita non in adiutorium virtutis venit, ſed in vicem. Quid quòd, ſi bonum eſſet ira, perfectiſſimum quemque ſequeretur? at qui iracundiſſimi, [108] infantes, [109] ſe- C
XIV. neſque, & [110] ægri ſunt, & [111] inualidum omne naturâ querulum eſt. Non poteſt, inquit Theophraſtus, fieri, vt ne bonus vir [112] iraſcatur malis. Iſto modo, quo melior quiſ-

101. PVERI.] *Aut potiùs*, pueris.

102. OPPONITVR.] *Ipſa ſibi obſtat. properando aut cadit, aut ſe tardat.*

103. IN SVA NON EST.] *Cicero* IIII. *Tuſc.* Quid eſt enim, quò non progrediatur ira? eódem, quò furor. Itaque iratos propriè dicimus exiſſe de poteſtate: id eſt de conſilio, de ratione, de mente. Horum enim poteſtas in totum animum eſſe debet.

104. NAM ET FEBRIS.] *Plutarchus de febre etiam aliquid ad Iram aptat, ſed paullò aliter: egregiè tamen dictum, ponendum eſt.* Iratus qui eſt, eodem modo fortis & ſtrenuus dicitur, quo is qui febricitat, calidus. ſic animus eius pulſu, tumore, atque agitatione diſtenditur. *Bellè, ſed planè pro Stoicis, & ſicut calor in febri, ſed malus eſt; ſic robur in irâ, ſed improbum. Plutarchus hæc in Coriolano.*

105. GENERA VAL.] *Lentos morbos ſoluunt, aut grauioribus ſuperuenientes alleuant.*

CAP. XIII. 106. DETRACTVM.] *Meus liber*, defectum. *Ferri poteſt, magiſq;* deſectum.

107. PVGNACIORES.] *Dictum antè. ſed addatur & Tullÿ iſtud, è* IIII. *Academ.* Iracundiam ipſam, fortitudinis quaſi cotem eſſe (*veteres Academici*) dicebant. *Quid Liuius? ab hac parte eſt, lib.* XXXIII. *de pugnâ cum Boÿs*: Ibi quantam vim ad ſti mulandos animos ira haberet, apparuit. Nam ita cædis magis, quàm victoriæ auidi pugnarunt Romani, vt vix nuntiũ cladis hoſti relinquerent.

108. INFANTES.] *Bono argumento oſtendit, Iram fortium non eſſe: imò contrà. De infantibus, Plato* IIII. *de Rep. dum docet diſtinctum à* Rationali *ſiue* λογικῷ τὸ ἐπιθυμητικὸν *ſiue* Concupiſcibile *eſſe.* Καὶ γὰρ ἐν τοῖς παιδιοῖς, *inquit*, τοῦτό γε ἄν τις ἴδοι, ὅτι θυμοῦ μὲν, εὐθὺς γενόμενα, μεστά ἐστι, λογισμοῦ δὲ ἔνιοι μὲν ἔμοιγε δοκοῦσιν οὐδέποτε μεταλαμβάνειν, οἱ δὲ πολλοὶ ὀψέποτε: Nam & in pueris hoc aliquis videat. qui, ſtatim atque nati ſunt, irâ quidem pleni apparent; ratiocinationis verò, meo iudicio, quidam numquam compotes fiunt, plerique autem benè ſerò. D

109. SENESQVE.] *De his infrà, lib.* II. *cap.* XIX.

110. ÆGRI.] *Ibidem, vide.*

111. INVALIDVM.] *Cauſſa infrà reddetur. Menander porrò in ipſam hanc ſententiam:*

Τὸ δ' ὀξύθυμον τοῦτο, καὶ λίαν πικρὸν,
Δεῖγμ' ἐστὶν εὐθὺς πᾶσι μικροψυχίας:
At feruidum iſtud atque exaſperans nimis,
Infirmitatis omnibus ſtatim nota eſt.

CAP. XIV. 112. IRASCATVR MALIS.] *Hoc Peripatetici ſenſerunt, vitÿs vitioſiſq; iraſcendum eſſe: & vtilem hunc affectum ad correctionem. Chriſtiani doctores in eâdem parte. & Lactantij Caput* XVIII. *eſt libro* De irâ Dei, Sine irâ peccatum non corrigi: *vbi & Stoicos refutat. D. Ambroſiũs* I. *De officijs:* Iraſcimini vbi eſt culpa, cui iraſci debeatis.

A quisque, hoc iracundior erit? vide ne contrà placidior, solutusque affectibus, & cui nemo odio sit. Peccantes verò quid habet cur oderit, cùm [113] error illos in huiusmodi delicta compellat? non est autem prudentis, errantes odisse: alioquin ipse sibi odio erit. Cogitet quàm multa contra bonum morem faciat, quàm multa ex his quæ egit, [114] veniam desiderent: iam irascetur etiam sibi. Neque enim æquus iudex aliam de suâ, aliam de alienâ caussâ, sententiam fert. Nemo, inquam, inuenitur, qui se possit absoluere: & innocentem quisque se dicit, [115] respiciens testem, non conscientiam. Quanto humanius, [116] mitem & pacatum animum præstare peccantibus: & illos non persequi, sed reuocare? Errantem per agros ignorantiâ viæ, melius est ad rectum iter admouere, quàm expellere. Corrigendus est itaque qui peccat, & admonitione, & vi, & molliter, & asperè: meliorque tam sibi quàm alijs faciendus, non sine castigatione, sed sine irâ. quis enim cui medetur, irascitur? At corrigi nequeunt, nihilque in illis spei bonæ capax est. Tollantur è cœtu mortalium, facturi peiora [117] quæ contingunt: & quo [118] vno
B modo possunt, desinant mali esse: sed hoc sine odio. Quid enim est cur oderim eum, cui tum maximè prosum, cùm illum [119] sibi eripio? Numquis membra sua odit, tunc cùm abscindit? non est illa ira, sed misera curatio. Rabidos effligimus canes, trucem atque immansuetum bouem cædimus, & morbidis pecoribus, ne gregem polluant, ferrum demittimus, portentosos fœtus extinguimus, liberos quoque, [120] si debiles monstrosique editi sunt, mergimus. Non ira, sed ratio est, à sanis inutilia secernere. Nil minus quàm irasci punientem decet: cùm eò magis ad emendationem pœna proficiat, si

XV. iudicio

beatis. non potest enim fieri, vt non rerum indignitate moueatur: alioqui non virtus, sed lentitudo & remissio iudicatur. *Bernardus in Epist.* Non irasci vbi irascendum est, & nolle emendare peccatum, peccatum est. Plus verò irasci, quàm irascendum est, peccatum peccato addere est.

C 113. ERROR.] *Stoicum est. quorum istud dogma:* Εἶναι δὲ ἀγνοίας τὰς κακίας, ὧν αἱ ἀρεταὶ ἐπιστῆμαι: Esse peccata ignorantiam illarum rerum, quarum scientia virtus est. *Itaque & Virtutes*, Scientias *definiunt: & ijs præditos*, Eruditos; *appetentes*, Studiosos *appellant. Contrà, in Vitijs.*

114. VENIAM DES.] *Ita Plutarchus quoque hanc iram coërcet:* Si illud Platonis, *inquit*, cottidie in aure nobis sonet, Annon ego sum talis? atque ita ab externis cogitationem intrò flectat, & criminationibus metum misceat: non admodum improbitatis nomine alios oderit, cùm veniâ sibi opus esse cognoscat.

115. RESPICIENS TESTEM.] *Id est, hactenus se innocentem potest dicere, si clàm & in secreto peccauit. quasi noxæ non sint, quarum numen est conscium: & satis, homines nescire aut falli.*

D 116. MITEM ET PAC.] *At Plato ecce vtrumque adfectum miscet, & Iram & Mansuetudinem. De Legibus*, v. Θυμοειδῆ μὲν χρὴ πάντα ἄνδρα εἶναι, πρᾷον δὲ ὅτι μάλιστα. τὰ γὰρ τῶν ἄλλων ἀλεπὰ καὶ δυσίατα, ἢ τὸ παράπαν ἀνίατα ἀδικήματα, ὑπ' ἔστιν ἄλλως ἐκφυγεῖν, ἢ μαχόμενον καὶ ἀμυνόμενον νικᾶντα, καὶ τῷ μηδὲν ἀνιέναι κολάζοντα. τοῦτο δὲ ἄνευ θυμοῦ γενναίου ψυχῇ πᾶσα ἀδύνατος δρᾶν. *Deinde paullò post:* Ἐλεεῖν δὲ τὸν μὲν ἰάσιμα ἔχοντα ἐγχωρεῖ, καὶ ἀνείργοντα τὸν θυμὸν πραΰνειν, καὶ μὴ ἀκριχώλοῦντα γυναικείως, πιπραινόμενον διατελεῖν. τῷ δὲ ἀπράτως, καὶ ἀπαραμυθήτως πλημμελεῖ καὶ κακῷ, ἐφιέναι δεῖ τὴν ὀργήν. διὸ δὴ θυμοειδῆ πρέπειν, καὶ πρᾷον ἑκάστοτε φάμεν εἶναι δεῖν τὸν ἀγαθόν: Oportet iracundum quemuis virum esse, & maximè etiam mitem. Aliorum enim peccata grauia & curatu difficilia, aut prorsus insanabilia, non aliter licet vitare aut tollere, quàm pugnando, resistendoque vincere, & sine remissione punire. Hoc autem sine generosâ quadam irâ, nullus animus fecerit. *Et mox:* At contrà misereri eius ius fasque est, qui sanabilia habet; & cohibentem iram, mansuetiùs agere, nec muliebriter ad extremam illam insurgere, atque in eâ acerbè perseuerare. Qui autem sine modo & remedio prauus malusque est, in eum iram licet liberiùs laxare. Propterea dixi, & iracundum & mitem variè virum bonum esse debere. *Hæc pluscula transscripsi, quia ad totam materiem hanc faciunt, & veteris Academiæ sensum reuelant: quem noster variè tangit.*

CAP. XV. 117. QVÆ CONTINGVNT.] *Id est, contagione nocituri. malitiam in alios transfusuri.*

118. VNO MODO POS.] *Ex Eusebio philosopho Stobæus adfert:* Ἀγνοεῖ δὲ τὸ μέγιστον, ὅτι καὶ ὁ θάνατος αὐτὸς παρὰ τῶν πρώτως δικαιωσάντων, οὐκ ὡς τε κακὸν ἐπετιμήθη, ἀλλ' ὡς ἔσχατον, καὶ ἐν φαρμάκου λόγῳ, κατὰ τῶν δυναμένων τῆς κακίας ἐλευθερωθῆναι. ὅπως, ἐπειδὴ ἔχοιά τε ἦν ἄλλως, τούτῳ γε ἓν τῷ τρόπῳ ἀπολυθέντες τοῦ ἐνταῦθα δεσμοῦ, αὐτῆς πορίσωνται φυγήν: Ignorat verò quod maximum est, quòd nec ipsa mors ab ijs qui primi iura constituerunt, quasi malum aliquod impositum decretumque sit: sed vt extremum, & in medicinæ loco, aduersus eos qui liberari à malitiâ nõ possent. Vt quoniam alia ratio non esset, hac viâ saltem, absoluti vinculis, eam effugerent. *Quæ pulchra, & gemina istis sunt, itemq; mox legendis.*

119. SIBI ERIPIO.] *Circumfert se, prauum & pestilentem: eripio talem animum cum ipsâ animâ, & corpus vacuum relinquo.*

120. SI DEBILES.] *Satis hoc crudum, sed commune & receptum. neque monstra tantùm, vt præmisit; sed debiles, imò & qui iam nimij aut oneri parentibus essent, abijciebant, siue exponebant. Itaque non superflua hæc verba sunt, aut falsa, vt quidam censent:*

iudicio lata est. Inde est, quod [121] Socrates seruo ait: *Cæderem te, nisi irascerer.* Admonitionem serui in tempus sanius distulit, illo tempore se admonuit. Cuius erit temperatus affectus, cùm Socrates non sit ausus se iræ committere? Ergo ad coërcitionem errantium, sceleratorumque, irato castigatore non opus est. Nam cùm ira delictum animi sit, non oportet peccata corrigere peccantem. XVI. Quid ergo? non irascar latroni? non irascar venefico? Non. neque enim mihi irascor, cùm sanguinem mitto. Omne pœnæ genus, remedij loco admoueo. Tu adhuc in primâ parte versaris errorum, nec grauiter laberis, sed frequenter: obiurgatio te primùm secreta, deinde publica emendare tentabit. Tu longiùs iam processisti, quàm vt possis verbis sanari: ignominiâ [122] non contineberis. Tibi fortius aliquid, & quod sentias, inurendum est: in exilium & loca ignota mittêris. In te duriora remedia, iam solida nequitia desiderat: & vincula publica, & carcer adhibebitur. Tibi insanabilis animus est, & sceleribus scelera contexens: & iam non caussis, quæ nunquam malo defuturæ sunt, impelleris, sed satis tibi est magna ad peccandum [123] caussa, peccare. perbibisti nequitiam, & ita viscеribus immiscuisti, vt nisi cum ipsis exire non possit: olim miser [124] mori quæris. benè de te merebimur: auferemus tibi istam, quâ vexaris, insaniam, & per tua alienaque volutato supplicia, id, quod [125] vnum bonum tibi supereſt, repręsentabimus, mortem. Quare irascar, cui cùm maximè prosum? interim optimum misericordiæ genus est, [126] occidere. Si intrassem valetudinarium exercitatus & sciens, [127] aut domum diuitis, non idem imperassem omnibus, per diuersa ægrotantibus. Varia in tot animis vitia video, & ciuitati curandæ adhibitus sum: pro cuiusque morbo medicina quæratur. Hunc sanet verecundia, hunc peregrinatio, hunc dolor, hunc egestas, hunc ferrum. Itaque etsi [128] peruersa induenda magistratui vestis, & conuocanda [129] classico concio est: procedam [130] in tribunal, non furens,

sent: tantùm pro mergimus, *videndum an non veriùs,* abijcimus. *Certè libri quidam,* abigimus, *habent. Vide Centur. 1. ad Belg. ep.* LXXXV.

121. SOCRATES.] *Lactantius* Archytæ *tribuit,* De irâ Dei, *cap.* XVIII *Idem Hieronymus in Ioëlem:* Rectè illud laudatur Archytę Tarentini, qui cùm villico suo iratus esset, Iam te, inquit, cæderem nisi iratus essem.

CAP. XVI. 122. NON CONTINEB.] *Imò verò legendum sine negatione (Grutero quoque visum) consensu librorum. Distinque autem:* sanari: ignominiâ contineberis. Tibi fortius *&c. Seneca sex gradus facit coërcendi,* Admonitionem priuatam, Publicam, Ignominiam, Exsilium, Carcerem, Mortem. *De ignominiâ, notum satis Romano ritu, Censores eâ notasse, & ordine mouisse.*

123. CAVSSA, PECCARE.] *Quos non voluptas tantùm aut illecebræ peccati, sed ipsum & infamia eius, delectant.*

124. MORI QVÆRIS.] *Hæc illustrant ista Iamblichi, paris sententiæ:* Καθάπερ τῷ ὑποπύῳ βέλτιον τὸ καίεσθαι τοῦ διαμένειν. ὕτω καὶ τῷ μοχθηρῷ τὸ τεθνάναι τοῦ ζῆν: Sicut suppurato melius est vri, quàm sic manere; ita improbo mori, quâ viuere.

125. VNVM BONVM.] *Boëthius in Consolatione:* Feliciores esse improbos supplicia luentes, quàm si nulla eos iustitiæ pœna coërceat.

126. OCCIDERE.] *Stoico, sed & Romano sensu. Siquis in summis miserys, sine spe euadendi; si hostis impotens instat, & moriendum alieno arbitrio, vel ludibrio; seruus cliens, amicus manum commodat, & per miserationem tollit. Valet autem hîc* Interim, Interdum.

127. AVT DOMVM DIVITIS.] *Miror à Mureto omissa: neque enim superfluunt, & libri omnes hîc ponunt. Aspectus est ad numerum seruorum, qui in domo diuitum illo æuo: neque cohortes solùm erant, sed legiones, vt Plinius loquitur: ergo in tali numero multi & variè ægri, nec immeritò cum Valetudinario iungit.*

128. PERVERSA.] *Interpretatur Muretus, Magistratus cùm ciuem condemnaturi essent, prætextam posuisse, eamq; peruersam induisse, id est* partem eius floridiorem *(ita loquitur) ac nitidiorem introrsus ad se vertisse, mœroris significandi gratiâ. Hæreo an assentiar; etsi acutè, ad vocem aspicienti & adhærenti. Sed puto simpliciùs veriusq;, Prætorem & qui iudicio præsidebat, iam sententiam laturum posuisse prætextam: & in tunicâ sententiam tulisse, vel etiam in aliâ togâ, sordidâ & pullatâ. Valerius, de C. Mario, lib.* IX. Cùm M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, ponentem prætextam vidisset, misit ad eum qui diceret, se non damnatum, sed reum perijsse. ac protinus sudario, ore & faucibus coarctatis, incluso spiritu, pœnam, morte præcurrit. *Et sanè* Peruersus, *non est* Inuersus *simpliciter, sed malè & præposterè versus, immutatus. Itaque* peruersa vestis, *indecens, aliena magistratui: qualis est seruilis aut funesta. Enimuerò sollenni in luctu Senatoribus latum clauum deponere, magistratibus prætextam. Tacitus, in Germanici funere:* Sine insignibus magistratus. *Lucanus, in Institio:*

-- nullos comitata est purpura fasces.

129. CLASSICO.] *Ita factum quoque, veteri admodum more, vbi ciuis in capitis discrimen vocabatur. Classicum ante eius ostium in arce, intra & circa muros canebat: vt populus conueniret, & tristi spectaculo atque exemplo interesset. Ego in Com. ad Tacit. lib.* II. *Ann.*

130. IN TRIBVNAL.] *Hæc adspexit Lactantius,* cùm

furens, nec infestus, sed [131] vultu legis: & illa [132] sollennia verba, [133] seuerâ magis grauique, quàm rabidâ voce concipiam, & [134] agi iubebo non iratus, sed seuerus. Et cùm ceruicem noxio prȩcidi imperabo, & cùm [135] parricidam insuam [136] culleo, & cùm mittam in supplicium [137] militare, & cùm [138] Tarpeio proditorem hostémve publicum imponam, sine irâ, eo vultu animoque ero, quo serpentes & animalia venenata percutio. Iracundiâ opus est ad puniendum. Quid tibi videtur lex irasci his quos non nouit, quos non vidit, quos non futuros sperat? Illius itaque sumendus est animus, quæ non irascitur, sed constituit. Nam si bono viro ob mala facinora irasci conuenit, & ob secundas res malorum hominum inuidere conueniet. Quid enim est indignius, quàm florere quosdam, & eos indulgentiâ fortunæ abuti, quibus nulla potest satis mala inueniri fortuna? Sed tam commoda illorum sine inuidiâ videbit, quàm scelera sine irâ. Bonus iudex damnat improbanda, non odit. Quid ergo? non cùm eiusmodi aliquid sapiens habebit in manibus, tangetur animus eius, eritque solito commotior? Fateor. sentiet leuem quendam, tenuemque motum. nam, vt dixit Zeno, in sapientis quoque animo, etiam cùm [139] vulnus sanatum est, [140] cicatrix manet. sentiet itaque suspiciones quasdam, & vmbras affectuum: ipsis quidem carebit. Aristoteles ait, affectus quosdam, si quis illis benè vtatur, pro armis esse. Quod verum foret, si velut bellica instrumenta sumi deponique possent, induentis arbitrio. Hæc arma quæ Aristoteles virtuti dat, ipsa per se pugnant, non exspectant manum. habent, & non habentur. Nil alijs instrumentis opus est: satis nos instruxit ratione natura. Hæc dedit telum, firmum, perpetuum, obsequens, nec anceps, nec quod in dominum remitti posset. Non ad prouidendum tantùm, sed ad res gerendas satis est per se ipsa ratio. Etenim quid est stultius, quàm hanc ab iracundiâ petere præsidium: rem stabilem ab ineertâ, fidelem ab infidâ, sanam ab ægrâ? Quid, quòd ad actio-

cùm refutans Stoicos, fatetur tamen iudicem posse, sub cuius oculis facinus non admittitur, immotum sententiam dicere: *non idem in alijs, præsertim à quorũ domesticis aut subditis peccatur. Vide c.* XVIII.

131. VVLTV LEGIS.] *Reijciunt alij, &* vultu leni *substituunt. At cùm meus & scripti teneant: non moueo. atque adeò Seneca firmare mihi videtur, in verbis mox sequentibus:* Quid enim? videtur lex irasci his quos non nouit? illius itaque sumendus est animus. *Sicut hîc* animum legis *sumi vult, ita illîc* vultum. *Et quid hoc est? de lege & iustitiâ quasi re animatâ, & vt graui seueráque virgine, loquuntur aut scribunt: maneat hæc imago, & facilis interpretatio.*

132. SOLLENNIA VERBA.] *Quibus sententia concipitur, & quæ de tabellâ pronunciat.* Legitima verba *appellantur Controu.* II. *libri* IX. *Possunt etiam referri ad hæc sequentia,* Lege age.

133. SEVERA.] *Nulli scripti habent, sed* leni: *cur mutemus, non video. nam vult mixtum aliquid in voce esse, neque minax & asperum, sed leniter seuerum.*

134. AGI IVBEBO.] *Plena verba,* Lege age lictor: *Liuius, Seneca, alij. Sed & compendio,* Age lictor. *quæ post sententiam recitatam pronunciabantur: & tristibus abstinentes, non dicebant,* Cæde, Occide, Affige: *sed* Lege age, *siue, vt in Valerio,* Iure age. *quod est, secundùm legis scita, hunc tolle, hunc verbera, suspende.*

135. PARRICIDAM.] *Meus addit,* parricidam per iudices insuam. *non probo.*

136. CVLLEO.] *Sacco coriaceo. Vide de Clem.* I. *cap.* XXIII.

137. MILITARE.] *Quod illud? Fustuarium? an &* Gladium *intellegit? Nam quamquam præcesserit de* ceruice præcidendâ, *tamen hoc ad Securim potiùs referatur: & pœna gladij, militaris omnino erat. Docui ad* XV. *Annal. Taciti. Attamen ego, ex filo sermonis hîc legi mallem,* militarem. *Siue noxium, parricidam, militaris loci hominem, siue proditorem occidi iubebo: in varijs supplicijs, idem ero, seuerus sine irâ, lenis sine remissione.*

138. TARPEIO.] *Quod veteri magis republicâ, quàm Principum imperio receptum: tamen neque tunc omnino desitum, Tacitus docet in P. Pituanio Mathematico, & Sexto Mario incesti damnato: quorum vterque saxo deiectus. Porrò ad hæc Senecæ, Claudiani locus aptus, in Panegyrico Malliano:*

Seruat inoffensam diuina modestia vocem,
Temperiem seruant oculi, nec lumina feruor
Asperat, aut rabidas diffundit sanguine venas,
Nullaque mutati tempestas proditur oris.
Quinetiam fontes expulsâ corrigis irâ,
Et placidus delicta domas. nec dentibus vnquã
Instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.
Qui fruitur pœnâ, ferus est, legumque videtur
Vindictam præstare sibi; cùm viscera felle
Canduerint, ardet stimulis, feruráque nocendi
Prodigus, ignarus caussæ. Dis proximus ille est,
Quem ratio, non ira mouet: qui facta rependẽs,
Consilio punire potest.

Vbi nota, legum vindictam *dici: aspectu ad vocem,* Age lege. *Qui autem, inquit,* fruitur, *id est delectatur pœnâ (nam Frui est, cum gaudio vti) is vindictam sibi præstare, & suâ caussâ, non legum punire videtur.*

139. VVLNVS SANATVM.] *Ipse affectus domitus, & pars ea consanuit.*

140. CICATRIX.] *Primi affectuum motus, & irritamenta. Videsis Manuduct.* III. *Disser.* VII.

actiones quoque, in quibus solis opera iracundiæ videtur necessaria, multo per se ratio A
fortior est? Nam cùm iudicauit aliquid faciendum, in eo perseuerat. nihil enim melius
inuentura est seipsâ, quo mutetur: ideò stat semel constitutis. Iram sæpè misericordia
[141] retrò egit. habet enim non solidum robur, sed vanum tumorem: violentisque prin-
cipijs vtitur. non aliter quàm qui à terrâ venti surgunt, & fluminibus paludibusque
[142] concepti, [143] sine pertinaciâ vehementes sunt. Incipit magno impetu, deinde deficit
ante tempus fatigata: & quæ nihil aliud quàm crudelitatem ac noua genera pœnarum
versauerat, cùm animaduertendum est, iam [144] infracta, lenisque est. Affectus citò cadit:
æqualis est ratio. Ceterùm etiam vbi perseuerauerit ira, nonnunquam si plures sunt, qui
perire meruerunt, post duorum triúmve sanguinem, occidere desinit. Primi eius ictus
acres sunt, sicut serpentium venena à cubili repentium nocent: innoxij [145] dentes sunt,
cùm illos frequens morsus exhausit. Ergo non paria patiuntur, qui paria commiserant:
& sæpè qui minus commisit, plus patitur: quia recentiori iræ obiectus est, &, in totum
inæqualis est. modò vltrà quàm oportet, excurrit, modò [146] citeriùs debito resistit. Sibi B
enim indulget, ex libidine iudicat, & audire non vult, & patrocinio non relinquit locum,
& ea tenet quæ inuasit, & eripi sibi iudicium suum, etiam si prauum est, non sinit. Ra-
tio vtrique parti locum dat, & tempus dat. Deinde [147] aduocationem etiam sibi petit, vt
excutiendæ spatium veritati habeat: ira festinat. Ratio id iudicari vult, quod æquum
est: ira id æquum videri vult, quod iudicauit. Ratio nihil præter ipsum, de quo agitur,
spectat: ira vanis & extra caussam obuersantibus commouetur. Vultus illam [148] secu-
rior, vox clarior, sermo liberior, cultus delicatior, [149] aduocatio [150] ambitiosior, [151] fauor
popularis exasperat. Sæpè infesta patrono, reum damnat: etiam si ingeritur oculis veri-
tas, amat & tuetur errorem: coargui non vult: & in malè cœptis, honestior illi pertinacia
videtur, quàm pœnitentia. [152] Cn. Piso fuit memoriâ nostrâ, vir à multis vitijs integer,
sed [153] prauus, & cui placebat pro constantiâ rigor. Is cùm iratus [154] duci iussisset eum,
qui [155] ex commeatu sine commilitone redierat, quasi interfeciisset, quem non [156] exhi-
bebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum, non dedit. damnatus [157] extra val- C
lum ductus est, & iam [158] ceruicem porrigebat, cùm subitò apparuit ille commilito, qui
occisus

141. RETRO EGIT.] *Mutare propositum & quasi cursum fecit.*

142. CONCEPTI.] *Ita legendum ex libris, & ipsâ re: non* excepti. *Duo genera ventorum Aristoteles, siue Auctor libelli* De mundo, *facit: quæ reddam, Apuleio vertente:* Ventorum binæ sunt species. Qui facti è telluris halitu constant, Terrigenæ nuncupantur: at illi qui excutiuntur è sinibus, Encolpiæ Græcè nominati. Consimiles his haberi oportet eos, qui de fluminibus, lacubus, & stagnis. *De ijsdem fusè noster* v. *Quæst. Natur. c.* VIII. & XIV. *Ergo concipiuntur gignunturque ex aquis.*

143. SINE PERTINACIA.] *Impetum habent, sed breuem nec duraturum. Seneca dicto cap.* VIII. *notat, hos Aquaticos ventos, nocte concipi, circa lucem erumpere; sed vix vltra matutinum flare. Nam, inquit*, omnis illorum vis conspectu solis exstinguitur: etiam si vehementiores flauêre, circa medium tamen diem relanguescent, nec vnquam vsque in meridiem aura producitur.

144. INFRACTA.] *Ita feci, cùm scripti & anteà editi haberent*, ira fracta.

145. DENTES.] *Aspidi & serpentibus (ait Plinius)* duo dentes in superâ parte, dextrâ læuaque, longissimi, tenui fistulâ perforati, vt scorpionum aculei, venenum infundentes. Non aliud hoc esse, quàm fel serpentium, & inde venis sub spinâ ad os peruenire, diligentissimi auctores scribunt.

146. CITERIVS.] *Interius, citra metam.*

147. ADVOCATIONEM.] *Phrasis crebra in Senecâ*, Dare, *aut* petere aduocationem: *significat moram, & tempus deliberandi. Dico Consol. ad Marc. cap.* X.

148. SECVRIOR.] *In reo. quem & sequentes notæ spectant.*

149. ADVOCATIO.] *Aduocati, qui amico præsentiam operamque commodant.*

150. AMBITIOSIOR.] *Splendidior, frequentior.*

151. FAVOR POP.] *In reum.*

152. CN. PISO.] *Credo ipsum esse, qui Syriæ præfuit sub Tiberio, & caussa mortis putatur Germanico fuisse. Nota, quâ hîc Seneca insigniuit*, prauum D
& rigidum *fuisse; conuenit cum ijs, quæ Tac.* II. *An.* Cn. Pisonem, ingenio violentum, & obsequij ignarum, insitâ ferociâ à patre Pisone.

153. PRAVVS.] *Proprie, non rectus, distortus.*

154. DVCI.] *Ad supplicium. ita enim ἁπλῶς loquuntur.*

155. EX COMMEATV.] *Commeatus, est facultas tempusque præscriptum commeandi & remeandi. Plerumque in militiâ vsurpatur, vt hîc. Vide Epist.* LIV. *initio.*

156. EXHIBEBAT.] *Iurisconsultus:* Exhibet, qui præstat eius rei, quâ de agitur, præsentiam.

157. EXTRA VALLVM.] *Sicut in vrbibus, extra portas damnati ducebantur.*

158. CERVICEM.] *Vides militare supplicium, de quo paulloantè.*

159. CEN-

A occisus videbatur. Tunc [159] centurio supplicio [160] præpositus, condere gladium [161] speculatorem iubet: damnatum ad Pisonem reducit, redditurus Pisoni [162] innocentiam: nam [163] militem fortuna reddiderat. Ingenti concursu deducuntur, complexi alter alterum, cum magno gaudio castrorum, commilitones. Conscendit tribunal furens Piso, ac iubet duci vtrumque, & eum militem qui non [164] occiderat, & eum qui non [165] perierat. Quid hoc indignius? quia vnus innocens apparuerat, duo peribant: Piso adiecit & tertium. Nam ipsum [166] centurionem, qui damnatum reduxerat, duci iussit. Constituti sunt in eodem illo loco perituri tres, ob vnius innocentiam. O quàm solers est iracundia, ad fingendas caussas furoris! *Te*, inquit, *duci iubeo, quia damnatus es: te, quia caussa damnationis commilitoni fuisti: te, quia iussus occidere, Imperatori non paruisti.* Excogitauit quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum inuenerat. Habet, inquam, iracundia hoc mali, non vult regi. Irascitur veritati ipsi, si contra voluntatem suam apparuerit: clamore, & tumultu, & totius corporis iactatione, quos destinauit, insequitur,
B adiectis conuicijs maledictisque. Hoc non facit ratio: sed si ita opus est, silens quietaque, totas domos funditus tollit, & familias Reipublicæ pestilentes cum coniugibus ac liberis perdit, [167] tecta ipsa diruit, & solo exæquat, & inimica libertati [168] nomina exstirpat. Hæc non frendens, nec caput quassans, nec quicquam indecorum iudici faciens, cuius tum maximè placidus esse debet & in statu vultus, cùm magna pronunciat. Quid opus est, inquit Hieronymus, cùm velis cædere aliquem, priùs tua labia mordere? Quid si ille vidisset, desilientem de tribunali proconsulem, & fasces lictori auferentem, & sua vestimenta [169] scindentem, quia tardiùs [170] scindebantur aliena? Quid opus est mensam euertere? quid pocula [171] affligere? quid se [172] in columnas impingere? quid capillos euellere? [173] femur pectusque percutere? Quantam iram putas, quæ quia non tam citò in alium quàm vult, erumpit, in se reuertitur? Tenetur itaque à proximis, & rogatur, vt ipse sibi placetur: quorum nihil facit, quisquis vacuus irâ, meritam cuique pœnam iniungit. Dimittit sæpè eum, cuius peccatum deprehendit, si pœnitentia facti spem bonam pollice-
C tur; si intelligit non ex alto venire nequitiam, sed [174] summo, quod aiunt, animo inhærere. Dabit impunitatem, nec accipientibus nocituram, nec dantibus. Nonnunquam magna scelera leuiùs, quàm minora compescet: si illa lapsu, non crudelitate commissa sunt; his inest latens, & operta, & inueterata calliditas. Idem delictum in duobus non eodem modo [175] afficiet, si alter per negligentiam admisit, alter curauit vt nocens esset.

Hoc

159. CENTVRIO.] *Isti supplicijs præerant: etsi Romæ, & in Prætorijs cohortibus, sæpè Tribuni.*

160. PRÆPOSITVS.] *Supplicij exactor Tacito.*

161. SPECVLATOREM.] *Genus militum, quod iterùm nominat De Benefic. III. cap. XXV. Milites autem rem pœnalem ferè administrabant: ac vide si vis, de Speculatoribus quæ scripsi ad 1. Histor.*

162. INNOCENTIAM.] *Quam amiserat, innocentem damnando.*

D 163. MILITEM.] *Ita meus, commodo sensu. At Pinciani & Gruteri codices plerique,* militi: *quod pænè est, vt præferam. Militi, damnato nempe, qui videbatur nocens, nec erat.*

164. OCCIDERAT.] *Non occisus erat à speculatore.*

165. PERIERAT.] *Vt putabatur, in commeatu.*

166. CENTVRIONEM.] *Mirum & prauum exemplum. tamen notetur seriò, etiam tunc Disciplinam illam sic rigidam castrorum fuisse, & ob minima delicta, mortem in pœnâ.*

167. TECTA.] *Vt in Sp. Melio, alijsq; factum.*

168. NOMINA. *Vt in Manlij Capitolini prænomine, quod posteri vetiti ferre.*

169. SCINDENTEM.] *Vi adhibitâ frangentem, quod solet in dolore, aut irâ.*

170. SCINDEBANTVR.] *Nempe damnatorum. Iis quippe lictor vestimenta contemptim & rapidè auferebat, lacerabat, & sic verberabat. Liuius* VIII. Fabius fidem militum implorans, lacerantibus vestem lictoribus, ad triarios se recepit. *Valerius de eâdem re:* Rutilianum scissâ veste, spoliatoq; corpore. *Tacitus:* Protractum è tentorio, scissâ veste, verberant.

171. AFFLIGERE.] *In terram iacere, ac frangere.*

172. IN COLVMNAS.] *Hoc quoque iratorum, & indecorè se gerentium. vt Capitolinus de Maximino:* Iaciebat se in parietes, nonnunquam terræ se prosternebat. *Item:* Incurrere in parietes, vestem scindere videbatur. *Suetonius de Augusto, in clade Varianâ:* Adeò namque consternatum ferunt, vt caput interdum foribus illideret.

173. FEMVR.] *Item in indignatione. Cicero in Bruto:* Non frons percussa, non femur. *Fabius inter gestus oratorios recenset.*

174. SVMMO ANIMO.] *In extremâ quasi cuticute. non insedit, aut penetrauit.*

175. AFFICIET.] *Ipsum afficiet aut mouebit.*

Hoc ſemper [176] in omni animaduerſione ſeruabit, vt ſciat alteram adhiberi, vt emendet malos: alteram, vt tollat. In vtroque non præterita, ſed futura intuebitur. Nam, [177] vt Plato ait, NEMO prudens punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur. Reuocari enim præterita non poſſunt: futura prohibentur. & quos volet nequitiæ malè cedentis exempla fieri, palàm occidet: [178] non tantùm vt pereant ipſi, ſed vt alios pereundo deterreant. Hæc cui expendenda, æſtimandaque ſunt; vides quàm debeat omni perturbatione liber accedere ad rem ſummâ diligentiâ tractandam, poteſtatem vitæ neciſque. Malè irato ferrum committitur. Ne illud quidem iudicandum eſt, aliquid iram ad magnitudinem animi conferre. Non eſt enim illa magnitudo, tumor eſt: nec corporibus copiâ vitioſi humoris intenſis, morbus incrementum eſt, ſed peſtilens abundantia. Omnes quos væcors animus ſupra cogitationes extollit humanas, altum quidem & ſublime ſpirare ſe credunt: ceterùm nihil ſolidi ſubeſt, ſed in ruinam prona ſunt, quæ ſine fundamentis creuêre. Non habet ira cui inſiſtat. non ex firmo manſuroque oritur, ſed ventoſa & inanis eſt: tantumque abeſt à magnitudine animi, quantum à fortitudine audacia, à fiduciâ inſolentia, ab auſteritate [179] triſtitia, à ſeueritate crudelitas. Multum, inquam, intereſt inter ſublimem animum, & ſuperbum. Iracundia nihil amplum decorumque molitur. Contrà, mihi videtur [180] veternoſi & infelicis animi, imbecillitatis ſibi conſcij, ſæpè indoleſcere. Vt exulcerata & ægra corpora ad ictus leuiſſimos gemunt; ita muliebre maximè & puerile vitium eſt. At incidit & in viros. nam viris quoque puerilia ac muliebria ingenia ſunt. Quid ergo? non aliquæ voces ab iratis emittuntur, quæ magno emiſſæ videantur animo, veram ignorantibus magnitudinem? qualis illa dira & abominanda: *Oderint, dum metuant.* [181] Sullano ſcias ſæculo ſcriptam. Neſcio vtrum ſibi peius optauerit, vt odio eſſet, an vt timori. *Oderint.* Occurrit illi futurum, vt execrentur, inſidientur, opprimant. Quid adijcit? Dij illi malefaciant, adeò reperit dignum odio remedium. *Oderint.* Quid? dum pareant? non. dum probent? non. Quid ergo? *dum timeant.* Sic [182] nec amari quidem vellem. Magno hoc dictum ſpiritu putas? falleris. nec enim magnitudo iſta eſt, ſed immanitas. Non eſt quòd credas iraſcentium verbis: quorum ſtrepitus magni, minaces ſunt, intus mens pauidiſſima. Non eſt quòd exiſtimes verum eſſe, quod apud diſertiſſimum virum Liuium dicitur, *Vir ingenij magni* [183] *magis quàm boni.* Non poteſt illud ſeparari: aut magnum & bonum erit, aut

Quidam tamen libri, malo afficiet: *quod eſſet, pœnâ & damno, Comicorum ſermone.*

176. IN OMNI.] *E Platone hæc ſumpta*, IX. *De Legib.* Οὐ γὰρ ἐπὶ κακῷ δίκη γίγνεται ἀδεμία, γιγνομένη κατὰ νόμον. δυοῖν δ' ἕτερον ἀπεργάζεται χεδὸν· ἢ γὰρ βελτίονα, ἢ μοχθηρότερον ἧττον ἐξειργάσατο τὸν τὴν δίκην παραχόντα: Non enim mali inferendi cauſsâ ſupplicium vllum eſt, quod leges quidem inſtituerunt, ſed è duobus alterum efficit, vel meliorem, vel minus prauum eum, qui pœnas dedit. *Addit & de morte deinde, in deſperatis & inſanabilibus*: δίκη δὲ τούτοις θάνατος, ἐλάχιστον τῶν κακῶν: Pœna talibus mors eſto, minimũ malorum.

177. VT PLATO AIT.] *Ipſa hæc verba & ſententiam Lactantius vſurpat*, De irâ Dei, *cap.* XVIII. *Adſpicit autem certò ad Platonis hunc locum, è libro* XI. *De Legib.* Δίκην δὲ ἕκαστος ἑκάστῳ τῷ κακουργήματι σωφρονιστὺς ἕνεκα ξυνεπομένην προσετίσατω. *& paullo pòſt*: Οὐχ ἕνεκα τοῦ κακουργῆσαι δὶς δὲ τὴν δίκην (ἀγαθὸν γὰρ τὸ γεγονὸς ἀγένητον ἔσαι ποτέ) τοῦ δὲ εἰς τὸν αὖθις ἕνεκα χρόνον ἢ τὸ παράπαν μισῆσαι τὴν ἀδικίαν αὐτόν τε καὶ τοὺς ἰδόντας αὐτὸν δικαιούμενον, ἢ λωφῆσαι μέρη πολλὰ τῆς τοιαύτης ξυμφορᾶς. Pœnam cuiq; maleficio, quiſque luat, & ſciat emendationis gratiâ adhærere. *Et mox*: Non enim perpetrati mali cauſſa pœnas dat (quippe factum infectum neutiquam reddetur:) ſed vt in futurum tempus & illeipſe qui deliquit, & ij qui pœnas dantem ſpectarunt, in totum iniuſtitiam oderint; aut certè leuentur minuanturque mali huius partes. *Hæc Senecam in mente habere, verba conſequentia docent*, Reuocari enim præterita non poſſunt: *quæ ipſa hîc in Platone.*

178. NON TANTVM.] *Fortaſſe*, Non tam.

179. TRISTITIA.] *Sic appellat tetricum illud & aſperum in vultu geſtuq;. Vide Nonium.*

180. VETERNOSI.] *Aliàs*, ventoſi: *ſed illud fideliores libri habent. Veternoſi igitur, vieti, vetuſtate aut veterno ægri. De ipsâ re, vide lib.* II. *cap.* XIX.

181. SVLLANO SÆC.] *A quo autem ſcriptam? Cicero aliquoties ipſa verba citat, auctorem non laudat. Vidi qui Ennio tribueret: ſed ſanè vetuſtior ille ſæculo Sullano. Puto Attij eſſe, qui ſub hoc ævum vixit, &* Atreum *Tragœdiam dedit. Ab eo autem hæc pronunciata, Cicero oſtendit* I. *De Offic.* Vt ſi Æacus aut Minos dicerent, Oderint dum metuant, indecorum videretur, quòd eos fuiſſe iuſtos accepimus: at Atreo dicente, plauſus excitantur.

182. NEC AMARI.] *Cum metu comite.*

183. MAGIS.] *Ea vocula ſcripto meo abeſt. & certum, veteres ſæpè omiſiſſe, & intellectam voluiſſe. In noſtro Senecâ vel viginti exempla.*

184. OB-

A aut nec magnum. quia magnitudinem animo inconcussam intelligo, & introrsus solidam, ab imo parem firmamque: qualis inesse malis ingenijs non potest. Terribilia enim esse, & tumultuosa, & exitiosa possunt: magnitudinem quidem, cuius firmamentum roburque bonitas est, non habebunt. ceterùm sermone, conatu, & omni extrà paratu facient magnitudinis fidem. Eloquentur aliquid, quod tu magni putes: sicut C. Cæsar. qui iratus cælo quòd [184] obstreperet pantomimis, quos imitabatur studiosiùs quàm spectabat, quodq; [185] comessatio sua fulminibus terreretur, prorsus [186] parùm certis: [187] ad pugnam vocauit Iouem, & quidem sine [188] missione, Homericum illum exclamans versum:

ἢ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγώ σε.

Quanta dementia fuit? putauit, aut sibi noceri ne à Ioue quidem posse, aut se nocere etiam Ioui posse. Non puto parum momenti hanc eius vocem ad incitandum coniuratorum animos addidisse. vltimę enim patientię visum est, eum ferre, qui Iouem non fer-
B ret. Nihil ergo in irâ, ne cùm videtur quidem vehemens, deos hominesque despiciens, magnum, nihil nobile est: aut si videtur alicui magnum animum ira producere, videatur & luxuria. Ebore [189] sustineri vult, purpurâ vestiri, [190] auro tegi, terras [191] transferre, maria [192] concludere, flumina [193] præcipitare, nemora [194] suspendere. Videatur & auaritia magni animi. aceruis auri argentique incubat, & [195] prouinciarum nominibus agros colit, & [196] sub singulis villicis latiores habet fines, quàm quos consules sortiebātur. Videatur & libido magni animi. transnatat freta, puerorum greges castrat, [197] sub gladium mariti venit vxor, morte contemptâ. Videatur & ambitio magni animi. non est contenta honoribus annuis: si fieri potest, [198] vno nomine occupare fastos vult, per omnem orbem [199] titulos disponere. Omnia ista non refert, in quantum procedant, extendantque se: angusta sunt, misera, depressa. Sola sublimis & excelsa virtus est: nec quicquam magnum est, nisi quod simul & placidum.

C 184. Obstreperet.] *Tonaret.*

185. Comessatio.] *Haud muto. suggero tamen, nec malè* Commissio *lectum iri. Nam de spectaculis & Pantomimis agitur: ac sæpè ista vox in alteram mutauit.*

186. Parvm certis.] *Quia ipsum illud scelestum caput non tangerent.*

187. Ad pvgnam.] *Dio Cassius scribit*, eum machinam excogitasse, quâ tonitribus obstreperet, ac contra fulmina fulminaret: ac quoties ea decidissent, lapidem vicissim eiaculabatur, & in cælum emittebat, cum voce, *quæ hîc sequitur.*

188. Missione.] *Ita alij: & Muretus ad gladiatores refert, quasi vellet* pugnam hanc non habere missionem: *id est, vt alter eorum caderet. Acutè. & omnino firmat ipse Homericus versus,* Tolle me, aut
D ego te: *quamquam aliâ paullo sententiâ pronunciatur ab Aiace ad Vlyssem, Iliad. Υ. versu 724. Vide. Meus tamen codex*, sine omissione: *rectè, si refers ad vocem ipsam dictumq; assiduè iteratum.*

189. Svstineri.] *In lectis, sellis, vehiculis, an & in pauimento tali?*

190. Avro tegi.] *In lacunaribus, atque etiam tectis.*

191. Transferre.] *E montibus plana, è planis montes facere. Item, vbi terræ fuerant, aucctis ijs translatisq;, maria inducere.*

192. Concludere.] *Ad piscinas.*

193. Præcipitare.] *Alibi sistere, & ex alto dein demittere, vt strepitum murmurq; gratum redderent.*

194. Svspendere.] *In ædium tectis: vbi iam viridaria disponebant. Vide Epist.* CXXII.

195. Provinciarvm.] *Id est, agros tam latos finesq; habet, vt prædia eius, prouinciæ sint. Vel ita variè sparsos, vt prouinciatim possideat; & nominibus ita Prouinciarum, Villas suas distinguat. Nam sequitur de* latis finibus, sub singulis Villicis. *Vide* Admiranda *nostra lib.* II. *cap.* XV.

196. Svb singvlis vill.] *Quò faciunt bellè ista ex Controuersiâ* V. *lib.* V. Arata quondam populis rura, singulorum ergastulorum sunt; latiúsque nunc villici, quàm olim Reges imperant. *Adde sis* Admiranda *nostra*, II. *cap.* XV.

197. Svb glad.] *Ita insanit libidine vxor, vt mariti gladium contemnat, & excipiat deprehensa.*

198. Vno nomine.] *Vt singulis annis Consulatus aut magistratus gerat, nec locum alijs relinquat. Plinius, de Domitiano*: Qui continuis Consulatibus fecerat longum quemdam & sine discrimine annum.

199. Titvlos.] *Statuas, inscriptionesq;.*

L. ANNÆI SENECÆ

DE IRA AD NOVATVM

LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

DVAS partes habet. prior, Quæstiunculas de Irâ; altera, aduersus hanc Remedia. Prior quæstio, An ira à solo impetu sit? negat, & animum iudicium-
que mox accedere. Itaque rationem audit, & coërceri potest: non futurum, si ab illo solo, & naturâ, esset. Descriminat obiter Stoicè Motus, & Affectus. B
Hæc vsque ad Cap. IIII. inclusum. Quæstio deinde altera, An crudelitas & sæuitia sit ab Irâ? negat, & alium Affectum esse: initium tamen aut alimentum à crebrâ Irâ sæpè habere. Cap. deinde VI. An vir bonus peccatis aut peccantibus irascatur? abnuit, & toto affectu isto liberat sapientem, vsque ad Cap. XI. Ab eo quærit, An vtilis sit Ira, quia à Contemptu vindicat, & malos terret? Non admittit, & timeri fatetur: quod non est bonum aut optabile bono. Nam & feræ, & morbi timentur. Hæc ad Cap. XIII. In eo fatetur, simulari à sapiente Iram posse, non tamen vsurpari. Neque simplicis aut generosi eam animi esse, quia liberæ & indomitæ gentes habent: imò ferocis, & à doctrinâ aut ratione inculti. Denique Cap. XVIII. vtiliter ad Remedia Iræ transit. Duo ea porrigit, Ne irascamur: & Ne in irâ peccemus. Ne incidamus, Educatio talis & talis iuuat: deinde pugna contra primas Iræ caussas, & aduocatione semper ac tempore vti. Tum Suspiciones pellendæ; Luxus vitandus. Tum rebus sine sensu, hominibus exiguo sensu, ijs quæ naturâ, vel bono nostro fiunt, non irasci. Culpas nostras videre & agnoscere, æquiores ita alienis futuros. Non temerè credere; & credi- C
ta, examinare ab animo facientis. Præcipuè Fastus ponendus, & æstimatio sui: quæ iracundos & vindices facit. Pati potiùs, aut dissimulare: & à fœdo affectu abstinere, cuius deformitas in animo ac vultu expressa. Hæc vtilia: legantur, imbibantur.

CAPVT PRIMVM.

PRIMVS liber, Nouate, [1] benigniorem habuit materiam. facilis enim in procliua vitiorum decursus est. nunc ad exiliora veniendum est. Quærimus enim, vtrùm ira iudicio, an impetu incipiat: id est, vtrùm suâ sponte moueatur, an quemadmodum pleraque, quæ intra nos insciis nobis oriuntur. Debet autem in hæc se demittere disputatio, vt ad illa quoque altiora possit exsurgere. Nam & in corpore nostro ossa, neruique & articuli, firmamenta totius, & D
vitalia, minimè specioſa visu, priùs ordinantur: deinde hæc, ex quibus omnis in faciem aspectumque decor est: post hæc omnia, qui maximè oculos rapit color, vltimus perfecto iam corpore affunditur. Iram quin [2] species oblata iniuriæ moueat, non est dubium: sed vtrùm speciem ipsam statim sequatur, & non accedente animo excurrat, an illo assentiente moueatur, quærimus. Nobis placet, nil ipsam per se audere, sed animo approbante. Nam speciem capere acceptæ iniuriæ, & vltionem eius concupiscere, & vtrumque coniungere, nec lædi se debuisse, & vindicari debere, non est eius impetus, qui sine voluntate nostrâ concitetur. [3] Ille simplex est: hic compositus, & plura continens. Intellexit aliquid, indignatus est, damnauit, vlciscitur. hæc non possunt fieri, nisi animus
CAP. eius qui tangebatur, assensus est. Quorsus, inquis, hæc quæstio pertinet? vt scia-
II. mus, [4] quid sit ira. Nam si inuitis nobis nascitur, nunquam rationi succumbet. Omnes enim motus, qui non voluntate nostrâ fiunt, inuicti & ineuitabiles sunt: vt horror frigidâ

A frigidâ aſperſis, ad quoſdam [5] ictus aſpernatio, ad peiores nuntios ſubriguntur pili, & rubor ad [6] improba verba ſuffunditur, ſequiturque [7] vertigo prærupta cernentes. Quorum quia nihil in noſtrâ poteſtate eſt, nulla, quò minùs fiant, ratio perſuadet: ira præceptis fugatur. Eſt enim voluntarium animi vitium, non ex his quæ conditione quadam humanæ ſortis eueniunt; ideoque etiam ſapientiſſimis accidunt. Inter quæ & [8] primus ille ictus animi ponendus eſt, qui nos poſt opinionem iniuriæ mouet. Hic ſubit etiam inter ludicra ſcænæ ſpectacula, & lectiones rerum vetuſtarum. ſæpè Clodio Ciceronem expellenti, & Antonio occidenti, videmur iraſci. Quis non contra Marij arma, & contra Sullæ proſcriptionem concitatur? Quis non Theodoto & Achillæ, & ipſi [9] puero, [10] non puerile auſo facinus, infeſtus eſt? Cantus nos nonnunquam & concitata modulatio inſtigat: [11] Martius quoque ille tubarum ſonus mouet mentes, & atrox pictura, & iuſtiſſimorum ſuppliciorum triſtis aſpectus. Inde eſt, quòd arridemus arridentibus, & contriſtat nos turba mærentium, & efferueſcimus [12] ad aliena certamina: quæ
B non ſunt iræ, non magis quàm triſtitia eſt, quæ ad conſpectum [13] inimici naufragi contrahit frontem: non magis quàm timor, qui Hannibale [14] poſt Cannas mœnia circumſidente, lectoris percutit animum: ſed omnia iſta motus ſunt animorum moueri volentium, nec affectus, ſed principia præludentia affectibus. Sic enim militaris viri, in mediâ pace iam [15] togati, aures tuba ſuſcitat, equoſque caſtrenſes erigit crepitus armorum. Alexandrum aiunt, [16] Xenophanto canente, manum ad arma miſiſſe. Nihil ex his quæ animum fortuitu impellunt, affectus vocari debet. iſta, vt ita dicam, patitur magis animus, quàm facit. Ergo affectus eſt, non ad oblatas rerum ſpecies moueri, ſed permittere ſe illis: & hunc [17] fortuitum motum perſequi. Nam ſi quis pallorem, & lacrimas procidentes, & irritationem humoris obſcœni, altúmve ſuſpirium, & oculos ſubitò acriores, aut quid his ſimile indicium affectus, animique ſignum putat; fallitur, nec intelligit hos corporis eſſe pulſus. Itaque & fortiſſimus plerumque vir, dum armatur, III.
expal-

C

COMMENTARIVS.

CAP. I. 1. BENIGNIOREM.] *Faciliorem, quæ melius & vberius ſe daret.*

2. SPECIES.] *Ariſtoteles* v. *Ethic.* Ἐπὶ φαινομένῃ γὰρ ἀδικίᾳ ἡ ὀργή ἐστιν: Ob apparentem enim iniuriam eſt Ira. *neque neceſſum eſt, veram eſſe.*

3. ILLE SIMPLEX.] *Primus ille impetus, & motus. Nam duos eos facit (diſtingue, aut Senecam parùm capies hoc & ſequenti Capite, imò dices ſibi aduerſari)* Simplicem, *id eſt cui nondum aſſenſus: & alterum* Compoſitum, *qui cum aſſenſu eſt, & de vltione & pœnâ (in re propoſitâ) cum animo agit.* Impetus *autem appellat, Stoicâ linguâ,* Perturbationes. *nam illi definiunt* τὸ πάθος, ὁρμὴν πλεονάζουσαν: Perturba-
D tionem, impetum immodicum & abundantam.

CAP. II. 4. QVID SIT.] *Muretus vellet,* Quid poſſit ira. *neque enim definitio eius hîc quæritur (priore libro factum) ſed de vi agitur, & quid iam in occupato animo poſſit. Aliter puto. & contextus me docet, quæri & præmitti hæc minuta, vt ſeriò intellegamus* Quid ſit ira? *id eſt, naturam eius omnem & formam norimus; initia, progreſſus; & quomodo ſedari tolliq; poſſit.*

5. ICTVS.] *An cùm minatur aliquis ferire, quòd caput & corpus ſubducimus? An verius legi,* tactus, *cum libris? & aſpernatio in ijs eſt, vt cùm latera aut alæ titillantur: ſiue magis, in vlcere aut vulnere, cui manum admoues.*

6. IMPROBA.] *Impudica, aut impudentia.*

7. VERTIGO.] *Seneca epiſt.* LVII. Quædam ſunt, quæ nulla virtus effugere poteſt. Itaque & vultum adducet ad triſtitiam, & inhorreſcet ad ſubita, & caligabit ſi vaſtam altitudinem, in crepidine eius conſtitutus, deſpexerit.

8. PRIMVS ILLE ICT.] *Siue primus ille motus. quem licet* Cogitationis motum *appellare; alterum* Aſſenſus. *Vide Manud.* III. *Diſſert.* VII.

9. PVERO.] *Ptolomæo regi Aegypti.*

10. NON PVERILE.] *Mortem magni Pompeij, duobus illis conſultoribus.*

11. MARTIVS ILLE.] *Claſicum.*

12. AD ALIENA.] *Cùm currentes pugnantéſve alios, in Circo aut Amphitheatro videmus. Inde ſponſiones apud Romanos, cùm huic aut illi parti faucrent; rixæ, pugnæ.*

13. INIMICI NAVFR.] *Quem cùm iuuet perire, tamen ipſe rei turbidæ aſpectus turbat. At non vera ea triſtitia eſt. Neque tamen aſperner Gruteri acutam coniecturam,* mimici naufragij. *Nam & incendia, & ruinas, & naufragia ludebant in ſcænis.*

14. POST CANNAS.] *Non ſtatim. imò ſi feciſſet, Roma defeciſſet. Sed hoc euênit in obſidione Capuæ quinque pòſt annis. Itaque cautè lege.*

15. TOGATI.] *Non vltrà* ſagati: *& per veſtem notat iam emeritum & militiâ miſſum.*

16. XENOPHANTO CANENTE.] *Dorium & bellicum. Diogenes autem hic ſcitè,* Meliorem eum ſibi Muſicum fore, ſi cantus caneret, quibus Alexander ardens & furens reprimeretur.

CAP. III. 17. FORTVITVM.] *Ita loquitur & appellat, quod non conſilio & propoſito venit. Alioqui*

expalluit: & ſigno pugnæ dato, ferociſſimo militi paululum genua tremuerunt: & ma- A
gno imperatori, antequam inter ſe acies [18] arietarent, cor exiluit: & oratori eloquentiſ-
ſimo, dum ad dicendum componitur, [19] ſumma riguerunt. Ira non moueri tantùm,
ſed excurrere debet. eſt enim impetus. nunquam autem [20] impetus ſine aſſenſu mentis
eſt: neque enim fieri poteſt, vt de vltione & pœnâ agatur, animo neſciente. Putauit ſe
aliquis læſum, voluit vlciſci: diſſuadente aliquâ cauſsâ, ſtatim reſedit. hanc iram non
voco, ſed motum animi, rationi parentem. Illa eſt ira, quæ rationem tranſilit, quæ ſe-
cum rapit. Ergo illa prima agitatio animi, quam ſpecies iniuriæ incuſſit, non magis ira
eſt, quàm ipſa iniuriæ ſpecies: ſed ille ſequens impetus, qui ſpeciem iniuriæ non tan-
tùm accepit, ſed approbauit. Ira eſt concitatio animi, ad vltionem voluntate [21] & iudi-
cio pergentis. Nunquid dubium eſt, quin timor [22] fugam habeat, ira impetum? vide er-
IV. go, an putes aliquid ſine aſſenſu mentis aut peti poſſe, aut caueri. Et vt ſcias,
quemadmodum [23] incipiant affectus, aut creſcant, aut efferantur; eſt primus motus
non voluntarius quaſi præparatio affectus, & quædam comminatio. alter cum volun- B
tate non contumaci, tanquam oporteat me vindicari, cùm læſus ſim: aut oporteat hunc
pœnas dare, cùm ſcelus fecerit. tertius motus eſt iam impotens, qui non, ſi oportet, vlci-
ſci vult: ſed vtique, qui rationem euicit. Primum illum animi ictum effugere ratione
non poſſumus: ſicut ne illa quidem, quæ diximus accidere corporibus, ne nos [24] oſcita-
tio aliena ſollicitet, ne oculi ad intentionem ſubitam digitorum [25] comprimantur. Iſta
non poteſt ratio vincere: conſuetudo fortaſſe, & aſſidua obſeruatio extenuat. Alter ille
V. motus, qui iudicio naſcitur, iudicio tollitur. [26*] Illud etiamnum quærendum
* eſt. Hi qui vulgò ſæuiunt, & ſanguine humano gaudent, an iraſcantur, cùm eos occi-
dunt, à quibus nec acceperunt iniuriam, nec accepiſſe ſe exiſtimant: qualis fuit [27] Apol-
lodorus, aut Phalaris. Hæc non eſt ira: feritas eſt. non enim quia accepit iniuriam, no-
cet: ſed parata eſt dum noceat [28] velle accipere. nec illi verbera lacerationeſque in vl-
tionem

qui fortunæ nullum, ſed naturæ hîc opus. Fortuitum igitur, id eſt temerarium, inexſpectatum.

18. ARIETARENT.] *Verbum, quo vti amat. id eſt, concurrerent, cum impetu & incurſu coirent.*

19. SVMMA.] *Extremæ partes: manus, pedes, labia.*

20. IMPETVS SINE.] *Imò tuipſe impetum à conſilio diſtinxiſti, initio libri. Sed intellegit hîc* impetum compoſitum, *de quo dixi: & fruſtrà verba alij conſumunt. Habent & feræ impetus, ſed ſimplices, & quos ſemper (quantum in ipſis eſt) ſequuntur. Senecam attentè iamnunc lege & adiunge, nihil tenebroſum.*

21. ET IVDICIO.] *Hîc quoque eſt qui argutetur. quomodo iudicio Ira, inquit, ſi extra ſe eſt? ſi nihil ei cum ſanitate commune? Reſpondeo, Iudicio, ſed deprauato: iudicio, quod contra impetum initio libri Seneca oppoſuit, id eſt deliberatione & aſſenſu.*

22. FVGAM.] *Puto rectum, etſi ſcripti plerique* finem. *Sed ea mens, timorem vitare & fugere; iram contrà, petere & ſequi, nempe vltionem. E ſequenti lineâ clarum: vbi* Peti *ad* Iram; Caueri *ad* Timorem *aptat.*

CAP. IV. 23. INCIPIANT.] *Pulchra hæc, & vſui notanda, de triplici diſcrimine in Affectibus: qui gradatim naſcuntur, adoleſcunt, matureſcunt. Vide Manud.* III. *Diſſ.* VII.

24. OSCITATIO.] *Nam ſympathiâ occultâ, oſcitamus ad viſum oſcitantem.*

25. COMPRIMANTVR.] *Conniueant. quod tanti eſt, vt Plinius notet inter omnes gladiatores Caligulæ, non niſi duos fuiſſe, qui hoc euiciſſent, vt oculis inconniuis eſſent. Lib.* XI. *cap.* XXXVII.

CAP. V. 26.* ILLVD ETIAMNVM.] *Ruinam & hiatum hîc agnoſco. nam vbi de* tertio motu, *quod propoſuerat? Neque item quæſtio aut res cohæret aptè.* C

27. APOLLODORVS.] *Libro* VII. *de Benef. c.* XIX. *hos item duos coniungit, vt eximios in ſæuitie & cæde:* Quid, inquit, ſi non tantùm malus factus eſt, ſed ferus, ſed immanis, qualis Apollodorus aut Phalaris? *Et Phalaris quidem notus eſt; minùs alter, niſi quòd Plutarchus Suidaſq; inter tyrannos nominant, ſed nominant tantùm. Eſtne ille, quem* Caſſandréæ tyrannum *fuiſſe Pauſanias in Meſſenicis prodit? Eſtne item, cuius mortem tragicam, & condignam vitâ, Plutarchus* De tardâ Dei vindictâ *tangit & indicat? Verba:* Οἷον φασὶν Ἀπολλόδωρόν ποτε κατὰ τὰς ὕπνους ὁρᾶν ἑαυτὸν ὑπὸ Σκυθῶν, εἶτα καθεψόμενον. τὴν δὲ καρδίαν ἐκ τοῦ λέβητος ὑποφθεγγομένην καὶ λέγουσαν, Ἐγώ σοι τούτων αἰτία· καὶ πάλιν τὰς θυγατέρας διαπύρους καὶ φλεγομένας τοῖς σώμασι κύκλῳ περὶ αὐτὸν τρέχουσας : Sicut aiunt Apollodorum aliquando per ſomnium vidiſſe, ſeipſum excoriari à Scythis, deinde elixari. Cor autem è lebete vocem emittere ac dicere, Ego horum tibi cauſſa ſum. Item & filias flagrantibus corporibus in orbem circa ipſum currere. *Sanè animus mihi quoque loquitur, hunc noſtrum tyrannum eſſe. Sed quomodo* à Scythis *excoriatus? quid eis rei in Græciâ? aut ſi apud Scythas iſte, vnde ea res Græcis ſic innotuit? Puto ſcribendum,* ὑπὸ σκυτέων : à coriarijs, à cerdonibus. *& ij verò ſolent pelles detrahere. Ceterùm* Caſſandréa, *Macedoniæ an Thraciæ vrbs eſt: quæ antè* Potidæa. D

28. VELLE.] *Scribam*, vel accipere.

29. PER

A tionem petuntur, sed in voluptatem. Quid ergo? origo huius mali ab irâ est: quæ vbi frequenti exercitatione & satietate in obliuionem clementiæ venit, & omne fœdus humanum eiecit animo, nouissimè in crudelitatem transit. Rident itaque, gaudentque, & voluptate multâ perfruuntur, plurimumque ab iratorum vultu absunt, [29] per otium sæui. Hannibalem aiunt dixisse, cùm fossam sanguine humano plenam vidisset: *O formosum spectaculum*! Quanto pulchrius illi visum esset, si flumen aliquod lacumque complesset? Quid mirum, si hoc maximè spectaculo caperis innatus sanguini, & [30] ab infante cædibus admotus? sequetur te fortuna crudelitatis tuæ [31] per viginti annos secunda, dabitque oculis tuis gratum vbique spectaculum. videbis istud & circa Trasimenum, & circa Cannas, & nouissimè circa [32] Carthaginem tuam. [33] Volesus nuper sub diuo Augusto proconsul Asię, cùm CCC. vnâ die securi percussisset, incedens inter cadauera vultu superbo, quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset, Græcè proclamauit: [34] *O rem regiam*! Quid hic rex fecisset? non fuit hæc ira, sed maius malum, &
B insanabile. [35]* Virtus, inquit, vt honestis rebus propitia est, ita turpibus irata esse VI. debet. Quid si dicatur, virtutem & humilem & magnam esse debere? at qui hæc dicit, * [36] illam extolli vult, & deprimi. quoniam lætitia ob rectè factum, clara magnificaque est; ira ob alienum peccatum, sordida & angusti pectoris est: nec vnquam committet virtus, vt vitia, dum compescit, imitetur. ipsam iram castigandam habet, quæ nihilo melior est, sæpè etiam peior his delictis quibus irascitur. Gaudere lætarique, [37] proprium & naturale virtutis est: irasci non est ex dignitate eius, non magis quàm mærere. Atque iracundiæ tristitia comes est: & in hanc omnis ira vel post pœnitentiam, vel post [38] repulsam reuoluitur. Et si sapientis est, peccatis irasci, magis irascetur maioribus, & sæpè irascetur. sequitur, vt non tantùm iratus sit sapiens, sed iracundus. Atqui si nec magnam iram, nec frequentem, in animo sapientis locum habere credimus: quid est, quare non ex toto hoc affectu illum liberemus? modus inquam esse non potest, si pro facto cuiusque irascendum est. Nam aut iniquus erit, si æqualiter irascetur delictis inæqualibus:
C aut iracundissimus, si toties excanduerit, quoties iram scelera meruerint. Et quid indignius, quàm sapientis affectum ex alienâ pendere nequitiâ? desinet ille Socrates posse [39] eumdem vultum domum referre, quem domo extulerat. Atqui si irasci sapiens VII. debet turpiter factis, & concitari tristarique ob scelera, nihil est ærumnosius sapiente. omnis illi per iracundiam mœroremque vita transibit. Quod enim momentum erit, quo non improbanda videat? quoties processerit domo, per sceleratos illi, auaroque, & prodigos, & impudentes, & ob ista felices, incedendum erit: nusquam oculi eius flectentur, vt non quod indignentur, inueniant. Deficiet, si toties à se iram, quoties caussa posset, exegerit. Hæc [40] tot millia ad forum primâ luce properantia, quàm turpes lites, [41] quanto turpiores aduocatos [42] habent? [43] Alius iudicia patris accusat, quæ mereri satius

29. PER OTIVM.] *Quieti ipsi, & sine motu: imò & per delicias sæui.*

30. AB INFANTE.] *Quâ formâ item Latini,*
D A puero. *Porrò Annibal nouem annos natus patri, vt comes in Hispaniam esset, vltionem de Romanis ad aram iurauerat. Non ergo prorsus* infans.

31. PER VIGINTI.] *Partim in Hispaniâ, maximè in Italiâ, res gerentem. In istâ per annos* XVII.

32. CARTHAGINEM.] *Vbi tu victus.*

33. VOLESVS.] *Esse Volesum Messallam, de quo Tacitus* III. *Annal. & qui sub Augusto Proconsul Asiæ fuit, dixi ad Tacitum. è quo colligas, damnatum ab Augusto.*

34. O REM REGIAM!] ὦ πρᾶγμα βασιλικόν.

CAP. VI. 35.* VIRTVS INQVIT.] *Neque hæc cohærere, aut plena esse, quiuis post admonitionem dicet.*

36. ILLAM EXT.] *Scripti omnes*, qui illam. *An igitur*, quin illã: *vel* quidni, *cũ interrogatione finali?*

37. PROPRIVM.] *Nam sapiens in perpetuo gaudio, & animi tranquillitate. Vide Manud.* III. *Diff.* V.

38. REPVLSAM.] *Id est, cùm vltionem peragere non potuit. Post* pœnitentiam *autem tristitia, cùm peregit scilicet, & sanior iam nollet.*

39. EVMDEM VVLT.] *Quod in eximijs laudibus viri eius meritò ponunt. Plinius*: Ferunt Socratem clarum sapientiâ, eodem semper visum vultu, nec aut hilaro magis aut turbato.

CAP. VII. 40. TOT MILLIA.] *Obseruare licet ad multitudinem ciuium, qui Romæ.*

41. QVANTO TVRPIORES.] *Quare turpiores? quia gnari scienteq; praua aut iniusta defendunt: quia fidem & vocem vænalia in fas & nefas habent. Addo etiam, quia ipsi omni face criminum maculosi.*

42. HABENT.] *Meus & quidam*, conscisunt: *quod admittam.*

43. ALIVS IVDICIA.] *Hæc proba lectio: spectat ad filios ingratos & improbos, qui querelam de Testamento*

tius fuit: alius cum matre [44] consistit: alius delator venit eius criminis, cuius manife- A
stior reus est. & iudex damnaturus quæ fecit, eligitur: & [45] corona pro malâ causlâ, bonâ
patroni voce corrupta. Quid singula persequor? cùm videris forum multitudine refer-
tum, & [46] Septa concursu omnis frequentiæ plena, & illum Circum, in quo maximam
sui partem populus ostendit: hoc scito, istic tantundem esse vitiorum, quantum homi-
num. Inter istos quos [47] togatos vides, nulla pax est: alter in alterius exitium leui com-
VIII. pendio ducitur. Nulli nisi ex alterius damno quæstus est: felicem oderunt, infe-
licem contemnunt: [48] maiore grauantur, minori graues sunt: diuersis stimulantur cupi-
ditatibus: omnia perdita ob leuem voluptatem prædamque cupiunt. Non alia quàm
[49] in ludo gladiatorio vita est, cum ijsdem viuentium pugnantiumque. Ferarum iste
conuentus est: nisi quòd illæ [50] inter se placidæ sunt, morsuque similium abstinent, hi
mutuâ laceratione satiantur. [51] Hoc vno ab animalibus mutis differunt: quòd illa man-
suescunt alentibus, horum rabies [52] ipsos à quibus est nutrita, depascitur. [53] Numquam
irasci desinet sapiens, si semel cœperit. omnia sceleribus ac vitijs plena sunt. plus com- B
mittitur, quàm quod possit coërcitione sanari. Certatur ingenti quodam nequitiæ cer-
tamine: maior quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris
æquioriſque respectu, quocumque visum est, libido se impingit. nec furtiua iam scele-
ra sunt: [54] præter oculos eunt. adeoque in publicum missa nequitia est, & in omnium
pectoribus eualuit, vt innocentia non rara, sed nulla sit. Numquid enim singuli aut pau-
ci rupêre legem? vndique, velut [55] signo dato, ad fas nefasque miscendum coorti sunt.

—— Non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero. fratrum quoque gratia rara est,
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

[56] Et C
mento inofficioso aduersus patrem instituebant. Iudi-
cia *enim appellant, supremam illam voluntatem & decreta: cùm mens pæne libera ab affectibus, puriter solet iudicare. Itaque* incorruptum iudicem *illum dicit noster, De Benef.* IV. *cap.* XI. *vbi pluscula huius rei. At quin, inquit, satius erat decentiusque, meruisse iudicia illa, & per beneuolentiam & gratiam impetrasse; quàm legibus vindicasse.*

44. CONSISTIT.] *Forense verbum. & dicunt* Consistere aduersus aliquem, *aut* Cum aliquo, *eum qui congreditur iudicio & experitur: ab ipsâ re, quia stabant. Quinctilianus Declamat.* CCCXVIII. Quantopere his post libertatem satisfecerim, videlicet hac contumeliâ, quâ mecum consistunt, æquè manifestum: *de libertis qui petebant & agebant. Idem Declam.* CCCXXXIII. Vsum loquendi perdidisse malueram, quàm cum homine optimè de me merito iam bis consisterem. *Tertullianus sine aliâ additione* Consistere *dixit, vt in Apolog. cap.* IV. *De Idololatriâ, cap.* XIII. *& sæpiùs.* De hoc primo consistam, *inquit: id est, iudicio agam, & tecum experiar.*

45. CORONA.] *Audientium.*

46. SEPTA.] *Tria loca nominat, in quibus frequentia assidua populi,* Forum, Septa, Circum. *Duo illa nota:* Septa, *autem, alio nomine* Ouilia, *in campo Martio, vbi suffragia ferri solent. quæ è ligneis M. Agrippa marmorea fecit. Locus amplus, & vacuus: ideoque extra illud comitiale tempus, vagorum aut curiosorum ibi multitudo. Eò magis, quòd merces omnifariæ expositæ, & pleræque rariores. Martialis libro* IX.

In Septis Mamurra diu multumque vagatus,
Hic vbi Roma suas aurea vexat opes.

47. TOGATOS.] *Pacis habitu; & ideò tali ingenio speres.*

CAP. VIII. 48. MAIORE.] *Vellem,* maiorem. *Est, grauatè & ægrè ferunt.*

49. IN LVDO.] *Gladiatores enim vnà habitant, comedunt: mox pugnant, & mutuò sese cædunt. Vide de his* Ludis *Saturnalia nostra, lib.* I. *cap.* XIV.

50. INTER SE PLAC.] *Exprobrat Horatius Romanis, ciuili bello se lacerantibus:*

Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Vnquam, nisi in dispar, feris.

51. HOC VNO.] *Vno? atquin alterum discrimen præiuit. Legam cum meo libro,* imò.

52. IPSOS A QVIBVS.] *Socratis dictum:* κακοὺς ποιῶν εὖ, θρέψαι λύκους: Malis benè faciens, nutri lupos. D

53. NVMQAM IRASCI.] *Demosthenis simile. qui dictitabat,* ὡς πολλάκις ἐπιὸν αὐτῷ εὔξασθαι τοὺς πονηροὺς ἀπολέσθαι, φοβεῖτο μὴ ἔρημον ἀρὸν ἐκ τῆς εὐχῆς ποιήσηται τὴν πόλιν: quòd cùm sæpè ei incidisset perniciem imprecari malis; veritus esset, ne eo voto planè desolatam ciuitatem redderet.

54. PRÆTER OCVLOS.] *Id est, ante oculos & ora nostra se ostendunt. Cicero in Verrem:* Præter oculos Lollij hæc omnia ferebant.

55. SIGNO DATO.] *A Circensibus, quibus ad currule certamen signum mappâ Prætor dat: ac tunc, vt ille ait,*

——carceribus sese effudêre quadrigæ.

Tertullianus simili sensu, Velut mappâ missâ.

56. ET

A [56] Et quota pars ista scelerum est? non descripsit castra [57] ex vnâ parte contraria, [58] parentum liberorumque sacramenta diuersa, subiectam patriæ [59] ciuis manu flammam, & agmina infestorum equitum ad conquirendas [60] proscriptorum latebras circumuolitantia, & violatos [61] fontes venenis, & pestilentiam [62] manu factam, & præductâ obsessis parentibus fossam, plenos carceres, & incendia totas vrbes concremantia, dominationesque funestas, [63] & regnorum publicorumque exitiorum clandestina consilia: & pro gloriâ habita, quæ quamdiu [64] opprimi possunt, scelera sunt: raptus ac stupra, & [65] ne os quidem libidini exceptum. Adde nunc publica periuria gentium, & rupta IX.
fœdera, & in prædam validioris quicquid [66] non resistebat, abductum; circumscriptiones, furta, fraudes, [67] infitiationes, quibus [68] trina non sufficiunt fora. Si tantum irasci vis sapientem, quantum scelerum indignitas exigit: non irascendum illi, sed [69] insaniendum est. Illud potiùs cogitabis, non esse irascendum erroribus. quid enim si quis irascatur in tenebris parum vestigia certa ponentibus? quid si quis surdis, imperia non exaudienti-
B bus? quid si pueris, quòd neglecto dispectu officiorum, ad lusus & ineptos æqualium iocos spectent? quid si illis irasci velis, qui ægrotant, senescunt, fatigantur? Inter cetera mortalitatis incommoda, & hæc est [70] caligo mentium: nec tantùm necessitas errandi, sed errorum amor. Ne singulis irascaris, vniuersis ignoscendum: generi humano venia tribuenda est. Si irasceris iuuenibus senibúsque, quòd peccant: irascere infantibus, quòd peccaturi sunt. Num quis irascitur pueris: quorum ætas nondum nouit rerum discrimina? maior est excusatio & iustior, hominem esse, quàm puerum. Hac conditione nati sumus, animalia obnoxia non paucioribus animi, quàm corporis morbis: non quidem obtusa, nec tarda, sed acumine nostro malè vtentia, alter alteri vitiorum [71] exempla. Quisque sequitur priores, malè iter ingressos. quid ni habeant excusationem, cùm publicâ viâ errauerint? In singulos seueritas imperatoris distringitur: at necessaria venia X.
est, vbi totus [72] deseruit exercitus. Quid tollit iram sapientis? turba peccantium. Intelligit quàm iniquum sit, & periculosum, irasci publico vitio. [73] Heraclitus quoties prodie-
C rat,

56. ET QVOTA.] *Iuuenalis:*

Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus vrbis
Vsque à Lucifero, donec nox occidat, audit?

57. EX VNA PARTE.] *Id est, vnius gentis partisq; bina & aduersa castra.*

58. PARENTVM.] *Lucanus* VII.

—— vidêre parentes
Frontibus aduersis, fraternaq; cominus arma.

59. CIVIS MANV.] *Ad Sullam. qui primo reditu, cum sex legionibus irrupit per portam Esquilinam.* Cumque ciues è tectis lapidibus & tegulis repellerent, nec progredi posset, clamauit vt ædificia succenderent: sumptaque ardenti face, primus ipse flammam subiecit. *Plutarchus.*

D 60. PROSCRIPTORVM.] *Ad eundem, & discipulos eius Triumuiros.*

61. FONTES VEN.] *Florus* II. *cap. vlt.* M'. Aquilius Asiatici belli reliquias conficit, mixtis (*nefas!*) veneno fontibus, ad deditionem quarumdam vrbium. qui contra fas deûm, moresque maiorum, medicaminibus impuris, in id tempus sacrosancta Romana arma violauit.

62. MANV FACTAM.] *Fraude item, & veneno aut maleficijs arcessitam. De hac phrasi Consol. ad Martiam, cap.* XIX.

63. ET REGNORVM.] *Cæsarem atque illos tangit, qui regnum moliti, libertatem oppresserunt.*

64. OPPRIMI POSS.] *Acutè. Vulgi dictum, quod Seneca alius:* - felix scelus, Virtus vocatur. *Catilina scelestus & paricida, quia conatus opprimere patriam, ipse oppressus: Cæsar felix, & pater patriæ, quia perfecit.*

65. NE OS QVIDEM.] *Quod dicunt aliter,* nec capiti quidem parcere.

CAP. IX. 66. NON RESIST.] *Resistendo non erat. sine effectu resistebat.*

67. INFITIATIONES.] *Aeris accepti, depositi, aut talium.*

68. TRINA.] *Nam tribus foris, illo æuo, ius dicebatur. Martialis:*

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Hæc erant, Romanum, Cæsaris, Augusti: *quibus & alia pòst adiecta. vt dixi in Admir. lib.* III.

69. INSANIENDVM.] *Nam* insania, flos iræ, *vt suprà.*

70. CALIGO MENTIVM.] *Quam vtinam agnoscamus! sed vt quisque hodie aliquid legisse, vidisse, vsu didicisse visus est: sumit animos, & velut in clarâ luce, aliorum errores ridet.*

71. EXEMPLA.] *Nam tradimus & transfundimus vitia, & capimus haurimusq; vicissim.*

CAP. X. 72. DESERVIT EXERC.] *Suppositum est. scripti libri,* desæuit: *meus* deleuit. *Credo proximè ad verum: & fuerit* deliuit, *neglectâ litterulâ. vnde ille scriptor* deleuit, *cùm verum esset* deliquit. *De re ipsâ, plures tutò peccare, & cum veniâ; etiam Lucanus, de ipsis militibus, scripsit:*

—— Quippe ipsa metus exsoluerat audax
Turba suos. quidquid multis peccatur, inultum est.

73. HERACLITVS.] *Hæc verò sumpsit noster à Sotione,*

rat, & tantùm circa se malè viuentium, imò malè pereuntium viderat, flebat, miserebatur omnium qui sibi læti felicesque occurrebant, miti animo, sed nimis imbecillo: & ipse inter deplorandos erat. Democritum contrà aiunt, nunquam sine risu in publico fuisse. adeò nihil illi [74] videbatur serium eorum, quæ seriò gerebantur. Vbi istic iræ locus est? aut ridenda omnia, aut flenda sunt. Non irascetur sapiens peccantibus. Quare? quia scit neminem nasci sapientem, sed fieri. scit [75] paucissimos omni æuo sapientes euadere: quia conditionem humanæ vitæ perspectam habet: nemo autem naturæ sanus irascitur. Quid enim si mirari velit, non in siluestribus dumis poma pendêre? quid si miretur spineta sentesq; non vtili aliquâ fruge compleri? nemo irascitur, vbi vitium natura defendit. Placidus itaque sapiens & æquus erroribus, non hostis, sed correptor peccantium, hoc quotidie procedit animo. Multi mihi occurrent vino dediti, multi libidinosi, multi ingrati, multi auari, multi furijs ambitionis agitati. Omnia ista tam propitius [76] aspiciet, quàm ægros suos medicus. Nunquid ille cuius nauigium multam, vndique laxatis compagibus, aquam trahit, nautis ipsique nauigio irascitur? occurrit potiùs, & aliam excludit vndam, aliam egerit, manifesta foramina præcludit, latentibus & ex occulto sentinam ducentibus labore continuo resistit: nec ideò intermittit, quia quantum exhaustum est, subnascitur. Lento adiutorio opus est, contra mala continua & fœcunda, non vt desinant, sed ne vincant.

XI. Vtilis est, inquit, ira: quia contemptum effugit, quia malos terret. Primùm, ira si quantum minatur, valet; ob hoc ipsum quia terribilis est, & inuisa est. [77] Periculosius est autem timeri, quàm despici. Si verò [78] sine viribus est, magis exposita contemptui est, & derisum non effugit. quid enim est iracundiâ in superuacuum tumultuante frigidius? Deinde non ideò quædam, quia terribiliora, potiora sunt: nec hoc sapientis dici velim, quòd [79] feræ quoque telum est, timeri. Quid? non timetur febris, podagra, hulcus malum? numquid ideò quicquam in istis boni est? an contrà, omnia despecta, & fœda, & turpia, [80] ipso quo timentur, sunt? Ira per se deformis est, & minimè metuenda: at timetur à pluribus, sicut [81] deformis persona ab infantibus. Quid, quod semper in auctores redundat timor, nec quisquam metuitur, ipse securus? Occurrat hoc loco tibi Laberianus ille versus, qui [82] medio ciuili bello in theatro dictus, totum in se populum non aliter conuertit, quàm si missa esset vox [83] publici affectus:

Necesse est multos timeat, quem multi timent.

Ita natura constituit, vt quod alieno metu magnum est, à suo non vacet. Leoni quàm pauida sunt ad leuissimos strepitus pectora? acerrimas feras [84] vmbra, vox, & odor insolitus exagitat. quicquid terret, & trepidat. Non est ergo quare concupiscat quisquam

XII. sapiens, timeri. Nec ideò iram magnum quisquam putet, quia formidini est: quoniam quædam etiam contemptissima timentur: venena, & [85] offa mortifera, & morsus. Nec est mirum, cùm maximos ferarum greges, [86] linea pennis distincta continea[t],

Sotione, (an illo præceptore suo?) qui Sermones de Irâ *scripsit, aliquoties Stobæo citatos. in quo hoc ipsum fragmentum:* Τοῖς δ' ἐ σοφοῖς ἀντὶ ὀργῆς, Ἡράκλειτῳ μὲν δάκρυα, Δημοκρίτῳ δὲ γέλως ἐπῆει: Sapientibus iræ loco, Heraclito quidem lacrimæ, Democrito verò risus oboriebatur.

74. VIDEBATVR.] *Idem huic homini, Democrite. habes animo assectam.*

75. PAVCISSIMOS.] *Tam raros, quàm Phœnices.*

76. ASPICIET.] *Videntur ex sermone sapientis esse: ergo,* aspiciam.

CAP. XI. 77. PERICVLOSIVS.] *Ennius:* Quem metuunt oderunt. quem quisque odit, perisse expetit.

78. SINE VIRIB.] *Trito illo, & Liuiano dicto:* Vanam sine viribus iram esse.

79. FERÆ QVOQVE.] *Libri plerique, & meus, insertâ voce,* feræ sapientis quoque. *An superflua & repetita est? inepta certè. an mutamus,* sæuientis?

80. IPSO QVO TIM.] *Nihil enim bonum pulchrumq; timetur.*

81. DEFORMIS PERS.] μορμολυκεῖον.

82. MEDIO CIV.] *Cæsaris Iulij ludis, atque ipso spectante, audiente. Nec obscurè hic versus in eum dirigebatur, vel Macrobio auctore: quem vide,* II. *Sat. cap.* VII.

83. PVBLICI AFF.] *Quasi eius ore omnes hunc sensum interiorem suum exprimerent.*

84. VMBRA.] *Adde huic rei infrà, lib.* III. *c.* XXX.

CAP. XII. 85. OFFA.] *Est à Mureto, nec damnes. Libri enim omnes,* ossa. *An non* ora? *tamen &* ossa *quædam mortifera, vt in Pastinacâ pisce, aliisq;.*

86. LINEA.] *Explico lib.* I. *de Clemen. cap.* XII.

87. AB

A neat,& in insidias agat: [87] ab ipso effectu dicta formido. Vanis enim vana terrori sunt. [88] Curriculi motus, rotarumque versata facies, leones redigit [89] in caueam: elephantes [90] porcina vox terret. Sic itaque ira metuitur, quomodo [91] vmbra ab infantibus, à feris [92] rubens pinna. non ipsa in se quicquam habet firmũ aut forte, sed vanos animos mouet. Nequitia, inquit, de rerum naturâ tollenda est, si velis iram tollere: neutrum autem potest fieri. Primùm, potest aliquis non algere, quamuis ex rerum naturâ hiems sit: & non æstuare, quamuis menses æstiui sint. aut loci beneficio aduersus intemperiem anni tutus est, aut patientiâ corporis sensum vtriusque peruincit. Deinde verte istud. necesse est priùs virtutem ex animo tollas, quàm iracundiam recipias: quoniam cum virtutibus vitia non coëunt. Nec magis quisquam eodem tempore & iratus potest esse, & vir bonus, quàm æger & sanus. Non potest, inquit, omnis ex animo ira tolli: nec hoc hominis natura patitur. Atqui nihil est tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio: nullique sunt tam feri & [93] sui iuris
B affectus, vt non disciplinâ perdomentur. Quodcunque sibi imperauit animus, obtinuit. Quidam ne vnquam [94] riderent, consecuti sunt: vino quidam, alij Venere, quidam [95] omni humore interdixere corporibus. Alius contentus breui somno, [96] vigiliam indefatigabilem extendit: didicerunt alij tenuissimis & aduersis [97] funibus currere, & ingentia, vixque humanis toleranda viribus onera portare, & in immensam altitudinem [98] mergi, ac sine vllâ respirandi vice perpeti maria. Mille sunt alia, in quibus per- XIII.
tinacia impedimentum omne transcendit, ostenditque nihil esse difficile, cuius sibi ipsa mens patientiã [99] indiceret. Istis, quos paullò antè retuli, aut nulla tam pertinacis studij, aut non digna merces fuit. Quid enim magnificum consequitur ille, qui meditatus est per intensos funes ire? qui sarcinæ ingenti ceruices supponere? qui somno non submittere oculos? qui penetrare in imum mare? & tamen ad finem operis, non magno [100] auctoramento, labor peruênit. Nos non aduocabimus patientiam, quos tantum præmium exspectat, felicis animi immota tranquillitas? Quantum est effugere maximum
C malum iram, & cum illâ rabiem, sæuitiam, crudelitatem, furorem, & alios comites eius affectus? Non est quòd patrocinium nobis quæramus, & excusatam licentiam, dicentes, aut vtile id esse, aut inuitabile. cui enim tandem vitio aduocatus defuit? Non est quòd dicas, excidi non posse. sanabilibus ægrotamus malis: ipsaque nos in rectum genitos natura,

87. AB IPSO EFF.] *Quia formidinem feris adfert.*

88. CVRRICVLI.] *Plinius lib.* VIII. Hoc tale tamque sæuum animal, rotarum orbes circumacti, currusque inanes, & gallinaceorum cristæ, cantusq; etiam magis terrent: sed maximè ignes. *Isidorus:* Rotarũ timent strepitus, sed ignes magis.

16. IN CAVEAM.] *E quâ ad pugnam egressi. De his scripsi libello* De Amphith. *cap.* IX.

90. PORCINA VOX.] *Aelianus hoc notat lib.* XVI. *cap.* XXXVI. *Et Plutarchus, De* Inuidiâ *&* Odio, *causſam huius metus reddit:* Εἰκότως δὲ καὶ τῷ λέοντι
D πρὸς τὸν ἀλέκτρυόνα, καὶ τῷ ἐλέφαντι πρὸς τὴν ὗν μῖσος ἰσχυρὸν γεγεννηκέναι τὸν φόβον. ὁ γὰρ δεδίασι, καὶ μισεῖν πεφύκασιν: Meritò etiam leoni in gallum, elephanti in suem (*malè* aprum *verterunt*) odium procreasse ab iis metum. Nam quod timent, & oderunt.

91. VMBRA AB INF.] *Nempe mortualis. nam & Manes,* Vmbras *vocant.*

92. RVBENS PIN.] *Formido dicta.*

93. SVI IVRIS.] *Indomiti, liberi, nulli subiecti.*

94. RIDERENT.] *Vt ille Crassus, ἀγέλαστος Græcis.*

95. OMNI HVMORE.] *In metu aquæ intercutis: atque hodie sunt exempla.*

96. VIGILIAM.] *Plinius de C. Mæcenate, patrono illo Musarum;* triennio supremo, nullo horæ momento somnum contigisse: *id est, numquam horam totam dormisse.*

97. FVNIBVS.] *Funambulos intellegit.*

98. MERGI.] *Vrinatores. His talibus exemplis, in idem argumentum, Musonius vtitur secta eiusdem Stoicæ, & ferè æui, cum nostro:* Οἱ μὲν ἄρα θαυματοποιοὶ δύσκολα ἔτως ὑφίστανται πράγματα, καὶ τὴν ζωὴν παραβάλλονται τὴν ἑαυτῶν, οἱ μὲν εἰς μαχαίρας κυβιστῶντες, οἱ δὲ ἐπὶ κάλων μετέωροι βαδίζοντες, οἱ δ' ὥσπερ ὄρνεα πετόμενοι διὰ τοῦ ἀέρος, ὧν τὸ σφάλμα θάνατός ἐστι, καὶ ταῦτα πάντα δρῶσι, μικροῦ χάριν μισθοῦ. ἡμεῖς δὲ ἐκ ἀνεξόμεθα ταλαιπωρεῖν ὑπὲρ εὐδαιμονίας ὅλης; Mirifici quidam & præstigatores, difficiles res subeunt & suscipiunt, ac vitam ipsam suam in discrimen proijciunt, alij quidem super gladios in caput se iactantes & saltantes; alij sublimes in funibus incedentes; alij tanquam aues per aërem volantes: quorum omnium error, mors est. atque ista tamen exiguæ mercedis aut stipis causſa subeunt: nos verò non sustinebimus laborare, pro totâ simul beatitudine? *Iunge cum sequentibus Senecæ: sunt gemina.*

CAP. XIII. 99. INDICERET.] *Non alius imperaret, sed nos ipsi nobis.*

100. AVCTORAMENTO.] *Cùm non magna proposita merces, tamen labore magno hæc parârunt.*

natura, si emendari velimus, iuuat. Nec, vt quibusdam [101] dictum est, arduum in vir- A
tutes & asperum iter est: plano adeuntur. Non vanæ vobis auctor rei venio. facilis est
ad beatam vitam via: inite modò [102] bonis auspiciis, ipsisque diis benè iuuantibus.
Multo difficilius est, facere ista quæ facitis. quid enim quiete otiosius animi, quid irâ
laboriosius? quid clementiâ remissius, quid crudelitate negotiosius? Vacat pudicitia, li-
bido occupatissimâ est. omnium denique virtutum tutela facilior est: vitia magno co-
luntur. Debet ira remoueri? hoc ex parte fatentur etiam, qui dicunt esse minuendam.
Tota dimittatur: nihil profutura est. sine illâ faciliùs rectiusque scelera tollentur: mali
XIV. punientur, & traducentur in melius. Omnia, quæ debet sapiens, sine vllius malæ
rei ministerio efficiet: nihilque admiscebit, cuius modum solicitus obseruet. Nunquam
itaque iracundia admittenda est: aliquando simulanda, si segnes audientium animi
concitandi sunt. sicut tardè consurgentes ad cursum equos stimulis, [103] facibusque sub-
ditis, excitamus. Aliquando incutiendus est his metus, apud quos ratio non proficit.
Irasci quidem non magis vtile est, quàm mœrere, quàm metuere. Quid ergo? non inci- B
dunt causæ, quæ iram lacessant? Sed tunc maximè illi opponendæ manus sunt: nec est
difficile, vincere animum: cùm athletæ, quoque in [104] vilissimâ sui parte occupati, ta-
men ictus dolotesque patiantur, vt vires cædentis exhauriant, nec cùm ira suadet, fe-
riunt, sed cùm occasio. [105] Pyrrhum maximum præceptorem certaminis gymnici, so-
litum aiunt his quos exercebat, præcipere, ne irascerentur. Ira enim perturbat artem: &
quâ noceat tantùm, non quâ caueat, aspicit. Sæpè itaque ratio patientiam suadet, ira
vindictam: & qui primis defungi malis potuimus, in maiora deuoluimur. Quosdam
vnius verbi contumelia, non æquo animo lata, in exilium proiecit: & qui leuem iniu-
riam silentio ferre noluerant, grauissimis malis obruti sunt, indignatique aliquid ex ple-
XV. nissimâ libertate diminui, seruile in sese attraxerunt iugum. Vt scias, inquit, iram
habere in se generosi aliquid, liberas videbis gentes quæ iracundissimæ sunt: vt Ger-
manos & Scythas. Quod euenit, quia fortiora solidaque naturâ ingenia, antequam disci-
plinâ molliantur, prona in iram sunt. Quædam enim non nisi melioribus innascuntur C
ingeniis. sicut valida arbusta & læta, quamuis neglecta tellus creat: alia fœcundi soli
[106] silua est. Itaque & ingenia naturâ fortia iracundiam ferunt, nihilque tenue & exile
capiunt, ignea & feruida: sed imperfectus ille vigor est, vt omnibus quæ sine arte, ipsius
tantùm naturæ bono, exsurgunt. sed nisi citò domita sunt, quæ fortitudini apta erant, au-
daciæ temeritatique consuescunt. Quid? non mitioribus animis vitia leniora coniuncta
sunt? vt misericordia, amor, & verecundia. Itaque tibi sæpè bonam indolem [107] in malis
quoque ostendam. sed non ideò vitia non sunt, si naturæ melioris indicia sunt. Deinde
omnes istæ feritate liberæ gentes, leonum luporumque ritu, vt seruire non possunt, ita
nec imperare. Non enim humani vim ingenij, sed feri & intractabilis habent. nemo
XVI. autem [108] regere potest, nisi qui & regi. Ferè itaque imperia penes eos fuere popu-
los, qui mitiore cælo vtuntur: in frigora Septentrionemque vergentibus immansueta
ingenia sunt, vt ait poëta, —— *Suóque* [109] *simillima cælo.*

Anima- D

101. DICTVM.] *Ita mei libri, non* visum: *& ad-*
spicit hauddubiè Hesiodium illud dictum:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν:

Ac virtuti Dij sudorem proposuêre,
Et via difficilis, atque aspera ducit ad illam.

102. BONIS AVSP.] *Benè precantium verba.*

CAP. XIV. 103. FACIBVSQVE.] *Nescio cur*
spreuerint, quod in scriptis & quibusdam editis est, calcibusque. *Nónne calcibus subditis, vel nudis, vel*
quos ferrata calcaria armant, equum incitamus? At de Facibus *haud temerè legas, nisi fortè in certamine*
curruli: atque id rarò.

104. VILISSIMA] *Corpore.*

105. PYRRHVM] *An regem illum nobilem; an*
potiùs alium huius artis, à quo & Pyrrhica saltatio
nomen habet?

CAP. XV. 106. SILVA EST.] *Arborum mi-*
tium & fructiferarum.

107. IN MALIS.] *Meus*, bonam indolem à malis quoque suis: *& alij libri ferè accedunt. Illa*
nostri, vera puto, hoc sensu: Bonam indolem conijci-
mus & deprehendimus, etiam à vitiis quibusdam &
malis: vt à verecundiâ, amore, misericordiâ. Necte
enim cum prioribus.

108. REGERE POTEST.] *Aristoteles:* Οὐκ ἔστιν
εὖ ἄρξειν τὸν μὴ ἀρχθέντα: Non est vt rectè imperet, cui non imperatum.

CAP. XVI. 109. SIMILLIMA CÆLO.] *Quod,*
vt ille canit,

—vitam-

A Animalia, inquit, generosissima habentur, quibus multum ineſt iræ. Errat, qui ea in exemplum hominis adducit, quibus pro ratione eſt impetus: homini pro impetu, ratio eſt. Sed nec illis quidem omnibus idem prodeſt. Iracundia leones adiuuat, pauor ceruos, accipitrem impetus, columbam fuga. Quid, quòd ne illud quidem verum eſt, optima animalia eſſe iracundissima? Feráſne putem, quibus ex raptu alimenta ſunt, meliores, quò iratiores? Patientiam laudauerim boum, & equorum frenos ſequentium. Quid autem eſt, cur hominem ad tam infelicia exempla reuoces: cùm habeas mundũ, [110] Deúmque, quem ex omnibus animalibus, vt ſolus imitetur, ſolus intelligit? [111] Simpliciſſimi, inquit, omnium habentur iracundi. Fraudulentis enim & verſutis comparantur: & ſimplices videntur, quia expoſiti ſunt. quos quidem non ſimplices dixerim, ſed incautos. Stultis, luxurioſis, nepotibuſque hoc nomen imponimus, & omnibus vitiis parùm callidis. Orator, inquit, iratus aliquando melior eſt. Imò imitatus iratum. nam & XVII.
[112] hiſtriones in pronuntiando non irati populum mouent, ſed iratum benè agentes. Et
B apud iudices itaque, & in concione, & vbicunque alieni animi ad noſtrum arbitrium agendi ſunt, modò iram, modò metum, modò miſericordiam, vt aliis incutiamus, ipſi ſimulabimus: & ſæpè id quod veri affectus non effeciſſent, effecit imitatio affectuum. Languidus, inquit, animus eſt, qui irâ caret. Verum eſt, ſi nihil habet irâ valentius. Nec latronem oportet eſſe, nec [113] prædam; nec miſericordem, nec crudelem. illius nimis mollis animus, huius nimis durus eſt. Temperatus ſit ſapiens: & ad res fortiùs agendas non iram, ſed vim adhibeat. Quoniam quæ de irâ quæruntur, tractauimus, XVIII.
accedamus ad remedia eius. Duo autem, vt opinor, ſunt: ne incidamus in iram, & ne in irâ [114] peccemus. Vt in corporum curâ, alia de tuendâ valetudine, alia de reſtituendâ, præcepta ſunt: ita aliter iram debemus repellere, aliter compeſcere, vt [115] vincamus. Quædam ad vniuerſam vitam pertinentia præcipientur: ea in educationem, & in [116] ſequentia tempora diuidentur. Educatio maximam diligentiam, plurimumque profuturam deſiderat. facile eſt enim, teneros adhuc animos componere: difficulter reciduntur
C vitia, quæ nobiſcum creuerunt. Opportuniſſima ad iracundiam feruidi animi natura eſt. nam cùm elementa ſint quattuor, ignis, aqua, aër, & terra: poteſtates pares his ſunt, [117] frigida, feruida, arida, atque humida. Et locorum itaque, & animalium, & corporum, & morum varietates, mixtura elementorum facit, & proinde [118] in aliquos magis incumbunt [119] ingenia, prout alicuius elementi maior vis abundauit. Inde quaſdam humidas vocamus, aridasque regiones, & calidas, & frigidas. Eadem animalium & hominum diſcrimina ſunt. Refert quantum quiſque humidi in ſe calidique conti- XIX.
neat. cuius in illo elementi portio præualebit, inde mores erunt. Iracundos [120] feruidi miſtura

— vitamque ac fata miniſtrat
Gẽtibus, ac proprios per ſingula corpora mores.
Et alius poëta:
— emollit gentes clementia cæli.
Tacitus de Mattiacis: Niſi quòd ipſo adhuc terræ
D ſuæ ſolo ac cælo acriùs animantur.

110. DEVMQVE.] *Et hunc ſine Irâ, vt Stoici.*

111. SIMPLICISSIMI.] *Qui iram in promptu habent, ſed non ſeruant aut recondunt. Tacitus de Agricolâ ſuo:* Ceterùm ex iracundiâ nihil ſupererat. ſecretum & ſilentium eius non timeres. honeſtius putabat offendere, quàm odiſſe.

CAP. XVII. 112. HISTRIONES.] *Hoc quoque ex Sotione, Serm. 11. de Irâ:* Ὑποκριταῖς μὲν οὖν καὶ μὴ ὀργιζομένοις, ὑποκρινομένοις ὀργὴν συνενήνεγκεν. οἱ δὲ ἀπουδαῖοι ἄνδρες, ὅδ' ἐάν ὡς ἀληθῶς ὀργίζονται, ὅτω χρῶνται τῷ χήματι: Hiſtrionibus etſi non iratis, iram tamen ſimulantibus, conducit & confert: at viri boni, nec verè etiam irati, hac facie & geſtu vtuntur.

113. PRÆDAM.] *Ita ille dicitur, & illa quæ prædo inuadit.*

CAP. XVIII. 114. PECCEMVS.] *Vt refrænemus, & inhibeamus. quam partem exſequitur ab initio libri tertij. Etſi quidam ſcripti hîc ordiuntur* tertium, *iſto inquam Cap.* XVIII. *nec malè fortaſſe: & iidem* quartum *ſtatuunt, qui tertius eſt nobis.*

115. VINCAMVS.] *Meus & quidam,* vitemus.

116. SEQVENTIA TEMP.] *Id eſt, reliquam ætatem, poſt illam puerilem & primam, quæ eſt ſub educatoribus & magiſtris.*

117. FRIGIDA, FERVIDA.] *Vide Phyſiol.* II. *Diſſert.* XIIII.

118. IN ALIQVOS.] *Mores ſcilicet. An* aliquas *verius eſſet, vel* poteſtates, *vel* varietates? *vtraque ea vox præiuit.*

119. INGENIA.] *Eſt in noſtris libris & vulgatis: ſpreuit tamen editio Romana. & poteſt, fateor, abeſſe, vt communiter referas ad loca, animalia, corpora.*

CAP. XIX. 120. FERVIDI MIST.] *Libri noſtri,* feruidi animi natura: *ſed & Gruteri ferè conſentiunt. Legerim,* feruida nimis natura.

miſtura faciet: eſt enim actuoſus & pertinax ignis. Frigidi miſtura [121] frigidos facit: A
pigrum eſt enim contractumque frigus. Volunt itaque quidam [122] ex noſtris iram [123] in
pectore moueri, [124] efferueſcente circa cor ſanguine. Cauſſa cur hic potiſſimùm aſſigne-
tur iræ locus, non alia eſt, quàm quòd in toto corpore calidiſſimum pectus eſt. Quibus
humidi plus ineſt, eorum paulatim creſcit ira: quia non eſt paratus illis calor, ſed motu
acquiritur. Itaque puerorum feminarumque iræ acres magis, quàm graues ſunt, leuio-
reſque dum incipiunt: ſiccis ætatibus vehemens robuſtaque ira eſt, ſed ſine incremen-
to, non multum ſibi adiiciens. quia inclinatum calorem frigus inſequitur. [125] Senes dif-
ficiles & queruli ſunt, vt [126] ægri & conualeſcentes, & quorum aut laſſitudine, aut de-
tractione ſanguinis exhauſtus eſt calor. In eâdem cauſsâ ſunt ſiti fameque rabidi, & qui-
bus exangue corpus eſt, malignéque alitur & deficit. Vinum incendit iram: quia calo-
XX. rem auget pro cuiuſque naturâ. Quidam ebrij efferueſcunt, [127] quidam ſicci.
Neque vlla alia cauſſa eſt, cur iracundiſſimi ſint [128] flaui [129] rubenteſque: quibus talis
naturâ color eſt, qualis fieri ceteris inter iram ſolet. mobilis enim illis agitatuſque ſanguis B
eſt. Sed quemadmodum natura quoſdam procliuos in iram facit: ita multæ incidunt
cauſſæ, quæ idem poſſint quod natura. Alios morbus aut iniuria corporum in hoc per-
duxit, [130] alios labor, & continua peruigilia, nocteſque ſolicitæ, & deſideria, amoresque:
& quicquid aliud aut corpori nocuit aut animo, ægram mentem in querelas parat. Sed
iſta omnia initia cauſæque ſunt, plurimumque poteſt conſuetudo: quæ ſi [131] grauis eſt,
alit vitium. Naturam quidem mutare, difficile eſt: nec licet ſemel mixta naſcentium ele-
menta conuertere. Sed in hoc noſſe [132] profuit, vt calentibus ingeniis ſubtrahatur vi-
num: quod pueris [133] Plato negandum putat, & ignem vetat igne incitari. Nec cibis qui-
dem

121. FRIGIDOS.] *Omnino melius quidam libri,* timidos.

122. EX NOSTRIS.] *Stoicis.*

123. IN PECTORE.] *Claudianus:*

Iram ſanguinei regio ſub pectore cordis
Protegit, imbutã flammis, auidamq; nocẽdi.

124. EFFERVESCENTE.] *Vide, quæ ſuprà ex Ariſtotele adduxi, ad cap.* III. *libri* I. *Adde hanc Damaſceni definitionem:* Θυμός ἐστι ζέσις τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος, ἐξ ἀναθυμιάσεως τῆς χολῆς ἢ ἀναθολώσεως γενομένη: Ira eſt feruor ſanguinis circa cor, ex euaporatione, aut commotione bilis natus.

125. SENES DIFF.] *Hæc omnia ita iunctim ferè in Ammiano Marcellino, vbi de Valentiniani irâ loquitur libro* XXVII. Hanc eſſe animi vlcus diuturnum, interdumque perpetuum, prudentes definiunt: naſci ex mentis mollitie conſuetum. id adſerentes argumento probabili, quòd iracundiores ſunt incolumibus languidi, & feminę maribus, & iuuenibus ſenes, & felicibus ærumnoſi. *Quæ mihi videtur à Plutarcho palàm mutuatus, qui libello* περὶ ἀοργησίας, De non iraſcendo: Ὡς γὰρ ὄιδημα μεγάλης ἐστὶν ἐν σαρκὶ πληγῆς πάθος, οὕτως ἐν ταῖς μαλακωτάταις ψυχαῖς, ἢ πρὸς τὸ λυπῆσαι ἔνδοσις ἐπιφέρει μείζονα θυμὸν ἀπὸ μείζονος ἀσθενείας. διὸ καὶ γυναῖκες ἀνδρῶν ὀργιλώτεραι, καὶ νοσοῦντες ὑγιαινούντων, καὶ γέροντες ἀκμαζόντων, καὶ κακῶς πράττοντες εὐτυχούντων: Vt enim vlcus aut tumor affectus eſt plagæ alicuius magnæ in carnem inflictæ, ſic in molliſſimis animis inclinatio ad dolendum, exprimit & effert maiorem iram à maiore imbecillitate. Ideoque & feminæ maribus iracundiores ſunt, & incolumibus languidi, & iuuenibus ſenes, & felicibus ærumnoſi. *Conuenienter itaque Plutarcho. niſi quòd Iram* definiri *dicit* Vlcus animi: *quod noni ta in eo eſt, ſed componi & aſſimilari.*

126. ÆGRI ET CONV.] *Ariſtoteles de his omnibus* II. *Rhetor. cap.* II. *Et cauſſam dat, quia Ira ex dolore eſt, dolor ex cupiditate rei negatæ.* Διὸ, *inquit,* καμνοντες, πενόμενοι, ἐρῶντες, δψιῶντες, ὅλως ἐπιθυμοῦντες καὶ μὴ κατορθοῦντες, ὀργίλοι εἰσὶ καὶ εὐπαρόρμητοι: Ideoque feſſi aut ægri, egentes, amantes, ſitientes, vniuersè dictum, cupientes & non aſſequentes, iracundi ſunt & moueri faciles. *Plura ibi, ſi voles: & adde Problem. Sect.* X. *Quæſt.* XXXVI. *vbi hoc commune effatum,* ὅτι ἡ ἀφαίρεσις, ὥστε καὶ ἰσχνότης, ποιεῖ διὰ τὴν ἕξιν τὴν ὀργήν: quòd ablatio, ſicut & extenuatio, iram ratione habitus moueat. *Quæ cauſſa Senecæ noſtro tacta;* malignéque alitur & deficit. *Dixit & ſuprà lib.* I. *cap.* XIII. Inualidum omne, naturâ querulum eſſe.

CAP. XX. 127. QVIDAM SICCI.] *Mureti, non Senecæ. nam libri omnes,* quidam ſaucij. *Puto ſententiam. quoſdam ebrios planè & madidos efferueſcere; alios leuiter ſaucios flore Liberi, & tactos. Sed libri meliores, verbum etiam addunt,* ſaucij ſunt. *Quid diſſimulo? defectus eſt, & ſequentia certè non* D
hærent. Itaque meo iudicio, nota ſic ponatur: efferueſcunt, quidam * ſaucij ſunt.

128. FLAVI.] *Bile ſuffuſi.*

129. RVBENTESQVE.] *Sanguine pleni, atque eo mobili.*

130. ALIOS LABOR.] *Repete quæ ex Ariſtotele, paulloantè.*

131. GRAVIS EST.] *Haud nimis placet. mallem,* Praua eſt: *ſed diſpice. An* grauem *vult* conſuetudinem, *id eſt conuerſationem moleſtam, faſtidij plenam?*

132. PROFVIT.] *Siue magis,* profuerit.

133. PLATO.] *Cuius verba ſunt, in parte hîc expreſſa,* II. *De Legib.* Ἆρ' ἃ νομοθετήσομεν, τὰς παῖδας μέχρις ἐτῶν ὀκτωκαίδεκα τὸ παράπαν οἴνου μὴ γέ-

A dem implendi sunt. distendentur enim corpora, & animi cum corpore [134] tumescent. Labor illos citra lassitudinem exerceat: [135] vt minuatur, non vt consumatur calor, nimiusque ille feruor [136] despumet. Lusus quoque proderunt. modica enim voluptas laxat animos, & temperat. Humidioribus, [137] siccioribus & frigidis non est ab irâ periculum: sed maiora vitia metuenda sunt, pauor, difficultas, & desperatio, & suspiciones.

Mollienda itaque, fouendaque talia ingenia, & in lætitiam euocanda sunt. Et quia XXI. aliis contra iram, aliis contra tristitiam remediis vtendum est, nec dissimilibus tantùm ista, sed contrariis curanda sunt, semper ei occurremus, quod increuerit. Plurimum, inquam, proderit pueros statim salubriter institui. Difficile autem regimen est: quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundamus. Diligenti obseruatione res indiget. Vtrumque enim & quod [138] extollendum, & quod [139] deprimendum est, similibus alitur. facilè autem etiam attendentem similia decipiunt. Crescit licentiâ spiritus, seruitute comminuitur. assurgit, [140] si laudatur, & in spem sui bo-
B nam adducitur: sed eadem ista insolentiam & iracundiam generant. Sic itaque inter vtrumque regendus est, vt modò frænis vtamur, modò stimulis: nihil humile, nihil seruile patiatur. Nunquam illi necesse sit rogare suppliciter: nec prosit rogasse. potius [141] caussæ suæ, & [142] prioribus factis, & bonis in futurum [143] promissis donetur. In certaminibus æqualium nec vinci illum patiamur, nec irasci. demus operam, vt familiaris sit his, cum quibus contendere solet: vt in certamine assuescat non nocere velle, sed vincere. Quoties superauerit, & dignum aliquid laude fecerit, attolli, non [144] gestire patiamur. gaudium enim exultatio, exultationem tumor, & nimia æstimatio sui sequitur. Dabimus aliquod laxamentum: in desidiam verò otiumque non resoluemus, & procul à contactu deliciarum retinebimus. Nihil enim magis facit iracundos, quàm [145] educatio mollis & blanda. ideò vnicis quò plus indulgetur, pupillisque quò plus licet, corruptior animus est. Non resistet offensis, cui nihil vnquam negatum est, cui lacrimas solicita semper mater absterserit, cui [146] de pædagogo satisfactum est. Non vides, vt maio-
C rem quamque fortunam maior ira comitetur? In diuitibus nobilibusque & magistratibus præcipuè apparet, cùm quicquid leue & inane in animo erat, secundâ se aurâ sustulit. Felicitas iracundiam nutrit, vbi aures superbas assentatorum turba circunstetit. *Tibi enim respondeat? Non pro fastigio te tuo metiris: ipse te proiicis:* & alia, quibus vix sanæ, & ab initio benè fundatæ mentes, restiterint. Longè itaque ab assentatione pueritia remouenda est. audiat verum, [147] & timeat: interim vereatur, semper maioribus assurgat. nihil per iracundiam exoret. Quod flenti negatum fuerat, quieto offeratur. & diuitias paren-

μὴ γένεσθε; διδάσκοντες, ὡς ἐ χρὴ πῦρ ὅπῃ πῦρ ὀχετεύειν εἴς τε τὸ σῶμα ἢ τὴν ψυχήν, πρὶν ὅπῃ τὰς πόνες ἐγχειρεῖν πορεύεσθαι. τὴν ἐμμανῆ ἐυλαβέμενοι ἕξιν τῶν νέων: Nónne igitur legem feremus, ne pueri ante annum XVIII. omnino vinum gustent? Docentes, quòd non oporteat ignem igni addere & infundere tam in animum, quàm in corpus, priusD quam ad labores suscipiendos apti paresque sint. Prouidentes etiam, ne furiosam reddamus iuuenum naturam. *Aristoteles pariter*, nec pueris nec nutricibus vinum *censet* conducere.

134. TVMESCENT.] *Ira autem tumor quidam est.*

135. VT MINVATVR.] *Exhalando, & per laxatos poros spirando.*

136. DESPVMET.] *A vino nouo metaphora. quod spumat, dum feruet & bullit; despumat, cùm desinit, & subsidit.*

137. SICCIORIBVS.] *Caue seiungas, nam* siccioribus *vel maximum periculum ab irâ: ideoq; aptiùs mei*, siccioribusque, *cum copulâ repræsentant. Nam nectendum cum sequenti qualitate, siue vt ipse appellat, potestate: siccis simul & frigidis, (qui sunt melancholici) non esse periculum ab irâ tam promptum.*

CAP. XXI. 138. EXTOLLENDVM.] *Indoles.*

139. DEPRIMENDVM.] *Ira.*

140. SI LAVDATVR.] *Fabij votum est:* Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui victus fleat.

141. CAVSSÆ SVÆ.] *Tamquam innocens sit.*

142. PRIORIBVS FACT.] *In gratiam anteactorum, gratia fiat.*

143. PROMISSIS.] *De emendatione, vt solet.*

144. GESTIRE.] *Efferri, voce & gestu iubilare.*

145. EDVCATIO MOLLIS.] *Fabius:* Mollis illa educatio, quam Indulgentiam vocamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit.

146. DE PÆDAG. SATIS.] *Quem cùm pædagogus offendit castigando, aut fortasse verberando; parentes placarunt, & vel pædagogus ipse vapulauit, aut adactus deprecari & satisfacere.*

147. ET TIMEAT.] *Quo sensu? timeat verum audire? imò amet potiùs, & id discat. Distingue:* Audiat verum, & timeat interim, vereatur semper; maioribus assurgat; nihil p. ir. *Membratim ita præcipit. puer vera, non blanda audiat, interdum timeat, vereatur semper. Plus est* Timere, *quàm* Ve-

parentum[148] in conſpectu habeat, non in vſu. exprobrentur illi perperàm facta. A

XXII. Pertinebit ad rem, præceptores[149] pædagogosque pueris placidos dari. Proximis[150] applicatur omne quod tenerum eſt, & in eorum ſimilitudinem creſcit. nutricum & pædagogorum retulere mox in adoleſcentiam mores. Apud Platonem educatus puer, cùm ad parentes relatus, vociferantem videret patrem; *Nunquam*, inquit, *hoc apud Platonem vidi.* Non dubito quin citiùs patrem imitatus ſit, quàm Platonem. Tenuis ante omnia ſit victus, & non pretioſa veſtis: & ſimilis cultus cum æqualibus. Non iraſcetur aliquem ſibi comparari, quem ab initio multis parem feceris. Sed hæc ad liberos noſtros pertinent. In nobis ſiquidem[151] ſors naſcendi & educatio nec[152] vitij locum, nec iam[153] præcepti habet:[154] ſequentia ordinanda ſunt. Contra primas itaque cauſſas pugnare debemus. cauſſa autem iracundiæ, opinio iniuriæ eſt; cui non facilè credendum eſt, nec apertis quidem manifeſtisq; ſtatim accedendum. Quædam enim falſa, veri ſpeciem ferunt. Dandum ſemper eſt tempus:[155] veritatem dies aperit. Ne ſint aures criminantibus faciles. hoc humanæ naturæ vitium ſuſpectum, notumque nobis ſit: quòd B quæ[156] inuiti audimus, libenter credimus; & antequam iudicemus, iraſcimur.

XXIII. Quid, quòd non criminationibus tantùm, ſed ſuſpicionibus impellimur, & ex vultu riſuque alieno peiora interpretati, innocentibus iraſcimur? Itaque agenda eſt contra ſe cauſſa abſentis, & in ſuſpenſo ira retinenda. Poteſt enim pœna dilata exigi, non poteſt exacta reuocari. Notus eſt ille[157] tyrannicida, qui imperfecto opere comprehenſus, & ab[158] Hippiâ tortus, vt conſcios indicaret, circumſtantes amicos tyranni nominauit, quibus quàm maximè caram ſalutem eius ſciebat. Et cùm ille ſingulos, vt nominati erant, occidi iuſſiſſet, interrogauit *Ecquis ſupereſſet? Tu*, inquit, *ſolus: neminem enim alium, cui carus eſſes, reliqui.* Effecit ira, vt tyrannus tyrannicidæ manus commodaret, & præſidia ſua gladio ſuo cæderet. Quanto animoſiùs Alexander? qui cùm legiſſet[159] epiſtolam matris, quâ admonebatur, vt à veneno Philippi medici caueret, acceptam potionem non deterritus bibit. Plus ſibi de amico ſuo credidit. dignus fuit qui innocentem haberet, dignus[160] qui faceret. Hoc eò magis in Alexandro laudo, quia nemo tam obnoxius iræ C fuit. quò rarior autem moderatio in regibus, hoc[161] laudanda magis eſt. Fecit hoc & C. Cæſar, ille qui victoriâ ciuili clementiſſimè vſus eſt. cùm[162] ſcrinia deprehendiſſet epiſtolarum ad Pompeium miſſarum ab iis, qui videbantur aut in aduerſis, aut in neutris

reri: *& illud ſeruorum magis, hoc liberorum. Interdum tamen & illud vſurpandum, acriùs aſperiúſque caſtigando.*

148. IN CONSPECTV.] *Mirus hic ſcriptor. ſi conſideras, paucis lineis, & aliud agens, totam inſtitutionem puerilem format, & præit: ſolidis meherclè vtiliſſimiſq; præceptis.*

CAP. XXII. 149. PÆDAGOGOSQVE.] *Diſtincti à Præceptoribus, antiquo illo more. Nam iſti, nihil niſi aſſeclæ erant, & vt puerorum progreſſus, actiones, mores obſeruarent aut formarent. At Præceptores docebant, & artes ſcientiáſque infundebant.*

150. APPLICATVR.] *A fruticibus vel herbis ſumptum, quæ ad ſtipites ſe acclinant, & aſſurgunt.*

151. SORS NASCENDI.] *Ad temperiem elementorum, de quâ cap.* XVIII. *&* XIX.

152. VITII.] *Non enim in noſtrâ manu eſt, quales naſcamur, quales educemur.*

153. PRÆCEPTI.] *Quia ſerum, & iam adulti ſumus.*

154. SEQVENTIA.] *Ipſum verbum repetit, quo in partitione vſus, cap.* XVIII. Ea in educationem, & in ſequentia tempora diuidentur.

155. VERITATEM DIES.] *Sophocles:*

Α᾽πανθ᾽ ὁ μάκρος κ᾽ἀναρίθμητος χρόνος
Φαίνει τ᾽ ἄδηλα, κοὐ φανέντα κρύπτεται:

Hæc cuncta voluens ordo longi temporis,
Occulta prodit, atque prodita occulit.

156. INVITI.] *Cur hoc mutant? nónne in amore, & aliâ vehementi cupidine ita eſt? ſolicitudo adhæret, vna cum credulitate ſiquis triſtiora adfert. vt,* Amicus tibi detraxit, Amica fidem fregit: *& hæc plura.*

CAP. XXIII. 157. TYRANNICIDA.] *Zenon Eleates. de quo Diogenes in eius vitâ, Valerius lib.* III. *Cicero Tuſcul.* II.

158. HIPPIA.] *At Valerius* Phalarim, Agri- D genti tyrannum, *appellat: Diogenes ambiguè,* Nearchum, *vel* Diomedontem.

159. EPISTOLAM MATRIS.] *Plerique omnes,* Parmenionis *epiſtolam, non matris produnt: Arrianus, Plutarchus, Valerius, Iuſtinus. Diodorus in hac re ſilet; at ſub idem tempus accuſatum à matre* Alexandrum Lynceſtis facit.

160. QVI FACERET.] *Credendo, an potiùs conualeſcendo? nam ſi fato ablatus fuiſſet, quis Deus Philippum purgaſſet.*

161. LAVDANDA MAGIS.] *Certè. nam periculoſa in magnis ira. Publius, Trochaico verſu:*

Fulmen eſt, vbi cum poteſtate habitat iracundia.

162. SCRINIA.] *Plinius de eâ re, lib* VII. Illa fuit

A tris fuisse partibus, combussit: quamuis enim moderatè soleret irasci, maluit tamen non posse. Gratissimum putauit genus veniæ, nescire quid quisque peccasset. Plurimum mali credulitas facit. sæpè ne audiendum quidem est: quoniam in quibusdam rebus satius est decipi, quàm diffidere. Tollenda ex animo [163] suspicio & coniectura, XXIV. fallacissima irritamenta. *Ille me parum humanè salutauit, ille* [164] *osculo meo non adhæsit, ille inchoatum sermonem* [165] *citò abrupit, ille ad cœnam non vocauit, illius vultus auersior visus est.* Non deerit suspicioni argumentatio: simplicitate opus est, & benignâ rerum æstimatione. Nihil nisi quod in oculos incurret, manifestumque erit, credamus: & quoties suspicio nostra vana apparuerit, obiurgemus credulitatem. Hæc enim castigatio consuetudinem efficiet non facilè credendi. Inde & illud sequitur, vt minimis sordi- XXV. disque rebus non exacerbemur. Parum [166] agilis est puer, aut [167] tepidior [168] aqua potui, aut [169] turbatus torus, aut mensa negligentiùs posita. Ad ista concitari, insania est. æger & infelicis valetudinis est, quem leuis aura [170] contraxit: affecti oculi, quos B [171] candida vestis obturbat: dissolutus deliciis, cuius latus alieno labore condoluit. [172] Mindyridem aiunt fuisse ex Sybaritarum ciuitate: qui cùm vidisset fodientem, & altiùs [173] rastrum alleuantem, lassum se fieri questus, vetuit illum opus in conspectu suo facere. [174] idem sæpiùs questus est, quòd foliis rosæ duplicatis incubuisset. Vbi animum simul & corpus voluptates corrupêre, nihil tolerabile videtur: non quia dura, sed quia molles patimur. Quid enim est cur [175] tussis alicuius, aut sternutamentum, aut [176] musca parùm curiosè fugata, nos in rabiem agat, aut [177] versus calix, aut [178] clauis negligentis serui manibus elapsa? Feret iste æquo animo ciuile conuicium, & ingesta in concione [179] cu-

fuit vera & incomparabilis inuicti animi sublimitas, captis apud Pharsalum Pompeij Magni scriniis epistolarum, iterumque Thapsum Scipionis, ea optimâ concremasse fide, atque non legisse. *Adde Dionem Cassium, extremo libro* XLI.

C CAP. XXIV. 163. SVSPICIO.] *Imò & inquisitio. ac Plutarchus scitè monet:* minutam inquisitionem & sedulitatem, in vxorem, filium, seruum, iras gignere multas & cottidianas. Sicut subtiles litteræ visum turbant, si intendis: sic res exiles mentem.

164. OSCVLO MEO.] *Pro more tunc communi, in salutando, osculo se excipiebant. Ille, inquit, frigidè me osculatus, & vix libato, se auellit. ergo fastidit, aut odit.*

165. CITO ABR.] *Item quasi auersans, nec delectatus.*

CAP. XXV. 166. AGILIS.] *Ad ministeria.*

167. TEPIDIOR.] *Nam calidam bibebant. Docui abundè* I. *Elect. cap.* IV. *Ammianus libro* XXVIII. *de sui æui moribus:* Ita autem pauci sunt inter eos seueri vindices delictorum, vt si aquam calidam D tardiùs attulerit seruus, trecentis adfligi verberibus iubeatur. *Adde Epictetum* I. *Dissert. cap.* XIII.

168. AQVA POTVI.] *Additum in alijs*, potui erogata. *Sed profectò additum: & libri prisci spernunt. Aqua potui, vt Vestis indutui, Signum receptui.*

169. TVRBATVS.] *Parùm compositus, impresso vestigio fractus. Alij* turpatus: *nec omnino malè. Intellegit autem torum conuiuialem, qui sterni splendidè & in pompam solet.*

170. CONTRAXIT.] *Strinxit, membra eius (vt in frigore solet) adduxit.*

171. CANDIDA.] *Splendens, nitida. qui color infestus oculis.*

172. MINDYRIDEM.] *Græci*, Smindyridem. *Nominat Herodotus lib.* VI. *& venisse Sycionem, ad nuptias Agaristæ, Clisthenis filiæ, ambiendas:*

atque addit, ad extrema deliciarum hunc veniisse. *Athenæus libro* VI. *&* XII. *hoc itinere* aucupes, piscatores, & coquos mille secum duxisse, ad domesticum luxum. *Idem iste iactare solitus, quasi felicitatis insignem notam,* Se à viginti annis, solem nec orientem nec occidentem vidisse: *assiduè scilicet in mensâ, aut in lecto. Meminit & Aelianus libro* IX. *cap.* XXIV. *& libri* XII. *Variæ Hist.*

173. RASTRVM ALLEV.] *Attollentem in sublimè. Est enim Latinis* Rastrum, *quod Δίκελλα Græcis, siue* Bidens. *Id terræ, sublatum manibus, impetu impingitur: à radendo dictum.*

174. IDEM SÆPIVS.] *At meus inserit:* Idem, bilem habere sæpiùs. *& germanum credam. Bile aut febriculâ se laborare, quia rosæ foliis parùm æqualiter substratis incubuisset.*

175. TVSSIS.] *Similis locus epist.* XLVII. Virgâ murmur omne compescitur; & ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus. magno malo vllâ voce interpellatum silentium luitur.

176. MVSCA.] *Nam huic rei puer aut pueri, quì flabello pauonino, muscas & culices fugarent, à cibis, à conuiuatoribus.* Muscarium, *ab vsu vocabant, etiam concubinæ huic rei. Martialis:*

Et æstuanti tenue ventilat frigus
Supina prasino concubina flabello.

Per viam vtebantur. Ammianus: Vbi si inter aurata flabella laciniis sericis insiderint muscæ, vel per foramen vmbraculi pensilis radiolus irruperit solis, queruntur quòd non sunt apud Cimmerios nati. *De hoc ritu apud Gregorium Nazianzenum pulchra: sed parco.*

177. VERSVS CAL.] *A Pinciano est. at libri mei aliiq; consensu,* obuersatus canis. *Neque id damnem. nam sæuum putabant, canem obuersari aut irrumpere.*

178. CLAVIS.] *Quæ casu suo strepitum faceret.*

[179] curiáve maledicta, cuius aures [180] tracti subsellij stridor offendit? Perpetietur hic fa- A
mem, & æstiuæ expeditionis sitim, qui puero malè [181] diluenti niuem, irascitur?

XXVI. Nulla itaque res magis iracundiam alit, quàm luxuria intemperans & impatiens: durè tractandus animus est, vt ictum non sentiat, nisi grauem. Irascimur aut his à quibus nec accipere iniuriam potuimus, aut his à quibus accipere potuimus. Ex prioribus quædam sine sensu sunt: [182] vt librum, quem minutioribus litteris scriptum sæpè proiecimus, & mendosum lacerauimus: vt vestimenta, quæ quia displicebant, scidimus. His irasci quàm stultum est: quæ iram nostram nec meruerunt, nec sentiunt? Sed nos offendunt videlicet, qui illa fecerunt. Primùm, sæpè antequam hoc apud nos distinguamus, irascimur: deinde fortasse ipsi quoque artifices excusationes iustas afferent. Alius non potuit melius facere, quàm fecit: nec ad tuam contumeliam parum didicit. alius non in hoc, vt te offenderet, fecit. Ad vltimum, quid est dementius, quàm bilem in homines collectam, in res effundere? Atqui vt his irasci dementis est, quæ animâ carent, sic & [183] mutis animalibus: [184] quia nulla est iniuria, nisi à consilio profecta. Nocere B
itaque nobis possunt, vt ferrum, aut lapis: iniuriam quidem facere non possunt. Atqui contemni se quidam putant, vbi equi iidem obsequentes alteri equiti, alteri contumaces sunt: tanquam iudicio, non consuetudine, & arte tractandi, quædam quibusdam

XXVII. subiectiora sint. Atqui vt his irasci stultum est, ita pueris, & non multum à puerorum prudentiâ distantibus. Omnia enim ista peccata, apud æquum iudicem, [185] pro innocentiâ habent imprudentiam. Quædam sunt, quæ nocere non possunt, nullamque vim nisi beneficam & salutarem habent: vt dij immortales, qui [186] nec volunt obesse, nec possunt. Natura enim illis mitis & placida est, tam longè remota ab alienâ iniuriâ, quàm [187] à suâ. Dementes itaque & ignari veritatis, illis imputant sæuitiam maris, immodicos imbres, pertinaciam hiemis: cùm interim nihil horum, quæ nobis nocent prosúntve, ad nos [188] propriè dirigatur. [189] Non enim nos caussa mundo sumus, hiemem æstatemque referendi. suas ista leges habent, quibus diuina exercentur. nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moueantur. Nihil ergo horum in no- C
stram iniuriam fit: imò contrà, nihil non ad salutem. Quædam esse diximus, quæ noce-

179. CVRIAVE.] *Crebra ibi in altercationibus conuicia, & pænè præter grauitatem Senatoriam: quod vel Ciceronis orationes dicent.*

180. TRACTI SVBS.] *Non autem translati, & transportati sine strepitu.*

181. DILVENTI NIV.] *Epistolâ* LXXVIII. *circa finem:* Quia non vino niuem diluit. *Ibi vide.*

CAP. XXVI. 182. VT LIBRVM.] *D. Augustinus ipsum hoc notat:* Irascimur, *inquit*, non hominibus tantùm, sed calamo in scribendo, eumque collidimus atque frangimus; & aleatores tesseris, & pictores penicillis, & cuicumque instrumento quilibet, ex quo difficultatem se pati arbitratur.

183. MVTIS ANIM.] *Ita Vlpianus, de pauperie quadrupedum:* Pauperiem esse damnum, *definit*, sine iniuriâ facientis datum. *nec enim dici posse animal iniuriam fecisse, quod sensu caret.*

184. QVIA NVLLA.] *Sententia non peccat, verba à veris abeunt. nam libri mirificè variant. Meus:* quæ nullam iniuriam ꝯita consilio profecta faciunt. *Lego:* quæ nullam iniuriam, quasi à consilio profectam, faciunt. *Vide Aristotelem* V. *Ethic. cap.* IX.

CAP. XXVII. 185. PRO INNOCENTIA.] *Id est, loco innocentiæ est iis imprudentia. Nocent quidem, sed imprudentes & parum sanæ mentis: hoc efficiat, quasi nec nocuerint.*

186. NEC VOLVNT OB.] *Stoicum est, & sæpiùs in nostro occurrit. Vide Physiol.* I. *Dissert.* X.

187. A SVA.] *Qui nec inferre magis iniuriam possint, quàm ipsi pati.*

188. PROPRIE DIRIG.] *Hoc explicat, de Benef. lib.* VI. *cap.* XX. Isto, inquit, modo nec Soli nec Lunæ quidquam debes. Non enim propter te mouentur. *Responsio.* Sed cùm in hoc moueantur, vt vniuersa conseruent, & pro me mouentur. Vniuersorum enim pars sum.

189. NON ENIM NOS.] *Nos soli: alioqui & nos. Nam Stoicorum dogma*: Mundum deorum & hominum caussâ conditum esse. *Ita in Zenone Diogenes: etsi Lactantius* sententiam Stoicorum *asserit*, nostrâ caussâ mundum esse creatum: *De Irâ Dei, cap.* XIII. *& lib.* VII. *Diuinar. Inst. cap.* IV. *Sed* E
hoc moderandum est: sicut & ista Senecæ, satis abscisè dicta. Nam alibi aduersari videtur, vt de Benef. IV. *cap.* XIII. Mundus in quid vices suas absoluit? in quid sol diem extendit & contrahit? Omnia ista beneficia fiunt. fiunt enim, nobis profutura. *Sed solutio est, quam tetigi: & Senecæ item posita, De Benef.* VI. *cap.* XXIII. Itaque non possunt videri (*cælestia*) suâ tantùm caussâ decurrere, & explicare opus suum: quia pars operis & nos sumus. *Et mox:* Quia etiamsi potiora illis sunt in quæ oriuntur, nos tamen in maiora ituri iuuant. *Iterumq.:* Is ordo mundo datus, vt appareat curam nostri non inter vltima habitam. *Adde Physiol.* II. *Dissert.* VIII.

190. SCAL-

A nocere non possunt: quædam, quæ nolunt. In his erunt boni magistratus, parentesque, & præceptores, & iudices: quorum castigatio sic accipienda est, quomodo [190] scalpellum, & [191] abstinentia, & alia quæ profutura torquent. Affecti sumus pœnâ? succurrat non tantùm quid patiamur, sed quid fecerimus: [192] in consilium de vitâ nostrâ mittamur. Si verum ipsi dicere nobis voluerimus, [193] pluris litem nostram æstimabimus. Si volumus æqui omnium rerum iudices esse, hoc primum nobis suadeamus, neminem nostrûm esse sine culpâ. Hinc enim maxima indignatio oritur. *Nihil peccaui, nihil feci:* imò nihil fateris. Indignamur aliquâ admonitione aut coërcitione nos castigatos: cùm illo ipso tempore peccemus, quo [194] adiicimus malefactis arrogantiam & contumaciam. Quis est iste, qui se profitetur omnibus legibus innocentem? Vt hoc ita sit, quàm angusta innocentia est, [195] ad legem bonum esse? quanto latius [196] officiorum patet, quàm iuris regula? quàm multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quæ omnia extra [197] publicas tabulas sunt? Sed ne ad illam quidem [198] arctissimam inno- XXVIII
B centiæ formulam præstare nos possumus. Alia fecimus, alia cogitauimus: alia optauimus, aliis fauimus: in quibusdam innocentes sumus, quia non successit. Hoc cogitantes, æquiores simus delinquentibus, cedamus obiurgantibus: vtique nobis ne irascamur (cui enim non, si nobis quoque?) minimè diis. Non enim illorum, sed [199] lege mortalitatis patimur, quicquid incommodi accidit. At morbi doloresque incurrunt. Vtique [200] aliquà fugiendum est, domicilium putre sortitis. Dicetur aliquis malè de te locutus. cogita an prior feceris, cogita de quàm multis loquaris. Cogitemus, inquam, alios non facere iniuriam, sed reponere: alios [201] pronos facere, alios coactos facere, alios ignorantes: etiam eos qui volentes scientesque faciunt, ex iniuriâ nostrâ [202] non ipsam iniuriam petere. Aut [203] dulcedine vrbanitatis prolapsus est, aut fecit aliquid, non vt nobis obesset, sed quia consequi ipse non poterat, nisi nos repulisset. Sæpè [204] adulatio, dum blanditur, offendit. Quisquis ad se retulerit, quotiens ipse in suspicionem falsam inciderit, quàm multis [205] officiis suis fortuna speciem iniuriæ induerit, quàm multos post odium
C amare cœperit, poterit non statim irasci: vtique si sibi tacitus ad singula quibus offenditur, dixerit: *Hæc & ipse commisi.* Sed vbi tam æquum iudicem inuenies? Is qui nullius non vxorem concupiscit, & satis iustam causam putat amandi, quòd aliena est, idem vxorem suam aspici non vult: & fidei acerrimus exactor, est perfidus: & mendacia persequitur, ipse periurus: & litem sibi inferri ægerrimè [206] calumniator patitur. Pudicitiam

190. SCALPELLVM.] *Secandæ aut resecandæ carni à medico adhibitum.*

191. ABSTINENTIA.] *Item à medico indicta.*

192. IN CONSILIVM.] *Sententiam de nobis dicturi. A foro & iudiciis. vbi in* consilium iudices mitti *dicuntur, cùm causâ auditâ & cognitâ, potestate à Quæsitore factâ, deliberant, & tabellis acceptis finiunt.*

193. PLVRIS.] *Manet in allusione. maiore pœnâ aut multâ nosipsi taxabimus.* Æstimari *lis vel*
D causa *dicitur, cùm iudex damnum datum socijs, siue & singulis, definit & summâ suâ concipit.*

194. ADIICIMVS MALEF.] *Nam, vt Fabius:* culpam admissam excusare, altera culpa est.

195. AD LEGEM.] *Hactenus bonum, vt ne lex aut iudex te deprehendat. At tuus domesticus & internus iudex, quid? illi te proba, & seriò es probus.*

196. OFFICIORVM.] *Quæ tanti fecere Stoici, vt singularem iis locum & partem in diuisione Ethices dederint. Vide Diogenem in Zenone.* Officium *autem* appellant Stoici (*ait Cicero*) quod ratione factum sit. *Ipsa Græca definitio:* Τὸ καθῆκόν φασιν εἶναι, ὃ πραχθὲν εὔλογόν τε ἴσχει ἀπολογισμόν: Officium dicunt, quod productum factumque probabilem habet rationis expositionem. *Ergo officium valdè latiùs, quàm Lex patet: & adstringit ad omnia, ad quæ Ratio.*

197. PVBLICAS TAB.] *Legum tabulas, in ære publicè propositas & affixas.*

CAP. XXVIII. 198. ARCTISSIMAM.] *Ipsam legum regulam, quæ minimè latè patet. Sed verius fortè,* non arctissimam.

199. LEGE MORT.] *Quæ mortalibus omnibus dicta est.*

200. ALIQVA FVG.] *Meus,* ad aliquid: *alij,* aliquò. *Ego vellem* aliquà defug.

201. PRONOS.] *Erasmus,* per nos. *fortasse,* post nos: *etsi illud* pronos *ferri potest, quasi inclinatos & volentes. sed parùm pro sententiâ.*

202. NON IPSAM INIVR.] *Id est, finem & scopum non habere iniuriam nostram aut læsionem.*

203. DVLCEDINE VRB.] *Ne dictum ei periret quod ægrè in ore tenetur conceptum.*

204. ADVLATIO.] *Exemplum in Cælio oratore, lib.* III. *cap.* VIII.

205. OFFICIIS SVIS.] *A bonâ mente & causâ profectis: quæ casus aliquis, aut praua mens, cui deferebantur, corrupit.*

206. CALVMNIATOR.] *Qui alios circumuenit, & ex vitæ instituto defert.*

207. A TER-

citiam ſeruulorum ſuorum attentari non vult, qui non pepercit ſuæ. Aliena vitia in oculis habemus:[207] à tergo noſtra ſunt. Inde eſt, quòd[208] tempeſtiua filij conuiuia pater deterior filio caſtigat.[209] Nihil alienæ luxuriæ ignoſcit, qui nihil ſuæ negauit: & homicidæ[210] tyrannus iraſcitur: & punit furta ſacrilegus. Magna pars hominum eſt, quæ non peccatis iraſcitur, ſed peccantibus. Faciet nos moderatiores reſpectus noſtri, ſi conſulu-
erimus nos: Nunquid & ipſi aliquid tale commiſimus? Numquid ſic errauimus? Expe-
dítne nobis iſta damnari? Maximum remedium eſt iræ,[211] mora. Nec ab illâ pete ini-
tio, vt ignoſcat, ſed vt iudicet. deſinet, ſi exſpectat: nec vniuerſam illam tentaueris tol-
XXIX. lere: graues habet impetus primos: tota vincetur, dum partibus carpitur. Ex his quæ nos offendunt, alia renuntiantur nobis, alia ipſi audimus aut videmus. His quæ narrata ſunt, non debemus citò credere. multi mentiuntur, vt decipiant: multi, quia decepti ſunt. alius criminatione gratiam captat, & fingit iniuriam, vt videatur doluiſſe factam. eſt aliquis malignus, & qui amicitias cohærentes diducere velit:[212] eſt ſuſpicax, & qui ſpectare ludos cupiat, vt ex longinquo tutoque ſpeculetur, quos colliſit. De paruu- B
lâ ſummâ iudicaturo, tibi res ſine teſte non probaretur; teſtis, ſine iureiurando non vale-
ret. vtrique parti dares[213] aduocationem, dares tempus, nec ſemel audires. magis enim veritas elucet, quò ſæpiùs[214] ad manum venit: amicum condemnas[215] de præſentibus, antequam audias, antequam interroges? illi, antequam aut accuſatorem ſuum noſſe li-
ceat, aut crimen, iraſceris? Iam enim iam, quid vtrinque diceretur, audiſti. Hic ipſe qui ad te detulit, deſinet dicere, ſi probare debuerit. *Non eſt*, inquit, *quod me protrahas. ego productus negabo. Alioqui nihil vnquam tibi dicam*. Eodem tempore & inſtigat, & ipſe ſe certamini & pugnæ ſubtrahit. Qui dicere tibi niſi clàm non vult,[216] pænè non dicit.
XXX. Quid eſt iniquius, quàm ſecretò credere, palàm iraſci? Quorundam ipſi teſtes ſu-
mus: in his naturam excutiemus, voluntatemque facientium. Puer eſt? ætati done-
tur: neſcit, an peccet. Pater eſt? aut tantum profuit, vt illi etiam iniuriæ[217] ius ſit: aut fortaſſis ipſum hoc meritum eius eſt, quo offendimur. Mulier eſt? errat. Iuſſus eſt? ne-
ceſſitati quis, niſi iniquus, ſuccenſet? Læſus eſt? non eſt iniuria, pati quod prior feceris. C
Iudex eſt? plus illius credas ſententiæ, quàm tuæ.[218] Rex eſt? ſi nocentem punit, cede iu-
ſtitiæ: ſi innocentem, cede fortunæ. Mutum animal eſt, aut ſimile muto?[219] imitaris il-
lud, ſi iraſceris. Morbus eſt, aut calamitas? leuiùs tranſiliet ſuſtinentem. Deus eſt? tam perdis operam cùm illi iraſceris, quàm cùm illum alteri precaris iratum. Bonus vir eſt, qui

207. A TERGO.] Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt, *vt ait Catullus*. Αἴσωπος ἔφη δύο πήρας ἕκαστον ἡμῶν φέρειν, τὴν μὲν ἔμπροσθεν, τὴν δὲ ὄπισθεν. καὶ εἰς μὲν τὴν ἔμπροσθεν ἀποτιθέναι τὰ τῶν ἄλλων ἁμαρτήματα, εἰς δὲ τὴν ὄπισθεν τὰ ἑαυτῶν: Æſopus dictitabat, duas peras quemque noſtrûm geſtare, anticam vnam, & poſticam alteram. & in anticam aliorum peccata immitti & reponi; in poſticam, noſtra ipſorum.

208. TEMPESTIVA.] *In vitio habita, ſicut & Intempeſtiua. Vide, ſi lubet, quæ fusè notaui ad lib.* XIV. *Annal. Taciti.*

209. NIHIL ALIENÆ.] *Victor de Auguſto:* Cùm eſſet luxuriæ ſeruiens, erat tamen eiuſdem vitij ſeueriſſimus vltor. more hominum, qui in vlciſcendis vitiis, quibus ipſi indulgent, acres ſunt. *Plinius lib.* VIII. *epiſt.* Noſtíne hos, qui omnium libidinum ſerui, ſic aliorum vitiis iraſcuntur, vt quaſi inuideant?

210. TYRANNVS.] *Qui ipſe in cottidianis cædibus.*

211. MORA.] Ἐν αὐτῷ γὰρ πέψαι τὴν ὀργήν, χρόνου δεῖ, *ait Ariſtoteles:* Ad ipſum vt ira concoquatur, tempore opus eſt. *Nec aliud ſalubrius remedium.*

CAP. XXIX. 212. EST SVSPICAX.] *Ea vox nihil ad ſequentem affectum, quem exprimit. Puto fuiſſe*, ſubprocax: *petulanti & auido ingenio*, ἀσελγής, προπετής. *Et ſunt ſanè tales, qui alienis diſſidiis iurgiisq; paſcuntur. quos egregiè notauit Socrates: cùm Xantippe eius clamante & iurgante, quidam hortarentur vt reſiſteret, & impudentem inuaderet:* Nempe, *inquit*, vt vos ſpectantes acclametis, Eia Xantippe, Eia Socrates.

213. ADVOCATIONEM.] *Moram, vt ſæpè.*

214. AD MANVM.] *Magis in manus ſumitur, & tractatur.*

215. DE PRÆSENTIBVS.] *Suſpectum mihi. niſi* E
placet diſtinctione corrigere, Amicum condemnas, de præſentibus antequam audias. *quod eſt: antequam ab iis qui præſentes fuêre, rem inquiras. Siue etiam*, de præſenti. *id eſſet, ab ipſo præſente priuſquam exquiras.*

216. PÆNE NON DIC.] *Simile illi*, Quod nemine ſciente fit, pænè non fit.

CAP. XXX. 217. IVS SIT.] *Inter tot beneficia, poſſit vel iniuriam vnam facere impunè.*

218. REX EST?] *Ita Medea apud noſtrum, in cognomine Tragœdiâ:* Si iudicas, cognoſce: ſin regnas, iube. *ad Creontem.*

219. IMITARIS.] *Impetum aſſumendo, rationem abiiciendo.*

220. SIBI

A qui iniuriam fecit? noli credere. Malus? noli mirari. Dabit pœnas alteri, quas debet tibi: & iam [220] ſibi dedit, qui peccauit. Duo ſunt, vt dixi, quæ iracundiam concitant. primum, ſi iniuriam videmur accepiſſe: de hoc ſatis dictum eſt. deinde, ſi iniquè accepiſſe: de hoc dicendum eſt. Iniqua quædam iudicant homines, quia pati non debuerint: quædam, quia non ſperauerint. Indigna putamus, quæ inopinata ſunt. Itaque maximè commouent, quæ contra ſpem expectationemque euenerunt. nec aliud eſt quare in [221] domeſticis minima offendant: in amicis, iniuriam vocemus negligentiam. Quo- XXXI.
modo ergo, inquit, inimicorum nos iniuriæ mouent? quia non exſpectauimus illas, aut certè non tantas. Hoc efficit amor noſtri nimius: inuiolatos nos etiam inimicis iudicamus eſſe debere. [222] Regis quiſque intra ſe animum habet, vt licentiam ſibi dari velit, in ſe nolit. Aut ignorantia nos itaque rerum, aut inſolentia iracundos facit. Ignorantia. quid enim mirum eſt, malos mala facinora edere? Quid noui eſt, ſi inimicus nocet, amicus offendit, filius labitur, ſeruus peccat? Turpiſſimam aiebat [223] Fabius Imperatori ex-
B cuſationem eſſe, NON PVTAVI: ego turpiſſimam homini puto. Omnia puta, exſpecta. etiam in bonis moribus aliquid exiſtet aſperius. Fert humana natura inſidioſos amicos, fert ingratos, fert cupidos, fert impios. Cùm de moribus vnius iudicabis, de publicis cogita. vbi maximè gaudebis, maximè metues: vbi trãquilla tibi omnia videntur, ibi nocitura non deſunt, ſed quieſcunt. ſemper futurũ aliquid, quod te offendat, exiſtima. Gubernator nunquam ita totos [224] ſinus explicuit ſecurus, vt non expedita ad contrahendum armamenta diſponeret. Illud ante omnia cogita, fœdam eſſe & execrabilem vim nocendi, & alieniſſimam homini, cuius beneficio etiam ſæua manſueſcunt. Aſpice elephantorum [225] iugo colla ſubmiſſa, [226] taurorum pueris pariter ac feminis perſultantibus terga impunè calcata, & repentes inter [227] pocula ſinuſque innoxio lapſu dracones, & intra domum vrſorum leonumque ora placida tractantibus, adulanteſque dominum feras: pudebit [228] cum animalibus permutaſſe mores. Nefas eſt nocere patriæ: ergo ciui quoque. nam hic pars patriæ eſt. Sanctæ partes ſunt, ſi vniuerſum venerabile eſt: ergo &
C homo homini. nam hic in [229] maiore tibi vrbe ciuis eſt. Quid ſi nocere velint manus pedibus? manibus oculi? Vt omnia inter ſe membra conſentiunt, quia ſingula ſeruari, totius intereſt: ita homines ſingulis parcent, quia [230] ad cœtum geniti ſumus. ſalua autem

220. SIBI DEDIT.] *Quia in ipsâ culpâ, pœna eſt: & animus ſibi conſcius ſe torquet. Epictetus*: Οὐδεὶς δίκα ἀπωλείας καὶ ζημίας κακός ἐστι: Nemo ſine damno & pœnâ malus eſt.

221. DOMESTICIS.] *Familiaribus noſtris. quos putamus volentes eſſe debere, & obnoxios. Eadem ratio, cur odia fratrum aut propinquorum (Ariſtoteli obſeruatum lib* VII. *Politic. cap.* VII.) *ſint acerbiſſima*, καὶ οἵτι πέρα ἔρξαντες, οἱ δὲ καὶ πέρα μισοῦσι: Et qui valdè aliquid amant, iidem idẽ valdè oderũt.

CAP. XXXI. 222. REGIS QVISQVE.] *Epiſtolâ* XLVII. Regum nobis induimus animos.
D *Adde epiſt.* XLII.

223. FABIVS.] *Aliquis Scipioni tribuit, ad Numantiam.*

224. SINVS.] *Propertius:* Velorum plenos ſubtrahis ipſe ſinus.

225. IVGO COLLA.] *Satis crebrum Romæ, elephantos currum trahere, ſiue Deorum in pompâ Circenſi, ſiue & triumphalem. Leones item, in Plinio; aliaq́, ferè in Martiale, per ludos:*

Picto quòd iuga delicata collo
Pardus ſuſtinet; improbæque tigres
Indulgent patientiam flagello;
Mordent aurea quòd lupata cerui;
Quòd frænis Lybici domantur vrſi;
Et quantum Calydon tuliſſe fertur,
Paret purpureis aper capiſtris;
Turpes eſſeda quòd trahunt biſontes:
Quis ſpectacula non putet deorum?

226. TAVRORVM PVERIS.] *Item exhibita hæc in ludis. Martialis:*

Aſpice, quàm placidis inſultet turba iuuencis,
Et ſua quàm facilis pondera taurus amet.
Cornibus hic pẽdet ſummis; vagus ille per armos
Currit, & in toto ventilat arma boue.
At feritas immota riget. non eſſet arena
Tutior, & poſſent fallere plana magis.
Nec trepidant greſſus. ſed de diſcrimine palmę
Securus puer eſt, ſollicitumque pecus.

227. POCVLA SINVSQVE.] *Haud abnuam in mensâ etiam repſiſſe. Quidam tamen libri* ocula: *ex quo aliquis* oſcula. *Porrò dracones iſtos feminæ in deliciis habebant: apud eumdem Martialem:* Sic gelidum collo nectit Gratilla draconem: *& hodie fit in Italiâ.*

228. CVM ANIMALIB.] *Ita & Epictetus increpat iſtos iracundos.* Εἰ δ' ἀντὶ ἀνθρώπου, ἡμέρου ζώου, καὶ κοινωνικοῦ, θηρίον γέγονας βλαβερὸν, ἐπίβουλον, δηκτικὸν, ἐδὲν ἀπωλώλεκας; Si verò pro homine, qui eſt placidum animal & ſociale, tranſieris in feram noxiam, inſidioſam, mordacem, nihílne amiſiſti? *Nempe teipſum.*

229. MAIORE VRBE.] *Ipſo mundo, magnâ illâ patriâ.*

230. AD COETVM.] *Sociale animal.*

231. NA-

tem esse societas nisi amore & custodiâ partium non potest. Ne viperas quidem & [231] natrices, & si qua morsu aut ictu nocent, effligeremus, si vt reliqua mansuefacere possemus, aut efficere, ne nobis aliisve periculo essent. Ergo ne homini quidem nocebimus, quia peccauit, sed ne peccet: nec vnquam ad præteritum, sed ad futurum pœna referetur. non enim irascitur, sed cauet. Nam si puniendus est, cuicunque prauum ma- XXXII leficumque ingenium est, pœna neminem excipiet. At enim ira habet aliquam [232] voluptatem: & dulce est, [233] dolorem reddere. Minimè. non enim vt in beneficiis honestum est, merita meritis repensare: ita [234] iniurias iniuriis. illic, vinci turpe est: hîc, vincere. [235] Inhumanum verbum est, & quidem pro iusto receptum, [236] Vltio: & à contumeliâ non differt nisi ordine. Qui dolorem regerit, tantùm excusatiùs peccat. M. Catonem [237] in balneo quidam percussit imprudens. quis enim illi sciens faceret iniuriam? postea [238] satisfacienti Cato, *Non memini*, inquit, *percussum me*. Melius putauit, non agnoscere, quàm [239] vindicare. Nihil, inquis, post tantam petulantiam mali factum est? imò multum boni. cœpit Catonem nosse. Magni animi est, iniurias despicere. vl- B tionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum, ex quo peteretur vltio. Multi leues iniurias altius [240] sibi demisere, dum vindicant: ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ, latratus minutorum canum securus exaudit. Minùs, inquit, contemnemur, si vindicauerimus iniuriam. Si tamquam ad remedium venimus, sine irâ veniamus: non quasi dulce sit vindicari, sed quasi vtile. Sæpè autem satius fuit dis- XXXIII. simulare, quàm vlcisci. Potentiorum iniuriæ hilari vultu, non patienter tantùm ferendæ sunt. Facient iterùm, si se fecisse crediderint. Hoc habent pessimum animi magnâ fortunâ insolentes, [241] quos læserunt, & oderunt. [242] Notissima vox est eius, qui

231. NATRICES] *In Glossario*, Natrix, boa *est: serpentis genus Plinio notum.*

CAP. XXXII. 232. VOLVPTATEM.] *Hoc ante alios Homerus dixit Iliad. Σ. in Achillis personâ:*

Ὡς ἔριδος ἔκ τε θεῶν ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο,
Καὶ χόλος, ὅς τ' ἐφέηκε πολύφρονά περ χαλεπῆναι.
Ὅς τε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο
Ἀνδρῶν ἐν στήθεσιν ἀέξεται, ἠύτε καπνός:

Ah pereat diuûm atque hominum Contentio, & Irâ,
Quæ sapientem etiam interdû sæuire coëgit.
Dulcior hæc melle atq; fauo liquidû stillante,
Pectoribus sese insinuans, crescit quasi fumus.

Plato in Philebo, mixtionem voluptatis & doloris in irâ esse vult, *testimonio isto Homeri vsus: & scitè comparat* cum iis, qui tragœdias spectât: quos videas vno tempore gaudentes & flentes. *Aristoteles autem, & ipse vsus Homericis versibus, caussam iucunditatis in irâ dicit*, ex spe futuræ vltionis. Quam si tollis, nec Ira quidem est: sicut nemo potentibus irascitur, quos nec speret vlcisci. *Vide Rhetor. I. cap. XI. Sed pulchrè etiam Homerus de* Fumo: *& quid similius? Aristoteles & hoc alibi vsurpauit:* Ὡς περ ὁ καπνος ἐπιδ άκνων τὰς ὄψεις, οὐκ ἐᾷ βλέπειν τὸ κείμενον ἐν τοῖς ποσὶν· οὕτως ὁ θυμὸς ἐπειρόμενος, τῷ λογισμῷ ἐμποδίζει: Sicut fumus, oculos mordicans, non sinit vel id quod ante pedes est videre: sic ira exsurgens obtenebrat rationem.

233. DOLOREM REDDERE.] *Vlcisci. consentit in caussâ, cum Aristotele. Adeò autem hoc dulce, vt etiã in morte delectet: sicut ille apud Pacuuium effert,*

Dij me etsi perdunt, tamen esse adiutum expetunt,
Quòd priusquam intereo, spatium vlciscendi danunt.

234. INIVRIAS INIVR.] *Epictetus:* Τί οὖν, ἐπειδὴ ἐκεῖνος ἑαυτὸν ἔβλαψε, πρὸς ἐμὲ τὶ ἄδικον ποιήσας ἐγὼ ἐμαυτὸν μὴ βλάψω, πρὸς ἐκεῖνον ἄδικόν τι ποιήσας; Quid ergo? num quia ille sibi nocuit, dum iniuriâ me afficit, ego non dabo operam ne noceam, illum vicissim afficiendo? *Plato in Critone:* Οὐδαμῶς ἄρα δεῖ ἀδικεῖν, οὐδὲ ἀδικούμενον ἄρα ἀνταδικεῖν (ὡς οἱ πολλοὶ οἴονται) ἐπειδή γε οὐδαμῶς δεῖ ἀδικεῖν, οὔτε κακῶς ποιεῖν οὐδένα ἀνθρώπων, οὐδ' ἂν ὁτιοῦν πάσχῃ ὑπ' αὐτῶν: Nullo modo igitur iniuriam oportet facere, sed nec læsum iterùm lædere (vt plerique existimant:) quoniam numquam iniuria facienda, nec quisquam mortalium damno mulctandus, etsi vel ab ipso mulctatis.

235. INHVMANVM.] *Et ad barbaros relegandum, cum Quinctiliano, Declamat. XIII.* Barbarorum mos est populorum, quos procul omnis iuris humani societate, proxima belluis natura efferauit. Nos ideò magistratus legesque à maioribus accepimus, ne sui quisque doloris vindex sit: & assiduæ scelerum caussæ se refellant, si vltio crimen imitabitur.

236. VLTIO ET A.] *Liber meus, & plures.* Vltio E & Talio, non multum differt. *Ego putem:* Vltio, & alioqui non multum differt. *Differt, ab Iniuriâ. nam hæc præcedit.*

237. IN BALNEO.] *Libri omnes vocem addunt,* in balneo ignorans. *Atqui sequitur mox*, imprudens. *mutauerim igitur*, in ore: *& ita fuit. Non percussit solùm Catonem, sed in ore & facie.*

238. SATISFACIENTI.] *Deprecanti, pœnitenti.*

239. VINDICARE.] *Ita consensu libri scripti & editi: Muretus tamen*, ignoscere. *bellè & ingeniosè, sed quò tam bellè?*

240. SIBI DEMIS.] *Quasi ferrum, impressêre.*

CAP. XXXIII. 241. QVOS LÆS.] *Tacitus in Agricolâ:* Proprium humani ingenij est, odisse quem læseris.

242. NOTISSIMA VOX.] *Cuius, aut vbi, ignoro.*

243. MVN-

A bui in cultu regum consenuerat. cùm illum quidam interrogaret, *Quomodo rarissimam rem in aulâ consecutus esset, senectutem? Iniurias*, inquit, *accipiendo, & gratias agendo.* Sæpè adeò iniuriam vindicare non expedit, vt ne fateri quidem expediat. C. Cæsar Pastoris splendidi equitis Romani filium cùm in custodiâ habuisset,[243] munditiis eius & cultioribus capillis offensus: rogante patre, vt salutem sibi filij concederet, quasi de supplicio eius admonitus, duci protinus iussit. Ne tamen omnia inhumanè faceret aduersum patrem,[244] ad cœnam illum inuitauit eo die. venit Pastor, nihil vultu exprobrante. Propinauit illi Cæsar[245] heminam: & posuit illi custodem. perdurauit miser, non aliter quàm si filij sanguinem biberet.[246] Vnguentum & coronas misit, &[247] obseruare iussit an sumeret. sumpsit eo die, quo filium extulerat, imò quo[248] non extulerat. Iacebat conuiua centesimus, & potiones vix honestas natalibus liberorum, podagricus senex hauriebat: cùm interim non lacrimas emisit, nec dolorem aliquo signo erumpere passus est. Cœnauit, tanquam pro filio exorasset. Quæris, quare?[249] habebat alterum.

B Quid ille[250] Priamus? non dissimulauit iram, &[251] regis genua complexus est? funestam perfusamque cruore filij manum, ad os suum retulit, & cœnauit, sed tamen sine vnguento, sine coronis: & illum hostis sæuissimus multis solatiis, vt cibum caperet, hortatus est, non vt pocula ingentia, super caput posito custode, siccaret. Contempsisset[252] Pastorem, si sibi timuisset: nunc iram compescuit[253] pietas. Dignus fuit, cui permitteret à conuiuio ad[254] ossa filij legenda discedere. Ne hoc quidem permisit: benignus interim & comis[255] adolescens propinationibus senem crebris, vt cura[256] leniretur, lacessebat: contrà ille se lætum, & oblitum quid eo esset actum die, præstitit. Perierat alter filius, si carnifici conuiua non placuisset. Ergo irâ abstinendum est, siue par est qui lacessendus est, siue superior, siue inferior. Nam cum pare contendere,[257] anceps est: cum superiore,[258] furiosum: cum inferiore,[259] sordidum.[260] Pusilli hominis & miseri est, repetere mordentem. mures & formicæ, si manum admoueris, ora conuertunt: XXXIV.

C 243. MVNDITIIS.] *Caius enim* pulcros omnes & comatos oderat. *Sueton. cap.* XXXV. *Porrò in Hispaniâ* Pastores *isti fuisse videntur. Lapis ibi:* DOMITIO. PASTORI. VETERANO. LEG. SEPTGEM.

244. AD CÆNAM.] *Suetonius de hoc intellexit, cap.* XXVII. Parentes supplicio filiorum interesse cogebat. quorum vni valetudinem excusanti, lecticam misit: alium è spectaculo pœnæ epulis statim adhibuit, atque omni comitate ad hilaritatem & iocos prouocauit. *Vt appareat spectatorem etiam supplicij fuisse, quod tamen Seneca non dixit.*

245. HEMINAM.] *Vncias nouem vini, siue dimidium Sextarium.*

246. VNGVENTVM.] *Receptum in conuiuiis lætioribus, vngi & floribus coronari.*

247. OBSERVARE.] *Per custodem, quem posue-*

D *rat. Non ergo ipse videre poterat? nescio. grande triclinium erat, & tacebat conuiua* centesimus, *vt mox addit. Procul ergo à Caio, & inter imos.*

248. NON EXTVLERAT.] *Nec enim iusta ei fecerat, nec sollenni ritu cadauer elatum.*

249. HABEBAT ALT.] *Vt hunc sal'em seruaret: ne & illum Caius iratus tolleret. Pulchrè & aptè Panegyricus scriptor ad Theodosium, hos affectus exprimit sub tyrannis:* Cùm interim miseri vetabamur agere miseros, imò omnes cogebamur mentiri beatos: & cùm domi atque secretò, solis coniugibus ac liberis credidissemus furtiuum dolorem, procedebamus in publicum non nostræ fortunæ vultu. Audires enim dicere delatorem. quid ita ille tristis incedit? an quia pauper est ex diuite? non enim se viuere gratulatur? Quid ita publicum atratus incedat? luget credo fratrem? sed habet filium. Ita flere non licebit amissa, metu reliquorum.

250. PRIAMVS.] *Apud Homerum, Iliad.* Ω.

251. REGIS GENVA.] *Achillis. Homerus:*

Χερσὶν Α' χιλῆος λάβε γένατα, κὴν κύσε χεῖρας
Δεινὰς, ἀνδροφόνους.

Quæ vertit hîc ex professo noster.

252. PASTOREM.] *Audax & hæc mutatio Mureti. nam libri omnes,* Contempsisset Romanum patrem: *ex quo Pincianus,* Contempsissem R. p. *quod etsi melius illo extraneo: tamen mihi verius,* Contempsisset & Romanus pater. *Ille, inquit, Græcus non bibit pocula magna, non vnxit: quæ nec gente & animo Romanus noster fecisset, nisi non suæ vitæ, sed alterius filij timuisset.*

253. PIETAS.] *In filium superstitem.*

254. OSSA FILII.] *De more. cadauere combusto, eligebant ossa, & reposita in vrnam sepeliebant.*

255. ADOLESCENS.] *Ipse iuuenis Princeps, Caius.*

256. LENIRETVR.] *Meus addit,* leniretur, admouere lacessebat. *Alij,* leniretur admouens: *Scribe & distingue*: vt cura leniretur, admonens, lacessebat. *Caius identidem propinando admonebat,* leniendæ curæ *hoc esse. Aut ipsis verbis,* Leni curam.

CAP. XXXIV. 257. ANCEPS EST.] *Vinci potes.*

258. FVRIOSVM.] *Vinci debes.*

259. SORDIDVM.] *Vincere inglorium.*

260. PVSILLI.] *Iuuenalis:* — quippe minuti Semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas, Vltio.

uertunt: imbecillia se lædi putant, si tanguntur. Faciet nos mitiores, si cogitauerimus, A
quid aliquando nobis profuerit ille, cui iraſcimur, & meritis offensa redimetur. Illud
quoque occurrat, quantum commendationis nobis allatura sit clementię fama, & quàm
* multos venia amicos vtiles fecerit. [261] * Ne iraſcamur inimicorum & hoſtium liberis.
Inter Syllanæ crudelitatis exempla est, quod à rep. [262] liberos proſcriptorum ſubmouit.
Nihil est iniquius, quàm aliquem heredem paterni odij fieri. [263] Cogitemus, quotiens
ad ignoſcendum difficiles erimus, an expediat omnes nobis inexorabiles esse. Quàm sæ-
pè veniam qui negauit, petit? quàm sæpè pedibus eius aduolutus est, quem à suis repu-
lit? Quid est glorioſius, quàm iram amicitiâ mutare? Quos Populus R. fideliores habet
ſocios, quàm quos habuit [264] pertinaciſſimos hoſtes? quod hodie esset [265] imperium,
niſi ſalubris prouidentia victos permiſcuisset victoribus? Iraſcetur aliquis? tu contrà be-
neficiis prouoca. Cadit statim simultas, ab alterâ parte deserta. [266] niſi par non pugnat.
Si vtrinque certabitur, ille est melior, qui prior pedem retulit: victus est, qui vicit. Per-
cuſſit te? recede. referiendo enim, & occaſionem sæpiùs feriendi dabis, & excuſatio- B
nem. non poteris reuelli, cùm voles. Nunquid velit quiſquam tam grauiter hoſtem fe-
rire, vt relinquat manum in vulnere, & se abiectu reuocare non poſſit? atqui tale ira te-
XXXV. lum est, vix retrahitur. Arma nobis expedita proſpicimus, gladium commodum
& habilem: non vitabimus impetus animi, [267] his graues magis, furioſos & irreuocabi-
les? Ea demùm velocitas placet, quæ vbi iuſſa est, veſtigium ſiſtit, nec vltra deſtinata
procurrit, & quæ flecti, & à curſu [268] ad gradum reduci poteſt. Ægros ſcimus neruos esse,
vbi inuitis nobis mouentur. ſenex, aut infirmi corporis est, qui cùm ambulare vult, cur-
rit: animi motus eos putemus ſaniſſimos validiſſimoſque, qui noſtro arbitrio ibunt,
non ſuo ferentur. Nihil tamen æquè profuit, quàm primùm intueri deformitatem rei,
deinde periculum. Non est vllius affectus [269] facies turbatior. pulcherrima ora fœdauit,
toruos vultus ex tranquilliſſimis reddidit. Liquit decor omnis iratos: & ſiue amictus
illius compoſitus sit ad legem, attrahet veſtem, omnemque curam ſui effundet. Si capil-
lorum naturâ vel arte iacentium non informis est habitus; cùm animo inhorreſcunt, tu- C
meſcunt venæ, concutitur crebro ſpiritu pectus, rabida vocis eruptio colla diſtendit.
tunc artus trepidi, inquietæ manus, totius corporis fluctuatio. Qualem intrà putas esse
animum, cuius extrà imago tam fœda est? quanto illi intra pectus terribilior vultus,
acrior ſpiritus est, intenſior impetus, rupturus se niſi eruperit? Quales ſunt hoſtium, vel
ferarum cæde madentium, aut ad cædem euntium aſpectus; qualia poëtæ [270] inferna
monſtra finxêre, ſuccincta ſerpentibus, & igneo flatu; [271] quales ad bella excitanda, diſ-
cordiamque in populos diuidendam, pacemque lacerandam, tæterrimæ inferûm exeunt
[272] Furiæ: talem nobis iram figuremus, flammâ lumina ardentia, ſibilo mugituque &
gemitu & ſtridore, & ſi qua his inuiſior vox est, perſtrepentem, tela manu vtrâque qua-
tientem. neque enim illi tegere se, cura est. toruam, cruentamque, & cicatricoſam, & ver-
beribus ſuis liuidam, inceſſibus veſanis, offuſam multâ caligine, incurſitantem, vaſtan-
tem,

261. * NE IRASCAMVR.] *Mihi abrupta hæc videntur, nec prioribus nexa.*

262. LIBEROS PROSCR.] *Ne ad honores venirent. Hoc appellat* à rep. ſubmouere, *quia ad eam gerendam non admittuntur.*

263. COGITEMVS.] *Ad intermiſſa redit. emblemate illo de* liberis hoſtium, *neſcio quâ occaſione, inſerto.*

264. PERTINACISS. HOSTES.] *Latinos, Samnites.*

265. IMPERIVM, NISI.] *Tacitus* XI. *Annal. oratione Claudÿ:* Tunc ſolida domi quies, & aduerſus externa floruimus, cùm ſpecie deductarum per orbem terræ legionum, additis prouincialium validiſſimis, feſſo imperio ſubuentum est. *Plura inibi eius rei.*

266. NISI PAR.] *Libri ſcripti*, niſi pariter, & *deinde*, pugnant. *Fortaſſe*, niſi paria.

CAP. XXXV. 267. HIS GRAVES.] *In meo* D *hæc ita:* animi impetus? hi graues, funeroſi, & irreuocabiles. *Legerem:* animi impetus, ſi graues, furioſi & irreuocabiles?

268. AD GRADVM.] *Ad leniorem & lentiorem paſſum.*

269. FACIES TVRB.] *Iterùm Iræ deſcriptio, qualis lib.* I. *cap.* I.

270. INFERNA MONSTRA.] *Furias, Eumenidas.*

271. QVALES AD.] *Meus voce auctior:* quales motus ad bella. *Puto*, quales ad motus, ad bella.

272. FVRIÆ.] *Vox meo abeſt: & antè*, deterrimi. *Itaque eſſet* deterrimi, *vel* teterrimi inferûm: *id eſt, peſſimi infernalium Geniorum. Nam de Furiis ſanè iam tactum, & triplex eſt comparatio.*

CAP.

A tem, fugantemque: & omnium odio laborantem, sui maximè: si aliter nocere non possit, terras, maria, cælum ruere cupientem, infestam pariter, inuisamque. Vel, si videtur, sit qualis apud vates nostros est:

Sanguineum quatiens dextrâ Bellona flagellum,
Aut scissâ gaudens vadit Discordia pallâ.

aut si qua magis dira facies excogitari diri affectus potest. Quibusdam, vt ait Sex- xxxvi.
tius, iratis profuit aspexisse [273] speculum. perturbauit illos tanta mutatio sui: velut in rem præsentem adducti non agnouerunt se. & quantulum ex verâ deformitate imago illa speculo repercussa reddebat? animus si ostendi, & si in vllâ materiâ perlucere posset, intuentes nos confunderet, ater maculosusque, æstuans, & distortus, & tumidus. Nunc quoque tanta deformitas eius est per ossa carnesque, & tot impedimenta, effluentis: quid si nudus ostenderetur? Speculo equidem neminem deterritum ab irâ [274] credo. quid ergo? qui ad speculum venerat, vt se mutaret, [275] iam mutauerat. Iratis quidem nulla est
B formosior effigies, quàm atrox & horrida, qualesque esse, etiam videri volunt. Magis illud videndum est, quàm multis ira per se nocuerit. Alij nimio feruore rupêre venas, & sanguinem supra vires elatus clamor egessit, & luminum suffudit aciem in oculos vehementiùs [276] humor egestus, & in morbos ægri recidêre. nulla celerior ad insaniam via est. Multi itaque continuauerunt iræ furorem; nec quam expulerant mentem, vnquam receperunt. [277] Aiacem in mortem egit furor, in furorem ira. Mortem liberis, egestatem sibi, ruinam domui imprecantur: & irasci se negant, non minùs quàm insanire, furiosi. Amicissimis hostes, vitandique [278] carissimis: legum, nisi quà nocent, immemores, ad minima mobiles. non sermone, non officio, aditu faciles. Omnia per vim gerunt, gladiis & pugnare parati, & [279] incumbere. Maximum enim malum illos cepit, & omnia exsuperans vitia. Alia paullatim intrant: repentina & vniuersa vis huius est. omnes denique alios affectus sibi subiicit: amorem ardentissimum vincit. Transfoderunt itaque amata corpora, & in eorum quos occiderant, iacuêre complexibus. Aua-
C ritiam durissimum malum, minimumque flexibile ira calcauit; adacta opes suas spargere, & domui, rebusque in vnum collatis iniicere ignem. Quid? non ambitiosus magno æstimata proiecit [280] insignia, honoremque delatum repulit? nullus affectus est, in quem non ira dominetur.

CAP. XXXVI. 273. SPECVLVM.] *Plutarchus*: Ἐμοὶ δὲ εἴ τις ἐμμελὴς καὶ κόμψος ἀκόλουθος ἦν, ἐκ ἂν ἠχθόμην αὐτοῦ προσφέροντος ἐπὶ ταῖς ὀργαῖς ἔσοπτρον, ὥσπερ ἐνίοις προσφέρουσι λουσαμένοις ἐπ' ἐδενὶ χρησίμῳ. τὸ δὲ αὐτὸν ἰδεῖν παρὰ φύσιν ἔχοντα καὶ συντεταραγμένον, ἐ μικρόν ἐσιν εἰς διαβολὴν τοῦ πάθους: Mihi verò si quis scitus & elegans sit comes vel assecla; non ægrè feram, si in irâ proferret mihi speculum, sicut quibusdam iam lotis comptisque solet sine vllo bono fructu. At seip-
D sum ita videre, præter naturam constitutum, & vndique turbatum, non parùm conferat ad affectus huius damnationem.

274. CREDO.] *Libri*, credis. *tamen hoc Pinciani coniectaneum probum videtur.*

275. IAM MVTAVERAT.] *Habebat enim animum se compescendi. rationem audiebat, medicinam quærebat.*

276. HVMOR.] *Biliosus. & icterum genuit.*

277. AIACEM.] *Victum, armorum iudicio, ab Vlysse.*

278. CARISSIMIS.] *Quidam libri* luminis; *alius*, & litteris: *ex quo non inscitè*, vitandique & liberis: *siue ex priore illâ*, alumnis.

279. INCVMBERE.] *Seipsos interficere, vt ille Aiax.*

280. INSIGNIA.] *Magistratuum, aut dignitatum: Prætextam, latum clauum, & talia.*

L. ANNÆI SENECÆ A

DE IRA AD NOVATVM

LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

EXSEQVITVR *alteram partem Remedij, priore medio libro positam, sed dilatam, Ne in irâ peccemus: id est, refrænemus eam & cohibeamus. Id variè fit: sed semper statimque faciendum in Affectu præcipiti & incitato. Quem* B *Aristoteles excusat: sed ipse eum accusat, & fœditatem iterùm iræ ostendit. Hæc ad Cap. vsque* IIII. *Tum partitur, tria se dicturum. primùm, Quemadmodum non irascamur; deindè, Quemadmodum ab irâ liberemur; tertiò, Quemadmodum alium irascentem sistamus placemusque. Hæc, etsi alibi cum repetitione priorum, tamen pulcherrimè & vtilissimè ad finem libri exsequitur: & aurea siue ætherea habebis monita & dicta.*

CAPVT PRIMVM.

QVOD maximè desiderasti, Nouate, nunc facere tentabimus, iram excidere animis, aut certè [1] refrænare, & impetus eius inhibere. Id aliquando palàm aperteque faciendum est, vbi minor vis mali patitur: aliquando ex occulto, vbi nimium ardet, omnique im- C pedimento exasperatur & crescit. Refert, quantas vires, quamque integras habeat. vtrúmne verberanda & agenda retrò sit, an cedere ei debeamus, dum tempestas prima desæuit, ne remedia ipsa secum ferat: consilium pro moribus cuiusque capiendum erit. Quosdam enim preces vincunt: quidam insultant, instantque submissis. Quosdam terrendo placabimus: alios [2] obiurgatio, alios [3] confessio, alios [4] pudor cœpto deiecit: alios mora, lentum præcipitis mali remedium, ad quod nouissimè descendendum est. Ceteri enim affectus dilationem recipiunt, & curari tardiùs possunt: huius incitata, & se ipsa rapiens violentia, non paullatim procedit, sed dum incipit, tota est. Nec aliorum more vitiorum solicitat animos, sed abducit: & impotentes sui, cupidosque vel [5] communis mali, exagitat: nec in ea tantùm, in quæ destinauit, sed in [6] occurrentia obiter furit. Cetera vitia impellunt animos: ira præcipitat. Ceteris etiam si resistere contra affectus suos non licet, at certè affectibus ipsis licet stare: hæc non secùs quàm fulmina procellæque, & si qua alia irre- D uocabilia sunt, quia non eunt, sed cadunt, vim suam magis ac magis tendit. Alia vitia à ratione, hæc [7] à sanitate desciscit. alia accessus lenes habent, & incrementa fallentia: in irâ

COMMENTARIVS.

CAP. I. 1. REFRAENARE.] *Suprà*, II. *cap.* XVIII. *pars hæc argumenti posita*, Remedia iræ. *Ea duplicia*, Ne incidamus, &, Ne in eâ peccemus: *id est, quod hoc libro agitur, refræmemus & sistamus.*

2. OBIVRGATIO.] *Meticulosos.*

3. CONFESSIO.] *Generosos.*

4. PVDOR.] *Bonæ & ambitiosæ indolis.*

5. COMMVNIS MALI.] *Quod in lædentem, & sese veniat.*

6. OCCVRRENTIA.] *Quidquid obsistit, aut moratur. Sunt imagines, & tota ferè descriptio, à torrente: altiloqua, numerosa, sonans, vt amat noster.*

7. A SANITATE.] *Ea caussâ cur veteres* Morbosos *eos dixerint: Cicero* IV. *Tusc.* Benè igitur nostri, cùm

A in irâ [8] deiectus animorum est. Nulla itaque res vrget magis attonita, & in vires suas [9] prona, & siue successit, superba; siue frustratur, insana; ne repulsâ quidem in tædium acta, vbi aduersarium fortuna subduxit, in seipsam morsus suos vertit: nec refert, quantum sit, [10] ex quo surrexit. Ex leuissimis enim in maxima euadit. Nullam transit II. ætatem: nullum hominum genus excipit. Quædam gentes beneficio egestatis non nouêre luxuriam. quædam, quia exercitæ & [11] vagæ sunt, effugêre pigritiam. quibus [12] incultus mos, agrestis vita est, circumscriptio ignota est, & fraus, & quodcunque in foro malum nascitur: nulla gens est, quam non ira instiget, tam inter Graios quàm barbaros potens: non minùs pernicioſa leges metuentibus, quàm quibus iura distinguit modus virium. Denique cetera singulos corripiunt: hic vnus affectus est, qui interdum publicè concipitur. Nunquam vniuersus populus vnius feminæ amore flagrauit: nec in pecuniam aut lucrum tota ciuitas spem suam misit. ambitio viritim singulos occupat. Impotentia non est malum publicum: sæpè in iram vno agmine itum est. viri, feminæ, se-
B nes, pueri, principes, vulgusque consensere: & tota multitudo pauciſſimis verbis concitata, ipsum concitatorem anteceſſit. Ad arma protinus igneſque discursum est, & indicta finitimis bella, aut gesta cum ciuibus. Totæ cum stirpe omni crematæ domus: & modò eloquio fauorabilis habitus, in medio honore, iram suæ concionis excepit. [13] in Imperatorem suum legiones pila torserunt. Dissedit plebs tota cum patribus: publicum consilium, senatus, non exspectatis dilectibus, nec nominato Imperatore, [14] subitos iræ suæ duces legit: ac per tecta vrbis, nobiles consectatus viros, supplicium [15] manu sumpsit. [16] Violauit legationes rupto iure gentium, rabiesque infanda ciuitatem tulit: nec datum tempus, quo resideret tumor publicus: sed deductæ protinus classes, & oneratæ tumultuario milite. Sine more, [17] sine auspiciis, populus ductu [18] iræ suæ egressus, fortuita raptaque pro armis gessit: deinde magnâ clade temeritatem audacis iræ luit.

Hic barbaris [19] fortè ruentibus in bella exitus est. cùm mobiles animos species iniu- III.
riæ perculit; aguntur statim: & quà dolor traxit, [20] ruinæ modo regionibus incidunt
C incompositi, interriti, incauti, pericula appetentes sua: gaudent feriri, & instare ferro, & tela corpore vrgere, & [21] per suum vulnus exire. Non est, inquis, dubium, quin magna ista & pestifera sit vis: ideò quemadmodum sanari debeat, monstra. Atqui, vt in prioribus libris dixi, stat Aristoteles defensor iræ, & vetat illam nobis exsecari. Calcar ait esse virtutis: hac ereptâ, inermem animum & ad conatus magnos pigrum, inertemque fieri. Necessarium est itaque fæditatem eius ac feritatem coarguere, & ante oculos ponere, quantum monstri sit, homo in hominem furens; quantoque impetu ruat, non sine pernicie suâ pernicioſus, & ea deprimens, quæ mergi nisi cum mergente non possunt. Quid ergo? sanum hunc aliquis vocat, qui, velut tempestate correptus, non it, sed agitur, & fu-

cùm omnia essent in morbis vitia, quòd nullum erat iracundiâ fœdius, iracundos solos Morbosos nominauerunt. *Posteà tamen in communi vsu,* Morbosi, *Pathici.*

D 8. DEIECTVS.] *Prosternuntur, ab alto cadunt.*

9. PRONA.] *Tota se vrgens & præcipitans, sibi instans & imminens.*

10. EX QVO SVRREXIT.] *Veteres,* ex quo resurrexerit. *Puto verum,* ex quóue surrexerit.

CAP. II. 11. VAGÆ SVNT.] *Vt Scythæ, & Hamaxobij.*

12. INCVLTVS MOS.] *Notetur. res ita habet, vbi cultus animorum & vita ordinatior, malum hoc litium agnascitur, & deriuatur ab ipso legum fonte. Beati autem, quibus, cum Statio,*

Nulla foro rabies, aut strictæ iurgia litis:
Morum iura viris, solum, & sine fascibus, æquum.

13. IN IMPERATOREM.] *Exempla in Valerio habes, lib.* IX. *cap.* VII.

14. SVBITOS.] *Vt in Gracchanâ seditione, Nasica pro duce.*

15. MANV SVMPSIT.] *Meus liber,* manu suppressit. *An* manu suâ præcessit, *an aliud? vide. Alioqui vulgatam interpretêre, Supplicium, non lege aut iure, sed vi & manu exactum.*

16. VIOLAVIT LEG.] *Ad Carthaginienses hæc pertinere videntur. qui talia quædam tertio bello suo patrarunt. Appianum vide.*

17. SINE AVSP.] *Sine summo imperio, quod auspicatò dabatur. Romanus mos & sermo, de quo ad Tacitum.*

18. IRÆ SVÆ.] *Codex noster,* ductu iræ suoque. *pulchrè: id est, ducibus Irâ, & Seipso, vsus.*

CAP. III. 19. FORTE.] *Et non consilio. quibus impetus pro ratione est, & temeritas pro audaciâ.*

20. RVINÆ MODO.] *Simili imagine Florus, & ipse ex Annæi nostri gente, de Cimbris:* Tridentinis iugis in Italiâ prouoluti, ruinâ descenderant.

21. PER SVVM VVL.] *In hostem ire ac petere,*

& furenti malo ſeruit? nec mandat vltionem ſuam, ſed ipſe eius exactor, animo ſimul ac A
manu ſæuit, cariſſimorum, eorumque quos mox amiſſos fleturus eſt, carnifex? Hunc aliquis affectum virtuti adiutorem comitemque dat; conſilia, ſine quibus virtus gerit nihil, obturbantem? Caducæ ſiniſtræque ſunt vires, & in malum ſuum validæ, in quas ægrum morbus & acceſſio erexit. Non eſt ergo, quòd me putes tempus in ſuperuacuis conſumere, quòd iram, quaſi dubiæ apud homines opinionis ſit, infamem: cùm aliquis ſit, & quidem de illuſtribus philoſophis, qui illi [22] indicat operas, & tanquam vtilem ac ſpiritus ſubminiſtrantem in prœlia, in actus rerum, ad omne quodcunque calore aliquo gerendum eſt, vocet. Ne quem fallat, tanquam aliquo tempore, aliquo loco profutura, oſtendenda eſt rabies eius effrænata & attonita: apparatuſque illi reddendus eſt ſuus, [23] eculei, & [24] fidiculæ, & [25] ergaſtula, & cruces, & circumdati [26] defixis corporibus ignes, & cadauera quoque trahens [27] vncus, varia vinculorum genera, varia pœnarum, [28] lacerationes membrorum, [29] inſcriptiones frontis, & beſtiarum immanium [30] caueæ. Inter hæc inſtrumenta collocetur ira, dirum quiddam atque horridum ſtridens, omni- B
IV. bus per quæ furit tætrior. Vt de ceteris dubium ſit, nulli certè affectui peior eſt vultus, quem [31] in prioribus libris deſcripſimus, aſperum & acrem, & nunc ſubitò retrorſum ſanguine fugato, [32] pallentem, nunc in os omni calore ac ſpiritu verſo, ſubrubicundum, & ſimilem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis & exſilientibus, nunc in vno obtutu defixis & hærentibus. Adiice dentium inter ſe arietatorum, & aliquem [33] eſſe cupientium, non alium ſonum, quàm eſt apris, [34] tela ſua attritu acuentibus. Adiice [35] articulorum crepitum, cùm ſe ipſæ manus frangunt, & pulſatum ſæpiùs pectus, anhelitus crebros, tractoſque altiùs gemitus, inſtabile corpus, incerta verba ſubitis [36] exclamationibus, trementia labra, interdumque [37] compreſſa, & dirum quiddam exſibilantia. Ferarum, mehercules, ſiue illas fames exagitat, ſiue infixum viſceribus ferrum, minùs tætra facies eſt, etiam cùm venatorem ſuum ſemianimes morſu vltimo petunt, quàm hominis ira flagrantis. Age, ſi exaudire voces ac minas vacet, qualia excarnificati animi verba ſunt? nónne reuocare ſe quiſque ab irâ volet, cùm intellexerit il- C
lam à [38] ſuo primùm malo incipere? Non vis ergo admoneam eos qui iram in ſummâ poten-

per ipſam haſtam quæ vulnus fecit, & quam obnixus aduerſarius tenet. Feræ hoc ſolent & apri, vt ſcimus.

22. INDICAT.] *Vocet ad operas, easq; imperet. In legum libris, ipsâ hac phraſi* Indicit operas liberto patronus.

23. ECVLEI.] *Quibus impoſiti, extendebantur &* longiores fiebant, *ait Seneca Epiſt.* LXVII.

24. FIDICVLÆ.] *Nerui & chordæ, ad ipſum illum finem: ſiue etiam ad membra arctanda.*

25. ERGASTVLA.] *Carceres ruſtici aut domeſtici, in quos ſerui ad compedes & opus damnabantur. Scripſi* II. *Elect. proprio Capite.*

26. DEFIXIS CORP.] *Iuuenalis:*

— tædâ lucebis in illâ
Quâ ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant.

Tacitus XV. *Annal.* Crucibus affixi, aut flammandi: *& in Actis Martyrum plus ſemel legas, crucibus ſiue ſtipitibus affixos, igne conſumptos. Tamen vetus omnis hîc lectio,* defoſſis corporibus. *quid? ſoléntne defodere leuiter inferne, atque ita vſtulare? vt flamma ſcilicet magis coërceretur, & corpori applicaretur? Iuuenalis verſus ſic legi capiq; poſſit:*

Et latus mediam ſulcus diducet arenam:

qui iam dictis illis ſubnexus. Sulcus, pro ipsâ tali foſſâ, & illo fine.

27. VNCVS.] *Romanus mos, per ignominiam, damnatorum corpora in Gemonias ſcalas vnco trahere, deinde in Tiberim præcipitare. Feſtus in* Hamotrahones, *Cicero in Philip. & alij.*

28. LACERATIONES.] *Cùm vngulis latera ſulcabant. Licet ad virgas, flagella, ſcorpiones etiam referre.*

29. INSCRIPTIONES.] *Cùm ſtigmate notabant, & litteras inurebant. Dixi* II. *Elect. cap. de Ergaſtulis.*

30. CAVEÆ.] Cauernæ *meus, & quidam. Et fuêre ſpecus ac cauernæ in Amphitheatris, vnde beſtiæ in damnatos emitterentur. Sed & idem è* Caueis. *Huc igitur, & ad ferales ludos ſpectat? an quòd homines in caueam coniecerint, & circumtulerint, inſtar beſtiarum? Quod Lyſimachus Teleſphoro fecit infrà, cap.* XVII. *Sed & Caligula* multos beſtiarum more quadrupedes, caueis coërcuit. *Sueton. cap.* XXVII.

CAP. IV. 31. IN PRIOR. LIBR.] *Certè, & plus* D
ſemel: cur repetis? an quia vis hoc imprimere, & contra Peripateticos vt firmum habes, ſchematis hanc fœditatem?

32. PALLENTEM.] *Qui mali, & metuendi. reconditâ irâ.*

33. ESSE CVP.] *Id eſt, ediſſe & deuoraſſe aliquem cupientium. Itaque malim etiam,* vt aliquem: *vel,* & vt aliq.

34. TELA SVA.] *Dentes, quibus pugnat.*

35. ARTICVLORVM.] *Lib.* I. *cap.* I.

38. EXCLAMATIONIBVS.] *Et quidem voce acutâ. cuius cauſſam Ariſtoteles, ſiue auctor libri* De Phyſiognomoniâ, *tradit.*

37. COMPRESSA.] *Meus,* complexa. *malim.*

38. SVO PRIMVM.] *Nam ſe torquet & diſtorquet.*

39. IRA

A potentiâ exercent,& argumentum virium existimant, & in magnis magnæ fortunæ bonis ponunt paratam vltionem, quàm non sit potens, imò nec liber quidem dici possit, [39] irâ captus? Non vis admoneam, quò diligentior quisque sit, vt ipse se circumspiciat: alia animi mala ad pessimos quosque pertinere, iracundiam etiam [40] eruditis hominibus, & in alia sanis, irrepere? adeò vt quidam simplicitatis indicium iracundiam dicant, & vulgò credatur facillimus quisque huic obnoxius. Quorsus, inquis, hoc pertinet? Vt nemo se iudicet tutum ab illâ: cùm lentos quoque naturâ, & placidos, in sæuitiam ac violentiam euocet. Quemadmodum aduersus pestilentiam nihil prodest firmitas corporis, & diligens valetudinis cura: promiscuè enim imbecilla robustaque inuadit: ita ab irâ tam inquietis moribus periculum est, quàm compositis & remissis. quibus eò turpior ac periculosior est, quò plus in illis mutat. Sed cùm primum sit, non irasci; secundum, [41] retinere; tertium, alienæ iræ mederi: dicam primùm, quemadmodum in iram non incidamus; deinde, quemadmodum ab illâ liberemur; nouissimè, quem-
B admodum irascentem retineamus placemusque, & ad sanitatem reducamus. Ne irascamur, præstabimus, si omnia vitia iræ nobis subinde proposuerimus, & illam benè æstimauerimus. Accusanda est apud nos, damnanda: perscrutanda eius mala, & in medium protrahenda sunt: vt qualis sit appareat, comparanda cum pessimis est. Auaritia acquirit, & contrahit, quo [42] aliquis melior vtatur: ira [43] impendit: [44] paucis gratuita est. Iracundus dominus quosdam in fugam seruos egit, quosdam in mortem: quanto plus irascendo, quàm id erat propter quod irascebatur, amisit? Ira patri [45] luctum, marito diuortium attulit, magistratui odium, candidato repulsam. Peior est etiam, quàm luxuria: quoniam illa suâ voluptate fruitur, hęc alieno dolore. Vincit malignitatem & inuidiam: illæ enim infelicem fieri volunt, hæc facere. illæ [46] fortuitis malis delectantur: hæc non potest expectare fortunam. nocere ei quem odit, non noceri vult. Nihil est simultatibus grauius: has ira conciliat. nihil est bello funestius: in hoc potentium ira prorumpit. ceterùm etiam illa plebeia ira & priuata, inerme, & sine viribus bellum est. Præterea ira,
C vt seponamus quæ mox secutura sunt damna, insidias, perpetuam ex certaminibus mutuis solicitudinem, dat pœnas dum exigit: naturam hominis [47] mutat. Illa in amorem hortatur, hæc in odium: illa prodesse iubet, hæc nocere. Adiice, quòd cùm indignatio eius à nimio sui suspectu veniat, & animosa videatur, pusilla est & angusta. nemo enim non eo, à quo se contemptum iudicat, minor est. At ille ingens animus, & verus æstimator sui, non vindicat iniuriam, quia non sentit. [48] Vt tela à duro resiliunt, & cum dolore cædentis solida feriuntur: ita nulla magnum animum iniuria ad sensum sui adducit, fragilior eo quod petit. Quanto pulchrius est, velut nulli penetrabilem telo, omnes iniurias contumeliasque respuere? Vltio, doloris confessio est. non est magnus animus, quem

V.

39. IRA CAPTVS.] *Meus liber*, iræ suæ captus, *quod & in Gruteri quibusdam. Omnino faciendum*, iræ suæ captiuus. *Non est liber, inquit. quid ergo? captiuus. cuius? suæ Iræ.*

D 40. ERVDITIS.] *Imò ingenioſi & celeres, ad iram maximè proni. quod Plato notauit in Theæteto*: Ἀλλ' οἵ τε ὀξεῖς, καὶ ἀγχίνοι καὶ μνήμονες, ὡς τὰ πολλὰ, καὶ πρὸς τὰς ὀργὰς ὀξύῤῥοποί εἰσι, καὶ ἅττοντες φέρονται, ὥσπερ τὰ ἀνερμάτιστα πλοῖα, καὶ μανικώτεροι ἢ ἀνδρειότεροι φύονται: At verò sagaces, & ingenioſi, & memorioſi, vt plurimùm, etiam ad iras propenſi magis ſunt; & ſubſilientes feruntur, vt naues non ſaburratæ; & furioſi magis quàm fortes ſunt nati. *Sed &* fatuos *Ariſtoteles habet, qui nuſquam iraſcuntur. Igitur hîc Seneca*, Eruditi, *voce, Stoicum in morem & ſenſum, vtitur. qui ſic appellant bonos, aut boni ſtudioſos.*

CAP. V. 41. RETINERE.] *Frænare, inhibere, vt ſuprà, cap.* 1. *Nam ad eamdem partitionem reſpicit. Tamen meus, & ſcripti alÿ conſenſu*, detinere: *ex quo rectè fecerim*, detumere: *tumorem & iram deponere.*

42. ALIQVIS MELIOR.] *Non enim ipſa vtitur. & alÿs quærit ac comparcit.*

43. IMPENDIT.] *Optimè hoc Muretus, etſi libri omnes* incendit. *Nam comparat Iram cum Auaritiâ, & hac parte poſtponit. quod auarus quærat ſaltem aliquid alteri; at Ira conſumit & impendit.*

44. PAVCIS GRAT.] *Explico. apud paucos Ira ſine malo & damno ſubſedit: quos occupauit, mercedem ab ÿs abſtulit. Quomodo? è ſequentibus deinde. ſerui fugâ aut morte amiſſi, vaſa fracta, & eiuſmodi pluria.*

45. LVCTVM.] *Fugâ item aut morte filÿ.*

46. FORTVITIS.] *A deo aut caſu immiſſis.*

47. MVTAT.] *In alienos homini mores transferendo. ita in meis repperi. at alÿ*, vitiat, *vel* euitat, *quidam* iurat. *ex quo acutè Gruterus*, eiurat.

48. VT TELA.] *Huius ſententiæ plura, in* De Conſt. ſap. *cap.* III.

quem incuruat iniuria. Aut potentior te, aut imbecillior læsit. si imbecillior, parce illi: A
VI. si potentior, tibi. Nullum est argumentū magnitudinis certius quàm nihil posse, quo instigeris, accidere. [49] Pars superior mundi & ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem: omni tumultu caret. inferiora fulminant. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, & in statione tranquillâ collocatus, [50] intra se premens quibus ira contrahitur, modestus & venerabilis est & compositus: quorum nihil inuenies in irato. Quis enim traditus dolori & furens, non primam reiecit verecundiam? quis impetu turbidus, & in aliquem ruens, non quicquid in se [51] verecundi habuit, abiecit? cui officiorum [52] numerus aut ordo constitit incitato? quis linguæ temperauit? quis vllam partem corporis tenuit? quis se regere potuit? [53] In immensum proderit nobis illud Democriti salutare præceptū, quo monstratur tranquillitas, si [54] *neque priuatim, neque publicè multa, aut maiora viribus nostris egerimus*. Nunquam tam feliciter in multa discurrenti negotia dies transit, vt non aut ex homine, aut ex re offensa nascatur, quæ animum in iras paret. Quemadmodum per B
frequentia vrbis loca properanti in multos incursitandum est, & alicubi labi necesse est, alicubi retineri, alicubi [55] respergi: ita in hoc vitæ actu dissipato & vago, multa impedimenta, multæ querelæ incidunt. Alius spem nostram fefellit, alius distulit, alius [56] intercepit: non ex destinato proposita fluxerunt. [57] nulli fortuna tam dedita est, vt multa tentanti vbique respondeat. sequitur ergo, vt is cui contrà quàm proposuerat, aliqua cesserunt, impatiens hominum rerumque sit: ex leuissimis caussis irascatur, nunc personæ nunc negotio, nunc loco, nunc fortunæ, nunc sibi. Itaque vt quietus possit esse animus, non est iactandus, nec multarum, vt dixi, rerum actu fatigandus, nec magnarum, [58] supraque vires appetitarum. Facile est, leuia aptare ceruicibus, & in hanc aut in illam partem transferre sine lapsu: at quæ alienis in nos manibus imposita ægrè sustinemus, victi in proximos effundimus, & dum stamus sub sarcinâ, impares oneri vacillamus.

VII. Idem accidere in rebus ciuilibus ac domesticis, scias. negotia expedita & habilia sequuntur [59] actorem? ingentia, & supra mensuram agentis, nec dant se facilè, & si occu- C
pata sunt, premunt atque [60] adducunt administrantem, tenerique iam visa, cum ipso cadunt. Itaque fit, vt frequenter irrita sit eius voluntas, qui non quæ facilia sunt, aggreditur, sed vult facilia esse, quæ aggressus est. [61] Quotiens aliquid conaberis, te simul & ea quæ paras, quibusque pararis, ipse metire. Faciet enim te asperum pœnitentia operis infecti.

CAP. VI. 49. PARS SVPERIOR.] *Epist.* LIX. Talis est sapientis animus, qualis mundi status super Lunam. Semper illic serenum est. *Lucanus hæc ipsa:*

Fulminibus propior terræ succenditur aër,
Imaque telluris ventos tractusque coruscos
Flāmarū accipiunt: nubes excedit Olympus.
Lege Deum, minimas rerū discordia turbat,
Pacem summa tenent.

50. INTRA SE.] *Continens & deuorans illa, siue vincens, quibus ira solet contrahi. Nihil turbidum extra se ostendens.*

51. VERECVNDI.] *Ergo bis idem dicit? nam suum membrum iam fuit de Verecundiâ abiectâ. Omnino legendum*, verendi. *Nam ecce tria posuit in tranquillo animo & pacato*; Verecundum *fecit*, Venerabilem, Compositum. *Ordine hæc ipsa exsequitur, & ostendit contrà in Irato esse.*

52. NVMERVS.] *Non propriè ἀριθμός, sed ῥυθμός, modus, concinnitas.*

53. IN IMMENSVM.] *Libri alij*, Quis se regere potuit immissum? Proderit. *Id esset, iam præcipitem, iam in casum ex alto datum. Siue etiam, in cursu iam medio; ab aurigis equisve. Si tamen vulgata magis ridet, tum cum Grutero fiat:* Immensum proderit. *At nequid celem, mihi inconnexa hæc videntur, & suspicio defectus est.*

54. NEQVE PRIVATIM.] *Vide De Tranquill. cap.* XII.

55. RESPERGI.] *Sordibus inquinari.*

56. INTERCEPIT.] *Fraude in se transtulit. ipse re, sperata nobis, potitus est.*

57. NVLLI FORTVNA.] *De Tranquill. cap.* XIII. Nam qui multa agit, sæpè fortunæ potestatem sui facit: quam tutissimum est rarò experiri. D

58. SVPRAQVE VIRES.] *De Tranquill. cap.* V. Æstimanda sunt deinde ipsa, quæ aggredimur, & vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandæ. Debet enim semper plus esse virium in latore, quàm in onere. Necesse est opprimant onera, quæ ferente maiora sunt.

CAP. VII. 59. ACTOREM.] *Ita libri, etsi Romana editio* auctorem. *Sed illud asserit ipse noster, dum adiungit*, supra mensuram agentis.

60. ADDVCVNT.] *Contrahunt, incurùant.*

61. QVOTIENS ALIQ.] *Idem præceptum De Tranquill. cap.* IV. Inspicere debemus primùm nosmetipsos, deinde quæ aggredimur negotia, deinde eos quorum caussâ, aut cum quibus, agendum est.

62. GENE-

A infecti. Hîc intereſt, vtrùm quis feruidi ſit ingenij, an frigidi, atque humilis. [62] generoſo repulſa iram exprimet, [63] languido inertiq́ triſtitiam. Ergo actiones noſtræ nec [64] prauæ ſint, nec audaces, nec improbæ. [65] in vicinum ſpes exeat. nihil conemur, quod mox adepti quoque ſucceſſiſſe [66] miremur. Demus operam, ne accipiamus iniuriam, VIII.
quam ferre neſcimus. Cum placidiſſimo & facillimo, & minimè [67] anxio moroſoq́ue viuendum eſt. Sumuntur à conuerſantibus mores: & vt quædam [68] in contactos corporis vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrioſus conuictores in amorem vini traxit: impudicorum cœtus fortem quoque & [69] ſiliceum virum emolliit: auaritia in proximos virus ſuum tranſtulit. Eadem ex diuerſo ratio virtutum eſt, vt omne quod [70] ſecum habent, mitigent. nec tam valetudini profuit vtilis regio & ſalubrius cælum; quàm animis parum firmis, in turbâ meliorum verſari. Quæ res quantum poſſit, intelliges, ſi videris feras quoque conuictu noſtro manſueſcere: nulliq́ue immani beſtiæ vim ſuam permanere, ſi hominis contubernium diu paſſa eſt. Retunditur omnis
B aſperitas, paulatimq́ue inter placida dediſcitur. Accedit huc, quòd non tantùm exemplo melior fit, qui cum quietis hominibus viuit: ſed quòd cauſſas iraſcendi non inuenit, nec vitium ſuum exercet. Fugere itaque debebit omnes, quos irritaturos iracundiam ſciet. Qui ſunt, inquis, iſti? multi ex variis cauſſis [71] idem facturi. Offendet te ſuperbus contemptu, diues contumeliâ, petulans iniuriâ, liuidus malignitate, pugnax contentione, ventoſus & mendax vanitate. non feres à ſuſpicioſo timeri, à pertinace vinci, à delicato faſtidiri. Elige ſimplices, faciles, moderatos; qui iram tuam nec euocent, & ferant. Magis adhuc proderunt ſubmiſſi & humani, & dulces, non tamen vſque in adulationem. nam iracundos nimia aſſentatio offendit. Erat certè amicus noſter, vir bonus, ſed iræ paratioris, cui non magis erat tutum blandiri, quàm maledicere. [72] Cælium oratorem fuiſſe iracundiſſimum conſtat. cum quo, vt aiunt, cœnabat in cubiculo [73] lectæ patientiæ cliens: ſed difficile erat illi in [74] crapulam coniecto, rixam eius cum quo edebat, effugere. Optimum iudicauit quicquid dixiſſet ſequi, & [75] ſecundas agere. Non
C tulit Cælius aſſentientem, ſed exclamauit: *Dic aliquid contrà,* [76] *vt duo ſimus.* Sed ille quoque, quòd non iraſceretur iratus, citò ſine aduerſario deſiit. Eligamus ergo vel hos potiùs, ſi conſcij nobis iracundiæ ſumus, qui [77] vultum noſtrum ac ſermonem ſequantur.

62. GENEROSO.] *Qui feruido atque igneo ingenio.*

63. LANGVIDO.] *Qui frigido humiliq́.*

64. PRAVÆ.] *Pinciano ita. ſed libri meliùs*, paruæ. *Vult enim nec viles minutaſq́ actiones noſtras, nec altas nimis & audaces. Media ſequamur.*

65. IN VICINVM.] *Ipſe interpres De Tranquill. cap.* x. Propè poſita, ſpeiq́ue noſtræ alludentia ſequamur.

66. MIREMVR.] *Quaſi ſupra vota, aut fata noſtra.*

CAP. VIII. 67. ANXIO.] *Quidam* obnixo. D *nec malè.*

68. IN CONTACTOS.] *Aliquot exemplaria*, ad contactos. *Vtrumuis rectè.* Vuaq́ue contactâ liuorem ducit ab vuâ.

69. SILICEVM.] *Coniectura Pinciani eſt. etenim ſcripti:* ſi liceat. *id eſt, niſi peruertatur, ſi per molles liceat, virum. Nam Vir, Impudico opponitur; qui in alterum ſexum tranſit. Alioqui* Siliceus *vir, durus ſit. vt poëta:* ſcopulis durior Icari. *Caſſiodorus*: Non credentium corda omnino lapidea ſunt, & verè ſilicibus comparanda.

70. SECVM HABENT.] *Apud ſe, quod adhæret & conuerſatur.*

71. IDEM FACTVRI.] *Euocaturi iracundiam.*

72. CÆLIVM.] *M. Cælium, ad quem Ciceronis epiſtolæ, & eius ad Ciceronem exſtant, digniſſimæ quæ cum illis (pænè dicam, ante illas) legantur.*

73. LECTÆ PAT.] *Quæſitæ, edecumatæ.*

74. CRAPVLAM.] *Tenui, etſi non probaui. In meo, & quibuſdam alijs*, in copulam coniecto, rixe. c. quo hærebat, effugere. *Nihil verius. non agitur de crapulâ, nec talis iſte vir. ſed naturâ ita iracundus, vt ſi cum altero iunctus copulatúſque eſſet, id eſt ſi comitem paullò diutiùs adhærentem haberet; neceſſum eſſet à ſermone ad rixam venire.*

75. SECVNDAS AGERE.] *Meus*, & res ſecundas. *Vulgatum amplector, ſignificátque ſermone quodam adagiali, ſequi, obſequi, præcunti ancillari. Sumptum ab hiſtrionibus, in quibus primarum partium alij, alij ſecundarum. Atque iſti ſubmittunt, & patiuntur illos excellere: ideoq́* ſecundas agere, *demittere, & blandiri. Plautus:* Nunc ſecunda (*an* ſecundas) mihi facis. *Etſi ibi Lambinus, ad ſuccidaneas hoſtias refert: &* ſecundâ hoſtiâ *mihi* facis, *id eſt ſacrificas, interpretatur. Porrò* ſecundas agere, *compendio intelligebant, partes. Horatius:*

—aut minimum partes tractare ſecundas.

76. VT DVO SIMVS.] *Cælio dignum dictum. Vnus vir videbatur vterque, quia eiuſdem ſenſus & ſermonis. Tu igitur, inquit, oppone alibi aut diſſenti, vt Cælius non videatur cum Cælio cœnare.*

77. VVLTVM.] *Eoipſo lati, triſtes, probantes, improbantes, quæ noſipſi.*

78. De

tur. facient quidem nos delicatos, & in malam consuetudinem inducent, nihil contra A
voluntatem audiendi: sed proderit, vitio suo interuallum & quietem dare. Difficilis
quoque & indomita natura, blandientem feret: & nihil asperum tætrumque palpanti
est. Quotiens disputatio longior & pugnacior erit, in primâ resistamus, antequam ro-
bur accipiat. Alit seipsam contentio:[78] demissos altiùs tenet. Facilius est se à certamine
IX. abstinere, quàm abducere. Studia quoque grauiora iracundis omittenda sunt,
aut certè citra lassitudinem exercenda: & animus non inter plura versandus, sed artibus
amœnis tradendus. Lectio illum carminum obleniat, & historia[79] fabulis detineat:
molliùs delicatiusque tractetur. [80] Pythagoras perturbationes animi lyrâ componebat.
quis autem ignorat, lituos & tubas concitamenta esse; sicut quosdam cantus blandi-
menta, quibus mens resoluatur? Confusis oculis prosunt virentia, & quibusdam colori-
bus infirma acies acquiescit, quorundam splendore præstringitur: sic mentes ægras stu-
dia læta permulcent. Forum, aduocationes, iudicia, fugere debemus, & omnia quæ exul-
cerant vitium: æquè cauere lassitudinem corporis. consumit enim, quicquid in nobis B
mite placidumque est, & acria concitat. Ideò quibus stomachus suspectus est, processu-
ri ad res agendas maioris negotij, bilem cibo temperant. quam maximè mouet fatiga-
tio: siue quia calorem inedia compellit, & nocet sanguini, cursumque eius, venis[81] la-
borantibus, sistit: siue quia corpus attenuatum & infirmum[82] incumbit animo. certè
ob eandem causam iracundiores sunt[83] valetudine aut ætate fessi. Fames quoque & si-
X. tis, ex eisdem causis, vitanda est: exasperat enim & incendit animos. Vetus dictum
est, [84] *A lasso rixam quæri*. æquè autem & ab[85] esuriente, & à sitiente, & ab omni ho-
mine quem aliqua res[86] vrit. Nam vt vlcera ad leuem tactum, deinde etiam ad suspicio-
nem tactus condolescunt: ita animus affectus, minimis offenditur. adeò vt quosdam
[87] salutatio, epistola, oratio, & interrogatio in litem euocent. Nunquam sine querelâ ægra
tanguntur. Optimum est itaque, ad primum mali sensum mederi sibi: tum verbis quo-
que suis minimum libertatis dare, & inhibere impetum. Facile est autem, affectus suos
cùm primùm oriuntur, deprehendere. morbum signa præcurrunt. Quemadmodum C
tempestatis ac pluuiæ ante ipsas notæ veniunt: ita iræ, amoris, omniumque istarum
procellarum animos vexantium, sunt quædam[88] prænuntia. Qui[89] comitiali vitio so-
lent

78. DEMISSOS ALTIVS.] *Alij libri*, dimissos: *sed meus*, admissos. *optimè. A cursu sumptum. Resiste, inquit, in primâ viâ aut carceribus: quòd si te admiseris, & ad cursum dissertationis incitaueris, non disiungêris.* Admitti equus *dicitur, cui frena laxamus. Legam etiam*, arctiùs tenet.

CAP. IX. 79. FABVLIS.] *Fabulæ in historiâ? malim* fabularis. *Suetonius Tiberij, cap.* LXX. Maximè curauit notitiam historiæ fabularis. μυθολογίας.

80. PYTHAGORAS.] *Quod cùm alij, tum Plutarchus de eo, in Commentariolo* De virtute morali *tradit. Imò inter præcepta eius erat*, ὡδαῖς χρῆσθαι πρὸς λύραν: cantibus ad lyram vti. *Atque adeò censebat* τήν τε ἀρετὴν, ἁρμονίαν εἶναι, καὶ τὴν ὑγίειαν, καὶ τὸ ἀγαθὸν ἅπαν, καὶ τὸν θεόν: & Virtutem esse Harmoniam, & Valetudinem, & omne Bonum, & ipsum Deum.

81. LABORANTIBVS.] *Vide an non* labentibus. *Ita de Benef.* III. *cap.* IX. Cadentes venas vino reficisse. *& Epist.* XCV. Vino fulcire venas cadentes. *Quod totum ad hanc inediam pertinet: in quâ venæ detumẽt, & quasi subsidunt. Sic autem collapsæ, & velut clausæ, cursum sanguinis sistunt, vt hîc ait. Sed ratio & origo à spiritibus; qui absumpti, & minùs intendunt venas, & vehiculum sanguini non præbent. Haud dispar illud Suetonij, de Augusto:* malas labentes corrigi sibi præcepit. *Labuntur verò sub mortem, vt & tempora. Seneca Tragicus:*

—lapsæ genæ Lucem recusant.

82. INCVMBIT ANIMO.] *Quasi onus eum præmit. se non sustinet, in animum reclinat.*

83. VALETVDINE AVT.] *De his caußis dictum lib.* II. *cap.* XIX.

CAP. X. 84. A LASSO.] *Plinius lib.* XXII. *cap.* XXIV. Sic & in lassitudine proniores esse ad iracundiam, & in siti.

85. ESVRIENTE.] *Plautus Amphitruone:* Vetus adagium est, Fames & mora bilem in nasum con- D
ciunt. *Et muliercula in Theocrito, de marito suo iracundo:* —πείναντί γε μηδ' ἔποτ' ἔν θῆς:

—Esurienti haud obuius esto.

86. VRIT.] *Vbicumque inopia aut solicitudo. Suprà dictum, repete.*

87. SALVTATIO.] *Parùm tempestiua, aut honorifica. Simile in sequentibus.*

88. PRÆNVNCIA.] *Aliàs* prognostica *etiam legitur: sed interpretamentum est.*

89. COMITIALI.] *Morbo sacro, Herculaneo, Maiore, caduco,* ἐπιληψία. *Appellat ipse* Vitium comitiale, *scitè, quia Comitia (priscâ superstitione) vitiabat. Serenus:*

Est etiam morbi species, cui nomen ab illo,
Quòd fieri nobis suffragia iusta recusat.

90. SVM-

A lent corripi,iam aduentare valetudinem intelligunt, si calor[90] summa deseruit, &[91] incertum lumen, neruorumque trepidatio est, si memoria sublabitur, caputque versatur. Solitis itaque remediis[92] incipientem casum occupant, & odore gustuque,[93] quicquid est quod alienat animos, repellitur: aut fomentis contra frigus rigoremque pugnatur: aut si parùm medicina profecit, vitauerunt turbam, &[94] sine teste ceciderunt. Proderit morbum suum nosse,& vires eius antequam[95] spatientur,opprimere. Videamus quid sit, quod nos maximè concitet. Alium[96] verborum, alium[97] rerum contumeliæ mouent. hic vult nobilitati suæ,[98] hic formæ suæ parci. ille[99] elegantissimus haberi cupit, ille doctissimus. hic superbiæ impatiens est, hic contumaciæ. ille seruos non putat dignos quibus irascatur: hic[100] intra domum sæuus est, foris mitis: ille rogari,[101] inuidiam iudicat: hic,non rogari,[102] contumeliam. Non omnes ab eâdem parte feriuntur.

Scire itaque oportet, quid in te imbecillum sit, vt id maximè protegas. Non expedit XI.
omnia videre,omnia audire. multæ nos iniuriæ transeant: ex quibus pleraſque non ac-
B cipit, qui nescit. Non vis esse iracundus? ne sis curiosus. Qui inquirit quid in se dictum sit, qui malignos sermones etiamsi secretò habiti sint, eruit, se ipse inquietat. Quædam[103] interpretatio cò perducit, vt videantur iniuriæ. Itaque alia differenda sunt,alia deridenda, alia donanda. Circumscribenda multis modis ira est. pleraque in lusum iocumque vertantur. [104] Socratem aiunt, colapho percussum nihil amplius dixisse, quàm *Molestum esse,quòd nescirent homines quando cum galeâ prodire deberent*. Non quemadmodum facta sit iniuria refert, sed quemadmodum lata. Nec video quare difficilis sit moderatio, cùm sciam tyrannorum quoque, tumida & fortunâ & licentiâ ingenia, familiarem sibi sæuitiam repressisse. Pisistratum certè, Athenienſium[105] tyrannum,memoriæ proditur, cùm multa in crudelitatem eius[106] ebrius conuiua dixisset,[107] nec deessent qui vellent manus ei commodare, & alius hinc, alius illinc faces subderent; placido animo tulisse, & hoc irritantibus respondisse, *Non magis illi se succensere, quàm si quis*[108] *obligatis oculis in se incurrisset*. Magna pars querelas[109] manu fecit,aut falsa suspicãdo, aut leuia ag-
C grauando. Sæpè ad nos ira venit,sæpius nos ad illam.quæ nunquam accersenda est: XII.
etiam cùm incidit, reiiciatur. Nemo dicit sibi: *Hoc propter quod irascor, aut feci,aut feciſſe potui*. Nemo animum facientis, sed ipsum æstimat factum. atqui ille intuendus est, an

volue-

90. SVMMA DESER.] *Summas corporis extremasq; partes, an & caput? Vtrumque enim solere, è Celso discas lib.*II. *cap.* VII. Optimum est à manibus pedibúsve initium fieri: deinde à lateribus: pessimum inter hæc,à capite.

91. INCERTVM LVMEN.] *Oculi tenebrescunt. de quo aliisq; signis, & eorum caussis, proprio libello Hippocrates,De morbo sacro.*

92. INCIPIENTEM CASVM.] *Probes, nisi libri abducant.quorum alij* causſam,*alij* (*vt meus*)curam: *Reficerem*, incipientem curâ occupant. *Morbum cùm incipere sentiunt, curâ præueniunt.quâ? iam addit,de odore,gustu.*

D

93. QVIDQVID EST.] *Hippocrates pituitam frigidam & crassam censet, illapsam in venas: quæ meatus claudit, sanguinem sistit, officia omnia turbat. Fernelius venenati aliquid spiritus miscet: nec malè, siquis occulti aliquid & diuini, quod in morbis quibusdam & Hippocrates agnoscit.*

94. SINE TESTE.] *Ad vitandam infamiam.*

95. SPATIENTVR.] *Liberè se diffundant, & exserant.*

96. VERBORVM.] *Generosos.*

97. RERVM.] *Viliores.*

98. HIC FORMÆ.] *Meus*, famæ.

99. ELEGANTISSIMVS.] *Non ad formam (nam de eâ præcesſit,in vulgatis quidem) sed ad* φιλοκαλίαν *& elegantiam morum habitúsque refer.*

100. INTRA DOMVM.] *Qualis apud Satyricum*

— Antiphates trepidi laris, ac Polyphemus.

101. INVIDIAM.] *Quasi graue fortunæ suæ & inuidiosum, quemquam sibi supplicare.*

102. CONTVMELIAM.] *Quasi superbè contemnatur.*

CAP. XI. 103. INTERPRETATIO.] *Id est, scrutatio, ruminatio, pro suo sensu explicatio. Tacitus:* Viso conspectoque Agricolâ, quærerent famam, pauci interpretarentur.

104. SOCRATEM AIVNT.] *Imò id Diogeni Cynico Diogenes Laërtius adscribit:* Ἐντρίψαντος αὐτῷ κόνδυλον τινὸς, Ἡράκλεις, ἔφη, οἷον με χρῆμα ἐλάνθανε, τὸ μετὰ περικεφαλαίας περιπατεῖν: Pugno ab aliquo percussus, Iupiter, inquit, quàm me fugit cum galeâ inambulare?

105. TYRANNVM.] *Nomine, at re optimum (in multis quidem) Principem.*

106. EBRIVS CONVIVA.] *Thrasippus quidam, ex amicis eius, Valerium vide, libro* V. *cap.*I.

107. NEC DEESSENT.] *Ipsi etiam filij duo,* violatæ patris maiestati subuenire cupientes. *Valerius.*

108. OBLIGATIS OCVLIS.] *Ad ebrietatem hoc referens, & excusans mentem vino sauciam & cæcam.*

109. MANV FECIT.] *Sponte. ipsi fabricati sunt, & sibi*

voluerit, an [110] inciderit: coactus sit, an deceptus: odium secutus sit, an [111] præmium: A
sibi morem gesserit, an [112] manum alteri commodauerit. Aliquid peccantis ætas facit, aliquid fortuna: vt ferre ac pati, aut [113] humanum, aut [114] humile sit. [115] Eo loco nos constituamus, quo ille est cui irascimur. nunc facit iracundos iniqua nostri æstimatio: & quæ facere vellemus, pati nolumus. Nemo se [116] differt. atqui maximum remedium iræ, [117] dilatio est: vt primus eius feruor relanguescat, & caligo quæ premit mentem, aut residat, aut [118] minùs densa sit. Quædam ex his quæ te præcipitem ferebant, hora, non tantùm dies, molliet: quædam ex toto euanescent. [119] Si in hoc erit [120] petita aduocatio, apparebit iam iudicium esse, non iram. Quicquid voles quale sit scire, [121] tempori trade. nihil diligenter [122] in fluctu cernitur. Non potuit impetrare Plato à se tempus, cùm seruo suo irasceretur, sed ponere illum statim tunicam, & præbere scapulas verberibus iussit, suâ manu ipse percussurus. Postquam intellexit irasci se, sicut sustulerat manum suspensam detinebat, & stabat percussuro similis. Interrogatus deinde ab amico, qui fortè interuenerat, quid ageret? *Exigo*, inquit, *pœnas ab homine iracundo.* velut stupens, gestum B
illum sæuituri deformem sapienti viro seruabat, oblitus iam serui: quia alium quem potiùs castigaret, inuenerat. Itaque abstulit sibi in suos potestatem, & ob peccatum quoddam commotior; *Tu*, inquit, [123] *Speusippe seruulum istum verberibus obiurga: nam ego irascor.* [124] Ob hoc non cecîdit, propter quod alius cecidisset. Irascor, inquit: plus faciam quàm oportet: libentiùs faciam. non sit iste seruus in eius potestate, qui in suâ non est. Aliquis vult irato committi vltionem, cùm Plato sibi ipse imperium abrogauerit? Nihil tibi liceat, dum irasceris. quare? quia vis omnia licere. Pugna tecum ipse. si iram vincere non potes, illa te incipit vincere. Si absconditur, si illi exitus non datur, signa eius
XIII. obruamus: & illam, quantum fieri potest, occultam secretamque teneamus. Cum magnâ id nostrâ molestiâ fiet. Cupit enim exilire, & incendere oculos, & mutare faciem: sed si imminere illi extra nos licuit, supra nos est. In imo pectoris secessu recondatur, [125] feraturque, non ferat: imò in contrarium omnia eius indicia flectamus. Vultus re-
mitta- C

& sibi inuenerunt. Vide super hac phrasi, Consol. ad Marc. cap. XIX.

CAP. XII. 110. AN INCIDERIT.] *Casu, non voluntate & decreto fecerit.*

111. PRÆMIVM.] *Non vt te læderet, sed sibi benè faceret.*

112. MANVM ALTERI.] *Non à se, sed instinctu alieno læserit.*

113. HVMANVM.] *Si puer, mulier, miser, afflictus.*

114. HVMILE.] *Si vir, & æqualis; si superbus, procax, contemptor, inimicus.*

115. EO LOCO.] *Vt videamus, an non ipsi tale peccaturi: & peccato, an sic succenseri vellemus.*

116. DIFFERT.] *Properat statim vlcisci: nec inquirit, nec cognoscit.*

117. DILATIO EST.] *Itaque Athenodorus Stoicus bellè & opportunè Augusto, cùm missionem ab eo peteret domum rediturus, atque ille monitum etiam aliquod & sapientiæ monumentum vltimum vellet:* Vt, *inquit*, quoties irasceris, nihil dicere aut facere tentes, priusquam XXIIII. litteras tecum recitaueris. *Intellexit & arripuit optimus Princeps, & simul manum Athenodoro iniiciens*, Mihi verò tuâ præsentiâ, *inquit*, etiam est opus. Manedum. *Exigua morula videatur, in tot iis litteris: sed flamma vel maxima iracundiæ subsidet, & in se labetur, per illam.*

118. MINVS DENSA.] *A sole rationis paullatim dispulsa. Hæc quoque similitudo in Plutarcho:* Nemo, *inquit*, vindicat in seruum, quod decimo aut quinto die iamantè admiserit, neque tunc eum flagellat, quòd pulmentum adusserit, mensam euerterit, segniùs audierit. Atqui ea sunt, quibus admissis tumultuamur, & placari non possumus. Enimuerò vt per nebulam corpora, sic res per iram apparent grandiores.

119. SI IN HOC.] *Ita ex Rudolfi Agricolæ sensu, Erasmus. At libri scripti,* Si nihil erit. *Retineam, sed sic legam & ordinem:* Si nihil erit, petita aduocatione apparebit. *Sensus, si non dies molliet, aut tollet: tamen morâ interpositâ, hoc facies lucri, vt iudicare videaris, non impetu & irâ ferri.*

120. PETITA ADV.] *Mora & dilatio, vt iam sæpè.*

121. TEMPORI TRADE.] *Quod omnia reuelat: vt suprà lib.* II. *cap.* XXII.

122. IN FLVCTV.] *In motu & transitu: sæpè ita Lucretius, Arnobius, alij.* E

123. SPEVSIPPE.] *Imò Xenocrates, vt Diogenes tradidit.* Εἰσελθόντος ποτὲ Ξενοκράτους, εἶπε μαστιγῶσαι τὸν παῖδα. αὐτὸν γὰρ μὴ δύναδαι, διὰ τὸ ὠργίδαι: Xenocrate aliquando intrante, Verbera, inquit, hunc puerum. Nam ego non possum, quia iratus sum. *Sed & in Stobæo:* Πλάτων ὀργιζόμενος ποτέ τῷ οἰκέτῃ, ἐπισάντος Ξενοκράτους, λαβὼν ἔφη, τοῦτον μαστίγωσον· ἐγὼ γὰρ ὀργίζομαι. *Denique Plutarchus De lib. educ. & Valerius lib.* IIII. *item de* Xenocrate: *vt memorialis error in Senecâ videatur, vt sæpè.*

124. OB HOC.] *Ob iram.*

CAP. XIII. 125. FERATVRQVE.] *Nos eius compotes simus, non ipsa nostri.*

126. IN

A mittatur, vox lenior sit, gradus lentior: paullatim cum exterioribus interiora formentur. [126] In Socrate iræ signum erat, vocem submittere, loqui parciùs. apparebat tunc illum sibi obstare. Deprehendebatur itaque à familiaribus & coarguebatur: nec erat illi exprobratio [127] latitantis iræ ingrata. Quid ni gauderet, quòd iram suam multi intelligerent, nemo sentiret? sensisset autem, nisi ius amicis obiurgandi se dedisset, sicut ipse sibi in amicos sumpserat. Quanto magis hoc nobis faciendum est? rogemus amicissimum quemque, vt tunc maximè aduersus nos libertate vtatur, cùm minimè illam pati poterimus: nec assentiatur iræ nostræ. Contra potens malum, & apud nos gratiosum, dum [128] conspicimus, dum nostri sumus, [129] aduocemus. Qui vinum malè fe- XIV.
runt, & ebrietatis suæ temeritatem ac petulantiam metuunt, mandant suis, vt è conuiuio auferantur. Intemperantiam in morbo suam experti, parêre sibi in aduersâ valetudine vetant. Optimum est, notis vitiis impedimenta prospicere, & ante omnia ita componere animum, vt & grauissimis rebus subitisque concussus iram aut non sentiat, aut
B magnitudine inopinatæ iniuriæ exortam in altum rettahat, nec dolorem suum profiteatur. Id fieri posse apparebit, si pauca ex ingenti turbâ exẽpla protulero: ex quibus vtrumque discere licet, quantum mali habeat ira, vbi hominum præpotentum potestate totâ vtitur: quantum sibi imperare possit, vbi metu maiore compressa est. Cambysen regem nimis deditum vino, [130] Præxaspes vnus ex carissimis monebat, vt parciùs biberet: *Turpem esse* dicens *ebrietatem in rege, quem oculi omnium auresque sequerentur*. Ad hoc ille: *Vt scias*, inquit, *quemadmodum nunquam* [131] *excidam mihi, approbabo iam, & oculos post vinum in officio esse, & manus*. Bibit deinde liberaliùs quàm aliàs, capacioribus scyphis: & iam grauis, & temulentus, obiurgatoris sui filium procedere vltra limen iubet, alleuataque super caput sinistrâ manu stare. Tunc intendit arcum, & ipsum cor adolescentis (id enim se petere dixerat) figit, recisoque pectore hærens in ipso corde spiculum ostendit: ac respiciens patrem, *An satis certam haberet manum?* interrogauit. At ille negauit *Apollinem potuisse certiùs dimittere*. Dij illum malè perdant, animo magis quàm conditione manci-
C pium. Eius rei laudator fuit, cuius nimis erat spectatorem fuisse. Occasionem blanditiarum putauit, pectus filij in duas partes diductum, & cor sub vulnere palpitans. Controuersiam illi facere de gloriâ debuit, & reuocare [132] iactum, vt regi libêret in ipso patre certiorem manum ostendere. O Regem cruentum! ô dignum in quem omnium suorum arcus verterentur! Cùm execrati fuerimus illum, conuiuia suppliciis funeribusque soluentem, tamen sceleratius telum illud laudatum est, quàm missum. [133] Videbimus quomodo se pater gerere debuerit, stans super cadauer filij sui, cædemque illam, cuius & testis fuerat & caussa: id de quo nunc agitur, patet, iram supprimi posse. Non maledixit regi, nullum emisit ne calamitosi quidem verbum, cùm æquè cor suum, quàm filij, transfixum videret. Potest dici, meritò [134] deuorasse verba. nam si quid tanquam iratus dixisset, nihil [136] tanquam pater facere potuisset. Potest, inquam, videri sapientiùs se in illo

126. In Socrate.] *Plutarchus, De non irascendo:* Ὁ Σωκράτης ὀσάκις αἴσθοιτο κινουμένου τραχύτερον αὐτοῦ πρός τινα τῶν φίλων, πρὸ κύματος ὥς τινα
D ποντίαν ἄκραν στελλόμενος, ἐνεδίδου τε τῇ φωνῇ καὶ διεμειδία τῷ προσώπῳ, καὶ τὸ βλέμμα πραότερον παρεῖχε· τῷ ῥέπειν ἐπὶ θάτερα, καὶ πρὸς τἀναντίον ἀντικινεῖσθαι τῷ πάθει, διαφυλάττων ἑαυτὸν ἀπλῶτα καὶ ἀήττητον: Socrates quoties sentiebat se asperiùs moueri erga aliquem amicorum, huic fluctui quasi marinam crepidinem opponens, vocem submittebat, & vultu subridebat, & aspectu blandiore erat. atque ita vergendo in alia, & in contrarium affectui motum se torquendo, seipse sine lapsu seruabat, & inuictum.

127. Latitantis.] *Meus* laudantis. *sed illud palàm verum: nisi quis vellet*, labantis.

128. Conspicimvs.] *Nondum ab irâ cæcati planè.*

129. Advocemvs.] *Aduocationem amicorum petamus. patronos & adsistentes, qui obiurgent, teneant.* Aduocare *autem* contra malum: *vt* I. *De Clem.* Aduocare contra Cæsarem.

CAP. XIV. 130. Præxaspes.] *De quo Herodotus, lib.* III.

131. Excidam mihi.] *Apud me maneam.* φρένας ἔμπεδος, mente immotus, *cum Homero.*

132. Iactvm.] *Puto* ictum. *tale enim in sagittâ: nec iaculi res fuit.*

133. Videbimvs.] *Malim*, Viderimus.

134. Devorasse.] *Tertullianus de Resurr. carnis, cap.* LIV. Quasi non bilem & dolorem dicamur deuorare, id est abscondere, ac tegere, & intra nosmetipsos continere.

135. Tanqvam pater.] *Id est, sepelire, iusta filio facere.*

E 136. Pax

illo casu gessisse, quàm cùm de potandi modo præciperet: quem satius erat vinum A
quàm sanguinem bibere, cuius manus poculis occupari [136] pax erat. Accessit itaque ad
numerum eorum, qui magnis cladibus ostenderunt, quanti constarent regum amicis
XV. bona consilia. Non dubito, quin Harpagus quoque [137] tale aliquid regi suo Per-
sarumque suaserit, quo offensus, [138] liberos illi epulandos apposuit, & subinde quæsiit,
An placeret conditura? Deinde vt satis illum plenum malis suis vidit, afferri [139] capita il-
lorum iussit, & [140] *Quomodo esset acceptus*, interrogauit. Non defuerunt misero verba,
non os concurrit: *Apud regem*, inquit, [141] *omnis cœna iucunda est*. Quid hac adulatione
profecit? ne [142] ad reliquias inuitaretur. Non veto patrem damnare regis sui factum, non
veto quærere dignam tam truci portento pœnam: sed hoc interim intelligo, posse etiam
ex ingentibus malis nascentem iram abscondi, & ad verba contraria sibi cogi. Necessa-
ria est ista doloris refrænatio, vtique hoc sortitis vitæ genus, & ad regiam adhibitis men-
sam. Sic estur apud illos, sic bibitur, sic respondetur: funeribus suis arridendum est. An
tanti sit vita, videbimus: alia ista quæstio est. Non consolabimur tam triste [143] ergastu- B
lum, non adhortabimur ferre imperia carnificum, ostendemus in omni seruitute aper-
tam libertati viam. Si æger animus, & [144] suo vitio miser est; huic miserias [145] finire se-
cum licet. Dicam & illi qui in regem incidit, sagittis pectora amicorum petentem, & illi
cuius dominus liberorum visceribus patres saturat: Quid gemis demens, quid exspe-
ctas, vt te aut hostis aliquis per exitium gentis tuæ vindicet, aut rex à longinquo potens
aduolet? Quocunque respexeris, ibi malorum finis est. [146] Vides illum præcipitem lo-
cum? illac [147] ad libertatem descenditur. Vides illud mare, vides illud flumen, illum
puteum? libertas illic in imo sedet. Vides illam arborem, [148] breuem, retorridam, [149] in-
felicem? [150] pendet inde libertas. Vides iugulum tuum, guttur tuum, cor tuum? [151] effu-
gia seruitutis sunt. Nimis mihi operosos exitus monstras, & multum animi ac robo-
ris exigentes. Quæris, quod sit ad libertatem iter? quælibet in corpore tuo [152] vena.
XVI. Quamdiu quidem nihil tam intolerabile nobis videtur, vt nos expellat è vitâ, iram
in quocunque erimus statu, remoueamus. Pernicioſa est seruientibus. omnis enim in- C
dignatio in tormentum suum proficit, & imperia [153] grauiora sentit, quò contumaciùs
patitur. Sic [154] laqueos fera dum iactat, astringit; sic aues viscum, dum trepidantes ex-
cutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum tam arctum est iugum, quod non minùs læ-
dat ducentem, quàm repugnantem. Vnum est leuamentum malorum ingentium, pati,
&

136. PAX ERAT.] *Sæuitia autem & cædes, si cessaret à potu.*

CAP. XV. 137. TALE ALIQVID.] *Minimè verò. sed caussa huius sæuitiæ fuit, quòd Harpagus iussus Cyrum Mandanes filium exponere in deserto mõte, per alium id exsecutus, alium successum habuit: vixitq; puer, & sciuit posteà Astyages, & pressâ irâ, sic in cœnâ est vltus. Fusè omnia Herodotus lib.* I.

138. LIBEROS.] *Vnum tantùm,* XIII. *annos natum. Tamen & statim noster*, capita illorum *nominat: quasi plures vellet.*

139. CAPITA.] *Et manus, & pedes, ex Herodoto.*

140. QVOMODO ESSET.] *Verba fuêre*, Nunquid agnosceret, cuius feræ carne pastus esset?

141. OMNIS CÆNA.] *Herodotus extulit:* Sibi, quidquid rex faceret, placere.

142. AD RELIQVIAS.] *Ad liberos nempe reliquos, si quos habebat. Est simile illi suprà,* II. *cap.* XXXIII. *de Pastore*: Perierat alter filius, si carnifici conuiua non placuisset.

143. ERGASTVLVM.] *Aulicum carcerem. an & ipsos, qui in ergastulo, intellegit? Catenis ibi aureis, & vinculis purpureis detinentur.*

144. SVO VITIO.] *Non alieno. qui ipse se cruciat, non dominus aut tyrannus,*

145. FINIRE SECVM.] *Sine aliâ vltione, aut destinatione. ipse pereat, & cum eo mala.*

146. VIDES ILLVM.] *Similia, in diuinâ illâ Thebaide:*

Hîc alta rupes arduo surgit iugo,
Spectatque longè spatia subiecti maris:
Vis hanc petamus? nudus hîc pendet silex,
Hîc scissa tellus faucibus ruptis hiat,
Vis hanc petamus? hîc rapax torrens cadit,
Partesque lapsi montis exesas rotat:
In hunc ruamus. D

Et plura, quæ altissimi oris & pectoris poëta intonat: quæ mihi numquam legere est, sine impulsu & motu.

147. AD LIBERTATEM.] *Ad mortem. quæ finit, & à malis liberat. Vide Manud.* III. *Diss.* XXII.

148. BREVEM.] *Modò vt hominem superet.*

149. INFELICEM.] *Sine fructu.*

150. PENDET INDE.] *Si te suspendis.*

151. EFFVGIA SERV.] *Si gladio illa petis.*

152. VENA.] *Vel leui scalpello aperta.*

CAP. XVI. 153. GRAVIORA.] *Hegesippus lib.* II. Nihil tam exasperat feruorem vulneris, quàm ferendi impatientia.

154. LAQVEOS FERA.] *Idem ille:* Impensiùs in agrestibus feris arctissima vincula, si se excitent, imprimuntur: si quiescant, relaxantur.

155. NE-

A & [155] necessitatibus suis obsequi. Sed cùm vtilis sit seruientibus, affectuum suorum, & huius præcipuè rabidi atque effrænis continentia, vtilior est regibus. Perierunt omnia, vbi quantum suadet ira, fortuna permittit: nec diu potest, quæ multorum malo exercetur, potentia stare. Periclitantur enim, vbi eos qui separatim gemunt, [156] communis metus iunxit. Plerosque itaque modò singuli mactauerunt, modò vniuersi, cùm illos conferre in vnum iras publicus dolor coëgisset. Atqui plerique sic iram, quasi insigne regium, exercuerunt. sicut Darius, qui primus, post ablatum Mago imperium, Persas & magnam partem Orientis obtinuit. Nam cùm bellum Scythis indixisset, [157] Orientem cingentibus, rogatus ab [158] Oebazo nobili sene, vt ex tribus liberis vnum in solatium patri relinqueret, duorum operâ vteretur: plus quàm rogabatur pollicitus, omnes se illi dixit remissurum: & occisos in conspectu parentis abiecit, crudelis futurus, si omnes abduxisset. At quanto Xerxes facilior? qui Pythio, quinque filiorum patri, [159] vnius XVII.
B vacationem petenti, quem vellet, eligere permisit: deinde quem elegerat, in partes duas distractum ab vtroque viæ latere posuit, & hac victimâ lustrauit exercitum. Habuit itaque quem debuit exitum. victus, & latè longeque fusus, ac stratam vbique ruinam suam cernens, medius inter suorum cadauera incessit. Hæc barbaris regibus feritas in irâ fuit: quos nulla eruditio, nullus litterarum cultus imbuerat: dabo tibi ex Aristotelis sinu regem Alexandrum, qui Clitum carissimum sibi & vnà educatum, inter epulas trâsfodit, & manu quidem suâ, parum adulantem, & pigrè ex Macedone ac libero in Persicam seruitutem transeuntem. Nam Lysimachum, æquè familiarem sibi, [160] leoni obiecit. Nunquid ergo hic Lysimachus, felicitate quadam dentibus leonis elapsus, ob hoc cùm ipse regnaret, mitior fuit? Nam [161] Telesphorum Rhodium amicum suum vndique decurtatum, cùm aures illi nasumque abscidisset, in caueâ velut nouum animal aliquod & inusitatum diu pauit: cùm oris detruncati mutilatique deformitas humanam faciem perdidisset. Accedebat fames & squalor & illuuies corporis, in stercore suo [162] de-
C stituti, callosis super hæc genibus manibusque, quas in vsum pedum angustiæ loci cogebant. lateribus verò attritu exulceratis, non minùs fœda quàm terribilis erat forma eius visentibus: factusque pœnâ suâ monstrum, [163] misericordiam quoque amiserat. tamen cùm dissimillimus esset homini, qui illa patiebatur; dissimilior erat, qui faciebat.

Vtinam ista sæuitia intra peregrina mansisset exempla, nec in Romanos mores cum XVIII.
aliis aduenticiis vitiis, & suppliciorum ira rumque barbaria transisset! M. Mario, [164] cui vica-

155. NECESSITATIBVS.] *Quod necessariò faciendum sit, sponte, & volentem facere, aut pati.*

156. COMMVNIS METVS.] *Noster de Clem.* I. *cap.* XXV. Leuis enim & priuata pernicies non totas vrbes mouet: quod latè furere cœpit, & omnes appetit, vndique configitur. *Et plura ibi huic sententiæ.*

157. ORIENTEM CING.] *Ita ex descriptione*
D *veterum. Scythæ à Thraciâ & supra Byzantium incipiunt: inde toto littore ad Tanaim fusi, flexu iterùm ad Alanos montes, & Imaum, & vicina colunt, vsque ad Seras producti. Itaque verè cingunt magnam partem Orientis, id est Asiæ totius.*

158. OEBAZO.] *Libri ferè*, Orobazo. *& omnino est*, Oeobazo. *Nam Herodotus* Ὀιόβαζον *appellat. Eum de hac historiâ vide, lib.* IV.

CAP. XVII. 159. VNIVS VACAT.] *Maximi natu. Vide eumdem Herodotum in* VII.

160. LEONI OBIEC.] *De eâ re*, I. *De Clem. cap.* XXV.

161. TELESPHORVM.] *Historiola hæc apud Plutarchum quoque, libello* De exsilio.

162. DESTITVTI.] *Propriè, positi & relicti.*

163. MISERICORDIAM.] *In cuius locum horror successerat.*

CAP. XVIII. 164. CVI VICATIM.] *Cicero* III. *De offic.* Ne noster quidem Marius Gratidianus officio viri boni functus est tũc, cùm Prætor esset, collegiumque Prætorum Tribumplebis adhibuissent, vt res nummaria de communi sententia constitueretur: conscripserunt communiter edictum, cum pœnâ & iudicio. constituerunt-que vt omnes simul in Rostra post meridiem descenderent. at Marius à subselliis in Rostra rectà, idque quod communiter compositum fuerat, solus edixit. Et ea res ei magno honori fuit. omnibus vicis statuæ, ad eas thus & cerei. quid multa? nemo vnquam multitudini fuit carior. *Vocat hîc* suum: *paulloantè*, propinquum suum. *quia scilicet Cicero ex cognatione Marij: & hic illius frater, vt Florus scripsit. Frater, opinor, adoptione: quod cognomen* Gratidiani *euincit, transisse è* Gratidiis. *Prætor iam fuerat, vt hîc Cicero. & malè igitur scribitur in Valerio, lib.* IX. *cap.* II. *tunc cùm interfectus:* Quàm porrò crudeliter se in M. Mario Prætore gessit? *Imò* Prætorio, *vel ex Firmico, lib.* I. *qui* Prætorium virum *dicit: eumdémque* Marium minorem: *fratrem scilicet, non filium, ne erres.*

vicatim populus ſtatuas poſuerat, cui[165] thure & vino[166] Romanus populus ſupplicabat, A
L. Sylla[167] perfringi crura, erui oculos, amputari manus iuſſit; & quaſi totiens occideret, quotiens vulnerabat, paullatim & per ſingulos artus lacerauit. Quis erat huius imperij miniſter? quis, niſi Catilina, iam in omne facinus manus exercens? hic illum[168] ante buſtum Q. Catuli carpebat,[169] grauiſſimus mitiſſimi viri cineribus: ſupra quos vir mali exempli, popularis tamen, &[170] non tam immeritò quàm nimis amatus, per ſtillicidia ſanguinem dabat. Dignus erat Marius qui illa pateretur, Sylla qui iuberet, Catilina qui faceret: ſed indigna Reſp. quæ in corpus ſuum pariter[171] & hoſtium &[172] ciuium gladios reciperet. Quid antiqua perſcrutor? modò C. Cæſar Sextum Papinium, cui pater erat[173] conſularis,[174] Belienum Baſſum quæſtorem ſuum Procuratoris ſui filium, alios Senatores & equites Romanos, vno die[175] flagellis cecidit, torſit,[176] non quæſtionis, ſed[177] animi cauſſâ. Deinde adeò impatiens fuit differendæ voluptatis, quam[178] ingens crudelitas ſine dilatione poſcebat, vt[179] in xyſto maternorum hortorum, qui[180] porticum à ripâ ſeparat, inambulans, quoſdam ex illis[181] cum matronis atque aliis B
ſenatoribus ad lucernam decollaret. Quid inſtabat? quod periculum, aut priuatum, aut publicum vita nox minabatur? quantulum fuit, lucem exſpectare? denique ne ſenato-
XIX. res populi Romani[182] ſoleatus occideret. Quàm ſuperbæ fuerit crudelitatis, ad rem

165. THVRE ET VINO.] *E Cicerone vidiſti. & ſollenne ita ſupplicare (proprio verbo) apud minores Deos, aut heroas. Apud Plautum, lar familiaris loquitur:* — ea mihi cottidie
Aut thure aut vino, aut aliquî ſemper ſupplicat.
Salluſtij fragmentum, de Metello: Tum venienti thure, quaſi Deo, ſupplicabatur. *In tabulâ Narbonenſi:* AD. SVPPLICANDVM. NVMINI. EIVS (*Auguſti*) THVS. ET. VINVM. DE. SVO. EA. DIE. PRÆSTENT.

166. ROMANVS POP.] *Alij ſcripti turbant. meus: R. N. P. An non eſt*, Romanus noſter populus? *credo.*

167. PERFRINGI.] *Valerius:* Singulas corporis partes confringeret. *Oroſius:* Effoſſis oculis, membriſque minutatim ¦ deſectis, vel etiam fractis. *Q. Cicero, De Petitione Conſul. Firmicus, & alij. Florus hîc mutilus eſt, in tempore à nobis ſanandus.*

168. ANTE BVSTVM.] *Trans Tiberim.*

169. GRAVISSIMVS.] *Vocem meus addit*, grauiſſimus liuor. *Fuítne*, grauiſſimus liquor: *vel potius*, grauiſſimo liquore? *Et alluſum ad liquorem & vinum* Reſperſum, *quo ſepulcra ſolent ſpargere. Poſſit & εἰρωνικῶς*, grato ſcilicet liquore. *Sanè adiungit mox de* ſtillicidiis, *quod ad liquorem hunc facit.*

170. NON TAM IMMERITO.] *Nihil ambigendum. pulchrè, & pro re dictum. Cum cauſſâ amatum, ſed ſine modo, ſignificat.*

171. ET HOSTIVM.] *Quos illi ſic appellabant & habebant. nempe Marianorum.*

172. CIVIVM.] *Mureti coniectura. quam præ libris ſperno, qui* vindicum. *Iſti dicebant (Sullani) ſe vindicare & aſſerere oppreſſam Remp. in libertatem.*

173. CONSVLARIS.] *Sub Tiberio Conſul legitur, anno ante eius mortem.*

174. BELIENVM.] *Vix eſt Romani nominis facies. libri ſcripti*, Bethienum, Bethenum, Bidienũ.

175. FLAGELLIS.] *Seruilem in modum. nam liberi virgis.*

176. NON QVÆSTIONIS.] *Innoxij enim. nec erat, quod inquireret.*

177. ANIMI CAVSSA.] *In voluptatem ſuam, per remiſſionem & ludum.*

178. INGENS CRVDELIT.] *Haud diſplicet quod Gruterus ſuggerit*, inquies crudelitas. *Meo tamen eſt:* quam ingentem crudelitatis eius ſine dilat. *& tueri, imò tenere, poſſis. Voluptatem ingentẽ eius crudelitatis, quam iam animo deformarat, capturus erat.*

179. IN XYSTO.] *Etſi libri quidam, vt in rariore voce, titubant: nihil ego, nec audio eruditum virum, qui* in cryptâ *legit.* Xyſti *paſſim in villis & hortis. Suetonius de Auguſto:* Prætoria ſua, non tam ſtatuarum tabularumque ornatu, quàm Xyſtis & nemoribus excoluit. *Quid autem Xyſtus, clarè ſatis Vitruuius lib.* V. *cap.* XI. *& lib.* VI. *cap.* X. C

180. PORTICVM A RIPA.] *Quam porticum? nam & ipſe Xyſtus, Porticus certi generis erat. Vellem legi*, quâ porticum. *id eſſet, eâ parte quâ Porticum (aliam aliquam, tunc notam) ſeparat interpoſitus Xyſtus à ripâ: quâ illâ? Tiberis, niſi fallor. Certè in vrbe, vel ad vrbem, iſti horti. Placuit olim*, Euripo: *nec abſurdè. quia & aquæ & ſtagna variè hortos ſecabant. ſed nunc mallem eo ſenſu*, Euripi ſeparant. *nam & libri plures* ſeparant *numero plurium habent. Legerem, inquam:* quâ porticum Euripi ſeparant: *& omnino ſedeat (nam & ita epiſt.* LV. Platanona medio riuo, Euripi modo, diuidi:) *niſi Colonienſis priſca editio in ſe vocet atque intendat, quæ* porticum agrippæ *præfert. Quidni autem in vicino* Porticus Agrippæ *aliqua? de quâ & Horatius lib.* I. *ep.* VI.
Porticus Agrippæ, & via te conſpexerit Appi.
Itaque tum eſſet, Xyſtum hunc ſeparare & diuidere D
Porticum Agrippæ *ab hortis.*

181. CVM MATRONIS.] *Vt ne ipſas vnà decollauerit? non præmiſit de illis: & verò magis exprimeret ac dilataret. Senſus potior, quod ipſe ibi* cum matronis & alijs Senatoribus (*aliis, non occidendis*) *ſpectator fuerit: cum iis inquam, cum quibus in cænâ fuerat, vt ex diei tempore apparet. Itaque tranſpoſita verba videantur:* quoſdam ex illis, inambulans cum m.a.

182. SOLEATVS.] *Vt à conuiuio recens. Vibius Rufus lib.* IX. *Contr.* II. *ſimile in Flaminio accuſat:* Prætor ad occidendum hominem ſoleas popoſcit. *Nempe vt è conuiuiali lecto ſurgens, eas ſumeret.*

CAP.

A rem pertinet scire. quanquam aberrare aliò possumus videri, & in deuium exire: sed hoc ipsum pars erit iræ, super solita sæuientis. Ceciderat flagellis senatores: ipse effecit, vt dici posset, solet fieri. torserat per omnia, quæ in rerum naturâ tristissima sunt, fidiculis, [183] tabularibus, eculeo, [184] igne, [185] vultu suo. Et hoc loco respondebitur, magnam rem! si tres senatores, quasi nequam mancipia, [186] inter verbera & flammas diuisit, homo qui [187] de toto senatu trucidando cogitabat: qui optabat, vt populus Romanus vnam ceruicem haberet, vt scelera sua tot locis ac temporibus diducta, in [188] vnum ictum & vnum diem cogeret. Quid tam inauditum, quàm nocturnum supplicium? cùm latrocinium tenebris abscondi soleat; animaduersiones, quò notiores sunt, plus ad exemplum emendationemque proficiunt. Et hoc loco respondebitur mihi: Quod tantopere admiraris, isti beluæ quotidianum est; [189] ad hoc viuit, ad hoc vigilat, [190] ad hoc lucubrat. Nemo certè inuenietur alius, qui imperauerit his, in quos animaduerti iubebat, [191] os insertâ spongiâ includi, ne vocis emittendæ haberent facultatem. Cui vnquam mori-
B turo non est relictum, quà gemeret? timuit, ne quam liberiorem vocem extremus dolor mitteret: ne quid, quod nollet, audiret. sciebat autem innumerabilia esse, quæ obiicere illi nemo, [192] nisi periturus, auderet. Cùm spongiæ non inuenirentur, scindi vestimenta miserorum, & in os farciri pannos imperauit. Quæ ista sæuitia est? liceat vltimum spiritum [193] trahere: da exituræ animæ locum: liceat illam [194] non per vulnus emittere. Adiicere his longum est, [195] quot patres quoque occisorum eâdem XX.
nocte, dimissis per domos centurionibus, confecit: id est, homo misericors luctu liberauit. Non enim Caij sæuitiam, sed iræ malum propositum est scribere: quæ non tantùm viritim furit, sed gentes totas lancinat, sed vrbes, sed flumina, & tuta ab omni sensu doloris conuerberat. Sicut [196] rex Persarum, totius populi nares recidit [197] in

CAP. XIX. 183. TABVLARIBVS.] *Omnis vetus lectio: nisi quòd vnus Pinciani*, tribularibus.
C *Prius si tenemus, explicari potest, Tabulas admotas inter tormenta fuisse: quibus adstrictis arctatisq; homo comprimeretur, & pænè elideretur. Quidni tale in extenuando, præter naturam; sicut Eculei, in extendendo? Enimuerò in Festo lego*, Clitellas, tormenti genus *sic appellatum. quod quid aliud suspicer, quàm eiusce modi tabulas, velut clitellas asino impositas, & compressas? Si* Tribularia *eligis: à* Tribulis *prompta ratio est, quæ fiunt (ait Varro)* è tabulâ lapidibus aut ferro asperatâ. *Et talis ferè* Arca ferrata *illa, in quam Regulus coniectus. At Muretus tamen* Talaribus *fidenter hîc edidit, nec verbo firmauit vel explicauit. Placuit H. Stephano, &* ποδοστράβας *Synesij interpretatur. Ego (si vera hæc scriptio) caperem* Talaria *magis* flagella, *siue Græcorum* ἀστραγαλωτοὺς μάστιγας, *quibus ad sanguinem & necem homines verberarent. Sed vix inducor, Senecæ*
D *hoc verbum esse*.

184. IGNE.] *Quem variè admouebant teneriori cuique parti: etiam, nouo more, obscænis Domitianus.*

185. VVLTV SVO.] *Bellè. quasi sæuus ac minax ille vultus, inter tormenta, & quidem maxima, esset. Apud Senecam patrem Controu. v. lib. II.* Veniunt in domum crudelissimi carnifices, in quorum vultibus erant tormenta. *Simile, de Breuit. vit. cap.* XVIII. Saxa, ferrum, ignem, Caium excepturi.

186. INTER VERB.] *Seruile vtrumque hoc dicit, Romano ritu. quia liberi nec flagris, nec tormentis, temerè subÿciebantur: quanto minus Senatores? Diuisit autem illos inter verbera & flammas: id est, modò & alternis flagellauit, modò igne torsit. Adspectum etiam ad Gladiatores, Bestiarios, & hæc arenæ mancipia: quæ verberibus & flammis in necem agebantur.*

187. DE TOTO SENATV.] *Hæc & sequentia in Suetonio lege, Caligulæ cap.* XXXIV. *&* XLIX.

188. VNVM ICTVM.] *Tacitus Agricola:* Illud tempus, quo Domitianus, non iam per interualla ac spiramenta temporum, sed continuò, & velut vno ictu, temp. exhausit.

189. AD HOC VIVIT.] *Ergóne tunc viuus, cùm hæc scripsit? dicas certè. Et potuit scripsisse, sed non edidisse: imò arctè pressisse, vt status illorum temporum erat.*

190. AD HOC LVCVBRAT.] *Hæ tres voces perperàm omissæ alÿs. Sunt in veteribus libris. & plus est quàm* vigilare. *Nam significat, cum curâ & studio vigilare.*

191. OS INSERTA SP.] *Aut linguam ipsam exsecari. vt in quodam equite Romano. quem* obiectum feris, cùm se innocentem proclamasset, reduxit: abscissáque linguâ, rursus induxit.

192. NISI PERITVRVS.] *Aptè Philotas apud Curtium, lib.* VI. Nemo parcit morituro, nec cuiquam moriturus.

193. TRAHERE.] *Nullus vigor in hoc verbo. An* tradere? *efflatum deponere, & reddere Naturæ suum spiritum.*

194. NON PER VVLNVS.] *Quod ceruix incisa facit. Per os enim emitti spiritum, communis lex est: atque ideò emissò, solet manibus claudi.*

CAP. XX. 195. QVOT PATRES.] *Ne sic augeamus: veriùs*, quòd patres.

196. REX PERSARVM.] *Non hoc Herodotus, quod sciam. sed & Diodorus Siculus Aethiopum regi adscribit* Altisani: *idq; à diuersâ valdè causâ. Benignitas enim & miseratio fuit. Narrat lib. I. regem dictum venisse Aegyptum, vicisse, subiecisse. Initio autem regni multa latrocinia, vt fit, fuisse: atque hunc*

[197] in Syriâ: inde [198] Rhinocolura loci nomen est. Peperciſſe illum iudicas, quòd non to- A
ta capita præcidit? nouo genere pœnæ delectatus est. Tale aliquid paſſi forent Æthiopes, qui ob longiſſimum vitæ ſpatium [199] Macrobij appellantur. in hos enim, quia non [200] ſupinis manibus exceperant ſeruitutem, [201] miſſiſque legatis [202] libera reſponſa dederant, quæ contumelioſa reges vocant, Cambyſes fremebat: & non prouiſis commeatibus, non exploratis itineribus, per inuia, per arentia trahebat omnem bello vtilem turbam: cui [203] intra primum iter deerant neceſſaria, nec quicquam ſubminiſtrabat ſterilis & inculta humanoque ignota veſtigio regio. Suſtinebant famem primò tenerrima frondium, & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quicquid neceſſitas cibum fecerat: poſtquam inter harenas radices quoque & herbæ defecerant, apparuitque inops etiam animalium ſolitudo, decimum quemque ſortiti, alimentum habuerunt fame ſæuius. Agebat adhuc ira regem præcipitem, cùm partem exercitus amiſiſſet, partem comediſſet: donec timuit, ne & ipſe vocaretur ad ſortem. tum demum ſignum receptui dedit. Seruabantur interim illi generoſæ aues, & inſtrumenta epularum camelis vehebantur: cùm ſortirentur milites eius, quis [204] malè periret, quis [205] peiùs viueret. Hic B
XXI. iratus fuit genti, & ignotæ, & immeritæ, ſenſuræ tamen: Cyrus flumini. Nam cùm Babylonem oppugnaturus [206] feſtinaret ad bellum, cuius maxima momenta in occaſionibus ſunt, [207] Gynden latè fuſum amnem vado tranſire tentauit: quod vix tutum eſt etiam cùm ſenſit æſtatem, & ad minimum deductus eſt. Ibi vnus [208] ex his equis, qui trahere regium currum albi ſolebant, abreptus, vehementer commouit regem. iurauit itaque amnem illum [209] regiis equis meatum auferentem, eò ſe redacturum, vt tranſiri calcarique etiam à feminis poſſet. Huc deinde omnem tranſtulit belli apparatum, & tamdiu aſſedit operi, donec C. & LXXX. [210] cuniculis diuiſum alueum in CCC. & LX. riuos diſpergeret, & ſiccum relinqueret in diuerſum fluentibus aquis. Periit itaque & tem-

operam dediſſe, vt paullatim caperet: & iam captis, graue iudicaſſe omnes interficere, cùm grandi numero eſſent; iniuſtum item impunes dimittere. Ita ergo mediam viam legiſſe, & reſectis naribus, quò nobiles eſſent, in deſertis Aegypti finibus colere iuſſiſſe, vrbe ibi ſtructâ, cui à re & facie nomen eſſet.

197. IN SYRIA.] *Omnino. nec Diodorus dicit (improvidè quibuſdam traditum) in Aegypto eſſe; ſed diſertè* in confinio Ægypti Syriæque. *Res ſic habet: & Strabo eam locat haud procul litore, iuxta* Raphiam & Gazam.

198. RHINOCOLVRA.] *Græci ῥίνα* naſum *dicunt, κόλουρον* curtatum.

199. MACROBII.] *Eſſent Latinis*, Longæui. *Habitant Africam ad Auſtrale mare: vt Herodotus.*

200. SVPINIS MAN.] *Prouerbij vice, de animo & affectu libenti. à geſtu eorum, qui munera, aurum, aut res caras ſuſcipiunt, manibus ſic prolatis.*

201. MISSISQVE LEGAT.] *Quos ipſe Cambyſes miſerat ex Ichtyophagis, gnaros Aethiopicæ linguæ.*

202. LIBERA RESP.] *Compendio hæc:* Veniſſe eos, non vt legatos, ſed exploratores: & ab homine iniuſto miſſos, vt qui aliena cuperet, & captaret. Vos autem ei (*addidit Rex*) hunc arcum vicissim date: cum hoc meo conſilio. Quando Perſæ hunc talem arcum trahere & inflectere poterunt, tum cum multo maximis copiis aduerſus Macrobios veniunto. Interea, diis gratias agat, quòd Æthiopibus mentem non det aliena inuadendi. *Herodotus lib.* III.

203. INTRA PRIMVM ITER.] *Herodotus*, intra quintam itineris partem.

204. MALE PERIRET.] *Qui ederetur.*

205. PEIVS VIVERET.] *Qui ederet.*

CAP. XXI. 206. FESTINARET.] *E Perſide mouens.* C

207. GYNDEN.] *Quem Herodotus in* Matienis montibus *oriri facit: Ammianus in Mediâ ponit. Ambigitur quis ſit, nec Ptolomæus locauit. quod mirum, cùm Oroſius* ſecundæ magnitudinis poſt Euphratem *faciat. Tacito quoque* Gindes *nominatur, ſed qui* Dahas Arioſque diſterminat, XI. *Annalium: igitur diuerſus ab iſto. De hoc noſtro Tibullus certò, ad Meſſallam:*

— aut rapidus Cyri dementia Gyndes.

Nam & Cyri inſaniam in eo taxat. Probabile, minùs in famâ aut notitiâ fuiſſe poſteà: quia Cyrus nempe ſic debilitauit & exhauſit.

208. EX EQVIS.] *Sacros eos appellat Herodotus, & vulgò ſic dicebantur.*

209. REGIIS EQVIS MEATVM.] *Mutare licebat, & fortean oportebat. Nam eſt à ſolâ coniecturâ Pinciani. Scripti & editi antiquitus, alij,* regiis com- D
meatus auferentem; *alij, vt meus*, regis commeatum. *Vera ſcriptura:* regi commeatum. *id eſt, auferentem Regi commeandi facultatem. Nam id hîc Commeatus.*

210. CVNICVLIS.] *Hærent hîc Critici, & Eraſmus* canaliculis *legi vellet: quidam libri* curriculis *habent. At quid promptius veriuſq;, quàm* funiculis, *ex Herodoto?* Diuiſit, *inquit*, copias in duas partes. Καὶ κατέτεινε χοινοτενέας ὑποδέξας διώρυχας ὀλδώκοντα καὶ ἑκατὸν, παρ' ἑκάτερον τὸ χεῖλος τοῦ γύνδεω τετραμμένας πάντα βόθρον: Et ſignauit ad funiculos extẽſos foſſas centum octoginta, ad vtrumque labrum fluminis, quaquauerſus. *Mens eadem Senecæ, diuiſum funiculis alueum: & ad ea ſigna in bis totidem riuos ſubductum.*

211. IN

A tempus, magna[211] in vanis rebus iactura, & militum ardor, quem inutilis labor fregit, & occasio aggrediendi imparatos, dum ille bellum indictum hosti cum flumine gerit.

Hic furor (quid enim aliud voces?) Romanos quoque contigit. C. enim Cæsar villam XXII.
[212] in Herculanensi pulcherrimam, quia mater sua aliquando in illâ [213] custodita erat, diruit, fecitque eius per hoc notabilem fortunam. stantem enim prænauigabamus: nunc causa dirutæ quæritur. Et tam hæc cogitanda sunt exempla, quæ vites; quàm illa è contrario, quæ sequaris, moderata, lenia: quibus nec ad irascendum causa defuit, nec ad vlciscendum potestas. Quid enim facilius fuit Antigono, quàm duos manipulares duci iubere,[214] qui incumbentes regio tabernaculo faciebant, quod homines & periculosissimè & libentissimè faciunt,[215] de rege suo malè existimant? Audierat omnia Antigonus, vtpote cùm inter dicentes & audientem[216] palla interesset: quam ille leuiter commouit, &,[217] *Longiùs*, inquit, *discedite, ne vos rex audiat*. Idem quadam nocte, cùm quosdam ex militibus suis exaudisset, omnia mala imprecantes regi, qui ipsos in illud iter &
B inextricabile lutum[218] deduxisset, accessit ad eos qui maximè laborabant: & cùm ignorantes à quo adiuuarentur, explicuisset: *Nunc*, inquit, *maledicite Antigono, cuius vitio in has miserias incidistis: ei autem benè optate, qui vos ex hac voragine eduxit*. Idem tam miti animo hostium suorum maledicta, quàm ciuium tulit. Itaque cùm in paruulo quodam castello Græci obsiderentur, & fiduciâ loci contemnentes hostem multa in deformitatem Antigoni iocarentur, & nunc staturam humilem, nunc collisum nasum deriderent: *Gaudeo*, inquit, *& aliquid boni spero: si in castris meis*[219] *Silenum habeo*. Cùm hos dicaces fame domuisset,[220] captis sic vsus est, vt eos qui militiæ vtiles erant, in cohortes describeret, ceteros præconi subiiceret: id quoque se negauit facturum fuisse, nisi expediret his[221] dominum habere, qui tam malam haberent linguam. [222] Huius nepos fuit Alexander, qui lanceam in conuiuas suos torquebat, qui ex duobus amicis quos paullo antè retuli,[223] alterum feræ obiecit,[224] alterum sibi. Ex his duobus tamen, qui leoni obiectus est, vixit. Non habuit hoc auitum ille vitium, ne paternum quidem. XXIII.
C nam si qua alia in Philippo virtus, fuit & contumeliarum patientia, ingens instrumentum ad tutelam regni. Democharis ad illum, Parrhesiastes ob nimiam & procacem linguam appellatus, inter alios Athenienſium legatos venerat: auditâ benignè legatione, Phi-

211. In vanis.] *Libri plerique omnes*, in magnis. *quod interpretetur aliquis, magnam iacturam, & quidem in magnis rebus. Nam vbi tale aliquid moliris, temporis præcipuè ducenda ratio. Diuersa sententia in vulgatis: nempe perdidisse eum tempus in re inutili, nec magnâ. Nam fluuiũ diducere, non magnum sanè, præsertim sine alio, quàm vltionis fatuæ, fructu.*

CAP. XXII. 212. In Hercvlanensi.] *Fœcundissimâ & pulcherrimâ Campaniæ orâ. Nam* Herculanium *siue* Heraclea *ibi opidum, incendio*
D *Vesuuij montis, sub Tito, posteà penitus obrutum siue hausſum populo in theatro sedente, Dio Cassius.*

213. Cvstodita.] *Sub Tiberio. cùm fraudibus Seiani periit. Tacitum vide.*

214. Qvi incvmbentes.] *Imò verò* excubantes, *cum Pinciano.*

215. De rege.] *Libri alij*, Qui de rege. *& addendum videtur, aut certè in fine legendum*, existimantes.

216. Palla inter.] *Ita vnus Pinciani liber, & certè etiam meus: alij* palàm, *vel* paullum. *Ex quo ego olim*, aulæum interesset. *Nam in fragmento Polybij apud Suidam*: Ἀκούων ταῦτα πάντα διὰ τῆς αὐλαίας ὁ βασιλεὺς, ἐγέλα: Audiens hæc omnia per aulæum rex, risit. *Et res ita fuit. sed vox etiam* Pallæ *videndum, an non valeat in hunc sensum. Certè in optimis Glossis est*, Palla, μίτρα, πέπλος, πέτασμα: mitra, peplum, velum siue aulæum.

217. Longivs, inqvit.] *Plutarchus de hac re*: Παπαὶ εἶπεν, οὐ πορρωτέρω ποι τραπόμενοι κακῶς ἐρεῖτε ἡμᾶς; Papæ, an non longiùs hinc abeuntes nobis maledicetis?

218. Dedvxisset.] *Meus*, dedisset.

219. Silenvm.] *Bacchi comitem Deum. Seniores autem Satyros*, Silenos *dici, Pausanias tradit. Alludum ad fœditatem Satyrorum.*

220. Captis sic.] *Meus liber*, captis sicut mox est suggestum est regi vt eos.

221. Dominvm habere.] *Plutarchus paullò aliter*: Posthac se apud dominos eorum conquesturum, si pergerent maledicere.

222. Hvivs nepos.] *Vah, quàm aliud agis Seneca! Nam iste Antigonus, de quo hæc & plusculà Plutarchus, inter successores Alexandri fuit, Demetrij pater. Nihil certius. Quis etiam alius Antigonus, auus Alexandri? nusquam leges: & consensu* Amyntam *Philippi patrem faciunt. Demiror, qui hactenus in Senecam, de re tam illustri & cognobili non monuisse. Sed ex his & talibus liqueat, Senecam in rebus & sensibus deditum, sæpiculè in historiâ aut nominibus sublabi.*

223. Altervm feræ.] *Lysimachum.*

224. Altervm sibi.] *Clytum, quem suâ manu occidit.*

Philippus, *Dicite*, inquit, *mihi, facere quid possum, quod sit Athenienſibus gratum?* Excepit De- A
mochares: *Te*, inquit, *ſuſpendere.* Indignatio circumſtantium ad tam inhumanum reſponſum exorta eſt: quos Philippus conticeſcere iuſſit, & Therſitam illum ſaluum incolumemque dimittere. *At vos*, inquit, *ceteri legati nunciate Athenienſibus, multò ſuperbiores eſſe, qui iſta dicunt, quàm qui impunè dicta audiunt.* Multa & diuus Auguſtus digna memoriâ fecit, dixitque: quibus appareat illi iram non imperaſſe.[225] Timagenes hiſtoriarum ſcriptor, quædam in ipſum, quædam in vxorem eius, & in totam domum dixerat, nec perdiderat dicta. magis enim circumfertur, & in ore hominum eſt, temeraria vrbanitas. Sæpè illum Cæſar monuit, vt moderatiùs linguâ vteretur: perſeueranti,[226] domo ſuâ interdixit. Poſteà Timagenes in contubernio Pollionis Aſinij conſenuit,[227] ac totâ ciuitate dilectus eſt. nullum illi limen præcluſa Cæſaris domus abſtulit. Hiſtorias poſteà quas ſcripſerat, recitauit, & combuſſit, & libros acta Cæſaris Auguſti continentes in ignem poſuit. inimicitias geſſit cum Cæſare. Nemo amicitiam eius extimuit, nemo[228] quaſi fulguritum refugit: fuit qui præberet tam altè cadenti[229] ſinum. Tulit hoc B
vt dixi, Cęſar patienter, ne eo quidem motus, quòd laudibus ſuis, rebuſque geſtis[230] manus attulerat. Nunquam cum hoſpite inimici ſui queſtus eſt: hoc duntaxat Pollioni Aſinio dixit,[231] θηριοτροφεῖς. Paranti demùm excuſationem, obſtitit. *Fruere*, inquit, *mi Pollio, fruere.* Et cùm Pollio diceret: *Si iubes Cæſar, ſtatim illi domo meâ interdicam. Hoc me*, inquit, *putas facturum, cùm ego vos in gratiam reduxerim?* Fuerat enim aliquãdo Timageni Pollio iratus: nec vllam aliam habuerat cauſam deſinendi, quàm quòd[232] Cæſar cœperat.

XXIV. Dicat itaque quiſque ſibi, quoties laceſſitur: Nunquid potentior ſum Philippo? illi tamen impunè maledictum eſt. Nunquid in domo meâ plus poſſum, quàm toto orbe terrarum diuus Auguſtus potuit? ille tamen contentus fuit, à conuiciatore ſuo ſecedere. Quid eſt quare ego ſerui mei[233] hilarius reſponſum, & contumaciorem vultum, & non peruenientem vſque ad me murmurationem, flagellis & compedibus expiem? quis ſum, cuius aures lædi nefas ſit? Ignouerunt multi hoſtibus: ego non ignoſcam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum ætas excuſet, feminam ſexus, extraneum[234] libertas, domeſticum familiaritas.[235] Nunc primùm offendit? cogitemus quamdiu placuerit. ſæpè & C
aliàs

CAP. XXIII. 225. TIMAGENES.] *Quem Plinius in Indice ſuo citat, inter eos ex quibus Geographica hauſit. Sed & Ammianus lib.* XV. Timagenes & diligentiâ Græcus, & linguâ: *atq; oſtendit Gallias etiam deſcripſiſſe. In Suidâ eſt:* Timagenes hiſtoricus, Periplum totius maris ſcripſit in quinque voluminibus. *Fuit & alius Timagenes Aegyptius, qui Romæ ſub idem hoc tempus docuit, ſed ob libertatem ſcholâ excidit. Vide, ſi lubet, & ſuper eo Suidam: ſed cùm* Hiſtoriarum *ſcriptorem noſter appellet, credo alterum illum eſſe. Nominat iterùm, Epiſt.* XCI. *cum elogio,* Felicitatis vrbis inimicus.

226. DOMO SVA.] *Tacitus lib.* VI. Morem fuiſſe maioribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eumque finem gratiæ ponere. *Plura ego, ad eumdem ſcriptorem lib.* II. *De ipſo autem Timagene noſtro, Plutarchus libro, de Adulatoris & Amici diſcrimine: Timagenem amicitiâ* Cæſaris excidiſſe, non quòd liberam vocem apud ipſum emiſiſſet, ſed quòd in conuiuiis & circulis calumniatus aſſiduè aut criminatus eſſet.

227. AC TOTA.] *Meus*, à totâ: *& ſtatim*, directus *eſt, non* dilectus. *Gruterus* direptus *facit, rectè. Vide de Breuit. vit. cap.* VII.

228. QVASI FVLGVRITVM.] *Probo. etſi in libris* fulguris ictum, *aut* fulgure ictum. *Crebrum autem, vt fulmine tacti dicantur, qui à potentioribus illis læſi: quos comparant ſcilicet cum Ioue. Nota paræmia:* Πόρρω Διός τε καὶ κεραυνοῦ: Procul à Ioue & fulmine. *& vt Poëta,*

Sæuum præluſtri fulmen ab arce venit.

Alia autem hic etiam alluſio. quia fulgure tactos ſacros putabant, & Bidental faciebant, & vitabant. Vide I. *de Clem. cap.* VII.

229. SINVM.] *Qui exciperet, vt molliter caderet. Nemo autem libenter ſe ſupponit ab alto cadenti, ne ipſe opprimatur.*

230. MANVS ATTVLERAT.] *Eas quaſi interfecerat.*

231. Θηριοτροφεῖς.] *Serpentem nutris. Simile apud Græcos,* ὄφιν θάλπεις: Serpentem foues. *Notum de ruſtico, qui torpentem frigore ſinu fouit, refecitq;: atque is pro gratiâ momordit & occidit.* D

232. CÆSAR COEP.] *Notat & in hoc libertatem Aſinÿ, an contentionem cum Cæſare. Odit, cùm ille amauit; amare cœpit, cùm ille odiſſe. quaſi ex profeſſo in alia omnia iens.*

CAP. XXIIII. 233. HILARIVS.] *Libri quidam, & meus,* clarius: *alÿ*, elatius. *quod non diſpliceat. Sed &* clarius, *ſuo ſenſu bonum. altius, & voce quoque animoſum.*

234. LIBERTAS.] *Quia nihil illi mecum. non eſt addictus, aut obnoxius.*

235. NVNC PRIMVM.] *Quidam libri,* coniux primùm. *& certè haud improbè: deſcendere ad magis diſtincta videtur, & mox etiã de amico adiungit.*

236. QVOD

A aliàs offendit? feramus quod diu tulimus. Amicus eſt? fecit[236] quod noluit. inimicus eſt? fecit quod debuit. Prudentiori[237] cedamus: ſtultiori remittamus. pro quocunque, illud reſpondeamus nobis,[238] ſapientiſſimos quoque viros multa delinquere: neminem eſſe tam circumſpectum, cuius non diligentia aliquando ſibiipſi[239] excidat: neminem tam maturum, cuius non grauitatem in aliquod feruidius factũ caſus impingat: neminem tam timidum offenſarum, qui non in illas, dum vitat, incidat. Quomodo homini puſillo ſolatium in malis fuit, etiam magnorum virorum titubare fortunam, & æquiore animo filium in angulo fleuit, qui vidit[240] acerba funera etiam ex regiâ duci: ſic animo æquiore feret ab aliquo lædi, ab aliquo contemni, cuicumque venit in mentem, nullam eſſe tantam potentiam, in quam non incurrat iniuria. Quòd ſi etiam prudentiſſimi peccant, cuius non error[241] bonam cauſſam habet? Reſpiciamus, quoties adoleſcentia noſtra in officio parùm diligens fuerit, in ſermone parùm modeſta, in vino parùm temperans. Si iratus eſt: demus illi ſpatium, quo diſpicere quid fecerit, poſſit. ſe B ipſe caſtigabit. Denique[242] dabit pœnas. non eſt quòd cum illo[243] paria faciamus. Illud non venit in dubium, quin ſe exemerit turbæ, & altiùs ſteterit, quiſquis deſpexit laceſſentes. proprium eſt magnitudinis veræ, non ſe ſentire percuſſum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta reſpexit: ſic irritus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat. Qui non iraſcitur, inconcuſſus iniuriâ perſtitit: qui iraſcitur, motus eſt. At ille quem modò altiorem omni incommodo poſui, tenet[244] quodam amplexu ſummum bonum. nec homini tantùm, ſed ipſi fortunæ reſpondet: Omnia licet facias, minor es, quàm vt ſerenitatem meam obducas. Vetat hoc ratio, cui vitam regendam dedi. plus mihi nocitura eſt ira, quàm iniuria. Quid ni plus? illius modus certus eſt: iſta quouſque me latura ſit, incertum eſt. Non poſſum, inquis, pati. graue eſt, iniuriam ſuſtinere. Mentiris. XXVI. quis enim iniuriam non poteſt ferre, qui[245] poteſt iram? Adiice nunc, quòd id agis vt & iram feras, & iniuriam. Quare fers ægri rabiem, & phrenetici verba? puerorum proteruas manus? nempe quia videntur neſcire, quid faciant. Quid intereſt, quo quiſque vi- C tio fiat imprudens? imprudentia par in omnibus patrocinium eſt. Quid ergo? inquis. impune illi erit? puta te velle: tamen non erit. Maxima eſt enim factæ iniuriæ pœna, feciſſe: nec quiſquam grauiùs afficitur, quàm qui ad ſupplicium[246] pœnitentiæ traditur. Denique ad condicionem rerum humanarum reſpiciendum eſt, vt omnium accidentium æqui iudices ſimus: iniquus autem eſt, qui commune vitium ſingulis obiecit. Non eſt Æthiopis inter ſuos inſignitus color: nec[247] ruffus crinis & coactus[248] in nodum apud Germanos.[249] vtrumque decet. Nihil in vno iudicabis notabile aut fœdum, quod genti ſuæ publicum eſt. At iſta quæ retuli, vnius regionis atque anguli conſuetudo

236. QVOD NOLVIT.] *Nec enim amicus quærit offendere, ſed demereri. An* voluit *potiùs? quia libertas amicorum propria.*

237. CEDAMVS.] *Meus, & plures,* credamus.

238. SAPIENTISSIMOS.] *Verſus ita Phædræ ve-* D *ritatis:* Ἁμαρτάνει δὲ καὶ σοφοῦ σοφώτερος: Erratque ſapientiſſimus ſapientium.

239. EXCIDAT.] *Veluti ſe perdat.*

CAP. XXV. 240. ACERBA.] *Puerorum, ait Iſidorus; iuuenum, Immatura.*

241. BONAM CAVSSAM.] *Agi defendiq; facilem.*

242. DABIT.] *Meus*, debet. *eleganter more Græco.* ὀφλισκάνει τιμωρίαν.

243. PARIA FAC.] *Id eſt, nihil opus reponere ſtatim, & retaxando paria facere: alius pro nobis.*

244. QVODAM AMPL.] *Alij*, amplexu quodam, *& nonnulli*, quoddam. *Ego vellem*, quodammodo. *Non enim planè & plenè ideò ſummi boni potens, ſed in parte: & quaſi Tranquillitate illâ videtur frui, quæ ex Summo bono manat.*

CAP. XXVI. 245. POTEST IRAM.] *Quæ magis torquet, rapit, aufert.*

246. PÆNITENTIÆ.] *Plutarchus*, De Tranquillitate: Τὸ γὰρ συνειδὸς, οἷον ἕλκος ἐν σαρκὶ τῆς ψυχῆς μεταμέλειαν ἀιεὶ αἱμάσσουσαν καὶ νύσσουσαν ἐναπολείπει. τὰς μὲν γὰρ ἄλλας ἀναιρεῖ λύπας ὁ λόγος. τὴν δὲ μετάνοιαν αὐτὸς ἐργάζεται, δακνομένην σὺν αἰσχύνῃ, καὶ κολαζομένην ὑφ' αὑτῆς: Nam facinorum conſcientia, ſicut vlcus in carne, in animo Pœnitentiam relinquit, aſſiduè lancinantem & pungentem. Et alias quidem curas doloresque Ratio aufert; ipſam Pœnitentiam creat, morſicantem cum Pudore, & à ſeipsâ punitam. *Sunt aurea, & quæ noſter hîc atque alibi dicit.*

247. RVFFVS CRINIS.] *Martialis:*

—ruffi perſona Batavi. *Iuuenalis:*

Cerula quis ſtupuit Germani lumina, flauam
Cæſariem?

Nam flauum ſiue ruffum, τὸ ξανθόν. *Vide quæ ad Taciti Germaniam ſcripſi.*

248. IN NODVM.] *Noſter, epiſtolâ vltimâ*: Cùm capillum vel effuderis, more Parthorum; vel Germanorum, nodo vinxeris.

249. VTRVMQVE DEC.] *Libri variant. & ex eorum*

do defendit: vide nunc quanto in his iuſtior venia ſit, quæ per totum genus humanum A
vulgata ſunt. Omnes inconſulti & improuidi ſumus, omnes incerti, queruli, ambitioſi.
Quid lenioribus verbis hulcus publicum abſcondo? omnes mali ſumus. Quicquid
itaque in alio reprehenditur, id vnuſquiſque in ſuo ſinu inueniet. Quid illius pallorem,
illius maciem notas?[250] peſtilentia eſt. Placidiores itaque inuicem ſimus. mali inter ma-
los viuimus. Vna res nos facere poteſt quietos, mutuæ facilitatis[251] conuentio. Ille mi-
XXVII. hi iam nocuit: ego illi nondum. ſed iam aliquem fortaſſe læſiſti: ſed lædes. Noli
æſtimare hanc horam, aut hunc diem: totum inſpice mentis tuæ habitum. etiam ſi ni-
hil mali feciſti, potes facere. Quanto ſatius eſt, ſanari iniuriam, quàm vlciſci? Multum
temporis vltio abſumit. multis ſe iniuriis obiicit, dum vnâ dolet. Diutiùs iraſcimur
omnes, quàm lædimur. quanto melius eſt, abire in diuerſum, nec vitia vitiis compone-
re? Num quis ſatis conſtare ſibi videatur,[252] ſi mulam calcibus repetat, & canem mor-
ſu? Iſta, inquis, peccare ſe neſciunt. Primùm, quàm iniquus eſt, apud quem hominem
eſſe, ad impetrandam veniam nocet? deinde, ſi cetera animalia iræ tuæ ſubducit, quòd B
conſilio carent: eo loco tibi ſit, quiſquis conſilio caret. Quid enim refert, an alia mutis
diſſimilia habeat, ſi quod in omni peccato muta defendit, ſimilem habet caliginem
mentis? Peccauit.[253] hoc enim primum, hoc enim extremum. Non eſt quod illi credas,
etiam ſi dixit: Iterùm non faciam. Et iſte peccabit, & in iſtum alius, & totâ vitâ inter
errores volutabitur. Manſuetè immanſueta tractanda ſunt. Quod in luctu dici ſolet,
efficaciſſimè & in irâ dicetur: Vtrùm aliquando deſines, an nunquam? ſi aliquando; ſa-
tius eſt iram relinquere, quàm ab irâ relinqui. Sin ſemper hæc cogitatio durabit; vides
XXVIII quàm impacatam tibi denunties vitam. qualis enim erit ſemper[254] tumentis? Adii-
ce nunc, quòd niſi benè te ipſe ſuccenderis, & ſubinde cauſſas quibus ſtimuleris, reno-
uaueris, ſuâ ſponte ira diſcedet, & vires illi dies ſubtrahet. quanto ſatius eſt à te illam
vinci, quàm à ſe? Huic iraſceris, deinde illi: ſeruis, deinde libertis: parentibus, deinde li-
beris: notis, deinde ignotis. Vbique enim cauſſæ ſuperſunt, niſi deprecator animus ac-
ceſſit. Hinc te illò furor rapiet, & illinc aliò: & nouis ſubinde irritamentis orientibus, C
continuabitur rabies. Age infelix, & quando amabis? O quàm bonum tempus in re
malâ perdis! Quanto nunc ſatius erat, amicos parare, inimicos mitigare, Remp. admi-
niſtrare, transferre in res domeſticas operam: quàm circumſpicere quid alicui poſſis fa-
cere mali? quod aut dignitati eius, aut patrimonio, aut corpori vulnus infligas? cùm id ti-
bi contingere ſine certamine ac periculo non poſſit, etiam ſi cum inferiore concurſes.
Vinctum licet accipias, & ad arbitrium tuum omni patientiæ expoſitum: ſæpè nimia
vis cædentis aut articulum loco mouit, aut neruum in his quos fregerat, dentibus fixit.
Multos iracundia mancos, multos debiles fecit, etiam vbi patientiæ eſt nacta materiam.
Adiice nunc, quòd nihil tam imbecille natum eſt, vt ſine elidentis periculo pereat. im-
becillos valentiſſimis aliàs dolor, aliàs caſus exæquat. Quid, quòd pleraque eorum, pro-
pter quæ iraſcimur, offendunt nos magis, quàm lædunt? multum autem intereſt, vtrùm
aliquis voluptati meæ[255] obſtet, an[256] deſit: eripiat, an non det. Atqui in æquo ponimus, vtrùm aliquis auferat, an neget: vtrùm ſpem noſtram præcidat, an differat: vtrùm
contra nos faciat, an pro ſe: amore alterius, an odio noſtri. Quidam verò non tantùm D
iuſtas cauſſas[257] ſtandi contra nos, ſed etiam honeſtas habent. Alius patrem tuetur,
alius

eorum veſtigiis Gruterus: apud Germanos virum dedecet. *Ibi, inquit, non eſt muliebre, vt apud nos, comam in nodum ſtringi.*

250. PESTILENT.] *Publicus morbus & mortalitas.*

251. CONVENTIO.] *Quaſi pactum, vt mutuò faciles ſimus in ignoſcendo.* Sic De Prouidentiâ, *cap.* II. *de Iubâ & Peterio inuicem cæſis:* Fortis & egregia fati conuentio. *In ipsâ autem re, talis Iunonia illa conuentio, in Homero, cum ſuo Ioue:*

Ἀ᾽λλ᾽ ἤτοι μὲν ταῦτ᾽ ὔπιθοείξομεν ἀλλήλοισι,
Σοὶ μὲν ἐγὼ, σὺ δ᾽ ἐμοί.

CAP. XXVII. 252. SI MVLAM.] *Plutarchus, De non iraſcendo:* Canes, equos, mulos puniendos putant. ſicut Pancratiaſtes ille Cteſipho, qui mulam petere calcibus inuicem ſolebat.

253. HOC ENIM.] *Meus & alij quidam,* Hoc eſt. *probo, & ſtatim etiam legam,* hoc erit extremum? *interrogando.*

254. TVMENTIS.] *Voce meus auctior, & alio item ordine:* Qualis enim ſemper tumentis erit animus? *verè.*

CAP. XXVIII. 255. OBSTET.] *Inimici animo.*

256. DESIT.] *Negligentis.*

257. STANDI CONTRA.] *In iudicio.*

CAP.

A alius fratrem, alius patruum, alius amicum. his tamen non ignoſcimus id facientibus: quod niſi facerent, improbaremus. imò, quod eſt incredibile, ſæpè de facto benè exiſtimamus, de faciente malè. At mehercules vir magnus ac iuſtus, fortiſſimum quem- XXIX.
que ex hoſtibus ſuis, & pro libertate ac ſalute patriæ pertinaciſſimum ſuſpicit, & talem ſibi ciuem, talem militem contingere optat. Turpe eſt, odiſſe quem laudes: quanto verò turpius, ob id aliquem odiſſe, propter quod miſericordiâ dignus eſt? Si captiuus in ſeruitutem ſubitò depreſſus reliquias libertatis tenet, nec ad ſordida ac laborioſa miniſteria agilis occurrit, ſi ex otio piger equum vehiculumque domini curſu non exæquat, ſi inter quotidianas vigilias feſſum ſomnus oppreſſit, ſi ruſticum laborem recuſat, aut non fortiter obit, à ſeruitute vrbanâ & feriatâ tranſlatus ad durum opus. Diſtinguamus, vtrùm aliquis nō poſſit, an nolit. multos abſoluemus, ſi cœperimus antè iudicare, quàm iraſci. Nunc autem primum impetum ſequimur. deinde quamuis vana nos concitauerint, perſeueramus, ne videamur cœpiſſe ſine cauſsâ: & quod iniquiſſimum eſt, pertina-
B ciores nos facit iniquitas iræ. [258] Retinemus enim illam, & augemus: quaſi argumentum ſit iuſtè iraſcendi, grauiter iraſci. Quanto melius eſt, initia ipſa perſpicere, quàm leuia ſint, quàm innoxia? Quod accidere vides in animalibus mutis, idem in homine deprehendes: friuolis turbamur, & inanibus. [259] Taurum color rubicundus ex- XXX.
citat, [260] ad vmbram aſpis [261] exſurgit, vrſos leoneſque [262] mappa proritat. Omnia, quæ naturâ fera ac rabida ſunt, conſternantur [263] ad vana. Idem inquietis & ſtolidis ingeniis cuenit: rerum ſuſpicione feriuntur. adeò quidem, vt interdum iniurias vocent modica beneficia: in quibus frequentiſſima, certè acerbiſſima iracundiæ materia eſt. Cariſſimis enim iraſcimur, quòd minora nobis præſtiterint, quàm mente concepimus, quàm quæ alij tulerint: cùm vtriuſque rei paratum remedium ſit. Magis alteri indulſit? noſtra nos ſine comparatione delectent. nunquam erit felix, quem torquebit felicior. Minus habeo quàm ſperaui? ſed fortaſſe plus ſperaui, quàm debui. Hæc pars maximè metuenda eſt: hinc perniciоſiſſimæ iræ naſcuntur, & ſanctiſſima quæque inuaſuræ. Diuum
C Iulium plures amici confecerunt, quàm inimici, quorum non expleuerat ſpes inexplebiles. Voluit quidem ille: neque enim quiſquam liberaliùs victoriâ vſus eſt, ex quâ nihil ſibi vindicauit, niſi diſpenſandi poteſtatem: ſed quemadmodum ſufficere tam improbis deſideriis poſſet, cùm tantum omnes concupiſcerent, quantum poterat vnus? Vidit itaque ſtrictis circa [264] ſellam ſuam gladiis commilitones ſuos, Cimbrum Tillium acerrimum paullo antè ſuarum partium defenſorem, alioſque [265] poſt Pompeium demum Pom-

CAP. XXIX. 258. RETINEMVS ENIM.] *Meus*, Retinemus modò. *fecerim*, non modò illam, ſed.

CAP. XXX. 259. TAVRVM COL.] *Plutarchus, in* Connubialibus Monitis: Οἱ φοσίοντες ἐλέφασιν ἐδῆτα λαμφρὰν ἁ λαμβάνουσιν, ἀδὲ φοινικίδας οἱ ταύροις. διαχριαίνεται γὰρ ὑπὸ τῶν χρωμάτων τούτων μάλιστα τὰ ζῶα: Qui ad elephantes
D accedunt, veſtem candidam non ſumunt; qui ad tauros, puniceam. nam hæc animalia his coloribus maximè exaſperantur. *Ouidius in Metamorph.*

Haud ſecùs exarſit, Circo quâ taurus aperto,
Cùm ſua terribili petit irritamina cornu,
Puniceas veſtes: eluſaque vulnera ſentit.

Itaque rubræ veſtes obÿciebantur, imò hominum formæ, in tali colore. Pilas dicebant, vel ab illo taurorum repercuſſu, quaſi pilis ludentium; vel quòd priſci laneas hominum effigies in Compitalibus, Pilas *dicebant. Vide Feſtum. Cicero in Corneliana* Homines fæneos *appellat*, & proiici in medium Circum *ſolere. Ibi Aſconius:* Simulacra effigieſque hominum ex fæno fieri ſolebant, quibus obiectis ad ſpectaculum præbendum tauri irritarentur. *Ipſe* obiectis, *ait & Cicero* proiici: *at Martialis* imponi,

Iactat vt impoſitas taurus in aſtra pilas.

Malim ibi oppoſitas: *niſi ſi & cornibus eius aut capiti impoſitæ & innexæ. In Gloſsis:* Pilæ, ταυροκαθάπται. *Atque ſi è fæno, quomodo rubræ? intellege, veſte tali obducto.*

260. AD VMBRAM.] *Panno aut aliâ re factam, nec ſine motu, vt opinor. Huc adſpiciebat ſuprà, lib.* II. *cap.* XII. Acerrimas feras vmbra exagitat.

261. EXSVRGIT.] *Neſcio quid meus velit*, exercit *ſcribendo.*

262. MAPPA PROR.] *Vir perdoctus ſic capit, vt non Mappæ ipſius color, ſed curriculi Circenſis ſtrepitus & motus beſtias illas irritauerit. nam ita antè Seneca:* Curriculi motus, rotarumque verſata facies leonem redigit in caueam. *Non accedo. nec tam flexuoſa dictio Senecæ fuerit, vt Mappam pro Curru. Simpliciter verum cenſeo, Mappam, quæ candicat, motam & reciprocatam irritaſſe. Quidni enim pluribus exſtimulentur? Sic elephantes etiam vino & thure: ſic tauri flammis, & ferro ignito.*

263. AD VANA.] *Benè, ſi libri conſentiant: qui plerique*, ima, *& meus*, yma. *Fortaſſe*, minima.

264. SELLAM.] *In Curiâ.*

265. POST POMPEIVM.] *Cùm ille iam non eſſet,*

XXXI. Pompeianos. Hæc res ſua in reges arma conuertit, fidiſſimoſque eò compulit, vt A
de morte eorum cogitarent, pro quibus & ante quos mori, votum habuerant. Nulli ad
aliena reſpicienti, ſua placent. Inde diis quoque iraſcimur, quòd aliquis nos antecedat,
obliti[266] quantum ſequatur à tergo ingentis inuidiæ. Tanta tamen importunitas homi-
num eſt, vt quamuis multum acceperint, iniuriæ loco ſit, plus accipere potuiſſe. Dedit
mihi præturam? ſed conſulatum ſperaueram. Dedit duodecim faſces? ſed non fecit
[267] ordinarium conſulem. A me[268] numerari voluit annum? ſed deeſt mihi[269] ad ſacer-
dotium. Cooptatus in collegium ſum? ſed[270] cur in vnum? [271] Conſummauit digni-
tatem meam? ſed patrimonio nihil contulit. Ea dedit mihi, quæ[272] debebat alicui dare:
de ſuo nihil protulit. Age potiùs gratias, pro his quæ accepiſti: reliqua exſpecta, & non-
dum plenum te eſſe gaude. Inter voluptates eſt, ſupereſſe quod ſperes. Omnes viciſti?
primum te eſſe in animo amici tui lætare. multi te vincunt? conſidera, quanto antece-
XXXII. das plures, quàm ſequaris. Quod ſit in te maximum vitium, quæris? falſas ratio- B
nes conficis: data magno æſtimas, accepta paruo. Aliud in alio nos deterreat. quibuſ-
dam[273] timeamus iraſci, quibuſdam[274] vereamur, quibuſdam[275] faſtidiamus.[276] Ma-
gnam rem ſine dubio fecerimus, ſi ſeruulum infelicem in ergaſtulum miſerimus. Quid
properamus verberare ſtatim,[277] crura protinus frangere? non peribit poteſtas iſta, ſi
differetur. ſine id tempus veniat, quo ipſi iubeamus: nunc ex imperio iræ loquimur.
cùm illa abierit, tunc videbimus, quanti ſit[278] iſta lis æſtimanda. In hoc enim præcipuè
fallimur. ad ferrum venimus, ad capitalia ſupplicia: & vinculis, carcere, fame vindi-
camus rem, caſtigandam flagris leuioribus. Quomodo, inquis, nos iubes intueri, quàm
omnia per quæ ledi videmur, exigua, miſera, puerilia ſint? Ego verò nihil magis ſuaſe-
rim, quàm ſumere ingentem animum, & hæc propter quæ litigamus, diſcurrimus, an-
helamus, videre quàm humilia & abiecta ſint, nulli qui altum quiddam aut magnifi-
cum cogitat, reſpicienda.[279] Circa pecuniam plurimum vociferationis eſt: hæc foràm de-
fatigat, patres liberoſque[280] committit, venena miſcet, gladios tam percuſſoribus quàm
legionibus tradit. hæc eſt ſanguine noſtro delibuta. propter hanc vxorum maritorumq. C
noctes ſtrepunt litibus, & tribunalia magiſtratuum premit turba: reges ſæuiunt, ra-
piuntque, & ciuitates longo ſæculorum labore conſtructas euertunt, vt aurum argen-
XXXIII tumque in cinere vrbium ſcrutentur. Libet intueri[281] fiſcos in angulo iacentes.

Hi

eſſet, partes eius amplexos. Irridet. Pompeiani erant, nec iam erat Pompeius.

CAP. XXXI. 266. QVANTVM SEQ.] *Meus liber:* quanti ſequatur à tergo ſpiculis ingentis inuidiæ ſauciati. *Puto vera, ſi* ſequantur *modò reſcribas.* Quanti, *valet, quàm multi. Sententia igitur: iraſcimur ab aliquo præiri; nec cogitamus ſequi nos alios multos, quos & ipſos inuidia ingens premit: quanto magis nos? Colonienſis editio:* quantum hominum retrò ſit, & paucis inuidentem quantum ſequatur à tergo ingentis inuidiæ. *Qualiacumque, lucem tamen vulgatæ dant, ſi hanc teneas.*

267. ORDINARIVM.] *Nam duplices Conſules ab Auguſto, Suffecti & Ordinarij. Iſti digniſſimi, qui initio anni ineabant, & Faſtis prænotabantur, & inſtrumentis, & vbicumque annorum ratio erat. At alij per menſes tres aut duos ſufficiebantur, poteſtate pari, non dignitate.*

268. NVMERARI VOL.] *Id eſt, fecit me Ordinarium conſulem. Adde de Benef. II. cap. XXVII.*

269. AD SACERDOT.] *Cumulus honorum erat & quaſi clauſula, Sacerdotium. atque ea olim honoratis ſenibus dari ſolita, poſteà paſſim, & iuuenibus.*

270. CVR IN VNVM?] *Semel ſacerdos ſum, vt exempli cauſſâ, Pontifex: cur & non Salius, & Curio, & Quindecemuir? Nam id quoque de more, vt in pluribus collegiis ſimul eſſent.*

271. CONSVMMAVIT.] *Summam & apicem impoſuit. Age. iam ſum in pluribus collegiis: dignitati nihil adiici poteſt, poteſt patrimonio.*

272. DEBEBAT ALICVI.] *Nec enim ipſe Princeps honores omnes capit, aut honeſtè etiam cupit.*

CAP. XXXII. 273. TIMEAMVS.] *Potentioribus.*

274. VEREAMVR.] *Parentibus & amicis.*

275. FASTIDIAMVS.] *Minoribus.*

276. MAGNAM REM.] Εἰρωνικῶς. *imò non magnam.*

277. CRVRA FRANG.] *Inter pœnas ſeruiles,* D
Crurifragium. Docui in libellis De Cruce.

278. ISTA LIS ÆST.] *A iudiciis tranſlatum. videbimus, quâ pœnâ aut mulctâ dignus ſeruulus.*

279. CIRCA PECVNIAM.] *Multa in hanc ſententiam paſſim. Propertij hæc tamen eximia:*

Ergo ſollicitæ tu cauſſa pecunia vitæ es,
Per te immaturæ mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.

Adde Fabiani: Hæc eſt quæ auget diſcordiam, vrbes & terrarum orbem in bellum agitat, humanum genus, cognatum naturâ, in fraudes & ſcelera mutua inſtigat.

280. COMMITTIT.] *In pugnã & litẽ, inter ſe, dat.*

CAP. XXXIII. 281. FISCOS.] *Sportas, in quibus*

A Hi sunt, propter quos oculi [282] clamore exprimuntur: fremitu iudiciorum [283] basilicæ resonant: [284] euocati ex longinquis regionibus iudices sedent, iudicaturi, vtrius iustior auaritia sit. Quid si ne propter fiscum quidem, sed pugnum æris, aut [285] imputatum à seruo denarium, senex sine herede moriturus stomacho dirumpitur? Quid si propter vsuram [286] haut millesimam, valetudinarius fenerator distortis pedibus, & manibus [287] ad computandum modò relictis, clamat, ac per vadimonia asses suos in ipsis morbi accessionibus vindicat? Si totam mihi ex omnibus metallis, quæ cummaximè depromimus, pecuniam proferas, si in medium proiicias quicquid thesauri tegũt, auaritiâ [288] iterùm sub terras referente quæ malè egesserat; omnem istam congeriem dignam non putem, quæ [289] frontem viri boni contrahat. Quanto risu prosequenda sunt, quæ nobis lacrimas educunt? Cedo nunc, persequere cetera, cibos, potiones, hórumque caussâ XXXVI.
[290] paratam ambitionem, [291] munditias, verba, contumelias, & motus corporum parùm honorificos, & suspiciones, & contumacia iumenta, & pigra mancipia, interpretationes
B malignas vocis alienæ: quibus efficitur, vt inter [292] iniurias naturæ numeretur sermo homini datus. Crede mihi, leuia sunt: propter quæ non leuiter excandescimus, qualia [293] quæ pueros in rixam & iurgium concitant. Nihil ex his, quæ tam tristes agimus, serium est, nihil magnum. Inde, inquam, vobis ira & insania est, quòd exigua magno æstimatis. Auferre hic mihi hereditatem voluit: hic me diu [294] spe suprema captatum cri-

quibus pecuniæ: quas nota in angulis conclauis alicuius solere deponi.

282. CLAMORE EXP.] *Meus liber*, calore. *At quidam longiùs abeunt:* propter quos venę clamore tumescunt. *Quæ etsi vera, non tamen germana censeam: & edita placent. quia reipsâ oculi, vbi animus tumet & feruet, ipsi tumẽt & exsiliunt. Noster suprà, c.* III. Oculis nunc trepidis & exsilientibus, nunc in vno obtutu defixis. *Cicero in Vatinium*: Oculis
C eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus.

283. BASILICÆ.] *Quæ de industriâ circa Fora, vt in iis sole feruido, aut aere aliàs confuso, iudicia exercerentur.*

284. EVOCATI.] *Qui equestris ordinis honestiores erant, in Decurias iudicum conijciebãtur: idq; ex omnibus prouincijs. sed cum Plinianâ hac restrictione*: Iudicum quoque nonnisi quattuor decuriæ fuére primò, vixque singula millia in decuriis inuenta sunt, nondum prouinciis ad hoc munus admissis. seruatumq; in hodiernum est, nequis è nouis ciuibus in iis iudicaret. *Notentur ista, & vide euocatos quidem è prouinciis, sed veteres ciues, id est qui è coloniis ibi Romanis. De hac euocatione, iterùm Plinius*: Inquisitio per partes agitur, & qui de nummo indicet, à Gadibus columnisq; Herculis arcessitur.

285. IMPVTATVM.] *Assentior Pinciano*, amputatum
D *scribenti: reciśum per fraudem, & surreptum.*

286. HAVT MILLESI.] *Ea sanè exigua, cùm millesimo mense sors æquabatur. Haud longè est ab* Vnciali *vsurâ: cui miror hoc æuo, & tam feruidâ auaritiâ, fuisse locum. An hoc non vult, sed ob partem vix millesimam vsuræ, disruptum? Meus liber:* aut milles.

287. AD COMPVTANDVM.] *Est à Pinciano ingeniosè excogitatum. Nam libri omnes*, ad comparendum non relictis: *aut certè*, comparandum. *Ego verecundiùs fecerim*, ad comparcendum modò. *Manus chiragrâ laborantes & contractæ, nulli vsui sunt, nisi vt teneat, adstringat, parcat. & alluśum ad clausas in eo morbo manus, quæ tales in asseruando, apertæ in donando. Tamen de computãdo, etiam aptè: fatendum est. Nam digitis scilicet assiduè isti fæneratores computabant. Palladius de tali:*

Τέθνηκεν εὐθὺς ἐν ῥοπῇ τῆς καιρῷ βραχεῖ,
Ἐν δακτύλοισι τὰς τόκους σφίγγων ἔτι.
Obiuit ille temporis puncto breui,
Digitis restrictis fœnus etiam computans.

Alius:

Τέρπε δανειζόμενος τὴν φρένα· τοῖς δὲ δανείσαις
Κἀλλιπε τὴν ψῆφον δακτυλικαμψόδυνον:
Vsuras capiens gaude, atque relinque datori
Curuatis miseros in digitis numeros.

288. ITERVM SVB.] *Hunc orbicularem lusum, an insaniam, scitè exagitat & irridet Democritus, in epistolâ, si non Hippocratis, at eo dignâ.* Terram fodientes, *inquit*, argentum quærunt: reperto, terram emere & agros volunt: emptis, fructus vendere, atque iterùm argentum recipere. In quot mutationibus versantur? *Sed bellissimè addatur, quod hîc Seneca: finem denique esse, vt iterùm sub terram suam redeat.*

289. FRONTEM.] *Adeò non animum contristet aut irritet, vix vt frontem leuiter corruget.*

CAP. XXXIV. 290. PARATAM AMBIT.] *Nescio quid turbant scripti. vt meus, qui refert*: ortumque caussæ paratam ambitionem. *aly*, ortum aram ambitionem. *quidam*, ortumque causa, per iram ambit. *denique aly*, horumque tam paratam ambitionem. *Ego si quid video, legendum*: horumque caussa iratam ambitionem: *vel vt vestigia legam mei codicis*, horumque caussâ sæpè iratam. *In rem intende. videbis eum leues caussas irarum referre velle, & refellere. vt ecce, inquit, cibos & potus, & ob ea ambitiosos istos iratos.*

291. MVNDITIAS.] *Audio meum librum, quî* immunditias. *Nam quis mundicias irascitur vulgò? sequentia etiam eò ducunt*, verba, contumeliæ: *in malam & vrentem scilicet partem.*

292. INIVRIAS NATVRÆ.] *Tanquam in malum & noxam nostram sermonem dedisset.*

293. QVÆ PVEROS.] *Tali & nuces.*

294. SPE SVPREMA.] *Parùm sententia aut liquet, aut constat. Meus*, spem supremam captatus: *& plerique etiam aly. Legam*: hic me diu spe in supremâ captatum. *Opponit hæc duo: alius auferre*

criminatus est: hic scortum meum concupiuit. Quod vinculum amoris esse debebat, A
XXXV. seditionis atque odij caussa est,[295] idem velle. Iter angustum rixas transeuntium concitat: diffusa & latè patens via ne populos quidem collidit. Ista quæ appetitis, quia exigua sunt, nec possunt ad alterum, nisi alteri erepta, transferri: eadem affectantibus pugnam & iurgia excitant.[296] Respondisse tibi indignaris libertum, & vxorem, & clientem: deinde idem de Rep. libertatem sublatam quereris, quam domi sustulisti. Rursus si tacuit interrogatus, contumaciam vocas. Et loquatur, & taceat, & rideat. coram domino? inquis. imò coram patrefamilias. Quid clamas? quid vociferaris? quid flagella mediâ cœnâ petis, quòd serui loquuntur, quòd non eodem loco[297] turba concionis est, &[298] silentium solitudinis? In hoc[299] habes aures, vt nisi[300] modulata tantùm & mollia, & ex dulci tracta compositaque accipiant? Et risum audias oportet, & fletum, & blanditias, & lites, & prospera, & tristia, & hominum voces, & fremitus animaliũ latratusque. Quid miser expauescis ad clamorem serui, ad[301] tinnitum æris, ad ianuæ impulsum? cùm tam delicatus fueris, tonitrua audienda sunt. Hoc quod de auribus dictum est, B
transfer ad oculos: qui non minùs fastidio laborant, si malè instituti sunt. maculâ offenduntur & sordibus, & argento parùm splendido, &[302] stagno non ad solem perlucente. Hi nempe oculi, qui non ferunt nisi varium, ac recenti curâ nitens marmor, qui mensam nisi crebris distinctam[303] næuis, qui nolunt domi nisi auro pretiosa[304] calcare: æquissimo animo foris & scabras lutosasque semitas spectant, & maiorem partem occurrentium[305] squalidam, parietes[306] insularum exesos, ruinosos, inæquales.

XXXVI. Quid ergo aliud est quod illos in publico non offendat, domi moueat, quàm opinio illîc æqua & patiens, domi morosa & querula? Omnes sensus perducendi sunt ad firmitatem. naturâ patientes sunt, si animus illos[307] desinat corrumpere: qui quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, vt consummato die cùm se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malũ tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira, & erit moderatior, quæ sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excu- C
tiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quàm tranquillus,

mihi captanti hereditatem voluit, & intercipere; alius, cùm me captasset, alibi est criminatus. Spes suprema, *est hereditas & fructus supremæ illius voluntatis. Placuit aliquando*, hic me diu spem supremam captantem: *atque etiamnunc placeat, nisi conuenire cum priori commatio videretur.*

295. IDEM VELLE.] *Argutè. vinculum & firmamentum amoris est, idem velle & nolle: isti cùm eadem velint, hereditatem, pecuniam, puerum: dissentiunt ob ipsum hunc consensum.*

CAP. XXXV. 296. RESPONDISSE.] *Nempe liberiùs. verba tecum mutasse.*

297. TVRBA CONCIONIS.] *Et hîc obserua multitudinem non seruorum tantùm, sed mensæ ministrantium.*

298. SILENTIVM SOLIT.] *Epistolâ* XLVII. Virgâ murmur omne compescitur: magno malo interpellatum vllâ voce silentium luitur.

299. HABES AVRES.] *Præcipua materies iræ in iis, quæ auribus percipiuntur. Nam etsi oculi & alij sensus quædam fastidienda vel indignanda obijciunt, plura tamen aures: & caussa est, quia à iudiciis alienis plerique pendemus, iisq; attollimur aut deprimimur: iudicia autem sermone se produnt; sermo auribus hauritur. Ideò Xerxes apud Herodotũ verè effatur,* Animum in hominum habitare auribus. qui cùm bonâ per illas audierit, voluptate perfunditur; cùm his contraria, irâ intumescit.

300. MODVLATA.] *Puto alludi ad symphonias mẽsarũ, de quibus Petronius, & ipse noster aliquid Ep.* XI.

301. TINNITVM ÆRIS.] *An nolas ianuis appensas intellegit?*

302. STAGNO.] Stanno, *ego puto verum. nam caussa non videtur, cur aliquis stagno irascatur; & hîc etiam de instrumento domestico aut mensali sermo. Munditiæ quæruntur,*

— ne non, & cantharus, & lanx
Ostendant tibi te.

Possit etiam: tantum non ad Solem: *de ipso argento, vt instar solis luceat.*

303. NÆVIS.] *De mensis citreis intellegit. quibus næui in pretio, siue* nodi, *vt de Benef.* VII. *cap.* IX. *appellat. Ibi vide. Libri autẽ mei, & alij,* vinis *referũt: ex quo Erasmus scitè,* venis. *Plinius* XIII. Mensis præcipua dos, in venas crispis, vel in vortices variis.

304. CALCARE.] *Obserua & pauimenta igitur* D
aurata, non solùm lacunaria.

305. SQVALIDAM.] *Sordidatam, pullatam: non autem, vt diuites aut honestiores, candidatam.*

306. INSVLARVM.] *Aedes vulgarias sic appellant, vt alibi dicimus: honestiores, Domus.*

CAP. XXXVI. 307. DESINAT.] *Meus* deest: *quod & Gruterus in quibusdam fatetur repperisse. Religio sit mutare, cùm è docto & veteri sermone sit petitum.* Deest corrumpere, deest pendêre. *Propertius:*

Et mihi non desunt molles pendêre corollæ.

Tacitus IV. *Hist.* Nec deerat ipse, stipatus armatis, vim Principis cõplecti, nomen remittere. *Lib.* III. Nec deerat ipse vultu, voce, lacrimis misericordiam elicere. *Hirtius, de bello Hispaniensi.* Vt nullo tempore

A lus,altus ac liber,cùm aut laudatus eſt animus,aut admonitus,& ſpeculator ſui cenſorq́. ſecretus cognoſcit de moribus ſuis? Vtor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſſam dico. [308] cùm ſublatum è conſpectu lumen eſt, & conticuit vxor moris iam mei conſcia, totum diem mecum ſcrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipſe abſcondo,nihil tranſeo: quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cùm poſſim dicere: Vide ne iſtud ampliùs facias, nunc tibi ignoſco. In illâ diſputatione pugnaciùs locutus es:noli poſteà congredi cum imperitis. nolunt diſcere, qui nunquam didicerunt. Illum liberiùs admonuiſti, quàm debebas. itaque non emendaſti, ſed offendiſti. de cetero vide,non tantùm an verum ſit quod dicis,ſed an ille cui dicitur,[309] veri patiens ſit.

Admoneri bonus gaudet: peſſimus quiſque correptorem aſperrimè patitur. In con- XXXVII
uiuio quorumdam te ſales,& [310] in dolorem tuum iacta verba tetigerunt: vitare vulgarem conuictum memento. [311] ſolutior eſt poſt vinum licentia, quia ne ſobriis quidem pudor eſt. Iratum vidiſti amicum tuum oſtiario cauſidici alicuius, [312] aut diuitis, quòd
B intrantem ſubmouerat: & ipſe pro illo iratus [313] extremo mancipio fuiſti. Iraſceris ergo [314] cathenario cani?& hic cùm multum latrauit,obiecto cibo manſueſcit.recede longiùs, & ride. Nunc iſte aliquem ſe putat, quòd cuſtodit litigatorum turbâ limen obſeſſum. nunc ille qui intrà iacet, felix fortunatuſque eſt:& beati hominis ac potentis iudicat indicium, difficilem ianuam. neſcit duriſſimum eſſe oſtium carceris. Præſume animo, multa eſſe tibi patienda. Numquis ſe hieme algere miratur? numquis in mari nauſeare,in viâ concuti? Fortis eſt animus, ad quæ præparatus venit. Minùs honorato loco poſitus, iraſci cœpiſti conuiuatori, vocatori, ipſi qui tibi præferebatur. Demens, quid intereſt, quam lecti premas [315] partem? honeſtiorem te, aut turpiorem, poteſt facere [316] puluinus? Non æquis quendam oculis vidiſti, quia de ingenio tuo malè locutus eſt. Recipis hanc legem? ergo te Ennius, quo non delectaris,odiſſet: &[317]Hortenſius ſimultates tibi indiceret: & Cicero, ſi derideres [318] carmina eius, inimicus eſſet. [319] Vis XXXIIX
tu æquo animo pati[320]candidatus ſuffragia? Contumeliam tibi fecit aliquis. numquid
C maiorem quàm[301] Diogeni, philoſopho Stoico? cui de irâ cummaximè differenti,adoleſcens

tempore legiones populi in hac prouinciâ deſint haberi. *Ipſe Seneca, vt iterùm emendo, De Conſtant. ſap.cap.*XVII.*Vide*.

308. CVM SVBLATVM.] *Sine admiratione hoc numquã legi.homini tot negotiis,tot ſtudiis,& vxore etiam diſtricto, hanc tam arctam & cottidianam inquiſitionem fuiſſe? Nos de totâ re,* Manud. III. *Diſſert.vlt.*

309. VERI PATIENS.] *Quod* nulli, niſi audituro,dicendum eſt. *epiſt.*XXIX.

CAP.XXXVII. 310. IN DOLOREM.] *Nempe,vt tu doleas, vt ægrè tibi facerent.*

311. SOLVTIOR.] *Et inde* Lyæus *Græcis quia ſoluit*;Liber *Latinis, ab hac quoque libertate.*

D 312. AVT DIVITIS.] *Ita Muretus. cùm in libris eſſet*,aut vidiſti. *Quæ verba alij delent, mihi Muretianum illud placet.*

313.EXTREMO.] *Nam viliſſimi ad hoc munus.*

314. CATHENARIO.] *Ad ipſum Ianitorem referri poteſt:qui more veteri in cathenâ.Ouidius:*

Ianitor indignè durâ religate catenâ.

Suetonius de Claris Rhetor.Seruiſſe dicitur, atque etiam hoſtiarius, veteri more, in cathenâ fuiſſe. *Poëta vetus:*

Ianitoris tintinnire impedimenta audio:
commouentis ſe & venientis cathenam. Poteſt tamen etiam propriè ad ipſum canem, qui oſtium aſſeruabat. Petronius in Trimalcionis domo: Ad ſiniſtram enim intrantibus, non longè ab oſtiarij cellâ, canis ingẽs cathenâ vinctus, in pariete erat pictus,ſuperq́. ſcriptum,Caue, caue canem. *Pictus erat,ſed reipsâ etiam erat:& illud tãtùm,vt imagine moniti, à viuo illo & vero cauerent. Suetonius Vitellio:* Confugit in cellulam ianitoris, religato pro foribus cane.

315. PARTEM.] *Nam in vno lecto plures, tres, quattuor;prout numerus conuiuarum erat. Qui ſummus,honeſtus; honeſtior,medius;minimè,imus. Quid autem refert,inquit, in quâ parte lecti iaceas? Nos in Antiquis Lect.ſuper iſtis conuiuiorum ritibus.*

316. PVLVINVS.] *Alij*, puluinar. *Vtrumuis rectè: niſi quòd hoc poſterius, ſonet quiddam auguſtius,* & Puluinar *ferè eſt deorum.Puluinum autem lectum ipſum accipe, non puluinos qui ſubſterni tergo aut cubitis iacentium ſolent. Ita & Conſol. ad Martiam. cap.* XVI. Exprobrat iuuenibus noſtris puluinum aſcendentibus. *Lectulum dicit,in lecticâ.*

217. HORTENSIVS.] *Apparet, nec eius ſcripta in pretio tunc fuiſſe; & plus decori in actione, quàm curæ in ſcriptione habuiſſe.quod & Cicero iudicauit.*

318. CARMINA EIVS.] *Vulgò tunc deriſa. Satyricus:* —ridenda poëmata malo,
Quam te conſpicuæ diuina Philippica famæ.

CAP. XXXVIII. 319. VIS TV.] *Vellem ego,* Non vis tu.

320. CANDIDATVS.] *Petitor. nam qui in hanc aleam comitiorum ſe dat, optare poteſt proſperum iactum, quemcumque debet ferre. Qui autem ſcribunt, edunt: ij quoque candidati quidam Famæ videntur, ideoq́ iudicia æquiter audire*.

321. DIOGENI.] *Eſt ille, qui in Stobæo ſæpiculè*

leſcens proteruus inſpuit. tulit hoc ille leniter ac ſapienter. *Nonquidem*, inquit, *iraſcor: ſed* A
dubito tamen, an iraſci oporteat. Cato noſter meliùs. cui cùm cauſſam agenti, in frontem mediam, quantum poterat attractâ pingui ſaliuâ, inſpuiſſet [322] Lentulus, ille patrum noſtrorum memoriâ factioſus & impotens, abſterſit faciem, &, *Affirmabo*, inquit, *om-*
XXXIX. *nibus, Lentule, falli eos, qui te* [323] *negant os habere.* Contigit iam nobis, Nouate, benè componere animum, ſi aut non ſentit iracundiam, [324] aut ſuperior eſt: videamus quomodo [325] alienam iram leniamus. nec enim ſani eſſe tantùm volumus, ſed ſanare. Primam iram non audebimus oratione mulcere, ſurda eſt & amens: dabimus illi ſpatium. remedia [326] in remiſſionibus proſunt: nec oculos tumentes tentabimus, vim rigentem mouendo incitaturi, nec cetera vitia dum feruent. Initia morborum [327] quies curat. Quantulum, inquis, prodeſt remedium tuum, ſi ſuâ ſponte deſinentem iram placat? Primùm, vt citiùs deſinat, efficit: deinde cuſtodiet, ne recidat: ipſum quoque impetum, quem non audet lenire, fallet. Remouebit omnia vltionis inſtrumenta. [328] ſimulabit iram, vt tanquam adiutor & doloris comes [329] plus auctoritatis in conſiliis habeat. B
moras nectet: & dum maiorem quærit pœnam, præſentem differet. omni arte requiem furori dabit. Si vehementior erit; aut pudorem illi cui non reſiſtat, incutiet, aut metum. Si infirmior; ſermones inferet, vel gratos, vel nouos, & cupiditate cognoſcendi auocabit. Medicum aiunt, cùm regis filiam curare deberet, nec ſine ferro poſſet, dum tumentem mammam leniter fouet, ſcalpellum ſpongiâ tectum induxiſſe. Repugnaſſet puella reme-
XL. dio palàm admoto: eadem, quia non exſpectauit, dolorem tulit. Quædam non niſi decepta ſanantur. Alteri dices: Vide ne inimicis iracundia tua voluptati ſit. Alteri: Vide ne magnitudo animi tui, creditumque apud pleroſque robur, cadat. Indignor mehercule, & non inuenio dolendi modum: ſed tempus exſpectandum eſt. dabit pœnas. Serua iſtud in animo tuo. cùm potueris, & pro morâ reddes. Caſtigare verò iraſcentem, & vltrò obuiàm ire ei, incitare eſt. Variè aggredieris, blandeque: niſi fortè tanta perſona eris, vt poſſis iram comminuere: quemadmodum fecit diuus Auguſtus, cùm cœnaret apud [330] Vedium Pollionem. Fregerat vnus ex ſeruis eius cryſtallinum. rapi eum Ve- C
dius iuſſit, nec vulgari quidem periturum morte: murænis obiici iubebatur, quas ingens piſcina continebat. Quis non hoc illum putaret [331] luxuriæ cauſſâ facere? ſæuitia erat. Euaſit [332] è manibus puer, & confugit ad Cæſaris pedes: nihil aliud petiturus, quàm vt aliter periret, nec [333] eſca fieret. Motus eſt nouitate crudelitatis Cæſar, & illum quidem mitti,

citatur, & fragmenta oſtendunt mentem & neruos habuiſſe. Alibi degenerauit eius nomen in Diotogenis. *Vide Manud.* I. *Diſſert.* XI.

322. LENTVLVS ILLE.] *Intellegit, meâ opinione, Cn. Cornelium Lentulum Clodianum, qui Conſul fuit anno Vrbis* DCLXXXI. *De eius ingenio proteruo & improbo Salluſtius in fragmento, apud Agellium in Noct. lib.* XVIII. *cap.* IV. Cn. Lentulus, cui cognomentum Clodiano fuit, perincertum ſtolidior an vanior.

323. NEGANT OS.] *Iocosè. vulgò dicunt te ſine fronte & ore eſſè (ob inſignem impudentiam:) ego patronus veniam in hac parte, & affirmabo expertus te os habere. è quo ſcilicet tam fædè exſpuis.*

CAP. XXXIX. 324. AVT SVPERIOR.] *Aut cùm ſenſit, vicit.*

325. ALIENAM IRAM.] *Vltimum membrum ex diuiſione, cap.* V. *Vide.*

326. IN REMISSIONIBVS.] *Medicorum ſcito. qui negant in acceſſionibus medendum.*

327. QVIES CVRAT.] *Vt æger quieſcat.*

328. SIMVLABIT IRAM.] *Sic Otho (*I. *Hiſt. Taciti) Marium Celſum*, ſimulatione iræ vinciri iuſſum, & maiores pœnas daturum affirmans, præſenti exitio ſubtraxit.

329. PLVS AVCTOR.] *Tacitus* I I. *Hiſt. de Spurinnâ:* Fit alienæ temeritatis comes Spurinna, primò coactus, mox velle ſimulans, quò plus auctoritatis conſiliis ineſſet, ſi ſeditio miteſceret.

CAP. XL. 330. VEDIVM POLL.] *Nomen reſtituit Pincianus. & Plinij locum facientem adduxit, è libro* IX. Inuenit in hoc animali *(murenâ)* documenta ſæuitiæ Vedius Pollio, eques R. ex amicis D. Auguſti, viuariis earum immergens damnata mancipia. *Narrat idem Dio Caſſius libro* LIV. *& mortuum hunc Vedium, anno Vrbis* DCCXXXIX. D
Heredem ex plurimâ parte reliquit Auguſtum, cui & piſcinas. ex Senecâ apud Plinium, lib. IX. *cap.* LIII. In Cæſaris piſcinis, à Pollione Vedio coniectum piſcem, ſexageſimum poſt annum ſpiraſſe, ſcribit Annæus Seneca. *Piſcinæ iſtæ apud Pauſilypum, vbi & villam habuit, fuiſſe videntur, ex Dione. Eſt hic vir, cuius nomine Auguſtus malè audiit, vt in luxu proiecto amicorum conniuens aut indulgens. Tacitus* I. *Annal.*

331. LVXVRIÆ.] *Vt piſces magni tunc pretij ad manum ſemper haberet.*

332. E MANIBVS.] *Conſeruorum, abducentium.*

333. ESCA.] *Piſcibus, qui lento morſu arrodebant, aut ſugillabant.*

334. FRAN-

A mitti, cryſtallina autem omnia coram ſe [334] frangi iuſſit, [335] completiq́ue piſcinam. Fuit Cæſari ſic caſtigandus amicus: benè [336] vſus eſt viribus ſuis. E conuiuio rapi homines [337] imperas, & noui generis pœnis lancinari? ſi calix tuus fractus eſt, viſcera hominis diſtrahentur? tantum tibi placebis, vt ibi aliquem duci iubeas [338] vbi Cæſar eſt?

Sic [339] inſtãdum potentiæ eſt, vt iram ex ſuperiori loco aggredi poſſit, [340] malè tracta- XLI.
bilem, ac talem dumtaxat, qualem modò retuli, feram, immanem, ſanguinariam, quæ iam inſanabilis eſt, niſi maius aliquid extimuit. [341] *Pacem demus animo, quam dabit *
præceptorum ſalutarium aſſidua meditatio, actusq́ue rerum boni, & intenta mens ad vnius honeſti cupiditatem. [342] Conſcientiæ ſatis fiat. nil in famam laboremus: ſequatur vel mala, dum benè [343] merearis. At vulgus animoſa miratur, & audaces in honore ſunt: placidi pro inertibus habentur. Primo forſitan aſpectu, ſed ſimulac æqualitas vitæ fidem facit, non ſegnitiem illam animi eſſe, ſed [344] pacem, veneratur idem illos populus, colitq́ue. Nihil ergo habet in ſe vtile tæter ille & hoſtilis affectus; at omnia è
B contrario mala, ferrum, ignes: pudore calcato, cædibus inquinauit manus, [345] membra liberorum diſperſit. Nihil vacuum reliquit à ſcelere, non gloriæ memor, non infamiæ metuens, inemendabilis cùm ex irâ in odium occalluit. Careamus hoc malo, XLII.
purgemuſq́ue mentem, & exſtirpemus radicitus ea vitia, quæ quamuis tenuia vndecunque [346] hæſerint, renaſcentur: & iram non temperemus, ſed ex toto remoueamus. Quod enim malæ rei temperamentum eſt? poterimus autem, adnitamur modò. Nec vlla res magis proderit, quàm cogitatio mortalitatis. ſibi quiſque vt alteri dicat: Quid iuuat, tanquam in æternum genitos [347] iras indicere, & breuiſſimam ætatem diſſipare? quid iuuat, dies quos in voluptatem honeſtam impendere licet, in dolorem alicuius tormentumq́ue transferre? Non capiunt [348] res iſtæ iacturam, nec tempus vacat perdere. Quid ruimus in pugnam? quid certamina nobis accerſimus? quid imbecillitatis obliti, ingentia odia ſuſcipimus, & ad frangendum fragiles conſurgimus? Iam iſtas inimicitias, quas implacabili gerimus animo, febris aut aliud malum corporis vetabit geri.
C iam

334. FRANGI IVSSIT.] *Ne vltrà materies iræ eſſent, & eiuſmodi ſæuitiæ. Plutarchi ſalutare hîc præceptum inſeratur:* Temperandum eſſe illis, qui iracundo ſunt ingenio, ab raris & exquiſitis poculis, ſignis, gemmis pretioſis. Hæc enim deiiciunt de ſtatu animum, ſi perierunt: non item illa, quæ parabilia ſunt & vulgata. Itaque cùm Nero tabernaculum quoddam octangulum, eminenti ſpecie & ſplendore comparaſſet: Seneca ad eum, Oſtendiſti teipſum, inquit, pauperem. ſi enim hoc perdideris, ſimile non recuperabis. *Et dictio Senecæ vera. paullò enim pòſt naufragio tabernaculum hoc periit.*

335. COMPLERIQ́VE.] *Non fragmentis ipſis cryſtallinorum, opinor. vnde enim ea tam multa? &* ingens piſcina *erat, vt præmiſit: ſed ſimpliciter com-*
D *pleri, terrâ alioq́; aggere.*

336. VSVS VIRIBVS.] *Petronius:* Intentans in oculos Thryphenæ manus, vſurum me viribus meis clamaui. *Significat pro ſummo iure & potentiâ facere, & vti ſuo bono.*

337. IMPERAS.] *Meus*, viperas. *Audacter ſcribo*, viperis: *vel*, ad viperas. *& Senecam in ſuffragium aduoco.* De Clem. 1. *cap.* XVIII. *de ipſo hoc Vedio:* Seruos, qui ſe aliquid offenderant, in viuarium, quid aliud, quàm ſerpentibus, obiici iubebat. *Et ſunt murenæ, vt anguillæ, in ſpeciem colubrini generis.*

338. VBI CÆSAR.] *Ad cuius occurſum, etiam noxij dimittebantur, iam puniendi. In Dione alibi legi: & hoc reuerentiæ, ab exemplo Veſtalium, datum.*

CAP. XLI. 339. INSTANDVM POT.] *Sic inſtare & vrgere ipſa potentia debet.*

340. MALE TRACTAB.] *Ex meo & quibuſdam,* & malè tractare: at talem dumt.

341. *PACEM DEMVS.] *Defecta & hiulca ſunt: at non aliena omnia deinceps ab hoc loco, vt elegans ille vir cenſet. Conueniunt verò, & aptè in fine monita hæc communiter contra iram aut repetit, aut addit. Aliquid igitur dumtaxat intercidit, & deuinctio cum prioribus.*

342. CONSCIENTIÆ.] *At contrà Plinius effatur:* Multos famam, conſcientiam paucos vereri.

343. MEREARIS.] *Alij*, meritis, meretis, *& meus* merentis. *rectiſſimè: valetq́;* merentes.

344. PACEM.] *Animi introrſum compoſiti & æquabilis tranquillitatem.*

345. MEMBRA LIB.] *Vt Medæa.*

CAP. XLII. 346. HÆSERINT.] *Si hoc rectum, dicendum erat*, vbicumque hæſerint. *At libri* exierint: *quod probandum. Vndecumque ex reliquâ radice leuiter ſe oſtenderint, renaſcentur & exſurgent in arborem.*

347. IRAS INDICERE.] *Priſco & prauo more, denunciabant inimicitias, & indicebant: ſic, vti publicè, bellum. Notaui exempla ad* 11. *Annal. Taciti, ad verba:* Epiſtolas componit, quîs amicitiam ei renunciabat.

348. RES ISTÆ.] *Quæ iſtæ res? valdè infinitè dictum. Pinciani quædam exemplaria*, res geſtæ. *At meo animo verum & bellum*, res anguſtæ. *In re laxâ & vbere, licet aliquid prodigere, &* ſtultitiam pa-

iam par acerrimum media[349] mors dirimet. Quid tumultuamur, & vitam ſeditioſi con- A
turbamus? ſtat ſuper caput fatum, & pereuntis[350] dies imputat, propiuſque ac propiùs accedit. Iſtud tempus, quod alienæ deſtinas morti, fortaſſe[351] citra tuam eſt.

XLIII. Quin potiùs vitam breuem[352] colligis, placidamque & tibi & ceteris præſtas? quin potiùs amabilem te, dum viuis, omnibus: deſiderabilem, cùm exceſſeris, reddis? Et quid illum, nimis[353] ex alto tecum agentem, detrahere cupis? quid illum oblatrantem tibi, humilem quidem & contemptum, ſed ſuperioribus acidum ac moleſtum, exterrere viribus tuis tentas? Quid ſeruo? quid domino? quid regi? quid clienti tuo iraſceris? ſuſtine paullùm. venit ecce mors, quæ nos pares faciat. Ridere ſolemus inter[354] matutina harenæ ſpectacula, tauri & vrſi pugnam inter ſe[355] colligatorum: quos, cùm alter alterum[356] vexarit,[357] ſus confector exſpectat. Idem facimus. aliquem nobiſcum alligatum laceſſimus: cùm victo victorique finis[358] æquè maturus immineat. Quieti potiùs pacatique, quantulumcumque ſupereſt, exigamus. nulli cadauer noſtrum iaceat inuiſum. Sæpè rixam conclamatum in vicino incendium ſoluit: & interuentus feræ, latronem B
viatoremque diducit. Colluctari cum minoribus malis non vacat, vbi metus maior apparuit. Quid nobis cum dimicatione & inſidiis? numquid amplius iſti cui iraſceris, quàm mortem optas? etiam te quieſcente morietur. perdis operam: facere vis, quod futurum eſt. Nolo, inquis, vtique occidere, ſed exſilio, ſed ignominiâ, ſed damno afficere. Magis ignoſco ei, qui vulnus inimici, quàm qui[359] puſulam concupiſcit. hic enim non tantùm mali animi eſt, ſed puſilli. Siue de vltimis ſuppliciis cogitas, ſiue de leuioribus; quantulum eſt temporis, quo aut ille pœnâ ſuâ torqueatur, aut tu malum gaudium ex alienâ percipias? Iam ipſum ſpiritum[360] exſpuimus, interim dum trahimus. Dum inter homines ſumus, colamus humanitatem: non timori cuiquam, non periculo ſimus: detrimenta, iniurias, conuicia, vellicationes contemnamus, & magno animo breuia feramus incommoda. Dum reſpicimus, quod aiunt, verſamuſq. nos, iam mortalitas aderit.

tiuntur opes: *at in tenui & angustâ, omnis iactura nocet. Accommodat ad tempus, quod angusto orbe volvitur.*

349. MORS DIR.] *Meus*, media pars. *an* Parca?

350. DIES IMPVTAT.] *Quos labi aut excidere triſtibus & prauis curis patimur; eos fatum colligit tamen, & in Expenſi tabulis ponit.*

351. CITRA TVAM.] *Hoc eſſet, intra tuam mortem: quod attendenti hic non facit: imò contrà vult dictum:* vltra tuam eſt. *Itaque reducam mei & veterum aliquot librorum ſcriptum*, circa tuam.

CAP. XLIII. 352. COLLIGIS.] *Opponit* Diſſipandi *verbo, quo vſus antè. Colligit vitam, qui nihil perire ex eâ patitur, qui dies diſponit & impendit: qui contrà, diſſipat, perdit.*

353. EX ALTO.] *In fortunâ & loco altiore.*

354. MATVTINA.] *Cùm ferarum ſpectacula & certamina dabantur. Sic Epiſt.* LXX. In ludo beſtiariorum, vnus è Germanis, cùm ad matutina ſpectacula pararetur. *Plura ibi.*

355. COLLIGATORVM.] *Mos notetur. ſolent beſtias inter ſeſe colligatas dare: an vt impetus minor eſſet, & mutuò ſeſe dumtaxat vexarent? Apparet ex his quæ addit: tum & ex alio loco, De* Breuitate vitæ, *cap.* XIII. Primus Sulla leones in Circo ſolutos dedit. *Anteà ergo ligatos: & vt minùs libera pugnandi aut ſæuiendi facultas eſſet. Contrà eſt, quòd lego homines per ſæuitiam ſimul ligatos, & vt ſeſe neceſſariò interficerent. Dio in Commodo:* Quoſdam, quòd cunctarentur aduerſarios interficere, vnà cum eis ligari, atq; ita ſimul omnes pugnare iuſſit.

356. VEXARIT.] *Hoc eſt quod dixi, per luſum hæc facta videri, non in legitimam pugnam.*

357. SVS CONFECTOR.] *Viri docti hoc ſuggerunt, & valdè aſſerunt. quid dicam? bardum me, qui non ſatis capio de hac ſue confectrice. Aprum aliquem in eos immiſſum? logi. Libri mei & alij,* ſuus confector: *quidam,* finis confector. *Sed* ſuus, *mihi veriſimum. nempe poſt luſoriam pugnam, vterque veram init & taurus & vrſus: in quos? in beſtiarios, qui occidunt: ideoq; communi & tritâ voce* Confectores *dicuntur. Suetonius Auguſto:* In Circo aurigas, curſoreſque, & confectores ferarum produxit. *In Nerone:* Ex iiſdem ordinibus confectores ferarum, & varia arenæ miniſteria. C

358. ÆQVE MATVRVS.] *Meus & meliores alij,* finis & quidem matutinus. *Vellem,* finis, & quidem maturus, immineat. *Non diu protollemur: confectrix illa mors vtrique imminet. Sunt qui* matutinus *teneant; & quia non vltra horas matutinas ille luſus, ad ſpectum ad eam breuitatem.*

359. PVSVLAM.] *Credo veriſimè hoc Muretum, ſiue quis alius inuentor. In vulgatis,* pũctiunculam: D
in ſcriptis, inſulam: *in meo,* perinſulam, *ſed ita vt illud* p. *lineolâ traiectũ ſit, nec* per *integrè ſcriptum. Quocumque me verti, nihil melius* Puſulâ. *quam vel* Puſtulam *ſcabiemq; accipe; vel, vt in Columellâ, Eryſipelas, ſiue ſacrum ignem. quem hodieq; imprecari mos eſt. Alij tamen* Inſulam *hîc legũt, & de exſilio ſiue relegatione capiunt: longinquo aut duro ſermone.*

360. EXSPVIMVS INTERIM.] *Malim hæc diſtingui:* iam ipſum ſpiritum exſpuimus, (*vel* exuimus.) Interim, dum trahimus, dum inter homines ſumus, colamus humanitatem. *Faciamus. & nos quoque qui litteras humaniores colimus, à liuore, à morſu remoti, inprimis illam.*

L. AN-

A

L. ANNÆI SENECÆ

AD HELVIAM MATREM

DE CONSOLATIONE

LIBER VNVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B

SCRIPTVS *hic libellus in exsilio, quod primo imperij Claudiani anno (Vrbis* DCCXCIIII.*) subiit, faciente impurâ illâ Messallinâ. Hæc omnium virorum mulier, adulterium Iuliæ Germanici filiæ obiecit: eique Senecam innexuit. Diximus in eius Vitâ. Iam ergo in Corsicâ relegatus, matrem solatur, & ostendit se casum hunc fortiter ferre, atque ipsam debere. Scripsit non statim initio exsilij (quod Præfatio dicit) sed extremo primo anno, aut initio sequentis: ac scripsit iam in æui & ingenij vigore ac robore, annos natus paullò plus quadraginta. Itaque scriptum ipsum tale est, animi & eloquentiæ plenum, numeris & structurâ compositum, atque etiam ordine præter cetera dispositum. Ausim dicere, palmam inter libellos poscit. Consolationis autem duo capita facit: Neque* MEO *nomine dolere, neque* TVO *debes. Non Meo. nam nihil mihi mali est. quæ vulgus putat,* Loci mutatio, Paupertas, Ignominia, Contemptus, *non sunt Mala: atque id ordine ostendit, ad Cap.* XIIII. *Non etiam Tuo debes. nam duo sunt quæ adfligere te possint: vel, quòd Præsidium aliquod in me amiseris; vel, quòd Desiderium mei ferre non possis. Prius in te non cadit, quæ ambitiosa non es, nec gratiam aut potentiam filiorum vnquam ostentasti. Non debet item alterum: quia supra sexum tuum fortis semper fuisti. Multa mala toleraſti, hoc etiam fer. Confer te ad Sapientiæ studia, quæ iuuabunt: verte ad fratres meos, & ex his & me nepotes: non es deserta. Officia & oblectamenta isti dabunt. Verte etiam ad sororem tuam, quæ solatium erit, & exemplum. Atque in eius laudibus libelli finis.*

C

CARMINA *hic visum præscribere, quæ Senecæ tribuuntur, & certè exsilium eius tangunt. Siue ab ipso igitur, siue de ipso scripta, ad argumentum & lucem libelli spectant.*

D

L. ANNAEI SENECAE

EPIGRAMMATA SVPER EXSILIO.

I. AD CORSICAM.

CORSICA [1] Phocæo tellus habitata colono,
Corsica, quæ Graio nomine Cyrnus eras:
Corsica Sardiniâ breuior, porrectior Iluâ:
Corsica piscosis peruia fluminibus:
Corsica terribilis, cùm primùm incanduit æstas:
Sæuior, ostendit cùm ferus ora canis:
Parce relegatis, hoc est, iam [2] parce sepultis.
Viuorum cineri sit tua terra leuis.

II. DE EADEM. A

BARBARA præruptis incluſa eſt Corſica ſaxis:
Horrida, deſertis vndique vaſta locis.
Non poma Autumnus, ſegetes non educat Æſtas:
Canaque Palladio munere Bruma caret:
Vmbrarum nullo Ver eſt lætabile fœtu,
Nullaque in infauſto naſcitur herba ſolo:
Non panis, non hauſtus aquæ, non vltimus ignis:
Hîc ſola hæc duo ſunt, exſul, & exſilium.

III. QVERELA.

OCCISI iugulum quiſquis ſcrutaris amici,
Tu miſerum necdum me ſatis eſſe putas: B
Deſere confoſſum. victori vulnus iniquo
Mortiferum impreſſit mortua ſæpè manus.

IV. ITEM.

QVIS QVIS es, & nomen dicam? dolor omnia cogit,
Qui noſtrum cinerem nunc, inimice, premis:
Et non contentus tantis, ſubitiſque ruinis,
Stringis in exſtinctum tela cruenta caput.
Crede mihi, vires aliquas Natura ſepulchris
Attribuit: tumulos vindicat vmbra ſuos.
Ipſos crede Deos hoc nunc tibi dicere, Liuor,
Hoc tibi nunc Manes dicere crede meos:
Res eſt ſacra, miſer. Noli mea tangere fata.
Sacrilegæ buſtis abſtinuere manus. C

V. ITEM.

CARMINA mortifero tua ſunt ſuffuſa veneno,
[3] Et ſunt criminibus pectora nigra magis.
Nemo tuos fugiat, non vir, non femina dentes,
Haud puer, haud ætas vndique tuta ſenis.
Vtque furens totas immittit ſaxa per vrbes
In populum: ſic tu verba maligna iacis.
Sed ſolet inſanos populus compeſcere ſanus:
Et repetunt motum ſaxa remiſſa caput.
In te nunc ſtringit nullus non carmina vates,
Inque tuam rabiem publica Muſa furit.
[4] Dum ſua compoſitus nondum benè concutit arma
Miles, & è noſtrâ lancea torta manu:
Bellus homo, & validè capitalia crimina ludis: D
Deque tuis manant atra venena iocis.
Sed tu perque iocum dicis vinumque. quid ad rem,
Si plorem? riſus ſi tuus iſta facit?
Quare tolle iocos, non eſt iocus eſſe malignum.
Numquam ſunt grati, qui nocuêre ſales.

VI. AD AMICVM.

[5] CRISPE, meæ vires, laſſarumque ancora rerum:
Criſpe vel antiquo conſpiciende foro:
Criſpe potens nunquam, niſi cùm prodeſſe volebas:
Naufragio littus, tutaque terra meo.

Solus

A Solus honor nobis, arx & tutiſſima nobis:
Et nunc afflicto ſola quies animo.
Criſpe, fides dulcis, placidiqúe acerrima virtus:
Cuius Cecropio pectora melle madent.
Maxima [6] facundo vel auo, vel gloria patri:
Quo ſolo careat ſi quis, in exſilio eſt.
[7] An tu cui iaceo ſaxis telluris adhærens,
Mens tecum eſt, nullâ quæ cohibetur humo.

VII. DE QVALITATE TEMPORIS.

OMNIA tempus edax depaſcitur, omnia carpit,
Omnia ſede mouet, nil ſinit eſſe diu.
Flumina deficiunt, profugum mare littora ſiccat,
B Subſidunt montes, & iuga celſa ruunt.
Quid tam parua loquor? moles pulcherrima cæli
Ardebit flammis tota repentè ſuis.
Omnia mors poſcit. [8] Lex eſt, non pœna, perire:
Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

IIX. VOTVM.

SIC mihi ſit [9] frater, maiorque, minorque ſuperſtes,
Et de me doleat nil, niſi morte meâ.
Sic illos vincam, ſic vincar rurſus amando:
Mutuus inter nos ſic benè certet amor.
Sic dulci [10] Marcus qui nunc ſermone fritinnit,
Facundo patruos prouocet ore duos.

C *Hæc in ſchidis Pythœanis palàm Senecæ adſcribuntur: eſt & aliud, quod ob argumenti ſimilitudinem viri docti pariter adſignant.*

IX. AD CORDVBAM.

CORDVBA ſolue comas, & triſtes indue vultus:
Inlacrimans cineri munera mitte meo.
Nunc longinqua tuum deplora, Corduba, vatem:
Corduba non *alio tempore mæſta magis. *illo, *Faber*
Tempore non *alio, quo verſis viribus Orbis, *illo
Incubuit belli tota ruina tibi.
Cùm geminis oppreſſa malis vtrimque peribas:
Et tibi Pompeius, Cæſar & hoſtis erat.
D Tempore non *alio, quo ter tibi funera centum *illo
Heu nox vna dedit, quæ tibi ſumma fuit.
Non, Luſitanus quateret cùm mœnia latro,
Figeret & portas lancea torta tuas.
Ille tuus quondam magnus, tua gloria, ciuis
Infigar ſcopulo. Corduba ſolue comas,
Et gratare tibi, quòd te Natura ſupremo
Alluit Oceano: tardiùs iſta doles.

NOTÆ.

NOTÆ.

EPIGR. I.

1. PHOCÆO TELLVS H. C.] *Vide Consol. ipsam, cap.* VIII.

2. PARCE SEPVLTIS.] *Pythæi codex*, solutis: *quod esset, mortuis. Sed vulgatum placet. Vide Consol. cap.* I.

EPIGR. V.

3. ET SVNT CRIMINIBVS.] *Pythæi codex*, carminibus: *rectè ad priora.*

4. DVM SVA COMPOSITVS.] *Aliud Epigrammation videtur, & separandum.*

EPIGR. VI.

5. CRISPE MEÆ VIRES.] *Valdè in amicis numerat hunc Crispum: & quem illum? Dicas Passienum Crispum intellegi, oratorem celebrem, diuitem, & Agrippinæ maritum. quem noster nominat* I. *De Benef. cap. vlt. & initio* IV. *Quæst. Natur. sed sine vllâ singularis huius amoris (quem Carmen præfert) notâ. Et verò dubito an ad hoc temporis Passienus ille vixerit. Nam Chronicon Eusebÿ, anno secundo Caligulæ mortuum facit:* Passienus filius fraude hereditatis suæ necatur. *Lego*, heredis suæ. *Scholiastes Iuuenalis:* Periit per fraudem Agrippinæ, quam heredem reliquerat, & funere publico elatus est. *Nam quod in Suetonÿ Nerone est:* Verùm Claudio imperium adepto, non solùm paternas opes recuperauit, sed & Crispi Passieni vitrici sui hereditate ditatus est: *non peruincit hucusque eum vixisse. Sed cùm mater à Caio relegata esset, opes ei ereptas omnes, etiam illas Passieni: sed omnia reddita à Claudio, & bis illud millies Passieni. Ita enim de opibus eius Scholiastes Iuuenalis. Siquis tamen vult vixisse, & Eusebÿ notam falsam, aut alieno loco positam: esto, & tum de isto liceat intellegi. etsi, vt dixi, noster in amicis nusquam recenset: pater Seneca tantùm*, Nostrum *appellat. In Præfatione libri* III. *Controu.* Passienus noster cùm cœpit dicere. *Fuit sanè alius Crispus, nomine gentili Vibius: inter iucundos suaueq; oratores, & tempore Flauiorum Principum gratiosus. Potest ad illum Epigramma esse, sed ab exsule alio: & non sunt profectò hæc omnia vnius viri, aut stili.*

6. FACVNDO VEL AVO, VEL GLORIA PATRI.] *De Passieno, certum est* Patrem *habuisse etiam oratorem: vide lib.* II. *Controu.* V. *De* Auo, *nihil scio.*

7. AN TV CVI IACEO.] *Aliàs legitur:* An tua Cyrneæ saxis. *E quo Faber*, Atquin Cyrneæ. *Vulgatum ergo recuderem:* At mea, qui iaceo.

EPIGR. VII.

8. LEX EST.] *Ex Senecæ hoc libello:* Vltimum diem non quasi pœnam, sed naturæ Legem aspicis.

EPIGR. VIII.

9. FRATER MAIORQVE MINORQVE.] *Maior, est Nouatus siue Gallio; minor, Mela.*

10. MARCVS.] *Nostri filius, qui hac Consolatione (cap.* XVI.) blandissimus puer *dicitur. Mancum dicas Epigrammatium: neque votum absoluitur.*

CAPVT PRIMVM.

SAEPE iam, mater optima, [1] impetum cepi consolandi te, sæpè continui. Vt auderem, multa me impellebant. primùm, videbar depositurus omnia incommoda, cùm lacrimas tuas, etiam si supprimere non potuissem, interim certè abstersissem. deinde, plus habiturum me auctoritatis non dubitabam ad excitandam te, si prior ipse consurrexissem. præterea timebam, ne à me [2] non victa fortuna aliquem meorum vinceret. Itaque vtcunque conabar, manu super plagam meam impositâ, ad obliganda vulnera vestra reptare. Hoc propositum meum, erant rursus quæ retardarent. [3] Dolori tuo, dum recens sæuiret, sciebam occurrendum non esse, ne illum ipsa solatia irritarent, & accenderent. nam [4] in morbis quoque nihil est pernicioſius, quàm immatura medicina. Exspectabam itaque dum ipse vires suas frangeret, & ad sustinenda remedia morâ mitigatus, tangi se ac tractari pateretur. Præterea, cùm omnia clarissimorum ingeniorum monumenta, ad compescendos moderandosque luctus composita euoluerem, non inueniebam exemplum eius qui consolatus suos esset, cùm ipse ab illis [5] comploraretur. Ita in re nouâ hæsitabam, verebarque, ne hæc non consolatio, sed exulceratio esset. Quid quòd nouis verbis, nec ex vulgari & quotidianâ sumptis [6] allocutione, opus erat homini ad consolandos suos ex ipso rogo caput alleuanti? Omnis autem magnitudo [7] doloris modum excedentis necesse est dilectum verborum eripiat, cùm sæpè vocem quoque ipsam intercludat. Vtcunque, connitar: non fiduciâ ingenij, sed

A sed quia possum instar efficacissimæ consolationis esse, [8] consolator. Cui nihil negares, huic hoc vtique te non esse negaturam (licet omnis [9] mæror contumax sit) spero, vt desiderio tuo velis à me modum statui. Vide quantum [10] de indulgentiâ tuâ promi- 11.
serim mihi: potentiorem me futurum apud te non dubito, quàm dolorem tuum: quo nihil est apud miseros potentius. Itaque [11] ne statim cum eo concurram, [12] adero priùs illi, & quibus excitetur, ingeram: omnia proferam, & rescindam quæ iam obducta sunt. Dicet aliquis: Quod hoc genus est consolandi, obliterata mala reuocare, & animum in omnium ærumnarum suarum conspectu collocare, vix vnius patientem? Sed is cogitet, quæcumque vsque eò pernicioſa sunt, vt contra remedium conualuerint, plerumque contrariis curari. Omnes itaque luctus illi suos, omnia [13] lugubria admouebo. hoc erit non molli viâ mederi, sed vrere ac secare. Quid consequar? vt pudeat animum, tot miseriarum victorem, ægrè ferre vnum vulnus, in corpore tam cicatricoso. Fleant itaque diutiùs, & gemant, quorum delicatas mentes eneruauit longa felicitas, & ad le-
B uissimarum iniuriarum motus collabantur: at quorum omnes anni per calamitates transierunt, grauissima quoque forti & immobili constantiâ perferant. Vnum habet assidua infelicitas boni, quòd quos sæpè vexat, nouissimè indurat. Nullam tibi fortuna vacationem dedit à grauissimis luctibus: ne natalem quidem tuum excepit. Amisisti matrem statim nata, imò [14] dum nascereris: & ad vitam quodammodo [15] exposita es.

Creuisti

COMMENTARIVS.

C IN *Titulo est*, AD HELVIAM.] *Quod plerique libri*, Ad Helbiam: *meus*, Hebiam. *Mureti notatio est, duorum diserti ssimorum matres*, Heluias *fuisse. nam & Ciceronis sic dicta.* Heluiæ *autem gentis Pertinax Imp. fuit: & in lapidibus crebriusculi sunt. ipsa etiam Heluia in isto:* L. HELVIO. HELVIÆ. L. GRATO.

CAP. I. 1. IMPETVM CEPI.] *In meis duobus*, feci. *Prior phrasis auctoribus nititur. Suetonio in Aug.* Impetum se cepisse scribit, frumentationes abolendi. *In Calig.* Expeditionis Germanicæ impetum cepit. *In Othone:* Impetum cepit moriendi: ὁρμὴν, *& appetitum validum.*

2. NON VICTA.] *Sensus esset: Ne si ego palàm non vicissem Fortunam, audacior in meos surgeret, vinceretq;. At mihi placeat magis*, Ne me non victo: *idq; argutius. Ne cùm me non vicisset, in quem tam sæua ingruit, meos vinceret. Volo hanc palmam ferre, vt nec me, nec meos.*

3. DOLORI TVO.] *Hoc negas? recenti occurren-*
D *dum? Ouidius aliter:*

Temporis officium est, solatia dicere, certi,
Dū dolor in cursu est, dū petit æger opem.
At cùm longa dies sedauit vulnera mentis,
Intempestiuè qui monet, ille mouet.

Tu ipse aliter (epist. LXIII.) Nulla res citiùs in odium venit, quàm dolor: qui recens consolatorem inuenit, inueteratus deridetur. *Vera tamen vtraque sententia. neque nimis recenti occurrendum, ne remediis irritetur: neque veteri, ne innouetur.*

4. IN MORBIS.] *Hippocratis dictum*, τὰ πέπονα φαρμακεύειν: Matura medicari. *Et Plutarchus simili imagine, Consolatione ad Apollonium:* Nec optimi medici quidem humorum influxibus statim medentur: sed patiuntur tumoris ardorem, sine aliâ appositione, per se matureſcere & concoqui.

5. COMPLORARETVR.] *Vt funus. Ita mox:* ex ipso rogo caput alleuare. *Ouidius de suâ relegatione:*

Fæmina virque meo, pueri quoque, funere mærent.

Epigramma ad Corsicam: Parce relegatis, hoc est iam parce sepultis. *Et noster infrà, cap.* XI. Raptum me audisti. *Nimirum est hæc mors quædam ciuilis, &* Interire homines maximâ ac mediâ capitis minutione, æquè ac morte, *Iurisconsultus scripsit.*

6. ALLOCVTIONE.] *Pro consolatione, crebrò Latini, vt & Græci* παραμυθίαν *vsurpant.*

7. DOLORIS MODVM EXCED.] *Ipsum hoc Alexides:*

-τῶν μετρίων αἱ μείζονες λύπαι
Ποιοῦσι τὸ φρονεῖν μετάστασιν:
-qui modum excedit dolor,
De sede mentem turbat.

Et benè de excedente. *nam aliter in alio, & is ingenium facit, siue irritat. Ouidius:*

—— grande doloris
Ingenium est, miserisque venit sollertia rebus.

Seneca pater, de Haterio. cuius oratio, ob memoriam mortui filij, fletu interrupta: Deinde tanto maiore impetu dixit, tanto miserabiliùs. vt appareret, quàm magna interim pars ingenij dolor esset.

8. CONSOLATOR.] *Quia robur à robore meo sumes; hoc ipso erigêris, quòd stare me videbis.*

9. MÆROR CONTVMAX.] *Adde infrà, cap.* XVI.

CAP. II. 10. DE INDVLGENTIA.] *Obsequioso affectu.*

11. NE STATIM.] *Malim*, nec statim.

12. ADERO.] *Tuebor, & defendam, causam agam.*

13. LVGVBRIA.] *Signa luctus, & vestes. Propertius:* -mater numquam lugubria sumpsi. *Seneca Tragicus:* Amicta coniux lugubribus.

14. DVM NASCERERIS.] *In partu igitur.*

15. EXPOSITA ES.] *Quasi deserta à parente, & ab abeunte relicta: vt solet in Expositione.*

16. AVVN-

Creuisti sub nouercâ : quam tu quidem omni obsequio, & pietate, quanta vel in filiâ A
conspici potest, matrem fieri coëgisti: nulli tamen non magno constitit & bona nouerca.
[16] Auunculum indulgentissimum, optimum ac fortissimum virum, cùm aduentum
eius exspectares, amisisti. Et ne sæuitiam suam fortuna leuiorem [17] ducendo faceret, in-
tra tricesimum diem, carissimum virum tuum, ex quo mater [18] trium liberorum eras,
extulisti. Lugenti tibi luctus nuntiatus est, omnibus quidem absentibus liberis: quasi
de industriâ in id tempus coniectis malis tuis, vt nihil esset vbi se dolor tuus reclinaret.
Transeo tot pericula, tot metus, quos sine interuallo in te incursantes pertulisti: modò
[19] in eundem sinum, ex quo [20] tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti. In-
tra vicesimum diem, quàm [21] filium meũ in manibus & in osculis tuis mortuum fune-
III. raueras, raptum me audisti. hoc adhuc defuerat tibi, lugere viuos. Grauissimum
est ex omnibus, quæ vnquam in corpus tuum descenderunt, recens vulnus: fateor. non
summam cutem rupit: pectus, & viscera ipsa diuisit. Sed quemadmodum [22] tirones le-
uiter saucij tamen vociferantur, & manus medicorum magis, quàm ferrum horrent: at B
veterani, quamuis confossi, patienter ac sine gemitu, velut aliena corpora, [23] exsecari pa-
tiuntur: ita tu nunc debes te fortiter præbere curationi. Lamentationes quidem & vlu-
latus, & alia per quæ ferè muliebris dolor [24] tumultuatur, amoue. perdidisti enim [25] tot
mala, si nondum misera esse didicisti. Ecquid videor tecum timidè egisse? nil tibi sub-
duxi ex malis tuis, sed omnia coaceruata ante te posui. Magno id animo feci: constitui
IV. enim vincere dolorem tuum, non [26] circumscribere. Vincam, puto. primùm si
ostendero [27] nihil me pati, propter quod possim dici miser, nedum propter quod miseros
etiam, quos contingo, faciam: deinde si ad te transiero, & probauero, ne tuam quidem
grauem esse fortunam, quæ tota ex meâ pendet. Hoc priùs aggrediar, quod pietas tua
audire gestit, nihil mali esse mihi: si [28] hoc tibi demonstrare non potero, ipsas res qui-
bus me putas premi, non esse intolerabiles, faciam manifestum. Sin id credi non potue-
rit: at ego mihi ipse magis placebo, quòd inter eas res beatus ero, quæ miseros solent fa-
cere. Non est quòd de me aliis credas: ipse tibi, ne quid incertis opinionibus pertur- C
beris, indico me non esse miserum. Adiiciam, quò securior sis, nec fieri quidem posse
V. miserum. Bonâ condicione conditi sumus, si eam non deseruerimus. Id egit
[29] rerum

16. AVVNCVLVM.] *Matris, an Senecæ? Imò huius, qui maritus fuit sororis matris, periitq; rediens ex Aegypto. Infrà, cap. vlt.* Carissimum virum amiserat, auunculum nostrum.

17. DVCENDO FACERET.] *Trahendo, interuallum dando. Alij libri,* diducendo: *quod esset, partiendo, dispārando, sensu consimili.*

18. TRIVM LIBERORVM.] *Nouati, mei, & Melæ.*

19. IN EVNDEM SINVM.] *Legi enim ossa, & in sinum (quod hîc notes) tum in vrnam reponi solita. Tibullus:*

—— non hîc mihi mater
Quæ legat in mæstos ossa perusta sinus.

20. TRES NEPOTES.] *Tres tantùm? imò plures, sed posteà, vt opinor, & post istorum occasum. Nam* Marcus *adhuc superfuit, &* Nouatilla, *cap.* XVI. *Atque adeò scribit,* tot nepotes pronepotesque patri dedisse. *Igitur hîc de illo tantùm tempore, quo tres istos emissos amisit.*

21. FILIVM MEVM.] *Vnum è tribus illis nepotibus.*

CAP. III. 22. TIRONES.] *Adde de Prouid. cap.* IV. *Et Ciceronem* I. *Tuscul.*

23. EXSECARI PATIVNTVR.] *Alij,* excoriari. *quidam scripti,* excauari: *sed & quidam* exanari: *vt ego arbitror,* exsaniari *fuisse. quod verbi Seneca vsurpat epist.* LXXXVI. *& ego super eo aliquid in Elect.* I. *cap.* XVI.

24. TVMVLTVATVR.] *Proprium fœminis. quæ* magno gaudent sudare tumultu.

25. TOT MALA.] *Quid mali, si mala perdiderit? optabile potiùs. Meus liber,* milia: *an fortè,* militias? *Perdidisti tot stipendia, & frustrà pugnasti fortiter ac repugnasti, si nunc succumbis, nec veteranum robur præfers. Inter tirones adhuc censenda es. Ita maneat in illâ metaphorâ dictâ. Etsi vulgatum explices etiam, Frustrà tot mala tulisti, si nondum vsum ferendi nacta.* D

26. CIRCVMSCRIBERE.] *Per astus & ambages fallere: in orbem scribere, & cingere: vt* Circumuenire.

CAP. IIII. 27. NIHIL ME PATI.] *Pulchra inuentio, & diuisio. Duo dicam. primùm, non mihi aliquid mali accidisse, deinde nec tibi. Si igitur nec meam vicem, nec tuam luges: quid luges? Simile in Consol. ad Marciam, cap.* XII. Dolor tuus vtrùm sua spectat incommoda, an eius qui decessit?

28. HOC TIBI DEMONSTRARE NON.] *Abest meo, aliisq; scriptis, hæc quadriga vocum: & verò supereſt. Sententia. Docebo nihil mihi mali esse: imò, si potero, nec ipsas res esse malas, quibus censes me premi. Sequentia docent, sic fuisse scriptum.*

CAP.

A [29] rerum natura, vt ad benè viuendum non magno apparatu opus esset: vnusquisque facere se beatum potest. Leue momentum in aduenticiis rebus est, & quod in neutram partem magnas vires habeat: nec secunda sapientem euehunt, nec aduersa demittunt. Laborauit enim semper, vt in se plurimum poneret, intra se omne gaudium peteret. Quid ergo? sapientem me esse dico? minimè. nam id quidem si profiteri possem, non tantùm negarem miserum me esse, sed omnium fortunatissimum, & in [30] vicinum Deo perductum prædicarem. Nunc, quod satis est ad omnes miserias leniendas, sapientibus viris [31] me dedi; & nondum in auxilium mei validus, in aliena castra confugi, [32] eorum scilicet, qui facilè se & sua tuentur. Illi me iusserunt stare assiduè, [33] velut in præsidio positum, & omnes conatus fortunæ, & omnes impetus prospicere multo antè quàm incurrant. Illis grauis est, quibus est repentina: facilè eam sustinet, qui semper exspectat. Nam & hostium aduentus eos prosternit, quos inopinatè occupauit: at qui futuro se bello ante bellum parauerunt, compositi & aptati; primum, qui tumultuosissimus est,
B ictum facilè excipiunt. Nunquam ego fortunæ credidi, etiam si videretur pacem agere: omnia illa, quæ in me indulgentissimè conferebat, pecuniam, honores, gloriam eo loco posui, vnde posset ea sine motu meo repetere. Interuallum inter me & illa magnum habui. itaque abstulit illa, [34] non auulsit. Neminem aduersa fortuna comminuit, nisi quem secunda decepit. Illi qui munera eius velut sua & perpetua amauerunt, qui se propter illa suspici voluerunt, iacent & mærent cùm vanos & [35] pueriles animos, omnis solidæ voluptatis ignaros, [36] falsa & mobilia oblectamenta destituunt. At ille qui se lætis rebus non inflauit, nec mutatis contrahit; [37] aduersus vtrumque statum inuictum animum tenet, exploratæ iam firmitatis. nam in ipsâ felicitate, quid contra infelicitatem valeret, expertus est. Itaque ego in illis quæ omnes optant, existimaui semper, nihil veri boni inesse: quin inania, & specioso ac decepturo fuco circumlita inuêni, intrà nihil habentia [38] fronti suæ simile. Nam in illis quæ mala vocantur, nihil tam terribile ac durum inuenio, quàm opinio vulgi minabatur. verbum quidem ipsum, persuasione qua-
C dam & consensu, iam asperius ad aures venit, & audientes tanquam triste, & exsecrabile ferit: ita enim populus iussit: sed [39] populi scita ex magnâ parte sapientes abrogant.

Remoto igitur iudicio plurium, quos prima rerum facies, [40] vtcunque credita est, aufert, videamus quid sit exsilium: nempe, loci commutatio est. Angustare [41] ne videamur vim eius, & quicquid pessimum in se habet, subtrahere: hanc commutationem loci

VI.

CAP. V. 29. RERVM NATVRA.] *Deus. ita enim sæpè vocabant: quod doceo* I. *Physiol. Dissert.* V.

30. VICINVM DEO.] *Qui stabilis, æquabilis, sine motu. Stoicorum passim voces, Sapientem Deo non vicinum modò (quod hîc modestiùs) sed parem esse, & ex æquo viuere. Videsis Manuduct. lib.* III. *Dissert.* XIV.

31. ME DEDI.] *Sum etiam inter Studiosos, non Eruditos; inter Progredientes, non Progressos.*

D 32. EORVM SCILICET.] *Stoicorum. qui res aduenticias (vt Academici aut Peripatetici) ad felicitatem non requirunt. Itaque facilis apud illos beatæ vitæ assecutio & tutela est.*

33. VELVT IN PRÆSIDIO.] *Sapientis Iobi dictum,* Vitam militiam esse. *Quid Epictetus? Dissertat.* XXIV. *lib.* III. Στρατεία τίς ἐστιν ὁ βίος ἑκάστου, καὶ ἄυτη μακρὰ καὶ ποικίλη: Militia quædam est vita nostra, atque ea longa & varia.

34. NON AVVLSIT.] *Nec enim mihi applicita cohæserant.*

35. PVERILES ANIMOS.] *Nam rudes omnes Sapientiæ, pueri sunt: illa in viros transscribit. Vide Manuduct. lib.* II. *Dissert.* I.

36. FALSA ET MOBILIA.] *Duo adsignat. nec vera, nec diutina esse. Fucum habent, æuum non habent.*

37. ADVERSVS VTRVMQVE STATVM.] *Achilles hoc sibi tribuit, apud Euripidem, in Iphigeniâ:*

Τ' ψηλόφρων μοι θυμὸς αἴρεται φρόσω.
Ε' πίσταται δὲ τοῖς κακοῖσιτ' ἀχαλᾶν,
Μέζίως τε χαίρειν τοῖσιν ἐξωγκωμένοις:
Excelsus animus porrò nunc mî attollitur:
Qui nouit in rebus dolere tristibus,
Et cum modo gaudere iam melioribus.

38. FRONTI SIMILE.] *Nihil pro vultu, aut primâ specie. Tacitus Agricolâ:* Pulchrum ac decorum in frontem: *id est speciem. Valerius:* In secessu, quàm in fronte beatior. *Manilius:* -penitusque Deus, non fronte, notandus. *Noster hoc statim dicit,* Primam rerum faciem.

39. POPVLI SCITA.] Φαῦλος γὰρ κριτὴς παντὸς καλοῦ φαῦλος ὄχλος: Prauus enim iudex omnis honestæ rei populus: *Pythagoras.*

CAP. VI. 40. VTCVNQVE CREDITA EST, AVFERT.] *Secum rapit, sine aliâ inspectione aut examine. Vulgò mala videntur? mihi: bona? mihi.*

41. NE VIDEAMVR.] *A meo hæc libro sunt, & vera. Definitio autem exsily in Dione, vbi Philiscus Ciceronem solatur (simile argumentum est, meretur legi) talis.* Φυγὴ, ἀποδημία τις ἄτιμος: Exsilium, peregrinatio quædam ignominiosa.

G 42. INTO-

loci sequuntur incommoda, paupertas, ignominia, contemptus. Aduersus ista posteà A confligam: interim primùm illud intueri volo, quid acerbi afferat ipsa loci commutatio. Carere patriâ,[42] intolerabile est. Aspice agedum hanc frequentiam, cui vix[43] vrbis immensæ tecta sufficiunt. maxima pars illius turbæ patriâ caret: ex municipijs & colonijs suis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt. Alios adducit[44] ambitio, alios [45] necessitas officij publici, alios imposita legatio, alios[46] luxuria, opulentum & opportunum vitijs locum quærens: alios[47] liberalium studiorum cupiditas, alios[48] spectacula: quosdam traxit amicitia, quosdam industria, latam ostendendæ virtuti nacta materiam: quidam[49] vænalem formam attulerunt, quidam vænalem eloquentiam. Nullum non hominum genus[50] concurrit in vrbem, & virtutibus & vitijs magna pretia ponentem. Iube omnes istos[51] ad nomen citari, &,[52] Vnde domo quisque sit, quære: videbis maiorem partem esse, quæ relictis sedibus suis, venerit in maximam quidem ac pulcherrimam vrbem, non tamen suam. Deinde ab hac ciuitate discede, quæ velut [53] communis patria potest dici: omnes vrbes circumi. nulla est, vbi magnam partem B peregrinæ multitudinis non inuenias. Nunc transi ab ijs quarum amœna positio, & opportunitas regionis plures allicit: deserta loca, & asperrimas insulas, [54] Sciathum & [55] Seriphum, [56] Gyarum & [57] Cosuram pete. nullum inuenies[58] exsilium, in quo non aliquis[59] animi caussâ moretur. Quid tam nudum inueniri potest, quid tam[60] abruptum vndique, quàm hoc saxum? quid ad copias respicienti[61] iciunius? quid ad homines

42. INTOLERABILE EST.] *Vel Euripide iudice, in Phœnissis.*

Τί, τὸ στέρεσθαι πατρίδος, ἢ κακὸν μέγα;
Μέγιστον. ἔργῳ δ' ἐστὶ μεῖζον, ἢ λόγῳ:
Et quid? carere patriâ, magnum est malum?
Vel maximũ. & re grauius est, quàm dicitur.

43. VRBIS IMMENSÆ.] *Aliàs*, immensa. *Illud pro magnâ Româ verius, satis adstructâ in nostris Admirandis.*

44. AMBITIO.] *Vt honores hîc capiant, gerant.*

45. NECESSITAS OFFICII.] *Ad iudices referre licet, qui euocabantur ad officium hoc in vrbem. Potest & de alio munere, quod apud Principem, aut in vrbe, obitur.*

46. LVXVRIA.] *Vt habeant vbi opes explicent, & absumant.*

47. LIBERALIVM STVDIORVM.] *Honestissima caussâ, & omne genus docti aut doctores Romæ. Cassiodorus:* Roma, ciuitas litterarum. *Symmachus:* Roma, domicilium Latialis facundiæ. *Sidonius:* Domicilium Legum, gymnasium Litterarum. *Opto sic esse, & manere.*

48. SPECTACVLA.] *Quæ crebra, splendida: nec mirum, si alliciebant.*

49. VÆNALEM FORMAM.] *Vtriusque sexus (pudet) scorta.*

50. CONCVRRIT IN VRBEM.] *Tanquam* ad viuaria, *ait ille. & Tacitus:* Quò cuncta vndique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque. *Itaque multa fæx erat.*

51. AD NOMEN.] *Vt in censu, aut dilectu: & est dictio formularis.*

* id est, arborum. 52. VNDE DOMO.] *Hoc quoque ex communi formulâ. Virgilius:* Qui genus, vnde domo? *Suetonius:* Domo Nucerià. *Asconium ita corrigam:* Cæcilius Niger, homo Siculus: *imò*, domo. *Et Ennium:* Nauus repertus homo, Graio patre, Graius homo rex. *Scribe*, Graius domo. *Centena in libris & lapidibus exempla sunt.*

53. COMMVNIS PATRIA.] *Plinius lib.* III. Vna cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. *Libris tamen scriptis abest* Patria, *& potest. hoc sensu: quòd ab omnibus gentibus habitetur, vt vrbs orbi communis. Lucanus:*

—— vrbem populis, victisq; frequentem
Gentibus, & generis, coëat si turba, capacem
Humani.

54. SCIATHVM.] *Maris Aegæi insulam, Melæ & Ptolomæo. Had. tamen Iunius dubitat, an non* Cythnon, *aut* Cianon, *verius:* v. *Animaduer. cap.* XIII. *Non ego.* C

55. SERIPHVM.] *Ibidem sitam, Plinio alijsq;.*

56. GYARVM.] *In eodem mari. Plinius, Virgilius, Tacitus, Iuuenalis, Philo Iudæus.*

57. COSVRAM.] *Inter Africam & Siciliam, Plinio, Straboni, Melæ. Atque hæc est à Mureto lectio. nam libri priores,* Corsicam: *è quo Iunius,* Corcyram. *Vix mutem: etsi scorsim mox de eius exsilij sui asperitate dicet.*

58. EXILIVM.] *Pro loco destinato exsulibus. Epigramma:*

Hîc sola hæc duo sunt, Exsul & Exsilium.

59. ANIMI CAVSSA.] *Suâ voluntate & voluptate, non iussu aut missu alieno.*

60. ABRVPTVM VNDIQVE.] *Quia* aspera, D malè habitata, & plerisque locis inaccessa: *Strabo de hac Corsicâ. Etiam in Epigrammate:*

Barbara præruptis inclusa est vndique saxis.

61. IEIVNIVS.] *Epigramma:*

Non poma Autumnus, segetes non educat Æstas,
Canaque Palladio munere Bruma caret.
* Vmbrarum nullo Ver est lætabile fœtu,
Nullaque in infausto nascitur herba solo.
Non panis, non haustus aquæ, non vltimus ignis.

Valdè abycit, & damnat: sed quis est vltimus ignis, *versu vltimo? credo ignem ad rogum intellegi: quasi tanta inopia ligni, vt nec eò suppeditet. At Diodorus mitiùs de eâ:* Incolæ cibis vtuntur, lacte, melle, carni-

A mines [62] immanſuetius? quid ad ipſum loci ſitum horridius? quid ad cæli naturam [63] intemperantius? plures tamen [64] hîc peregrini, quàm ciues conſiſtunt. Vſque eò ergo commutatio ipſa locorum grauis non eſt, vt hic quoque locus à patriâ quoſdam abduxerit. Inuenio qui dicant, ineſſe naturalem quandam animis irritationem commutandi ſedes, & transferendi domicilia. [65] Mobilis enim & inquieta mens homini data eſt: nunquam ſe tenet: ſpargitur, & cogitationes ſuas in omnia nota atque ignota dimittit, vaga, & quietis impatiens, & nouitate rerum lætiſſima. Quod non miraberis, ſi primam eius originem adſpexeris. Non eſt ex terreno & graui concreta corpore: ex illo [66] cæleſti ſpiritu deſcendit. [67] cæleſtium autem natura ſemper in motu eſt: fugit, & velociſſimo curſu agitur. Adſpice ſidera mundum illuſtrantia: nullum eorum perſtat. labitur aſſiduè, & locum ex loco mutat: quamuis cum vniuerſo vertatur, in contrarium nihilominus [68] ipſi mundo refertur: per omnes [69] ſignorum partes diſcurrit; perpetua eius agitatio, & aliunde aliò commigratio eſt. Omnia voluuntur ſemper, in tranſitu ſunt, & vt lex &
B naturæ neceſſitas ordinauit, aliunde aliò deferuntur. Cùm per certa annorum ſpatia orbes ſuos explicuerint, iterùm ibunt per quæ venerant. I nunc, & animum humanum, ex ijſdem quibus diuina conſtant compoſitum ſeminibus, moleſtè ferre puta tranſitum ac migrationem: cùm [70] Dei natura, aſſiduâ & citatiſſimâ commutatione, vel delectet ſe, [71] vel conſeruet. A cæleſtibus, agedum, te ad humana conuerte. videbis gentes, populoſque mutaſſe ſedem. Quid ſibi volunt in medijs Barbarorum regionibus Græcæ vrbes? quid inter Indos Perſaſque [72] Macedonicus ſermo? Scythia, & totus ille ferarum indomitarumq; gentium tractus, ciuitates [73] Achaię [74] Ponticis impoſitas littoribus oſtentat. Non perpetuæ hiemis ſæuitia, non hominum ingenia, [75] ad ſimilitudinem cæli ſui hor-

carnibus, hæc omnia VBERTIM regione ſubminiſtrante. *Quomodo autem, ſi nec herba quidem naſcitur? Sed certum eſt, etiam hodie laudatas ibi oues naſci & paſci.*

C 62. IMMANSVETIVS?] *Cum Senecâ Strabo: qui* latrocinia exercere eos *ſcribit*, maximè qui montana incolunt, καὶ ἀγριωτέρους εἶναι τῶν θηρίων: & magis feros ipſis feris. *Tum addit*: ipſa mancipia illinc capta & abducta, vix ſui vſum præbere: ſiue quia impatientiâ vitam fugiant; ſiue quia dominos ruditate nimiâ & ſtupore obtundant. *Quid autem iterùm Diodorus? ex diametro aduerſus:* Τὰ δὲ πρὸς ἀλλήλους βιοῦσιν ὑπεικῶς καὶ δικαίως, πρὸς πάντας χέδον τοὺς ἄλλους βαρβάρους: Ipſi inter ſe manſuete & iuſtè agitant, præter ceteros ferè Barbaros. *Iam de mancipijs:* Τὰ δὲ ἀνδράποδα τὰ Κύρνια διαφέρειν δοκεῖ τῶν ἄλλων δούλων εἰς τὰς κατὰ τὸν βίον χρείας, φυσικῆς ταύτης τῆς ἰδιότητος παρακολουθούσης: Mancipia è Cyrno *(Corſicâ)* præſtare reliquis videntur, ad vitæ vſus, naturali quadam proprietate inſitâ & comitante. *Hæc, niſi per calumniam, aut certè argutiam, vix concilies: ſatis mirum, cùm nec diuerſo nimis æuo ſint ſcripta.*

D 63. INTEMPERANTIVS?] *De æſtibus intelligit. vt in Epigr.*

Corſica terribilis, cùm primùm incanduit æſtas:
Sæuior, oſtendit cùm ferus ora canis.

64. HIC PEREGRINI.] *Infrà diducit, cap.* VIII.

65. MOBILIS ENIM.] *Alcmæon aiebat,* κινεῖσθαι αὐτὴν συνεχῶς, ὡς τὸν ἥλιον: Moueri eam continuò, vt ſolem. *Seneca epiſt.* XXXIX. Quemadmodum flamma iacere ac deprimi non poteſt, non magis quàm quieſcere: ſic noſter animus in motu eſt, eò mobilior & actuoſior, quò vehementior fuerit.

66. CÆLESTI SPIRITV.] *Nos quædam De Vit. beat. cap.* XXXII. *& plenè lib.* III. *Phyſiolog. Diſſert.* VIII.

67. CÆLESTIVM NATVRA.] *Panegyricus ſcriptor:* Inſpectâ penitus veritate cognouimus, quæ cauſſa faciat, vt numquam otio acquieſcere velitis. Profectò enim non patitur hoc cæleſtis ille veſtri generis conditor. Quidquid immortale eſt, ſtare neſcit, ſempiternoque motu ſe ſeruat Æternitas. *Et alius, ad Theodoſium:* Gaudent profectò diuina perpetuo motu, & iugi agitatione ſe vegetat Æternitas, & quidquid homines vocamus laborem, veſtra natura eſt. Vt indefeſſa vertigo cælum rotat, vt maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare Sol neſcit: ita tu, Imperator, continuatis negotijs, & in ſe quodam orbe redeuntibus, ſemper exercitus es.

68. IPSI MVNDO.] *Id eſt, cælo. Ita enim priſci paſſim, Græci Latiniq;. Nos* II. *Phyſiol. Diſſ.* VI.

69. SIGNORVM PARTES.] *In Zodiaco.*

70. DEI NATVRA.] *Iterùm, cæli. Nam etſi totus Mundus, ſenſu quodam, Deus: tamen cælum maximè, vbi magnæ huius animæ* ἡγεμονικὸν, *ſiue Principale. Vide me* I. *Phyſiol. Diſſert.* VIII.

71. VEL CONSERVET.] *Suprà in Panegyrico:* Iugi agitatione ſe vegetat Æternitas: *& ſtare eius aut quieſcere, eſt interire.*

72. MACEDONICVS SERMO?] *Eorum, qui in colonijs ab Alexandro ibi relicti.*

73. ACHAIÆ.] *Cape Græciam vniuersè, vt illa ætas dixit.*

74. PONTICIS LITTORIBVS.] *Plurimæ vrbes Græcanicæ. vt Apollonia, Meſembria, Dionyſopolis, Tomi, Iſtropolis, Olbia: aliæ multæ.*

75. AD SIMILITVDINEM CÆLI.] *Verum eſt. &* emollit gentes clementia cæli, *ait poëta; iterumq; contrario horreſcunt,* nec telis magis *(verba Plinij)* quàm ſuo cælo & ſidere armantur.

horrentia transferentibus domus ſuas obſtiterũt. Athenienſis in Aſiâ[76] turba eſt: [77] Miletus LXXV. vrbium populum in diuerſa effudit: [78] totum Italiæ latus, quod infero mari alluitur, maior Græcia fuit. [79] Tuſcos Aſia ſibi vindicat: [80] Tyrij Africam incolunt: [81] Hiſpaniam Pœni: Græci ſe in Galliam immiſerunt, in Græciam Galli: Pyrenæus [82] Germanorum tranſitus non inhibuit: per inuia, per incognita verſauit ſe humana leuitas. Liberos, coniugeſque, & graues ſenio parentes traxerunt. Alij longo errore iactati, non iudicio elegerunt locum, ſed laſſitudine proximum occupauerunt: alij armis ſibi ius in alienâ terrâ fecerunt: quaſdam gentes, cùm ignota peterent, mare hauſit: quædam ibi conſederunt, vbi illas rerum inopia depoſuit. Nec omnibus eadem cauſſa relinquendi, quærendique patriam fuit. Alios excidia vrbium ſuarum, hoſtilibus armis elapſos, in aliena, ſpoliatos ſuis, expulerunt: alios domeſtica ſeditio ſubmouit: alios nimia ſuperfluentis populi frequentia, ad exonerandas vires, emiſit: alios peſtilentia, aut frequens terrarum hiatus, aut aliqua intoleranda infelicis ſoli vitia eiecerunt: quoſdam fertilis oræ, & in maius laudatæ, fama corrupit: alios alia cauſſa exciuit domibus ſuis. Illud itaque eſt manifeſtum, nihil eodem loco manſiſſe, quo genitum eſt. aſſiduus humani generis diſcurſus eſt. quotidie aliquid in tam magno orbe mutatur. Noua vrbium fundamenta iaciunt: noua gentium nomina, exſtinctis prioribus, aut in acceſſionem validioris conuerſis, oriuntur. Omnes autem iſtæ populorum tranſportationes, quid aliud,

VII. quàm publica exſilia ſunt? Quid tam longo te circuitu traho? quid intereſt enumerare Antenorem Patauij conditorem, & Euandrum in ripâ Tiberis regna Arcadum collocantem? quid Diomedem, alioſque quos Troianum bellum, victos ſimul victoreſque, per alienas terras diſſipauit? Romanum imperium nempe auctorem exſulem reſpicit: quem profugum, captâ patriâ, exiguas reliquias trahentem, neceſſitas & victoris metus, longinqua[83] quærentem, in Italiam detulit. Hic deinde populus quot colonias in omnes prouincias miſit? vbicunque vicit Romanus, habitat. Ad hanc commutationem locorum libenter nomina dabat, & relictis aris ſuis trans maria ſequebatur colo-

VIII. nus ſenex. Res quidem non deſiderat plurium enumerationem: vnum tamen adijciam, quod in oculos ſe ingerit. Hæc ipſa inſula ſæpè iam cultores mutauit. Vt antiquiora quæ vetuſtas obduxit, tranſeam, Phocide relictâ, [84] Graij qui nunc Maſſiliam colunt,

76. TVRBA EST.] *Nihil ego mutem: etſi Pincianus acutè*, in Aſiâ vrbs eſt Miletus. *Vulgatam libri & res aſſerunt: Velleium audi.* Iones, duce Ione, profecti Athenis, occupauêre nobiliſſimam partem regionis maritimæ, quæ nunc appellatur Ionia: vrbeſque conſtituêre Epheſum, Miletum, Colophona, Prienen, Lebedum, Myuntem, Erythram, Clazomenas, Phocæam: multaſque in Ægæo atque Icario occupauere inſulas. *Nonne hæc verè* turba *eſt, profecta Athenis?*

77. MILETVS LXXV.] *Teneo numerum, in alijs libris deprauatum. pro quo Plinius lib.* V. *cap.* XXIX. Miletus, Ioniæ caput, ſuper LXX. *(ita meliores libri)* vrbium per cuncta maria genitrix. *Ait*, per cuncta maria, *ſatis indefinitè: Strabo reſtringit.* Multa ſunt Mileſię ciuitatis pręclara: maximum, multitudo coloniarum. Nam & Pontum Euxinum frequentarunt totum, & Propontidem, & alia loca.

78. TOTVM ITALIÆ.] *Non vulgò ſic obtinuit* Maiorem Græciam *dici, ſed reſtrictiùs* frontem Italię. *(Plinij verba)* quæ à Locris incipit, & in tres diuiditur ſinus. *Tamen veteri opinione & ſermone, quod Seneca ait, fuit, imò & laxius fuit. Nam totam Italiam, quia Siculi in eâ, atque alij Græci, ſic appellabant. Et vnde* Magnam, *aut* Maiorem, *niſi longiùs complexi eſſent? Ouidius:*

Itala nam tellus Græcia maior erat.

Athenæus: Μεγάλη Ἑλλὰς καλεῖται πᾶσα σχεδὸν ἡ κατ' Ἰταλίαν κατοίκησις: Magna Græcia appellatur, omnis ferè habitata Italia. *Adde Feſtum, in Maior Græcia.*

79. TVSCOS ASIA.] *E Lydiâ profectos, duce Tyrrheno, à quo Tyrrhenia: vt communis opinio tenuit. Dionyſius enim aliter, & vult indigenam gentem, nec vanis argumentis, eſſe.*

80. TYRII AFRICAM.] *Quorum ibi Vtica, & Carthago.*

81. HISPANIAM POENI.] *Gadibus. & ſunt qui* Medinam Sidoniam, *quaſi à Sidone dictam, adiungant:* Malacam, Abderam, *& loca alia.*

82. GERMANORVM TRANSITVS.] *Ergo illi in Hiſpaniam? non olim, quod ſciam: ſed Gallos accipe. quos latè* Germanos *etiam dici ſcimus. Nam Celtiberos intellegit, à* Celtis *dictos: quod ipſum tamen commune etiam Germanis nomen. Plinius Panegyrico,* Germaniam Pyrenæo & Alpibus terminari *cùm ſcripſit, Galliam certè intellexit.*

CAP. VII. 83. QVÆRENTEM.] *Scripti ferè,* quærentes. *Verùm,* quærens: *& ad metum refer.*

CAP. VIII. 84. GRAII QVI.] *Phocenſes. quorũ* Calaris ibi etiam colonia, *vt vult Diodorus. An rectè tamen ſic ſcriptum?* Aleris, *aut* Aleria *Latino flexu, verius eſſet. nam* Calaris *quidem in Sardiniâ.*

A colunt, priùs in hac insulâ consederunt. Ex quâ quid eos fugauerit, [85] incertum est: vtrùm cæli grauitas, an præpotentis Italiæ conspectus, an natura [86] importuosi maris. nam in caussâ non fuisse feritatem accolarum, eo apparet, quòd maximè tunc trucibus & inconditis Galliæ populis se interposuerunt. Transierunt [87] deinde Ligures in eam, transierunt & Hispani, quod ex similitudine ritus apparet. eadem enim [88] tegumenta capitum, idemque genus [89] calceamenti, quod Cantabris est, & verba quædam. nam totus sermo, conuersatione Græcorum Ligurumque, à patrio desciuit. Deductæ deinde sunt duæ ciuium Romanorum coloniæ: [90] altera à Mario, altera à Syllâ. Toties [91] huius aridi & spinosi saxi mutatus est populus. Vix denique inuenies vllam terram, quam etiam nunc indigenæ colant. permixta omnia & insiticia sunt: alius alij succesit. Hic concupiuit, quod alij fastidio fuit: ille vnde expulerat, eiectus est. Ita fato placuit, nullius rei eodem semper loco stare fortunam. Aduersus ipsam mutationem locorum, detractis ceteris incommodis quæ exilio adhærent, satis hoc remedij putat Varro, doctissi-
B mus Romanorum, quòd quocumque venimus, eâdem [92] rerum naturâ vtendum est. M. Brutus [93] satis hoc putat, quòd licet in exsilium euntibus virtutes suas ferre secum. Hæc etiam si quis singula parum iudicat efficacia ad consolandum exsulem, vtraque in vnum collata fatebitur plurimum posse. Quantulum enim est, quod perdidimus? duo quæ pulcherrima sunt, quocumque nos mouerimus, sequentur: natura communis, & propria virtus. Id actum est, mihi crede, ab illo, quisquis formator vniuersi fuit, [94] siue ille Deus est potens omnium, [95] siue incorporalis ratio ingentium operum artifex, siue [96] diuinus spiritus per omnia maxima minima, æquali intentione diffusus, [97] siue fatum & immutabilis caussarum inter se cohærentium series: id, inquam, actum est, vt in alie-

num est: Non ignis, non hausstus aquæ. *Infrà, cap.* IX. *adimit dumtaxat* magna & nauigabilia flumina: idque verius.

92. RERVM NATVRA.] *Mundo. Videsis me* ↷ 1. *Physiol. Dissert.* V.

93. SATIS HOC PVTAT.] *Ego verò hæc tria verba insiticia puto.*

94. SIVE ILLE DEVS.] *Variè loquitur magis, quàm sentit: sed Stoici tamen verbis ita dissidebant, aut differebant.* ↷ *Atque alij, toti Deo opificium hoc adscribebant,* καὶ τὸν θεὸν δημιουργὸν τῶν ὅλων, καὶ ὥσπερ πατέρα πάντων: Deum conditorem vniuersorum, & velut patrem omnium, *asserebant: alij autem eius Rationi hoc malebant, vt iam subdit.*

95. SIVE INCORPORALIS RATIO.] *Christiani pænè sibi applicent hanc* Rationem *siue* λόγον, Dei verbum. *Sed pro Stoicis: quare* Incorporalis? *vt à Deo distinguat, quem corpus atque animal interim faciebant. Hæc autem* Ratio *est, quam cum* Prouidentiâ *&* Fato *alij miscebant. In his & sequentibus me vide* 1. *Phys. Diss.* VII. *itemq;* XII. *Cæterùm pro eâdem hac sententiâ, Seneca in epist.* LXV. Caussam, id est Rationem, materiam formare, & quocumque vult versare, ex illâ varia opera producentem. *Illa Caussa prima, aliàs Deus ijs dicitur: hîc* Ratio, *vt vides.*

96. DIVINVS SPIRITVS.] *Nam & Deum Zeno definiebat,* πνεῦμα διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου: Spiritum pertinentem per totum mundum. *Est diuinus Animus: Physiologica nostra vide.*

97. SIVE FATVM.] ↷ *A prouidentiâ conditum mundum Stoici item dicebant: & Fatum aut ipsa, aut eius pars est. Vide me* 1. *Physiolog. Dissertat.* XI. *&* XII.

dinia. at Aleriam *ibi (quidam* Valeriam*) nominant etiam Plinius, Mela, Antoninus, & Florus* II. *cap.* II. *vt ego emendaui. Vide, si lubet.*

C 85. INCERTVM EST.] *Non Diodoro quidem, qui pulsos à Tyrrhenis adfirmat.*

86. IMPORTVOSI MARIS.] *Itáne? audi igitur Diodorum:* Αὕτη δὲ ἡ νῆσος εὐορμίστος ἐστὶ, κάλλιστον ἔχει λιμένα τὸν ὀνομαζόμενον Συρακούσιον: Ipsa insula *(Corsica)* cùm maximè PORTVOSA sit, pulcherrimum etiam portum habet, Syracusium dictum. *En, perpetuus cum Diodoro hoc (sed non meo) dissensus.*

87. DEINDE LIGVRES.] *Nec id quidem: sed Tyrrheni, ex Diodoro.*

88. TEGVMENTA CAPITVM.] ↷ *An mitræ fortasse? nam Strabo scribit*, montanos Hispanos, crines muliebriter demisisse, & frontem mitris texisse.

89. CALCEAMENTI.] *Neque id scio, ni-*
D *si si Vdones, id est è crinibus pilisve calcei. Nam & sic de Celtiberis Diodorus*: Περὶ τὰς κνήμας ξιχίνας εἱλοῦσι κνημίδας: Circum tibias voluunt è crinibus caligas.

90. ALTERA A MARIO.] *Mela*: Corsica, præterquàm vbi Aleria, & Marianæ Coloniæ sunt, à Barbaris colitur. *Scribe ex hoc loco singulariè*: Mariana colonia. *Item Plinio*: Corsica ciuitates habet XXXII: colonias, Marianam à C. Mario deductam; Aleriam, à Dictatore Sullâ.

91. HVIVS ARIDI.] *De montanis fortasse verum: vniuersè, vel ex Senecâ alibi falsum, si hoc eius Epigramma:*

Corsica piscosis peruia fluminibus.

Et supra triginta flumina tabulæ Geographicæ in eâ asserunt. Tamen in alio etiam Epigrammate ↷

num arbitrium, nisi vilissima quæque, non caderent. Quicquid optimum homini est, A
id extra humanam potentiam iacet: nec dari, nec eripi potest. Mundus hic, quo nihil
neque maius,[98] neque ornatius,[99] rerum Natura genuit: animus contemplator, admi-
rat orque mundi, pars eius magnificentissima, propria nobis & perpetua, tamdiu nobis-
cum mansura, quamdiu ipsi manebimus. Alacres itaque & erecti, quocunque res tule-
IX. rit, intrepido gradu properemus. Emetiamur quascunque terras,[100] nullum in-
uenturi solum intra mundum, quod alienum homini sit. vndecunque ex æquo[101] ad
cælum erigitur acies: paribus interuallis omnia diuina ab omnibus humanis distant.
proinde dum oculi mei ab illo spectaculo, cuius[102] insatiabiles sunt, non abducantur,
dum mihi lunam solemque intueri liceat, dum ceteris[103] inhærere sideribus, dum ortus
eorum, occasus, interuallaque, & causas inuestigare[104] velociùs meandi, vel tardiùs, spe-
ctare tot per noctem stellas micantes, & alias[105] immobiles, alias[106] non in magnum
spatium exeuntes, sed intra suum se circumagentes vestigium, quasdam[107] subitò erum-
pentes, quasdam igne fuso perstringentes aciem, quasi decidant, vel[108] longo tractu B
cum luce multâ præteruolantes; dum cum his sim, & cælestibus, quà homini fas est, im-
miscear; dum animum ad[109] cognatarum rerum conspectum tendentem, in sublimi
semper habeam: quantum refert meâ, quid calcem? Atqui non est hæc terra frugifera-
rum aut lætarum arborũ ferax: non magnis & nauigabilibus fluminum alueis irrigatur:
nihil gignit, quod aliæ gentes petant, vix ad tutelam incolentiũ fertilis: non pretiosus hic
lapis cęditur, non auri argentiq; venæ eruuntur.[110] Angustus animus est, quẽ terrena de-
lectant. ad illa abducendus est, quę vbique æquè apparent,[111] vbique æquè splendent: &
hoc cogitandum est, ista veris bonis per falsa & prauè credita obstare. Quò[112] longiores
por-

98. NEQVE ORNATIVS.] *Liber meus vocẽ additâ*, neque minus ornatius: *quod tenuerim sensu isto, neque maius, & nihilominus neque ornatius. Nam magna rarò ornata & perpolita esse solent. Stoici autem in Mundi admiratione & prædicatione multi: vt docemus* 11. *Physiol. Diss.* VII.

99. RERVM NATVRA GENVIT.] *Communis Natura, id est Deus. Ecce autem quintam sententiam, siue potiùs sermonem super condito Mundo diuersum. Nam rebus consonant. De Naturâ istâ nos in Physiolog.* 1. *Dissert.* V.

CAP. IX. 100. NVLLVM INVENTVRI.] *Meus ille bonus:* nullum inuenire intra mundũ est alienum opus. Vndecunque: *& leuiter variant alij scripti. Lego igitur:* nullã inuenire intra mundum est alienã nobis. Vndecunque: *breuiùs & cõcinniùs.*

101. AD CÆLVM ERIGITVR.] *Similia huic toti sententiæ Epictetus Dissert.* 111. *cap* XXII. Ito in exsilium. Quò? num aliquis extra Mundum eijcere potest? non potest. Quocumque iuero, ibi Sol, ibi Luna, ibi sidera, somnia, auguria, & cum Dijs conuersatio. *Quid Democritus?* Ἀνδρὶ σοφῷ πᾶσα γῆ βατή. ψυχῆς γὰρ ἀγαθῆς παρὶς ὁ ξύμπας κόσμος: Viro sapienti omnis tellus peruia, & bonæ Menti totus Mundus patria. *Euripides:*

Ἅπασα μὲν γὰρ αἰθὴρ πεφόρασιμος,
Ἅπασα δ' ἐν θεῶν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς:
Diffusus aër omnis aquilæ peruius,
Omnisque tellus patria animoso est viro.

Socratis illud protritum, Cuiatem se ferret? Mundanum.

102. INSATIABILES SVNT.] *De hac oblectatione, ego* 1. *Physiol. Dissert.* 11.

103. INHÆRERE SIDERIBVS.] *Hæc & sequentia è Cicerone assimilata dicas: certè in illo paria*, v. *Tuscul.* Quo tandẽ gaudio affici necesse est Sapientis animum, cùm totius Mundi *(id est, cæli)* motus conuersionesq; perspexerit? sideraq; viderit innumerabilia, cælo inhærentia, cum eiusipsius motu congruere, certis infixa sedibus? septem alia suos quęque tenere cursus, multum inter se aut altitudine, C
aut humilitate, distantia? quorum vagi motus, rata tamen & certa sui cursus spatia definiant?

104. VELOCIVS MEANDI.] *Caussa vna est in spatio, quo absunt à primo cælo: cui renituntur suo cursu, languidiùs, si propiora; efficaciùs, si longinqua. Caussa etiam altera, in circulo minore, atq; ambitu breuiore.*

105. IMMOBILES.] *Fixas in octaua sphæra.*

106. NON IN MAGNVM.] *Planetas. qui ita errant, vt non errent, & per vestigia sua redeunt. Exeunt tamen leuiter ab Ecliptică, sed non extra Zodiacum: etsi lævorsum aut dextrorsum declinant, manent intra illam orbitam.*

107. SVBITO ERVMPENTES.] *Vt Cometas. quæ Senecæ & quorumdam opinio fuit: latère eos certis temporibus, neque conspici; tum erumpere subitò, & sese exhibere. Esse autem verè stellas. Vide ipsum Quæst. Nat.* VII.

108. LONGO TRACTV.] *E Virgilio est:*

Longos à tergo flammarum albescere tractus. D

Hoc & prius, ad falsas & deciduas stellas spectat, aëris non cæli filias.

109. COGNATARVM RERVM.] *Nam Stoicis animus ex astris. Manilius appositè:*

- cælum scrutatur in alto,
Cognatumq; sequens corpus, se quęrit in astris.

Adi Senecam 1. *Quæst. Nat. in Præfat.*

110. ANGVSTVS ANIMVS.] *Quem magnum magna hæc inspecta faciunt: &* tunc iuuat *(Seneca* 1. *Quæst. Nat.)* inter sidera ipsa vagantem, diuitum pauimenta ridere, & totam cum auro suo terram.

111. VBIQVE ÆQVE SPLENDENT.] *Tria hæc meo libro absunt, sine vlla fraude.*

112. LONGIORES PORTICVS.] *Milliarias.*

113. AL-

A porticus expedierint, quò [113] altiùs turres ſuſtulerint, quò [114] latiùs vicos porrexerint, quò depreſſiùs [115] æſtiuos ſpecus foderint, quò maiori mole faſtigia cœnationũ ſubuexerint: hoc plus erit, quod illis cælum abſcondat. In eam te regionem caſus eiecit, in quâ latiſſimum receptaculum caſa eſt. Næ tu puſilli animi es, & ſordidè ſe conſolantis, [116] ſi ideò id fortiter pateris, quia [117] Romuli caſum noſti. Dic illud potiùs: Iſtud humile tugurium nempe virtutes recipit. iam omnibus templis formoſius erit, cùm illic iuſtitia conſpecta fuerit, cùm continentia, cùm prudentia, pietas, omnium officiorum rectè diſpenſandorum ratio, humanorum diuinorumque ſcientia. Nullus anguſtus eſt locus, qui hanc tam magnarum virtutum turbam capit: nullum exilium graue eſt, in quo licet cum [118] hoc ire comitatu. Brutus in eo libro, quem de Virtute compoſuit, ait, ſe *vidiſſe Marcellum* [119] *Mitylenis exſulantem, &, quantum modò natura hominis pateretur, beatiſſimè viuentem, neque vnquam bonarum artium cupidiorem quàm illo tempore.* Itaque adijcit, *viſum ſibi ſe magis in exſilium ire, qui ſine illo rediturus eſſet, quàm illum in exſilio relinquere.* O fortu-
B natiorem Marcellum, eo tempore, quo exſilium ſuum Bruto approbauit, quàm quo populo R. [120] conſulatum! Quantus vir ille fuit, qui effecit, vt aliquis exſul ſibi videretur, quòd ab exſule recederet? qui in admirationem ſui adduxit hominem, etiam [121] Catoni ſuo mirandum? Idem Brutus ait, *C. Cæſarem Mitylenas præteruectum, quia non ſuſtineret videre deformatum virum.* Illi quidem reditum [122] impetrauit Senatus, publicis precibus, tam ſolicitus ac mæſtus, vt omnes illo die Bruti habere animum viderentur, & non pro Mar-

113. ALTIVS TVRRES.] *Petronius:*

Ædificant auro, ſedeſque ad ſidera mittunt.

Seneca pater lib. II. *Controuerſ.* Sedes ipſas intantum exſtruxêre, vt domus ad vſum & munimentum paratę, ſint nunc periculo, non præſidio: tanta altitudo ædificiorum eſt, tantæque viarum anguſtiæ, vt neque aduerſus ignem præſidium, neque ex ruinis effugium ſit. *Poſteà tamen Nero lege*
C *inhibuit altè tollere, quod & ante eum Auguſtus: ſed potentes ſpernebant.*

114. LATIVS VICOS PORREX.] *Quidam libri* correxerint: *malè, & latitudo indicatur. Diuites ſcilicet, aut vnâ aliquâ domo vicum implebant; aut inſulis ſuis occupabant.*

115. ÆSTIVOS SPECVS.] *Porticus ſubterrancas, ſiue Hypogæas. Eædem Cryptoporticus: quarum veſtigia plura nunc Romæ.*

116. SI IDEO ID.] *Vera lectio, & ſententia. Non ſolare te ab exemplo: etiam Romulus in casâ coluit. potiùs à ratione, & dic quæ ſequuntur.*

117. ROMVLI CASAM.] *Quam multi commemorant: ſed in loco varietas aut pugna videatur. Nam Dionyſius palàm in Palatio locat: & Palatium quidem gemelli illi ſedem habuerunt. Verba lib.* II.
D Romulus & Remus ſolent humiles caſas ſtruere, in vitâ illâ paſtoriciâ: quarum nunc vna meo æuo ſupereſt, in latere, quod è Palatio ad Circum flectit, ROMVLI CASA dicta. quam curant tuenturque ſacerdotes, quibus id commiſſum eſt, nihil ad amplioremtamen cultum addentes: ſed ſiquid tempeſtate aut tempore perijt, ſarcientes ſupplenteſque, ad priorem, vt poteſt, formam. *Item Victor*, regione decimâ Palatij, Romuli caſam *ponit. Et Notitia imperij*, Regio decima Palatij, continet Caſam Romuli. *Quid tamen alij? aliter. Seneca pater* II. *lib. Controu.* I. Colit etiamnum in Capitolio Caſam victor gentium populus. *In Capitolio, ecce, ponit. Idem Controu.* VI. Inter hæc tam effuſa mœnia nihil eſt humili casâ nobilius. Faſtigiatis ſuprà tectis, auro puro fulgenti prælucet Capitolio. *Vitruuius lib.* II. In Capitolio commonefacere poteſt & ſignificare mores vetuſtatis Romuli caſa, in arce ſacrorum ſtramentis tecta. *Ait*, in arce. *non tamen in ipſo templo Capitolino, ſed monte fuit, iuxta Curiam Calabram, ne erres. Inducere & Martialis lib.* VIII. *poſſit:*

Sic priſcus ſeruatur honos te Præſide, templis:
Et caſa, tam culto ſub Ioue, numen habet.

Eſt de iſtâ casâ, quod interpretes parùm aduertunt: nec tamen in ipſo Iouis templo, ſed iuxtà. Macrobius I. *Saturn.* Vocatâ in Capitolium plebe, iuxta curiam Calabram, quæ caſæ Romuli proxima eſt. *Quid autem in hoc diſſenſu dicimus? ego nihil, niſi duplicem eam fuiſſe: veram & veterem in Palatio; alteram adſimilem, religionis cauſſâ, in monte Capitolino, vbi omnia aut præcipua ſacra. Certè ſacra hæc habita, & per illam Valerius etiam iurat, lib.* IIII. *cap.* IV. Per Romuli caſam, perque veteris Capitolij humilia tecta iuro. *Quin & Pontifices in eâ ſacrificare ſoliti, vt templo. Dio lib.* XLVIII. Ἡ τε σκήνη ἡ τοῦ Ῥωμύλου, ἐξ ἱερουργίας τινὸς, ἣν οἱ Ποντίφικες ἐν αὐτῇ ἐπεποιήκεσαν, ἐκαύθη: Caſa Romuli, ex ſacrificio quopiâ, quod in eâ Pontifices fecerant, exuſta eſt. *Atque id incendium inter dira habet: etſi prompta ea ſanè ardere, vt materies & ſtructura fuit. Ouidius:*

Quæ fuerit noſtri ſi quæris regia nati,
Adſpice de cannis ſtraminibuſque domum.

118. HOC IRE COMITATV.] *Ambroſius lib.* I. *de Iacobo, cap. vlt.* In quâ ſolitudine non ſtipatus, quem vita beata circumdat?

119. MITYLENIS EXVLANTEM.] *Aliarum à Cæſare partium. Vide Ciceronis lib.* IV. *ad Famil. epiſtolam* VI. *&* VII. *& ipſius Marcelli* X.

120. CONSVLATVM.] *Quem geſſit cum Seru. Sulpicio, biennio ante ciuile bellum.*

121. CATONI SVO.] *Suo, vel quia gener eius, Porciæ maritus; vel cognatus, ex Seruiliâ Catonis ſorore genitus; denique amicus, & in ijſdem Sapientiæ caſtris.*

122. IMPETRAVIT SENATVS.] *Ciceronis oratio, quâ gratias Cæſari egit, Senatus nomine, exſtat.*

Marcello, ſed pro ſe deprecari, ne exſules eſſent, ſi ſine illo fuiſſent: ſed plus multo conſecutus eſt, quo die illum exſulem Brutus relinquere non potuit, Cæſar videre. Contigit enim illi teſtimonium vtriuſque. Brutus ſine Marcello reuerti ſe doluit: Cæſar erubuit. Num dubitas, quin ille tantus vir, ſic ad tolerandum æquo animo exſilium ſe ipſe adhortatus ſit? *Quòd patriâ cares, non eſt miſerum. Ita te diſciplinis imbuiſti, vt ſcires omnem locum ſapienti viro patriam eſſe. Quid porrò hic qui te expulit, non ipſe per annos decem continuos patriâ caruit? propagandi ſine dubio imperij cauſſâ: ſed nempe caruit. nunc ecce trahit illum ad ſe Africa reſurgentis belli minis plena, trahit Hiſpania, quæ fractas & afflictas partes refouet, trahit Ægyptus infida, totus denique orbis, qui ad occaſionem concuſſi imperij intentus eſt. cui primùm rei occurret? cui parti ſe opponet? Aget illum per omnes terras victoria ſua. Illum ſuſpiciant & colant gentes: tu viue Bruto miratore contentus.* Benè ergo exſilium tulit Marcellus: nec quicquam in animo eius mutauit loci commutatio, [123] quamuis eum paupertas ſequeretur. in quâ nihil mali eſſe, quiſquis modò nondum peruênit in inſaniam omnia ſubuertentis auaritiæ, atque luxuriæ, intelligit. Quantulum eſt enim, quod in tutelam homini neceſſarium ſit? & cui deeſſe hoc poteſt, vllam modò virtutem habenti? Quod ad me quidem pertinet, intelligo me non opes, ſed occupationes perdidiſſe. corporis exigua deſideria ſunt: frigus ſubmouere vult, alimentis famem ac ſitim extinguere: quicquid extra concupiſcitur, vitijs, non vſibus laboratur. Non eſt neceſſe omne perſcrutari profundum, nec ſtrage animalium ventrem onerare, nec conchylia [124] vltimi maris ex ignoto littore eruere. Dij iſtos deæque perdant, quorum luxuria tam inuidioſi imperij fines tranſcendit. [125] Vltra Phaſim capi volunt, quod ambitioſam popinam inſtruat: nec piget à Parthis, à quibus nondum pœnas repetijmus, [126] aues petere. Vndique conuehunt, omnia nota faſtidienti gulæ. Quod diſſolutus delicijs ſtomachus vix admittat, ab vltimo portatur Oceano. [127] Vomunt vt edant, edunt vt vomant: & epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. Iſta ſi quis deſpicit, quid illi paupertas nocet? ſi quis concupiſcit, illi paupertas etiam prodeſt. Inuitus enim ſanatur: & ſi remedia ne coactus quidem recipit, interim certè dum non poteſt, nolenti ſimilis eſt. C. Cęſar, quem mihi videtur rerum natura edidiſſe, vt oſtenderet quid ſumma vitia in ſummâ fortunâ poſſent, [128] centies ſeſtertio cœnauit vno die: & in hoc omnium adiutus ingenio, vix tamen inuênit, [129] quomodo prouinciarum tributum vna cœna fieret. O miſerabiles, quorum palatum niſi ad pretioſos cibos non excitatur! pretioſos autem, non eximius ſapor aut aliqua faucium dulcedo; ſed raritas, & difficultas parandi facit. Alioquin ſi ad ſanam illis mentem placeat reuerti, quid opus eſt tot artibus ventri ſeruientibus? quid mercaturis? quid vaſtatione ſiluarum? quid profundi perſcrutatione? [130] paſſim iacent alimenta, quæ rerum natura omnibus locis diſpoſuit. ſed hæc velut cæci tranſeunt, & omnes regiones peruagantur, maria traijciunt, & cùm famem exiguo poſſint ſedare, magno irritant. Libet dicere: Quid deducitis naues? quid manus & aduerſus feras

Sed fruſtrà impetrauit: quia mox à quodam Magio, proprijs cauſsis, an Cæſare ſubornante, interfectus eſt. Vide Seruy epiſtolam inter Tullianas, lib. IV.

123. QVAMVIS EVM.] *Scribe,* eam: *id eſt, loci mutationem.*

124. VLTIMI MARIS.] *Britannici, vnde oſtrea petebant, è fundo Rutupino.*

125. VLTRA PHASIM.] *Manilius:*

-in luxum iam ventri longiùs itur,
Quàm modò militiâ. Numidarum paſcimur oris,
Phaſidos & damnis.

Panegyricus: Dapes, quas poſitas extra Romanum Colchus imperium mittit. *Sunt aues, Phaſianæ dictæ.*

126. AVES PETERE.] *Phalerides, è Seleuciâ Parthorum. Vide me ſuper hoc tali luxu lib.* IV. *de Magnit. Rom. cap.* VII.

127. VOMVNT VT EDANT.] *Adi epiſt.* LXXVIII. & XLVII.

128. CENTIES HS.] *Sunt nobis* CCL. *millia Philippicûm: quod Cleopatra in vnâ margaretâ abſumpſit. Sed hîc de alijs cibis mentio: alioqui nec magno ingenio opus, exemplo illo iam noto.*

129. QVOMODO PROVINCIARVM.] *Libri ſcripti vocem addunt*, quomodo trium prouinciarum. *Atqui tres prouinciæ profectò, imò vel vna è maioribus, largiter plus reddebant: ſi tamen de annuo, non menſtruo, vectigali ſentit. Commodè igitur è ſcriptis legam*: quo mediocrium prouinciarum.

130. PASSIM IACENT.] *Teles Pythagoricus:* At metuis ne tibi neceſſaria deſint. Nónne omnes viæ oleribus ſunt refertę? pleni aquâ fontes? nónne tibi tot lectos exhibeo, quanta eſt ipſa terra? & folia pro ſtragulis?

CAP.

A ras & aduersus homines armatis? quid tanto tumultu discurritis? quid opes opibus aggeritis? non vultis cogitare, quàm parua vobis corpora sint? Nónne furor & vltimus mentium error est, cùm tam exiguum capias, cupere multum? Licet itaque augeatis census, promoueatis fines: nunquam tamen corpora vestra laxabitis. Cùm benè cesserit negotiatio, multum militia retulerit, cùm indagati vndique cibi coierint, non habebitis vbi istos apparatus vestros collocetis. Quid tam multa conquiritis? Scilicet maiores nostri, [131] quorum virtus etiam nunc vitia nostra sustentat, infelices erant, qui sibi manu suâ parabant cibum: quibus terra cubile erat: quorum [132] tecta nondum auro fulgebant: quorum templa nondum gemmis nitebant. Itaque tunc per fictiles deos religiosè iurabatur: qui per illos [133] inuocauerant, ad hostem morituri, ne fallerent, redibant. Scilicet minùs beatè viuebat [134] dictator noster, qui Samnitum legatos audit, cùm [135] vilissimum cibum in foco ipse manu suâ versaret: illâ, quâ iam sæpè hostem percusserat, [136] laureamque in Capitolini Iouis gremio reposuerat. quàm [137] Apicius nostra
B memoria vixit, qui in eâ vrbe, ex quâ aliquando [138] philosophi, velut corruptores iuuentutis, abire iussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplinâ suâ sæculum infecit: cuius exitum nosse, operæpretium est. Cùm [139] sestertiûm millies in culinam congessisset, cùm tot [140] congiaria Principum, & ingens [141] Capitolij vectigal singulis comissationibus exsorbsisset; ære alieno oppressus, rationes suas tunc primùm coactus inspexit. superfuturum sibi sestertiûm centies computauit: & velut in vltimâ fame victurus, si sestertio centies vixisset, [142] veneno vitam finiuit. Quanta luxuria erat, cui sestertiûm centies egestas fuit? I nunc, & puta pecuniæ modum ad rem pertinere, [143] non animi.

Sestertiûm centies aliquis extimuit: & quod alij voto petunt, veneno fugit. Illi verò tam prauæ mentis homini vltima potio saluberrima fuit. Tunc venena edebat, bibebatque, cùm immensis epulis non delectaretur tantùm, sed gloriaretur, cùm vitia sua ostentaret, cùm ciuitatem in luxuriam suam conuerteret, cùm iuuentutem ad imitationem sui sollicitaret, etiam sine malis exemplis, per se docilem. Hęc accidunt diuitias non
C ad rationem reuocantibus, cuius certi sunt fines: sed ad vitiosam consuetudinem, cuius immensum & incomprehensibile arbitrium est. Cupiditati nihil satis est: naturæ satis est etiam parum. Nullum ergo paupertas exsulis incommodum habet: nullum enim XI.

CAP. X. 131. QVORVM VIRTVS.] *Id est, quorum virtute etiamnunc stamus: quia ita firma imperij fundamenta iecit, vt vitia nostra concutiant, nondum euertant.*

132. TECTA NONDVM AVRO.] *An in tegulis, an magis lacunaribus? Seneca epist.* XCVI. Auro tecta perfundimus. *Manilius:*

—— triclinia templis
Concertant, tectiq; auro, iam vescimur aurum.

Vbi fortè verius, vescimur auro: *id est, in vasis lancibusq; aureis.*

133. INVOCAVERANT.] *Ita veteres. vulgò,* per
D illos iurauerant. *Consonant ista, nam & in iuramento inuocatio numinis erat.*

134. DICTATOR NOSTER.] *M'. Curius: qui tamen Consul modò fuit. Hunc eumdem* Fabricium *vocat De Prouident. cap.* III. *præter alios, quibus constanter est* Curius.

135. VILISSIMVM CIBVM.] *Rapa, vt Plinius & alij.*

136. LAVREAMQVE.] *Vt in triumpho solet, cùm Imperator lauream quam manu tenebat, itemq; detractam fascibus lictorum, in Iouis sinu ponebat, velut victoriæ auctoris. Pluscula ego super ritu, ad Taciti* II. *Annalem.*

137. APICIVS.] *Tres fuisse gulones hoc nomine alibi docui: iste celeberrimus sub Augusto vixit. de quo Plinius:* Nepotum omniũ altissimus gurges.

138. PHILOSOPHI.] *Ipsum Sc. vide in Agellio, lib.* XV. *cap.* XI. *& Suetonij De claris Rhetoribus, initio. Factum hoc anno Vrbis* DXCII. *Et, quod mireris, Athenis hoc aliquando decretum: vt in Laertij Theophrasto, initio leges.*

139. HS. MILLIES.] *Nostro more & sermone,* duos milliones & semis.

140 CONGIARIA PRINCIPVM.] *Quorum? nam Augustum & Tiberium vidit tantùm: nec hunc puto, vt vir fuit, in tales nugas liberalem se gessisse. Veriùs capi* Principes, *proceres & diuites illos Senatores, vt alibi in nostro.*

141. CAPITOLII VECTIGAL.] *Fateor Capitolium, & cetera templa, vectigalia annua habuisse, ad tutelam aut ornatum sui: sed eáne data Apicio? absit. Vel igitur ex comparatione capiendum, absumpsisse quantum vel Capitolij vectigal esset: aut (quod mihi arridet) lectio è notis corrupta, scribendumq;* Kalendarij. *Tum hoc dicat, hominem improbè vectigal suum annuum in vnam cœnam impendisse. De Kalendario, sæpè Seneca atque alij, & nos alibi.*

142. VENENO VITAM.] *Dio Cassius* LVII. Apicius omnes homines luxus & gulæ studio superauit. & cùm scire aliquando vellet, quid absumpti, & quid reliqui haberet; audito * centies HS. restare, indoluit, & vt fame moriturus, sese interemit. * CCL. millia Philipp.

143. NON ANIMI.] *Imò huius. & Ausonius alludit:* Ille opibus modus est, qui modus est animo.

CAP.

enim tam inops exſilium eſt, quod non alendo homini abundè fertile ſit. At veſtem, an A
domum deſideraturus eſt exſul? Si hæc quoque ad vſum tantùm deſiderabit, neque tectum ei deerit, neque velamen. æquè enim exiguo tegitur corpus, quàm alitur. nihil homini natura, quod neceſſarium faciebat, fecit operoſum. Si deſiderat [144] ſaturatam multo conchylio purpuram, intextam auro, varijſq́ue coloribus diſtinctam & artibus: non fortunæ iſte vitio, ſed ſuo pauper eſt. etiam ſi illi, quicquid amiſit, reſtitueris, nihil ages. plus enim reſtituto deerit ex eo quod cupit; quàm exſuli ex eo, quod habuit. Si deſiderat aureis fulgentem vaſis ſupellectilem, & antiquis nominibus artificum argentum nobile, æs paucorum inſaniâ pretioſum, & [145] ſeruorum turbam, quę quamuis magnam domum anguſtet, iumentorum corpora [146] differta, & coacta pingueſcere, & [147] nationum omnium lapides: iſta congerantur licet, nunquam explebunt inexplebilem animum. non magis, quàm vllus ſufficiet humor ad ſatiandum eum, cuius deſiderium non ex inopiâ, ſed [148] ex æſtu ardentium viſcerum oritur. non enim ſitis illa, ſed morbus eſt. Nec hoc in pecuniâ tantùm, aut alimentis euenit: eadem natura eſt in omni deſiderio, B
quod non ex inopiâ, ſed ex vitio naſcitur. quicquid illi congeſſeris; non finis erit cupiditatis, ſed gradus. Qui continebit itaque ſe intra naturalem modum, paupertatem non ſentiet: qui naturalem modum excedet, eum in ſummis opibus quoque paupertas ſequetur. Neceſſarijs rebus & exſilia ſufficiunt: ſuperuacuis nec regna. Animus eſt qui diuites facit. hic in exſilia ſequitur, & in ſolitudinibus aſperrimis, cùm quantum ſatis eſt ſuſtinendo corpori, inuênit, ipſe bonis ſuis abundat & fruitur. Pecunia nihil ad animum pertinet. non magis, quàm ad deos immortales omnia iſta, quæ imperita ingenia, & nimis corporibus ſuis addicta, ſuſpiciunt. Lapides, aurum & argentum, & [149] magni leuatiq́ue menſarum orbes, terrena ſunt pondera: quæ non poteſt amare ſincerus animus, ac naturæ ſuæ memor, leuis ipſe, & quandoque emiſſus fuerit, ad ſumma emicaturus. interim, quantum per moras membrorum, & hanc circumfuſam grauem ſarcinam licet, celeri & volucri cogitatione diuina perluſtrat. Ideoq́ue nec exſulare vnquam poteſt, C
liber, & dijs cognatus, & omni mundo omniq́ue æuo par. Nam cogitatio eius circa omne cælum, & in omne præteritum futurumq́ue tempus immittitur. Corpuſculum hoc, cuſtodia & vinculum animi, huc atque illuc iactatur: in hoc ſupplicia, in hoc latrocinia, in hoc morbi exercentur. animus quidem ipſe ſacer & æternus eſt, & cui non poſſunt
XII. [150] inijci manus. Nec me putes ad eleuanda incommoda paupertatis, quam nemo grauem ſentit, niſi qui putat, vti tantùm præceptis ſapientum. Primùm aſpice, quanto maior pars ſit pauperum, quos nihilo notabis triſtiores ſolicitioreſq́ue diuitibus: imò neſcio an eò lætiores ſint, quò animus eorum in pauciora diſtringitur. Tranſeamus à pauperibus: veniamus ad locupletes. quàm multa ſunt tempora, quibus pauperibus ſimiles ſunt? Circumciſę ſunt peregrinantium ſarcinę: & quotieſcunque feſtinationem neceſſitas itineris exigit, comitum turba dimittitur. Militantes quotam partem rerum ſuarum ſecum habent? cùm omnem apparatum caſtrenſis diſciplina ſubmoueat. Nec tantùm conditio illos temporum, aut locorum inopia, pauperibus exæquat: ſumunt [151] quoſdam dies, cùm iam illos diuitiarum tædium cepit, quibus humi cœnent, & remoto auro, argentoq́ue, fictilibus vtantur. Dementes! hoc quod aliquando concupi- D
ſcunt, ſemper timent. O quanta illos caligo mentium, quanta ignorantia veritatis exercet,

CAP. XI. 144. SATVRATAM.] *Dibapham, aut ſæpiùs tinctam. Vide Plinium* IX. *cap.* XLI.

145. SERVORVM TVRBAM.] *Diſce ex adiunctis multos fuiſſe, & ex* Magnitudine *noſtra* Romanâ, *lib.* II. *cap. vlt.*

146. DIFFERTA.] *Notes hæc amaſſe ad vehicula; contrà macra viluiſſe. Seneca epiſt.* LXXXVII. Mulæ ſaginatæ, vnius omnes coloris.

147. NATIONVM LAPIDES.] *Non gemmas, ſed marmora.*

148. EX ÆSTV.] *Adi Quæſt. Nat.* IV. *cap. vlt.*

149. MAGNI LÆVATIQVE.] *Ad citreas menſas pertinet: de quibus* VII. *de Benefic. cap.* IX. *& De Tranquillit. cap.* I.

150. INIICI MANVS.] *Id eſt, qui expers ſeruitutis, liber & ſuus eſt. Nam in aſſertione & vindicando, iniectio manus erat.*

CAP. XII. 151. QVOSDAM DIES.] *Horatius:* Plærumque gratæ diuitibus vices, Mundæq́ue paruo ſub lare pauperum Cænæ, ſine aulæis & oſtro, Sollicitam explicuêre frontem. *Vide ſuper hoc more Senecam epiſt.* XVIII.

152. PRIN-

A cet, qui fugiunt quod voluptatis cauſſa imitantur! Me quidem, quoties antiqua exempla reſpexi, paupertatis vti ſolatijs pudet. quoniam quidem eò temporum luxuria prolapſa eſt, vt maius viaticum exſulum ſit, quàm olim patrimonium [152] principũ fuit.[153] Vnum fuiſſe Homero ſeruum,[154] tres Platoni,[155] nullum Zenoni, à quo cœpit Stoicorum rigida ac virilis ſapientia, ſatis conſtat. num ergo quiſquam eos miſeros vixiſſe dicet, vt non ipſe miſerrimus ob hoc omnibus videatur? Menenius Agrippa, qui inter patres ac plebem publicæ gratiæ [156] ſequeſter fuit,[157] ære collato funeratus eſt. Attilius Regulus, cùm Pœnos in Africâ funderet, ad Senatum ſcripſit, mercenarium ſuum [158] diſceſſiſſe, & ab eo deſertum eſſe rus: quod Senatui publicè curari, dum abeſſet Regulus, placuit. Fuit tanti, ſeruum non habere, vt colonus eius populus R. eſſet.[159] Scipionis filiæ ex ærario dotem acceperunt: quia nihil illis reliquerat pater. Æquum mehercules erat populum R. tributum Scipioni ſemel conferre, cùm à Carthagine ſemper exigeret. O felices viros puellarum, quibus populus R. loco ſoceri fuit! Beatioréſne iſtos putas,[160] quorum pan-
B tomimę decies ſeſtertio nubunt, quàm Scipionem, cuius liberi à ſenatu tutore ſuo, in dotem [161] æs graue acceperunt? Dedignatur aliquis paupertatem, cuius tam claræ imagines ſunt? indignatur exſul aliquid ſibi deeſſe, cùm defuerit Scipioni dos, Regulo mercenarius, Menenio funus? cùm omnibus illis, id quod deerat, ideò honeſtiùs ſuppletum ſit, quia defuerat? His ergo aduocatis non tantùm tuta eſt, ſed etiam gratioſa paupertas.

Reſponderi poteſt: Quid artificiosè iſta diducis, quæ ſingula ſuſtineri poſſunt, col- XIII.
lata non poſſunt? Commutatio loci tolerabilis eſt, ſi tantùm locum mutes: paupertas tolerabilis eſt, ſi ignominia abſit, quæ vel ſola opprimere animos ſolet. Aduerſus hunc, quiſquis me malorum turbâ terrebit, his verbis vtendum erit. Si contra vnam quamlibet partem fortunæ ſatis tibi roboris eſt, idem aduerſus omnes erit.[162] cùm ſemel animum virtus indurauit, vndique inuulnerabilem præſtat. Si auaritia dimiſit, vehemen-

152. PRINCIPVM FVIT.] *Procerum & Senatorum, vt antè notabam.*

C 153. VNVM HOMERO.] *Quídni, ductorem cæco? vt fama quidem tenuit. Ceterùm diuiniſsimum virum etiam fame periſſe (tanta inopia fuit) Sotades apud Stobæum ſcripſit Ser.* XCVI. *etſi alij aliter.*

154. TRES PLATONI.] *Imò quattuor, & famulam vnam, ex ipſo Platonis (in Laërtio) teſtamento*: Dianam dimitto liberam, ſeruos reliquo Tychonem, Bietam, Apolloniadem, & Dionyſium.

155. NVLLVM ZENONI.] *Qui Perſæum quidem habuit, à rege Antigono adtributum miſſumq́, vt à manu eſſet. Itaque diſcipulus magis, quàm ſeruus, & nobilis poſteà philoſophus fuit.*

156. SEQVESTER.] *Duo ſignificat, ex Seruio*: Sequeſter eſt, aut medius inter duos altercantes, aut apud quem aliquid ad tempus deponitur. *Hîc*
D *prius illud, ſicut & Gloſsis*: Sequeſter, μεσίτης, media torarbitrator.

157. AERE COLLATO.] *In capita ſextantibus. Liuius* II. *Dionyſius* VIII. *Valerius* IV.

158. DISCESSISSE.] *Malè, qui edunt* deceſſiſſe: *vt & Muretus. Valerius rem narrat lib.* IV. *cap.* IV. Villicum in agello, quem ſeptem iugerûm in Pupiniâ habebat, mortuum eſſe, occaſionemq́; nactum mercenarium, amoto inde ruſtico inſtrumento, diſceſſiſſe: ideoque petere, vt ſibi ſucceſſor mitteretur, ne deſerto agro, non eſſet vnde vxor & ſui alerentur. *Adde Liuij Epitomam* XVIII.

159. SCIPIONIS FILIÆ.] *Africani quidem, vt ipſe in ſequentibus palàm dicit: at vereor, vt incuriosè & falsò dicat. Nam habuit ille quidem duas filias, ſed quas pater ipſe, non Senatus, elocauit; alteram P. Scipioni Naſicæ, alteram Ti. Sempronio Graccho. Varij tradunt, & Liuius diffusè, lib.* XXXVIII. *etſi quidam de vnâ aliter, & patre mortuo nupſiſſe. Sed nemo tamen hoc, quod hîc Seneca: nec de eximiâ paupertate eius viri eſt lectum. Quid ergo? in nomine error, & Cn. Scipionis eſt, patrui Africani, quod huic iuit adſcriptum. Valerius lib.* IV. Cùm ſecundo bello Punico Cn. Scipio ex Hiſpaniâ Senatui ſcripſiſſet, vt ſibi ſucceſſor mitteretur, quia filiam virginem adultæ iam ætatis haberet, neque ei ſine ſe dos expediri poſſet: Senatus patris partes ſibi deſumpſit, ac puellam nuptui dedit. *Hoc ipſum, de eodem iſto, Ioannes Zonaras: vt duplex error Senecæ videatur, & in homine, & in numero, qui ex vnâ duas fecit.*

160 QVORVM PANTOMIMÆ.] *Quas domi diuites habebant, ſeruas aut libertas. Plinij epiſtola quædam lib.* VII. *& Inſcriptiones priſcæ.*

161. ÆS GRAVE.] *Summam non exprimit, non item Quæſt. Natur.* I. *cap. vlt.* An tu exiſtimas Scipionis filias ex auro nitidum ſpeculum habuiſſe, cùm illis dos fuiſſet æs graue? *Valerius fecit: &* dotis modus, *inquit*, quadraginta millia æris fuit. *Vbi miror eſſe, quî de re Nummariâ ſcribens voluerit*, quadringenta *legi. Errat. & Valerius ipſe caſtiget*: Veterum ita arcta fuêre patrimonia, vt Megullia, quia cum quinquaginta millibus æris mariti domum intrauerat, Dotatæ cognomen inuenerit. *Ii ſunt nobis Philippæi circiter quingenti.*

CAP. XIII. 162. CVM SEMEL.] *Stoicum Paradoxum, Virtutes & Vitia ſe conſequi; quiq́, vnam vnúmve habeat, omnia habere. Vide me Manuduct.* III. *Diſſert.* IV. *it emq́* XX.

163. NON

mentissima generis humani pestis; moram tibi ambitio non faciet. Si vltimum diem A
[163] non quasi pœnam, sed quasi naturæ legem adspicis; ex quo pectore mortis metum
eieceris, in id nullius rei timor audebit intrare. Si cogitas, libidinem non voluptatis caussâ homini datam, sed [164] propagandi generis; quem non violauerit hoc secretum & infixum visceribus ipsis exitium, omnis alia cupiditas intactum præteribit. Non singula vitia ratio, sed pariter omnia prosternit: in vniuersum [165] semel vincit. Ignominiâ tu putas quemquam sapientem moueri posse, qui omnia in se reposuit, qui ab opinionibus vulgi secessit? Plus etiam quàm ignominia, est mors ignominiosa. Socrates tamen eodem illo vultu, quo aliquando solus [166] triginta tyrannos [167] in ordinem redegerat, carcerem intrauit, ignominiam ipsi loco detracturus. neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat. Quis vsque eò ad conspiciendam veritatem excæcatus est, vt ignominiam putet M. Catonis fuisse, duplicem in petitione [168] præturæ & [169] consulatus repulsam? ignominia illa præturæ & consulatus fuit, quibus ex Catone honor habebatur. Nemo ab alio contemnitur, nisi à se antè contemptus est: Humilis & proiectus ani- B
mus fit isti contumeliæ opportunus: qui verò aduersus sæuissimos casus se extollit, & ea mala quibus alij opprimuntur, euertit, ipsas miserias [170] insularum loco habet: quando ita affecti sumus, vt nihil æquè magnam apud nos admirationem occupet, quàm homo fortiter miser. Ducebatur Athenis [171] ad supplicium Aristides: cui quisquis occurrerat, deijciebat oculos, & ingemiscebat, non tanquam in hominem iustum, sed tanquam in ipsam iustitiam animaduerteretur. Inuentus est tamen, qui faciem eius inspueret. poterat ob hoc [172] molestè ferre, quòd sciebat neminem id ausurum puri oris. At ille absterfit faciem, & subridens ait comitanti se magistratui: *Admone istum, ne posteà* [173] *tam improbè oscitet.* Hoc fuit contumeliæ ipsi contumeliâ facere. Scio quosdam dicere, contemptu nihil esse grauius, mortem ipsis potiorem videri. His ego respondebo, & exsilium sæpè contemptione omni carere. Si magnus vir cecidit, magnus iacuit. non magis illum con-
tem-

163. NON QVASI POENAM.] *Ipse in Epigrammate:* - Lex est, non pœna, perire.

164. PROPAGANDI GENERIS.] *Verum dogma: & in Stoico Catone Lucanus agnoscit.* - Veneriśque huic maximus vsus, Progenies: vrbi pater est, vrbiśque maritus.

165. SEMEL VINCIT.] *Mirum, quid ita scripti,* vincitur: *at meus voce additâ,* nisi semel vincitur. *Educo lectionẽ & sensum:* nisi semel vincit, vincitur.

166. TRIGINTA TYRANNOS.] *Sic Athenæ iterùm liberæ appellarunt* triginta rectores, quos vrbi Lysander rectores dederat, decem autem Pyræo. *Plutarchus in Lysandro, aliýq;.*

167. IN ORDINEM REDEG.] *Quando, aut quo modo? Ipse Socrates apud Platonem (in Apologiâ) docet: cùm gloriatur,* se à triginta tyrannis missum, cum quatuor alijs, vt Leontem Salaminium, diuitem quendam, Athenas duceret, nempe interficiendum. atque illos quidem paruisse, sese autem de viâ domum rectà iuisse, NIHILI iniquum illud IMPERIVM FACIENTEM. Quæres, *inquit,* mihi fortasse exitio fuisset, nisi tyrannis illa paullo pòst concidisset. *Hoc igitur est,* in ordinem redigere, *imperata spernere, & pro magistratu, qui supra vulgus & extra ordinem est, non habere. Ipsum hoc factum in Laërtij Socrate tangitur, sed ab interprete Latino confusum, aut peruersum.*

168. PRÆTVRÆ.] *Cùm Vatinius ei prælatus, faciente Cæsare.*

169. CONSVLATVS.] *Quem biennio ante ciuile bellum petijt, reipublicæ caussâ. Excidit, homo non factus ad ambiendum.*

170. INFVLARVM LOCO.] *Insulæ propriè sa-*
cerdotibus, victimis, & rebus sacris. Hi tales, & hæc C
talia, sacrosancta censentur, & venerationem habent. Seneca iterùm hoc sensu, epist. XIV. Hæ litteræ & apud mediocriter malos insularum loco sunt. *Pro ipsâ etiam dignitate quauis, medij æui scriptores dicunt: vt,* Præfecturæ insulis ornari: Tantæ maiestatis *(imperij)* insulis dignum, *Spartianus, Pollio, atque alij.*

171. AD SVPPLICIVM ARISTIDES.] *Istum Athenis ad supplicium ductum, nemo scripsit, quòd sciam: & inter varias super morte eius sententias, hanc non dixit Plutarchus: quem vide. Ipsum hoc factum aut dictum quis Aristidi inscribit? ego non reperi: & da veniam Seneca, credo inter præpropera tua, & parùm excocta esse.* Phocioni *adscribendum erat, de quo idem Plutarchus:* Cùm ad carcerem, venenum potaturus duceretur, inimici præcurrerunt, D
è quibus vnus in frontem eius inspuit. Ipse conuersus ad magistratus, Οὐ παύσει τὶς, εἶπε, τοῦτον ἀχημονοῦντα; Non coërcebit, inquit, aliquis istum improbè se gerentem? *Hæc res & ipsa verba sunt: quæ noster etiam, per argutiolam, inuertit.*

172. MOLESTE FERRE.] *Alij cum negatione edunt,* non molestè. *Sed acutior sensus in isto. quasi dicat, Ideò poterat ægrè ferre, quia non contemni se solùm, sed fædari sentiebat: nempe ab homine opico & obscœni oris: cuius saliua etiam impura.*

173. TAM IMPROBE OSCITET.] *Inuertit, pro suo sensu & inuentiunculâ, nisi fallor, Seneca: quod & aliàs obserues. Certè vt suprà posui, idem Plutarchus in Apophthegmatis iterauit. Nisi quis de Aristide aliud censet, & alicunde eruit: quod diffido.*

CAP.

A temni, quàm cùm ædium sacrarum ruinæ calcantur, quas religiosi æquè ac stantes adorant. Quoniam meo nomine nihil habes, mater carissima, quod te in infinitas lacrimas agat, sequitur vt caussæ tuæ te stimulent. Sunt autem duæ. nam aut illud te mouet, quòd præsidium aliquod videris amisisse: aut, quòd desiderium ipsum per se pati non potes. Prior pars mihi leuiter perstringenda est. noui enim animum tuum, nihil in suis præter ipsos amantem. Viderint illæ matres, quæ [174] potentiam liberorum muliebri impotentiâ exercent; quæ, quia fœminis honores non licet gerere, per illos ambitiosæ sunt; quæ [175] patrimonia filiorum & exhauriunt, [176] & captant; quæ eloquentiam commodando alijs fatigant. Tu liberorum tuorum bonis plurimùm gauisa es, minimùm vsa: tu [177] liberalitati nostrę semper imposuisti modum, cùm tuæ non imponeres: [178] tu filiafamilias, [179] locupletibus filijs vltrò contulisti: tu patrimonia nostra sic administrasti, vt tanquam in tuis laborares, tanquam alienis abstineres: tu gratiæ nostræ, tanquam alienis rebus vtereris, pepercisti, & ex honoribus nostris nihil ad te nisi voluptas [180] & B impensa pertinuit. [181] numquam indulgentia ad vtilitatem respexit. Non potes itaque erepto filio desiderare, quæ incolumi numquam ad te pertinere duxisti. Illò omnis consolatio mihi vertenda est, vnde vera vis materni doloris oritur. Ego complexu filij carissimi careo, non conspectu eius, non sermone fruor. vbi est ille, quo viso tristem vultum relaxaui, in quo omnes solicitudines meas deposui? vbi colloquia, quorum inexplebilis eram? [182] vbi studia, quibus libentiùs [183] quàm fœmina, familiariùs [184] quàm mater, intereram? vbi ille occursus? vbi matre visâ semper [185] puerilis hilaritas? Adijcis istis loca ipsa gratulationum & conuictuum, &, vt necesse est, efficacissimas ad vexandos animos recentis conuersationis notas. Nam hoc quoque aduersus te crudeliter fortuna molita est, quòd te [186] ante tertium demum diem quàm percussus sum, securam, nec quicquã tale metuentem, [187] aggredi voluit. benè nos [188] longinquitas locorũ diuiserat: benè [189] aliquot annorum absentia huic te malo præparauerat: redisti, non vt voluptatem ex filio perciperes, sed ne consuetudinem desiderij perderes. Si multo antè abfuis- C ses, fortiùs tulisses, ipso interuallo desiderium molliente: si [190] non recessisses, vltimum certè

XIV.

XV.

CAP. XIV. 174. POTENTIAM LIBERORVM.] *Sensus. quæ fatigant potentiam liberorum, suâ impotentiâ: id est, in illis potentibus, ostendunt se aliquid posse. Adsiduè interpellant, vt huic adsint, illi obsint: & per illos quodammodò imperia & magistratus gerunt.*

175. PATRIMONIA EXHAVRIVNT.] *Sibi aut alijs petendo.*

176. ET CAPTANT.] *Cùm iam scilicet emancipati sunt, sui peculij & iuris. Plinius facetè, de Regulo, lib. IV. epist. II.* Filium amisit. hunc emancipauit, vt heres matris existeret: mancipatum (ita vulgò ex moribus hominis loquebantur) fœdâ & insolitâ parentibus indulgentiæ simulatione ca- D ptabat. Incredibile est, sed Regulum nosti. *Si hæc viri, quid fœminæ?*

177. LIBERALITATI NOSTRÆ.] *Opponit illis, quæ exhauriebant.*

178. TV FILIAFAMILIAS.] *Nam viuo adhuc patre, Cap. sequenti.*

179. LOCVPLETIBVS.] *Nota iamtunc diuites fuisse: neque Aula omnia nostro dedit.*

180. ET IMPENSA.] *Ad sumptus magistratuum, ad ludos, epulas, & talia: ad quæ conferre propinqui & amici solent.*

181. NVMQVAM INDVLGENTIA.] *Opponit ijs, quæ captabant.*

CAP. XV. 182. VBI STVDIA.] *Quæ noster cum laude & famâ tractabat, eloquentiæ ac sapientiæ.*

183. QVAM FÆMINA.] *Qui sexus rarò taliũ artiũ.*

184. QVAM MATER.] *Quia spretâ grauitate, inter audientes, fauentes, discentes eram.*

185. PVERILIS HILARITAS.] *Non quòd puer (vir iam, & maritus, & pater erat:) sed quòd vultu hilaro & blando, in puerum quasi redibat.*

186. ANTE TERTIVM.] *Alij,* tertiumdecimum diem. *Sed verius de* tertio die: *ex eo quod sequitur,* fructum biduo diutiùs videndi filium tulisses. *Igitur res ita fuit. redijt Romam ex Hispaniâ, interfuit morti & funeri nepotuli sui (ex verbis iam prodendis:) iterumq; abijt, & in viâ de fato filij & exsilio audiuit. In viâ, inquam, cùm biduum iam abfuisset. De regressu eius, & quod plusculos dies Romæ; euincunt hæc verba, cap. II. suprà:* Intra vigesimum diem, quàm filium meũ IN MANIBVS & oculis tuis mortuũ funeraueras, raptum me audisti. *Ergo duo mala inter tot illos dies: nepotis coràm rapti, & filij absente. nam ait:* audisti. *Venit igitur, abijtq;, vt dixit: iterumq; redijt, hoc casu excita, & è viâ retracta.*

187. AGGREDI VOLVIT.] *Omnino legendum,* regredi.

188. LONGINQVITAS.] *Non ergo in secessu aut rure aliquo suburbano, sed in ipsâ procul Hispaniâ. Videtur autem mortuo Romæ marito, relictis ibi grandioribus liberis, rediisse in patriã; vbi pater, amici, opes.*

189. ALIQVOT ANNORVM.] *Nota. absentia igitur & migratio, non peregrinatio fuit.*

190. NON RECESSISSES.] *In Hispaniam, ignara instantis mali. Tamen redijt: & Romæ fuisse, dum filius cxsulat, & hæc scribit, colligas è Cap. sequenti,*

certè fructum biduo diutiùs videndi filium tulisses. Nunc crudele fatum ita composuit, A
vt nec fortunæ meæ interesses, nec absentiæ assueſceres. Sed quanto ista duriora sunt,
tanto maior tibi virtus aduocanda est, & velut cum hoste noto, ac sæpè iam victo, acriùs
est congrediendum. Non [191] ex intacto corpore tuo sanguis hic fluxit: per ipsas cicatri-
XVI. ces percussa es. Non est quòd vtaris excusatione nominis muliebris, cui pænè con-
cessum est immoderatũ in lacrimas ius, non immensum tamen: & ideò maiores [192] de-
cem mensium spatium lugentibus viros dederunt, vt cum pertinaciâ muliebris mæroris
publicâ constitutione [193] deciderent. non prohibuerunt luctus, sed finierunt. Nam &
infinito dolore, cùm aliquem ex carissimis amiseris, affici, stulta indulgentia est: & nullo,
[194] inhumana duritia. Optimum inter pietatem & rationem temperamentum est, &
sentire desiderium, & opprimere. Non est quòd ad quasdam fæminas respicias, quarum
tristitiam semel sumptam mors finiuit. nosti quasdam, quæ amissis filijs, imposita [195] lu-
gubria numquam exuerunt. à te plus exigit vita ab initio fortior. non potest muliebris
excusatio contingere ei, à quâ omnia vitia muliebria abfuerunt. Non te maximum sæcu- B
li malum, impudicitia, in numerum plurium adduxit. non gemmæ te, non margaritæ
flexerunt: non tibi diuitiæ, velut maximum generis humani bonum, refulserunt: non
te benè [196] in antiquâ & seuerâ institutam domo, periculosa etiam probis peiorum de-
torsit imitatio. Numquam te fæcunditatis tuæ, quasi exprobraret ætatem, puduit: num-
quam more aliarum, quibus omnis commendatio ex formâ petitur, tumescentem vte-
rum abscondisti, quasi indecens onus, nec intra viscera tua conceptas spes liberorum
elisisti. Non faciem lenocinijs ac coloribus polluisti. numquam tibi placuit vestis, quæ
nihil ampliùs [197] quàm nudam componeret: vnicum tibi ornamentum, pulcherrima,
& nulli [198] obnoxia ætati, forma: maximum decus, visa est pudicitia. Non potes itaque,
ad obtinendum dolorem, muliebre nomen prætendere, ex quo te virtutes [199] tuæ sedu-
xerunt. tantum debes à fæminarum lacrimis abesse, quantum à vitijs. Ne fæminæ qui-
dem te sinent intabescere vulneri tuo, sed leuiori necessario mærore citò defunctam,
iubebunt exsurgere: si modò illas intueri voles fæminas, quas conspecta virtus inter ma- C
gnos viros posuit. Corneliam ex duodecim liberis [200] ad duos fortuna redegit. Si numera-
re funera Corneliæ velles, amiserat decem: si æstimare, amiserat Gracchos. Flentibus ta-
men

vbi manifestò fratribus & nepotibus eam iungit, & à patre abiungit.

191. EX INTACTO.] *Vide quæ suprà, de continuis huius fœminæ luctibus, cap.* II.

CAP. XVI. 192. DECEM MENSIVM.] *Ouidius idem in Fastis. Atqui de anno luctus etiam legas, in Senecâ nostro epist.* LXIII. Annum fœminis ad lugendum constituêre maiores. *Et Dionysius semel iterumq́, fœminas annum luxisse, in Poplicolæ morte, atque alibi, adfirmat. Quid est? vtrumq; fortasse verum: in funere mariti, non nisi decem menses luxisse; in parentum aut agnatorum aliter, & annum totum. Nisi quis in talibus locis annum Romuli accipiat, quod vix puto. Quare autem in viri funere* decem menses *finiti? quia id tempus legitimæ partionis: & ne proles incerta esset, aut sanguis confusus.*

193. DECIDERENT.] *Quasi pacto & lege transigerent.*

194. INHVMANA DVRITIA.] *Ita ad Marciam, cap.* IV. Nec te inhumano ferre humana iubeam modo. *Facit Antonini Pij vox:* Permittite illi vt homo sit. neque enim vel Philosophia, vel Imperium, tollit affectus.

195. LVGVBRIA.] *Vestes & insignia luctus. Propertius*: Et benè habet, numquam mater lugubria sumpsi.

196. IN ANTIQVA.] *Moris antiqui & seueri, vt in colonijs aut municipijs.*

197. QVAM NVDAM COMPONERET.] *Valdè libri variant. Quidã,* vestis quę ampliùs nudaret, quàm cõponeret. *Alij:* vestis quæ ad nihil aliud, quàm vt nudaret, componetur. *Meus ille:* quę nihil ampliùs nudaret, quàm cõponeretur. *Puto fuisse:* nihil ampliùs nudaret, cùm poneretur. *Argutè, vt solet: Vestis, inquit, quæ nec posita magis nudaret, quã sumpta. Indicat tenues illas & pellucidas, quas hoc ipso sensu describit, De Benefic.* VII. *c.* IX. Video Sericas vestes, si vestes vocãdę sunt, in quibus nihil est quo defendi aut corpus, aut deniq. pudor possit. quibus sumptis parùm liquidò mulier nudã se nõ esse iurabit. D
Horatius: Altera nil obstat Cois tibi, pęnè videre est
Vt nudam. *Adde Epist.* XC.

198. OBNOXIA ÆTATI.] *Quid? vt ætas non libet vigorẽ, aut atterat? amãt hoc dici fœminæ: sed vix opinor Senecam matri sic blanditum. Magis legerim,* arti. *quod opponit* lenocinijs aut coloribus *aliarũ. In Colonienſi est,* pulcherrima tu, & nulli: *ex quo ampliùs velim,* pulcherrimũ, tua & nulli obnoxia arti. *Tuã & natiuam formam possides tantùm, arti nihil debes.*

199. TVÆ SEDVXERVNT.] *An magis,* eduxerũt?

200. AD DVOS FORTVNA.] *Narratiuncula haud satis fida vel apta. Nam dictum mox matris ad Tib. & Caium iam amissos respicit: atquin ij duo, & soror etiam vna, è duodecim superfuerant. Et quomodo ergo nunc quoque ad duos redacta? Examina, & Plutarchum in Gracchis adi.*

201. QVÆ

A men circa se, & fatum eius exsecrantibus interdixit, *Ne fortunam accusarent, quæ sibi filios Gracchos dedisset.* Ex hac feminâ debuit nasci, qui diceret in concione: *Tu matri meæ maledicas,* [201] *quæ me peperit?* Multò mihi videtur animosior vox matris. Filius magno æstimabat Gracchorum natales: mater & funera. Rutilia [202] Cottam filium secuta est in exsilium, & vsque eò fuit indulgentiâ constricta, vt mallet exsilium pati, quàm desiderium: nec antè in patriam, quàm cum filio redijt. Eumdem iam [203] reducem, & in Rep. florentem tam fortiter amisit, quàm secuta est: nec quisquam lacrimas eius post elatum filium notauit. In expulso virtutem ostendit, in amisso prudentiam. nam & nihil illam à pietate deterruit, & nihil in tristitiâ superuacuâ stultaque detinuit. Cum his te numerari feminis volo, quarum vitam semper imitata es: earum in coërcendâ comprimendaque ægritudine optimè sequêris exemplum. Scio rem non esse in nostrâ potestate, nec vllum affectum seruire: minimè verò eum, qui ex dolore nascitur. Ferox enim, & aduersus omne remedium contumax est. volumus eum interim obruere, & deuora-

B re gemitus: per ipsum tamen compositum fictumque vultum lacrimæ profunduntur. Ludis interim aut gladiatoribus animum occupamus: at illum inter ipsa, quibus auocatur, spectacula, leuis aliqua desiderij [204] nota subiuit. Ideò melius est, illum [205] vincere, quàm fallere. Nam qui aut delusus voluptatibus, aut occupationibus abductus est, resurgit, & ipsâ quiete impetum ad sæuiendum colligit: at qui rationi cessit, in perpetuum componitur. Non sum itaque monstraturus illa, quibus vsos multos esse scio, vt peregrinatione te vel longâ detineas, vel amœnâ delectes; vt rationum accipiendarum diligentiâ, patrimonij administratione multum occupes temporis; vt semper nouo te aliquo negotio implices: omnia ista ad exiguum momentum prosunt, nec remedia doloris, sed impedimenta sunt. ego autem malo illum desinere, quàm decipi. Itaque illò te duco, quò omnibus qui fortunam fugiunt, confugiendum est, ad [206] liberalia studia: illa sanabunt vulnus tuum, illa omnem tristitiam tibi euellent. His etsi nunquam assuesses, nunc vtendum erat: sed quantum tibi patris mei [207] antiquus rigor permisit, omnes bo-

C nas artes non quidem comprehendisti, attigisti tamen. Vtinam quidem virorum optimus, [208] pater meus, nimis maiorum consuetudini deditus, voluisset te sapientum præceptis erudiri potiùs, [209] quàm imbui! non parandum tibi nunc contra fortunam esset auxilium, sed proferendum. [210] Propter istas quæ litteris non ad sapientiam vtuntur, sed ad luxuriam instituuntur, minus est indulgere studijs passus. beneficio tamen rapacis ingenij plus, quàm pro tempore, hausisti: iacta sunt disciplinarũ omnium fundamenta. Nunc ad illas reuertere: tutam te præstabunt. illæ consolabuntur, illæ delectabunt, illæ si bonâ fide animum tuum intrauerunt, numquam ampliùs intrabit dolor, numquam solicitudo, numquam afflictionis irritę superuacua vexatio: nulli horum patebit pectus tuum: nam ceteris vitijs iampridem clusum est. Hæc quidem certissima præsidia sunt, & quæ sola te fortunæ eripere possint: sed quia dum in illum portum, quem studia promittunt, perueneris, adminiculis quibus innitaris opus est, volo interim solatia tua tibi ostendere.

D 201. QVÆ ME PEPERIT?] *C. Gracchi vox fuit, sed Plutarcho aliter paullò elata:* Σὺ Κορνηλίαν λοιδορεῖς, τὴν Τιβέριον τεκοῦσαν; Tu Corneliæ maledicis, quę Tiberium peperit? *Et verius, opinor, certè modestius, in fraternam, non suam laudem.*

202. COTTAM FILIVM.] *Est C. Aurelius Cotta, de quo Cicero* III. *de Oratore:* C. Cotta, quem ille (*Crassus*) florentem reliquerat, paucis diebus post mortem Crassi depulsus per inuidiam Tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus eiectus è ciuitate est. *Adde eumdem Ciceronem, in Bruto. Marianis temporibus hæc euenerunt.*

203. REDVCEM, ET FLORENTEM.] *Restituit lege latâ Sulla victor, cum alijs. Ipse Cotta, in Fragmentis Sallustianis:* Vos Quirites rursus mihi patriam, Deos penates, cum ingenti dignitate dedistis, *Dignitate, nam & Consul fuit anno Vrbis* DCLXXVI. *triumphalis etiam futurus, nisi mors intercepisset, Ciceroni scriptum in Pisonem.*

204. NOTA SVBIVIT.] *Alij libri,* subruit: *stantem euertit.*

205. VINCERE, QVAM.] *Suprà, cap.* III. Constitui vincere dolorem tuum, non circũscribere.

206. LIBERALIA STVDIA.] *Maximè Philosophiam, quæ propriè meretur hoc nomen.*

207. ANTIQVVS RIGOR.] *Suprà, hoc ipso cap.* in antiquâ & seuerâ institutam domo.

208. PATER MEVS.] *Delenda videntur, & antè iam posuit.*

209. QVAM IMBVI.] *Perfundi & tingi hîc valet: alibi aliter.*

210. PROPTER ISTAS.] *Recepti tunc moris, vt fæminæ plerisque artibus instituerentur, etiam maritæ: sed cum plurium, ad amores aut delicias, abusu.*

ostendere. Respice [211] fratres meos: quibus saluis, fas tibi non est accusare fortunam. in A
vtroque habes quod te diuersâ virtute delectet: [212] alter honores industriâ consecutus
est, [213] alter sapienter contempsit. Acquiesce alterius filij dignitate, alterius quiete, vtriusque pietate. noui fratrum meorum intimos affectus. alter in hoc dignitatem excolit, vt
tibi ornamento sit: alter in hoc se ad tranquillam quietamque vitam recepit, vt tibi vacet. Benè liberos tuos & in auxilium, & in oblectamentum, fortuna disposuit: potes alterius dignitate defendi, alterius otio frui. Certabunt in te officijs: & vnius desiderium,
duorum pietate supplebitur. Audacter possum promittere: nihil tibi deerit, [214] præter
numerum. Ab his ad nepotes quoque respice. [215] Marcum blandissimum puerum, ad
cuius conspectum nulla potest durare tristitia: nihil tam magnum, nihil tam recens in
cuiusquam pectore fuerit, quod non circumfusus ille permulceat. Cuius non lacrimas
illius hilaritas supprimat? cuius non contractum solicitudine animum illius argutię solùant? quem non in iocos vocabit illa lasciuia? quem non in se conuertet, & abducet in-
fixum cogitationibus, illa neminem satiatura garrulitas? Deos oro, contingat hunc habe- B
re nobis superstitem. In me omnis fatorum crudelitas lassata consistat: [216] quicquid matri dolendum fuit, in me transierit: quicquid auiæ, in me. Floreat reliqua in suo statu
turba: nihil de orbitate, nihil de conditione meâ querar. Fuerim tantùm, nihil ampliùs
dolituræ domus [217] piamentum. Tene in gremio tuo citò tibi daturam pronepotes
[218] Nouatillam: quam sic [219] in me transtuleram, sic mihi adscripseram, vt possit videri,
quòd me amisit, quamuis saluo patre, pupilla. hanc & pro me dilige. Abstulit illi nuper fortuna matrem: tua potest efficere pietas, vt perdidisse se matrem doleat tantùm,
non & sentiat. Nunc mores eius compone, nunc formam: altiùs præcepta descendunt,
quæ teneris imprimuntur ætatibus. Tuis assuescat sermonibus: ad tuum fingatur arbitrium. multum illi dabis, etiam si nihil dederis præter exemplum. Hoc iam tibi sollemne officium, pro remedio erit. non potest animum piè dolentem à solicitudine auertere, nisi aut ratio, aut honesta occupatio. Numerarem inter magna solatia [220] patrem
quoque tuum, nisi abesset. nunc tamen ex affectu tuo, quid illius interfit, cogita: intelli- C
ges, quanto iustius sit, te illi seruari, quàm [221] mihi impendi. quoties te immodica vis
doloris inuaserit, & sequi se iubebit, patrem cogita. cui tu quidem tot nepotes pronepotesque dando, effecisti [222] ne vnica esses: consummatio tamen ætatis actæ feliciter, in te
XVII. vertitur. Illo viuo, nefas est te, quòd vixeris, queri. Maximum adhuc solatium
tuum tacueram, sororem tuam: illud fidelissimum pectus tibi, in quod omnes curę tuæ
pro indiuiso transferuntur, illum animum omnibus nobis maternum. Cum hac tu lacrimas tuas miscuisti, in huius primùm [223] respirasti sinu. Illa quidem affectus tuos sem-

211. FRATRES MEOS.] *Nouatum, & Melam, qui tecum nunc Romæ.*

212. ALTER HONORES.] *Nouatus, siue ex adoptione, Iunius Gallio.*

213. ALTER SAPIENTER.] *Mela, Lucani pater. Vide Tacitum extremo Annali* XVI.

214. PRÆTER NVMERVM.] *Sic ad Marciam, cap.* IV. Tiberij pietas efficiebat, vti nihil sibi, nisi numerum, deesse sentiret.

215. MARCVM BLAND. PVERVM.] *Est sanè ipsius filius, etsi video esse qui ambigant. Ex Epigrammate appâret:*

Sic Marcus, dulci qui nunc sermone fritinnit,
Facundo patruos prouocet ore duos.

Sed & verba & vota, quæ hîc sunt, patrem & eius affectum clamant.

216. QVIDQVID MATRI.] *Vxori, tunc etiam viuæ, vt apparet. Quæ tamen illa, nescio: nam Paullinam posteà sanè duxerit. de quâ re in Vitâ videbimus. Sed viuebat igitur tunc Marcus, etsi alium filiolum amiserat paullò ante exsilium, de quo suprà cap.* II. *& aspicit statim fortasse, cùm dicit*: Nihil de orbitate meâ. *Etsi referri hoc eò potest, quòd patriâ & parentibus esset orbus.*

217. PIAMENTVM.] Κάθαρμα, *& piacularis victima.*

218. NOVATILLAM.] *Nouati filiam.*

219. IN ME TRANSTVLERAM.] *Adoptione? non opinor, sed affectu & curâ.* D

220. PATREM QVOQVE.] *Qui absens in Hisp.*

221. MIHI IMPENDI.] *Contradi, & erogari, vnà mecum perire. Super eo verbo vide Notas ad De Prouid. cap.* V.

222. NE VNICA ESSES.] *Itáne vnica? atqui statim, cap. sequenti* Sororem *illi donat. An igitur eâdem matre quidem, sed diuerso patre fuit? appâret: nisi quis contrà, eodem patre, sed non matre genitas velit. Nam suprà, cap.* II. Amisisti matrem statim nata, creuisti sub nouercâ. *Itaque pater aliam superduxit: & ex eâ si aliam genuit, potest tamen illi* Vnica *dici hæc nostra, respectu illius matris.*

CAP. XVII. 223. RESPIRASTI SINV.] *Vox*, sinu, *priscis libris abest: an ergo fuerit*, in huius primùm ore spirasti? *in adspectu eius & oculis.*

224. IN

A semper sequitur: in meâ tamen personâ, non tantùm pro te dolet. Illius manibus [224] in vrbem perlatus sum: illius pio maternoque [225] nutricio [226] per longum tempus æger conualui: illa [227] pro quæsturâ meâ gratiam suam extendit: & quæ ne sermonis quidem, aut claræ salutationis sustinuit audaciam, pro me vicit indulgentiâ verecundiam. Nihil illi seductum vitæ genus, nihil modestia, in tantâ feminarum petulantiâ, rustica, nihil quies, nihil secreti & otium repositi mores obstiterunt, quò minùs pro me etiam ambitiosa fieret. Hæc est, mater carissima, solatium, quo reficiaris: illi quantum potes te iunge, illius arctissimis amplexibus alliga. Solent mærentes, ea quæ maximè diligunt, fugere, & libertatem dolori suo quærere: tu ad illam te, & quicquid cogitaueris, confer. siue seruare [228] habitum istum voles, siue deponere, apud illam inuenies vel finem dolori tuo, vel comitem. Sed si prudentiam perfectissimæ feminæ noui, non patietur te nihil profuturo mærore consumi, & exemplum tibi suum, cuius [229] ego etiam spectator fui, narrabit. Carissimum virum amiserat, auunculum nostrum, cui virgo nupserat, in
B ipsâ nauigatione: tulit tamen eodem tempore & luctum, & metum, euictisque tempestatibus corpus eius [230] naufraga euexit. O quàm multarum egregia opera in obscuro iacent! Si huic illa simplex admirandis virtutibus contigisset antiquitas: quanto ingeniorum certamine celebraretur vxor, quæ oblita imbecillitatis, oblita etiam firmissimis metuendi maris, caput suum periculis pro sepulturâ obiecit, & dum cogitat de viri funere, nihil de suo timuit? Nobilitatur carminibus omnium, quæ se [231] pro coniuge vicariam dedit. hoc amplius est, discrimine vitæ sepulcrum viro quærere: maior est amor, qui pari periculo minus redimit. Post hoc nemo miratur, quòd [232] per sedecim annos, quibus maritus eius Ægyptum obtinuit, nunquam in publico conspecta est. neminem prouincialem domum suam admisit: nihil à viro petijt, nihil à se peti passa est. Itaque

224. In vrbem perlatvs.] *Nota, & gaudeat Hispania, natus igitur in eâ fuit: sed puer aut infans*
C *Romam latus. Faciunt verba*, manibvs, & perlatvs.

225. Nvtricio.] *Pro nutricatu, vt Columella.*

226. Per longvm tempvs.] *An sub Caligulâ, cùm tabescere visus? an & anteà? Nam pleraque eius ætas morbis obnoxia, vt alibi queritur.*

227. Pro qvæstvra.] *Sub Caio, opinor.*

228. Habitvm istvm.] *Lugubrem.*

229. Ego etiam spectator.] *Ergóne in Aegypto fuit? apparet. Adolescens scilicet sub Tiberio auunculum suum non quidem comitatus euntem est (neque enim tot annos hæsisse probabile est) sed agentem ibi, & sub finem Præfecturæ ac vitæ inuisit. Sanè* spectator *esse (vt hic palàm scribit) facti huius non potuit, nisi huic ex Aegypto redeunti adfuit, & vnà nauigauit.*

230. Navfraga evexit.] *Nondum naufra-*
D *ga, sed naufragio propinqua. Nam nauis* exarmauerat: *vt mox dicet. Ceterùm attollit, vt pleraque huius feminæ; in cuius laudes valdè est benignus.*

231. Pro conivge vicariam.] *Ea Alcestis fuit, poëtarum scriptis nobilitata.*

232. Per sedecim annos.] *Et mox hîc numerus repetitur, vt de errore non suspiceris. Quis tamen iste tamdiu Aegypto præfectus? quæri, vel Senecæ causâ, dignus, & quia auunculus ei adfinitate fuit. Credo me repperisse equidem, etsi Senecæ nusquam nominatum. Sed temporum ratio, & Præfectorum Aegypti obseruatio, manu ad verum & virum ipsum duxit. Primùm noto, euenisse ista ante Claudium, imò & Caium: quia ante Quæsturam Senecæ hic reditus. Ergo sub Tiberio: qui autem tunc Aegypti Præsides? Vnus fuit* Æmilius Rectus, *quem Dio nominat statim sub initia Tiberij, & qui* cùm huic Principi grandiorem solito summam pecuniæ ex Ægypto misisset: rescripsit bonus adhuc Tiberius, Tonderi se oues suas, non deglubi velle. *Hæc Dio, inter Acta anni* dcclxviii. *id est, primo Tiberij anno. Aio nunc autem huic successisse mox in Præfecturâ* Vetrasium Pollionem: *atque illum esse, de quo hîc omnis sermo. Quo argumento? certo, quod Dio Cassius in Actis anni* dcclxxxv. *scribit:* Vetrasio Pollione, Ægypti præfecto, vitâ functo, Ibero cuidam Cæsariano liberto prouinciam ad tempus mandauit. *Ecce, mortuus ille Præfectus tali anno: ad quem iustè sunt* xvi. *anni, quos Seneca hîc notat, ab Aemilij Recti præfecturâ. Computa, reperies. Nota etiam, quòd* mortuum *dicat; in ipsâ nempe nauigatione, vt hîc noster. Successit autem ei* Iberus, *vt in Dione; aut potiùs* Seuerus, *vt ex Philone castigandum censeo. qui disertè scribit (contra Flaccum)* post Seueri obitum *(μετὰ τὴν Σεβήρου τελευτὴν)* Flaccum accepisse prouinciam, in sex annos. *At Dionis verba erant:* Κἀν τούτῳ Οὐηστασίου Πολίωνος, τῆς τῆς Αἰγύπτου ἄρχοντος τελευτήσαντος, Ἰβήρῳ τινὶ Καισαρίῳ χρόνον τινὰ τὸ ἔθνος ἐπέτρεψε. *Itaque litterula tantùm retrahenda est, & capiti vocis annectenda,* Σεβήρῳ. *Ille autem Seuerus non diu sanè præfuit, vix pauculos menses: ex ipso Philone, qui ait,* Flaccum quidem in sex annos prefectum, sed quinque tantùm annos Tiberium vixisse. *Ita est omnino. post Vetrasij mortem paullò plus quinque anni supersunt, & ex ijs menses aliquot Seuerus libauit. Quàm bellè hæc conueniunt? neque alius esse à Vetrasio per* sedecim annos *potuit. Neque mirum tot illos, sub Tiberio:* cuius moris fuit *(Taciti verba)* continuare imperia, ac plerosque ad finem vitæ in ijsdem exercitibus aut iurisdictionibus habere. *Hic ergo ille*

Itaque [233] loquax, & ingenioſa in contumelias præfectorum prouincia, in quâ etiam A
qui vitauerunt culpam, non effugerunt infamiam, velut vnicum ſanctitatis exemplum ſuſpexit: & quod illi difficillimum eſt, cui etiam periculoſi ſales placent, omnem verborum licentiam continuit: & hodie ſimilem illi, quamuis nunquam ſperet, ſemper optat. Multum erat, ſi per ſedecim annos illam prouincia probaſſet: plus eſt, quòd ignorauit. Hæc non ideò refero, vt eius laudes exſequar, quas [234] circumſcribere eſt, tam parcè tranſcurrere: ſed vt intelligas, magni animi eſſe fæminam. quam non ambitio, non auaritia, comites omnis potentię & peſtes, vicerunt: non metus mortis eam, [235] exarmata naui naufragium ſuum ſpectantem, deterruit, quò minus exanimi viro hærens, quæreret, non quemadmodum inde exiret, ſed quemadmodum efferret. Huic parem virtutem exhibeas oportet, & animum à luctu recipias, & id agas, ne quis te putet partus tui pœnitere. Ceterùm quia neceſſe eſt, cùm omnia feceris, cogitationes tamen tuas ſubinde ad me recurrere, nec quemquam nunc ex liberis tuis frequentiùs tibi obuerſari: non quia illi minùs cari ſint, ſed quia naturale eſt, [236] manum ſæpiùs ad id referre quod doleat: qua- B
lem me cogites, accipe. Lætum & alacrem, velut optimis rebus. ſunt autem optimæ, quum animus omnis cogitationis expers operibus ſuis vacat, & modò ſe [237] leuioribus ſtudijs oblectat, modò ad conſiderandam ſuam vniuerſíque naturam, veri auidus inſurgit. Terras primùm, ſitumque earum quærit. deinde condicionem circumfuſi maris, curſuſque eius alternos & recurſus: tunc quicquid inter cælum terraſque plenum formidinis interiacet, perſpicit, & hoc tonitribus, fulminibus, ventorum flatibus, ac nimborum niuiſque & grandinis iactu tumultuoſum ſpatium: tum peragratis humilioribus, ad ſumma prorumpit, & pulcherrimo diuinorum ſpectaculo fruitur, æternitatiſque ſuæ memor, in omne quod fuit, futurumque eſt omnibus ſæculis, vadit.

auunculus. Atqui non nominat vſquam Seneca. Non in his quidem libris, qui exſtant: quis ſcit, ſi in alijs? Nominat C. Balbillum, *Aegypti præfectum, perhoneſtè, Quæſt. Nat.* IV. *cap.* I. *At ille eſſe non poteſt, qui ſub Nerone demum prouinciam eam accepit. An idem cum noſtro eſt,* Triarius Pollio *in Plinij libro* XXXVI. *cap.* VII? *Non eſt. nam ille* Procurator *ibi (non Præfectus)* Claudij Cæſaris: *cùm iſte iamdiu viuere deſiiſſet. Addo, quòd meliores libri* Aſinium Pollionem *ſcribunt. Longior fui, ſed iuuit hoc eruiſſe.*

233. LOQVAX ET INGENIOSA.] *Herodianus lib.* IV. Ægyptij ſunt homines naturâ dicaces, & facti ad cauillos aut iocos dicendos. Iaciuntque in eos qui eminent multa, quæ ipſis gratioſa aut venuſta videntur, ſed mordent & pungunt in quos iaciuntur. *Talia alij de illis, nominatim Vopiſcus in Saturnino.*

234. CIRCVMSCRIBERE EST.] *In angustum gyrum includere, latè per ſe fuſas.*

235. EXARMATA NAVI.] *Armamentis ſpoliatâ. Notatum hodiè, mare cadauera ægrè ferre, & tempeſtates ſuboriri.* C

236. MANVM SÆPIVS.] *Ex Græco ſenario:*

Οἷσι τὶς ἀλγεῖ, κεῖσε καὶ τὴν χεῖρ' ἔχει:

Vbi dolor eſt, illic manum quis admouet.

Adde, quòd naturâ magis amemus miſeros. Auctor Thebaidos:

Quò cauſſa melior, ſorſque deterior trahit,
Inclinat animus, ſemper infirmo fauens.
Miſeros magis Fortuna conciliat ſuis.

Hoc mater inibi, ſimili affectu, dicit. Sed & noſter epiſt. LXVI. Parentum amor magis in ea, quorum miſeretur, inclinat.

237. LEVIORIBVS STVDIIS.] *Poëſi, & Philologiâ. Dixerit igitur aliquis, hîc eum poëtatum, & fortaſſe Medéam ſcripſiſſe. Hæc fortia: quàm aliter ad Polybium?*

L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ
LIBER DE CONSOLATIONE
AD POLYBIVM

ΑΚΕΦΑΛΟΣ.

B

ARGVMENTVM ET ORDO.

SCRIPTVM *in exsilio est, dum animo & corpore iacet (fatendum est, & scriptio clamat) anno circiter exsilij eius tertio. Nam palàm meminit* Britanniæ apertæ, *quod circa id tempus fuit. Polybius autem, inter præpotentes Claudij libertos,* A STVDIIS *titulum habuit, & Græcè Latineque dicas eruditum; ex laudibus quidem quas Seneca accumulat, eminenter. Solatur eum in fraternâ morte: & Dispositio tota latet, quia principium, & pluscula, desunt. In iis quæ sunt, hæc est. Negat dolendum in vnius morte, quoniam mundus ipse, & quidquid in eo, hac lege damnantur. Item, quia vanus dolor, & sine fructu. Tertiò, Natos nos esse ad tristia; eoque adsuescendum. Quartò, Voluntatem defuncti aduocat, illum nolle. Quintò, Constantiâ & exemplo præire aliis fratribus debere: quia persona illustris, & oculi in eam versi. Sextò, & à*
C *Studiis solatium petere vult, quæ semper adamauit. Hæc & talia vsque ad Cap.* XXXI. *Ab eo deinde Exempla spargit eorum, qui fortiter tulêre: inter hos (non sine vili adulatione) ipsius Cæsaris, quem & mirè laudat: & denique Polybium iterùm ad Studia & libros mittit, remedium in dolorem. Senecæ hoc scriptum esse, negare non licet: editioni destinatum ab eo, non arbitror. sed pro præsenti fortunâ abiectè & demissè scriptum, ad seruulum, heu, quot laudibus exornatum! Pudet, pudet: inimicus Senecæ fuit & gloriæ eius, quisquis vulgauit.*

EX CAPITE XX.

***[1] nostra corpora compares, firma sunt: si redigas ad condicionem naturæ omnia destruentis, & vnde edidit eódem reuocantis, caduca sunt. Quid enim immortale manus mortales fecerint? Septem illa miracula, & si qua his[2] multo mirabiliora sequen-
D tium annorum exstruxit ambitio, aliquando solo æquata visentur. Ita est. nihil perpetuum, pauca diuturna sunt. aliud alio modo fragile est: rerum exitus variantur: ceterum quicquid cœpit, & desinit. Mundo[3] quidam minantur interitum, & hoc vniuersum, quod omnia diuina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit, & in confusionem veterem tenebrasque demerget. Eat nunc aliquis, & singulas comploret animas: Carthaginis ac Numantiæ Corinthique cinerem, & si quid altius cecidit, lamentetur: cùm etiam hoc, quod non habet[4] quò cadat, sit interiturum. Eat aliquis, & fata tantum aliquando nefas ausura, sibi non peperciſſe conqueratur. Quis tam superbæ impotentisque arrogantiæ est, vt in hac naturæ necessitate omnia ad eumdem finem reuocantis, se vnum ac suos seponi velit: ruinæque, etiam ipsi mundo imminenti, aliquam domum subtrahat? Maximum ergo solatium est, cogitare id sibi accidisse, quod ante se passi sunt omnes, omnesque passuri: & ideò mihi videtur rerum natura, quod grauissimum fecit, commune fecisse, vt crudelitatem fati con- XXI.

ſolaretur æqualitas. Illud quoque te non minimùm adiuuerit, ſi cogitaueris nihil profuturùm dolorem tuum, nec illi quem deſideras, nec tibi. noles enim longum eſſe, quod irritum eſt. Nam ſi quicquam triſtitiâ [5] profecturi ſumus, non recuſo, quicquid lacrimarum fortunæ meæ ſuperfuit, tuæ affundere. inueniam etiam nunc, per hos [6] exhauſtos iam fletibus domeſticis oculos quod effluat, ſi modò id tibi futurum bono eſt. Quid ceſſas? conqueramur. atque adeò ipſe hanc [7] litem meam faciam. Iniquiſſima omnium iudicio fortuna, adhuc videbaris ab eo homine te continuiſſe, qui munere tuo tantam venerationem receperat, vt, quod rarò vlli contingit, felicitas eius effugeret inuidiam. Ecce eum dolorem illi, quem ſaluo Cæſare accipere maximum poterat, impreſſiſti: & cùm benè illum vndique circumiſſes, intellexiſti hanc partem tantummodò patêre ictibus tuis. Quid enim illi aliud faceres? pecuniam eriperes? [8] nunquam illi obnoxius fuit. nunc quoque quantum poteſt, illam à ſe abijcit, & in [9] tantâ felicitate acquirendi, nullum maiorem ex eâ fructum, quàm contemptum eius petit. Eriperes illi amicos? ſciebas tam amabilem eſſe, vt facilè in locum amiſſorum poſſet alios ſubſtituere. Vnum enim hunc ex his quos in Principali domo potentes vidi, cognouiſſe videor: quem omnibus amicum habere cùm expediat, magis tamen etiam libet. Eriperes illi bonam opinionem? ſolidior eſt hæc apud eum, quàm vt à te quoque ipsâ concuti poſſet. Eriperes bonam valetudinem? ſciebas animum eius liberalibus diſciplinis, quibus non innutritus tantùm, ſed innatus eſt, ſic eſſe fundatum, vt ſupra omnes corporis dolores emineret. Eriperes ſpiritum? quantulum nocuiſſes? longiſſimum illi ævum ingenij fama promiſit. Id egit ipſe, vt meliore ſui parte duraret, & compoſitis eloquentiæ [10] præclaris operibus, à mortalitate ſe vindicaret. Quamdiu fuerit vllus litteris honor, quamdiu ſteterit aut Latinæ linguæ [11] potentia, aut Græcæ gratia, vigebit cum [12] maxi-

A B

COMMENTARIVS.

C

CAP. XX. *Liber acephalus ſiue capite defectus, quod quiuis videt: ſed tantúſne hiatus, vt hic numerus præferi? Nam ita deſint* Capita XIX. *id eſt, plus alterâ libri parte: mihi non credendum. Imò verò, cùm rem conſidero, pauca requiri cenſeo: & pleraque in iſtis exſequi eum video, quæ ad plenam conſolationem. Vnde ergo is numerus tam grandis? dicam, quod rideas. Hic liber, in pleriſque ſcriptis, illi* De Breuitate vitæ *ſubiungitur, imò coniungitur, quaſi vnum idemq; ſcriptum ſit. Qui igitur diſpararunt, benè ſanè: ſed hoc non benè aut conſideratè, quòd numeros eoſdem tenuerunt Capitum, quibus connecti cum illo ſolet. Nam ecce,* XX. Caput, *vltimum eſt libelli dicti: ergo hîc conſequenter fecerunt ſtatim,* Caput XXI. *Error clarus: nec mutaui tamen. quid opus? & citationes nos fallant, quæ vulgò ſic conceptæ.*

1. NOSTRA CORP.] *De operibus magnis mirandiſq; locutus videtur: & illis, inquit, ſi corpora hæc compares caduca & fragilia, dicas firma illa eſſe. at non ſunt, ſi ad Naturæ communem legem. Variat tamen hæc lectio. & è quibuſdam eruas* Si vitæ noſtræ compares: *quod placeat.*

2. MVLTO MIRAB.] *Hoc ad Romana opera ſpectat: quæ verè ſuperarunt decantata illa ſpectacula.*

3. QVIDAM MINANTVR.] *Stoici, in ſuâ illâ ἐκπυρώσει ſiue* deflagratione mundi. *Vide* Quæſt. Nat. III. *cap.* XXVIII. *& me in Phyſiol.* II. *Diſſ.* XXII.

4. QVO CADAT.] *Nihil enim extra mundum. Sed vt ille canit,* In ſe magna ruunt.

CAP. XXI. 5. PROFECTVRI SVMVS.] *Nihil. & pulchrè Philemon:*

Εἰ τὰ δάκρυ' ἡμῶν, τοῖς κακοῖς ἦν φάρμακον,
Ἀεί θ' ὁ κλαύσας τἄπονεῖν ἐπαύετο,
Ἀλλαττόμεθ' ἂν δάκρυα, δόντες χρυσίον.
Νῦν δ' ἐπροσέχει τὰ πράγματ' οὐδ' ἀποβλέπει,
Ἐάν τε κλαίῃς, ἐάν τε μὴ, πορεύεται.
Τί δὴ ποιεῖς πλέον; οὐδέν. ἡ λύπη δ' ἔχει,
Ὥσπερ τὸ δένδρον τὸν καρπὸν, τὸ δάκρυον:

Si lacrimæ noſtræ medela ſint malis,
Semperque lugens miſeriam pellat ſuam;
Auro parandæ lacrimæ contrà ſient.
At nihil ad ipſas ipſa res conuertitur,
Fleaſque non fleaſque, iter pergit ſuum.
Quid ergo flendo plus facis? nihil, niſi vt
Fructum arbor affert, lacrimas dolor parit.

D

6. EXHAVSTOS IAM.] *Ita iacebas? vbi robur Seneca? vbi quæ ad matrem aliter ſcribis?* Lætum & alacrem, velut optimis rebus, me cogita. *Illa, an hæc, verba ſunt?*

7. LITEM MEAM.] *In me actionem & impendia eius recipiam. Tuo nomine agam.*

8. NVMQVAM ILLI.] *Credamus, & præſertim in liberto Claudÿ. qui omnes certatim aureos ſtoccos ab illâ pecude legebant.*

9. TANTA FELICITATE.] *Putarem,* facilitate.

10. PRÆCLARIS OPER.] *Infrà, cap.* XXVI. *&* XXXI.

11. POTENTIA.] *Benè. nam hæc imperabat.*

12. MAXI-

A [12] maximis viris: quorum se ingenijs vel [13] contulit, vel, si hoc verecundia eius recusat, [14] applicuit. Hoc ergo vnum excogitasti, quomodo illi maximè posses nocere. XXII.
Quo melior enim est quisque, hoc sæpiùs ferre te consueuit, sine vllo delectu furentem, & inter ipsa beneficia metuendam. Quantulum erat, tibi immunem ab iniuriâ præstare eum hominem, in quem videbatur indulgentia tua ratione certâ peruenisse, & non ex tuo more temerè incidisse? Adijciamus, si vis, ad has querelas, ipsius adolescentis interceptam inter prima incrementa indolem. Dignus fuit ille te fratre: tu certè eras dignissimus, qui nec ex indigno quidem quicquam doleres fratre. Redditur illi testimonium æquale omnium hominum. desideratur in tuum honorem, laudatur in suum: nihil in illo fuit, quod non libenter agnosceres. Tu quidem etiam minùs bono fratri fuisses bonus: sed in illo pietas tua idoneam nacta materiam, multo se liberiùs exercuit. Nemo potentiam eius iniuriâ sensit, nunquam ille [15] te fratrem vlli minatus est. Ad exemplum se [16] modestiæ tuæ formauerat, cogitabatque quantum tu & ornamentum tuorum es-
B ses, [17] & onus. Suffecit ille huic sarcinę. O dura fata, & nullis æqua virtutibus! antequam felicitatem suam nosset frater tuus, exemptus est. Parum autem me indignari scio: nihil est enim difficilius, quàm magno dolori paria verba [18] reperire. Iam nunc tamen si quid proficere possumus, conqueramur. Quid tibi voluisti tam iniusta, & tam violenta fortuna? Tam citò indulgentiæ tuæ te pœnituit? quæ ista crudelitas est, in medios fratres impetum facere, & tam cruentâ rapinâ concordissimam turbam imminuere, tam benè stipatum optimorum adolescentium domum, in nullo fratre degenerantem, turbare, & sine vllâ caussâ [19] delibare voluisti? Nihil ergo prodest innocentia ad omnem legem exacta, nihil antiqua frugalitas, nihil felicitatis summæ potentia summâ conseruata abstinentiâ, nihil sincerus & [20] putus litterarum amor, nihil ab omni labe mens vacans? Luget Polybius, & in vno fratre, quid de reliquis possit metuere, admonitus, etiam de ipsis doloris sui solatijs timet. [21] Facinus indignum! luget Polybius, & aliquid propitio dolet Cæsare. hoc sine dubio impotens fortuna captasti, vt ostenderes neminem contra te,
C ne à Cæsare quidem, posse defendi. Diutiùs accusare fata possumus, [22] mutare XXIII.
non possumus. stant dura & inexorabilia. nemo illa conuicio, nemo fletu, nemo caussâ mouet: nihil vnquam parcunt vlli, nec remittunt. Proinde parcamus lacrimis, nihil proficientibus. facilius enim nos illi dolor adijciet, quàm illum nobis reducet. Qui si nos torquet, non adiuuat, primo quoque tempore deponendus est: & ab inanibus solatijs, atque amarâ quadam libidine dolendi, animus recipiendus. Nam lacrimis nostris, ni ratio finem fecerit, fortuna non faciet. Omnes agedum mortales circumspice: larga vbique flendi, & assidua materia. alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat: alium ambitio nunquam quieta sollicitat: alius diuitias quas optauerat, metuit, & [23] voto laborat suo: alium solicitudo, alium labor torquet, alium semper vestibulum obsidens turba: hic habere se dolet liberos, hic perdidisse. Lacrimæ nobis deerunt, antequam caussę dolendi. Non vides qualem vitam nobis rerum natura promiserit, quæ primum nascentium [24] omen fletum esse voluit? Hoc principio edimur, huic omnis se-
D quen-

12. MAXIMIS VIRIS.] *Homero & Virgilio, quos è versâ in prosam orationem transfuderat. Vide capita iam dicta.*

13. CONTVLIT.] *Parem fecit, illâ versione: aut, parem se ostendit.*

14. APPLICVIT.] *Si non par, proximus & coniunctus. famæ illorum adhæsit.*

CAP. XXII. 15. TE FRATREM.] *Vt diceret, Fratri referam, & Frater hoc vindicabit.*

16. MODESTIÆ TVÆ.] *Ita verò. nam quæ maior modestia, quàm quòd* sæpè *(Suetonius ita scribit)* inter duos Consules ambulabat?

17. ET ONVS.] *Ad imitandum scilicet. & vt dignos se præberent tali fratre.*

18. REPERIRE.] *Meus liber*, rependere.

19. DELIBARE.] *Decerpere, minuere.*

20. PVTVS LITT.] *Ita Muretus, nec malè. at libri omnes*, tutus. *Itaque Pincianus*, sincerus ex toto, *faciebat.*

21. FACINVS INDIGNVM.] *Te inepta hæc scribere.*

CAP. XXIII. 22. MVTARE.] *Hæc tria verba adiecimus ex nostro libro, omnino germana.*

23. VOTO LABORAT.] *Torquetur eo, quod optauerat.*

24. OMEN FLETVM.] *Plinius:* Hominem tantùm nudum natali die abijcit ad vagitus statim & ploratum, nullumque animalium aliud pronius ad lacrimas, & has protinus vitæ principio. *Vide Consol. ad Marc. cap.* XI.

CAP.

quentium annorum ordo consentit: sic vitam agimus: ideoque moderatè id fieri de- A
bet à nobis. quod sæpè faciendum est: & respicientes, quantum à tergo rerum tristium immineat, si non finire lacrimas, at certè reseruare debemus. Nulli parcendum est rei magis quàm huic, cuius tam frequens vsus est. Illud quoque te non minimum adiuuerit, si cogitaueris, nulli minùs gratum esse dolorem tuum, quàm ei cui præstari videtur. Torqueri ille te aut non vult, aut non intelligit. nulla itaque eius officij ratio est, quod ei
XXIV. cui præstatur, si nihil sentit, superuacuum est: si sentit, ingratum. Neminem toto orbe terrarum esse, qui delectetur lacrimis tuis, audacter dixerim. Quid ergo? quem nemo aduersus te animum gerit, eum esse tu credis fratris tui, vt cruciatu tuo noceat tibi? [25] vt te velit abducere ab occupationibus tuis, id est, [26] à studio, & Cæsare? non est hoc simile veri. Ille enim indulgentiam tibi tanquam fratri præstitit, venerationem tanquam parenti, cultum tanquam superiori: ille desiderio tibi esse vult, tormento esse non vult. Quid itaque iuuat dolori intabescere: quem, si quis defunctis sensus est, finiri frater tuus cupit? De alio fratre, cuius incerta posset voluntas videri, omnia hæc du- B
biè ponerem, & dicerem: Siue te torqueri lacrimis nunquam desinentibus frater tuus cupit, indignus hoc affectu tuo est: siue non vult, [27] vtique inutilem dolorem dimitte. nec impius frater sic desiderari debet, nec pius sic velit. In hoc verò, cuius tam explorata pietas est, pro certo habendum est, nihil esse illi posse acerbius, quàm hic si tibi casus eius acerbus est, si te vllo modo torquet, si oculos tuos, indignissimos hoc malo, sine vllo flendi fine conturbat idem & exhaurit. Pietatem tuam tamen nihil æquè à lacrimis tam inutilibus abducet, quàm si cogitaueris, fratribus te tuis exemplo esse debere, fortiter hanc fortunæ iniuriam sustinendi. Quod duces magni faciunt, rebus affectis, vt hilaritatem de industriâ simulent, & aduersas res adumbratâ lætitiâ abscondant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur: id nunc tibi quoque faciendum est. Indue dissimilem animo tuo vultum, & si potes, proiice omnem ex toto dolorem: sin minùs, introrsùs abde & contine, ne appareat, & da operam, vt fratres tui te imitentur: qui honestum putabunt, quodcunque facientem viderint, ani- C
mumque ex vultu tuo sument. [28] Et solatium debes esse, & consolator illorum: non po-
XXV. teris autem horum mœrori obstare, si tuo indulseris. Potest & illa res à luctu te prohibere nimio, si tibi ipse renũtiaueris, nihil horum quæ facis posse subduci. Magnam tibi [29] personam hominum consensus imposuit: hæc tibi tuenda est. Circumstat te omnis ista consolantium frequentia, & in animum tuum inquirit, ac perspicit quantum roboris ille aduersus dolorem habeat, & vtrúmne tu tantùm rebus secundis dexterè vti scias, an & aduersas possis viriliter ferre. obseruantur oculi tui. Liberiora omnia sunt ijs, quorum affectus tegi possunt: tibi nullum secretum liberum est, in multâ luce fortuna te posuit. omnes scient, quomodo te in isto tuo gesseris vulnere: vtrúmne statim percussus [30] arma submiseris, an in gradu steteris. Olim te in [31] altiorem ordinem & amor Cæsaris extulit, & tua studia deduxerunt: nihil te plebeium decet, nihil humile. Quid autem tam humile ac muliebre est, quàm consumendum se dolori committere? Non idem tibi in luctu pari, quod tuis fratribus licet. multa tibi non permittit opinio de stu- D
dijs ac moribus tuis recepta: multum à te homines exigunt, multum exspectant. Si volebas tibi omnia licere; ne conuertisses in te ora omnium. nunc autem tibi præstandum est,

CAP. XXIV. 25. VT TE VELIT.] *Meus*, & priuatè velit. *quid sit, nescio.*

26. A STVDIO.] *Alludit ad munus eius. erat enim hic Polybius Principi suo* A studijs, *vt Suetonio dicitur, cap.* XXVIII. *Quod tamen non ita capiendum, vt libris modò cum Claudio vacauerit; sed imò* libellis & desiderijs hominum capiendis, disponendis, suggerendis. *quod infrà, cap.* XXVI. *dices.*

27. VTIQVE INVTILEM.] *Ab ingenio Mureti: Erasmus anteà*, vtrique inertem dolorem dimittite. *Meus & plerique scripti*, vtrique vestrum inhærentem dolorem? *quod Erasmianum illud firmet.*

28. ET SOLATIVM.] *Quod ex adspectu tuo capient.*

CAP. XXV. 29. PERSONAM.] *Meus & aliquot scripti*, partem. *quod si tenemus, ad Scænicas partes referam, quæ solent imponi.*

30. ARMA SVBM.] *A gladiatoribus, vti & sequens phrasis, de* gradu. *Videantur nostra Saturnalia.*

31. ALTIOREM ORDINEM.] *Palatinum. & Cæsarianus es.*

32. PRO-

A est, quantum [32] promisisti omnibus illis, qui opera ingenij tui laudant, qui describunt: quibus, cùm fortunâ tuâ opus non sit, ingenio opus est. Custodes animi tui sunt. nihil vnquam itaque potes indignum facere perfecti & eruditi viri professione, vt non multos admirationis de te suæ pæniteat. Non licet tibi flere immodicè: nec hoc tantummodò non licet, nec somnum quidem extendere in partem diei licet, aut à tumultu rerum in otium ruris, [33] gratiâ quietis confugere, aut assiduâ laborioſi officij statione fatigatum corpus [34] voluntariâ peregrinatione recreare, aut spectaculorum varietate animum detinere, aut ex tuo arbitrio diem disponere. [35] Multa tibi non licent, quæ xxvi.
humillimis & in angulo iacentibus licent. Magna seruitus est, magna fortuna. Non licet tibi quicquam arbitrio tuo facere. audienda sunt tot hominum millia, tot disponendi [36] libelli, tantus rerum ex orbe toto accurrentium congestus. Vt possit per ordinem suum principis maximi officium geri, [37] quieti animi est. Non licet tibi, inquam, flere: vt multos flentes audire possis: vt periclitantium, & ad misericordiam mitissimi Cæsa-
B ris peruenire cupientium lacrimæ [38] prosint, tibi tuæ afflictandæ sunt. [39] Hoc tamen etiam non in leuioribus remediis adiuuabit. cùm voles omnium rerum obliuiſci, cogita Cæsarem: vide quantam huius in te indulgentiæ fidem, quantam industriam debeas. intelliges non magis tibi incuruari licere, quàm illi, si quis modò est [40] fabulis traditus, cuius humeris mundus innititur. Cæsari quoque ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicauit, sibi eripuit: & siderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, numquam illi licet nec subsistere, nec quicquam suum facere. Ad quemdam itaque modum tibi quoque eadem necessitas iniungitur: non licet tibi ad vtilitates tuas, ad studia tua respicere. Cæsare orbem terrarum possidente, impartiri te nec voluptati, nec dolori, nec vlli rei potes: totum te Cæsari debes. Adijce nunc, quòd cùm semper prædices cariorem tibi spiritu tuo Cæsarem esse; fas tibi non est, saluo
C Cæsare, de fortunâ queri. Hoc incolumi, salui tibi sunt tui: nihil perdidisti: non tantùm siccos oculos tuos esse, sed etiam lætos oportet. In hoc tibi omnia sunt: hic pro omnibus est. Quod longè à sensibus tuis prudentissimis pijssimisque abest, aduersus felicitatem tuam parum gratus es, si tibi quicquam, hoc saluo, flere permittis. Monstrabo etiamnum, non quidem firmius remedium, sed familiarius. Si quando te domum receperis, tunc erit tibi metuenda tristitia. nam quamdiu numen tuum intueberis, nullum illa ad te inueniet accessum: omnia in te Cæsar tenebit: cùm ab illo discesseris, tunc, velut occasione datâ, insidiabitur solitudini tuæ dolor, & requiescenti animo tuo paullatim irrepet. Itaque non est, quod vllum tempus vacare patiaris à studijs. tunc tibi litteræ tuæ, tam diu ac fideliter amatæ, gratiam referant: tunc te illæ antistitem & cultorem suum vindicent: tunc Homerus & Virgilius, tam benè de humano genere meriti, quàm tu de omnibus & de illis meruisti, quos [41] pluribus notos esse voluisti quàm scripserant, multum tecum morentur. tutum id erit omne tempus, quod illis tuendum commi-
D seris.

32. PROMISISTI OMNIBVS.] *Meus liber*, omnes illi. *nec ambigo, quin tota clausula sic rescribenda & discernenda*. quantum promisisti. Omnes illi, qui o.i. t. l.q d. q. c. f. t.o. n. s. i. opus est, custodes animi tui sunt.

33. GRATIA QVIETIS.] *Vox* gratiâ *omnibus scriptis abest. possis legere*, in otium ruris quieti.

34. VOLVNTARIA.] *Placet mei libri scriptio*, voluptariâ.

CAP. XXVI. 35. MVLTA TIBI.] *Paris sententiæ habet* 1. De Clem. *cap.* VIII. *sed ad Principem, non eius seruum.*

36. LIBELLI.] *Quibus preces aut desideria continentur.*

37. QVIETI ANIMI EST.] *Spuria sunt. libri prisci*, principis maximi animo subijci erigendus (*alij*, exigendus) is est. *Non dubito legere*. disponendi libelli. Tantus rerum ex o. t. a. c. congestus vt possit per ord. suum P. m. animo subijci, erigendus ipse es. *aut cum Pinciano*, erigendus tuus est.

38. PROSINT.] *Meus*, possint.

36. HOC TAMEN.] *Clausula hæc in meo*: Hęc tamẽ etiamnunc leuioribus te remedijs adiuuabũt. *Vulgata placeat. vult hoc de Cæsare, non inter parua esse.*

40. FABVLIS TRAD.] *Meus & quidam, voce additâ*: traditus fauor. *Atlantem intellegi certum est, nec vltrà penetro.*

41. PLVRIBVS NOTOS.] *Ergo Homerum Latinè vertit, Virgilium Græcè, sed pedestri sermone: vt legi vterque & capi ab vtraque gente posset.*

42. MA-

seris. Tunc Cæsaris tui opera, vt per omnia sæcula domestico narrentur præconio, quan- A
tum potes compone. nam ipse tibi optimè formandi condendique res gestas, & [42] ma-
XXVII. teriam dabit, & [43] exemplum. Non audeo te vsque eò producere, vt fabellas quo-
que & Æsopeos [44] logos, [45] intentatum Romanis ingenijs opus, solitâ tibi venustate
connectas. difficile est quidem, vt ad hæc hilariora studia tam vehementer perculsus
animus, tam citò possit accedere: hoc tamen argumentum habeto iam corroborati eius,
& redditi sibi, si poterit se à seuerioribus scriptis ad hæc solutiora producere. In illis enim
quamuis ægrum eum adhuc, & secum reluctantem, [46] aduocabit ipsa rerum quas tra-
ctabit austeritas: hæc quæ remissâ fronte commentanda sunt, non feret, nisi cùm iam
sibi ab omni parte constiterit. Itaque debebis eum seueriore materiâ primùm exercere,
deinde hilariore temperare. Illud quoque magno tibi erit leuamento, si sæpè te sic in-
terrogaueris: [47] Vtrúmne meo nomine doleo, an eius qui decessit? Si meo, perit meæ in-
dulgentiæ iactatio, & incipit dolor, hoc vno excusatus, quòd honestus est, cùm ad vtili-
tatem respicit, à pietate desciscere. Nihil autem minùs bono viro conuenit, quàm in fra- B
tris luctu calculos ponere. Si illius nomine doleo; necesse est, alterutrum ex his duobus
esse iudicem. [48] Nam si nullus defunctis sensus est, euasit omnia frater meus vitæ in-
commoda, & in eum restitutus est locum, in quo fuerat antequam nasceretur, & expers
omnis mali, nihil timet, nihil cupit, nihil patitur. Quis iste est furor, pro eo me nunquam
dolere desinere, qui numquam doliturus est? Si est aliquis defunctis sensus; nunc animus
fratris mei, velut ex diutino carcere emissus, tandem sui iuris & arbitrij gestit, & rerum
naturæ [49] spectaculo fruitur, & humana omnia ex superiore loco despicit; diuina verò,
quorum rationem tamdiu frustrà quæsierat, propiùs intuetur. Quid itaque eius deside-
rio maceror, qui aut beatus, aut nullus est? beatum deflere, inuidia est: nullum, demen-
XXVIII. tia. An hoc te mouet, quòd videtur ingentibus, & cum maximè circumfusis, bo-
nis caruisse? cùm cogitaueris multa esse quæ perdidit, cogita plura esse quæ non timet.
Non ira eum torquebit, non morbus affliget, non suspicio lacesset, non edax & inimica
semper alienis processibus inuidia consectabitur, non metus solicitabit, non leuitas for- C
tunæ citò munera sua transferentis inquietabit. Si benè computes, plus illi remissum,
quàm ereptum est. Non opibus fruetur, non tuâ simul ac suâ gratiâ; non accipiet bene-
ficia, non dabit. Miserum putas quòd ista amisit, an beatum quòd non desiderat? mihi
crede, is beatior est, cui fortuna superuacua est, quàm is cui [50] parata est. Omnia ista bo-
na, quæ nos speciosâ, sed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaque
complura, ad quæ generis humani cæca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur,

cum

42. MATERIAM.] *Cùm tam ampla gesserit, geratq;*: Germaniam pacauerit, Britanniam aperiat, *Cap.* XXXII.

43. EXEMPLVM.] *Quippe ipse Claudius vtrâque linguâ Historias scripsit: Sueton. cap.* XLI. *&* XLIII.

CAP. XXVII. 44. LOGOS.] *Est qui* apologos *vellet, malè. Nam &* logi, fabulæ: *quod vel Plautus dicet.*

45. INTENTATVM ROM.] *Itáne intentatum? atqui Phædrus Tiberij libertus iam condiderat, & pulcherrimis versibus Latinos fecerat: qui extant. Sed enim è Thraciâ ille; hîc de* Romanis ingenijs *sermo. Quid tamen Polybius? nónne & ille inter Græcos aut exteros? nomen dicit.*

46. ADVOCABIT IPSA.] *Quidam*, auocabit: *nec malè. res enim seriæ in se intendunt eum & defigunt. Suspicabar etiam:* aduocabit ipsi. *id esset, iuuabit & patrocinabitur ei seueritas.*

47. VTRVMNE MEO NOMINE.] *Simile dilemma in Apuleio, De Philosophiâ*: Et quidem si de tali se caussâ discruciet, illam ægritudinem vel propter eum qui est emortuus suscipit, quasi in peiore sit parte: aut suâ gratiâ, quod tali necessitudine doleat se priuatum esse. Sed neque obiti caussâ lamentationes suscipi oportet, cùm sciamus illum, neque aliquid mali passum; & si fuerit bonæ voluntatis, etiam melioribus aggregatum. *Et plura vide.*

48. NAM SI NVLLVS.] *Et hoc dilemma in Platone, imò à Platone est. nam bellè tractatur in Apo-* D
logiâ, sub personâ Socratis: Duorum enim alterum mors est. Aut enim, tanquam nihil ea sit, ne sensum quidem vllius rei mortuus habet: aut, vt dici solet, mutatio quædam est & commigratio animæ, è loco isto in locum alium. Quòd si nullus sensus est, sed tanquam somnus quidam profundus; in quo nec somnium quidem vllum cernas; admirabile bonum in morte est. Sin autem transmigratio est, & in eum locum vbi vnà omnes mortui sunt: quod maius isto bonum obtingere, ô iudices, potest? *Hæc pauca reddidi: plura, qui volet, videto.*

49. SPECTACVLO.] *Iunge quæ sunt paria, Epist.* CII. *sub finem, & Consol. ad Marc. cap.* XXV.

CAP. XXVIII. 50. PARATA.] *Fauens ac prompta. Editis libris*, parta.

51. STAN-

A cum inuidiâ conſpiciuntur: eoſque ipſos quos exornant, & premunt: plus minantur, quàm proſunt. Lubrica & incerta ſunt: numquam benè tenentur. nam vt nihil de tempore futuro timeatur, ipſa tamen magnæ felicitatis tutela ſolicita eſt. Si velis credere altiùs veritatem intuentibus, omnis vita ſupplicium eſt. In hoc profundum inquietúmque proiecti mare, alternis æſtibus reciprocum, & modò alleuans nos ſubitis incrementis, modò maioribus damnis deſerens, aſſidueque iactans, numquam ſtabili conſiſtimus loco: pendemus & fluctuamur, & alter in alterum illidimur; & aliquando naufragium facimus, ſemper timemus. In hoc tam procelloſo, & in omnes tempeſtates expoſito mari nauigantibus, nullus portus niſi mortis eſt. Ne itaque inuideris fratri tuo: quieſcit. tandem liber, tandem tutus, tandem æternus eſt: ſuperſtitem Cæſarem, omnemque eius prolem, ſuperſtitem te cum omnibus habet fratribus. Antequam quicquam ex ſuo fauore fortuna mutaret, [51] ſtantem adhuc illam; & munera plenâ manu congerentem reliquit. Fruitur nunc aperto & libero cælo, ex humili atque depreſſo in
B eum emicuit locum, quiſquis ille eſt, qui ſolutas vinculis animas beato recipit ſinu: & nunc liberè vagatur, omniaque rerum naturæ bona cum ſummâ voluptate perſpicit. Erras. non perdidit lucem frater tuus, ſed ſecuriorem ſortitus eſt. omnibus illò nobis commune eſt iter. Quid fata deflemus? non reliquit ille nos, ſed anteceſſit. Eſt, mihi crede, magna felicitas in ipsâ felicitate moriendi. Nihil ne in totum quidem diem certi eſt. quis in tam obſcurâ & inuolutâ veritate diuinat, vtrúmne fratri tuo mors [52] inuiderit, an [53] conſuluerit? Illud quoque, quâ iuſtitiâ in omnibus rebus es, neceſſe eſt te adiuuet cogitantem, non iniuriam tibi factam, quòd talem fratrem amiſiſti, ſed beneficium datum, quòd tamdiu pietate eius tibi vti fruique licuit. Iniquus eſt, qui muneris ſui arbitrium danti non relinquit: auidus, qui non lucri loco habet quod accepit, ſed damni, quod reddidit. Ingratus eſt, qui iniuriam vocat finem voluptatis: ſtultus, qui nullum fructum eſſe putat bonorum, niſi præſentium. qui non & in præteritis acquieſcit, & ea iudicat [54] certiora quæ abierunt, quia de illis ne deſinant, non eſt timendum.
C Nimis anguſtat gaudia ſua, qui eis tantummodò quæ habet ac videt, frui ſe putat, & habuiſſe eadem pro nihilo ducit. citò enim nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit & tranſit, & pænè antequam veniat, aufertur. Itaque in præteritum tempus animus mittendus eſt, & quicquid nos vnquam delectauit, reducendum, ac frequenti cogitatione pertractandum eſt. Longior fideliorque eſt memoria voluptatum, quàm præſentia. Quòd habuiſti ergo optimum fratrem, in ſummis bonis pone. Non eſt quòd cogites, quanto diutiùs habere potueris, ſed quamdiu habueris. Rerum natura illum tibi ſicut ceteris fratribus, [55] non mancipio dedit, ſed commodauit: cùm viſum eſt deinde, repetijt, nec tuam in eo ſatietatem ſecuta eſt, ſed ſuam legem. Si quis pecuniam creditam ſoluiſſe ſe moleſtè ferat, eam præſertim cuius vſum gratuitum acceperit, nónne iniuſtus habebitur? Dedit natura fratri tuo vitam, dedit & tibi: quæ ſuo iure vſa, à quo voluit, debitum ſuum citiùs exegit. non illa in culpa eſt, cuius nota erat condicio, ſed mortalis animi ſpes auida, quæ ſubinde quid rerum natura ſit obliuiſcitur, nec vnquam ſortis
D ſuæ meminit, niſi cùm admonetur. Gaude itaque habuiſſe te tam bonum fratrem, & vſum fructum eius, quamuis breuior voto tuo fuerit, boni conſule. Cogita iucundiſſimum eſſe, quòd habuiſti: humanum, quòd perdidiſti. Nec enim quicquam minùs inter ſe conſentaneum eſt, quàm aliquem moueri, quòd ſibi talis frater parùm diu contigerit: non gaudere, quòd tamen contigerit. At inopinanti ereptus eſt. Sua quemque credulitas decipit: & in eis quæ diligit, voluntaria mortalitatis obliuio. Natura nulli ſe neceſſitatis ſuæ gratiam facturam eſſe teſtata eſt. Quotidie prẹter oculos noſtros tranſeunt

noto-

Non benè diſtuleris, videas quæ poſſe negari,
Et ſolum hoc ducas, quod fuit, eſſe tuum.

Adde De Benef. III. *cap.* IIII. De Vitâ beat. *cap.* VI.

51. STANTEM ADHVC.] *Nondum ſe auertentem & abeuntem.*

CAP. XXIX. 52. INVIDERIT.] *Bonis erepto.*

53. CONSVLVERIT.] *Malis ſubducto.*

54. CERTIORA QVÆ.] *Martialis* I.

55. NON MANCIPIO.] *Lucretius*: Vitaque mancipio nulli datur, omnibus vſu.

notorum ignotorumque funera: nos tamen aliud agimus, & subitum id putamus esse, A
quod nobis totâ vitâ denunciatur futurum. Non est itaque ista fatorum iniquitas, sed
mentis humanæ prauitas, insatiabilis rerum omnium: quæ indignatur inde se exire,
XXX. quò admissa est precariò. Quanto [56] ille iustior, qui nuntiatâ filij morte, dignam
magno viro vocem emisit? *Ego cùm genui, tum moriturum sciui.* Prorsus non mireris ex hoc
natum esse, qui fortiter mori posset. Non accepit tanquam nouum nuntium, filij mor-
tem: quid est enim noui, hominem mori, cuius tota vita nihil aliud quàm ad mortem
iter est? *Ego cùm genui, tum moriturum sciui.* Deinde adiecit rem maioris & prudentiæ &
animi: [57] *Huic rei sustuli.* Omnes huic rei tollimur: quisquis ad vitam editur, ad mor-
tem destinatur. Gaudeamus ergo omnes eo quod datur, reddamusque id cùm reposce-
mur. alium alio tempore fata comprehendent, neminem præteribunt. [58] In procinctu
stet animus: & id quod necesse est, numquam timeat: quod incertum est, semper exspe-
ctet. Quid dicam duces, ducúmque progenies, & multis aut consulatibus conspicuos,
aut triumphis, forte defunctos inexorabili? tota cum regibus regna, populique cum gen- B
tibus tulere fatum suum. Omnes, imò omnia in vltimum diem spectant. non idem
vniuersis finis est. Alium in medio cursu vita deserit, alium in ipso aditu relinquit, alium
in extremâ senectute fatigatum iam & exire cupientem vix emittit: alio quidem atque
alio tempore, omnes tamen in eumdem locum tendimus. Vtrúmne stultius sit nescio,
mortalitatis legem ignorare, an impudentius, recusare. Agedum illa quæ multo ingenij
tui labore celebrata sunt, in manus sume, [59] vtriuslibet auctoris carmina: quæ tu ita
[60] resoluisti, vt quamuis structura illorum recesserit, permaneat tamen gratia. Sic enim
illa ex aliâ linguâ in aliam transtulisti, vt (quod difficillimum erat) omnes virtutes in
alienam te orationem secutæ sunt. Nullus erit in illis scriptis liber, qui non plurima va-
rietatis humanæ incertorumque casuum & lacrimarum, ex aliâ atque aliâ caussâ fluen-
tium, exempla tibi suggerat. Lege, quo spiritu ingentibus intonueris rebus: pudebit te
subitò deficere, & ex tantâ orationis magnitudine decidere. Ne commiseris, vt quisquis C
[61] extemplò ac modò scripta tua mirabatur, quærat quomodo tam grandia, tamque so-
lida, tam fragilis animus conceperit. Potiùs ab istis quæ te torquent, ad hæc tot & tanta
quæ consolantur, conuerte, ac respice optimos fratres, respice vxorem, filium respice. Pro
omnium horum salute, hac tecum portione fortuna decidit. Multos habes in quibus
XXXI. acquiescas. Ab hac te infamiâ vindica, ne videatur omnibus plus apud te valere
vnus dolor, quàm hæc tam multa solatia. Omnes istos vnà tecum perculsos vides, nec
posse tibi subuenire, imò etiam vltrò exspectare, vt à te subleuentur, intelligis: & ideò
quanto minus in illis doctrinæ minusque ingenij est, tanto magis resistere te necesse est
communi malo. Est autem hoc ipsum solatij loco, inter multos dolorem suum diuide-
re: qui quia dispensatur inter plures, exiguâ debet apud te parte subsidere. Non desi-
nam totiens tibi offerre Cæsarem. illo moderante terras, & ostendente, quanto meliùs
beneficijs imperium custodiatur, quàm armis, illo rebus humanis præsidente, non est
periculum, ne quid perdidisse te sentias. in hoc vno tibi satis præsidij, satis solatij est. At-
tolle te, & quotiens lacrimæ suboriuntur oculis tuis, totiens illos in Cæsarem dirige:
siccabuntur maximi & clarissimi conspectu [62] numinis. Fulgor eius illos, vt nihil aliud D
pos-

CAP. XXX. 56. ILLE IVSTIOR.] *De Anaxagorâ statim subeat intellegi. quem Cicero, Valerius, Diogenes, totidem verbis, nuntiatâ filij morte, faciunt respondisse*, Sciebam genuisse mortalem. *Sed è sequentibus tamen magis est de Xenophonte capi. Nam subdit:* ex hoc natum esse, qui fortiter mori posset: *fortem scilicet è viro forti: at de Anaxagoræ filij gloriosâ morte nihil equidem legi. Benè de Xenophontis. cuius* Gryllus *fortiter dimicans inter equites occubuit. In eo facto Diogenes*: Sunt qui illum *(Xenophontem)* nec lacrimasse quidem dicunt, sed tantùm dixisse, Sciebam genuisse mortalem.

57. HVIC REI SVSTVLI.] *Non dixit ipse, sed è verbis eius colligit, atque addit.*

58. IN PROCINCTV.] *Paratus ad hanc pugnam.*

59. VTRIVSLIBET.] *Homeri siue Virgilij.*

60. RESOLVISTI.] *Nota ergo, in pedestrem sermonem vertisse, vt dixi.*

61. EXTEMPLÒ AC MODÒ.] *Meus liber*, exemplo. *& incidebat legere*, quisquis sine exemplo.

CAP. XXXI. 62. NVMINIS.] *Fortasse & luminis, è sequentibus. Etsi hæc omnia plena humillimæ & fœdissimæ adulationis.*

63. COM-

A possint aspicere, præstringet, in se hærentes detinebit. Hic tibi, quem tu diebus intueris ac noctibus, à quo numquam deijcis animum, cogitandus est, hic contra fortunam aduocandus: nec dubito, cùm tanta illi aduersus omnes suos sit mansuetudo, tantaque indulgentia, quin multis iam solatijs tuum istud vulnus obduxerit, nonnulla quæ dolori obstarent tuo congesserit. Quid porrò? vt nihil horum fecerit, nónne protinus ipse conspectus per se tantummodò, cogitatusque Cæsar, maximo solatio tibi est? Dij illum Deæque omnes terris diu [63] commodent. acta hic D. Augusti, [64] & annos vincat, [65] ac, quamdiu mortalis erit, nihil ex domo suâ mortale esse sentiat. Rectorem Romano imperio filium [66] longâ fide approbet, & ante illum consortem [67] patris, quàm successorem accipiat. Sera, [68] & nepotibus demum nostris dies nota sit, quâ illum [69] gens sua cælo [70] asserat. Abstine ab hoc manus tuas fortuna, nec in isto potentiam tuam, nisi eâ xxxii. parte quâ prodes, ostenderis. patere illum generi humano iam diu ægro & affecto [71] mederi: patere, quicquid [72] prioris Principis furor concussit, in locum suum restituere ac
B reponere. [73] Sidus hoc, quod præcipitato in profundum, ac demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat. Hic [74] Germaniam pacet, [75] Britanniam aperiat, & [76] patris triumphos ducat, & nouos: quorum me quoque spectatorem futurum, quæ primum obtinet locum ex virtutibus eius, promittit clementia. nec enim sic me deiecit, vt nolleterigere: imò ne deiecit quidem, sed impulsum à fortunâ & cadentem sustinuit, & in præceps euntem leniter diuinæ manus vsus moderatione deposuit. Deprecatus est pro me senatum, & vitam mihi non tantùm dedit, sed [77] etiam petijt. Viderit, qualem [78] volet æstimari caussam meam. vel iustitia eius bonam perspiciet, vel clementia faciet. vtrumque in æquo mihi eius beneficium erit, siue [79] innocentem me scierit esse, siue voluerit. Interim

63. COMMODENT.] *Meus & aliquot scripti,* commendent. *Præfero tamen vulgatum. quasi dicat, Dij illum à se & suo cœtu profectum, velut commodato generi humano dent, mox recepturi.*

C 64. ET ANNOS.] *Nic. Faber seriò bonus doctusq; vir, è suis libris probabat:* Acta hic D. Augusti æquet, annos vincat: *idem ego.*

65. AC QVAMDIV.] *Meus hîc plenior:* ac faciant, vt quamdiu inter mortales erit. *Imò & hoc melius pro totâ istâ adulatione, neque enim* mortalem *eum vult dicere (Deum & numen) sed* inter mortales *esse:* commodatum *scilicet, vt antè.*

66. LONGA FIDE.] *Quia diu nimirum cum ipso imperaturus.*

67. PATRIS.] *Volebam olim,* pater: *sed & ex vulgatâ idem elicias. Sensus est. Britannicus cum sene patre, iam ipse grandis, imperet: & sit consors & collega imperij, non successor. Successor enim non nisi mortui, aut pulsi.*

68. ET NEPOTIBVS.] *Quò is homo? vis tu illum*
D *triplex æuum, cum Nestore aliquo, viuere? Nam Claudius hoc tempore supra quinquagesimum annum agebat. Poëtica omnino adulatio.*

69. GENS SVA.] *Claudia & Imperatoria stirps. nam præsagit illi grandem posteritatem.*

70. ASSERAT.] *Non inferat, sed asserat illatum.* asserat, *consecratione.*

CAP. XXXII. 71. MEDERI.] *Ita sanè, sed chirurgiâ & missione sanguinis. Quis nescit eius sæuitias & cædes?*

72. PRIORIS.] *Caij Caligulæ.*

73. SIDVS HOC.] *Ita Q. Curtius de eodem (vt mea opinio est)* Iure populus Ro. salutem se Principi suo debere profitetur, qui noctis, quam pænè supremam habuimus, nouum sidus illuxit. Huius herclè, non solis ortus, lucem caliganti reddidit mundo: *& plura lib.* X. *quæ simillima his Senecæ: imò dicas ab alterutro transsumpta.*

74. GERMANIAM.] *Referendum ad ea quæ primo anno imperij eius in Germaniâ gesta, ductu legatorum, Seruij Galbæ & P. Gabinij. quorum ille Cattos, iste Marsos vicit, atque aquilam reciperauit clade Varianâ amissam. Eo vtroque nomine* Imp. iterùm *Claudius appellatus: anno* DCCXCIIII. *quo ipso in exsilium Seneca pulsus, vt Dio scribit.*

75. BRITANNIAM AP.] *Nondum ergo plenè vicerat, sed iam in eo erat. Notetur, vt de tempore liqueat huius scripti. Aperire Britanniam cœpit tertio imperij anno, misso in eam A. Plautio: atq; ipse anno pòst secutus perdomuit, & de eâ triumphauit. Scripserit igitur hæc Seneca tertio circiter exsilij sui anno, sed ordiente.*

76. PATRIS.] *Meus & alij,* patrios. *quod malim. De Germanicis triumphis capiendum, qui velut debiti erant Druso Germanico, nisi mors anteueniisset.*

77. ETIAM PETIIT.] *Ah miser Seneca! etiam innocens de damnatione gratularis, imò pænè gratias agis? Pro more temporum. quo Principes, quos euertebant, volebant videri tamen à se subleuatos, à Senatu autem impulsos. In Taciti Annalibus pluscula exempla. vt illud de Libone, lib.* II. Iurauitque Tiberius petiturum se vitam, quamuis nocenti, nisi voluntariam mortem properauisset. *Huc & Domitiani verba faciunt apud Sueton. cap.* XI.

78. VOLET ÆSTIMARI.] *Aliter Erasmus. meus autem:* volet esse, & existimet. *Probem, sed legam* æstimet. *hoc sensu, Videat qualem volet esse caussam meam, per se, an ab ipso bonam: æstimet tantùm eam & inspiciat.*

79. INNOCENTEM ME.] *Es ô magne vir, meâ quidem tabellâ. Et verò si palam eius criminis conuictus, si non à Messallinâ hæc scæna: quomodo tam liberè hîc innocentem se proclamet?*

terim magnum miſeriarum mearum ſolatium eſt, videre miſericordiam eius totum or- A
bem peruagantem: quæ cùm ex ipſo angulo, in quo ego [80] defoſſus ſum, complures multorum iam annorum ruinâ obrutos effoderit, & in lucem reduxerit, non vereor ne me vnum tranſeat. Ipſe autem optimè nouit tempus, quo cuique debeat ſuccurrere: ego omnem operam dabo, ne peruenire ad me erubeſcat. O felicem [81] clementiam tuam Cæſar! quæ efficit, vt quietiorem ſub te agant vitam exſules, quàm nuper ſub Caio egere [82] principes. Non trepidant, nec per ſingulas horas gladium exſpectant, nec ad omnem nauium conſpectum pauent. Per te habent, vt fortunæ ſæuientis modum, ita ſpem quoque melioris eiuſdem, ac præſentis quietem. Scias licet [83] ea demum fulmi-
XXXIII. na eſſe iuſtiſſima, quæ etiam percuſſi colunt. Hic itaque princeps, qui publicum omnium hominũ ſolatium eſt, aut me omnia fallunt, aut iam recreauit animum tuum, & tam magno vulneri maiora adhibuit remedia: iam te omni confirmauit modo: iam omnia exempla, quibus ad animi æquitatem compellereris, [84] tenaciſſimâ memoriâ retulit: iam omnium præcepta ſapientum aſſuetâ ſibi facundiâ explicuit. Nullus itaque B
meliùs has alloquendi partes occupauerit. aliud habebunt hoc dicente pondus verba, velut ab oraculo emiſſa. omnem vim doloris tui diuina eius contundet auctoritas. Hunc itaque tibi puta dicere: Non te ſolùm fortuna deſumpſit ſibi, quem tam graui afficeret iniuriâ. nulla domus in toto orbe terrarum aut eſt, aut fuit ſine aliquâ comploratione. Tranſibo exempla vulgaria, quæ etiam ſi minora, tamen [85] mira ſunt: ad faſtos te, & annales perducam publicos. Vides omnes has imagines, quæ impleuere Cæſareum [86] atrium? nulla non harum aliquo ſuorum incommodo inſignis eſt: nemo non ex iſtis, in ornamentum ſæculorum refulgentibus viris, aut deſiderio ſuorum tortus eſt, aut à ſuis cum maximo animi cruciatu deſideratus eſt. Quid tibi referam Scipionem Africanum, cui [87] mors fratris [88] in exſilio nuntiata eſt? Is frater qui eripuit fratrem carcere, non potuit eripere fato: & quàm [89] iuris æqui impatiens pietas Africani fuerit, cunctis apparuit. eodem enim die, quo [90] viatoris manibus fratrem abſtulerat, [91] tribuno quoque plebis [92] priuatus interceſſit. tam magno tamen fratrem deſiderauit hic animo, quàm C
defenderat. Quid referam [93] Æmilianum Scipionem, qui vno pænè eodemque tempore, ſpectauit patris triumphum, duorumque fratrum funera? adoleſcentulus tamen, ac pro-

80. DEFOSSVS.] *Alÿ*, deſiſus *aut* defixus. *Illud melius, & qui remoti abductiq; à cœtu hominum ſunt, videntur mortui & in ſepulchrum dati. Ita* ad Marciam, *cap.* II. A ſollennibus officijs ſeducta, defodit ſe & abdidit. *Sed optimè in Epigrammate, de ſe ipſe*: Parce relegatis, hoc eſt, iam parce ſepultis.

81. CLEMENTIAM.] *Dÿ boni, quantam!* qui tam facilè homines occidebat, quàm canis exta edit: *vt tu, mutatione temporum, ſcripſiſti.*

82. PRINCIPES.] *Proceres, vt ſæpè. Nam Senatores aſſiduè ab eo timebant. Etſi is quoq; exſules interfecit. quod Sueton. breuiter, cap.* XXVIII. *& plura huic rei Philo Iudæus*, In Flaccum, *libello extremo.*

83. EA FVLMINA.] *Sic Ouidius & alÿ damnationes ſuas appellant. Artemidorus* fulmen in ſomnis viſum, damnationem portendere *dicit.* κατὰ γὰρ, *inquit*, τοὺς καταδικασθέντας, ἐν τῇ συνηθείᾳ, κεραυνοῦσθαι φαμέν: Nam damnatos, communi ſermone, fulmine ictos dicimus.

CAP. XXXIII. 84. TENACISSIMA MEMORIA.] *Nec in Menippæâ illâ ſuâ magis mimicè rideat. Ille memorioſus, qui vxorem iuſſam occidi, paullò pòſt requiſiuit? qui* multos ex ijs *(Suetonÿ verba)* quos capite damnauerat, poſtero die & in conſilium, & ad aleæ luſum iuſſit admoneri? *Et ſimile mox, de* facundiâ. *quem &* linguâ titubante *fuiſſe idem ſcribit*, ſpumante rictu, capite tremulo in quocumque actu.

85. MIRA SVNT.] *Vellem*, tamen innumera ſunt. *niſi quis putat Græciſſantẽ ſcripſiſſe*, myria *ſunt.*

86. ATRIVM.] *De toto ritu ſcripſi* I. *Elector. cap.* XXIX.

87. MORS FRATRIS.] *Imò verò ipſum antè obÿſſe, & mortuum deinde poſtulatum, ab Aſiatico fratre defenſum, alÿ tradiderunt. Liuius videndus libro* XXXVIII. *vbi de totâ re, & diſſenſu. Item Agellius* VII. *cap.* XIX.

88. IN EXSILIO.] *Quod voluntarium ſuſceperat, Linterni.*

89. IVRIS ÆQVI.] *Et paſſim hoc ab inimicis ei* D
obiectum: & res hic poſtulat ita legi. Nam facto ſuo violauit ius Tribunicium, & parum ciuilem ſe oſtendit. Alÿ edunt, impatiens iniuriæ.

90. VIATORIS MANIBVS.] *Liuius:* Repuliſſe à corpore fratris viatorem, & Tribunis retinentibus, magis piè quàm ciuiliter, vim feciſſe.

91. TRIBVNO QVOQVE.] Tribunis, *ex Liuio & alÿs.*

92. PRIVATVS.] *Liuius:* Diſſolutam eſſe à priuato Tribuniciam poteſtatem. *Quod autem præiuit*, eodem die *hæc geſta: non video quò ſpectet, aut efficiat. Non enim ſolùm eodem die, ſed ſtatim & eodem facto viatorem reppulit, Tribunos ſpreuit.*

93. ÆMILIANVM SCIP.] *Vide* Conſol. ad Marc. *cap.* XIII.

CAP.

A propemodum puer, tanto animo tulit illam familię ſuæ, ſuper ipſum Paulli triumphum concidentis ſubitam vaſtitatem, quanto debuit ferre vir in hoc natus, ne vrbi Romanæ aut Scipio deeſſet, aut Carthago ſupereſſet. Quid referam duorum Lucullorum xxxiv.
diremptam morte concordiam? Quid Pompeios? quibus ne hoc quidem ſæuiens reliquit fortuna, vt vnâ denique conciderent ruinâ. Vixit Sextus Pompeius, primùm [94] ſorori ſuperſtes, [95] cuius morte optimè cohærentis Romanæ pacis vincula reſoluta ſunt. Idemque vixit ſuperſtes [96] optimo fratri: quem fortuna in hoc erexerat, [97] ne minùs altè eum deijceret, quàm patrem deiecerat: & poſt hunc tamen caſum non tantùm dolori, ſed bello fuffecit. Innumerabilia vndique exempla ſeparatorum morte fratrum ſuccurrunt, imò contrà, vix vlla vnquam horum paria conſpecta ſunt, vnà ſeneſcentia: ſed contentus noſtræ domus exemplis ero. Nemo enim tam expers erit ſenſus ac ſanitatis, vt fortunam vlli queratur luctum intuliſſe: quam ſciet etiam Cæſarum lacrimas concupiſſe. Diuus Auguſtus amiſit Octauiam ſororem cariſſimam, & ne ei quidem rerum
B natura lugendi neceſſitatem abſtulit, cui cælum deſtinauerat: imò verò idem omni genere orbitatis vexatus, [98] ſororis filium ſucceſſioni præparatum ſuæ perdidit. Denique ne ſingulos eius luctus enumerem, & [99] generos ille amiſit, & [100] liberos, & nepotes: ac nemo magis ex omnibus mortalibus hominem eſſe ſe, dum inter homines erat, ſenſit. Tamen tot tantoſque luctus cepit rerum omnium capaciſſimum eius pectus, victorque diuus Auguſtus non gentium tantummodò externarum, ſed etiam dolorum fuit. Caius Cæſar, diui Auguſti [101] auunculi mei nepos, circa primos iuuentutis ſuæ annos [102] Lucium fratrem cariſſimum ſibi, princeps iuuentutis principem eiuſdem iuuentutis amiſit, in apparatu Parthici belli: & grauiore multò animi vulnere, quàm poſteà [103] corporis, ictus eſt: quod vtrumque pijſſimè idem, & fortiſſimè tulit. [104] Cæſar patruus meus, Druſum Germanicum patrem meum, minorem natu quàm ipſe erat fratrem, intima Germaniæ recludentem, & gentes ferociſſimas Romano ſubijcientem imperio, in complexu & [105] oſculis ſuis amiſit: modum tamen lugendi non ſibi tantùm, ſed etiam alijs
C fecit: ac totum exercitum, non ſolùm mæſtum, ſed etiam attonitum, [106] corpus Druſi ſui ſibi vindicantem, ad morem [107] Romani luctus redegit: iudicauitque non militandi tantùm diſciplinam eſſe ſeruandam, ſed etiam dolendi. Non potuiſſet ille lacrimas alienas cõpeſcere, niſi priùs preſſiſſet ſuas. M. Antonius auus meus, nullo minor niſi xxxv.

eo à

CAP. XXXIV. 94. SORORI SVPERSTES.] *Quæ fuit Pompeia, nupta Fauſto Sullæ, Dictatoris illius filio.*

95. CVIVS MORTE.] *Planè hîc nihil video. Si de Iuliâ id dixiſſet, quæ nouerca Sexto: benè & verè eſſet. de* Pompeiâ, *nihil extrico. Fuit quidem* Pompeia Sexti filia *(non ſoror) deſponſa, in pignus fidemq; pacis cum Triumuiris initæ, Marcello Octauiæ filio: ſed deſponſa, non deducta. neque de morte etiam legi. Itaque alius hæc illuſtret: aut noſter, μετεωρίζων*
D *ſcripſerit, vt plura.*

96. OPTIMO FRATRI.] *Cneio, qui in Hiſpaniâ cæſus.*

97. NE MINVS ALTE.] *Quæſita ſententiola, & falſa. Ille certè procul à faſtigio & dignitate paternâ. Quid dicam? & vniuerſa, & in partibus, hæc ſcriptio ſæpè parùm ſana, non ſolùm parùm decora, eſt.*

98. SORORIS FIL.] *M. Marcellum.*

99. GENEROS.] *Illum iam dictũ, deinde Agrippã.*

100. LIBEROS.] *Vnicam Iuliam habuit, atque ea patri ſuperuixit, à Tiberio demùm acta ad mortem. Potes & de adoptiuis hoc intellegere,* Caio & Lucio; *qui ydem ex Iuliâ nepotes.*

101. AVVNCVLI MEI.] *Magni auunculi. nam ex Octauiâ ſorore Auguſti nata Antonia, & hæc Claudij mater.*

102. LVCIVM.] *Qui Maßiliæ obijt.*

103. CORPORIS.] *A barbaro quodam percuſſus. Velleius, & Tacitus.*

104. CÆSAR PATRVVS.] *Suſpicor prænomen deeſſe,* Ti. *Tiberium certè Imp. intellegit.*

105. OSCVLIS.] *Quidam libri,* oculis. *Pedo Albinouanus, ad Tiberium:*

Tu tamen extremo moriturũ tempore fratrem
Vidiſti: lacrimas vidit & ille tuas.
Affigique ſuis moriens tua pectora ſenſit,
Et tenuit vultu lumina fixa tuo.

106. CORPVS DRVSI.] *Idem Pedo:*

Quinetiam corpus matri vix vixque remiſſum,
Exſequijs caruit, Liuia, pænè ſuis.
Quippe ducẽ arſuris exercitus omnis in armis,
Inter quæque ruit, pondere certus erat.
Abſtulit inuitis corpus venerabile frater,
Et Druſum prunæ, * quod licuitque dedit. * *quà*

Sententia eſt, milites ſibi rapuiſſe corpus Ducis, & in armis voluiſſe vrere, inter ipſas gentes, vbi obierat. Frater autem abſtulit, & patriæ *(ita pro* prunæ *legendum) quà licuit reddidit: id eſt, ſi non viuum, ſaltem cadauer.*

107. ROMANI LVCTVS.] *Grauis & modeſti, non cum impetu & calore illo Barbarico.*

eo à quo victus est, tunc cùm Remp. constitueret, & triumuirali potestate præditus, A
nihil supra se, exceptis verò duobus collegis, omnia infra se cerneret,[108] fratrem interfectum audiuit. Fortuna impotens, quales ex humanis malis tibi ipsa[109] ludos facis! Eo ipso tempore, quo M. Antonius ciuium suorum vitæ sedebat mortisque arbiter, M. Antonij frater duci iubebatur ad supplicium. Tulit hoc tamen tam triste vulnus eâdem magnitudine animi, quâ omnia alia aduersa tolerauerat: & hoc fuit ei lugere,[110] viginti legionum sanguine fratri parentare. Sed vt omnia alia exempla præteream, vt in me quoque ipso alia taceam funera,[111] bis me fraterno luctu fortuna aggressa est: bis intellexit lædi me posse, vinci non posse. Amisi Germanicum fratrem: quem quomodo amauerim, intelligit profectò, quisquis cogitat quomodo suos fratres pij fratres ament. Sic tamen affectum meum rexi, vt nec relinquerem quicquam quod exigi deberet à bono fratre, nec facerem quod reprehendi posset[112] in Principe. Hæc ergo puta tibi parentem publicum referre exempla, eumdem ostendere quàm nihil sacrum intactumque sit fortunæ, quæ ex his penatibus ausa est funera ducere, ex quibus erat deos petitura. Ne- B
mo itaque miretur, aliquid ab illâ aut crudeliter fieri, aut iniquè. Potest enim hæc aduersus priuatas domos vllam æquitatem nosse, aut vllam modestiam, cuius implacabilis sæuitia totiens ipsa funestauit[113] puluinaria? Faciamus licet illi conuicium, non nostro tantùm ore, sed etiam publico: non tamen mutabitur: aduersus omnes se preces, omnesque[114] querimonias eriget. Hoc fuit in rebus humanis fortuna, hoc erit; nihil inausum sibi reliquit: nihil intactum relinquet. Ibit violentior per omnia, sicut semper est solita, eas quoque domos ausa iniuriæ causa intrare, in quas[115] per templa aditur, &
XXXVI. [116] atram laureatis foribus inducere vestem. Hoc vnum obtineamus ab illa votis ac precibus publicis, si nondum illi[117] genus humanum placuit consumere, si Romanum adhuc nomen propitia respicit, hunc Principem,[118] lapsis hominum rebus datum, sicut omnibus mortalibus, sibi esse sacrosanctum velit. discat ab illo clementiam, atque

CAP. XXXV. 108. FRATREM.] *C. Antonium, qui iussu Bruti in Macedoniâ interfectus. Vide Plutarchum in Bruto, & Dionem* XLVII. *in aliquo tamen dissensu.*

109. LVDOS FACIS.] *Eadem exclamatio Valerij Liciniani quondam:* Quos tibi Fortuna ludos facis? Facis enim ex professoribus Senatores, ex Senatoribus professores. *Plinius lib.* IV. *epist.* XI.

110. VIGINTI LEG.] *Quæ in Bruti Cassijq; partibus erant, & quas vicit. Neque enim interfecit omnes (absit) & declamatoriè id quoque hîc dictum.*

111. BIS ME FRATERNO.] *Atqui vnum fratrem habuit,* Germanicum: *de quo etiam solo distinctè subiungit. Tamen lectionem teneo, & de* Liuillâ *etiam accipio, quæ soror Claudij fuit, interfecta à Tiberio paullò post Seianum. Quia autem parùm ab honestâ causâ ea mors, parcit diducere hîc Seneca.*

112. IN PRINCIPE.] *Tunc verò non erat, cùm fratrem & sororem amisit: imò procul ab omni eâ spe. Aut improvidè igitur hoc Seneca, aut accipiendum de quocumque primario viro, vt sæpè.*

113. PVLVINARIA.] *Quæ deorum sunt, vt lecti priuatorum. Ita Domitianus superbè, & cum Suetonij notâ,* in reducendâ post diuortium vxore edixit, Reuocatum eam in puluinar suum. *Iuuenalis:*

Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem.

114. QVERIMONIAS.] *At liber meus & plures,* cerimonias: *vt ad sacra & Deos iterùm referat.*

115. PER TEMPLA ADITVR.] *Vniuersè hoc de Triumphalibus ædibus capis? in quas certè è templis, & Capitolino Ioue salutato, ingrediebantur. An strictiùs & veriùs, de ipso Palatio Principum? quod templis vndique cingebatur. Claudianus, in* VI. *Consul. Honorij:* C

Attollens apicem subiectis Regia Rostris,
Tot circùm delubra videt, tantisq; deorum
Cingitur excubijs.

Sed & in ipso Palatio templa, Apollinis, & Vestæ. De vtroque Ouidius, in Metamorphosi:

Et cùm Cæsarea tu Phœbe domestice Vestâ.

Et IV. *Fastor.*

— cognati Vesta recepta est
Limine, sic sancti constituere patres.
Phœbus habet partem, Vestæ pars altera cessit,
Quod superest illis, tertius ipse tulit.

Cognatum Vestæ, Augustum appellat, vt è Iuliâ gente & Venere ortum. Ista igitur templa in limine Palatij, &, puto, Seneca huc respexit. Possis tamen & capere, tanquam velit, per reuerentiam mixtam metu, eos qui ad Principem ibant, priùs templa & Deos adisse, vt illum sibi votisq; suis propitium haberent. D

116. ATRAM LAVREATIS.] *Nam Palatinæ fores lauru & quercu ornatæ semper. Idem Ouidius:*

State Palatinæ laurus, prætextaque quercu
Stet domus. æternòs tres habet vna Deos.

duos nempe deos, quos dixi, & tertium ipsum Augustum. Sed de lauru istâ, ego fusiùs ad cap. vlt. libri I. *De Clem. Quid autem* atram vestem foribus induci *intellegit? ipsámne vestem oppandi, vt hodie in funere? an magis enallage quadam, homines induci & ingredi atratos?*

CAP. XXXVI. 117. GENVS HVMANVM.] *Periturum scilicet, absque hoc Sotêre. O fœdam adulationem!*

118. LAPSIS.] *Alij libri,* lassis: *& probem.*

119. AD-

A que à mitissimo omnium Principum mitis fieri. Debes itaque omnes intueri eos, quos paullò antè retuli, aut [119] adscitos cælo, aut [120] proximos, & ferre æquo animo fortunam, ad te quoque porrigentem manus: quas ne ab eis quidem, per quos [121] iuramus, abstinet. Debes illorum imitari firmitatem in perferendis & euincendis doloribus, & in quantum modò homini fas est, per diuina ire vestigia. Quamuis in aliis rebus dignitatum magna discrimina sint, virtus in medio posita est: neminem dedignatur, qui modò dignum se illâ iudicet. Optimè certè illos imitaberis, qui cùm indignari possent non esse ipsos expertes huius mali, tamen in hoc vno se ceteris exæquari hominibus, non iniuriam, sed ius mortalitatis iudicauerunt; tuleruntque nec nimis acerbè & asperè quod acciderat, nec molliter & effœminatè. Nam & non sentire mala sua, non est hominis: & non ferre, non est viri. Non possum tamen, cùm omnes circumiuerim Cæsares, quibus fortuna fratres & sorores eripuit, hunc præterire ex omni Cæsarum numero excerpendum: quem rerum natura in exitium opprobriumque humani generis edidit, à
B quo imperium euersum funditùs, Principis piissimi recreat clementia. C. Cæsar, amissâ sorore [122] Drusillâ, is homo qui non magis dolere quàm gaudere Principaliter posset, conspectum conuersationemq; ciuium suorum profugit, exequiisque sororis suæ non interfuit, iusta sorori non præstitit, sed in Albanum suum [123] secessit. At foro & aduocatis, & huiusmodi aliis occupationibus acerbissimi funeris leuabat mala! Prô pudor imperij. principis Romani lugentis sororem, alea solatium animi fuit. Idem ille Caius furiosâ inconstantiâ, modò [124] barbam capillumque submittens, modò Italiæ ac Siciliæ oras errabundus permetiens, & nunquam satis certus vtrùm [125] lugeri vellet, an [126] coli sororem. Eodem enim tempore, quo templa illi constituebat ac puluinaria, eos qui parum mæsti fuerant, crudelissimâ afficiebat animaduersione. Eâdem enim intemperie animi aduersarum rerum ictus ferebat, quâ secundarum elatus euentu, supra humanum intumescebat modum. Procul istud exemplum ab omni Romano viro, luctum suum aut intempestiuis auocare lusibus, aut sordium ac squalloris fœditate irritare, aut alienis
C malis oblectare, minimè humano solatio. Tibi verò nihil ex consuetudine mutandum tuâ. quoniam quidem ea instituisti amare studia, quæ & optimè felicitatem [127] extollunt, & facillimè minuunt calamitatem: eademque & ornamenta hominum maxima sunt, & solatia. Nunc itaque te studiis tuis immerge altiùs, nunc illa tibi velut munimenta animi circumda, nec ex vllâ tui parte inueniat introitum dolor. Fratris quoque tui produc memoriam aliquo scriptorum monumento tuorum. hoc enim vnum est rebus humanis opus, cui nulla tempestas noceat, quod nulla consumat vetustas: cetera, quæ per constructionem lapidum, & marmoreas moles, aut [128] terrenos tumulos

XXXVII.

in

119. ADSCITOS.] *Iam consecratos, & mortuos.*

120. PROXIMOS.] *Si non consecratos, tamen in puriore aëre heroas.*

121. IVRAMVS.] *Satis notum per Principes, vt Deos, iurari, & probè fortasse ita scriptum. Tamen Erasmus, itemq; bonus ille meus*, viuimus *habent.*
D *Cur spernam? imò acutum est, mortem ad eos quoque venire, qui auctores sunt vitæ. Nam hanc Principibus adscribi (ob tutelam & curam rerum) docet vel acclamatio illa Alexandrinorum, in Suetonio, quâ Augustus magnopere oblectatus*: Per illum se viuere, per illum nauigare, libertate atque fortunis per illum frui.

122. DRVSILLA.] *Quam homo incestus iustæ vxoris loco propalàm habebat: Suetonius.*

123. SECESSIT. AT FORO.] *Est quasi iniectio. An ille fortè foro & rerum actu dolorem fefellit? Imò aleâ, & ludo. Tamen libri turbant, qui plerique:* in Albano suo cesserit, ac foro & prouocatis, & huiusmodi. *In meo quidem, vt posui: & consentiunt, aut leuiter abeunt Gruteriani. Olim diuinabam*: sed in Albanum suum secesserit. nec foro & aduocatis, & huiusmodi alijs occupationibus acerbissimi funeris leuabat mala. proh pudor imperij! principis Rom. *&c. Neque nunc omnino sedet: & suspectum illud*, prouocatis. *Initio fuerit, in* Albano suo tesseris. *deinde illa*, ac foro & prouocatis, *siue vt alij*, peruocatis, *genera aut nomina item ludorum: etsi corrupta.*

124. BARBAM CAPIL.] *Suetonius:* Drusillâ defunctâ iustitium indixit. in quo risisse, lauisse, cænasse cum parentibus, aut coniuge liberisve, capitale fuit. Ac mæroris impatiens, cùm repentè noctuque profugisset ab vrbe, transcurrissetq; Campaniam, Syracusas petijt, rursusque inde properè redijt, barbâ capilloque promisso.

125. LVGERI.] *Vt hominem.*

126. COLI.] *Vt Deam.*

127. EXTOLLVNT.] *Benè. aliquis tamen* excolunt *vellet, quia sequitur* ornamenta.

CAP. XXXVII. 128. TERRENOS TVMVLOS.] *Quidam*, cumulos. *Nota morem aggerandi*

in magnam eductos altitudinem conſtant, non propagabunt longam diem: quippe & A
ipſa intereunt. Immortalis eſt ingenij memoria: hanc tuo fratri largire, in hac eum collоca. meliùs illum duraturo ſemper conſecrabis ingenio, quàm irrito dolore lugebis. Quod ad ipſam fortunam pertinet, etiam ſi nunc agi apud te cauſſa eius non poteſt: omnia enim illa quæ nobis dedit, ob hoc ipſum, quòd aliquid eripuit, inuiſa ſunt: tunc tamen erit agenda, cùm primùm æquiorem te illi iudicem dies fecèrit: tunc enim poteris in gratiam cum illâ redire. Nam multa prouidit, quibus hanc emendaret iniuriam: multa etiam nunc dabit quibus redimat: denique ipſum quod abſtulit, ipſa dederat tibi. Noli ergo contra te ingenio vti tuo, noli [129] adeſſe dolori tuo. Poteſt quidem eloquentia tua, quæ parua ſunt approbare pro magnis: rurſus magna attenuare, & ad minima deducere: ſed aliò iſta vires ſeruet ſuas, nunc tota ſe in ſolatium tuum conferat. Sed tamen diſpice, ne hoc iam quoque ſit ſuperuacuum. aliquid enim à nobis natura exigit: plus vanitate contrahitur. Numquam autem ego à te, ne ex toto mæreas, exigam. Et ſcio inueniri quoſdam duræ magis quàm fortis prudentiæ viros, [130] qui negent doliturum B
eſſe ſapientem. Hi verò videntur numquam in huiuſmodi caſum incidiſſe. alioquin excuſſiſſet illis fortuna ſuperbam ſapientiam, & ad confeſſionem eos veri etiam inuitos compuliſſet. Satis præſtiterit ratio, ſi id vnum ex dolore, quod & ſupereſt & abundat, [131] exciderit. nam vt quidem nullum omnino eſſe eum patiatur, nec ſperandum vlli, nec concupiſcendum eſt. Hunc potiùs modum ſeruet, qui nec [132] impietatem imitetur, nec [133] inſaniam: & nos in eo teneat habitu, qui & piæ mentis eſt, nec emotæ. Fluant lacrimæ, ſed eædem deſinant: trahantur ex imo pectore gemitus, ſed ijdem & finiantur. Sic rege animũ tuum, vt & ſapientibus te approbare poſſis, & fratribus. effice, vt frequenter fratris tui memoriã tibi velis occurrere, vt illum & ſermonibus celebres, & aſſiduâ recordatione repræſentes tibi. Quod ita denique conſequi poteris, ſi tibi memoriam eius iucundam magis, quàm flebilem feceris. naturale eſt enim, vt ſemper animus ab eo refugiat, ad quod cum triſtitiâ reuertitur. Cogita modeſtiam eius, cogita in rebus agendis ſolertiam, in exſequendis induſtriam, in promiſſis conſtantiam. Omnia dicta eius ac C
facta & alijs expone, & tibimet ipſe commemora. Qualis fuerit cogita, qualiſque [134] ſperari potuerit. quid enim de illo non tutò ſponderi fratre poſſet? [135] Hæc, vtcunque potui, longo iam ſitu obſoleto & hebetato animo compoſui: quæ ſi aut parùm reſpondere ingenio tuo, aut parùm mederi dolori videbuntur, cogita quàm non facilè Latina ei verba ſuccurrant, quem Barbarorum inconditus grauiſque fremitus circumſonat.

in altitudinem terram, & inſtar colliculi: cuiuſmodi etiam maiorum æuo ſtructos Belgica noſtra habet, & miratur, cauſſæ parùm gnara.

* Lib. 1. Elector. cap. 26.

129. ADESSE.] *Patrocinari.*

130. QVI NEGENT.] *Palàm culpat ſuos Stoicos, & conuicijs pænè inſectatur. Quid enim aliud eſt,* ſuperbam ſapientiam *dicere? Bonâ veniâ Seneca, tuæ, aut etiam tutæ, mentis es?*

131. EXCIDERIT.] *Exſecuerit.*

132. IMPIETATEM.] *In non dolendo.*

133. INSANIAM.] *In nimis dolendo.*

134. SPERARI.] *Si maturuiſſet, & vixiſſet.*

135. HÆC VTCVMQVE.] *Fateor me* * *ſcripſiſſe hæc vltima Senecæ non videri. & profectò veri ſaniq; Senecæ non eſſe, etiamnunc clamo: an illius abiecti, corpore & mente fracti, neſcio. Ne hoc quidem velim, ſi meus ſit arbitratus: quia nimis & vilia ſunt, & vix tunicato aliquo digna. Deſino, & inter alia ex hoc ſcripto diſco, quàm maximi viri labi & iacêre poſſint: ÿdem, mitiore iam Deo, iterùm erigi, & alijs ad robur excitatio & exemplum eſſe. Timeamus, ſperemus, numquam deſperemus.* D

L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ
AD MARCIAM
DE CONSOLATIONE
LIBER VNVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B MARCIA *gratiosa & diues matrona, vt apparet: filia A. Cremutij Cordi, viri à studijs scriptisque etiam inclyti. Filium habuit, qui iam grandior obijt, maritus, pater & sacerdos: triennium autem iam ibat (ex Cap. 1. in fine) ab eius morte. Itaque argumentor, hoc Scriptum editum initio Claudiani temporis, nec antè. Nam sub Tiberio auctum Metilium hunc (ita vocabatur) honoribus, vix probabile: sub Caio igitur, qui & alia acta Tiberij rescidit, & nominatim* A. Cremutij Cordi scripta lectitari permisit. *Quod eodem isto Cap. 1. quoque tangitur: neque igitur antè potuit hæc Consolatio edi, præsertim* inueterato dolore, *vt loquitur, &* triennali *illo lapsu. Imò benè consideranti, sub Claudio, & post exsilium fortasse hæc scripta censeantur. In paruo est. ipse libellus inter insignes, etsi adulatione fæmineâ haud expers. Duæ partes sunt. priore laudat illam, & à suo atque alienis deinde Exemplis solatur: vsque ad Cap.* VI. *Posteriore ad Rationes transit, & primam illam communem, luctu nihil profici: tum secundùm Naturam eum non esse, sed à mollitie nostrâ, & incogitantiâ, quòd quæ fieri possunt futura non*
C *prouidemus. Iterùm deinde Exempla virorum, & mulierum. Tum ad sortem conditionemque nascendi transit, cui mors annexa: vsque ad Cap.* XIX. *Ibi Dilemma inserit, Nec matri, nec ipsi malè factum. De matre, breuiter: gratiosa est, nec nisi opinione vexatur. De filio, pluribus: inquiete est, & casibus, vitijsque ereptus. Quid si ad ista in tam corruptâ ciuitate, iuisset? Tempestiuè igitur subductus: & Patris deinde (Cremutij) persona inducitur filiam solantis & erigentis, & magno ore ad supera illa, & cæli spectacula, vocantis.*

CAPVT PRIMVM.

D NISI te, [1] Marcia, scirem tam longè ab infirmitate muliebris animi, quàm à ceteris vitijs recessisse, & mores tuos velut antiquum aliquod exemplar aspici: non auderem obuiàm ire dolori tuo, cui viri quoque libenter hærent & incubant. nec spem concepissem, tam [2] iniquo tempore, tam [3] inimico iudice, tam [4] inuidioso crimine, posse me efficere, vt fortunam tuam [5] absolueres. Fiduciam mihi dedit exploratum iam robur animi, & magno experimento approbata virtus tua. Non est ignotum, qualem te in personam patris tui gesseris: quem non minùs quàm liberos dilexisti: excepto eo, quòd non optabas [6] superstitem. nec scio an & optaueris. Permittit enim sibi quædam & [7] contra bonum morem magna pietas. [8] Mortem A. Cremutij Cordi, parentis tui, quantum poteras, inhibuisti. Postquam tibi [9] aperuit, inter [10] Seianianos satellites [11] illam vnam patere seruitutis fugam, non fauisti consilio eius, sed dedisti manus victa, fudistique [12] lacrimas clàm, & gemitus deuorasti quidem, non tamen hilari fronte texisti: & hoc illo sæculo, quo magna pietas erat, [13] nihil impiè facere. Vt verò

aliquam

aliquam occasionē [14] mutatio temporum dedit: ingenium patris tui, de quo sumptum A
erat supplicium, in vsum hominū reduxisti, & à verâ illum vindicasti morte, ac restituisti [15] in publica monumenta libros, quos vir ille fortissimus [16] sanguine suo scripserat. Optimè meruisti de Romanis studijs: magna illorum pars arserat. optimè de posteris: ad quos veniet incorrupta rerum fides, auctori suo magno imputata. optimè de ipso: cuius viget vigebitque memoria, quamdiu fuerit in pretio Romana cognosci; quamdiu quisquā erit, qui reuerti velit ad acta maiorum; quāmdiu quisquam, qui velit scire, quid sit vir Romanus; quid subactis iam ceruicibus omnium, & ad Seianianum iugum adactis, [17] indomitus sit homo, ingenio, animo, [18] manu liber. Magnum mehercule detrimentum resp. ceperat, si illum ob [19] duas artes pulcherrimas in obliuionem coniectum, eloquentiam & libertatem, non eruisses. Legitur, floret, in manus hominum, in pectora receptus, vetustatem nullam timet. At illorum carnificum citò scelera, quibus solis memoriam meruerunt, tacebuntur. Hæc magnitudo animi tui vetuit me ad sexum tuum respicere: vetuit ad vultum, quem [20] tot annorum continua tristitia, vt semel ob- B
duxit, tenet. Et vide quàm non surrepam tibi, nec [21] furtum facere affectibus tuis cogitem. Antiqua mala in memoriam reduxi. & vis scire hanc quoque plagam esse sanandam?

COMMENTARIVS.

CAP. I. 1. MARCIA.] *Vnde hoc ei nomen, quæras. Nam pater A. Cremutius Cordus. Puto adoptione igitur in mutasse, ab auunculo aut materno cognato adsumptam.*

2. INIQVO TEMPORE.] *Quia dolor iam vetus quidem, sed quî in hac fæminâ (præter communem morem) vires æuo sumpserat, & iam verterat quasi in naturam. Itaque præoptasset (in fine huius capitis)* primis temporibus ad curationem accedere: nunc vehementiùs contra inueterata pugnandum est.

3. INIMICO IVDICE.] *Ipsâ te. quæ odisti & auersaris solantes.*

4. INVIDIOSO.] *Ablati talis filij, & in flore æui.*

5. ABSOLVERES.] *Quam assiduè nunc accusas.*

6. SVPERSTITEM.] *Nec enim solet, & contrà sunt parentum vota. Mater in Terentio:*

Ita mihi atque huic (*patri*) sis superstes.

Apud Senecam patrem, lib. IX. *Controu.* Ita oculos meos filij manus operiant. *Controu.* V. Ita mihi superstite filio mori liceat. *Noster Consol. ad Helu. cap.* XVI. Deos oro, contingat hunc nobis habere superstitem.

7. CONTRA BONVM.] *Iam dixi, de bono vulgatoq; more, ex lege naturæ. Infrà, cap.* X. Omnes nostros, quos superstites, lege nascendi, optamus. *Siquis aliter, videbatur in culpâ. Valerius lib.* V. *ca.* IX. *in personâ filij:* Tu verò pater viue, & si tam obsequens es, vt hoc precari filio permittas, me quoque exsupera. *Adde infrà, cap.* XVII.

8. MORTEM.] *Quam sponte sumebat. infrà, cap.* XXII.

9. APERVIT.] *Mei*, apparuit.

10. SEIANIANOS.] *Qui à Seiano submissi. malè scripti*, Sillanianos.

11. ILLAM VNAM.] *Mortem spontaneam, cùm durior immineret & à carnifice. Fugiebat igitur seruitutem, & ne arbitrio ac ludibrio inimicorum moreretur.*

12. LACRIMAS CLAM.] *Scripti omnes*, palàm: *sed illud sententia tenet. Lacrimas abscondit. vel ne patri dolorem adderet; vel quia sub tyrannide illâ nec tutum.*

13. NIHIL IMPIE.] *Vt quidam sub Tiberio, qui & patres palàm accusarunt: quid, qui occultè detulerunt, præmij aut properæ hereditatis spe?*

14. MVTATIO TEMP.] *Sub Caligulâ. qui alia Tiberij acta rescidit, & nominatim* A. Cremutij Cordi scripta requiri, & lectitari permisit: *in Suetonio, cap.* XVI. *Significat noster, adnitente filiâ hoc factum.* C

15. IN PVBLICA MON.] *In bibliothecas. in quibus mansêre, & Fragmenta nunc quoque exstant apud Senecam patrem, in Suasoriâ*, An deprecetur Antonium Cicero.

16. SANGVINE SVO.] *Nempe quia sanguine suo & vitâ scriptos eos luit. Argumentum porrò eorum* Ciuilia bella: *etiam illud* Philippense, *in quo Brutum Cassiumq; laudauerat, vt* vltimos Romanorum. *Sub Augusto scripserat, &* illo audiente recitata *ac tolerata, in Tiberij cap.* LXI. *Suetonius notat. Qui idem eum citat, Augusti cap.* XXXV.

17. INDOMITVS.] *Ipse Cremutius.*

18. MANV LIBER.] *Scriptione & stilo.*

19. DVAS ARTES.] *Cum libris aliquot* partes D
eligam: nec libertas benè inter artes censeatur.

20. TOT ANNORVM.] *Non exprimit, sed multos fuisse locutio ostendit. Sanè haud minus* XV. *aut* XVI. *quia obijt Cremutius anno* DCCLXXVIII. *hæc autem scripta esse non possunt, nisi sub Caio, aut potiùs initijs Claudianis. Argumento, quòd de filio mox dicet,* annum tertium *à morte eius ire: at ille iam grandior, sacerdos, maritus, pater duorum liberorum. Nec sanè probabile à Tiberio eum honore auctum: si ergo ab alio, à Caio: at à morte eius triennium, ergo necessariò sub Claudio, hæc scripta.*

21. FVRTVM.] *Ita libri. explico: non clàm aut astu insinuare me statui, & in pectus admissus quasi furto & insidijs dolorem tollere. Palàm eum ibo expugnatum.* Furta *pro Insidijs & dolo, crebrum Latinis. Alij substituerunt,* Fucum: *sed fucum.*

22. OSTEN-

A dam? [22] ostendi tibi eque magni vulneris cicatricem. Alij itaque molliter agant, & blandiantur: ego confligere cum tuo mærore constitui, & defessos exhaustosque oculos, si verum audire vis, magis iam ex consuetudine, quàm ex desiderio fluentes, continebo. si fieri potuerit, fauente te remedijs tuis; sin minùs, vel inuitâ. [23] teneas licet & amplexeris dolorem tuum, quem tibi in filij locum superstitem fecisti. Quis enim erit finis? omnia in superuacuum tentata sunt. fatigatæ [24] allocutiones amicorum; auctoritates magnorum & affinium tibi virorum; studia, hereditarium & paternum bonum, surdas aures, irrito ac vix ad breuem occupationem proficiente solatio, transeunt. Illud ipsum naturale remedium temporis, quod maximas ærumnas quoque componit, in te vnâ vim suam perdidit. Tertius iam præterijt annus, cùm interim nihil ex primo illo impetu cecidit, renouat se, & corroborat quotidie luctus: & iam sibi ius morâ fecit, eoque adductus est, vt putet turpe desinere. Quemadmodum omnia vitia penitus insidunt, nisi dum surgunt, oppressa sint: ita quoque hæc tristia & misera, & in se sæuientia, ipsâ no-
B uissimè acerbitate [25] pascuntur, & fit infelicis animi praua voluptas dolor. Cupissem itaque primis temporibus ad istam curationem accedere. leuiore medicinâ fuisset oriens adhuc restinguenda vis: vehementiùs contra inueterata pugnandum est. Nam vulnerum quoque sanitas facilis est, dum à sanguine recentia sunt: tunc & vruntur, & [26] in altum reuocantur, & digitos scrutantium recipiunt. vbi corrupta in malum vlcus verterunt, difficiliùs curantur. Non possum nunc per obsequium, nec molliter [27] assequi tam durum dolorem: frangendus est. Scio, à præceptis incipere omnes qui monere 11.
aliquem volunt, & in exempla desinere: mutari hunc interim morem expedit. Aliter enim cum alio agendum est. quosdam [28] ratio ducit: quibusdam nomina clara opponenda sunt, & auctoritas, quæ [29] liberum non relinquat animum ad [30] speciosa stupentem. Duo tibi ponam ante oculos maxima, & sexus & sæculi tui, exempla: alterius fæminæ, quæ se tradidit [31] ferendam dolori: alterius quæ pari affecta casu, [32] maiore damno, non tamen dedit longum in se malis suis dominium, sed citò animum in sedem
C suam reposuit. Octauia & Liuia, altera soror Augusti, altera vxor, amiserunt filios iuuenes, vtraque spe futuri principis certa. Octauia Marcellum, cui & auunculus & [33] socer [34] incumbere cœperat, in quem onus imperij reclinaret. adolescentem [35] animo alacrem, ingenio potentem; sed & frugalitatis continentiæque in illis aut annis aut opibus non mediocriter admirandum; patientem laboris, voluptatibus alienum; quantum-

tum-

22. OSTENDI TIBI.] *Si illud vulnus coijt (& cicatricem iam videmus) cur nolis & hoc sanari?*

23. TENEAS.] *Malè qui faciunt, & faciunt plerique.* hærent & incubant, *vt antè est locutus, imagine eâdem. Quæ ipsa in Platone, sed monito pulcherrimo, quo castigat. Libro* X. *De Rep.* Δεῖ μὴ ᾠδὰς ταίσαντας, καθάπερ παῖδας, ἐχομένους τῆς πληγέντος, ἐν τῷ βοᾶν διαζῆν εἶναι. ἀλλὰ αἰεὶ ἐθίζειν τὴν ψυχὴν, ὅτι τάχιστα γίγνεσθαι πρὸς τὸ ἰᾶσθαι, καὶ ἐπανορθοῦν τὸ
D πεσόν τε καὶ νοσῆσαν, θρηνῳδίαν ἀφανίζοντα: Oportet in offensâ aut lapsu, non vt pueros, adhærentes & amplexantes id quod læsit, in ploratu tempus terere; sed mentem assuescere, vt quàm celerrimè ad medelam se vertat & correctionem casus, eiulatus omittentem.

24. ALLOCVTIONES.] *Solatia*, παραμυθίαι.

25. PASCVNTVR.] *Sotion, an nostri Senecæ doctor?* Ἡ λύπη παρ' οἷς ἂν ζέφηται καὶ αὔξηται, παρ' ἐκείνοις ἡδέως καὶ μένει: Dolor apud quos pascitur & augetur, ibi & libenter & suauiter manet.

26. IN ALTVM.] *Tentando & explorando. Videtur enim repeti & reuocari vulnus, dum stilus immittitur.*

27. ASSEQVI.] *Suspectum est. sed explico: lenibus verbis non possum tamdiu præeuntem dolorem prendere aut sistere: vi & impetu frangendus est.*

CAP. II. 28. RATIO DVCIT.] *Quibus præcepta conueniunt.*

29. LIBERVM.] *Auocet à dolore, & in se vertat.*

30. SPECIOSA.] *Clara illa nomina.*

31. FERENDAM.] *Omissis habenis, illi regimen dedit.*

32. MAIORE DAMNO.] *Cur maiore? nam vtraque futurum Principem, vt addit, amisit: vterque etiam genere, & indole par, si non maior Marcellus. Quid, quod Liuiæ filius etiam alter superstes, Octauiæ nullus? itaque hæc potiùs affecta maiore damno. Sed puto à Senecâ adspectum ad ætatem & annos, qui in Druso plures: atque ipse vtilior iam reip. & bellis clarus. ergo maior in eo iactura.*

33. SOCER.] *Augustus, desponsâ ei suâ Iuliâ.*

34. INCVMBERE.] *Vt in fulcrum. Tacitus* 1. *Annal.* Augustus subsidia dominationi Claudium Marcellum admodum adolescentem, & M. Agrippam parauerat.

35. ANIMO ALACREM.] *Velleius*: Decessit *(Marcellus)* admodum iuuenis, sanè, vt aiunt, ingenuarum virtutum, lætusque animi & ingenij, fortunæque in quam alebatur capax.

36. PER

tumcumque imponere illi auunculus, & (vt ita dicam) inædificare voluisset, laturum. A
Benè legerat nulli cessura ponderi fundamenta. Nullum finem, [36] per omne vitæ suæ
tempus, flendi gemendique fecit: nec vllas admisit voces, salutare aliquid afferentes. ne
auocari quidem se passa est. Intenta in vnam rem, & toto animo affixa, talis per omnem
vitam fuit, qualis in funere. non dico non ausa consurgere, sed alleuari recusans: secun-
dam orbitatem iudicans, lacrimas omittere. Nullam habere imaginem filij carissimi vo-
luit, nullam sibi fieri de illo mentionem. Oderat omnes matres, & in Liuiam maximè
furebat: quia videbatur ad illius [37] filium transisse, sibi promissa felicitas. Tenebris &
solitudini familiarissima, ne ad fratrem quidem respiciens, carmina celebrandæ Marcel-
li memoriæ composita, alioqúe studiorum honores reiecit, & aures suas aduersus omne
solatium clausit, à solemnibus [38] officijs seducta, & ipsam magnitudinis fraternæ nimis
circumlucentem fortunam exosa, [39] defodit se, & abdidit. Assidentibus [40] liberis, [41] ne-
potibus, lugubrem vestem non deposuit: non sine [42] contumeliâ omnium suorum, qui-
III. bus saluis orba sibi videbatur. Liuia amiserat filium Drusum, magnum [43] futu- B
rum principem, iam magnum ducem. Intrauerat [44] penitus Germaniam, & ibi [45] signa
Romana fixerat, [46] vbi vix vllos esse Romanos notum erat. In expeditione [47] victor de-
cesserat, [48] ipsis illum hostibus ægrum cum veneratione & pace mutuâ prosequentibus,
nec optare quod expediebat audentibus. Accedebat [49] ad hanc mortem, quam ille pro
rep. obierat, ingens ciuium prouinciarumque, & totius Italiæ desiderium: per quam ef-
fusis in officium lugubre [50] municipijs colonijsque, vsque in vrbem ductum erat funus
[51] triumpho simillimum. Non licuerat matri [52] vltima filij oscula, gratumque extremi
sermonem oris haurire, [53] longo itinere reliquias Drusi sui prosecutæ, tot per omnem
Italiam [54] ardentibus rogis, quasi totiens illum amitteret, irritatæ. Vt primùm tamen in-
tulit [55] tumulo, simul & illum, & dolorem suum posuit: nec plus doluit quàm aut hone-
stum erat, [56] aut Cæsare, aut æquo maius. Non desijt itaque Drusi sui celebrare nomen,
vbique illum sibi priuatim publiceque repræsentare, & libentissimè de illo loqui, de
illo audire: cùm memoriam alterius nemo posset retinere ac frequentare, quin illam C
[57] tri-

36. PER OMNE VITÆ.] *Quamdiu ergo dehinc vixit? Marcellus obijt anno Vrbis* DCCXXXI. *ipsa* DCCXLIII. *Filio ergo superstes plus vndecim annos. Dio hoc tempus notauit, & Pedo ad Liuiam tetigit:*

Vix posito Agrippâ tumuli benè ianua clau-
sa est,
Perficit officium funeris ecce soror.

Vellem, Percipit. *sed ait, vix mortuo Agrippâ, sororem secutam: & sanè ille obijt ipso anno antè.*

37. FILIVM.] *Superstitem Tiberium.*

38. OFFICIIS.] *Salutationũ, conuiuiorũ, nuptiarũ.*

39. DEFODIT SE.] *Velut in sepulchrum. vt lucifugæ, de quorum vno Seneca:* Vatia hîc situs est.

40. LIBERIS.] *Duabus Marcellis.*

41. NEPOTIBVS.] *Quos ex vtraque filiâ habuit: vide nostrum Augusti stemma.*

42. CONTVMELIA.] *Quasi nec illos pro liberis haberet, & in vno omnes mortui.*

CAP. III. 43. FVTVRVM PRINCIPEM.] *Dixit & antè,* Vtraque spe futuri Principis certa. *Et de Marcello, verum est: quomodo in Druso? & nónne frater Tiberius anteibat? Nisi quis censet, Augustum inclinasse magis in Drusum, vel ob ingenium mitius, vel (quæ suspicio fuit) vt suum. Sed ego vereor, vt hîc quoq; parũ intentus Seneca, quod nimis sæpè notamus.*

44. PENITVS.] *Consol. ad Polybium in c.* XXXIV. Intima Germaniæ recludentem.

45. SIGNA ROMANA.] *Castra metatus.*

46. VBI VIX.] *Ad Albim vsque progressus.*

47. VICTOR DECESSERAT.] *Quibusdam libris,* victor, *abest: & ijdem,* ter cesserat.

48. IPSIS ILLVM.] *Oratoriè. quis credat Germanos tunc sic aut mites, aut fatuos?*

49. AD HANC MORTEM.] *Quam obijt anno Vrbis* DCCXLV. *in castris æstiuis, ipso Consulatu suo.*

50. MVNICIPIIS.] *Suetonius Claud. cap.* I. Corpus eius per municipiorum coloniarumque primores ad vrbem deuectum.

51. TRIVMPHO.] *Ob concursus & frequentiam.*

52. VLTIMA.] *Pedo, ad Liuiam:*

At miserãda parens suprema neq; oscula fixit.

53. LONGO ITINERE.] *Quo illo? à Ticino Romam, opinor. Certè de Augusto, Tacitus* III. *Annal.* Ipsum quippe acerrimo hiemis Ticinum vsque progressum, neque abscedẽtem à corpore *(Drusi)* simul vrbem intrauisse. *Si ille eousque, & illinc deduxit: ratio suadet vt eius coniux, & mater.* D

54. ARDENTIBVS ROGIS.] *Inanibus, & honorarijs. Tacitum sic exaudi, in Funere Germanici:* Atque vbi colonias transgrederẽtur, pro opibus loci vestem, odores, aliaq; funerum sollemnia cremabant: *vbi, nisi in his honorarijs rogis?*

55. TVMVLO.] *Mausolæo, quod Augustus sibi suisq; struxerat in campo Martio.*

56. AVT CÆSARE.] *Magis probo, quod in quibusdam:* honestum erat Cæsari, aut æquum matri. *Id est, non vltrà quàm deceret Cæsaris consortem, aut Cæsaris (in spe) matrem. Pedo ad hunc sensum:*

Quid deceat Drusi matrẽ, matremq; Neronis
Aspice, quo surgas aspice manè toro.

57. TRI-

A [57] triſtem ſibi redderet. Elige itaque, vtrum exemplum putas probabilius. ſi illud prius ſequi vis, eximis te numero viuorum; auerſaberis & alienos liberos & tuos; [58] ipſumque deſiderans, triſte [59] matribus omen occurres. Voluptates honeſtas, permiſſas, tanquam parum decoras fortunæ tuæ reiiciens, [60] inuiſam habebis lucem: & ætati tuæ, quòd non præcipitet te quamprimùm, & finiat, infeſtiſſima eris: quod turpiſſimum alieniſſimumque eſt animo tuo, in meliorem noto partem, oſtendes te viuere nolle, mori non poſſe. Si ad hoc maximæ fœminæ te exemplum applicueris, moderatius ac mitius: [61] non eris in ærumnis, nec te tormentis macerabis. Quæ enim, malum, amentia eſt, pœnas à ſe [62] infelicitatis exigere, & mala ſua augere? Quam in omni vita ſeruaſti, morum probitatem & verecundiam, in hac quoque re præſtabis. eſt enim quædam & dolendi modeſtia: illum ipſum iuuenem [63] digniſſimum quiete, ſemper nominans, cogitanſque, meliore pones loco, ſi matri ſuæ, qualis viuus ſolebat, [64] hilaris, & cum gaudio occurrat.

Nec te ad fortiora ducam præcepta, vt [65] inhumano ferre humana iubeam modo, vt IV.
B ipſo funebri die oculos matris exſiccem: [66] ad arbitrum tecum veniam: hoc inter nos quæretur, vtrùm magnus eſſe debeat, an perpetuus dolor. Non dubito, quin [67] Liuiæ Auguſtæ, quam familiariter coluiſti, magis tibi placeat exemplum. Illa te ad ſuum conſilium vocat: illa in primo feruore, cùm maximè impatientes feroceſque ſunt miſeriæ, ſe conſolandam [68] Areo philoſopho viri ſui præbuit. & multum eam rem profuiſſe ſibi confeſſa eſt: plus quàm populum Romanum, quem nolebat triſtem triſtitiâ ſuâ facere: plus quàm Auguſtum, qui ſubducto [69] altero adminiculo titubabat, nec luctu ſuorum inclinandus erat: plus quàm Tiberium filium, cuius pietas efficiebat, vt in illo acerbo & defleto gentibus funere, nihil ſibi [70] niſi numerum deeſſe ſentiret. Hic, vt opinor, aditus illi fuit, hoc principium apud fœminam [71] opinionis ſuæ cuſtodem diligentiſſimam.

Vſque in hunc diem Liuia (quantum quidem ego ſciam, aſſiduus viri tui comes, cui non tantùm quæ in publicum emittuntur, nota ſunt, ſed omnes quoque ſecretiores animorum veſtrorum motus) dediſti operam ne quid eſſet, quod in te quiſquam reprehenderet. Nec id in maioribus mo-
C *dò obſeruaſti, ſed in minimis, ne quid faceres, cui famam, liberrimam Principum iudicem, velles ignoſcere. Nec quicquam pulchrius exiſtimo in faſtigio collocatis, quàm multarum rerum veniam dare, nullius petere. Seruandus itaque tibi in hac re tuus mos eſt, ne quid committas, quod minus*
alitérve factum velis. Deinde oro atque obſecro, ne te difficilem amicis, & intractabilem V.
præſtes. Non eſt enim quòd ignores, omnes hos neſcire quemadmodum ſe gerant: loquantur aliquid
coram

57. TRISTEM SIBI.] *Aſperam, infenſam.*

58. IPSVMQVE.] *Fortè*, ipſam te.

59. MATRIBVS OMEN.] *Pro ſuperſtitione veterũ, qui omina ex occurſu captabant. Tu igitur orbitate ſic triſtis palàm & afflicta, matribus eamdẽ præſagies. Seneca pater, de mendicis debilitatis:* Occurrunt nuptis omina dira. *ne tales ſcilicet gignant. In eodem Haterius:* Hîc mihi viuendum, necui de nuptiis, necui de liberis cogitãti, dirum omen occurram.

60. INVISAM.] *Meus:* inuisâ hærebis in luce.

D 61. NON ERIS.] *Abeſt negatio ſcriptis. legamq;:* moderatiùs ac mitiùs eris in ærumnis.

62. INFELICITATIS.] *Mei*, illicitas. *Poſſis*, inflictas: *ſed quid opus? Pœnas à ſe infelicitatis exigit: qui infortunio percuſſus, & quia percuſſus ſe torquet & angit.*

63. DIGNISSIMVM.] *Ita Pincianus reformauerat. at ſcripti:* digniſſimè quietum ſemper nominatus cogitatuſque faciet, meliore. *Meus autem:* digniſſimè quietum ſemper nominatum cogitatumque faciet, maiore. *Interpolata certò. incertò concinnabam:* digniſſimum quiete, quietè ſemper nominatum cogitatumque facies, & meliore p. loco. *Filium tuum, dignum qui apud manes qui ſcat, talem facies, ſi nominas cogitasq; quietè, ſine querelis aut gemitu. Inter vota ſollẽnia, precari mortuis quietem. Virgilius:* -placida compoſti pace quieſcant. *Ouidius:* Parce precor manes ſollicitare meos. *In lapidibus ſimilia.*

64. HILARIS.] *Volui olim*, hilari: *nunc & hoc teneo. Meliore loco eum pones, ſi imago nõ triſtis tibi occurret. Si enim triſtis, videatur in damnatis locis eſſe.*

CAP. IV. 65. INHVMANO.] *Conſol. ad Helu. cap.* XV. Infinito dolore affici, ſtulta indulgentia eſt: & nullo, inhumana duritia.

66. AD ARBITR.] *Qui dicat, Quod æquius melius.*

67. LIVIÆ.] *Meus*, Iuliæ. *ſcimus ita dictam & ſcriptam, poſt mariti mortem.*

68. AREO.] *Alexandrino. Suetonium vide, Aug. cap.* LXXXIX. *Plutarchum in Antonio, Dionem* LI.

69. ALTERO ADMI.] *Druſo. Tiberius ſolus ſupererat.*

70. NISI NVMERVM.] *Adeò omnia officia & ſolatia matri exhibebat, vt duorum vicem eſſet. Ad Heluiam cap.* XVI. Nihil tibi deerit prætet numerum: *in re & argumento ſimili.*

17. OPINIONIS SVÆ.] *Meo abeſt voculæ* ſuæ: *nec reuocem Opinio hîc, pro exiſtimatione alienâ. poſſus &*, ſanæ.

coram te de Druſo, an nihil: ne aut obliuio clariſſimi iuuenis [72] *illi faciat iniuriam, aut* [73] *mentio* A
tibi. Cùm ſeceſſimus, & in vnum conuenimus, facta eius dictaque quanto meruit [74] *ſuſpectu celebramus: coram te altum nobis de illo ſilentium eſt. Cares itaque maximâ voluptate, filij tui laudibus: quas non dubito quin vel impendio vitæ, ſi poteſtas detur, in æuum omne ſis prorogatura. Quare patere, imò accerſe ſermones, quibus ille narretur, & apertas aures præbe ad nomen memoriamque filij tui: nec hoc graue duxeris, ceterorum more, qui in eiuſmodi caſibus partem mali putant, audire ſolatia. Nunc incubuiſti tota in alteram partem, & oblita meliorum, fortunam tuam,* [75] *quâ deterior eſt, aſpicis. Non conuertis te ad conuictus filij tui, occurſusque iucundos, non ad pueriles dulcesque blanditias, non ad incrementa ſtudiorum: vltimam illam faciem rerum premis. in illam, tanquam parùm ipſa per ſe horrida ſit, quicquid potes congeris. Ne, obſecro te, concu-*
VI. *pieris peruerſiſſimam gloriam, infeliciſſimam videri. Simul cogita, non eſſe magnum, ſe rebus proſperis fortem gerere, vbi ſecundo curſu vita procedit: nec* [76] *gubernatoris quidem artem, tranquillum mare & obſequens ventus oſtendit: aduerſi aliquid incurrat oportet, quod animum probet. Proinde ne* [77] *ſubmiſeris te, imò contrà fige ſtabilem gradum: & quicquid onerum ſupra* B
cecidit, ſuſtine, primo dumtaxat ſtrepitu conterrita. Nullâ re [78] *maior inuidia fortunæ fit, quàm æquo animo.* Poſt hoc oſtendit illi filium incolumem, oſtendit ex amiſſo [79] nepotes. Tuum illic Marcia negotium actum, tibi Areus aſſedit: te mutatâ perſonâ conſolatus eſt. Sed puta, Marcia, ereptum tibi amplius [80] quàm vlla vnquam mater amiſerit (non permulceo te, nec extenuo calamitatem tuam) ſi fletibus fata vincuntur, [81] conferamus: eat omnis inter luctus dies: noctem ſine ſomno triſtitia conſumat: ingerantur lacerato pectori manus, & in ipſam faciem impetus fiat: atque omni ſe genere ſæuitiæ profecturus mæror exerceat. Sed ſi nullis planctibus defuncta reuocantur; ſi ſors immota, & in æternum fixa, nullâ miſeriâ mutatur; & mors tenet quicquid abſtulit; deſinat dolor, qui perit. Quare [82] regamus: nec nos iſta vis tranſuerſos auferat. Turpis eſt nauigij rector, cui gubernacula fluctus eripuit, qui fluctuantia vela deſeruit, permiſit tempeſtati ratem: [83] at ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clauum tenentem & ob-
VII. nixum. At enim naturale deſiderium ſuorum eſt. Quis negat, quamdiu modi- C
cum eſt? nam in diſceſſu, non ſolùm amiſſione, cariſſimorum neceſſarius morſus eſt, & firmiſſimorum quoque animorum [84] contractio. Sed plus eſt quod opinio adiicit, quàm quod natura imperauit. Adſpice mutorum animalium quàm concitata ſint deſideria, & tamen quàm breuia. Vaccarum vno die alteróve mugitus auditur: nec diutiùs equarum vagus ille amenſque diſcurſus eſt. Feræ cùm veſtigia catulorum conſectatæ ſunt, & ſiluas peruagatæ, cùm ſæpè ad cubilia expilata redierint, rabiem intra exiguum tempus exſtinguunt. Aues cùm ſtridore magno inanes nidos circumfremunt: intra momentum tamen quietæ, volatus ſuos repetunt. Nec vlli animali longum fœtus ſui deſiderium eſt, niſi

CAP. V. 72. ILLI FACIAT.] *Qui laudationem & memoriam meruit.*

73. MENTIO TIBI.] *Quaſi ea te pungat & lædat.*

74. SVSPECTV.] *Admiratione.*

75. QVA DETERIOR.] *A triſti tantùm parte. Menander:*

Τὰ δυσχερῆ δ', καὶ τὰ λυποῦσαντά σε
Ὁρᾷς ἐν αὐτῷ τ' ἀγαθὰ δ' ἔτι βλέπεις:
Nam triſtia, atque acerba ſenſibus tuis,
Vides in ipſo te: bona autem non vides.
Commune humani ingenij vitium.

CAP. VI. 76. GVBERNATORIS.] *De Prouidentiâ:* Gubernatorem in tempeſtate, in acie militem intellegas.

77. SVBMISERIS.] *A gladiatoribus. qui victi, ſe & arma ſubmittebant. Ego* II. *Saturn.*

78. MAIOR INVIDIA.] *Qui hac æquabilitate animi & robore, oſtendis te meliore eâ dignum.*

79. NEPOTES.] *Ex Druſo, Germanicum, Claudium, Liuillam.*

80. QVAM VLLA.] *Eſt communis ille matrum affectus: ſua cuique proles eximia. Theocritus:*

Κἠμ' ἐφαθ' ἁ μάτηρ Πολυδεύκεος ἦμεν ἀμείνω: D
Et mea me mater Pollucem vincere dixit.

81. CONFERAMVS.] *Vnà fleamus. quaſi ſimbolas lacrimarum demus. Statius in Siluis:*

— ipſe tuli, quos nunc tibi confero, queſtus.

Iterùm: — nec te lugere ſeuerus
Arceo, ſed confer gemitus, pariterque fleamus.

Alij tamen reſcribunt, confleamus.

82. REGAMVS.] *Eſt ad Salluſtianum illud:* Regere caſus, non ab iis regi. *Vulgò tamen,* regamur: *& tum malim,* erigamur.

83. AT ILLE.] *Rhodius gubernator, de quo in Epiſt.* LXXXV.

CAP. VII. 84. CONTRACTIO.] *Ariſtoteles:* Dolor frigus eſt, à frigore autem contractio.

85. AD-

A nisi homini : qui [85] adest dolori suo, nec tantum quantum sentit, sed quantum constituit, afficitur. Vt scias autem non esse hoc naturale, luctibus frangi, primùm magis fœminas quàm viros, magis barbaros quàm placidos eruditæque gentis homines, magis indoctos quàm doctos, eadem orbitas vulnerat. Atqui ea, quæ à naturâ vim acceperunt, eamdem in omnibus seruant. Apparet non esse naturale, quod varium est. Ignis omnes ætates, omnium vrbium ciues, tam viros quàm fœminas, vret : ferrum in omni corpore exhibebit secandi potentiam : quare? quia vires illi à naturâ datæ sunt, quæ nihil [86] in personam constituit. Paupertatem, luctum, [87] orbationem alius aliter sentit, prout illum consuetudo infecit : & [88] imbecillum impatientemque reddit præsumpta opinio de non timendis terribilis. Deinde quod naturale est, non decrescit morâ : dolo- VIII.
rem [89] dies consumit. licet contumaciſſimum, quotidie insurgentem, & contra remedia efferuescentem ; tamen illum, efficaciſſimum mitigandæ ferociæ, tempus eneruat. Manet quidem tibi, Marcia, etiamnum ingens tristitia, & iam videtur duxisse callum, non
B illa concitata, [90] qualis initio fuit, sed pertinax & obstinata : tamen hanc quoque ætas tibi minutatim eximet. Quoties aliud egeris, animus relaxabitur : nunc [91] te ipsa custodis. multum autem interest, vtrùm tibi permittas mærere, an imperes. Quanto magis hoc morum tuorum elegãtiæ conuenit, finem luctus potiùs facere, quàm exspectare: nec illum opperiri diem, quo te inuitâ dolor desinat? ipsa illi renuntia. Vnde ergo tan- IX.
ta nobis pertinacia in deploratione nostri, si id non fit naturæ iussu? quòd nihil nobis mali, antequam eueniat, proponimus, sed vt immunes ipsi, [92] & aliis pacatius ingressi iter, alienis non admonemur casibus, illos esse communes. Tot præter domum nostram ducuntur exsequiæ : de morte non cogitamus. tot [93] acerba funera: nos [94] togam nostrorum infantium, nos [95] militiam, & paternæ hereditatis successionem animo agitamus. tot diuitum subita paupertas in oculos incidit: & nobis numquam in mẽtem venit, nostras quoque opes æquè in lubrico positas. Necesse est itaque magis corruamus, qui quasi ex inopinato ferimur. Quæ multo [96] antè prouisa sunt, languidiùs incurrunt. Vis tu
C scire te ad omnes expositam ictus stare, & illa quæ alios tela fixerunt, circa te [97] vibrasse? velut murum aliquem, aut obsessum multo hoste locum, & arduum adscensu, inermis adeas, exspecta vulnus, & illa supernè volantia cum sagittis pilisque saxa, puta in tuum vibrata corpus. Quoties aut ad latus, aut post tergum ceciderint, exclama : Non decipies me fortuna, nec securam aut negligentem opprimes. scio quid pares. alium percussisti, me petisti. Quis vnquam res suas, quasi periturus, adspexit? quis vnquam nostrûm de exsilio, de egestate, de luctu cogitare ausus est? quis non, si admoneatur vt de suis eogitet, tanquam [98] dirum omen respuat, & [99] in capita inimicorum aut ipsius intempestiui monitoris abire illa iubeat? Non putaui futurum. Quicquam tu putas non futurum, quod multis scis posse fieri, quod multis vides euenisse? Egregium versum & [100] dignum audiui. est enim è populo. *Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest.*

Ille

85. ADEST DOLORI.] *Tuetur, & iustum videri vult.*

D 86. IN PERSONAM.] *Leges naturæ communes sunt, non priuilegia.*

87. ORBATIONEM.] *Scripti*, ambitionem : *ex quo* abitionem, *id est mortem, probes.*

88. IMBECILLVM.] *Libratâ sententiâ totâ, legere inducor :* imbecillum patientémve reddit præsumpta opinio de timendis, aut non timendis, terribilibus. *Ait. aliter atque aliter quisque in his afficitur, prout opinio illi præcepta de his externis.*

CAP. VIII. 89. DIES CONSVMIT.] *In Terentio:* Dies adimit ægritudinem. *Græcus senarius:*

Λύπης δ' ἐ πάσης ἐστὶν ἰατρὸς χρόνος:

Doloribus tempus medetur omnibus.

90. QVALIS INITIO.] *Olim sic correxi, etsi libri omnes,* in illo: *ex quo Pincian°*, in Liuiâ: *alius*, in illâ.

91. TEIPSA CVSTODIS.] *Epist.* LXIII. Nunc ipse custodis dolorẽ tuũ: *paullò aliter, sensu eodem.*

CAP. IX. 92. ET ALIIS.] *Veteres*, aliud; *at meus*, altius & pacatius. *Vtrumuis melius vulgato.*

93. ACERBA FVNERA.] *A fructibus, qui cadunt non maturi. Colloquio Hadriani & Epicteti:*

Poma vt in arboribus pendẽt, sic corpora nostra
Aut matura cadunt, aut citò acerba ruunt.

94. TOGAM.] *Virilem. qui dies inter votiuos.*

95. MILITIAM.] *Castrorum, aut Fori.*

96. ANTE PROVISA.] *Noster epist.* LXXVI. Præcogitati mali mollis ictus venit.

97. VIBRASSE.] *Tremuisse, vt solent missilia.*

98. DIRVM OMEN.] *Quasi ea monitio rem præsagiat & adferat.*

99. IN CAPITA.] *Adde de Benef.* IV. *cap.* XXXI.

100. DIGNVM AVDIVI.] *Scripti variant:* di-

Ille amisit liberos : & tu amittere potes. ille damnatus est : & tua innocentia [101] sub ictu A
est. Hic nos error decipit, hic effæminat, dum patimur, quæ numquam pati nos posse
X. præuidimus. Aufert vim præsentibus malis, qui futura prospexit. Quicquid est
hoc, Marcia, quod circa nos [102] ex aduenticio fulget, liberi, honores, opes, [103] ampla
atria, & excluforum clientium turbâ referta vestibula, clara, nobilis, aut formosa con-
iux, ceteraque ex incerta & mobili sorte pendentia: alieni commodatique apparatus
sunt. nihil horum dono datur: [104] collaticiis, & ad dominos redituris instrumentis scæ-
na adornatur. Alia ex his primo die, alia secundo referentur: pauca vsque ad finem per-
seuerabunt. Ita non est quod nos suspiciamus, tanquam inter nostra positi: mutuò ac-
cepimus. Vsusfructus noster est, cuius tempus ille [105] arbiter muneris sui temperat: nos
oportet in promptu habere, quæ in incertum diem data sunt, & appellatos, sine querela
reddere. Pessimi est debitoris, creditori facere conuicium. Omnes ergo nostros, & quos
[106] superstites lege nascendi optamus, & quos [107] præcedere iustissimum ipsorum votum
est, sic amare debemus, tanquam nihil nobis de perpetuitate, imò nihil de diuturnitate B
eorum promissum sit. Sæpè admonendus est animus, amet vt recessura, imò tanquam
recedentia. quicquid à fortunâ datum est, tanquam [108] extemplò abiturum possideat.
Rapite ex liberis voluptates, fruendos vos inuicem liberis date, & sine dilatione omne
gaudium haurite. nihil de hodiernâ die promittitur. Nimis magnam [109] aduocationem
dedi: nihil de hac horâ. Festinandum est. instat à tergo mors: iam [110] deficiet iste co-
mitatus: iam [111] contubernia ista sublato clamore soluentur. Rapina rerum omnium
est. Miseri nescitis [112] fuga viuere. Si mortuum tibi filium doles, eius temporis quo na-
tus est, crimen est. mors enim illi nascenti determinata est. In hanc legem datus: hoc fa-
tum ab vtero statim prosequebatur. In regnum fortunæ, & quidem durum atque inui-
ctum peruenimus, illius arbitrio digna atque indigna passuri. corporibus nostris impo-
tenter, contumeliosè, crudeliter abutetur: alios ignibus peruret, vel in pœnam admo-
tis, vel [113] in remedium: alios nudos mari iactabit, & luctatos cum fluctibus, ne in ha-
renam C

gnum audiui, qui non è populo heri &. *Alij*: dignum qui non è populo erit &. *Legebam olim*: dignum audi, qui non in populo periret. *Pronunciatur enim ille in theatris, è Publij mimis: atqui consessu & aure seueriori est dignus. Nunc etiam placeat*: dignum audi, qui non è Publio exiret. *Nam ille Mimographus, & leniorum studiorum ac morum: versus Thalete aliquo dignus.*

101. SVB ICTV.] *Inibi vt feriri iam possit. De Benef. II. cap. XXIX.*

CAP. X. 102. EX ADVENTICIO.] *Eorum, quæ ἐκτὸς ἐφ' ἡμῖν, vt Epictetus appellat*: quæ non in nobis. *Cicero Topicis*: Vt anteponantur innata atque insita, adsumptis & aduenticiis.

103. AMPLA ATRIA.] *Alij* arua. *ineptè. Mos & ambitio Romana, vt atria laxa essent, salutantibus, excipientibus, itémque stationi clientium. Vitruuius ostendit, solere &* centum pedes longa fieri, *pro modo lata.*

104. COLLATICIIS.] *Ita solet. tabulæ, statuæ, vestes sumi ab amicis, aut prouincialibus etiã, iisq; theatra ornari: sed in tempus, & mox reddebant. Collati igitur, inquit, isti apparatus sunt: à quo? à Fortunâ.*

105. ARBITER MVNERIS.] *Editor ludorum. Deus.*

106. SVPERSTITES.] *Liberos.*

107. PRÆCEDERE.] *Parentes. Suprà, cap. I.*

108. EXTEMPLO.] *Statim. atqui hoc iam dixit. Igitur scripti:* tanquam exemplum auctore possideat: *Meus:* ab auctore: *quod placet. Habes à fortunâ? incertum & fugax esse, ab ipsâ disce.*

109. ADVOCATIONEM.] *Spatium, & moram. Verbum eâ notione frequens, Principum æuo. A iudiciis manauit. nam qui parùm instructi ad respondendum, aduocationem à iudice solent petere: id est, moram & tempus deliberandi, aduocandiq; amicos aut peritos. Cicero:* Omnibus, vnde petitur, hoc consilij dederim, vt binas aduocationes postulent. *Inde ductum longius, vt solet, ad omnem tergiuersationem & moram. Vetus poëta:*

Cur differs mea lux rogata semper,
Cur longam petis aduocationem?

Valerius, lib. II. cap. IX. Seneca pater Controu. III. libri II. Noster de Irâ I. cap. XVI. & II. cap. XXIX. & III. cap. XII. Epist. XXII. atque alibi. Sed apertissimè, vel dicam audaciss imè VII. *Quæst. Nat. cap. X. de sideribus, quæ semper in motu:* Et vt det eis aliquam aduocationem: *id est, statum & quietem.*

110. DEFICIET.] *Alij*, disicietur: *quod esset,* D
soluetur, dissipabitur.

111. CONTVBERNIA.] *Hoc à militiâ est, vbi dispositæ pulchrè contubernia siue tabernicula, statim cùm* Vasa clamata *sunt, ad signum soluuntur.*

112. FVGA VIVERE.] *Ego concinnius putem:* Rapina rerum omnium est (miseri, nescitis?) & fuga, viuere. *Id est, rapina hic rerum; & ipsa vita, non dicam itus aut transitus, sed fuga est. Copula autem (&) est in meo & quibusdam libris.*

113. IN REMEDIVM.] *Benè. profectò enim medici & chirurgi, salutis causâ, vrunt. Quid tamen libris fiet, qui non agnoscunt? Scribunt:* admotis, vel incerta nudos: *absque vestigio eius verbi. An fortè,* vel in certamen? *quod esset, cùm in Arenâ ignibus vri se patiuntur, præmij causâ.*

114. DE-

A re.am quidem aut littus explodet, ſed in alicuius ventrem immenſæ beluæ[114] detrudet: alios morborum variis generibus emaceratos, diu inter vitam mortemque detinebit. Vt varia & libidinoſa, mancipiorumq. ſuorum negligens domina, & pœnis & muneribus [115] errabit. Quid opus eſt partes deflere? tota vita flebilis eſt. Vrgebunt noua incommoda, priuſquam veteribus ſatisfeceris. [116] Moderandus eſt itaque vobis animus ad hæc maximè, quæ immoderatè fertis: & in metus, & in dolores humanum pectus diſpenſandum. Quæ demum iſta tuæ publicæque [117] conditionis obliuio eſt? Mortalis XI. nata es, mortales peperiſti: putre ipſa fluidumque corpus, & caſibus morbiſque repetita, ſperaſti tam imbecillâ materiâ ſolida & æterna geſtaſſe? Deceſſit filius tuus, id eſt, decucurrit ad hunc finem, ad quem, quæ [118] feliciora partu tuo putas, properant. Huc omnis iſta quæ in foro litigat, in theatris [119] deſidet, in templis precatur turba, [120] diſpari gradu vadit. Et [121] quæ veneraris, & quæ deſpicis, vnus exæquabit cinis. Hoc iubet illa [122] Pythicis oraculis adſcripta vox, NOSCE TE. Quid eſt homo? quodlibet quaſſum
B vas, & quodlibet fragile: [123] iactatu, non tempeſtate magnâ, vt diſſiperis, eſt opus. Vbicumque [124] arietaueris, ſoluêris. Quid eſt homo? [125] imbecillum corpus, & fragile, nudum, ſuapte naturâ inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum: cùm benè lacertos exercuit, cuiuſlibet feræ pabulum, cuiuſlibet victima, ex infirmis fluidiſque contextum, & lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, æſtus, laboris impatiens: ipſo turſus ſitu & otio iturum in tabem, alimenta metuens ſua, quorum modò inopiâ, modò copiâ rumpitur: anxiæ ſolicitæque [126] tutelæ, precarij ſpiritus, & malè [127] hærentis, [128] quà parum repentinum audiet, ex improuiſo ſonus auribus grauis excutit: [129] ſoli ſemper ſibi nutrimentum vitioſum & inutile. Miramur in hoc mortem vnius, quâ ſingulis opus eſt? Nunquid enim vt concidat, res magni molimenti eſt? Odor illi ſaporque, & laſſitudo, & vigilia, & humor, & cibus, & ſine quibus viuere non poteſt, mortifera ſunt. Quocunque ſe mouet, infirmitatis ſuæ ſtatim conſcium, non omne cælum

C 114. DETRVDET.] *Ex libris melioribus*, decondet.

115. ERRABIT.] *Cæca & vaga, neutrum horum ex merito dabit.*

116. MODERANDVS.] *A Pinciano iſta: nec libris probata. In iis melioribus:* Moderandum eſt itaque nobis maximè quæ immoderatè fertis, & in multos dolores humani pectoris diſpenſanda. *Sed quod ſedeat, nihil elicio. Faciebam obiter:* Moderandum eſt itaque, vobis maximè, quæ immoderatè fertis, & in multos dolores humana pectora diſpenſanda. *Animus humanus quid vni dolori indulgeat? vita tota plena eſt, erítque ⌣. & ideò parandus firmanduſq. in plures.*

CAP. XI. 117. CONDITIONIS.] *Communis in conſolando locus, ſed firmus. Euripides ſcitè:*

D ——ἀλλ' ἀναγκαίως ἔχει
Βιὸν θερίζειν, ὥσπερ κάρπιμον στάχυν,
Καὶ τὸν μὲν εὖ, τὸν δὲ μή. τί ταῦτα δεῖ
Στένειν, ἅπερ δεῖ καὶ φύσιν διεκπερᾶν;
——necesſum eſt enim,
Vt ſpica quæ maturuit, vitam meti.
Hunc viuere, illum præmori: quid attinet
Deflere, ſuſtinere quæ nati ſumus.

118. FELICIORA.] *Iſtos ſuperſtites.*

119. DESIDET.] *Benè. nam totos dies, & partem noctium, ſæpè ſedebant.*

120. DISPARI.] *Citiùs, tardiùs.*

121. QVÆ VENER.] *Libri ingerunt vocem:* quæ diligis veneraris. *⌣ Adde item voculam:* diligis aut veneraris.

122. PYTHICIS.] *Vulgò adſcripta ⌣ Apollini, ab aliis* Chiloni: *quibuſdam*, Thaleti, *vel* Bianti. *Alij ab ipſo Apolline reſponſum Chiloni hoc datum, quærenti* Quid eſſet optimum ſcitu? *Cuiuſcumque, vel Deo digna vox eſt: & variam pulchramq. interpretationem pete è Porphyrij* Sermonibus *ſuper hoc dicto, quorum pars in Stobæo.*

123. IACTATV.] *A nauigantibus. & ad nauem quaſſam rimoſamq. reſpicit, quæ ſolâ iactatione vehementiore ſoluatur.*

124. ARIETAVERIS.] *Si iactatione, multo magis incurſu & ictu. Vetus, & Plauti verbum:* Quis ædes noſtras tam proteruè arietat?

125. IMBECILLVM.] *Homerus:*
Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο:
Terra nihil homine imbecillius educat ipſo.
Ariſtoteli adſcribunt: Τί γάρ ἐστιν ἄνθρωπος; ἀσθενείας ὑπόδειγμα, καιροῦ λάφυρον, τύχης παίγνιον, μεταπλάσεως εἰκών, φθόνου καὶ συμφορᾶς πλάσιγξ. τὸ δὲ λοιπὸν, φλέγμα καὶ χολή: Quid homo? imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludicrum, mutationis imago, inuidiæ & calamitatis trutina: cetera, pituita & bilis.

126. TVTELÆ.] *Anxiè tuendum & ſeruandum.*

127. HÆRENTIS.] *Siue vt mei*, inhærentis.

128. QVA PARVM.] *Alius hæc capiat, non ego. Concinnabam:* quem pauor repentinus, aut item ex improuiſo ſonus. *Quidni malè hæreat ſpiritus? ecce pauor ſubitus, aut ſonus grandior, eum tollit, aut ſiſtit. In meo erat*, quam, *pro* quà: *&* auditum, *pro* audiet: *quæ leuiter me iuuant.*

129. SOLI SEMPER.] *Nam aliæ animantes & nos, & inter ſe, alunt. An hoc vult, hominem à ſe depaſci paullatim, & ad mortem ire?*

lum ferens, aquarum nouitatibus, flatuque non familiaris auræ, & tenuissimis cau- A
atque offensionibus morbidum, putre, [130] cassum, [131] à fletu vitam [132] auspicatum:
cùm interim quantos tumultus hoc tam contemptum animal mouet? in quantas cogi-
tationes oblitum conditionis suæ venit? Immortalia, æterna volutat animo, & in nepo-
tes pronepotesque disponit: cùm interim longa conantem eum mors opprimit: & hoc
XII. quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum. Dolor tuus, ô Marcia, si
modò illi vlla ratio est, vtrùm sua spectat incommoda, an eius qui decessit? Vtrúmne
amisso filio mouet, quòd nullas ex illo voluptates cepisti: an quòd maiores, si diutiùs
vixisset, percipere potuisti? Si nullas te percepisse dixeris; tolerabilius efficies detrimen-
tum tuum. minùs enim homines desiderant ea, ex quibus nihil gaudij lætitiæque perce-
perunt. Si confessa fueris percepisse magnas voluptates; oportet te non de eo quod de-
tractum est queri, sed de eo gratias agere quod collegisti. Prouenerunt enim satis magni
fructus laborum tuorum ex ipsâ educatione: nisi fortè hi, qui catulos aueisque, & friuola
animorum oblectamenta, summâ diligentiâ nutriunt, fruuntur aliquâ voluptate ex visu B
tactuque & blandâ adulatione mutorum: liberos nutrientibus, non fructus educatio-
nis, ipsa educatio est. Licet itaque tibi nihil industria eius contulerit, nihil diligentia cu-
stodierit, nihil prudentia quæsierit: ipsum quod habuisti, quod amasti, fructus est. At
potuit longior esse, & maior. Meliùs tamen tecum actum est, quàm si omnino non con-
tigisset. quoniam si ponatur electio, vtrùm satius sit non diu felicem esse, an numquam:
melius est, discessura nobis bona, quàm nulla contingere. Vtrúmne malles degenerem
aliquem, & numerum tantùm nomenque filij expleturum habuisse, an tantæ indolis,
quantæ tuus fuit? Iuuenis citò prudens, citò pius, citò maritus, citò pater, citò [133] omnis
officij curiosus, citò sacerdos, omnia tam propera. Nulli ferè & [134] magna bona, & diu-
turna, contingunt. non durat, nec ad vltimum exit, nisi [135] lenta felicitas. Filium tibi
dij immortales non diu daturi, statim talem dederunt, qualis diu effici potest. Ne illud
quidem dicere potes, electam te à diis, cui frui non liceret filio. Circui per omnem no-
torum & ignotorum frequentiam oculis: occurrent tibi vbique maiora. Senserunt ista C
magni duces, senserunt principes. ne deos quidem fabulæ immunes reliquerunt: puto
vt nostrorum funerum leuamentum esset, etiam diuina concidere. Circumspice, in-
quam, omnes. nullam tam miseram nominabis domum, quæ non inueniat in miserio-
re solatium. Non, mehercule, tam malè de moribus tuis sentio, vt putem posse te leuiùs
pati casum tuum, si tibi ingentem numerum lugentium produxero. maliuoli solatij ge-
nus est, turba miserorum. Quosdam tamen referam: non vt scias, hoc solere hominibus
accidere: ridiculum est enim, mortalitatis exempla colligere: sed vt scias fuisse multos,
qui lenierunt aspera, ferendo placidè. A felicissimo incipiam. L. Sylla filium amisit: nec
ea res aut [136] malitiam eius, & acerrimam virtutem in hostes ciuesque, contudit: aut ef-
fecit, vt cognomen illud vsurpasse saluo videretur, quod [137] amisso filio assumpsit: nec
odia hominum veritus, quorum malis, illius nimis secundæ res constabant: nec inui-
diam

130. CASSVM.] *Pincianus scripsit, cùm esset in scriptis*, casarum, *vel* causarũ. *At vera lectio*, caussarium: *id est morbidum, infirmum. Vide epist.* LXVIII.

131. A FLETV.] *Plinius in* VII. Nullumque animalium ad lacrimas, & has protinus vitę principio genitum. *Græcus poëta:*

Δακρυχέον γενόμην, καὶ δ' ἀκρύσας ἀπεθνήσκω,
Δάκρυσι δ' ἐν πολλοῖς τὸν βίον εὗρον ὅλον:

In lacrimis lucem vidi, in lacrimis quoque linquo,
In lacrimis vita est tota peracta mihi.

132. AVSPICATVM.] *Plinius*: A suppliciis vitam auspicatum. *Lucretius:*

Vagituque locũ lugubri complet, vt æquũ est,
Cui tantum in vitâ restat transire malorum.

CAP. XII. 133. OMNIS OFFICII.] *Possis interpretari, sedulò curantem quærentemque quid sui officij. Officium*, τὸ καθῆκον. *Sed suboluit iam olim de interpolatione: & vide Elect* I. *cap.* X. D

134. MAGNA BONA.] *De Breuit. vit. cap.* XVII. Maxima quæque bona solicita sunt, & nulli fortunæ minùs benè, quàm bonæ, creditur.

135. LENTA FELIC.] *Quæ tardè creuerit. nam vt Boëtius:*

Quidquid præcipiti viâ
Certum deserit ordinem,
Lætum non habet exitum.

136. MALITIAM.] *Scribe*, militiam: *nec monerem, nisi illud scripti & editi libri præferrent.*

137. AMISSO FILIO.] *Inter ciuilia bella, vt apparet: sed quo & ex quâ vxore (plures habuit) non repperi.*

138. CRI-

A diam deorum, quorum illud [138] crimen erat, Sylla tam felix. Sed istud inter res nondum [139] iudicatas habeatur, qualis Sylla fuerit, etiam inimici fatebuntur, benè illum arma sumpsisse, [140] benè posuisse: hoc de quo agitur constabit, non esse maximum malum, quod etiam ad felicissimos peruenit. Nec nimis admiretur Græcia [141] illum patrem, qui in ipso sacrificio nunciatâ [142] filij morte, [143] tibicinem tantùm tacere iussit, & [144] coronam capiti [145] detraxit, cetera ritè perfecit. [146] Puluillus hoc fecit pontifex, XIII.
cui [147] postem tenenti, & Capitolium dedicanti, mors filij nunciata est: quam ille exaudisse dissimulans, & sollemnia pontificalis [148] carminis verba concepit, gemitu non interrumpente precationem, & ad filij sui nomen Ioue propitiato. [149] Putasses eius luctus aliquem finem esse debere, cuius primus dies, primus impetus ab altaribus publicis, & faustâ nuncupatione, non abduxit patrem. Dignus mehercule fuit memorabili dedicatione, dignus amplissimo sacerdotio, qui colere deos [150] ne iratos quidem destitit. Idem tamen, vt rediit domum, & [151] impleuit oculos, & aliquas voces flebiles misit: &
B actis, quæ mos erat præstare defunctis, [152] ad Capitolium hilari rediit vultu. Paullus circa illos nobilissimi [153] triumphi [154] dies, quo victum ante currum egit Persen, [155] inclyti regis nomen, [156] duos filios in adoptionem dedit: [157] quos sibi seruauerat, extulit. [158] Quales retentos putas, cùm inter commodatos Scipio fuisset? Non sine motu [159] vacuum Paulli currum populus Romanus aspexit. [160] concionatus est tamen, & egit diis gratias, quòd compos voti factus esset. [161] Precatum enim se, vt si quid ob ingentem victoriam [162] inuidiæ dandum esset, id suo potiùs, quàm publico damno, lueretur. Vides quàm magno animo tulerit? orbitati suæ gratulatus est. Ecquem magis poterat mouere tanta

138. CRIMEN ERAT.] *Vulgi vocibus, Deum incusantis in prosperitate immeritâ.*

139. IVDICATAS.] *De quibus nondum liqueat.*

140. BENE POSVISSE.] *Cum abiectâ Dictaturâ, ad togam rediit.*

C 141. ILLVM PATREM.] *Xenophontem.*

142. FILII.] *Cui Gryllus nomen. cecidit in prælio ad Mantineam.*

143. TIBICINEM.] *Qui sacrificantibus adsistere & canere solebat.*

144. CORONAM.] *Id quoque ex ritu, vt coronati sacrificarent.*

145. DETRAXIT.] *Sed statim reposuit, cùm audiuit fortiter pugnantem obiisse.*

CAP. XIII. 146. PVLVILLVS.] *Horatius Pulluillus: de quo Valerius lib.* V. *Liuius* II. *Dionysius* V.

147. POSTEM TENENTI.] *Ex ritu dedicantiũ. qui enim Deo aliquid dabãt sacrabant q̃, rem ipsam manu tangebant, nequid plus minúsve sacrasse viderentur.*

148. CARMINIS.] *Sollennium verborum. Ita Liuio*, carmen euocationis, rogationis: *Ciceroni,*
D carmen XII. tabularum.

149. PVTASSES.] *Meus*, putasses enim. *Ego*, putásne, *interrogando.*

160 NE IRATOS.] *Vulgi sensu, non sapientum.*

151. IMPLEVIT.] *Madore, & lacrimis mox manantibus.*

152. AD CAPITOLIVM.] *Non ex historiâ, sed fictione scribentis, ad stili venerem vel acumen. Iuretus volebat:* ad Capitolinum illum rediit vultum: *bellè. posito illo tristiore, iterùm lætiorem sumpsit, & quem in Capitolio habuerat.*

153. TRIVMPHI.] *Macedonici.*

154. DIES.] *Nam per triduum pompa ducta.*

155. INCLITI REGIS NOMEN.] *Hæc eiecerunt: at asserunt omnes libri. Lego*, inclitum. *Non enim ipsum laudat, sed nomen famamq; inclitam donat, ob regum veterum gloriam, & suam cladem.*

156. DVOS FILIOS.] *Maiores, Scipionem & Fabium posteà dictos.*

157. QVOS SIBI.] *Vellem repeti vocem*, duos quos sibi. *nempe minores, & alterum* XIV. *annos natum, diebus quinque ante triumphum amisit; alterum* XII. *tribus post triumphum. Plutarchus.*

158. QVALES RETENTOS.] *Meliores scilicet, maioréque, si fata voluissent: quoniam optima ablegare aut alienare non solemus.*

159. VACVVM P. CVRRVM.] *Ad morem, quo puberes filij & iam in virili togâ, equis comitabantur triumphantem patrem, siue seorsim, & singularibus; siue currulibus, & qui triumphantem traherent, insidentes. Minores autem, vnà cum patre in ipso curru spectabantur. Itaque ad hos minores alluſit, & negat quemquam ibi conspectum: an parùm cogitatè, cùm alter adhuc superesset? an nec is in curru fuit, iamtunc æger? Quod ex Liuio appareat, qui pro Senecæ totâ mente*: E duobus filiis, quos duobus in adoptionem datis, solos nominis, sacrorum, familiæque heredes retinuerat domi; minor fermè duodecim natus annos, quinque diebus ante triũphum, maior quatuordecim annorum, triduo pòst decessit. quos prætextatos curru vehi cum patre, sibi ipsos similes prædestinantes triumphos, oportuerat. *Nota & dissensum obiter à Plutarcho, in ordine morientium, qui planissimè contrà scribit.*

160. CONCIONATVS.] *Paucis diebus post triumphum. Liuius.*

161. PRECATVM ENIM.] *Hæc sic in Liuio:* Postquam omnia secunda, neque erat quod vltrà precarer, illud optaui, vt cùm ex summo retrò volui Fortuna consuesset, mutationem eius domus mea potiùs, quàm Respublica sentiret.

162. INVIDIÆ DAND.] *Opinio illorum fuit, Inuidiam & fascinum, rebus lætis insidiari, & plurimùm interuenire. Ad auertendum, iacturam aliquam aut casum vltrò subeundum. Exemplo scilicet,*

tanta mutatio?[163] solatia simul atque auxilia perdidit: non contigit tamen tristem Paul- A
XIV. lum Persi videre. Quid nunc te per innumerabilia magnorum virorum exempla ducam, & quæram miseros? quasi non difficilius sit, inuenire felices. Quota quæque domus vsque ad exitum omnibus partibus suis constitit, in quâ non aliquid turbatum sit? Vnum quemlibet annum occupa: & ex eo magistratus cita. [164] Lucium, si vis, Bibulum, & C. Cæsarem. videbis inter collegas inimicissimos concordem fortunam. L. Bibuli, melioris quàm fortioris viri, duo simul filij [165] interfecti sunt: Ægyptio quidem militi ludibrio habiti: vt non minùs ipsâ orbitate, [166] auctor eius, digna res lacrimis esset. Bibulus tamen, qui, toto [167] honoris sui anno, [168] ob inuidiam collegæ, domi latuerat, [169] postero die quàm geminum funus renunciatum est, processit ad solita & publica officia. Quid minus poterat, quàm vnum diem duobus filiis dare? tam citò liberorum luctum finiuit, qui consulatum anno luxerat. C. Cæsar cùm Britanniam peragraret, nec Oceano felicitatem suam continere posset, audiuit decessisse [170] filiam, [171] publica secum fata ducentem. In oculis erat iam Cn. Pompeius, non æquo laturus animo B
quemquam alium esse in Rep. magnum, & modum impositurus incrementis, quæ grauia illi videbantur, etiam cùm [172] in commune crescerent: tamen intra tertium diem
XV. imperatoria obiit munia, & tam citò dolorem vicit, quàm omnia solebat. Quid aliorum tibi funera Cæsarum referam? quos in hoc mihi interim videtur violare fortuna, vt sic quoque generi humano [173] prosint, ostendentes, ne eos quidem, qui [174] diis geniti deosque genituri dicantur, sic suam fortunam in potestate habere, quemadmodum [175] alienam. Diuus Augustus amissis [176] liberis, [177] nepotibus, exhaustâ Cæsarum turbâ, [178] adoptione desertam domum fulsit. Tulit tamen fortiter: tamquam eius iam res ageretur, cuius cummaximè [179] intererat, de diis neminem queri. Ti. Cæsar & quem [180] genuerat, & quem [181] adoptauerat, amisit: ipse tamen pro rostris [182] laudauit [183] filium, stetitque in conspectu posito corpore, interiecto tantummodò [184] velamento, quod

quo, ij, qui in bonâ valetudine, sanguinem sibi detrahunt, ad inualetudinem vitandam. Eò Seneca nunc adspexit. & Cicero, ad Atticum: Missus est sanguis Inuidiæ, sine dolore: *cùm ignominiam publicam, spreto testimonio suo, accepisset. Apud Liuium Appius, abiturus Decemuiratu, lib.* III. Dandus Inuidiæ est sanguis. *Plin. vide* XXVIII. *cap.* II. *&* IV.

163. SOLATIA.] *Acutè dicit, quod nec omnes statim aduertant.* Solatia *amisit, nempe in minoribus liberis, qui oblectant tantùm:* auxilia *in maioribus, qui & iuuant. Illos morte, hos adoptione amiserat.*

CAP. XIV. 164. LVCIVM.] *Non muto, & ita Appianus, Eutropius, Orosius prænominant: plures tamen & vetustiores consentiunt* Marcum *esse.*

165. INTERFECTI.] *Factum hoc Cæsari tangitur* III. *Ciuil. & ab* equitibus *interfectum ostendit, qui Ptolomæum in regnum reduxerant. Valerius plura lib.* IV. *cap.* I. *&* Gabinianos *istos milites appellat, etsi iamdiu Gabinius iis locis excesserat: sed nomen tenuerunt, quia ab eo introducti, in custodiâ regis ibi manserant. Cædes ista paullò ante ciuile Pompeianum bellum, cùm Syriæ præesset Bibulus, Aegypto Cleopatra, mortuo iam patre.*

166. AVCTOR EIVS.] *Pro his meus liber,* auctoris. *Lego igitur,* auctores. *Quos contemptim facit* Ægyptios milites: *imbellem gentem, & Romanis contemptam. Etsi isti exteri plerique: sed in Aegypto militabant.*

167. HONORIS.] *Consulatus. Suetonius cap.* XX. *in Iulio, Dio & Cicero.*

168. OB INVIDIAM.] *Vt Cæsari inuidiam faceret, quasi eius vi aut metu domo attineretur.*

169. POSTERO DIE.] *Magna firmitas, cui & moderatio accessit, Valerio narrata. nam cùm Cleopatra, noua tunc regina, vinctos interfectores ad Bibulum in Syriam misisset: ille animo suo imperans, remisit, dicit itans* Senatus, non suam, vindictam illam esse debere. C

170. FILIAM.] *Anno vrbis* DCC.

171. PVBLICA SECVM.] *Nam eius morte concordia sublata, & socer genero diuulsi, nullo iam pignore medio.*

172. IN COMMVNE.] *Cùm heres potentiæ futurus videretur, qui ex vtriusque sanguine genitus.*

CAP. XV. 173. PROSINT OSTEND.] *Non solùm prosint, quia præsunt & moderantur; sed etiam exemplo, nec tantùm imperio, iuuent.*

174. DIIS GENITI.] *E Virgilio:* -diis genite, & geniture deos.

175. ALIENAM.] *Alios felices miserosq; facere posse videntur, non sese.*

176. LIBERIS.] *Solâ Iuliâ.* D

177. NEPOTIBVS.] *C. & L. Cæsaribus.*

178. ADOPTIONE.] *Tiberij.*

179. INTERERAT.] *Quare? quia & ipse futurus inter Deos, & hoc animo iam præceperat.*

180. GENVERAT.] *Drusum.*

181. ADOPTAVERAT.] *Germanicum, iubente Augusto.*

182. LAVDAVIT.] *Oratione funebri, recepto in illustrium funeribus, & pulchro more.*

183. FILIVM.] *Drusum.*

184. VELAMENTO.] *Velo, vel aulæo interiecto. Nefas enim Pontificem max. tangere, aut studio spectare cadauer. Vide, quæ scripsi ad* IV. *Annal. Taciti, in funere Drusi. & adde, à Iudæis videri (vt multa sacro-*

A quod pontificis oculos à funere arceret, & [185] flente populo Romano [186] non flexit vultum : experiendum se dedit Seiano ad latus stanti, quàm patienter posset [187] suos perdere. Vidésne quanta copia virorum maximorum sit, quos [188] non excepit hic omnia prosternens casus, in quos tot animi bona, tot ornamenta publicè priuatimque congesta erant? Sed videlicet in orbem ista tempestas: & [189] sine dilectu vastat omnia, agitque vt sua. [190] Iube singulos conferre rationem: nulli contigit impunè nasci. Scio XVI.
quid dicas: Oblitus es fœminam te consolari, virorum refers exempla. Quis autem dixerit naturam malignè cum muliebribus ingeniis egisse, & virtutes illarum in arctum retraxisse? Par illis, mihi crede, vigor, par ad honesta, (libeat) facultas est: laborem doloremque ex æquo, si consueuere, patiuntur. In quâ istud vrbe, dij boni, loquimur? in quâ regem Romanis capitibus [191] Lucretia & Brutus deiecerunt. Bruto libertatem debemus, [192] Lucretiæ Brutum. In quâ [193] Cloeliam, contempto hoste & flumine, ob insignem audaciam tantumnon in viros transcripsimus. [194] Equestri insidens statuæ, in sacrâ viâ,
B celeberrimo loco, Cloelia exprobrat iuuenibus nostris [195] puluinum ascendentibus, in eâ illos vrbe sic ingredi, in quâ etiam fœminas equo donauimus. Quòd tibi si vis exempla referri fœminarum, quæ suos fortiter desiderauerunt, non ostiatim quæram: ex vnâ tibi familiâ duas Cornelias dabo. Primam Scipionis filiam, Gracchorum matrem. [196] duodecim illa partus, totidem funeribus recognouit. & de ceteris facile est, quos [197] nec editos, nec amissos ciuitas sensit: Ti. Gracchum, & Caium, quos etiam qui bonos viros negauerit, magnos fatebitur, & occisos vidit, & [198] insepultos. consolantibus tamen miseramque dicentibus, *Numquam*, inquit, *non felicem me dicam, quæ* [199] *Gracchos peperi.* Cornelia [200] Liuium Drusum, [201] clarissimum iuuenem, illustris ingenij, vadentem per Gracchorum vestigia, imperfectis tot rogationibus, [202] intra penates interemptum suos amiserat, incerto cædis auctore: tamen & acerbam mortem filij, & inultam, tam magno animo tulit, quàm ipse [203] leges tulerat. Iam cum fortunâ in gratiam, Marcia, reuertêris, si tela, quæ in [204] Scipiones, Scipionumque matres ac [205] filios egit, quibus
C Cæsa-

sacrorum) hunc ritum. Nam & summus eorum Pontifex nec cadauer tangebat, nec funeris causâ in luctu aut aliâ veste erat: vt semper scilicet castus purúsque preces concipere posset, & immolare. Philo, de Monarchiâ.

185. FLENTE POPVLO.] *Qui tamen* habitum voceque dolentium, simulatione magis, quàm libens induebat, domumque Germanici reuirescere occulti lætabantur. *Tacitus* IV. *Ann.*

186. NON FLEXIT.] *Aliàs constans aut rigidus. etiam* per omnes eius valetudinis dies, nullo metu, an vt firmitudinem animi ostentaret, etiam defuncto, necdum sepulto, Curiam ingressus est: & effusum in lacrimas Senatum, victo gemitu, simul continuâ oratione, erexit. *Tacitus.*

187. SVOS PERDERE.] *Callidè ad Seianum refert. quem etsi amatum, & in arcanâ gratiâ, tamen*
D *ex suspicione afflixit & sustulit. Itaque monuit eo ipso facto, quàm duraret animo etiam ad sanguinem suum perdendum, nedum ad amicos aut adfines.*

188. NON EXCEPIT.] *Eximios non habuit, non præteriuit.*

189. SINE DILECTV.] *Pedo:*

Quaque ruit, furibunda ruit, totumque per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

190. IVBE.] *Meus*, Iubet. *& mox*, rationi.

CAP. XVI. 191. LVCRETIA.] *Quæ occasionem morte suâ præbuit.*

192. LVCRETIÆ.] *Nec enim sine eâ excitatus fuisset.*

193. CLOELIAM.] *Bello cum Porsenâ, inter obsides, flumen in equo tranauit, & alios secum duxit. In Liuio & Dionysio tota narratio.*

194. EQVESTRI.] *Plinius libro* XXXIV. *cap.* VI. *Liuius lib.* II.

195. PVLVINVM.] *Id est lecticam, in quâ puluinus.*

196. DVODECIM.] *Vide Plutarchum in Gracchis, consentientem.*

197. NEC EDITOS.] *Non enim publicè nobiles se, vllâ virtute aut factis, fecerant. iuuenes aut pueri mortui.*

198. INSEPVLTOS.] *In Tiberim proiectos.*

199. GRACCHOS PEPERI.] *Tales & tantos scilicet viros. & verè æstimanti, magni fuêre; sed culpâ aliquâ suâ, & maximâ fatorum oppressi. Aliud eius magnificum dictum in Plutarcho: cùm in locis sacris oppressi essent*, Dignos mortuis tumulos eos esse.

200. LIVIVM DRVSVM.] *Scripti omnes*, diui Drusi. *Lege*, Liuij Drusi: *id est, vxor Liuij Drusi. sermone Romano, Metella Crassi, Terentia Ciceronis, Fuit hic Liuius Drusus, Marci pater, Tribuni, de quo sequitur.*

201. CLARISSIMVM IVV.] *Quem iam dixi, Marcum.*

202. INTRA PENATES.] *Domi suæ, dum salutatur. Vide de Breu. vitæ, cap.* VI.

203. LEGES TVL.] *Alias fauente Senatu, quasdam populo, extremas neutro.*

204. SCIPIONES.] *Nihil de Scipionibus anteà, sed vide tamen Consol. ad Polyb. cap.* XIII.

205. FILIOS.] Filias, *ex hac quidem recitatione.*

206. NVL-

Cæsares petiit, ne à te quidem continuit. Plena & infesta variis casibus vita est: à quibus A
nulli longa pax, vix inducia sunt. Quattuor liberos sustuleras, Marcia. [206] nullum aiunt
frustrà cadere telum, quod in confertum agmen immissum est. Mirum est, tantam
turbam non potuisse sine inuidiâ damnóve præteruehi? At hoc iniquior fortuna fuit,
quòd non tantùm filios eripuit, sed elegit. Numquam tamen iniuriam dixeris, [207] ex
æquo cum potentiore diuidere: duas tibi reliquit filias, & harum nepotes: & ipsum
quem maximè luges, [208] prioris oblita, non ex toto abstulit. Habes ex illo duas filias. si
malè fers, magna onera: si benè, magna solatia. In hoc [209] te perduxit, vt illas cùm vi-
deris, admonearis filij, non doloris. [210] Agricola, euersis arboribus, quas aut ventus ra-
dicitus euulsit, aut contortus repentino impetu turbo perfregit, subolem ex illis resi-
duam fouet, & amissarum semina statim plantasque disponit: & momento (nam vt in
damna, ita ad incrementa rapidum veloxque tempus est) adolescunt amissis lætiora.
Has nunc Metilij tui filias in eius vicem substitue: & vacantem locum exple. Vnum
dolorem, geminato solatio leua. Hæc quidem natura mortalium est, vt nihil magis pla- B
ceat, quàm quod amissum est. iniquiores sumus aduersus relicta, ereptorum desiderio.
sed si æstimare volueris, quàm tibi valdè fortuna, etiam cùm sæuierit, pepercerit, scies te
XVII. habere plus quàm solatia. Respice [211] tot nepotes, duas filias. Dic illud quoque, Mar-
cia. moueret me, si esset cuique pro moribus fortuna, numquam mala bonos sequeren-
tur: nunc video, exempto discrimine, & eodem modo, malos bonosque iactari. Graue
est tamen, quem educaueris iuuenem, iam matri, iam patri præsidium ac decus, amitte-
re. Quis negat graue esse? sed humanum est. Ad hoc genita es vt perderes, vt perires,
vt sperares, metueres, alios teque inquietares, mortem & timeres & optares, &, quod est
pessimum, numquam scires cuius esses [212] status. Si quis Syracusas petenti diceret: Om-
nia incommoda, omnes voluptates futuræ peregrinationis tuæ antè cognosce, deinde ita
nauiga. Hæc sunt quæ mirari possis. videbis primùm ipsam insulam ab Italiâ angu-
sto interciſam freto, quam continenti quondam cohæsisse constat: subitum illò mare
irrupit, & *Hesperium Siculo latus abscidit:* C
deinde videbis (licebit enim tibi auidissimum maris verticem [213] stringere) illam fabu-
losam, Charybdim dico, quàm diu ab Austro vacat, quietam; at si quis inde ventus spi-
rauit, hiatu magno profundoque nauigia sorbentem. Videbis celebratissimum carmi-
nibus fontem [214] Arethusam, nitidissimi ac perlucidi ad imum stagni, gelidissimas aquas
profundentem: siue illas ibi primùm [215] nascentes inuênit, siue immersum terris
[216] flu-

206. NVLLVM AIVNT.] *Rectè, aut quod in Pinciani quibusdam:* nullum amat.

207. EX ÆQVO.] *Nam duos sustulit, duas reliquit.*

208. PRIORIS.] *Filij alterius, qui antè obierat.*

209. TE PERDVXIT.] *Vellem*, tibi produxit: *aut certè*, in hocce produxit.

210. AGRICOLA.] *Ingeniosa & apposita comparatio. quam & reperio in Telete Pythagorico, ô insigni viro, vt fragmenta eum ostendunt.* Οὐ γὰρ ὀρθῶς φησι βελτιοῦντας ὁ Στίλπων· τὸ, διὰ τὰς ἀπογενομένους τῶν ζώντων ὀλιγωρεῖν. γεωργὸς ἂ ποιεῖ τοῦτο. εἰ δὲ ἂν τῶν δένδρων ξηρόν τι γένηται, καὶ τὰ ἄλλα προσεκκόπτει. ἀλλὰ τῶν λοιπῶν ἀπιμελόμενος, πειρᾶται τὴν τοῦ ὑπολοιπότος χρείαν ἀναπληροῦν: Nec enim rectè consulere Stilpo dicit, qui ob mortuos & defectos obliuiscuntur viuorum aut neglegunt. Agricola non id facit. nec siquid stirpium arborúmve exaruit, etiam reliquas præterea exscindit: sed curam potiùs earum gerens, conatur damnum ex vnius interitu factum implere & resarcire.

211. TOT NEPOTES.] *Nempe & ex filiabus nepotes, vt antè dixit. nam ex Metilio*, duas filias *dumtaxat.*

CAP. XVII. 212. STATVS.] *A parte animæ. mortalis illa, an immortalis. Liber meus*, Stares.

213. STRINGERE ILLAM.] *Non germana hæc tota lectio, atque alia eruenda è libris. Meus.* restringere stratam illam fabulosam Caripidis aquam diu ab Austro vocaturam, siquid inde vehementiùs spirauit. *cui consentiunt ferè alij, aut leuiter discedunt. Faciebam:* stratam illam fabulosam Charybdin, quamdiu ab Austro vacat; verùm siquid inde vehementiùs spirauit. *Verè, & cum momento* D *sententiæ. nam Charybdis* strata *& placida est, quamdiu nihil ab Austro increpat: cùm ab illo, turbatur & in vertices rotatur. Ne longè fidem petam, Seneca ipse epist.* LXXIX. Fac nos certiores vtrùm vno tantùm vento agatur in vortices. *Et expressiùs epist.* XIV. Temerarius gubernator contempsit Austri minas. ille est enim qui Siculum pelagus exasperet, & in vortices cogat. *Adi ea loca.*

214. ARETHVSAM.] *Syracusarum fontem. de quo vbertim noster Quæst. Natur.* III. *cap.* XXVI. *& lib.* VI. *cap.* VIII. *vt alios omittam.*

215. NASCENTES.] *Alij libri aliter: at meus*, nascens inuenit, siue ipsum terris. *quod nec iure spernas. Ita ad* Fontem *hæc referantur, & id verbi* ἀπὸ κοινοῦ *repetendum.*

216. FLV-

A [216] flumen integrum ſubter tot maria, & à confuſione peioris vndæ ſeruatum, reddidit. Videbis [217] portum quietiſſimum omnium, quos aut natura poſuit in tutelam claſſium, aut adiuuit manus, ſic tutum, vt ne maximarum quidem tempeſtatum furori locus ſit. Videbis vbi [218] Athenarum potentia fracta: vbi [219] tot millia captiuorum, ille exciſis in infinitam altitudinem ſaxis, [220] nobilis carcer incluſerat: ipſam [221] ingentem ciuitatem, & [222] laxius territorium, quàm multarum vrbium fines ſint: tepidiſſima hiberna, & [223] nullum diem ſine interuentu ſolis. Sed cùm omnia iſta cognoueris, grauis & inſalubris æſtas hiberni cæli beneficia corrumpet. Erit Dionyſius illic tyrannus, libertatis, iuſtitiæ, legum exitium, dominationis cupidus etiam [224] poſt Platonem, [225] vitæ etiam poſt exſilium: alios vret, alios verberabit, alios ob leuem offenſam iubebit detruncari: accerſet ad libidinẽ mares fęminaſque, & inter fœdos regię intemperantiæ greges parum erit ſimul [226] binis coire. Audiſti quid te inuitare poſſit, quid abſterrere: proinde aut nauiga, aut reſiſte. Poſt hanc denunciationem, ſi quis dixiſſet intrare ſe Syracuſas velle,
B ſatíſne iuſtam querelam de vllo, niſi de ſe, habere poſſet, qui non incidiſſet in illa, ſed prudens ſcienſque veniſſet? Dicit omnibus nobis natura: Neminem decipio. tu ſi filios ſuſtuleris, poteris habere formoſos, poteris & deformes: & ſi fortaſſe tibi multi naſcentur, eſſe ex illis aliquis tam ſeruator patriæ, quàm proditor poterit. Non eſt quòd deſperes tantæ dignationis futuros, vt nemo tibi [227] propter illos maledicere audeat: propone tamen & tantæ futuros turpitudinis, vt ipſi [228] maledictum ſint. Nihil vetat illos tibi ſuprema præſtare, & [229] laudari te à liberis tuis: ſed ſic te para, tanquam in ignem poſitura, vel puerum, vel iuuenem, vel ſenem. Nil enim ad rem pertinent anni: quoniam nullum non acerbum funus eſt, quod [230] parens ſequitur. Poſt has leges propoſitas, ſi liberos tollis, [231] omni deos inuidiâ liberas, qui tibi nihil ſpoponderunt. Ad hanc XVIII. ima-

216. FLVMEN.] *Alpheus.*

217. PORTVM.] *Duplicem quidem. quorum maC ior ad* LXXX. *ſtadia patet Straboni. Deſcribunt cùm alij, tum Cicero* V. *in Verrem &* IV. *adddito etiam elogio:* Nihil eſſe pulchrius, quàm Syracuſarum mœnia ac portus.

218. ATHENARVM.] *Ducibus Niciâ & Demoſthene, cùm terrâ mariq; victi, cæſi, capti fuerunt.*

219. TOT MILLIA.] *Septem millia Diodoro.*

220. NOBILIS CARCER.] *A Mureto eſt. nam vulgati libri* Nablius. *At ſcripti,* naulius, *vel* naulinus, *vt eſt in meo. Puto verum,* natiuus carcer. *Nam ita ſe habet. carcer ille à Dionyſio tyranno in viuo ſaxo exciſus totus eſt, & deinceps etiam auctus. Cicero in Verrem:* Latomias Syracuſanas omnes audiſtis, plerique etiam noſtis. Opus eſt ingens, magnificum, regum ac tyrannorum. Totum eſt ex ſaxo in mirandam altitudinem depreſſo, &
D mul- torum operis penitus exciſo. Nihil tam clauſum ad exitus, nihil tam ſeptum vndique, nihil tam tutum ad cuſtodias nec fieri nec cogitari poteſt. *Ergo verè* natiuus *carcer, manu tamen adiutus. Addo Pincianum legere,* lautumius carcer.

221. INGENTEM CIVIT.] *Cicero* IV. *in Verrem,* Syracuſas maximam eſſe Græcarũ vrbium, pulcherrimamque. *Liuius* XXV. Vaſtæ magnitudinis vrbem. *Quàm vaſtæ, Strabo prodit, qui ſtadia circumdat* CLXXX. *Ea ſunt milliaria circiter* XXII. *Vt hoc quoque accedat firmandæ, ac credendæ tamdem, magnitudini Romanæ, aſſertæ à nobis in Admirandis.*

222. LAXIVS TERRITORIVM.] *Ineptè. quid hîc de territorio, aut quæ comparatio cum finibus? Libri ſcripti* torritam, *& quidam* turritam. *Id omnino tenendum. & manet in illâ vrbis magnitudine: quàm eâ dictione aſſerit, quòd laxiùs turribus (id eſt mœnibus, in quibus turres olim crebræ) cincta ſit, quàm pateant vel fines & territorium aliarum vrbium. Vide tamen, an hoc ipſo ſenſu,* laxiùs terminatam, *malis.*

223. NVLLVM DIEM.] *Cicero in Verrem:* Syracuſarum hic ſitus atque natura eſſe loci cælique dicitur, vt nullus vnquam dies tam magnâ turbulentaque tempeſtate fuerit, quin aliquo tempore ſolem eius diei homines viderent. *Hanc laudem & cum Rhodo Plinius communicat:* Rhodi & Syracuſis numquam tanta nubila obduci, vt non aliquâ horâ ſol cernatur.

224. POST PLAT.] *Qui ab eâ conatus auocare.*

225. VITÆ.] *Quam Corinthi fœdè egit.*

226. BINIS.] *Tiberius imitatus. ſileo.*

227. PROPTER ILLOS.] *Nam tales liberi, præſidium, non decus tantùm, parentibus.*

228. MALEDICTVM SINT.] *Tam inquinati & maculoſi, vt vel dixiſſe eos filios tuos, ſit conuiciari & malè dicere. Nam ſicut gloria ex bonis clariſq; ad parentes dimanat, ſic & infamia ex alijs.*

229. LAVDARI TE.] *Romano more, pro Roſtris, oratione funebri.*

230. PARENS SEQVITVR.] *Qui communi ac naturæ lege, præire debuerat. Ideò in monumentis aſſidua hæc querela. vt:*

Quod decuit natum patri præſtare ſepulto,
Hoc contrà nato præſtitit ipſe parens.

Alibi: Monumentum, quod patri filius facere debuerat. *Et alibi:*

—— à patre mœſto
Accepit tumulos, quos dare debuerat.

Vide ſuprà, cap. I.

231. OMNI INVIDIA.] *Quam fruſtrà querelis tuis moues, & iniquos appellas.*

CAP.

imaginem agedum totius vitæ introitum referamus. Syracusas visere deliberanti tibi, A
quicquid delectare poterat, quicquid offendere, exposui: puta nascenti me tibi venire
in consilium. intratura es [232] vrbem diis hominibusque communem, omnia comple-
xam, certis legibus [233] æternisque deuinctam, indefatigata cælestium officia voluentem.
Videbis illic innumerabiles stellas, miraberis [234] vno sidere omnia impleri, solem quo-
tidiano cursu diei noctisque spatia signantem, [235] annum in æstatem hiememque æqua-
liter diuidentem. Videbis nocturnam lunæ [236] successionem, à [237] fraternis occursioni-
bus lene remissumque lumen mutuantem, & modò [238] occultam, modò [239] toto ore ter-
ris imminentem, accessionibus damnisque mutabilem, semper [240] proximę dissimilem.
Videbis [241] quinque sidera diuersas agentia vias, & [242] in contrarium præcipiti mundo
nitentia: ex horum leuissimis motibus [243] fortunæ populorum dependent, & maxima
ac minima proinde formantur, prout æquum iniquúmve sidus incessit. Miraberis con-
lecta nubila, & cadentes aquas, & [244] obliqua fulmina, & cæli [245] fragorem. Cùm satia-
tos spectaculo supernorum in terram oculos deieceris, excipiet te alia forma rerum, ali- B
terque mirabilis. Hinc camporum in infinitum patentium fusa planicies; hinc mon-
tium magnis & niualibus surgentium iugis, erecti in sublime vertices; deiectus flumi-
num, & [246] ex vno fonte in Orientem Occidentemque defusi amnes; & summis cacu-
minibus nemora nutantia, & tantum siluarum cum suis animalibus, auiumque concen-
tu dissono. Varij vrbium situs, & seclusæ nationes locorum difficultate. quarum aliæ se
in erectos subtrahunt montes, aliæ ripis, lacu, vallibus, palude circumfunduntur: [247] adi-
uta cultu seges, & arbusta sine cultore fertilia, & riuorum lenis inter prata discursus, &
amœni sinus, & littora in portum recedentia, sparsæ tot per vastum insulæ, quæ inter-
uentu suo [248] maria distinguunt. Quid lapidum gemmarumque fulgor, & inter rapi-
dorum cursum torrentium [249] aurum arenis interfluens, & in mediis terris, medioque
rursus mari [250] nitentes ignium faces, & [251] vinculum terrarum Oceanus, continuatio-
nem

CAP. XVIII. 232. VRBEM.] *Id est, hunc orbem. Cicero* III. *De Finib.* Mundum esse censent *(Stoici)* quasi communem vrbem, & ciuitatem hominum & deorum. *Nos Phys.* II. *Diss.* VII.

233. ÆTERNISQVE.] *Quamdiu stabit. nam ex tuâ mente & Stoicorum, ô Seneca, non hæc æterna.*

234. VNO SIDERE.] *Sole. Vide* II. *Physiol. Dissert.* XII.

235. ANNVM IN.] *Meus liber:* annuo spatio æstates.

236. SVCCESSIONEM.] *Succedit enim in vicem occasi iam Solis.*

237. FRATERNIS OCC.] *Meus & plerique scripti:* superis occursibus.

238. OCCVLTAM.] *Silentem, tenui aut nullo lumine.*

239. TOTO ORE.] *Plenam & vndique collustratam.*

240. PROXIMÆ DISS.] *Diuersam ab eâ, quæ vltimò fuit.*

241. QVINQVE SID.] *Erratica.*

242. IN CONTRARIVM.] *Proprio suo motu lata, contra primum illum motum.*

243. FORTVNÆ POP.] *Et hîc & sæpiùs fata nectit astris: neque his quinque tantùm, sed omnibus. Vide Physiol.* II. *Diss.* XIIII.

244. OBLIQVA.] *Ita enim feruntur. & causa est, quòd ignea illa natura altum petit, vis & elisio deorsum agit. Ergo in latus, vtriq; causæ obsecuta ferũtur.*

245. FRAGOREM.] *Tonitru. Itaque Cælum hîc, Aër.*

246. EX VNO FONTE.] *Nimium est. ne ex* monte *quidem vno, si certa & vera amamus. Nam hæc ad* Rhenum *& Danubium spectant: quorum ille in* C
Occasum, iste in Orientem diuersus fertur. In Adulâ monte Rhenus *oritur; satis procul inde in Abnobâ monte, siue* prope Rauracos montes, *vt Ammianus designat, Danubius in Sueuis. Itaque inter fontes (hodie scimus) grande interuallum, & plus centum milliarium. Si de* Rhodano & Rheno *sensisset, verius foret: quod non potest, quia non ille ad Orientem. Et cum Senecâ etiam Claudianus, tanto posterior:*

Prominet Hercyniæ confinis Rætia siluæ,
Quæ se Danubij iactat Rhenique parentem.

Etsi ille minùs errat, qui communiter de Rhætiâ *scribit. Senecam non excusamus, nisi si opinio illorum fuit originem Danubij in* Oeno *esse: qui sanè vicinus Rheno surgit, & longo tractu in Danubium fluit.*

247. ADIVTA CVLTV.] *Meus*, Ad vitam fructus, seges: *& sanè plerique etiam scripti* fructus, *aut* fructu.

248. MARIA DISTIN.] *Meus*, patriam distin- D
guunt: *at alij quidam scripti*, paria. *Quod ferri potest. & æqualitas, inquit, illa maris & par facies variatur ab insulis.*

249. AVRVM ARENIS.] *Vt in Tago, Pactolo, Hermo, hodie Indiæ nouæ fluentis.*

250. NITENTES IGN.] *Quas in medio mari ponit, insulis nempe aut collibus, qui ibi sic ardent. Vulcaniæ insulæ tales, Aenaria & plures.*

251. VINCVLVM TERR.] *Declamator in Suasoriâ* I. Oceanus totius orbis vinculum, terrarumq; custodia. *Rectè: nec enim terra sicca & arida per se, sine humore constet, quin diffluat: & ideò vt Plinij verba sunt*, terram totam intrà, extrà, suprà, venis, vt vinculis, discurrentibus *Oceanus ligat.*

252. TRI-

A nem gentium [252] triplici sinu scindens, & [253] ingenti licentiâ exæstuans? Videbis his inquietis, & sine vento fluctuantibus aquis immani & [254] fidem excedenti magnitudine terrentia animalia, quædam grauia & alieno se [255] magisterio mouentia, quædam [256] velocia, concitatis perniciora remigiis, quædam [257] haurientia vndas, & magno prænauigantium periculo efflantia. Videbis hîc nauigia, quas non nouere terras quærentia. Videbis nihil humanæ audaciæ intentatum, [258] erisque ei spectatrix, & ipsa pars magna conantium: discès, docebisque artes, alias quæ vitam [259] instruant, alias quæ [260] ornent, alias quæ [261] regant. Sed istic erunt mille corporum & animorum pestes, & bella, & latrocinia, & venena, & naufragia, & intemperies cæli corporisque, & cariissimorum acerba desideria, & mors, incertum [262] facilis, an per pœnam cruciatumque. Delibera tecum, & perpende quid velis. vt in illa venias, [263] per ista exeundum est. Respondebis, velle te viuere. [264] quidni? [265] Imò, puto, ad id non accedes, ex quo tibi aliquid detrahi doles. Viue ergo, vt conuênit. Nemo, inquis, nos consuluit. Consulti sunt de nobis
B parentes nostri: qui cùm condicionem vitæ nossent, in hanc nos sustulerunt. Sed XIX.
vt [266] ad solatia veniam, videamus primùm quid curandum sit, deinde quemadmodum. Mouet lugentem desiderium eius, quem dilexit. id per se tolerabile apparet. Absentes enim abfuturosque, dum viuerent, non flemus, quamuis omnis vsus illorum nobis & conspectus ereptus sit. Opinio est ergo, quæ nos cruciat: & tanti quodque malum est, quanti illud [267] taxauimus. In nostrâ potestate remedium habemus. Iudicemus illos abesse, & [268] nosmetipsi fallamus: dimisimus illos, imò consecuturi [269] præmisimus. Mouet & illud lugentem: Non erit qui me defendat, qui à contemptu vindicet. Vt minimè probabili, sed vero solatio vtar: in ciuitate nostrâ plus gratiæ orbitas confert, quàm eripit. Adeoque senectutem solitudo, quæ solebat destruere, ad potentiam

252. TRIPLICI SINV.] *Quomodo? Vt in quattuor partes terra scindatur, & quæque earum chlamydem referat: eaipsa chlamys à tribus partibus Oceano*
C *cingatur. Ita enim veteres (nec absurdè, aut falsò omnino) considerarunt, & suspicione attigerunt, quæ hodie inspectione nota. Hoc est, quod Macrobius lib.* II. *in Somnium, cap.* IX. *scribit:* Omnem terram QVADRIFARIAM diuidi, & singulas HABITATIONES INSVLAS esse. *Vide me fusiùs explicantem, Physiol. lib.* II. *Dissert.* XVII.

253. INGENTI LICENTIA.] *Nullâ, si de ordinario æstu accipis, qui horas suas & legem habet, seruatq;. Sed* exæstuare *dicit, id est redundare & in terras effluere, ventis aut tempestate impulsum.*

254 FIDEM EXCEDENTI.] *Interpolata ista, & vox,* fidem, *nulla est priscis libris. qui dumtaxat:* & excedenti terrentia magnitudine. *Quod etsi aliquo sensu teneas, quanto meliore & veriore,* terrena? *Ita enim emendo, & Plinij cap.* I. *lib.* IX. *aduoco, in quo ipsa inscriptio:* Quare in mari maxima anima-
D lia? *& oritur:* Sunt autem complura in iis, maiora etiam terrestribus. *Certè maiora, vt Balenæ, Pristes, Physeteres: &* caussa euidens *(ait idem scriptor)* humoris luxuria.

255. MAGISTERIO.] *Idem Plinius illustret* IX. *cap. vlt.* Amicitiæ exempla sunt Balena & Musculus. quando prægraui superciliorum pondere obrutis eius oculis, infestantia magnitudinem vada prænatans demonstrat, oculorumque vice fungitur.

256. VELOCIA.] *Vti Delphinus. de quo idem ille scriptor:* ocior volucre, ocior telo.

257. HAVRIENTIA.] *Hoc ad Physeterem, vnde ei nomen,* Ἀπὸ τῆ φυσᾶν, ab efflando. *Plinius:* Columnæ modo se attollens, altioráque nauium velis, diluuiem quandam eructans. *At Strabo lib.* III. *non ipsum sic attolli, sed spiritum & efflatum illum columnæ assimilat, verius fortasse:* Τῶν φυσητήρων ἀναφυσάντων, φαίνεταί τις νεφώδους ὄψις κίονος τοῖς πόρρωθεν ἀφορῶσι: Physeteres cùm reflant, fit species columnæ cuiusdam nubilæ procul intuentibus.

258. ERISQVE EI.] *Liber meus,* erisque eius spectaris, & ipsa. *Quidam,* eius expertrix. *Dubito an non,* erisque & suspectrix. *Tu, inquit, & suspicies illos magna conantes, & imitaberis. Quomodocumque, &, non* ei *scribe.*

259. INSTRVANT.] *Vt sunt mechanicæ.*

260. ORNENT.] *Liberales.*

261. REGANT.] *Philosophicæ.*

262. FACILIS.] *Euthanasia. nec tamen spernam,* fatalis.

263. PER ISTA.] *Latrocinia, venena, mortes.*

294. QVIDNI?] *Responsio est eius, quæ quasi rogatur: & asserit.*

265. IMO PVTO.] *Iterùm Senecæ, siue interrogatoris, qui dãnat responsum. Tun' viuere? imò nõ debelas Marcia, quæ doles aliquid tibi detrahi ex iis, quæ pacto conuento omnia poterant.* Aliquid, *nempe filium. Vide tamen an non legendum:* viuere? Quinimò, puto.

CAP. XIX. 266. AD SOLATIA.] *Pars secunda libelli. prior habuit exempla & rationes vincendo dolori; hæc lenimenta, & vt ipse, solatia.*

267. TAXAVIMVS.] *Pretiũ ei aut põdus dedimus.*

268. NOSMETIPSI FALLAMVS.] *Benè est, & capimus: tamen meus & alij aliquot,* nosmetipsi non fall. *cum negatione. Seruem, sed legam* fallemus. *Age, inquit, putemus non periisse, sed abesse in aliquâ peregrinatione: & reuera non fallemur, quia sunt, etsi in alio loco.*

269. PRÆMISIMVS.] *Totus hic locus in Antiphane Comico:*

tiam ducit, vt quidam odia filiorum simulent, & liberos [270] seruent, & orbitatem [271] manu faciant. Scio quid dicas: Non mouent me detrimenta mea. etenim non est dignus solatio, qui filium sibi decessisse, sicut [272] mancipium, molestè fert: cui quicquam in filio respicere, præter ipsum, vacat. Quid igitur te, Marcia, mouet? vtrùm, quòd filius tuus decessit: an, quòd non diu vixit? Si quòd decessit, semper debuisti dolere: semper enim sciisti mori. Cogita, nullis defunctum malis affici. illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec [273] carcerem, nec flumina [274] flagrantia igne, nec [275] obliuionis amnem, nec [276] tribunalia, nec reos vllos in illâ libertate tam laxâ: nullos iterùm tyrannos. Luserunt ista poëtæ, & vanis nos agitauere terroribus. Mors omnium dolorum & solutio est, & finis: vltra quam mala nostra non exeunt, quæ nos in illam tranquillitatem, in quâ [277] antequam nasceremur iacuimus, reponit. Si mortuorum aliquis miseretur, & non natorum misereatur. Mors nec bonum nec malum est. Id enim potest aut bonum aut malum esse, quod aliquid est: quod verò ipsum nihil est, & omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunæ tradit. Mala enim bonaque circa aliquam versantur materiam. Non potest id fortuna tenere, quod natura dimisit: nec potest miser esse, qui nullus est. Excessit filius tuus [278] terminos, intra quos seruitur. Excepit illum magna & æterna pax: non paupertatis metu, non diuitiarum curâ, non libidinis per voluptatem animos carpentis stimulis incessitur, non inuidiâ felicitatis alienæ tangitur, nec suæ premitur, nec conuiciis quidem vllis verecundæ aures verberantur: nulla publica clades [279] conspicitur, nulla priuata: non solicitus futuri pendet [280] ex euentu, semper in deteriora dependenti. Tandem ibi constitit, vnde nil
XX. eum pellat, vbi nil terreat. O ignaros malorum suorum, quibus non mors vt optimum inuentum naturæ laudatur! quæ siue felicitatem includit, siue calamitatem repellit, siue satietatem aut lassitudinem senis terminat, siue iuuenile æuum, dum meliora sperantur, in flore [281] deducit, siue pueritiam [282] ante duriores gradus reuocat: omnibus

Πεμπτεῖν δὲ μεζίως τοὺς προσήκοντας φίλους.
Οὐ γὰρ τεθνᾶσιν, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ὁδὸν,
Ἣν πᾶσιν ἐλθεῖν ἐς' ἀναγκαίος ἔχον,
Προεληλύθασιν. εἶτα χ' ἡμεῖς ὕστερον
Εἰς ταὐτὸ καταγώγιον αὐτοῖς ἥξομεν,
Κοινῇ τὸν ἄλλον συνδιατρίψοντες χρόνον:

Lugere amicos mortuos modicè decet.
Nõ mortui etenim sunt, sed illa ipsam viam,
Quam mox necessum inire nobis omnibus,
Illi præiuerunt. & ecce postmodum
Transgressi in vnum idemque diuersorium,
Coniuncti agemus quidquid æui relliquũ est.

Noster epist. XCIX. Quem putas periisse, præmissus est. *Pia, pulchra, quis neget? & sensus, si non oris, Christiani.*

270. SERVENT.] *Placet Gruteri suspicio, imò correctio:* eiurent. *Eiurantur liberi, qui velut iuramento negantur. quod fit in* Abdicatione, *quò velim hæc relata. Nam tales extra domum & familiam sepositi, spem aliis faciebant in vacuum veniendi. Quod ad verbum, adi De Benef.* VI. *cap.* IV.

271. MANV FACIANT.] *Sponte & vltrò faciant se orbos. Phrasis valdè amata Senecæ, & pænè vni familiaris. De Breuit. vit. cap.* III. Adiice morbos, quos manu fecimus: *intemperie & luxu. Epist.* LIX. Finem non operiri, sed manu facere: *arcessere, & sponte sumere. De Irâ* III. *cap.* XI. Magna pars querelas manu fecit: *ipsa inuênit & formauit. De Beneficiis* VI. *cap.* XLI. Occasiones reddendorum beneficiorum obseruare, non manu facere. *Vtitur & aliter paullò, pro arte & industriâ facere. Vide epist.* LXXXIX. *&* XCI. *&* CXV. *&* LIII. *De Irâ* II. *cap.* VIII. *Alij qui sic vsi, pauci occurrunt. In Plinio est, libri* XVIII. *Præfat. de Venenis:* Ne iis quidem quæ nascuntur contenti, quando plura eorum genera humanâ manu fiunt. *In Statio* I. *Thebaid.*

Partiti versant populorum fata, manuque
Fortunam fecêre leuem.

De Eteocle & Polynice. quorum alteri graue fuisset priuari regno: ergo, inquit, ingenio leuarunt fortunam, alternis imperare commenti.

272. MANCIPIVM.] *In quo damnum magis, quàm affectus mouet.*

273. CARCEREM.] *Erebi claustra, vt poëtæ.*

274. FLAGRANTIA.] *Phlegetontem.*

275. OBLIVIONIS.] *Leten.*

276. TRIBVNALIA.] *Minois, Rhadamanthi, Aeaci.*

277. ANTEQVAM NASC.] *Similes ergo illi temporis? Plinianum hoc sit:* Nec magis à morte sensus vllus aut corpori aut animæ, quàm ante natalem. *Sed & noster in Epist.* LIV. *quam vide. Sæpè sic in immortalitate vacillat.*

278. TERMINOS.] *Huius vitæ.*

279. CONSPICITVR.] *Meus & alij,* prospicitur. *quod malim ob sequentia, & futuri metum hîc tangit.*

280. EX EVENTV.] *In meo,* & ex euentu semper incertiora dependenti. *Fortasse,* rependenti. *Non pendet, inquit, futuri anxius: idq; ex euentu, qui semper incertiora rependit. Nec enim vnquam securitas, & vbi finem curæ censeas, alia subnascitur. Vulgata tamen non displicet: & verum est, in deteriora res & animos nostros inclinare.*

CAP. XX. 281. DEDVCIT.] *Velim,* educit

282. ANTE DVRIOR.] *Aetatis secuturæ. Nam.*

A bus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis meliùs merita, quàm de his ad quos venit [283] antequam inuocaretur. Hæc seruitutem inuito domino [284] remittit: hæc captiuorum catenas leuat: hæc è carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat. hæc exsulibus in patriam semper animum oculosque tendentibus, ostendit, nihil interesse inter quos quisque iaceat. hæc, vbi res communes fortuna malè diuisit, & æquo iure genitos, alium [285] alij donauit, [286] exæquat omnia. hæc est quæ nihil quicquam alieno fecit arbitrio. hæc est, in quâ nemo humilitatem suam sensit. hæc est quæ nulli paruit. hæc est, Marcia, quam pater tuus concupiuit. Hæc est, inquam, quæ efficit, vt nasci non sit supplicium: quæ efficit, [287] vt non concidam aduersus minas casuum, vt seruare animum saluum ac potentem sui possim. Habeo [288] quò appellam. Video istic [289] cruces non vnius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas. alij capite conuersos in terram suspendêre, alij [290] per obscœna stipitem egerunt, alij brachia [291] patibulo explicuerunt. Video fidiculas, video verbera: & membris & singulis articulis [292] singula
B machinamenta: sed video & mortem. Sunt istic hostes cruenti, ciues superbi: sed video istic & mortem. Non est molestum seruire, vbi si domini pertæsum est, licet [293] vno gradu ad libertatem transire. [294] contra iniurias vitæ, beneficium mortis habeo. Cogita, quantum boni opportuna mors habeat, quàm multis diutiùs vixisse nocuerit. Si Cn. Pompeium, decus istius firmamentumque imperij, [295] Neapoli valitudo abstulisset, indubitatus populi Romani princeps excesserat. At nunc exigui temporis adiectio fastigio illum suo depulit. Vidit legiones in conspectu suo cæsas: & ex illo prœlio, in quo [296] prima acies senatus fuit, quàm infelices reliquiæ sunt, imperatorem ipsum superfuisse! vidit [297] Ægyptium carnificem, & sacrosanctum victoribus corpus [298] satelliti præstitit, etiam si incolumis fuisset pœnitentiam salutis acturus. quid enim erat turpius, quàm Pompeium viuere beneficio [299] regis? M. Cicero si eo tempore, quo Catilinæ sicas deuitauit, quibus pariter cum patriâ petitus est, concidisset, liberatâ Rep. conseruator eius: si denique filiæ suæ funus [300] secutus fuisset, etiam tunc felix mori potuit. Non vi-
C disset

Nam hæc mollis est, & asperiora omnia excipiunt. Statim etiam euocat *legendum, aut fallor.*

283. ANTEQVAM INVOC.] *Ad iuuenes pertinet, quibus læta adhuc omnia, & vita in fructu est. Posteà grauis, & mors inuocatur.*

284. REMITTIT.] *In manciplis, quæ asserit in libertatem.*

285. ALII DON.] *Acutissimè Pincianus,* aliis donauit: *atque adeò verissimè. De rebus loquitur opibusq; quas naturâ communes, Fortuna iniquè distribuit, huic multas, illi paucas.*

286. EXÆQVAT.] *Plautus:*

—— verùm nos homunculi
Satillum animæ qui cùm extemplò amisimus,
Æquè mendicus atque ille opulentissimus
Censetur censu ad Acheruntem mortuus.

D *Vbi legam,* Æquo: *vt dicat* æquo censu *censeri omnes, nec vt Romæ, classibus iuxta opes distinctos.*

287. VT NON CONCIDAM.] *Quia in grauioribus casibus (Stoico dogmate) ad hanc vltrò ibo.*

288. QVÒ APPELLAM.] *Portum illum video. Meus tamen:* quod appellem. *quasi in iudicio: sed illud præfero.*

289. CRVCES.] *Hæc genera, & isteipse locus, in libris* De Cruce *à nobis explicata.*

290. PER OBSCOENA.] *A parte imâ ad superam. Seneca epist.* XIV. Adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem.

291. PATIBVLO.] *Quod à patendo dictum. cuiusmodi Crux transuersaria, vel decussata.*

292. SINGVLA MACH.] *Vox inseritur à libris,* singula docuerunt machinamenta. *Aptarine po-*
test, si occurrunt *legas? nec ineptè, qui* dolorũ *fecit.*

293. VNO GRADV.] *In rupe, in flumine, in tecto, gradum promoue: desili.*

294. CONTRA INIVRIAS.] *Sententia haud improba, sed verba valdè abeunt à libris. Erasmi quidem editio:* Coram te iura vitæ beneficio. *Scripti,* Coram te iura beneficio; *aut,* vita beneficio. *Legam:* Contante vitâ, beneficio mortis abeo: *siue etiam,* morante. *Sententia est. vita si moratur & tenet; at mors subuenit, si volo, & dimittit.*

295. NEAPOLI.] *Iuuenalis:*

Prouida Pompeio dederat Campania febres
Optandas.

Cicero Tuscul. 1. Pompeio nostro familiari, cùm grauiter ægrotaret Neapoli, meliùs est factum. Vtrùm igitur si tum esset extinctus, à bonis rebus, an à malis discessisset? *Tangit & Velleius lib.* II. *& Dio* XLI.

296. PRIMA ACIES.] *Nam ductores & honestissimi in eâ, vt docui in* Militiâ: *& Senatus ferè totus cum Pompeio.*

297. ÆGYPTIVM.] *Achillam.*

298. SATELLITI.] *Pinciani est, & teneo. nam libri ferè omnes* satietati. Septimium *autem intellegit, Romanum & ipsius Pompeij bello Piratico, militem. Itaq; Imperatoris illius velut stipator aut satelles.*

299. REGIS?] *Ergône ita pudendum aut nouum,* Regi *salutem accepto referre? Meritò hoc suspectum, & de rege nihil præiuit. Suspicabar* gregalis, *ipsius Septimij è vulgo militum.*

300. SECVTVS FVISSET.] *Quid? si post filiam mortuus, non vidisset hæc mala? Ille verò iamdiu vi-*

disset strictos in ciuilia capita mucrones: nec diuisa percussoribus occisorum bona, vt A
etiam [301] de suo perirent: non [302] hastam [303] consularia spolia vendentem: nec cædes,
nec [304] locata publicè latrocinia, bella, rapinas, [305] tantum Catilinarum. Marcum Catonem si à Cypro & hereditatis regiæ dispensatione redeuntem mare deuorasset, vel cum illâ pecuniâ, quam afferebat ciuili bello stipendium, nónne illo benè actum foret? hoc certè secum tulisset, neminem ausurum coram Catone peccare. Nunc annorum adiectio pauciſſimorum, virum libertati non suæ tantùm, sed publicæ natum, coëgit Cæsarem fugere, [306] Pompeium sequi. Nihil ergo mali immatura mors attulit [307] Metilio: omnium etiam malorum remisit patientiam. Nimis tamen citò periit, & immaturus. Primùm, puta illum superfuisse: comprehende quantum plurimum procedere homini licet: quantulum est? [308] Ad breuissimum tempus editi, citò cessuri loco, venienti in pactum hoc, prospicimus hospitium. De nostris ætatibus loquor, quas incredibili celeritate conuolui constat? computa vrbium sæcula. videbis quàm non diu steterint, etiam quæ vetustate gloriantur. Omnia humana breuia & caduca sunt, infiniti temporis nul- B
lam partem occupantia. Terram hanc cum populis, vrbibusque, & fluminibus, & ambitu maris, puncti loco ponimus, ad vniuersa referentes: minorem portionem ætas nostra, quàm partem puncti habet, si tempori comparetur omni. cuius maior est mensura quàm mundi: vtpote cùm ille se intra huius spatium [309] toties remetiatur. Quid ergo interest id extendere, cuius quantumcumque fuerit incrementum, non multum aberit à nihilo? vno modo multum est quòd viuimus: si satis est. [310] Licet mihi vaces, & in moram tardatæ senectutis nouies denos centenosque percenseas annos: cùm ad omne tempus dimiseris animum, nulla erit illa breuissimi longissimique æui differentia, si inspecto quanto quis vixerit spatio, comparaueris quanto non vixerit. Deinde non immaturus decessit: vixit enim, quantum debuit viuere. Nihil enim illi iam vltrà supererat. Non vna hominibus senectus est, vt ne animalibus quidem. intra quattuordecim quædam annos defatigantur: & hæc illis longissima ætas est, quæ [311] homini prima. dispar cuique viuendi facultas data est: nemo nimis citò moritur, qui victurus diutiùs quàm C
vixit, non fuit. Fixus est cuique terminus: manebit semper vbi positus est: nec illum vlteriùs diligentia aut gratia promouebit: [312] scit libenter illum vlteriùs diligentiam ex consilio perdidisse. Tulit suum, —*metasq; dati peruenit ad æui.* Non est itaque quòd sic te oneres: Potuit diutiùs viuere. Non est interrupta eius vita, nec vnquam se annis casus inter-

derat, & strictos acie Pharsalicâ in ciuium capita mucrones; *& bona diuisa ac subhastata, ipsius etiam Pompeij; & quidquid hîc malorum narratur. Nam filiam obiisse certum est bello Cæsaris Hispanienſi, haud diu nimis ante Cæsarem ipsum. Itaq; suspecta tota hæc clausula, & interpolationis accusanda à libris: quorum alius alia desunt (Gruterum, si lubet, vide) meo hæc omnia. atque habet tantùm*: liberatâ republicâ senatusque fuisset etiamtunc felix mori potuit. *Ex eo concinnes:* republicâ Senatuque, etiamtunc. *Sed viderint, siqui vetustiores libros fortè nacti.*

301. DE SVO PER.] *Ipsi præmium suæ mortis essent. Tale in Floro:* Misera respublica in exitium suum merces erat.

302. HASTAM.] *Quam Cæsar pro æde Iouis Statoris in foro posuit. Cicero Phil.* II. *& sæpè de hac Iulianâ hastâ.*

303. CONSVLARIA.] *Nam vterque Consul à Pompeio steterat.*

304. LOCATA.] *Latrones præmio publicè prouocati.*

305. TANTVM CATIL.] *Id est, tot vno tempore Catilinas: animo, quo ipse, præditos. Ita omnes libri, nec Pincianum audio* trium Catilinarum *substituentem. Refert ad* III. *viros Lepidum, Antonium, Octauianum. Sed reuerà Cicero vix ea, aut eos in potentiâ illâ vidit, inter primores occisus.*

306. POMPEIVM SEQVI.] *Quem certè nec ipsum probabat.*

307. METILIO.] *Libri*, illi: *putemq; ego*, filio. *Vox edita, est à Pinciani diuinatione.*

308. AD BREVISSIMVM.] *Membrum hoc totum dubiæ valetudinis. In meo:* editis, citò cessuris l. venientes i. p. h. p. officium. *Sed & alij aliter: ego vulgato melius nihil extrico. Nos citò abimus, inquit, alij velut diuersorium relinquimus, pariter & eâdem lege abituro.*

309. TOTIES REMETIATVR.] *Nam mundus in* D
tempore voluitur, reuoluitur: atque vt Philosophus ait, Tempus motus quietisque mensura est.

310. LICET MIHI.] *Et hîc libri valdè variant: meus,* licet mihi vaces, & in memoriam traditę senectutis viros nomines, centenos denosq; percenseas annos. *Quæ sincera omnia habeo, voculâ exceptâ, & lego:* Licet mihi vates. *Vates sunt Sibyllæ, lõgæuæ vel ad prouerbium. Adiunge, inquit, & alios viros senectæ, traditæ æuo & memoriæ; quia rara fuit.*

311. HOMINI PRIMA.] *Nam hæc est* Pueritia, *atque in eo fine desinit.*

312. SCIT LIBENTER.] *Corruptrix & hîc manus. meus codex nihil horum habet, tantùm:* Manebit semper vbi positus est, nec illum vlteriùs diligen-

A interiecit. ſoluitur quod cuique promiſſum eſt: [313] eunt vi ſuâ fata, nec adiiciunt quicquam, nec ex promiſſo ſemel demunt: fruſtra vota ac ſtudia fiunt. Habebit quiſque, quantum illi dies primus adſcripſit. ex illo quo primùm lucem vidit, iter mortis ingreſſus eſt, acceſſitque fato propior: & illi ipſi, qui adiiciebantur adoleſcentiæ anni, vitæ detrahebantur. In hoc omnes errore verſamur, vt non putemus ad mortem, niſi ſenes inclinatoſque iam vergere: cùm illò infantia ſtatim, & iuuenta, omniſque ætas ferat. [314] Agunt opus ſuum fata: nobis ſenſum noſtræ necis auferunt: quoque faciliùs obrepat mors, ſub ipſo vitæ nomine latet. Infantem in ſe pueritia conuertit, pueritiam pubertas, iuuentutem ſenectus abſtulit. Incrementa ipſa, ſi benè computes, damna ſunt.

Quereris, Marcia, non tam diu vixiſſe filium tuum, quàm potuiſſet? Vnde enim ſcis, XXI.
an diutiùs illi expedierit? an illi hac morte conſultum ſit? Quem inuenire hodie potes, cuius res tam benè poſitæ ſint & fundatæ, vt nihil illi, procedenti tempore, timendum ſit? Labuntur humana, ac fluunt: neque pars vitæ noſtræ tam obnoxia aut tenera eſt,
B quàm quæ maximè placet. Ideoque feliciſſimis optanda mors eſt: quia in tantâ inconſtantiâ turbaque rerum, nihil niſi quod præteriit, certum eſt. Quis tibi recepit, illud pulcherrimum filij tui corpus, & ſummâ pudoris cuſtodiâ inter luxurioſæ vrbis oculos [315] conſeruatum, potuiſſe ita morbos euadere, vt ad ſenectutem formæ illæſum perferret decus? Cogita animi mille labes. neque enim recta ingenia, qualem in ado- XXII.
leſcentiâ ſpem ſui fecerant, vſque in ſenectutem pertulerunt: ſed interuerſa plerumque ſunt. Aut ſera, eoque fœdior luxuria inuaſit, & coëgit dehoneſtare ſpecioſa principia: aut in popinam ventremque [316] proiectis, ſumma illis curarum fuit, quid eſſent, quid biberent. Adiice incendia, ruinas, naufragia, lacerationes medicorum oſſa [317] viuis legentium, & totas in viſcera manus demittentium, & [318] non ſimplici dolore pudenda curantium. Poſt hæc exſilium. non fuit innocentior filius tuus, quàm Rutilius. Carcerem. non fuit ſapientior, quàm Socrates. Voluntario vulnere transfixum pectus. non fuit ſanctior quàm Cato. Cùm iſta perſpexeris, ſcies optimè cum his agi, quos natura, quia illos
C hoc manebat vitæ [319] ſtipendium, citò in tutum recepit. Nihil eſt tam fallax, quàm vita humana: nihil tam inſidioſum. non mehercule quiſquam accepiſſet, niſi daretur inſciis. Itaque ſi feliciſſimum eſt, non naſci: proximum puta, breuitate vitæ defunctos, citò in integrum reſtitui. Propone illud acerbiſſimum tibi tempus, quo Seianus patrem tuum clienti ſuo [320] Satrio Secundo [321] congiarium dedit. Iraſcebatur illi ob vnum aut alterum liberius dictum, quod tacitus ferre non potuerat, *Seianum in ceruices noſtras* [322] *nec imponi quidem, ſed aſcendere*. Decernebatur illi ſtatua in Pompeij theatro ponenda, quod exuſtum Cæſar reficiebat. Exclamauit Cordus, *Tunc verè theatrum perire*. Quis ergo non rumperetur, [323] ſupra cineres Cn. Pompeij conſtitui Seianum, & in monumen-

ligentia ex conſilio perdidit, ſed tulit ſuum. *Lego*, & conſilio perduxit: *ſiue*, perduxerit. *Superflua certè ſunt alia, & idem iterant. niſi placeat:* promouebis, ſi libeat; nec illum interius diligentiâ & conſilio perduces, *aut etiam* reduces. *Ita duo dicat,*
D *nec produci vitam, nec contrahi: & fixam eſſe fatalem metam. Piget referre variantes lectiones: Gruterum vide, & videbis me proximè ab iis ire.*

313. EVNT VI SVA.] *Pinciani eſt. anteà*, vt ſua: *nec improbem ſi diſtinguas:* Eunt, vt ſua fata. *Viam progrediuntur, quam fata pariter.*

314. AGVNT OPVS.] *Veteres* Augurij, *vel* Auguria opus. *Lego*, Actura opus ſuum fata, nobis ſ. n. *iunctim cum ſequentibus.*

CAP. XXI. 315. CONSERVATVM.] *Mihi hæc bona. & arte laudat Metilij pudicitiam, in vrbe parum caſtâ, in formâ illiciente, conſeruatam. At non ita morbos potuiſſet euadere, nec id in eius manu vel cautelâ.*

CAP. XXII. 316. PROIECTIS.] *Scripti* percoqui. *Vix ego ambigam, quin fuerit*, præcoquis: *addamq; articulum*, & ſumma. *Aut, inquit, ſera & fœda luxuria occupat; aut præcoquis, & in primis annis. Poſſis etiam* præcocibus *interpretari. Nam &* præcoquum *veteres dixere.*

317. VIVIS LEG.] *Quod mortuis de more fiebat. Itaque in eo ludit. vide de Benef.* V. *cap.* XXIV. *De Prouid. cap.* III.

318. NON SIMPLICI.] *Nam partes eæ neruoſæ, & nimis ſenſiles.*

319. STIPENDIVM.] *Tam dura merces huius militiæ.*

320. SATRIO.] *In Tacito ita ſcribitur, at noſtris libris* Atrio: *vtrubi veriùs? nec ſcio, nec refert.*

321. CONGIARIVM.] *Metaphora. Vt donum ſolet in vino, pecuniâ dari; ſic Seianus patrem tuum (& res nempe eius) elargitus Satrio.*

322. NEC IMPONI.] *Videtur ſenſus. nec à Principe quidem aut Senatu, quibus hoc ius, imponi Principem rebus Seianum: ſed ipſum vafrè, & aſtu aſcendere.*

323. SVPRA CINERES.] *Quos cineres? ipſius Pompeij?*

mentis maximi imperatoris consecrari [324] pessimum militem? [325] consecratur. Subscriptio, & acerrimi [326] canes, quos ille, vt sibi vni mansuetos, omnibus feros haberet, [327] sanguine humano pascebat, circulattare etiam hominem, [328] & illum imparatum, incipiunt. Quid faceret? si viuere vellet, [329] Seianus rogandus erat: si mori, [330] filia. vterque inexorabilis: constituit filiam fallere. Vsus itaque balneo, & quo [331] plus imponeret, in cubiculum se quasi [332] gustaturus contulit: & dimissis pueris, quædam per fenestram, vt videretur edisse, proiecit: à cœnâ deinde, quasi iam satis in cubiculo edisset, abstinuit: alteroque die, & tertio idem fecit. Quarto, ipsâ infirmitate corporis faciebat indicium. Complexus itaque te: *Carissima*, inquit, *filia, & hoc vnum, totâ celatâ vitâ, iter mortis ingressus sum, & iam* [333] *medium ferè teneo. Reuocare me nec debes, nec potes.* Atque ita lumen omne præcludi iussit, & se in tenebris condidit. Cognito consilio eius, publica voluptas erat, quòd è faucibus auidissimorum luporum educeretur præda. Accusatores, Seiano auctore, adeunt consulum tribunalia: queruntur mori Cordum, interpellantes quod coëgerant. adeò illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in quæstione, an [334] morte rei perderentur. dum deliberatur, dum accusatores iterùm adeunt, ille se [335] absoluerat. Vidésne, Marcia, quantæ iniquorum temporum vices ex inopinato in-

XXIII. gruant? fles quòd [336] alicui tuorum mori necesse fuit? pænè [337] non licuit. Præter hoc, quòd omne futurum incertum est, & ad deteriora certius: facilius ad superos iter est, animis citò ab humanâ conuersatione dimissis. minus enim fæcis ponderisque traxerunt: antequam obducerentur, & altiùs terrena conciperent, liberati, leuiores ad originem suam reuolant, & faciliùs, quicquid est illud, [338] absoluti transfluunt. Nec vnquam

Pompeij? nõ potest. nam ille alibi sepultus (in Aegypto) & vix sepultus. Cineres ergo operis & theatri exusti quasi vel hoc indignum, statuam eius esse in reliquiis operis Pompeiani. vel etiam, supra cineres, *id est, super defunctum Pompeium attolli: & eius loco, suffici & statui Seianum, quasi illo iam spreto.*

324. PESSIMVM.] *Libri prisci*, perfidum: *assentior. Hoc ideò, quia fidem erga Principem, & eius domum, minimè coluit: imò in extremo ipsum deiectum, si fors voluisset, ibat. Hæc contra militiæ sacramentum & fidem, cuius ipse caput & exactor erat.*

325. CONSECRATVR.] *Alia distinctio in iisdem:* consecratur subscriptio. *An* consarcinatur *siue* comparatur, *an cui in mente vox aptior?*

326. CANES.] *Aptè de iis qui in* canino hoc studio, *vt ille dicebat. Imitatio Ciceronis est, qui plus semel* Verrinos canes *appellat, & qui* eius tribunal solent lambere.

327. SANGVINE HVM.] *Nam homines iis accusandos, damnandos, deuorandos (quod ad opes attinet) obiicere solebat.*

328. ET ILLVM IMP.] *Sic legito. Excusat autem obiter Cremutium, quòd citò visus despondere animum: sed, inquit, nimirum imparatum inopinatúmque inuaserant.*

329. SEIANVS ROG.] *Quod honos & libertas vetabant.*

330. FILIA.] *Quod per illius pietatem non poterat. & callidè eam laudat.*

331. PLVS IMPON.] *Mirum in libris esse*, quò postumum poneret: *in alius (vt meo)* quò plus virium poneret. *At vulgata mihi vera, & clara est.*

332. GVSTATVRVS.] *A balneo ita solent, ouum aut mulsum leuiter sumere, viribus reparandis. Is autem sæpè gustus in* cubiculo *(diserè hîc) non in triclinio.*

333. MEDIVM FERE.] *Plinius:* Homini non ante septimum diem letalis inedia: durasse & vltra vndecimum plerosque certum est. *Ergo quatridui hoc iter, circa medium.*

334. MORTE REI.] *Muretiana lectio. anteà*, an mortis rei perderentur: *siue, vt alij*, proderentur. *In meo est:* an mortis rei reum perderent. *Mureti haud absona restitutio: cui & vetus mea consonat*, an morte rei prohiberentur. *Nam hæc (ne accuset) iuxtà cũ ipso semper cepimus. Hoc maluissem ab eo ostensum, quî concilientur ista cum Tacito. Nam iste anno vrbis* DCCLXXVII. *libro* IV. *Annalium, ita scribit:* Et quia Cornutus suâ manu ceciderat, actum de præmiis accusatorum abolendis, siquis maiestatis postulatus, ante perfectum iudicium seipse vitâ priuasset. Ibaturque in eam sententiam, ni duriùs contraque morem suum, palàm pro accusatoribus Cæsar. Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum, per præmia eliciebantur. *Ergo tunc hoc ita decretum, & res iam extra quæstionem esse debebat in iudicio Cordiano. Quippe iste anno post accusatus. Quid dicam? hæreo. nisi si tunc quidem* pro accusatoribus Cęsar; *sed decretum Senatus nondum interpositũ. Itaq; res inuidiosa iterũ nunc tracta in litem. An & Senecam parùm intentè hæc scripsisse? certè Tacitus in hac re nihil tale. Ceterùm sententia Senecæ hîc est, quæsitum* an morte rei prohiberentur: *id est, licerétne iis mori ita, vt salua bona & testamenta essent? Quadruplatores nolebant, & negabant, & Consules adibant. Quo sensu & antè dixit*: educebatur è faucibus auidissimorum luporum præda. *Verba emendationis nostræ omnino firmantur à sequentibus istis:* Fles quòd alicui tuorum mori necesse fuit? pænè non licuit. *Ex meo etiam scripto suprà, haud absurdè fortasse:* an mortis rei rem perderent. *An opes tollerentur reis, necdum damnatis.*

335. ABSOLVERAT.] *Ipsâ vitâ exuerat, & omni metu ac seruitute. In plenâ iam libertate erat, tabellâ de se, à se latâ.*

336. ALICVI TVORVM.] *Filio.*

337. NON LICVIT.] *Patri.*

CAP. XXIII. 338. ABSOLVTI TRANSFL.] *Ai*

A quam magnis ingeniis cara in corpore mora est. exire atque erumpere gestiunt, ægrè has angustias ferunt, vagi per omne sublime, & [339] ex alto assueti humana despicere. Inde est quod [340] Plato clamat: *Sapientis animum totum in mortem prominere, hoc velle, hoc meditari, hac semper cupidine ferri* [341] *in exteriora tendentem.* Quid tu, Marcia, cùm videres senilem in iuuene prudentiam, victorem omnium voluptatum animum, emendatum, carentem vitio, diuitias sine auaritiâ, honores sine ambitione, voluptates sine luxuriâ appetentem, diu tibi putabas illum sospitem posse contingere? Quicquid ad summum peruênit, ad exitum [342] properat. Eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus: nec vltimum tempus exspectant, quæ in primo maturuerunt. Ignis quò clarior fulsit, citiùs exstinguitur: viuacior est, qui cum lentâ difficilique materiâ commissus, fumoque demersus, ex sordido lucet. eadem enim [343] detinet causa, quæ malignè alit. sic ingenia quò illustriora, [344] breuiora sunt. Nam vbi incremento locus non est, vicinus occasus est. Fabianus ait, quod nostri quoque parentes vidêre, puerum Romæ fuisse, staturâ ingentis
B viri: sed hic citò decessit, & moriturum breui nemo non prudens dixit. non poterat enim ad illam ætatem peruenire, quam præceperat. Ita est indicium imminentis exitij [345] maturitas, & appetit finis, vbi incrementa consumpta sunt. Incipe virtutibus illum, XXIV. non annis æstimare: satis diu vixit. pupillus relictus, sub tutorum curâ vsque ad decimumquartum annum fuit: sub matris custodiâ semper. cùm haberet suos penates, relinquere tuos noluit. Adolescens staturâ, pulchritudine, cetero corporis robore castris natus, militiam recusauit, ne à te discederet. Computa, Marcia, quàm rarò liberos videant, quæ in diuersis domibus habitant: [346] cogita, tot illos perire annos matribus, & per solicitudinem exigi, quibus filios in exercitu habent: scies multum patuisse hoc tempus, ex quo nihil perdidisti. Numquam à conspectu tuo recessit: sub oculis tuis studia formauit, excellentis ingenij, & æquaturi [347] auum, nisi obstitisset [348] verecundia, quæ multorum profectus silentio pressit. Adolescens rarissimæ formæ, in tam magnâ mulierum turbâ viros corrumpentium, nullius spei se præbuit: & cùm quarumdam vsque
C ad tentandum peruenisset improbitas, erubuit, quasi peccasset, quòd placuerat. Hac san-

At veteres, obsoleti illitique: *meus autem*, obsoletum illitumque fluunt. *An* obsoletum illotumque effluunt? *siue etiam cum alijs*, obsoleti illotique transfluunt, *eodem sensu. Platonicum est, qui volebat animas* corpori deditas, corporibus elapsas circum ipsam terram volutari, nec in cælestem locum, nisi multis pòst seculis, reuerti. *Cicero in Somnio, Macrobius ibi, Plato ipse* X. *de Legib. atque alibi.*

339. EX ALTO ASSVETI.] *Nam è stellis & cælo, quasi scintillas, decerpunt animas Stoici.*

340. PLATO CLAMAT.] *Vbi? reperio similia equidem in Phædone. atque ibi Socrates:* Ὡς ἐμοὶ φαίνεται, *inquit*, ἀνὴρ τῷ ὄντι ἐν φιλοσοφίᾳ διατρίψας τὸν βίον, θαρρεῖν μέλλων ἐπὶ θανεῖσθαι, καὶ εὐέλπις εἰς
D μέγιστα ἐκεῖ οἴσεσθαι ἀγαθὰ, ἐπειδὰν τελευτήσῃ: Mihi videtur, vir qui reuera in studio sapientiæ vitam posuerit, cum fiduciâ moriturus, plenus bonæ spei quòd magna ibi præmia consequetur, cùm obierit. *Et mox:* Κινδυνεύουσι γὰρ ὅσοι τυγχάνουσιν ὀρθῶς ἁπτόμενοι φιλοσοφίας, λεληθέναι τοὺς ἄλλους, ὅτι οὐδὲν ἄλλο αὐτοὶ ἐπιτηδεύουσιν ἢ ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι: Nam qui rectè philosophandi studium amplexi sunt, hoc præcipuè operam dant, vt taciti atque aliis ignaris meditétur mori. *Iterumq; posteà:* ὅτι τῷ ὄντι οἱ φιλοσοφοῦντες θανατῶσι: quod reuerà philosophantes in mortem propendeant. *Vide me* II. *Manud. Diss.* II.

341. IN EXTERIORA.] *Cicero expressit è Platone:* Animum inclusum in corpore, prominere foras; & ea quæ extra erunt contemplantem, quammaximè se à corpore abstrahere.

342. PROPERAT.] *Membranæ omnes*, propè est: *vt nihil cunctèr legere*, ab exitu propè est, *phrasi Tullij, & ipsius Senecæ.*

343. DETINET CAVSSA.] *Humor, & quod igni repugnat. Simile in ingeniis, aut virtutibus: aliquid aduersum adnexum detinet, donec eluctetur.*

344. EO BREVIORA.] *Meus reiectâ voculâ*, quò illustriora, breuia sunt. *Corneliana frequens dictio.*

345. MATVRITAS.] *Plinius:* Quippe cùm Censorius Cato, vt ex oraculo aliquo prodiderit, senilem iuuentam præmaturæ mortis esse signum.

CAP. XXIV. 346. COGITA TOT ILLOS.] *Simile omnino solatium in Teletis Pythagorici fragmentis:* Ἔπειτα δὲ καὶ ἀποδημοῦντος αὐτῷ χρειῶν συμπεσούσῃ, καὶ στρατευομένου ὑπὲρ τῆς πατρίδος, καὶ πρεσβεύοντος, καὶ ἱερεύοντος, καὶ ἀρρωστήσαντος, καὶ πρεσβυτέρου γενομένου. ἀλλ' εἰ ὅπῃ πᾶσι τούτοις δυσκολαίνοις, τί τοῖς γραϊδίοις ἀπολείψεις; Deinde verò nec frui illo possis peregrinante, aut pro patriâ militante, item in legationem misso, sacris præfecto, ægrotante, seniore & decrepito iam facto. Quòd si super his quoque omnibus ægrescis, quid tandem aniculis relinques? *Vtitur & noster epist.* LXIII. *& tangit suprà in hac Consol. cap.* XIX.

347. AVVM.] *Cremutium.*

348. VERECVNDIA.] *Quâ factum vt nihil ederet, nec ingenij sui in publico faceret copiam.*

ſanctitate morum effecit, vt [349] puer admodum dignus ſacerdotio videretur, maternâ A
ſine dubio ſuffragatione: ſed ne mater quidem niſi pro bono candidato valuiſſet. Harum in contemplatione virtutum [350] ſic te gere, tamquam ſi nunc ille tibi magis vacet. Nunc nihil habet quo auocetur: numquam tibi ſolicitudini, numquam mærori erit. Quod vnum ex tam bono filio poteras dolere, doluiſti: cetera exempta caſibus, plena voluptatis. ſunt ſi modò vti filio ſcis, ſi modò quid in illo pretioſiſſimum fuerit, intelligis. Imago dumtaxat filij tui periit, & effigies non ſimillima: ipſe quidem æternus, melioriſque nunc ſtatus eſt, deſpoliatus oneribus alienis, & ſibi relictus. Hæc quæ vides oſſa circumuoluta neruis, & obductam cutem, vultumque, & miniſtras manus, & cetera quibus inuoluti ſumus, [351] vincula animorum tenebræque ſunt. Obruitur his animus, offuſcatur, inficitur, arcetur à veris & ſuis, in falſa coniectus: omne illi cum hac carne graui certamen eſt, ne abſtrahatur & ſidat: nititur [352] illò, vnde dimiſſus eſt: ibi illum æterna requies manet, è confuſis craſſiſque pura & liquida viſentem.

XXV. Proinde non eſt quòd ad ſepulcrum filij tui curras. peſſima eius, & ipſi moleſtiſſima
iſtic iacent, oſſa cinereſque: non magis illius partes, quàm veſtes, aliaque tegumenta cor- B
porum. Integer ille, nihilque in terris relinquens, fugit, & totus exceſſit: paullumque ſupra nos commoratus, dum expurgatur, & inhærentia vitia ſitumque omnis mortalis æui excutit, deinde ad excelſa ſublatus, inter felices currit animas, excipitq. illum [353] cœtus ſacer, Scipiones, Catoneſque, vtique contemptores vitæ, & mortis beneficio liberi. Parens tuus, Marcia, illic nepotem ſuum, quamquam illic omnibus omne cognatum eſt, applicat ſibi, nouâ luce gaudentem, & vicinorum ſiderum meatus docet: nec ex coniecturis, ſed omnium ex vero peritus, in [354] arcana naturæ libens ducit. Vtque ignotarum vrbium monſtrator, hoſpiti gratus eſt: ita ſciſcitanti cæleſtium cauſſas, domeſticus interpres. In profunda terrarum [355] permittere aciem iuuat: delectat enim ex alto relicta reſpicere. Sic itaque, Marcia, te gere, tamquam ſub oculis patris filiique poſita, non illorum quos noueras, ſed tanto excellentiorum, & in ſummo locatorum: erubeſce quic- C
quam humile aut vulgare, & mutatos in melius tuos flere. In æterna rerum per vaſta &
libera ſpatia dimiſſos, non illos interfuſa maria diſcludunt, nec altitudo montium, aut imæ valles, aut incerta vada Syrtium. [356] tramites omnia plani, & ex facili mobiles, &
XXVI. expediti, & inuicem peruij ſunt, intermixtique ſideribus. Puta itaque ex illâ arce cæleſti patrem tuum, Marcia, cui tantum apud te auctoritatis erat, quantum tibi apud filium tuum, non illo ingenio, quo ciuilia bella defleuit, quo [357] proſcribentes in æternum

349. PVER ADMODVM.] *A ritu veteri, quo & adoleſcentes præcipuis ſacerdotiis ornati. Liuius* XXXIII. Q. Fabius Maximus Augur mortuus eſt, admodum adoleſcens. *Libro* XLII. In Fuluij locum Pontificis, Cn. Domitius, opidò adoleſcens, ſacerdos lectus. *Oſtendit tamen minùs crebrò factum, libro* XXIX. Augur creatus Ti. Sempronius Gracchus admodum adoleſcens, quod tunc perrarum in mandandis ſacerdotiis erat. *Sed eâ notâ indicat, percrebrum ſuo æuo fuiſſe. quod & Tacitus:* Nobiles adoleſcentulos auitis ac paternis ſacerdotiis recoluit.

350. SIC TE GERE.] *Libri damnant, qui* filium gere, *aut* geri, *conſenſu. Scribendum:* filio iungere. *Hac meditatione, inquit, adeſto & iunge te filio, qui nunc liber tibi vacat. Hæc paullò pòſt dicit,* vti filio.

351. VINCVLA ANIMORVM.] *Inter alios Themiſtius pulchrè:* Corpus Græci δέσμας dicunt, tanquam in eo anima δεδεμένη, hoc eſt illigata ſit, præter ſuam naturam. Nihil enim vi retinetur in eo, vbi eſſe natum eſt, aut vinciri debet. ideoque & vocabulo à Vi deducto Vitam nominarunt, βίον ἀπὸ τῆς βίας. *Plura addit, digniſſima lectu, in Stobæi Serm.* CXIX. *Vide & Macrobium* I. *in Somn. Scip. cap.* X.

352. ILLÒ, VNDE.] *In cælum.*

CAP. XXV. 353. COETVS SACER.] *Nam ibi ſcilicet heroum meliorumq; animarum ſedes. Lucanus:*

Quodque patet terras inter, lunæq; meatus,
Semidei manes habitant. quos ignea virtus
Innocuos vitâ, patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in orbes.

Dogma à Pythagorâ ortum, aſſerente: Mercurium ταμίαν εἶναι τῆς ψυχῶν, quæſtorem & ductorem D
eſſe animarum. ex iis puras ducere ad ſupera loca; impuras minimè, neque iis, neque inter ſe, miſceri, ſed vinculis à Furiis adſtringi. Eſſe & ipſum Aërem animarum plenum, atque has exiſtimari Heroas & Dæmonas. *Nos pleniùs Phyſiolog.* III. *Diſſert.* XIII.

354. ARCANA NATVRÆ.] *Vide Conſol. ad Polyb. cap.* LXXVII.

355. PERMITTERE.] *Longè & liberè mittere.*

356. TRAMITES OMNIA.] *Legam* omnium, *nempe animarum: quas vult liberè in æthere ferri, & quaquauerſus commeare. Meo tamen libro* tramites, *abeſt.*

CAP. XXVI. 357. PROSCRIBENTES.] *Triumuiros.*

358. IPSE

Anum [358] ipse proscripsit, sed tanto clariore, quanto est ipse sublimior, dicere: *Cur te filia tam longa tenet ægritudo? Cur in tantâ veri ignorantiâ versaris, vt iniquè actum iudices cum filio tuo, quòd* [359] *in tædium versus vitæ, ipse ad maiores se recepit suos? Nescis quantis fortuna procellis disturbet omnia? quàm nullis benignam facilè se præstiterit, nisi qui minimum cum illâ contraxerant? Regésne tibi nominem felicissimos futuros, si maturiùs illos mors instantibus subtraxisset malis? An Romanos duces, quorum nihil magnitudini deerit, si aliquid* [360] *ætati detraxeris? an nobilissimos viros clarissimosque ad ictum militaris gladij compositâ ceruice formatos? Respice* [361] *patrem atque* [362] *auum tuum. Ille in alieni percussoris venit arbitrium. Ego nihil in me cuiquam permisi, & cibo prohibitus ostendi, quàm* [363] *magno animo scripsissem. Cur in domo nostrâ diutissimè lugetur, qui felicissimè moritur? Coimus in vnum omnes, videmusque vos altâ nocte circumdari. Nil apud vos, vt putatis, optabile, nil excelsum, nil splendidum: sed humilia cuncta, & grauia, & anxia, & quotam partem luminis nostri cernentia? Quid dicam, nulla hîc arma mutuis furere concursibus, nec classes classibus frangi, nec parricidia* [364] *aut fingi, aut*
B *gitari, nec fora litibus strepere* [365] *dies perpetuos: nihil in obscuro, detectas mentes, & aperta præcordia, & in publico medioque vitam, & omnis æui prospectum,* [366] *euentumque? Iuuabat vnius sæculi me fata componere, in parte vltimâ mundi, & inter pauciss imos gesta: tot sæcula, tot ætatum contextum & seriem, quicquid annorum est, licet visere. licet surrectura, licet ruitura regna prospicere, & magnarum vrbium lapsus, & maris nouos cursus. Nam si potest tibi solatio esse* [367] *desiderij tui commune fatum, nihil quo stat loco stabit. omnia sternet, abducetque secum vetustas: nec hominibus solùm (quota enim ista fortuitæ potentiæ portio est?) sed locis, sed regionibus, sed mundi partibus ludet: tot supprimet montes, & alibi rupes in altum nouas exprimet: maria sorbebit, flumina auertet: & commercio gentium rupto, societatem generis humani cœtusque dissoluet. Alibi* [368] *hiatibus vastis subducet vrbes, tremoribus quatiet, & ex imo pestilentes halitus mittet, &* [369] *inundationibus, quicquid habitatur, obducet: necabitque omne animal orbe submerso, & ignibus vastis torrebit incendetque mortalia. Et cùm tempus aduenerit, quo se mundus renouaturus extinguat, viribus ista se suis cædent, & sidera sideribus incurrẽt, & omni flagran-*
C *te materiâ, vno igne, quicquid nunc* [370] *ex disposito lucet, ardebit.* [371] *Nos quoque felices animæ, & æterna sortitæ, cùm Deo visum erit iterùm ista moliri, labentibus cunctis, & ipsi parua ruinæ ingentis accessio, in antiqua elementa vertemur.* Felicem filium tuũ, Marcia, qui ista iam nouit.

358. IPSE PROSCRIPSIT.] *In tabulis Aeui exposuit, famæ an infamiæ posterorum.*

359. IN TÆDIVM.] *Atqui nullum tædium, nec tale anteà tetigit. Meo libro hæc omnia absunt, scribitq;*: quòd ipse ad maiores. *quomodo & in quibusdam Pinciani. Nec valdè reuocem: nisi quod alij tamen manuscripti vindicant, produntq;*: quod in te domus status in te ipse ad maiores. *Si germana, scribam:* quod sine tædio, satur vitæ, ipse ad: *proximè sanè ad chirographos.*

360. ÆTATI DETRAX.] *Si citiùs mortui. vt Scipio prior, Marius, Pompeius.*

D 361. PATREM.] *Me Cremutium.*

362. AVVM.] *Quem? paternum, an maternum? Suspicor autem ciuili bello, aut proscriptione periisse, ex eo quod nectit.*

363. MAGNO ANIMO.] *Erasmus edidit:* quàm magno me iuuat animo scripsisse, *& consentiunt plerique scripti. Meus*, quàm magno mequam iuuaci animo. *Ex quibus fecerim*: quàm magno, neque viuaci, animo. *Ostendi, inquit, alto animo, nec vitæ cupido, me scripsisse. Nam* Viuacem, *hîc ita interpreter. Si quis etiam malet, legito*: quàm magno mea, quàm viuaci animo: *aduersâ planè mente. id esset, quàm vegeto & vigente animo.*

364. AVT FINGI.] *Parari, strui.*

365. DIES PERP.] *Fortasse*, strepere, die perpetuo, nihil.

366. EVENTVMQVE.] *Alij*, venientiumque; *meus*, venientiaque. *sed aut vulgatum verum est, aut* euentaque.

367. DESIDERII TVI.] *Sic legendum, è melioribus libris. Sententia: si hoc te solari potest, quòd sicut tu filium desideras; ita alij talia aut alia.*

368. HIATIBVS.] *Mei*, montibus. *an non* motibus, *vt ad terræ motionem spectet?*

369. INVNDATIONIBVS.] *Hæc è physiologiâ Stoicâ: qui aquis, & ignibus denique mundum perdunt: sed renouandum & suscitandum.*

370. EX DISPOSITO.] *Partibus, & ordine.*

371. NOS QVOQVE.] *Ex hac clausulâ vides animarum immortalitatem destrui, & longæuas ab eo, sed non ἀφθάρτους, statui. Stoici variabant. & quidam*, sapientum dumtaxat animas perennare: *alij, vt Cleanthes, πάσας ὑπομιμνῆναι μέχρις ἐκπυρώσεως: quod interpres reddidit*, omnes perdurare, donec calore destituantur. *Valdè contra mentem viri: qui dictum, quod hîc Seneca, voluit*, omnes manere vsque ad mundi conflagrationem. *Nos ista vbertim in Physiologiâ.*

L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ DE PROVIDENTIA, siue QVARE BONIS VIRIS MALA ACCIDANT CVM SIT PROVIDENTIA, LIBER VNVS.

B

ARGVMENTVM ET ORDO.

AVREVS *hic libellus est, & scriptum post Caligulam video ex Cap.* IV. Ego mirmillonem, *inquit*, sub C. Cæsare audiui de raritate munerum querentem. *In præterito loquitur, & de homine ac tempore, quod fuit. Puto igitur sub Claudio, statim à reditu: imò quid si hæc philosophica quædam in exsilio? nam diu ibi hæsit, annos circiter octo, & iustè hoc elegerit, sibi solando. Argumentum enim est, Prouidentiam esse: nec obstare, quòd bonis mala quædam, sed externa, obueniant. Primò igitur vniuersè illam asserit, à mundi motu, ordine, constantiâ: quæ omnia rectorem clamant. Deinde ad Quæsitum propriè, Quare ergo mala bonis? Ait primò, Deum amare bonos, nec immittere igitur iis mala. Instar parentis dumtaxat castigare, &* C *coërcere. Deinde, non videri ea mala bonis. nec vinci iis, sed exerceri, & per aspera indurari. Deum velut agonothetam esse, & robustis his athletis suis delectari. Hæc ita communiter, & velut præparans, ad Cap.* III. *Ab eo magis distinctè quinque rationes, cur eueniant, exsequi pergit. Primò, pro ipsis esse, quibus accidunt: secundò, pro vniuersis: tertiò, volentibus euenire: quartò, euenire fato & æternâ lege. Primam rationem tractat Cap.* III.IIII. *docetque pro ipsis esse, sicut medicina pro ægris. Indurantur etiam sic à Deo, qui se dignos producit in pugnam; alios viliores, in otio & vmbrâ habet. Secundam tractat Cap.* V. *pro omnibus esse. vt viri boni, sic habiti, clament aliis & ostendant non esse Bona aut Mala, quæ vulgus putet. Ad vera igitur illa spectent, & illa petant, hæc fugiant. Ibidem tertiam nectit, Volentes excipere: nam præbent se Deo & Fato. Quarta excipit, Fatum esse, & ab æterno constitutum, quid gaudeas doleasque. Denique repetit, mala hæc non esse: & Deum inducit pulcherrimè adhortantem, & ad robur excitantem. Stoicè in fine, Si piget & ferre tædet, quis tenet? patet ianua, exi.*

CAPVT PRIMVM.

D

QVAESISTI à me, Lucili, quid ita, si Prouidentiâ mundus ageretur, multa [1] bonis viris acciderent mala? Hoc commodiùs in [2] contextu operis redderetur, cùm præesse [3] vniuersis prouidentiam probaremus, & interesse nobis Deum: sed quoniam à toto particulam reuelli placet, & vnam contradictionem [4] manente lite integrâ soluere: faciam rem non difficilem, caussam deorum agam. Superuacuum est in præsentiâ ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum [5] fortuiti impetus esse, & quæ casus incitat, sæpè turbari & [6] citò arietare: hanc inoffensam velocitatem procedere [7] æternæ legis imperio, [8] tantum rerum terrâ mariq́ue gestan-

A gestantem, tantum clarissimorum luminum & ex dispositione lucentium? non esse [9] materiæ errantis hunc ordinem: neque quæ temerè coierunt, tantâ arte pendere, vt terrarum grauissimum pondus sedeat immotum, & circa se properantis cæli fugam spectat; vt infusa vallibus maria [10] molliant terras, nec [11] vllum incrementum fluminum sentiant; vt ex minimis [12] seminibus nascantur ingentia. Ne illa quidem quæ videntur confusa & incerta, pluuias dico nubesque, & elisorum fulminum iactus, & incendia ruptis montium verticibus effusa, tremores labantis soli, & alia quæ [13] tumultuosa pars rerum circa terras mouet, sine ratione, quamuis subita sint, accidunt: sed suas & illa causas habent non minùs, quàm quæ alienis locis conspecta miraculo sunt, vt in mediis fluctibus [14] calentes aquæ, & [15] noua insularum in vasto exsilientium mari spatia. Iam verò si quis obseruauerit nudari litora pelago in se recedente, eademque intra exiguum tempus operiri, credet cæcâ quadam volutatione modò contrahi vndas, & introrsum agi, modò erumpere, & magno cursu repetere sedem suam: cùm illæ interim portioni-
B bus crescunt, & ad horam ac diem subeunt, ampliores minoresque, prout illas [16] lunare sidus elicuit, ad cuius arbitrium oceanus exundat. Suo ista tempori reseruentur: eò quidem magis, quòd tu non dubitas de prouidentiâ, sed quereris. In gratiam te reducam cum diis, aduersus optimos optimis. Neque enim natura patitur, vt bona bonis noceant.

COMMENTARIVS.

CAP. I. 1. BONIS VIRIS.] *Perpetua querela, non solùm quæsitio: atque illinc finitio, aut Deum, aut certè Prouidentiam non esse. Poëta apud Ciceronem:*

Nam si curent, bonis benè sit, malis malè:
quod nunc abest.

C *Plautus ad Deos:*

——nam quid sibi habebunt igitur impij
Posthac, si ad hunc modum est innoxiis honor
Apud vos?

Muliercula in monumento veteri: PROCOPE MANVS LEVO CONTRA DEVM, QVI ME INNOCENTEM SVSTVLIT. *Symmachus:* Quæso custodes bonorum, valetudini tuæ medicas applicent manus, ne optimi Senatoris longa vexatio fidem faciat, nihil curare cælestes. *Et vbi non dicta aut scripta talia? Vide me Physiol.* I. *Dissert.* XVI.

2. CONTEXTV OPERIS.] *Quod desideramus, siue seorsim de Prouidentiâ scripsit; siue magno* Moralium *operi inseruit, vbi à Deo & Prouidentiâ orsus, transiit ad Homines & Virtutes.*

3. VNIVERSIS.] *Non parti, vt Aristoteles, qui*
D *eam cælo lunæ terminauit, cetera casui permisit. Stoici autem contrà, vniuersis & singulis eam interuenire: de quo ego in Physiol.* I. *Dissert.* XI.

4. MANENTE LITE.] *Quæstione primariâ, An sit Prouidentia?*

5. FORTVITI IMPETVS.] *Quod Epicuri delirium. Manilius reiiciens,*

——Mundum diuino numine verti,
Atque ipsum esse Deum: nec FORTE coisse magistrâ,
Vt voluit credi, qui primus mœnia mundi
Seminibus struxit minimis, inq; illa resoluit.

6. CITO ARIETARE.] *Incurrere in se, & impedire.*

7. ÆTERNÆ LEGIS.] *Quæ Prouidentia est, siue Fatum. Vide Physiol.* I. *Dissert.* XII.

8. TANTVM RERVM.] *Quomodo cursus aut velocitas illa res gestat? puto, quia includit, & siderum cælorumq; motu Fata dispensantur. Quæ aperta sententia Trismegisti est, non vno loco; & Stoici consentiunt consciscuntque. Nos in Physiol. lib.* II. *Dissert.* XIIII. *Tot ergo res gestant, quia includunt, & velut, grauida iis sunt, parturiuntq;.*

9. MATERIÆ ERRANTIS.] *Atomorum, vt iam dictus Epicurus voluit.*

10. MOLLIANT TERRAS.] *Scabras per se asperasq;. Itaque & mitigat infusus humor, & ligat diffluentes. Vide Physiol.* II. *Dissert.* XVI.

11. VLLVM INCREMEMTVM.] *Quia terra venis combibit identidem, atque attrahit.* quâ ratione *(ait Plinius)* manifestum est, quare tot fluminum cottidiano accessu maria non crescant. *Adde & Solis eductiones.*

12. SEMINIBVS.] *Frugum, arborumq;. Pauca, sed pulchra & firma Prouidentiæ argumenta, si quis deducit.*

13. TVMVLTVOSA PARS.] *Nam suprà quies & constantia,* & Pacem summa tenent.

14. CALENTES AQVÆ.] *Plinius* II. Vaporant & in mari ipso calentes aquæ, quæ Licinij Crassi fuerunt, medioque inter fluctus exsistit aliquid valetudini salutare. *Philo Iudæus, De Somniis:* Εἰσὶ δὲ μυρίαι πολλαχόθεν πηγαὶ ὕδωρ ζέον ἀναδιδοῦσαι, ἐκ γῆς, ἀλλὰ καὶ ἐκ θαλάσσης. ἤδη γοῦν ἔνιοι ἐφάνησαν φλέβες ἀνομβρησῦσαι ἐν μέσοις πελάγεσιν, ἃς ἡ τοσαύτη ἐν κύκλῳ πέλαγος ἀναχύσις ἐξ αἰῶνος ὑπικλύζουσα, οὐκ ἴσχυσε σβέσαι, ἀλλ' ἐδ' ὅπη πόσον ἀνεῖναι: Sunt enim mille passim fontes aquam calidam manantes, non in terrâ solùm, sed ipso mari. Nunc certè deprehenduntur tales venæ in mediis maribus, quas ab æuo fluctuũ in orbem inundatio non potuit exstinguere, imò nec remittere.

15. NOVA INSVLARVM.] *Plinium vide* II. *cap.* LXXXVI. *& seq. Liuium lib.* XXXIX. *in fine, Senecam Quæst. Nat.* VI. *cap.* XXI.

16. LVNARE SIDVS.] *Aliquid nosse* III. *Quæst. cap.* XXVIII. *plenè Scaliger Exercit.* LII.

17. AMI-

ceant. Inter bonos viros ac Deum [17] amicitia est, conciliante virtute. amicitiam dico? A
imò etiam [18] necessitudo & [19] similitudo: quoniam quidem bonus ipse [20] tempore tantùm à Deo differt, [21] discipulus eius, [22] æmulatorque, & [23] vera progenies: quem parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut seueri patres, duriùs educat. Itaque cùm videris bonos viros acceptosque diis, laborare, sudare, per arduum ascendere, malos autem lasciuire, & voluptatibus fluere: cogita filiorum nos modestiâ delectari, [24] vernularum licentiâ: illos disciplinâ tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat. bonum virum [25] in deliciis non habet: experitur, indurat, [26] sibi illum præ-
II. parat. Quare multa bonis viris aduersa eueniunt? nihil accidere bono viro [27] mali potest. Non miscentur contraria. Quemadmodum tot amnes, tantum supernè deiectorum imbrium, tanta [28] medicatorum vis fontium, non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: ita aduersarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. Manet [29] in statu, & quicquid euenit, in [30] suum colorem trahit. Est enim omnibus externis potentior: nec hoc dico, [31] non sentit illa: sed vincit, & alioquin quietus placidusque, B
contra incurrentia attollitur. Omnia aduersa, [32] exercitationes putat. Quis autem, vir modò, & erectus ad honesta, non est laboris appetens iusti, & ad [33] officia cum periculo promptus? cui non industrioso otium pœna est? Athletas videmus, quibus virium cura est, cum fortissimis quibusque confligere, & exigere ab his, per quos certamini præparantur, vt totis contra ipsos viribus vtantur. cædi se vexarique patiuntur: & si non inueniunt singulos pares, pluribus simul obiiciuntur. Marcet sine aduersario virtus. tunc apparet quanta sit, quantum valeat, polleatque, cùm quid possit, patientiâ ostendit. Scias licet, idem viris bonis esse faciendum, vt dura ac difficilia non reformident, nec de fato querantur. quicquid accidit, boni consulant, in bonum vertant. Non quid, sed quemadmodum dum feras, interest. Non vides, quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? illi excitari iubent liberos, ad studia obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lacrimas, excutiunt: at matres fouere in sinu, continere in vmbrâ volunt; numquam flere, numquam tristari, num- C
quam

17. AMICITIA EST.] *Non tamen æqualitas, absit. Sed Christiano etiam sensu amat genus nostrum, & amari poscit.*

18. NECESSITVDO.] *Quidni? cùm &* progenies *eius, vt addit, simus? Et trahunt quidem ista aliorsum Stoici: sed verba etiam nostra sunt, qui pietatem veram sectamur. De sensu illorum vide me Physiol.* III. *Dissert.* VIII.

19. SIMILITVDO.] *Imago Dei sumus.*

20. TEMPORE TANTVM.] *Alta, imò superba, talia Stoici: de quibus ego Manuduct. lib.* III. *Dissertat.* XIV.

21. DISCIPVLVS.] *Vera iterùm, & Christiana.*

22. ÆMVLATORQVE.] *Nónne & istud? & aut sumus certè, aut esse debeamus. Sacra nostra:* Imitatores eius estote. *Nos diffusè Manud.* II. *Diss.* XIX.

23. VERA PROGENIES.] *Epictetum hîc audi:* Si Cæsar te adoptasset, quis supercilium tuum ferret? nunc cùm Dei filius sis, non te æstimas & attollis? *Certè mi senex sumus: sed adoptione etiam sumus.*

24. VERNVLARVM.] *Quorum procacitas propria, atque etiam dicacitas. Inde* Vernæ procaces *Horatio*; Vernaculorum dicta *Martiali*; Vernilia dicta, *&* Vernilitas *Senecæ ipsi, aliisque. At illud Martialis appositum:*

Vrbanus tibi, Cæcili, videris.
Non es crede mihi, quid ergo? verna es.

25. IN DELICIIS.] *Eodem licet ducas. nam tales pueri,* Deliciæ *dicebantur.*

26. SIBI ILLVM.] *Ipse Deus sibi, & suis oculis. quia magnus ille Editor hoc spectaculo maximè delectatur. Infrà, Cap. seq.*

CAP. II. 27. MALI POTEST.] *Quasi respondeat, Aduersi aliquid, fateor: nihil mali. & in eo tu erras.*

28. MEDICATORVM.] *Gruterus benè è libris asseruit. Nam* Medicatum, *quod non est purum; mixtum redolet sapitq;. Ita acidæ aquæ, sulphuratæ, ferratæ, tale genus omne, hoc nomine censentur. Plinius* II. *cap.* C. Terræ natura medicata aquas inficiat. *sic legendum: & alibi.*

29. IN STATV.] *A gladiatoriâ re aut militari. Dixi in Saturnal. lib.* II.

30. SVVM COLOREM.] *Ipse bonus in bonum vertit, benè ferendo, benè interpretando. Vt guttas pau-* D
cas albentes in vinum rubrum missas, ipsas suo colore tingit: ita hîc.

31. NON SENTIT.] *Nec enim apathia Stoicorum est (errant, qui adtribuunt) sed Stilponis scholæ, id est Megaricorum. Vide me* III. *Manud. Diss.* VII.

32. EXERCITATIONES.] *Simplicius in Epictetum, hæc omnia aut* Exercitia, *aut* Medicamenta *habet. Illa, si sanus animus, ad robur tuendum vel augendum; ista, si languidus, & deliciis aut voluptatibus demersus, ad recuperandum. Planè, vt in corporum curâ solet.*

33. OFFICIA.] *Publica ac priuata; patriæ, parentibus, amicis, singulis præstanda. Officium enim hîc* τὸ καθῆκον.

34. FOR-

A quam laborare. Patrium habet Deus aduerſus bonos viros animum, & illos [34] fortiter amat: &, Operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, vt verum colligant robur. Languent per inertiam ſaginata: nec labore tantùm, ſed [35] mole, & ipſo ſui onere deficiunt. Non fert vllum ictum illæſa felicitas. at vbi aſſidua fuit cum incommodis ſuis rixa, callum per iniurias ducit, nec vlli malo cedit: ſed etiam ſi ceciderit, [36] de genu pugnat. Miraris tu, ſi Deus ille bonorum amantiſſimus, qui illos quàm optimos eſſe atque excellentiſſimos vult, fortunam illis cum quâ exerceantur, aſſignat? Ego verò non miror, ſi quando impetum capiunt [37] ſpectandi magnos viros, colluctantes cum aliquâ calamitate. Nobis interdum voluptati eſt, ſi adoleſcens conſtantis animi irruentem feram venabulo excepit, ſi leonis incurſum interritus pertulit: tantoque ſpectaculum eſt gratius, quanto id [38] honeſtior fecit. Non ſunt iſta, quæ poſſunt deorum in ſe vultum conuertere, ſed puerilia, & humanæ oblectamenta leuitatis. Ecce ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus [39] operi ſuo Deus: ecce par Deo dignum, vir fortis cum malâ fortunâ compoſitus, vtique ſi & prouocauit. Non video, inquam, quid habeat in ter-
B ris Iupiter pulchrius, ſi conuertere animum velit, quàm vt ſpectet Catonem, iam partibus [40] non ſemel fractis ſtantem, nihilominus inter [41] ruinas publicas rectum. Licet, inquit, omnia in vnius ditionem conceſſerint, cuſtodiantur legionibus terræ, claſſibus maria, Cæſarianus [42] portas miles obſideat: Cato, quâ exeat, habet. Vnâ manu latam [43] libertati viam faciet. ferrum iſtud, etiam ciuili bello purum & innoxium, bonas tandem ac nobiles edet operas. libertatem, quam patriæ non potuit, Catoni dabit. Aggredere animo diu meditatum opus, eripe te rebus humanis. Iam Petreius & Iuba concurrerunt, [44] iacentque [45] alter alterius manu cæſi. Fortis & egregia [46] fati conuentio: ſed quæ non deceat magnitudinem noſtram. tam turpe eſt Catoni, mortem ab vllo petere, quàm vitam. Liquet mihi, cum magno ſpectaſſe gaudio deos, cùm iam ille vir, acerrimus [47] ſui vindex, alienæ ſaluti conſulit, & inſtruit diſcedentium fugam: dum etiam [48] ſtudia nocte

C 34. FORTITER.] *Plinius Panegyrico:* Licet exclamare, Hunc nolo, timidus eſt & bona ſæculi ſui parum nouit: illum volo, qui Cæſarem fortiter amat.

35. MOLE.] *Libri aliquot ſcripti*, motu: *nec malè. Adeò non labore ſolùm, ſed ipſo motu ſuo deficiunt.*

36. DE GENV.] *Epiſt.* LXVI. Qui ſucciſis poplitibus in genua ſe excepit, nec arma dimiſit. *Saucij igitur, aut valdè fatigati ſic pugnant. Quod ad phraſim, eſt illi ſimilis epiſt.* XXIX. Neſcio enim quid de gradu faciat.

37. SPECTANDI MAGN.] *Ipſum hoc Minutius Felix, eleganti libello, Aduerſus gentes*: Quàm pulchrum ſpectaculum Deo, cùm Chriſtianus cum dolore congreditur? cùm aduerſus minas, & ſupplicia, & tormenta componitur? cùm libertatem ſuam aduerſus reges ac Principes erigit? *Sed &*
D *Epictetus, in Diſſertat.* XXIV. *libri* I. Ὅταν ἐμπέσῃ φαντασία, μέμνησο, ὅτι θεός σε, ὡς ἀλείπτης, τραχεῖ νεανίσκῳ βέβληκεν: Cùm periculum ingruit, cogita, Deum te laniſtæ inſtar aut gymnaſtæ, cum acri iuuene commiſiſſe. *Et plura ibi, toti huic argumento.*

38. HONESTIOR.] *Etſi olim viles tantùm, & captiui aut damnati, ad beſtias ferè ſolent dari: tamen ſub Principibus inualuit, etiam Equites, etiam Senatores committi. Seneca epiſt.* C. Adſpice illos iuuenes, quos ex nobiliſſimis domibus in arenam luxuria coniecit. *Nam deſperatio, & æs alienum, tales eò ſæpè adigebat. Vide me in* II. *Sat. cap.* III.

39. OPERI SVO.] *Huic mundo, quem fecit, & tuetur intuendo.*

40. NON SEMEL.] *In Pharſaliâ, & in ipsâ Aſricâ.*

41. RVINAS PVBL.] *Eſt illud Horatianum:* Si fractus illabatur orbis, Impauidum ferient ruinæ.

42. PORTAS MILES.] *Nam* præmiſerat Cæſar Vticam cum equitatu M. Meſſallam, ipſe eódem iter faciens: *Hirtius.*

43. LIBERTATI VIAM.] *Conſol. ad Marciam:* Si domini pertæſum eſt, licet vno gradu ad libertatem tranſire.

44. IACENT.] *Ergo facit eos periſſe ante Catonem. quod & Dio & Florus ita narrant. At Liuius & Appianus aliter, & palàm Hirtius: quibus, ex rerum temporumq; ſerie, ego credam.*

45. ALTER ALTERIVS.] *Ita & Dio ſcribit* XLIII. Οἱ ἰόβας τῷ Πετρείῳ ἐμονομάχησε, καὶ συναπέθανε: Iuba cum Petreio ſingulari certamine congreſſus, & cõmortuus eſt. *Idem Appianus:* ὅπλοις δὲ ἱππικοῖς διαίτῃ ξίφεσι διεχρήσαντο ἀλλήλους: in cænaculo ſe mutuò interfecerunt. *Neque Hercules (quod Muretus prodidit) ſententiam Hirtij Appianus ſequitur, qui* Petreium interfectum à Iubâ, & hunc à ſeruo *ſcripſit: ſi tamen ita ſcripſit, de quo aliàs in ipſo.*

46. FATI CONVENTIO.] *Pactum inter ipſos ſuper fato. Ita de Irâ, lib.* III. *cap.* XXVI. Vnare nos facere poteſt quietos, mutuæ facilitatis conuentio.

47. SVI VINDEX.] *Neſcio an non aptiùs, certè acutiùs:* ſuæ vindex, *vt ad* ſalutem *referatur, hoc ſenſu. Qui alienæ ſaluti molliter conſuluit, acriter ſuæ. Quomodo? fugâ & diſceſſu illis; ſibi, morte. Itaque* Vindex *propriè hîc, non* Vltor, *ſed* Aſſertor.

48. STVDIA.] *Nam Platonis Dialogum qui* Phœdo *inſcribitur, de animâ & immortalitate dicitur legiſſe.*

cte vltimâ tractat, dum gladium ſacro pectori infigit, dum viſcera ſpargit,& illam ſanctiſſimam animam,indignamque quæ ferro contaminaretur, manu educit. Inde credi- A
derim fuiſſe parum certum & efficax vulnus. non fuit Diis immortalibus ſatis, ſpectare Catonem ſemel : retenta ac [49] reuocata virtus eſt, vt in [50] difficiliori parte ſe oſtenderet. Non enim tam magno animo mors initur, quàm repetitur. Quídni libenter ſpectarent alumnum ſuum,tam claro ac memorabili exitu euadentem ? mors illos conſecrat, quo-
III. rum exitum & qui timent, laudant. Sed iam procedente [51] oratione oſtendam, quàm non ſint quæ videntur,mala.nunc illud dico,iſta quæ tu vocas aſpera,quæ aduerſa & abominanda, primùm pro ipſis eſſe, quibus accidunt ; deinde pro vniuerſis : quorum maior diis cura eſt,quàm ſingulorum. Poſt hæc,volentibus accidere,ac dignos malo eſſe,ſi nolint.His adiiciam,fato iſta fieri,& rectè eâdem lege bonis euenire,[52] quâ ſunt boni: [53] perſuadebo inde tibi, ne vmquam boni viri miſerearis. poteſt enim miſer dici, non poteſt eſſe. Difficillimum, ex omnibus quæ propoſui, videtur quod primùm dixi: pro ipſis eſſe quibus eueniunt iſta, quæ horremus ac tremimus. Pro ipſis eſt, inquis, in B
exſilium proiici,in egeſtatem deduci,liberos,coniugem efferre,ignominiâ affici,debilitari? Si miraris,hoc pro aliquo eſſe, miraberis quoſdam [54] ferro & igne curari, nec minùs fame ac ſiti. Sed ſi cogitaueris tecum, remedij cauſsâ quibuſdam &[55] radi oſſa & [56] legi, & [57] extrahi venas,& quædam amputari membra, quæ ſine totius pernicie corporis hærere non poterant : hoc quoque patieris probari tibi, quædam incommoda pro his eſſe, quibus accidunt. tam mehercules, quàm quædam quæ laudantur atque appetuntur, contra eos eſſe, quos delectauerunt : ſimillima cruditatibus, ebrietatibuſque, & ceteris quæ necant per voluptatem. Inter multa magnifica [58] Demetrij noſtri, & hæc vox eſt,à quâ recens ſum. ſonat adhuc, & vibrat in auribus meis : *Nihil*, inquit, *mihi videtur* [59] *infelicius eo, cui nihil vmquam euênit aduerſi*. Non licuit enim illi ſe experiri. Vt ex voto illi fluxerint omnia,vt ante votum : malè tamen de illo dij iudicauerunt.indignus viſus eſt, à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignauiſſimum quemque refugit. quaſi dicat: Quid ego iſtum mihi aduerſarium aſſumam ? ſtatim [60] arma ſubmittet. non opus eſt in C
illum totâ potentiâ meâ:leui comminatione pelletur. non poteſt ſuſtinere vultũ meum. Alius circumſpiciatur, cum quo conferre poſſimus manum : pudet congredi cum homine vinci parato. Ignominiam iudicat gladiator, cum inferiore componi : & ſcit eum ſine gloriâ vinci, qui ſine periculo vincitur. Idem facit fortuna, fortiſſimos ſibi pares quærit,quoſdam faſtidio tranſit. Contumaciſſimum quemque & rectiſſimum aggreditur, aduerſus quem vim ſuam intendat. Ignem experitur [61] in Mucio, paupertatem in Fabri-

49. REVOCATA.] *Vt ſolet in ſpectaculis. vbi aliquis populo placuiſſet,reuocabatur, & iterùm iterúmque audiebatur, vel ſpectabatur. Sic Cicero de Diphilo tragœdo:* Millies coactus eſt dicere. *Simile in gladiatoribus, vel athletis.*

50. DIFFICILIORI PARTE.] *Morte repetitâ. quia,vt mox addit, non ſic facile redire ad eam,atque ire. An non tamen ſcripſit*, pare, *vel* pari? *vt ſic quoque in re ſpectaculorum maneat? Suſpicor. & qui inter gladiatores benè ſe dederat ac placuerat, mox cum altero robuſtiore,quò magis probaret, committebatur.*

CAP. III. 51. ORATIONE.] *Vel ex hoc verbo grandiore dixeris* Epiſtolam *hanc non eſſe*, Librum *eſſe*.

52. QVA SVNT BONI.] *Quatenus ſunt tales. nam adhærent hæc bonitati & virtuti : neque ea ſunt ſine incommodis his externis.*

53. PERSVADEBO.] *Hæc pars in fine deeſt, temporum iniuriâ, non ſcriptoris incuriâ.*

54. FERRO ET IGNE.] *Simplicius tale:* Si corporum medicinam exercentem, eumque vrentem & ſecantem, atque ipſos carnifices imitantem,non malum ſed bonum dicimus,atque adeò gratias agimus,& mercedem numeramus: cur in medicinâ Dei non acquieſcimus? *Nam vt Hieronymus in Ezechielem:* quæ putatur pœna, medicina eſt.

55. RADI OSSA.] *Scalpello,dum purgantur.*

56. LEGI.] *Vide de Benef.* V. *cap.* XXIV. *& Conſol. ad Marciam,cap.* XXII.

57. EXTRAHI VENAS.] *Vir eruditus eò refert, quòd in quibuſdam morbis, vt Varicibus*, vena exciditur aut aduritur,*vt Celſus iubet* VII. *cap.* XXXI. *quod ipſum mox dicit* eximi venam. *At ego aptiùs veriusq; habeam*, extrahi venas, *id eſt ſanguinem è venis, Metonymiâ vſitatâ,vti* poculum obduci. D

58. DEMETRII.] *Illius Cynici, quem paſſim attollit in his libris. Vide epiſt.* LXIII. *& De Benefic.* VII. *cap.* VII.

59. INFELICIVS EO.] *Simili argutiâ Bias olim,* ἔλεγε ἀτυχῆ, τὸν ἀτυχίαν μὴ φέροντα: dixit infelicem,qui infelicitatem non ferret.

60. ARMA SVBM.] *Vt victi & ſupplices ſolent. Eſt à gladiatoribus. vide noſtra* Saturnalia.

61. IN MVCIO.] *Legit iſta & ſublegit alibi (ſed decorè) Minutius.* Voſipſi, *inquit*, calamitoſos vi-

ros

A Fabricio, exsilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Magnum exemplum, nisi mala fortuna, non inuenit. Infelix est Mucius, quòd dexterâ ignes hostium [62] premit, & ipse à se exigit erroris sui pœnas? quòd Regem, quem armatâ manu non potuit, exustâ fugat? Quid ergo? felicior esset, si in sinu amicæ foueret manum? Infelix est Fabricius, quòd rus suum, quantum à repub. vacauit, fodit? quòd bellum tam cum Pyrrho, quàm [63] cum diuitiis gerit? quòd ad focum cœnat illas ipsas [64] radices, & herbas, quas in agro [65] repurgando [66] triumphalis senex vulsit? Quid ergo? felicior esset, si in ventrem suum longinqui littoris pisces, & peregrina [67] aucupia congereret? si conchyliis superi atque inferi maris, pigritiam stomachi nauseantis [68] erigeret? si ingenti [69] pomorum strue cingeret [70] primæ formæ feras, captas multâ cæde venantium? Infelix est Rutilius, quòd qui illum [71] damnauerunt, [72] caussam dicent omnibus sæculis? quòd æquiore animo passus est se patriæ eripi, quàm [73] sibi exsilium? quòd Sullæ dictatori [74] solus aliquid negauit, & reuocatus non tantùm [75] retrò cessit, sed longiùs fugit? Viderint, inquit, hoc isti, quos Romæ deprehendit felicitas tua. videant
B largum in foro sanguinem, & supra [76] Seruilium lacum (id enim proscriptionis Sullanæ [77] spoliarium est) senatorum capita, & passim vagantes per vrbem percussorum greges: & [78] multa millia ciuium Romanorum, vno loco [79] post fidem, imò [80] per ipsam fidem, trucidata. Videant ista, qui exsulare non possunt. Quid ergo felix est L. Sulla, quòd illi descen-

ros fertis ad cælum. Mutium Scæuolam qui cùm errasset in Rege, perisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset.

62. PREMIT.] *Quasi manu passâ & pandâ flammam surgentem comprimeret.*

63. CVM DIVITIIS.] *Seneca Epist.* CXX. Fabricius Pyrrhi regis aurum reiecit, maiusque regno iudicauit regias opes posse contemnere.

64. RADICES.] *Rapa alij exprimunt. Etsi de*
C *hac cœnâ ad focum, & rapis, Plinius, Cicero, Plutarchus, alij, ad* Curium, *non* Fabricium *trahunt.*

65. REPVRGANDO.] *Abest quibusdam libris, & velim. Cibos enim hæc, non purgamenta scimus fuisse.*

66. TRIVMPHALIS.] *Triumphauit de Samnitibus, Lucanis, Brutiis: anno* CCCCLXXI.

67. AVCVPIA.] *Pro auibus ipsis captis: vt* Venatio, *pro feris.*

68. ERIGERET.] *Eadem phrasi* IV. *Quæst. Nat. cap. vltimo:* Stomachus ille solutus, & æstu suo languidus, quærit aliquid quo erigatur. *Renouare hoc famem, Petronius dixit, & huic rei ipsa illa conchylia adhiberi ostendit:*

—— inde Lucrinis
Eruta littoribus vendunt conchylia cænis,
D Vt renouent per damna famem.

69. POMORVM STRVE.] *Quæ mihi aut alijs visa, scripsi* III. *Poliorceticôn, vbi abundè super Apris. Communis autem sententia, pomis cingi solere: sicut asparagis Squillas. vt in Iuuenali:*

Quæ fertur domino squilla, & quibus vndique cincta
Asparagis?

Et propiùs ad rem, in Horatio, lib. II. *Sat.* V.

Imprimis Lucanus aper fuit. acria circum
Rapula, lactucæ, radices.

Sed tamen cùm hîc luxum merum aut delicias narret, quid eò poma *faciant? Mihi verò placeat rescribi,* opsoniorum strue. *Aper in medio, circùm patinariæ strues, vt Comicus appellat. At lectio etiam in meo libro ista:* cingeretur, primæ formæ feras c. m. c. venantium deglutiret? *quod & in vno Pinciani: vix tamen probem.*

70. PRIMÆ FORMÆ.] *Magnos illos &* milliarios *(sic vocabant)* Apros *intellegit: de quibus in Epist.* CX.

71. DAMNAVERVNT.] *Equites Romani, conspiratione in eum publicanorum: quos grassari in Asiâ prohibuerat. Itaque in ipsam amicam Asiam damnatus rediit;* cui obuiàm omnes ciuitates legatos miserunt, vt ad se diuerteret. *Valerius.*

72. CAVSSAM DICENT.] *Accusandi ab omnibus, & damnandi.*

73. SIBI EXSILIVM.] *Quod tenuit & amplexus est contra Sullam, qui patriæ eum reddebat.*

74. SOLVS ALIQVID.] *Epistolâ* XXIV. Rutilius reditum suum Sullæ negauit, cui tunc nihil negabatur.

75. RETRO CESSIT.] *Fortasse*, retrò non cessit: *adeò non paruit, neque rediit, vt etiam longiùs fugerit. Quò? Smyrnæ eum egisse Ouidius dicit:*

Et graue magnanimi robur mirare Rutili,
Non vsi reditus conditione dati.
Smyrna virum tenuit, non Pontus, & hostica tellus.

76. SERVILIVM.] *Cicero pro Roscio:* Te pugna Cannensis accusatorem sat bonum fecit. multos cæsos non ad Thrasimenum lacum, sed ad Seruilium vidimus. quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio? *Lacus ab auctore sic dictus*, in principio Vici Iugarij, continens Basilicæ Iuliæ: *Festus. Ergo iuxta forum Rom. ad latus partemq; Capitolij.*

77. SPOLIARIVM.] *Sumit ab Amphitheatris & re gladiatoriâ. nam ibi* Spoliarium, *Arenæ adnexum, in quo exui gladiatores, ipsi læsi aut cæsi trahi eôdem solent. Quia igitur ad lacum Seruilium aut cæsi multi, aut capita ibi exposita; Spoliarium id Sullanum vocat. Vide me Saturnal.* I. *cap.* XVIII.

78. MVLTA MILLIA.] *Septem millia. De Clem.* I. *cap.* XII. *Ibi plura.*

79. POST FIDEM.] *Nam dediticij erant.*

80. PER FIDEM.] *Quia sic induxit, vt arma ponerent: alioqui cædi non ita faciles.*

descendenti ad forum [81] gladio submouetur, quòd capita consularium virorum patitur A
[82] appendi, & [83] pretium cædis per quæstorem ac [84] tabulas publicas numerat? & hæc omnia facit ille qui legem [85] Corneliam [86] tulit. Veniamus ad Regulum. quid illi fortuna nocuit, quòd illum documentum fidei, documentum patientiæ fecit? Figunt cutem [87] claui, & quocumque fatigatum corpus reclinauit, vulneri incumbit, & in perpetuam vigiliam [88] suspensa sunt lumina. Quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriæ. Vis scire, quàm non pæniteat hoc pretio æstimasse virtutem? Refice tu illum, & mitte in senatum: [89] eamdem sententiam dicet. Feliciorem ergo tu Mæcenatem putas, cui [90] amoribus anxio, & morosæ vxoris [91] quotidiana repudia deflenti; somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo lene resonantium, quæritur? Mero se licet sopiat, & [92] aquarum fragoribus auocet, & mille voluptatibus mentem anxiam fallat: tam vigilabit in plumâ, quàm ille [93] in cruce. Sed illi solatium est, pro honesto dura tolerare, & ad caussam à patientiâ respicit: hunc voluptatibus marcidum, & felicitate nimiâ laborantem, magis his quæ patitur vexat caussa patiendi. Non vsque eò in possessionem generis humani vitia venerunt, vt dubium sit, an electione fati datâ, plures Reguli nasci, quàm Mæcenates B
velint. Aut si quis fuerit, qui audeat dicere, Mæcenatem se quàm Regulum nasci maluisse: idem iste, taceat licet, nasci se [94] Terentiam maluit. Malè tractatum Socratem iudicas, quòd illam potionem publicè mixtam, non aliter quàm medicamentum immortalitatis obduxit, & de morte disputauit vsque ad ipsam? malè cum illo actum est, quòd gelatus est sanguis, ac [95] paullatim frigore inducto venarum vigor constitit? Quanto magis huic inuidendum est, quàm illis quibus [96] gemmâ ministratur, quibus exoletus

omnia

81. GLADIO SVBM.] *Non virgâ lictoris, vt solet, & scripsi in Electis. Indicat autem Satellitium habuisse Sullam, & milites antè ac pòst comitantes, qui populum submouerent.*

82. APPENDI.] *Supra Seruilium lacum affigi. Meus tamen & plerique scripti*, ostendi. *Quod verum etiam, & incusat Valerius*: Abscisa miserorum capita, modò non vultum ac spiritum retinentia, in conspectum suum adferri voluit, vt oculis illa, quoniam ore nefas erat, manderet. *lib.* IX. *cap.* I.

83. PRETIVM CÆDIS.] *Duo talenta in singulos, ait Plutarchus: quæ sunt nobis* mille ducenti Philippæi.

84. TABVLAS PVBL.] *Valerius:* Quattuor millia (*verius fortasse*, duo millia, *ex alijs*) & septingentos diræ proscriptionis edicto iugulatos in tabulas publicas rettulit. videlicet ne memoria tam præclaræ rei diluueretur.

85. CORNELIAM.] *De Sicariis, ipse eorum caput, nec auctor solùm cædium, sed exactor.*

86. TVLIT.] *Postea nempe, in Dictaturâ.*

87. CLAVI.] *De Tranquillit. cap.* XV. Ego Regulum fleam, quòd tot clauis configitur? *Clauis, qui in arcâ ligneâ vndique fixi, & exstantes: in quam ille coniectus. Seneca Epist.* LXVII. In hac est Reguli arca, Rutilij exsilium. *Tubero apud Agellium, lib.* VI. Armarium muricibus præfixum *vocat. Appianus, positum dicit* ἐν γαλεάργᾳ κέντρα παντόθεν ἔχέσῃ: in caueâ, quæ stimulos vndique haberet.

88. SVSPENSA.] *Cicero in Pisonem*, Regulum in machinâ religatum *scribit*, & resectis palpebris vigilando enecatum.

89. EAMDEM SENT.] *De non permutandis captiuis: seq, inter illos.*

90. AMORIBVS ANXIO.] *Vxoris, quam amabat, nec fortasse solus. Cæsarem Augustum eâ suspicione aspergit Dio*; quòd creditus Gallicanam peregrinationem suscepisse, vt liberiùs, & procul à vulgo sermonibusque, frueretur Terentiâ Mæcenatis: *libro* LIV. *Itaque non iniuriâ anxius Mæcenas; sed & Cæsari, ob hanc caussam occultè infestus, quod idem scriptor libro* LV. *tangit in Mæcenatis obitu. Potes tamen angorem hunc, fateor, etiam aliò referre, & ad nudum ipsum amorem, qui semper querulus & anxius, præsertim vbi non respondetur.* C

91. COTTIDIANA REPVD.] *Noster Epist.* CXIV. Hunc esse *(Mæcenatem)* qui vxorem millies duxerit, cùm vnam habuerit?

92. AQVARVM FRAGOR.] *Quas iam commenti in ipsis cubiculis erant. Vide Epist.* C.

93. IN CRVCE.] *Post enim illa tormenta Regulum in cruce obiisse, etiam Florus scripsit. Vide Epist.* XCVIII.

94. TERENTIAM.] *Vxorem Mæcenatis. Ille ita mollis (facetè inquit) vt nec virum se, sed Tiresiâ suffragante, fœminam malit.*

95. PAVLLATIM FRIGORE.] *A pedibus ad summa, & cor ipsum. Platonem in Phædonis fine adi.* D

96. GEMMA MINISTR.] *Noster de Benef.* VII. *cap.* IX. Capacibus gemmis inter se propinarent. *Lucanus* X. -gemmæque capaces Excepere merum. *Cicero in Verr.* IV. Exponit non pauca pocula ex auro, quæ vt mos est regibus, & maximè in Syriâ, gemmis erant distincta clarissimis. Erat etiam vas vinarium ex vnâ gemmâ prægrandi, trulla excauata, manubrio aureo. *Plinius de Pompeij triumpho*: Transtulit vasa ex auro & gemmis, abacorum nouem. *Erant igitur & gemmea vasa, erant & gemmata. Plinius lib.* XXIII. *initio:* Turbâ gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices, ac temulentiæ caussâ tenere Indiam iuuat, & aurum iam accessio est.

97. Sys-

A omnia pati doctus,[97] ſuſpenſam auro niuem diluit? Hi quicquid biberint,[98] vomitu remetientur triſtes, & bilem ſuam reguſtantes: at ille, venenum lætus & libens hauriet. Quod ad Catonem pertinet, ſatis dictum eſt: ſummamque illi felicitatem contigiſſe, conſenſus hominum fatebitur. quem ſibi [99] rerum natura delegit, cum quo metuenda collideret. Inimicitiæ potentum graues ſunt? opponatur ſimul Pompeio, Cæſari & Craſſo. Graue eſt, à deterioribus honore anteiri? [100] Vatinio poſtferatur. Graue eſt, ciuilibus bellis intereſſe? toto terrarum orbe pro cauſsâ bonâ tam infeliciter, quàm pertinaciter, militet. Graue eſt, ſibi manus afferre? faciat. Quid per hoc [101] conſequar? vt omnes ſciant, non eſſe hæc mala, quibus ego dignum Catonem putaui. Proſpera in plebem ac vilia ingenia deueniunt: at calamitates terroreſque mortalium ſub iugum mittere, proprium magni viri eſt. Semper verò eſſe felicem, & ſine morſu animi tranſire vitam, ignorare eſt rerum naturæ [102] alteram partem. Magnus es vir: ſed vnde ſcio, ſi tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis? Deſcendiſti ad Olympia: ſed nemo præter te. [103] coronam habes, victoriam non habes. Non gratulor tamquam viro forti, ſed
B tamquam conſulatum præturámve adepto. honore [104] auctus es. Idem dicere & bono viro poſſum, ſi illi nullam occaſionem difficilior caſus dedit, in quâ [105] vnâ vim ſui animi oſtenderet. Miſerum te iudico, quòd numquam fuiſti miſer. tranſiſti ſine aduerſario vitam. Nemo ſciet, quid potueris: ne tu quidem ipſe. Opus eſt enim ad notitiam ſui, experimento. quid quiſque poſſet, niſi tentando non didicit. Itaque quidam vltrò ſe ceſſantibus malis obtulerunt, & virtuti ituræ in obſcurum occaſionem, per quam eniteſceret, quæſierunt. [106] Gaudent, inquam, magni viri aliquando rebus aduerſis, non aliter quàm fortes [107] milites bellis. Ego [108] myrmillonem ſub C. Cæſare de raritate munerum audiui querentem: *Quàm bella, inquit, ætas perit!* [109] Auida eſt periculi virtus, & quò tendat, non quid paſſura ſit, cogitat: quoniam & quod paſſura eſt, gloriæ pars eſt. Militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem [110] meliori caſu ſanguinem oſtentant. Idem licet fecerint qui integri reuertuntur ex acie, magis ſpectatur qui ſaucius redit.
C Ipſis inquam Deus conſulit, quos eſſe quàm honeſtiſſimos cupit, quoties illis materiam præbet aliquid animosè fortiterque faciendi: ad quam rem opus eſt aliquâ rerum difficultate. Gubernatorem in tempeſtate, in acie militem intelligas. Vnde poſſum ſcire, quantum aduerſus paupertatem tibi animi ſit, ſi diuitiis diffluis? vnde poſſum ſcire, quantum aduerſus ignominiam & infamiam, odiumque populare, conſtantiæ habeas, ſi inter plauſus ſeneſcis? [111] ſi te inexpugnabilis, & inclinatione quadam [112] mentiũm

IV. procùm in caſus quoſdam aduerſos incidiſſet, exclamauit: εὖγε ὦ τύχη, ὅτι μου ἀῤῥένως προέςηκας; Euge ô Fortuna, quòd viriliter me tractaſti! Atque idem in eiuſmodi rebus cantillare clarâ voce ſolebat: *Stobæus.*

97. SVSPENSAM AVRO.] *In manibus miniſtri, ſuſpenſum aurum tenentis. Liber autem meus:* Suſpenſa auro niue, *alio caſu habet: quaſi vinum ipsâ niue dilueretur, non contrà. At pro vulgatâ, locus Epiſt.* LXXVIII. O infelicem ægrum. Quare? quia non vino niuem diluit, quia non rigorem potionis ſuæ renouat fractâ inſuper glacie. *Sed & iſto caſu Drepanius in Panegyrico:* Nili ęſtiuam in gemmis capacibus glaciem falerna fregiſſent. *De totâ*
D *re dicendi magis locus* IV. *Quæſt. Nat. cap. vlt.*

98. VOMITV REMET.] *Iiſdem verbis, de eâdem re, epiſt.* XCV. Vinum omne vomitu remetiuntur.

99. RERVM NATVRA.] *Id eſt, Deus.*

100. VATINIO POSTF.] *In petitione Præturæ.*

101. CONSEQVAR.] *Nempe ego Deus, ſiue Natura, quæ ad hæc vocaui.*

CAP. IIII. 102. ALTERAM PART.] *Conſtat enim diuerſis rerum natura, lætis, triſtibus, commodis, incommodis: neſcit altera, qui ſemper in alteris.*

103. CORONAM.] *Ex oleâ.*

104. AVCTVS ES.] *Meus,* auguſtus es.

105. VNA VIM.] *An in* vnâ *tantùm? Mei libri,* vnam: *& vellem ego,* viuam. *id eſt, vegetam & viuidam vim animi exſereret.*

106. GAVDENT.] *Vt ille Diogenes Cynicus,* qui

107. MILITES BELLIS.] *Auctiores voce alij omnes libri:* belli triumpho. *Quod Mureto diſplicuit haud iniuriâ; iniuriâ tamen recîdit. Mutari melius, & legi:* bellis triumphant. *Milites, inquit, bellis gaudent & exſultant.*

108. MYRMILLONEM.] *In Diſſert. Epicteti, lib.* I. *hoc ipſum:* Ἀλλ' ἐν μὲν τοῖς Καίσαρος μονομάχοις εἰσί τινες οἱ ἀγανακτοῦντες, ὅτι οὐδεὶς αὐτοὺς προσάγει, ὅτε ζευγνύει: At in Cęſaris gladiatoribus quidam ſunt, qui indignantur & ægreſcunt, quòd nemo eos producat, & cum pari componat.

109. AVIDA.] *Mei libri,* audax.

110. MELIORI CASV.] *Non capio. magis, ſi,* cauſsâ, *reſcribamus.*

111. SI TE INEXPVGNABILIS.] *Duæ primæ voces meo libro abſunt, & tertia ſcribitur,* inexpugnabiliter. *Neutrum ſatis conuenit, nec tamen nunc emendo.*

112. MENTIVM.] *Mei duo,* meritum. *Tunc eſſet,* immeritum: *ſed nil muto.*

pronus fauor ſequitur? vnde ſcio, quàm æquo animo laturus ſis orbitatem, ſi quoſcumque ſuſtuliſti, vides? Audiui te cùm alios conſolareris: tunc conſpexiſſem, ſi te ipſe conſolatus eſſes, ſi te ipſe dolere vetuiſſes. Nolite, obſecro vos, expaueſcere iſta, quæ dij immortales velut ſtimulos admouent animis. Calamitas, virtutis occaſio eſt. Illos meritò quis dixerit miſeros, qui nimiâ felicitate torpeſcunt, quos velut in mari lento [113] tranquillitas iners detinet. Quicquid illis inciderit, nouum veniet. magis vrgent ſæua inexpertos. graue eſt [114] teneræ ceruici iugum. Ad ſuſpicionem vulneris tiro palleſcit: audaciter veteranus cruorem ſuum ſpectat, qui ſcit ſe ſæpè viciſſe poſt ſanguinem. Hos itaque Deus, quos probat, quos amat; indurat, recognoſcit, exercet. eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere: molles venturis malis ſeruat. Erratis enim, ſi quem iudicatis exceptum: veniet ad illum diu felicem ſua portio. Quiſquis videtur dimiſſus eſſe, [115] dilatus eſt. Quare Deus optimum quemque aut malâ valetudine, aut aliis incommodis, afficit? Quare in caſtris quoque periculoſa fortiſſimis imperantur? Dux lectiſſimos mittit, qui nocturnis hoſtes aggrediantur inſidiis, aut [116] explorent iter, aut præſidium loco deiiciant. Nemo eorum qui exeunt, dicit, *Malè de me Imperator meruit*: ſed, *Benè iudicauit*. Idem dicant quicumque iubentur pati, timidis ignauiſque flebilia: *Digni viſi ſumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura poſſet pati.* Fugite delicias. fugite [117] eneruatam felicitatem, quâ animi [118] permadeſcunt, niſi aliquid interuenit, quod humanæ ſortis admoneat, velut perpetuâ [119] ebrietate ſopiti. Quem [120] ſpecularia ſemper ab adflatu vindicarunt, cuius pedes [121] inter fomenta ſubinde mutata tepuerunt, cuius cœnationes ſubditus & [121] parietibus circumfuſus calor temperauit, hunc leuis aura non ſine periculo ſtringet. Cùm omnia, quæ [123] exceſſerunt modum, noceant; periculoſiſſima felicitatis intemperantia eſt. Mouet cerebrum, in vanas mentem imagines euocat, multum inter falſum ac verum mediæ caliginis fundit. Quidni ſatius ſit, perpetuam [124] infelicitatem quæ aduocat ad virtutem ſuſtinere, quàm infinitis atque immodicis bonis rumpi? [125] Leuior ieiuno mors eſt: cruditate [126] diſſiliunt. Hanc itaque rationem dij ſequuntur in bonis viris, quam in diſcipulis ſuis præceptores: qui plus laboris ab his exigunt, ſcunt. *Inclino ad eos, & cùm hoc ipſum nouum (priſco ritu) domi pedibus tectis eſſe: ſatis ſit legi*, cuius pedes inter tegmenta tepuerunt. *Nam vulgo dum taxat* ſoleati *domi erant, id eſt imas plantas tecti: exituri autem calceos illos altiuſculos ſumebant.*

A B C D

113. TRANQVILLITAS INERS.] *Malacia.*

114. TENERÆ CERVICI.] *Libri mei & plerique alij*, ferre, *pro* teneræ *atque, omnino legendum*, ferræ ceruici: *id eſt, non cicuri, non domitæ. Scimus tales impatientiſſimè iugum ferre.*

115. DILATVS EST.] *Vt in Arenâ aut munere: Miſſio hîc nõ eſt, ſed ad proximum diem dilatio.*

116. EXPLORENT ITER.] *Duo mei libri*, explorent interdum: *ex quo pronum facere*, interdiu. *Opponit hoc* nocturnis *inſidiis: & de die, inquit, mittuntur exploratum, quid hoſtis agat aut moliatur, fortiſſimi. Neque ſanè ſolùm* iter exploratur.

* Stouen 117. ENERVATAM.] *Meus*, eneruantia: *& ex eo placeret* eneruantem.

118. PERMADESCVNT.] *Molleſcunt, ſicut dura humore ſoluuntur, aut remittunt. Pari metaphorâ Plautus Moſtellariâ, de Amore:* Is vſque in pectus permanauit, permadefecit cor meum.

119. EBRIETATE SOPITI.] *Itaque felicitatem cum vino comparat Archytas Pythagoræus:* Οὐ μὰν ἀλλὰ, *inquit*, νόσως τε καὶ μείζονας ποιεῖν πέφυκεν ἃ λεγομένα περὶ πάντεσσιν εὐτυχία, ὥσπερ οἶνος καταμεθύσκουσα τοῖς ἀγαθοῖς τὴν διάνοιαν: Atqui maiores morbos gignere ſolet ea, quæ ab omnibus appellatur Felicitas, tãquam vinum, inebrians ſucceſſibus mentem.

120. SPECVLARIA.] *De his dico, epiſt.* XC. *Sunt lapides pellucẽtes, vt vitrũ: eiuſq; vicẽ olim in feneſtris.*

121. INTER FOMENTA.] *Meus*, ſegmenta: *ex quo aliquis* tegmenta. *Et idem, cum libro etiam altero, ſequentes duas voces*, ſubinde mutata, *non agno-*

122. PARIETIBVS CIRCVMF.] *Seneca epiſt.* XC, *inter ea quæ ſuâ memoriâ prodierunt, habet*, tubos parietibus impreſſos, per quos circumfunderetur calor, qui ſumma & ima foueret æqualiter. *Apparent & nunc in Thermarum ruinis. Ab his* Tubis, *neſcio an* Stubarum *nomen, quod medij æui ſcriptores, & hodiernus vſus, habent. quamquam & à noſtrate* * Fouendi *verbo dictæ eſſe poſſint.*

123. EXCESSERVNT MODVM.] *Euripides:*

Βροτοῖς τὰ μείζω τῶν μέσων τίκτει νόσους:

Quod media ſuperat, hominib. morbos parit.

Et Plautus Pœnulo, diffuſiùs:

—— modus omnibus in rebus, ſoror,
Optimu'ſt habitu. nimia omnia nimium exhibent
Negotium hominibus ex ſe.

124. INFELICITATEM QVÆ.] *Libri alij*, infelicitatem aduocatâ virtute: *alij*, aduocante virtute. *quod pænè eſt, vt probem, hoc ſenſu: Sis vel infelix, dummodò virtus tibi aduocet ac patrocinetur.*

125. LEVIOR IEIVNO.] *Scripti*, ieiunio. *Ego litterulâ inſitâ legam:* Leuior è ieiunio. *Nec enim aliud ſignificat, quàm leuem mortem ex inediâ ſiue abſtinentiâ eſſe: quàm & multi, & ille Atticus, olim vſurparunt.*

126. DISSILIVNT.] *Adſpicere videatur quod*

præ-

A gunt, in quibus certior ſpes eſt. Numquid tu inuiſos eſſe Lacedæmoniis liberos ſuos credis, quorum experiuntur indolem [127] publicè verberibus admotis? ipſi illos [128] patres adhortantur, vt ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros ac ſemianimes rogant, perſeuerent [129] vulnera præbere vulneribus. Quid mirum, ſi durè generoſos ſpiritus Deus tentat? numquam virtutis molle documentum eſt. Verberat nos & lacerat fortuna? patiamur. non eſt ſæuitia: certamen eſt. quo ſæpiùs adierimus, fortiores erimus. [130] Solidiſſima pars eſt corporis, quam frequens vſus agitauit. Præbendi fortunæ ſumus, vt contra ipſam ab ipsâ duremur. Paulatim nos ſibi pares faciat. contemptum periculorum aſſiduitas periclitandi dabit. Sic ſunt nauticis corpora, ferendo mari dura: agricolis, manus tritæ: ad [131] excutienda tela, militares lacerti valent: agilia ſunt membra curſoribus. Id in quoque ſolidiſſimum eſt, quod exercuit. Ad contemnendam malorum potentiam, animus patientiâ peruenit: quæ quid in nobis efficere poſſit, ſcies, ſi adſpexeris, quantum nationibus nudis & inopiâ fortioribus, labor præſtet. Omnes conſi-
B dera gentes, in quibus Romana [132] pax deſinit: Germanos dico, & quicquid circa [133] Iſtrum [134] vagarum gentium occurſat. [135] Perpetua illos hiems, triſte cælum premit, malignè ſolum ſterile ſuſtentat, imbrem [136] culmo aut fronde defendunt, ſuper durata glacie ſtagna perſultant, in alimentum feras captant. Miſeri tibi videntur? nihil miſerum eſt, quod in naturam conſuetudo perduxit. paullatim enim voluptati ſunt, quæ neceſſitate cœperunt. [137] Nulla illis domicilia, nullæ ſedes ſunt, niſi quas laſſitudo [138] in diem, poſuit; vilis, & hic quærendus manu victus; horrenda iniquitas cæli, [139] intecta corpora: hoc

præiuit, Homines immodicis bonis rumpi. *Sed cruditate aliquem diſſilire & findi, audacius aut vanius dictum: & ſcripti ferè*, diſſilit, *referunt. ex quo mihi ſubolet*, difficilis, *aut* diſſimilis: *vt ad mortem referatur, atque illam ex cruditate natam grauem & torquentem eſſe.*

C 127. PVBLICE VERBERIBVS.] *Ad aram Dianæ Orthiæ. de quo decantato ritu Plutarchus in Laconicis inſtitutis: Pauſanias libro* III. *Cicero Tuſculanâ* II. *his verbis:* Spartæ pueri ad aram ſic verberibus accipiuntur, vt multus è viſceribus ſanguis exeat: nonnumquam etiam (vt cùm ibi eſſem, audiebam) ad necem. quorum non modò nemo exclamauit vmquam, ſed ne ingemuit quidem. *Vides epheborum hanc conſtantiam. quò ille, apud Petronium, alluſit:* Tres plagas Spartanâ nobilitate concoxi. *& Plautus Captiuis, qui Paraſitos, alapis & contumeliis ſuetos*, Laconas plagipatidas *facetè dixit.*

128. PATRIS ADHORT.] *Tertullianus, ad Martyres:* Nam quod hodie *(nota etiam eius æuo fuiſſe)* apud Lacedæmonios ſollennitas maxima eſt διαμαστίγωσις id eſt Flagellatio, non latet. In quo
D ſacro, ante aram nobiles quique adoleſcentes flagellis affliguntur, adſtantibus parentibus & propinquis, & vti perſeuerent adhortantibus. *Martialis verò etiam matres miſcet, nec hortantes ſolùm, ſed iubentes*: Et non cæſus adhuc, matre iubente, Lacon.

129. VVLNERA PRÆB.] *Efficaciter dictum. id eſt, iam cutem laceram ſciſſamque, præbere nouæ lacerationi.*

130. SOLIDISSIMA PARS.] *Hippocrates:* Κίνησις γὰρ κρατύνει, ἀργὶη δὲ τήκει: Motio enim roborat, otium tabefacit.

131. EXCVTIENDA TELA.] *Adeò excutiebant, & velut tormento torquebant veterani illi, vt hodie fidem res non inueniat apud ignaros. Cui lubet, Militiam noſtram videto, de Pilis.*

132. PAX DESINIT.] *Id eſt, quæ extra ditionem fineſq; Romanos ſunt: & quod ſequitur, extra pacem. De Clem. cap.* 1. Tot millia gladiorum, quæ pax mea comprimit: *in Principis perſonâ.*

133. ISTRVM.] *Inferiorem Danubij partem. nam ea plurimùm* Iſtri *nomine venit.*

134. VAGARVM.] *Certis ſedibus aut domiciliis non colentium. vt ſunt Scythæ, Sarmatæ, Hamaxobij, & id genus.*

135. PERPETVA HIEMS.] *De Germanis hæc non ita vera, magis de Scythis. Etſi de illis quoque Tacitus:* Germaniam informem terris, aſperam cælo, triſtem cultu aſpectuque, niſi ſi patria ſit. *Iterúmque*: In vniuerſum aut ſiluis horrida, aut paludibus fœda, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fœcunda, cæque ſolæ & gratiſſimæ opes. *O quàm nunc aliter! & Germania opidis, populis, ingeniis, artibus, opibus cum quauis terrarum conſedit.*

136. CVLMO.] *Significat ædium tecta, non imbrice aut tegulario lapide, ſed ſtraminum culmis, rudiore ritu (vnde &* Culmina) *ſiue arborum fronde conſtrata. Tacitus in Germaniâ:* Ne cæmentorum quidem, aut tegularum, vſus.

137. NVLLA ILLIS DOMIC.] *Nec id verè de Germanis. qui opida quidem non habebant, & nil præter informes vicos: ſed tamen domos. Senecæ quidem & Taciti æuo. Nam vetuſtiores, nec ij ſatis certas ſedes habebant, cùm in annos eas vnaq; agros, iuſſu magiſtratuum, mutarent. Cæſar lib.* IV. *de Sueuis, & vniuersè de Germanis in* VI.

138. IN DIEM.] *Ad Sarmatas & Hamaxobios hæc refer, qui* in plauſtro equoque viuunt, *vt ait Tacitus: & hoc ſigno colligit* Peucinos Fennosque Germanis potiùs adſcribēdos, quia domos figūt.

139. INTECTA CORPORA.] *Cæſar de Germanis*, pellibus tegi: quarum propter exiguitatem, magna pars eſt corporis aperta. *Et Tacitus:* Tegumen omnibus ſagum fibulâ, aut ſi deſit, ſpinâ *(malim* pinnâ) conſertum. cetera intecti agunt.

ra: hoc quod tibi calamitas videtur, tot gentium vita est. Quid miraris bonos viros, vt A
confirmentur, concuti? Non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsâ enim vexatione constringitur, & radices certiùs figit. Fragiles sunt, quæ in apricâ valle creuerunt. Pro ipsis ergo bonis viris est, vt esse interriti possint, multum inter formidolosa versari, & æquo animo ferre quæ non sunt mala, nisi malè sustinenti.

Adiice nunc, quòd [140] pro omnibus est, optimum quemque, vt ita dicam, militare, & [141] edere operas. Hoc est propositum Deo, quod sapienti viro, ostendere hæc quæ vulgus appetit, quæ reformidat, nec bona esse nec mala: apparebunt autem bona esse, si illa non nisi bonis viris tribuerit, & mala esse, si malis tantum irrogauerit. Detestabilis erit cæcitas, si nemo oculos perdiderit, nisi cui eruendi sunt. Itaque careant luce [142] Appius & [143] Metellus. Non sunt diuitiæ bonum. Itaque habeat illas & [144] Ellius leno: vt homines pecuniam cùm [145] in templis consecrauerint, videant & in fornice. Nullo modo magis potest Deus concupita [146] traducere, quàm si illa ad turpissimos defert, ab optimis abigit. At iniquum est, bonum virum debilitari, aut [147] constringi, aut alligari, malos integris corporibus solutos ac delicatos incedere. Quid porrò? non est ini- B
quum, fortes viros arma sumere, & in castris pernoctare, & pro vallo obligatis stare vulneribus: interim in vrbe securos esse, [148] præcisos & professos impudicitiam? Quid porrò? non est iniquum, [149] nobilissimas virgines ad sacra facienda noctibus excitari, altissimo somno inquinatas frui? Labor optimos citat. Senatus per totum diem sæpè consulitur: cùm illo tempore vilissimus quisque, aut in [150] campo otium suum oblectet, aut in popinâ lateat, aut tempus in aliquo [151] circulo terat. Idem in hac magnâ republicâ fit. boni viri laborant, [152] impendunt, [153] impenduntur, & [154] volentes quidem: non trahuntur à fortunâ, sequuntur illam, & æquant gradus. si sciissent, anteceslissent. Hanc quoque animosam Demetrij fortissimi viri vocem audisse me memini: *Hoc vnum*, inquit, *dij immortales, de vobis queri possum, quòd non antè mihi voluntatem vestram notam fecistis.*

CAP. V. 140. PRO VNIVERSIS.] *Secunda pars scripti, in quâ ostendit aliis prodesse vel ad exemplum, vel ad iudicium, incommoda bonis euenire.*

141. EDERE OPERAS.] *Suprà cap.* 11. Ferrum istud nobiles edet operas. *Epistolâ* XXIX. Hoc enim ad edendas operas tempus sumpserat.

142. APPIVS.] *Claudius, cognomento* Cæcus, *Pyrrhi tempore.*

143. METELLVS.] *L. Metellus Pontifex, bis Consul, Dictator, Triumphalis. de quo De Breuitate vitæ, cap.* XIII. *Oculos igne amisit, cùm Palladium raperet, ardente templo Vestæ. Vide Plinium, inter alios, diffusè super hoc viro lib.* VII. *cap.* XLIII.

144. ELLIVS.] *Alijs est*, Celius: *at meo libro*, Diris.

145. IN TEMPLIS CONSECR.] *An pro mente Diui Augustini, cui* Pecunia *palàm Dea est, libro* IV. *De Ciuitate, cap.* XXI? *Sed negat Iuuenalis in templis sacratam:*

— etsi funesta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum eximus aras.

Nec id cum Augustino pugnat, vt censent qui imperitiæ poëtam accusant: quia potuit Dea censeri Pecunia, nec templo tamen coli. Neque enim omnes sanè minuti & plebeij Dij honore illo dignati. Sed de Senecâ, verius sit eum dicere Pecuniam in templis sacratam, *non vt Deam; sed donaria auri argentiq; ibi sacra, & ipsos Deos Deasq; ex illo metallo.*

146. TRADVCERE.] *Contemptui & ludibrio exponere. ab iis qui traducebantur per fora aut theatra.*

147. CONSTRINGI.] *A Mureto est, opinor. nam nostri omnes libri,* configi. *Et sanè* Constringi, *non idem est quod* Alligari? *Ergo,* configi, *teneamus: spectetq; ad eos qui in cruce vel clauis* configuntur, *vel funibus* alligantur. C

148. PRÆCISOS.] *Exsectos & castratos capiunt quidam, vt in Lampridio:* Iactauit caput inter præcisos fanaticos. *At verius fortasse ad fœdos illos referri, de quibus Martialis:* Præcidi gaudes, præcisus Papile ploras. *etsi tum* percidi, *& perciscos scribi magis probem.*

149. NOBILISSIMAS VIRGINES.] *Vestales.*

150. CAMPO.] *Martio.*

151. CIRCVLO.] *Orbe, quem collatis capitibus faciunt confabulantes.*

152. IMPENDVNT.] *Abest à meo, sed retineo, & explico: operam, curas, ingenium impendunt.*

153. IMPENDVNTVR.] *Argutè. non solùm sua, sed se impendunt: hoc enim est, ipsi* impenduntur, *pereunt, occidantur. Noster Consol. ad Heluiam, cap.* D
XVI. Quanto iustius sit te illi seruari, quàm mihi impendi. *Tertullianus de Spectac. cap.* XIX. Homo tam nocens factus est, vt tam crudeliter impendatur. *Idem Apologetici cap.* XLIIII. Illam iniuriam ciuitatis nemo expendit, cùm tot iusti impendimur, tot innocentes erogamur. *De Christianis, qui publicè occidebantur. Et nota inibi* Erogandi *verbum sensu simili, à causâ simili. Impendere enim vel Erogare, eadem: & quia pecunia sic abit à nobis, peritq; & absumitur; inde μεταφορικῶς pro* perdere *dixerunt. Idem* Dependi, *in Tertulliano aduersus Gnostic. cap.* VI.

154. VOLENTES QVIDEM.] *Pars tertia, quæ erat* volentibus accidere: *cui rei vide sis paria, in Epicteti Dissertatione* X. *libri* II.

155. Eo

A *ſtis. Prior enim ad iſta veniſſem, ad quæ nunc vocatus adſum.* Vultis liberos ſumere? illos vobis ſuſtuli. Vultis aliquam partem corporis? ſumite. Non magnam rem promitto. citò totum relinquam. Vultis ſpiritum? Quid ni? nullam moram faciam, quominus recipiatis, quod dediſtis. à volente feretis, quicquid petieritis. Quid ergo eſt? maluiſſem offerre, quàm tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuiſtis. ſed ne nunc quidem auferetis: quia nihil eripitur, niſi retinenti. Nihil cogor, nihil patior inuitus: nec ſeruio Deo, ſed aſſentio.[155] eò quidē magis, quòd ſcio omnia certâ & in æternum dictâ lege decurrere. Fata nos ducunt, & quantum [156] cuique reſtet, [157] prima naſcentium hora diſpoſuit. Cauſſa pendet ex cauſsâ, priuata ac publica longus ordo rerum trahit. Ideò fortiter omne ferendum eſt: quia non, vt putamus, incidunt cuncta, ſed veniunt. Olim conſtitutum eſt, quid gaudeas, quid fleas: & quamuis magnâ videatur varietate ſingulorum vita diſtingui, ſumma in vnum venit. accepimus peritura, perituri. Quid ita indignamur? quid querimur? ad hoc parati ſumus. Vtatur, vt vult, ſuis natura corporibus: nos
B læti ad omnia & fortes cogitemus, nihil perire de noſtro. Quid eſt boni viri? præbere ſe fato. Grande ſolatium eſt, cum vniuerſo rapi. Quicquid eſt quod nos ſic viuere iuſſit, ſic mori: eâdem neceſſitate & deos alligat. irreuocabilis humana pariter ac diuina curſus vehit. Ille ipſe omnium conditor ac rector [158] ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur. ſemper paret, ſemel iuſſit. Quare tamen Deus tam iniquus in diſtributione fati fuit, vt bonis viris paupertatem, vulnera, & acerba funera adſcriberet? Non poteſt [159] artifex [160] mutare materiam: [161] hæc paſſa eſt. Quædam ſeparari à quibuſdam non poſſunt, cohærent, indiuidua ſunt. Languida ingenia, & in ſomnum itura, aut in vigiliam ſomno ſimillimam, [162] inertibus nectuntur elementis: vt efficiatur vir [163] cum curâ dicendus, [164] fortiore fato opus eſt. Non erit illi planum iter: ſurſum oportet ac deorſum eat, fluctuetur, ac nauigium in turbido regat. contra fortunam illi tenendus eſt curſus. Multa accident dura, aſpera, ſed quæ molliat & complanet ipſe. Ignis aurum probat, miſeria fortes viros. Vide quàm altè aſcendere debeat virtus: ſcies illi non per ſecura va-
C dendum eſſe.

Ardua prima via eſt, & quâ vix manè recentes
Enituntur equi: medio eſt altiſſima cælo:
Vnde mare & terras ipſi mihi ſæpè videre
Fit timor, & pauidâ trepidat formidine pectus.
Vltima [165] prona via eſt, & eget moderamine certo.
Tunc etiam, quæ me ſubiectis excipit vndis,
Ne ferar in præceps, Thetis ſolet ipſa vereri.

Hæc

155. EO QVIDEM MAGIS.] *Pars quarta*, Fato iſta fieri.

156. CVIQVE RESTET.] *Vox interſita meo libro*, cuique temporis reſtet.

157. PRIMA NASCENTIVM HORA.] *Interpretatur illud Manilianum:*

D Naſcentes morimur, finisq; ab origine pendet.

158. SCRIPSIT.] *Ex opinione, quâ cenſebant Iouem dictare: &* Parcas *(verba Capellæ)* ſcribas Iouis, quòd eius decreta in æreas tabulas referrent.

159. ARTIFEX.] *Id eſt Deus, ſiue Ratio: cauſſa efficiens. Stoici* Artificem *appellant, quia nolunt* Naturam vim eſſe, ſine ratione cientem motus, in corporibus neceſſarios: *ſed contrà*, participem rationis atque ordinis. *item:* ignem artificioſum: *&*, artis maximè propriū eſſe creare & gignere. *Quæ cùm alibi, tum in Ciceronе* II. *de Naturâ, ex iis ſumpta legas. Sic* artifex diuinus *Senecæ, epiſt.* CXIII.

160. MVTARE MATERIEM.] *Stoicum dogma, originem malorum in materiâ eſſe. quod & Arnobius amplecti videtur lib.* I. Quid enim ſi materies prima, quæ in rerum quatuor elementa digeſta eſt, miſeriarum omnium cauſſas ſuis continet in rationibus inuolutas? *Ego de totâ re, in Phyſiol.* I. *Diſſert.* XIIII.

161. HÆC PASSA EST.] *Diogenes in Zenone:* Ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων δύο, τὸ ποιοῦν, καὶ τὸ πάσχον. τὸ μὲν οὖν πάσχον εἶναι τὴν ἄποιον οὐσίαν, τὴν ὕλην. τὸ δὲ ποιοῦν, τὸν ἐν αὐτῇ λόγον τὸν θεῖον: Principia duo eſſe, Faciens Patienſque. Et patiens quidem, eſſe ſubſtantiam qualitatis expertem, Materiem dictam. Faciens verò, Rationem diuinam in eâ exſiſtentem. *Vide Epiſt.* LXV. *& me in Phyſiol.*

162. INERTIBVS ELEMENTIS.] *Vult ecce materiem cauſſam eſſe talium affectuum vel euentuum, & ab ignauâ illâ ignauos gigni; & vitam pariter ſortemq; totam talem.*

163. CVM CVRA.] *Salluſtiana phraſis eſt: lib.* IV. *De Benef. cap.* I.

164. FORTIORE FATO.] *Quòd naſcatur ſcilicet ex materie non inerti nec iacente, acrioribusq; elementis.*

165. PRONA VIA.] *Demergens & inclinata, cùm Sol eſt in occaſu.*

166. EST

Hæc cùm audiſſet ille generoſus adoleſcens : Placet,inquit, via. aſcendo. [166] eſt tanti per A iſta ire caſuro. Non deſinit acrem animum metu territare:

Vtque viam teneas, nulloque errore traharis,
[167] *Per tamen aduerſi gradieris cornua tauri,*
Æmoniosque arcus, violentique ora leonis.

Poſt hæc ait : [168] *Iunge datos currus.* his quibus deterreri me putas, incitor : libet illîc ſtare, vbi ipſe ſol trepidat. humilis & inertis eſt, tuta ſectari : per alta virtus it. Quare tamen bonis viris patitur VI. aliquid mali Deus fieri ? ille verò non patitur. [169] Omnia mala ab illis remouit, ſcelera & flagitia, & cogitationes improbas, & [170] auida conſilia,& libidinem cæcam, & alieno imminentem auaritiam : ipſos tuetur ac vindicat. Numquid hoc quoque à Deo aliquis exigit, vt bonorum virorum [171] etiam ſarcinas ſeruet ? remittunt ipſi hanc Deo curam : externa contemnunt. Democritus diuitias [172] proiecit, [173] onus illas bonæ mentis exiſtimans : quid ergo miraris, ſi id Deus bono accidere patitur, quod vir bonus aliquando vult ſibi accidere? Filios amittunt viri boni. quídni, cùm aliquando & ipſi B [174] occidant? In exſilium mittuntur. quídni, cùm aliquando ipſi patriam non repetituri relinquant ? Occiduntur. quídni, cùm aliquando ipſi ſibi manus afferant ? Quare quædam dura patiuntur?vt etiam alios pati doceant.nati ſunt in exemplar. Puta itaq; Deum dicere : Quid habetis,quòd de me queri poſſitis vos, quibus recta placuerunt ? Aliis bona falſa circumdedi, & animos inanes, velut longo fallacique ſomnio luſi.auro illos,argento & ebore ornaui : intus boni nihil eſt. Iſti, quos pro felicibus aſpicitis, ſi non quà occurrunt, ſed quà latent, videritis, miſeri ſunt,ſordidi, turpes, ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti. Non eſt iſta ſolida & ſincera felicitas : [175] cruſta eſt, & quidem tenuis. Itaque dum illis [176] licet ſtare, & ad arbitrium ſuum oſtendi, nitent & imponunt : cùm aliquid incidit, quod diſturbet ac detegat, tunc apparet quantum altæ ac veræ fœditatis alienus ſplendor abſconderit. Vobis dedi bona certa,manſura : quanto magis verſaueritis,& vndique inſpexeritis, meliora maioraque. Permiſi vobis, metuenda contemnere, cupienda faſtidire. non fulgetis extrinſecus : bona veſtra introrſus ob- C uerſa ſunt. Sic mundus [177] exteriora contempſit,ſpectaculo ſui lætus. Intus omne poſui bonum.non egere felicitate,felicitas veſtra eſt. At multa incidunt triſtia, horrenda,dura toleratu. Quia non poteram vos iſtis ſubducere,animos veſtros aduerſus omnia armaui. Ferte fortiter : hoc eſt,quo [178] Deum antecedatis. ille extra patientiam malorum eſt,vos ſupra patientiam. Contemnite paupertatem. nemo tam pauper viuit, quàm natus eſt. Contemnite dolorem : aut ſoluetur, aut ſoluet. contemnite fortunam : nullum illi telum

166. EST TANTI.] *Hoc pretio, emam vel cadere.*

167. PER TAMEN ADVERSI.] *Mira aſtrologia, per diſtantia hæc Zodiaci ſigna vno die(ita argumentum eſt) Solem tranſire. At vnumquodque eorum menſem vnum tenet. Sed à poëtis quis hæc exigit? ſpecioſè & vulgariter ea dici, ſatis eſt.*

168. IVNGE DATOS.] *Hæc omnia, peſſimo ſanè exemplo, omiſerat Muretus. quâ cauſsâ ? quia aliter nempe in Ouidio; nec ius ſcilicet noſtro mutare leuiter & ſuæ rei aptare. In quo etiam ingenij laus eſt, adeò non culpa. In poëtâ erat,* Finge datos currus*: & à Sole pronunciabatur. noſter mutat, ſiue datâ operâ (quod puto) ſine obliuione, & Phaëtonti adſcribit. Age pater, inquit, currus quos das & cedis, iunge: lubet ſtatim conſcendere.*

CAP. VI. 169. OMNIA MALA.] *Id eſt, omnia verè mala. atque hæc melior reiectio, quàm illa de materie.*

170. AVIDA CONSILIA.] *Quæ? nam de* auaritiâ *iam ſequitur. Ergo ad ambitionem & eiuſmodi cupidines refer.*

171. ETIAM SARCINAS.] *Vt loco calonis ſeruuliq; ſit.*

172. PROIECIT.] *Fratribus reliquit, cùm pars eius eſſet* centum talentorum, *ſiue* LX. millium Philippicorum.

173. ONVS BONÆ.] *Apuleius :* Prorſus ad viuendum, vt ad natandum, ille melior, qui onere liberior.

174. OCCIDANT.] *Brutus, Imperioſus, Fuluius, alij.* D

175. CRVSTA EST.] *Quæ in parietibus, è vario marmore, ſplendebat.*

176. LICET STARE.] *Sic Demoſthenes, de Philippo :* Ἀλλ', οἶμαι, νῦν μὲν ὀπισκοτεῖ τούτοις τὸ κατορθοῦν. αἱ γὰρ εὐπραξίαι δεινὰ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ τοιαῦτα ὀνείδη. εἰ δέ τι πταίσειε, τότε ἀκριβῶς αὐτῶν πάντ' ἐξεταθήσεται : Sed, opinor, nunc obſtat his & tenebras facit eius proſperitas. nam felices ſucceſſus, mirum quàm potentes ſint occultare & quaſi inumbrare talia dedecora. Cùm autem aliquid offenderit, tum in omnia eius acriter ab omnibus inquiretur.

177. EXTERIORA CONT.] *Vbi vacuum infinitum.*

178. DEVM ANTECEDATIS.] *Superbè, an ſtultè? Si diſ-*

A lum quo feriret animum, dedi. contemnite mortem: quæ vos [179] aut finit, [180] aut transfert. Ante omnia caui, ne quis vos [181] teneret inuitos. patet exitus. Si pugnare non vultis, licet [182] fugere. Ideoque ex omnibus rebus, quas esse vobis necessarias volui, nihil feci facilius, quàm mori. Prono animam loco posui: [183] trahitur. Attendite modò, & videbitis, quàm breuis [184] ad libertatem, & quàm expedita, ducat via. Non tam longas in exitu vobis, quàm intrantibus moras posui: alioqui magnum in vos regnum fortuna tenuisset, si homo tam tardè moreretur, quàm nascitur. Omne tempus, omnis vos locus doceat, quàm facile sit [185] renunciare naturæ, & munus suum illi [186] impingere. Inter ipsa altaria & sollemnes sacrificantium ritus, dum optatur vita, mortem condiscite. Corpora opima taurorum [187] exiguo concidunt vulnere, & [188] magnarum virium animalia humanæ manus ictus impellit. tenui ferro commissura ceruicis abrumpitur, & cùm articulus ille, qui caput collumque committit, incisus est, tanta illa moles corruit. Non in alto latet spiritus, nec vtique ferro eruendus est: non sunt vulnere impresso scrutanda
B præcordia: [189] in proximo mors est. Non certum ad hos ictus destinaui locum: quacumque peruium est. Ipsum illud quod vocatur mori, quo anima discedit à corpore, breuius est, quàm vt sentiri tanta velocitas possit. Siue fauces nodus elisit; siue spiramentum aqua præclusit; siue in caput lapsos subiacentis soli duritia comminuit; siue [190] hausstus ignis cursum animæ remeantis interscidit: quicquid est, properat. Ecquid erubescitis? quod tam citò fit, [191] timetis diu?

Si discerni nos ita à Deo dixisset, rectè: at illum anteiri, impiè. Et sunt istæ voces Stoicæ μεγαληγορίας, quâ me volente abstinuissent. Vide Manuduct. III. *Dissert.* XIII.

179. AVT FINIT.] *Si pereunt animæ.*

180. AVT TRANSFERT.] *Si manent, & ad sidera sua eunt.*

181. TENERET INVITOS.] *Auctor Thebaidos,*
C *diuini poëmatis:*

—— optimè hoc cauit Deus,
Eripere nemo vitam non homini potest,
At nemo mortem. mille ad hanc aditus patet.

182. FVGERE.] *Deserere hanc militiam, id est, vitam.*

183. TRAHITVR.] *Si probum verbum; acumen in eo, quòd animam prono & decliui loco esse velit, lapsuram sponte, nisi identidem trahatur. Nónne hoc fit, cùm reciprocamus? nam alioqui abeat, & emaneat. Dubitaui tamen, an non* traditur. *vti dicat, non pellenda est, sed dumtaxat mittenda & tradenda. Et ita sanè loquimur,* tradere animam ac spiritum. *Noster De Irâ* III. *cap.* XIX. *An etiam,* truditur? *videant sagaciores Critici.*

184. AD LIBERTATEM.] *Adde De Irâ,* III. *cap.* XV.

D 185. RENVNCIARE.] *Nuncium naturæ mittere, qui significet te conditione aut munere eius non vltrà vti.*

186. IMPINGERE.] *Quod fit, cùm velut indignantes abimus, & vitam proïcimus.*

187. EXIGVO CONG.] *Securi percussa, vel etiam malleo. Securi, in ipso collo, vbi capiti nectitur. Ouid.*

—— veluti qui candida tauri
Rumpere sacrificâ molitur colla securi.

Etiam malleo, incusso temporibus, vt attonitæ caderent, & cultro dein supposito iugularẽtur. Idem alibi:

Lactentis vituli, dextrâ libratus ab aure,
Tempora discussit, claro, caua, malleus ictu.

188. MAGNARVM VIRIVM.] *Puto alterum exemplum, & interpunctiunculâ separandum, vt feci. Elephantes enim intellegit, quod & verba ea mox dicunt,* tanta illa moles. *Hos subitò interficere inuentum ab Asdrubale, illo magni ducis fratre. quia videbat auxilium, sed anceps esse: & sæpè consternatione aliquâ in suos sæuire. Huic rei remediũ repperit, tale.* Magister fabrile *(verba Liuÿ, lib.* XXVIII.*)* scalprum habebat cum malleo. inter aures positum, ipsâ in compage quâ iungitur capiti ceruix, quanto maximo poterat ictu adigebat. Ea celerrima via mortis in tantæ molis belluâ. *Ammianus idem factitatum à Persis memorat, libro* XXV. Post hos elephanti. quibus insidentes magistri, manubriatos cultros *(sunt* scalpra *Liuÿ)* dextris manibus illigatos gestabant: & si ferociens animal vires exsuperasset regentis, ne reuersum per suos, collisam sterneret plebem, vertebram, quæ caput à ceruice disterminat, ictu maximo terebrabant.

189. IN PROXIMO.] *Vbique mors est, ait alius. in venâ aliquâ, in funiculo, aquâ, lapide: denique in ipso aëre, ne admitte illum, & abis.*

190. HAVSTVS IGNIS.] *Quod Porcia Bruti vxor fecit.*

191. TIMETIS DIV.] *Superest dicenda vltima pars,* de miseratione: *nec eâ virum bonum dignum esse. Ita enim diuiserat, suprà, cap.* III. *Ergo desunt aliqua. neque tamen censeo huc assuendum aut subnectendum libellum* De constantiâ sapientis: *quod quidam volunt, moniti à libris scriptis, qui sic ordinant. Profectò diuersum argumentum est: & id quod hîc deest, si suppleri placet, fiat è libro De Tranquillitate, cap.* XV. *vbi paria tractat. Quod ad scriptos, sæpè talia confundunt.*

L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ
AD SERENVM
DE TRANQVILLITATE ANIMI
LIBER.

ARGVMENTVM ET ORDO.

Est hic libellus inter vtiles, & materie ac tractatu insignes. Scriptus est initio reditus sui ab exsilio, cùm ad Aulam, & Neroni instituendo, admotus fuit. Hoc apparet ex Capitis I. *verbis :* Circumfudit me ex longo frugalitatis B
situ venientem multo splendore luxuria, & vndique circumsonuit. *Luxuriam in Aulâ tangit, ignotam sibi anteà & inuisam. Ordo in scripto confusus est, imò vix est : & traiectio, aut defectus, nisi fallor, in multis appâret. Summarium tamen hoc est. Occasio scribendi à suâ inconstantiâ, & quòd animi semper pendeat, parum firmi in alterutrâ parte, aut quieti. Hoc ait illorum esse, qui in viâ sunt ad Sapientiam; sed nondum peruenerunt, nec fructum eius gustant, Tranquillitatem. O magnum bonum! & quid est? describit. Quomodo perueniam? Inconstantiam fugiendo. Quid igitur ea? & hanc graphicè describit. Ea pellitur variis remediis. primùm Occupatione : eáque vel Publicâ, si tempora & indoles tua ferent; vel Priuatâ, vt in optimis studiis meditationibusque versêre. Non tamen subitò à Rep. fugiendum : multas eius partes esse, & vnam aliquam licere amplecti. Hæc vsque ad Cap.* IV. *Tum addit, Si ad negotia imus, tria consideranda : Nosipsos, Negotium, Homines quo-* C
rum causâ, aut cum quibus, actitamus. In Nobis, æstimandas Vires, quid & quatenus possimus, neque vltrà tendamus. In Negotiis, an nos iis pares? item an non catena eorum sit, & longiùs ducent. regressus semper liberos habendos. In Hominibus, an digni illi labore nostro, & temporis impendio? non sunt autem Vani, Ambitiosi, nec in seriâ vllâ re occupati. Deinde Capite VII. *parùm cohærenter addit, Amicum inprimis fidum tranquillitati & oblectamento facere : sed qui ingenio tristi non sit, & omnia accusanti. Iterùm non optimus textus, & Cap.* VIII. *de Patrimoniorum modo. ea nec magna, nec nulla Tranquillitati apta; sed media : & quæ parcimoniâ producantur. Luxus autem vitandus, etiam in vtilibus vitæ instrumentis, vt Bibliothecâ & libris. Post hæc etiam saltus Cap.* X. *& Molestias in omni vitâ interuenire : sed Consuetudine molliri, tum Aspectu alienæ sortis, quæ sæpè deterior. Item Cupiditates non longè mittendas, sed ad propinqua, aut facilia prehendi. Atque hæc Proficienti & tironi præcipit : nam Sapienti non opus, qui pugnat, imò vincit omnem fortunam. Quam talem & talem præcogitat, & ipsâ præuisione mollit aut frangit. Hæc adusque Cap.* XII. *Ab eo alia* D
tractatiuncula, Non esse in Superuacuis laborandum, neque (quantum potest) in Alienis. Democriti cæleste præceptum inculcat : Nec priuatim, nec publicè, multa agi. *Iam Cap.* XIV. *à Leuitate arcet, itemque Pertinaciâ : id est, neque assiduè in vitâ mutare : nec si malè elegeris, præfractè inhærere. Omnia autem æquo, ac pænè hilari oculo adspicere. Quid enim vita, nisi mimus? Postremò Simulatio (Cap.* XVI.*) fugienda, & anxia sui compositio : simplicitas assumatur, & interdum hilaritas, atque etiam conuiuia aut liberalior potus. Mergit hoc curas, & animum liberat atque attollit. In fine claudit, dixisse se,* Quæ Tueri Tranquillitatem possint, quæ Restituere : *ex quibus videas partitionem quæ fuit, sed mehercules nunc non exstat. Itaque, vt multa Senecæ, in partibus laudatum opusculum est; ordo vniuersi labat. atque id iniuria temporum, aut exscriptorum.*

CAPVT

A

CAPVT PRIMVM.

INQVIRENTI mihi in me, [1] Serene, quædam vitia apparebant retecta, in aperto posita, quæ [2] manu prenderem, quædam obscuriora, & [3] in recessu, quædam non continua, sed ex interuallis redeuntia: quæ vel molestissima dixerim, vt [4] hostes vagos, & ex occasionibus assilientes, per quos neutrum licet, nec tamquam in bello paratum esse, nec tamquam in pace secutum. Illum tamen habitum in me maximè deprehẽdo (quare enim non verum vt medico [5] fatear?) me nec bonâ fide liberatum iis, quæ timebam & oderam, nec [6] rursus obnoxium. In statu vt non pessimo, ita maximè querulo & morosо positus sum: [7] nec ægroto, nec valeo. Non est quòd dicas, omnium virtutum tenera esse principia, tempore ipsis duramentum & robur accedere. Non
B ignoro, etiam quæ [8] in speciem laborant, dignitatem dico, & eloquentiæ famam, & quicquid [9] ad alienum suffragium venit, morâ conualescere: & quæ [10] veras vires parant, & quæ ad placendum fuco quodam subornantur, exspectant annos, donec paullatim colorem diuturnitas ducat: sed ego vereor, ne [11] consuetudo, quæ rebus affert constantiam, [12] hoc vitium in me altiùs figat. Tam bonorum, quàm malorum, longa conuersatio [13] amorem inducit. Hæc animi inter vtrumque dubij, nec ad recta fortiter, nec ad praua vergentis, infirmitas qualis sit, non tam semel tibi possum, quàm per partes ostendere. Dicam quæ accidant mihi: tu morbo nomen inuenies. Tenet me summus [14] amor parcimoniæ, fateor. placet non in ambitionem [15] cubile compositũ, non [16] ex arculâ

COMMENTARIVS.

C CAP. I. 1. SERENE.] *Ad hunc scripsit. & est, opinor*, Annæus Serenus, *quem* Prefectum vigilum Neronis, *interemptum cum toto conuiuio, esu fungorũ, Plinius scribit, li.* XXII. *Certè inter amicos interiores Senecæ fuit, & Tacitus ita memorat Annali* XIII. *vbi de Acte libertâ. Ante Senecam obyit, & fatetur ipse mortem eius immodicè se fleuisse, epist.* LXIII. *Tamen quidam libri hîc non* Serene, *sed* Seneca *præferunt. quasi hæc omnia verba & sermo Sereni sint, vsque ad* II. *Caput. Quod mihi minimè videtur: sed est familiare Senecæ, ἀποφασιν siue occasionem scripti interdum figuratè proponere, & dilatare, atque ita ad rem venire.*

2. MANV PREND.] *Prouerbiale, de claris apertisq. De Benef.* VI. *cap.* XLII. Soleo notare hunc in
D te affectum, & quasi manu prendere.

3. IN RECESSV.] *Non in fronte & propalàm posita.*

4. HOSTES VAGOS.] *Vt Scythas aliquos, aut Numidas.*

5. FATEAR.] *Benè. nam vt idem epist.* LIII. vitia sua confiteri, sanitatis indicium est. *Iterúmque:* Morbi ad sanitatem tunc inclinant, cùm ex abdito erumpunt.

6. RVRSVS OBNOX.] *Possis &* prorsus *legere: sed non muto.* Obnoxium *autem, morigerum, subiectum. Sallustius:* Minari interdum ferro, ni sibi obnoxia foret. *Vide Agell. lib.* VII. *cap.* XVII.

7. NEC ÆGROTO.] *Plerique incipientium aut proficientium sic affecti. Sed vt Seneca (epist.* XX.*)* vitium est hæc diuersitas, & signum vacillantis animi, & nondum habentis tenorem suum.

8. IN SPECIEM.] *Quod minimè virtus facit, quæ se contenta. Sed in speciem laborat Ambitio, vt* Dignitatem *(ita hîc appellat) consequatur; Eloquentia, vt* Famam.

9. AD ALIEN. SVFFR.] *Nam hæc talia ab aliorum iudiciis suspensa.*

10. VERAS VIRES.] *Vt virtus, & quidquid solidum petit.*

11. CONSVETVDO.] *Ouidius:* Quod malè fers, assuesce, feres benè. multa vetustas Lenit.

12. HOC VITIVM.] *Animi labantis & inconstantis.*

13. AMOREM.] *Lucretius:*

—consuetudo concinnat amorem.

14. AMOR PARCIM.] *Vel hæc & sequentia palàm doceant, Senecam de se & in suâ personâ loqui.*

15. CVBILE COMPOSIT.] *Alto toro; purpureâ atque auratâ veste instratum, lecto argenteis, eburneis, aureis pedibus.*

16. EX ARCVLA.] *In quam deponere vestes solent; & vt niterent, ac pexæ essent, pondere impositо premere. Erant igitur Arculæ, sed vicem etiam præli aut torcularis. Seneca epist.* XCIII. Quis vmquam vestimenta æstimauit arculâ? *Columella:* Quales sunt arculæ, in quibus vestimentia forensia condantur. *Noster epist.* XCVI. De capsulâ totos, *hos mundulos fortasse (vide ibi) appellat: vt hodie dicimus,* Ex arculâ aliquem prodire.

culâ prolata veſtis, non [17] mille ponderibus aut tormentis ſplendere cogentibus preſſa: [18] ſed domeſtica, & vilis, nec ſeruata, nec ſumenda ſollicitè. Placet [19] cibus, quē [20] nec parent familiæ, [21] nec ſpectent: non [22] ante multos paratus dies, nec multorū manibus miniſtratus, ſed parabilis facilisque, nihil habens accerſiti pretioſive, vbilibet non defuturus, nec patrimonio grauis, nec corpori, nec rediturus [23] quà intrauerat. Placet miniſter [24] incultus & [25] rudis vernula; [26] argentum graue [27] ruſtici patris, ſine vllo opere & nomine artificis; & menſa non varietate [28] macularum conſpicua, nec per multas elegantium dominorum [29] ſucceſſiones ciuitati nota: ſed in vſum poſita, quæ nullius conuiuæ oculos nec voluptate moretur, nec accendat inuidiâ. Cùm benè iſta placuerunt, pręſtringit animum apparatus alicuius [30] pædagogij, diligentiùs quàm iam [31] intra priuatum larem veſtita, & auro culta mancipia, & agmen ſeruorum nitentium. Iam domus etiam [32] quà calcatur pretioſa, & diuitiis per omnes angulos diſſipatis, [33] tecta ipſa fulgentia, & [34] aſſectator comeſque patrimoniorum pereuntium populus. Quid perlucentes ad imum

17. MILLE PONDER.] *Vides quod de prælis dixi: ac ſic appellant. Martialis:*

Sic tua ſuppoſitis pellucent præla lacernis,
Et micat innumeris arcula ſyntheſibus.

Miror probari erudito viro ibi, prata lacernis: *longinquâ imagine, & ineptâ. Res clara eſt. & ita Statius:*

— prælisque ſolutæ
Mira Dionææ ſumit velamina telæ.

Ammianus Preſſoria *dixit, lib.* XXVIII. Solitis *(lego* ſolutis, *vt in Statio)* preſſoriis veſtes, luce nitentes arbitrâ, diligenter explorant. *Iterùm Martialis:*

De Pallatinis dominæ quod ſerica prælis.

18. SED DOMESTICA.] *An domi, & à meis, facta? hoc puto, non peregrina. an quâ domi ſolemus vti, obſoletiore & minùs ſplendente? Nam lautiores duplicem eam habebant*, Domeſticam & Forenſem. *Ammianus* XXXI. *de Hunnis, facetè:* Nec eſt alia illis Domeſtica veſtis, alia Forenſis: *vt ſcilicet his Romanis. Cicero* II. *de Finib.* Aut vt veſtitum, ſic ſentētiam habeam, aliam Domeſticam, aliam Forenſem. *Adde Sueton. Auguſti cap.* LXXIII. *Vitellij cap.* IX.

19. CIBVS QVEM.] *Nam in magnis opibus mira viri frugalitas, an quo nomine appellem? Vide epiſt.* CIX. & LXXX.

20. NEC PARENT.] *Id eſt, in quo parando non multi occupentur.*

21. NEC SPECTENT.] *Nec grex puerorum menſæ adſtet, inhians atq; imminens in lautiorem cibum.*

22. ANTE MVLTOS.] *Atqui nec probetur cibus diu antè coctus, & ſpernant delicati.* Paratus *ergo, quæſitus & emptus: vt ſolent peregrina aucupia aut piſces. Tamen alij libri*, imperatus: *rectè. de nimiâ curâ & diſpoſitione.*

23. QVA INTRAV.] *Per os, euomitione.*

24. INCVLTVS.] *Non auratus, aut canuſinatus, nec Pædagogij in morem cultus.*

25. RVDIS VERNVLA.] *Domi natus.* Non Phryx, aut Lycius, non à mangone petitus.

26. ARGENTVM GRAVE.] *In quo nihil præter pondus æſtimandum: non cælatum. Plinio id* Purum *dicitur lib.* III. *epiſt.* I. Apponitur cæna non minùs nitida, quàm frugi, in argento puro & antiquo. *Iuuenalis:* — argenti vaſcula puri.

27. RVSTICI PATRIS.] *Non in vrbe nati, ſed domo Cordubâ. Seneca apud Tacitum lib.* XIV. Egóne equeſtri & prouinciali loco ortus, proceribus ciuitatis annumeror?

28. MACVLARVM.] *De Benefic.* VII. *cap.* IX. Eò pretioſius *(lignum hoc citri)* quò illud in plures nodos arboris infelicitas torſit. *Nam hæ ſunt illæ* maculæ *amatæ & æſtimatæ olim: de quibus & Plinius*, XIII. *cap.* XV. Præcipua dos in venam criſpis, vel in vortices variis. Illud oblongo euenit diſcurſu, ideoque Tigrinum appellatur: hoc, intorto, & ideò tales Pantherinæ. Sunt & vndatim criſpæ, maiore gratiâ, ſi pauonum caudæ oculos imitentur. *Mox:* Iuuant plura quoque in vnâ menſâ vitia. *Et antè*: Quod tanti emitur, arborum vitium eſt. *quæ reſpondent illis Senecæ de* arborum infelicitate. *De his menſis, Lucanus:*

Dentibus his niueis ſectos Atlantide ſiluâ
Impoſuere orbes.

Nam ligneæ iſtæ menſæ ebore ſuſtinebantur. Iuuenalis:

— latos niſi ſuſtinet orbes,
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu.

Vide plura De Benef. loco iam citato.

29. SVCCESSIONES.] *Vt Plinij æuo illa M. Tullij, & Aſinij Pollionis, & Iubæ regis, aliæq;.*

30. PÆDAGOGII.] *Puerorum, qui ſub pædagogo. qui erant, vt noſtri iſti Honorarij pueri, quos* Paigios *(neſcio an inclinatâ illinc voce) vocamus. Vide me ad Annalem* XV. *Taciti.*

31. INTRA PRIVATVM.] *Vox* priuatum, *in nullo veterum exſtat. quorum alij*, intra latus; *meus*, intra lacum; *Pinciani*, intra larem. *Haud malè hoc vltimum: ſic tamen vt priora leuiter immutes*, diligentiuſque iam intra. *vt explicet hoc de* apparatu pædagogij, *& dicat mancipia intra larem & domi, domini aut conuiuarum oculis, ſic veſtiri, ſic coli. An placeat*, diligentiùs quàm intra larem? *& explicemus, diligentiùs quàm deceat priuatam domum. Palatinum & aulæ in morem, miniſtri coluntur. Enimuerò aliquid Aulæ opponi, vel ex eo videtur: quòd inibi mancipia* aurata. *Lampridius in Alexandro:* Auratam veſtem miniſtrorum nullus, vel in publico conuiuio habuit. *Et de Pædagogianis iſtis Ammianus* XXVI. Tunicâ auro diſtinctâ, vt regius miniſter, indutus, à calce ad pubem, in Pædagogiani pueri ſpeciem. *Plinius alluſit, vbi de Auro:* Honeſtiùs viri pedagogiis id damus.

32. QVA CALCATVR.] *Solum & pauimentum, è marmore, auro & gemmis etiam mixtis.*

33. TECTA.] *Item auro vel ebore laqueata.*

34. ASSECTATOR.] *Vt ſemper. nec deſunt* ſtultorum

A imum aquas, & [35] circumfluentes ipſa conuiuia? quid epulas loquar, [36] ſcænâ ſuâ dignas? Circumfudit me ex longo [37] frugalitatis ſitu venientem, multo ſplendore luxuria, & vndique circumſonuit. Paullum titubat acies: faciliùs aduerſus illam animum, [38] quàm oculos attollo. Recedo itaque non peior, ſed triſtior: nec inter illa [39] friuola mea tam lætus incedo, tacituſque morſus ſubit, & dubitatio, numquid illa meliora ſint. nihil horum me mutat, nihil tamen non concutit. Placet [40] vim præceptorum ſequi, & [41] in mediam ire Rempublicam: placet honores faſcesque, non purpurâ aut [42] aureis virgis [43] adductũ capeſſere, ſed vt amicis propinquiſque, & omnibus ciuibus, omnibus deinde mortalibus paratior vtiliorque ſim, [44] propiùs poſitus. Sequor Zenonem, Cleanthem, Chryſippum: quorum tamen nemo ad Rempub. acceſſit, nemo [45] non miſit. [46] Ad quam cùm animum inſolitum [47] arietari permiſi, vbi aliquid occurrit, aut [48] indignum (vt in omni vitâ humanâ multa ſunt) aut parum [49] ex facili fluens, aut multum temporis res non magno æſtimandæ popoſcerunt, [50] ad otium conuertor. & quemad-
B modum pecoribus, fatigatis quoque, velocior [51] domum gradus eſt: placet intra parietes ſuos vitam coërcere. Nemo vllum auferat diem, nihil dignum [52] tanto impendio redditurus. ſibi ipſe animus hæreat, ſe colat, nihil alieni agat, nihil quod [53] ad iudicem ſpectet: [54] ametur expers publicæ priuatæque curæ tranquillitas. Sed vbi lectio fortior erexit animum, & aculeos ſubdiderunt [55] exempla nobilia: proſilire libet in forum, commodare alteri [56] vocem, alteri [57] operam, etſi nihil profuturam, tamen conaturam prodeſſe: alterius coërcere in foro ſuperbiam, malè ſecundis rebus elati. [58]* In ſtudiis puto meher-
culè

ſtultorum diuitum arroſores, & quod ſequitur, arriſores, *vt noſter alibi.*

35. CIRCVMFLVENTES.] *Epiſtolâ* c. Conciſura aquarum cubiculis interfluentium. *Plura ibi.*

36. SCÆNA SVA.] *Cùm domus, & cænatio, &*
C *miniſtri tam culti ſint: quidni epulæ, quæ in hoc velut theatro exhibentur?*

37. FRVGALITATIS SITV.] *Hæc clamant omnino à Senecâ, & de Senecâ, iſta dici. Veniebat vir optimus ab exſilio (vt veterem eius frugalitatem omittam) & ab illis tenebris in hanc Aulæ lucem. itaque merito trepidat & exclamat*, circumfundi ſe nouo ſplendore luxuriæ.

38. QVAM OCVLOS.] *Ad me apto. & Lectori ingenuè aperio, animo quàm vultu, ad omnia externa, fortiorem eſſe.*

39. FRIVOLA.] *Tenuem vilemq; ſupellectilem, & inſtrumentum. Gloſſæ*: Friuola, vaſa fictilia. *Idem Iſidorus lib.* IX. Friuola vocantur propriè, vaſa fictilia inutilia. *Propriè. ſed longiùs producunt. Iuuenalis:* -iam friuola transfert Vcalegon. *Seneca* III. *Controuer.* Ego illos in friuola mea inuitaui.

D 40. VIM PRÆCEPTORVM.] *Intellegit præcepta Stoica, qui ad remp. mittebant.*

41. IN MEDIAM.] *Vt ille apud Horatium, viæ anceps:*

Nunc agilis fio, & merſor ciuilibus vndis,
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor.

42. AVREIS VIRGIS.] *Putaui olim*, laureis: *vt ad triumphorum ſpem alludat. Sed magis nunc adhæſerim libris, qui totum hoc verbi ſpernunt.* Virgis adductum, *lictorum ſcilicet, qui virgas manu tenebant, iiſq; ſubmouebant: ſiue & ipſas faſces vis interpretari. In Apuleij Mileſiacâ* I. Lixas, & virgas, & habitum prorſus magiſtratui conuenientem in te video. *Sed hoc in coloniâ. vbi loco faſcium, bacilli ſoli aut virgæ. Eſt qui* aureas virgas *hîc tenet, & ad auratos faſces refert. Sciat, inferioris æui, & Principum modò fuiſſe.*

43. ADDVCTVM.] *Id eſt, non inſignibus illis honoris, aut honore ipſo motum.*

44. PROPIVS POSITVS.] *Reip. iam admotus: non domi, & in otio latitans. Libri tamen ſcripti ferè*, compoſitus. *quod nec improbem, quaſi in arenam certamenq; iam venerim, commiſſus cum rebus.*

45. NON MISIT.] *Alios præceptis ſuis iubent accedere, ipſi abſiſtunt. De cauſſâ iſtâ, in Fragmento De otio Sapientis.*

46. AD QVAM.] *Scripti quidam longè aliter (fortaſſe germaniùs:)* Vbi aliquid animam inſolitam arietari percuſſit. *ſi tamen facias*, aliquis animum inſolitum.

47. ARIETARI.] *Percuti, inturri. frequens noſtro verbum.*

48. INDIGNVM.] *Cum indignitate coniunctum.*

49. EX FACILI.] *De Benef.* III. *cap.* VIII. Qui beneficium ex facili largitus eſt.

50. AD OTIVM.] *Rempublicam omitto.*

51. DOMVM GRADVS.] *Sic mihi ad me & mea, relictis publicis. Eò enim comparatio ſpectat.*

52. TANTO IMPENDIO.] *Nam reuera, veteri dicto:* μέγιστον ἀνάλωμα χρόνος: Maximum impendium, tempus.

53. AD IVDICEM.] *Quod ab alieno iudicio pendeat. Deo & ſibi placeat.*

54. AMETVR EXPERS.] *Ametur, ametur, cum poëtâ,*

Et ſecura quies, & neſcia fallere vita.

55. EXEMPLA NOB.] *Eorum qui remp. animosè tractarunt.*

56. VOCEM.] *Patroni vice.*

57. OPERAM.] *Aduocati vice.*

58.* IN STVDIIS.] *Ego hîc defectum aut confuſionem odorari videbar: nec ſatis, meo animo, iſta contexta.*

culè melius esse res ipsas intueri, & harum caussâ loqui: ceterùm [59] verba rebus permit- A
tere, vt quà duxerint, hac inelaborata sequatur oratio. Quid opus est sæculis duratura componere? Vis tu [60] non id agere, ne te posteri taceant? morti natus es: minus molestiarum habet funus [61] tacitum. Itaque occupandi temporis caussâ, in vsum tuum, non in præconium, aliquid simplici stilo scribe. minore labore opus est studentibus [62] in diem. Rursus vbi se animus cogitationis magnitudine leuauit, ambitiosus in verba est, altiusq; vt spirare, ita eloqui gestit, & ad dignitatem rerum [63] exit oratio: oblitus tum legis pressioriśque iudicij, sublimis feror, & [64] ore iam non meo. Ne singula diutiùs persequar, in omnibus rebus hæc me sequitur bonæ mentis infirmitas: [65] cui ne paullatim defluam vereor, aut quod est solicitius, ne semper casuro similis pendeam, & plus fortasse sit, quàm quod ipse prouideo. Familiariter enim domestica aspicimus, & semper iudicio fauor officit. [66] Puto multos potuisse ad sapientiam peruenire, nisi putassent se peruenisse: nisi quædam in se dissimulassent, quædam [67] apertis oculis transiliissent. Non est enim quòd nos magis alienâ iudices [68] adulatione perire, quàm nostrâ. Quis sibi verum B
dicere ausus est? quis non inter laudantium blandientiumque positus greges, plurimùm tamen sibi ipse assentatus est? Rogo itaque, si quod habes remedium, quo hanc fluctuationem meam sistas, dignum putes me, qui tibi tranquillitatem debeam. Non esse periculosos motus animi, nec quicquam tumultuosi afferentes, scio. vt verâ tibi similitudine id de quo queror exprimam, non tempestate vexor, sed nauseâ. Detrahe ergo quid-
II. quid hoc est mali, & succurre in conspectu terrarum laboranti. Quæro meherculè iamdudum, Serene, ipse tacitus, cui talem affectum animi similem putem. [69] nec vllius propiùs admoneor exemplo, quàm eorum qui ex longâ & graui valetudine expliciti, motiunculis, leuibusque interim offensis perstringuntur, & cùm reliquias effugerint, suspicionibus tamen inquietantur, medicisque iam sani manum porrigunt, & omnem [70] calorem corporis sui calumniantur. Horum, Serene, non parum sanum est corpus, sed sanitati parum assueuit: sicut est [71] quidam tremor etiam tranquilli maris, aut lacus, C
cùm

59. VERBA REBVS.] *Ad illud Horatianum:*

Verbaq; pręuisam rem non inuita sequentur.

60. NON ID AGERE.] *Planè scribendum*, nunc id. *In eâ voculâ emphasis. tu nunc mortalis, & breuis æui, capere animo vis posteritatem?*

61. TACITVM.] *Quietum & silens, non illud Publicum; in quo præco, dissignator, imagines, ludi, pompa. Sed & aliter* Funus tacitum, *hominis ignoti, & de quo nec sermo. Tale optat alter Seneca*: Ætas per tacitum fluat. Sic cùm transierint mei Nullo cum strepitu dies, Plebeius moriar senex.

62. IN DIEM.] *Non annos aut æuum: vt ij qui æuum cogitant.*

63. EXIT ORATIO.] *Ita libri omnes: at Muretus*, exsurgit. *Siquid mutandum, fecerim* exilit, *siue* exsilit.

64. ORE IAM.] *Et hîc variant. alij*, ore tantum modo: *alij, vt meus*, ore tamen meo. *Atque hoc fanè ad vulgatum illud accedit. videturq; alludi ad Sibyllam Virgilianam, quæ Deo plena* -maiorque videri, Nil mortale sonans. *Probat ipse in fine libelli*: Tunc denique aliquid cecinit grandius ore mortali.

65. CVI NE.] *Parùm hæret: sed nec vulgatum alijs*, cum ne. *mihi placebat*, quin ne.

66. PVTO MVLTOS.] *Ego tecum, ô Annæe. Quot experimenta cepi in iuuentute huius* δοκησισοφίας, vt Plato appellat? & quàm primùm in viâ pedem posuerunt, visi eum habere in metâ. Itaque rectè Bion, τὴν οἴησιν ἔλεγε, προκοπῆς ἐγκοπὴν*: Opinionem aiebat, profectus impedimentum, siue (*Græco ipso verbo*) incisionem esse. *Cui Fabius consonat*: Magnos quoque profectus frequenter perdit, arrogans de se persuasio.

* Opinatæ Sapientiæ.

67. APERTIS.] *Mallem*, opertis, *clausisq;. Videntes videre noluerunt.*

68. ADVLATIONE PERIRE.] *Veteris scriptoris verbum in Io. Salisberiensi*: Omnis Romanus adulatione corumpitur, aut corrumpit. *Et de sui æui moribus Seneca epist.* LX. Non sumus modica adulatione contenti. quidquid in nos adulatio sine pudore congessit, tanquam debitum prendimus. *Iterùm de Beneficiis* VI. *cap.* XXX. Adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blandissimè fallat.

CAP. II. 69. NEC VLLIVS.] *E meo & Pinciani libris*, nec vlli propiùs admouerim exemplo: *id est, non alij rei aptiùs, magísque vicinæ comparauerim.* D

70. CALOREM.] *Quem Febrim statim interpretatur.*

71. QVIDAM TREMOR.] *Idem de Breuit. vit. cap.* II. Velut in profundo mari, in quo post ventum quoque volutatio est. *Lucanus:*

-sed vt tumidus, Boreæ post flamina, pontus
Rauca gemit.

Statius:

Vt siquando ruit debellataque reliquit
Eurus aquas, pax ipsa tumet, pontumque iacentem
Exanimis iam voluit hiems.

Clau-

A cùm ex tempeſtate requieuit. Opus eſt itaque non illis durioribus, [72] quæ etiam tranſcurrimus, vt alicubi obſtes tibi, alicubi iraſcaris, alicubi inſtes grauiùs; [73] ſed illud quod vltimum venit, vt fidem tibi habeas, & rectâ ire viâ te credas, nihil auocatus tranſuerſis multorum veſtigiis paſſim diſcurrentium, & quorumdam circa ipſam errantium viam. Quod deſideras autem, magnum & ſummum eſt, Deoq; vicinum, non concuti. Hanc [74] ſtabilem animi ſedem Græci Εὐθυμίαν vocant, de quâ Democriti [75] volumen egregium eſt: ego Tranquillitatem voco. nec enim imitari, & transferre verba, ad illorum formam neceſſe eſt: res ipſa, de quâ agitur, aliquo ſignanda nomine eſt, quod appellationis Græcæ vim debet habere, non faciem. Ergo quærimus, quomodo [76] animus ſemper [77] æqualis, ſecundoque curſu eat, [78] propitiusque ſibi ſit, & ſua lætus adſpiciat: & hoc gaudium non interrumpat, ſed placido ſtatu maneat, [79] nec attollens ſe vmquam, nec deprimens. Id Tranquillitas erit. Quomodo ad hanc peruenîri poſſit, in vniuerſum quæramus: ſumes tu ex publico remedio, quantum voles. Totum interim vitium in medium protra-
B hendum eſt, ex quo agnoſcet quiſque partem ſuam: [80] ſimul tu intelliges, quanto minus negotij habeas cum faſtidio tui, quàm hi quos ad [81] profeſſionem ſpecioſam alligatos, & ſub [82] ingenti titulo laborantes, in ſuâ [83] ſimulatione pudor magis, quàm voluntas tenet. Omnes in eâdem cauſsâ ſunt, & hi qui leuitate vexantur, ac tædio, aſſiduaque mutatione propoſiti, quibus ſemper magis placet [84] quod reliquerunt: & illi, qui marcent & oſcitant. Adiice illos, qui non aliter, quàm quibus difficilis ſomnus eſt, verſant ſe, & hoc atque illo modo componunt, donec quietem laſſitudine inueniant, ſtatum vitæ ſuæ formando ſubinde, in eo nouiſſimè manent, in quo illos non mutandi odium, ſed ſenectus ad nouandum pigra deprehendit. Adiice & illos, qui [85] non inconſtantiæ vitio parum leues ſunt, ſed inertiâ. Viuunt, non quomodo volunt, ſed quomodo cœperunt. Innumerabiles deinceps proprietates ſunt, ſed vnus effectus vitij, diſplicere ſibi. Hoc oritur ab intemperie animi, & cupiditatibus timidis, aut parum proſperis, vbi aut non audent, quantum concupiſcunt, aut non conſequuntur, & in ſpem toti prominent,
C ſemper inſtabiles mobilesque. quod neceſſe eſt accidere pendentibus. Omni vitâ [86] pendent,

Claudianus: —ceu murmurat alti
Impacata quies pelagi, cùm flamine fracto
Durat adhuc ſæuitque tumor.

72. QVÆ ETIAM TRANSC.] *Videtur dicere. quæ nos iam perua ſimus, à quibus liberi ſumus. Si tamen lectio ſincera: & pleraque in his aliquot clauſulis anterioribus (iam in illis verbis* * In ſtudiis) *diluta, impura, aut ſuſpecta ſunt. Poſsis etiam interpretari,* Quæ tranſcurrimus, *quæ leuiter libamus & tangimus; quia iam ſuperuacua.*

73. SED ILLVD.] *Siquid video,* illo *legendum. Opus non illis durioribus, ſed iſto leniore.*

74. STABILEM.] *Alludit ad Democriti vocem, qui Tranquillitatem* εὐεστὼ *vocauit:* Stabilitatem
D animi, & Conſtantiam. *Imò & volumen eo titulo ſeorſim ſcripſit, præter illud* περὶ εὐθυμίας, *ſiue* De Tranquillitate. *Nam iſtud ad Senecæ æuum peruênit, quod iam oſtendit: illud prius periit, quod clarè Diogenes ſcribit:* Ἡ γὰρ Εὐεστὼ ἐχ' εὑρίσκεται, *inquit,* Nam Conſtantia eius non reperitur.

75. VOLVMEN EGREGIVM.] *Laudas, & moues deſiderium: fruſtrà. fuit, vt multa alia præclara. Sed &* Panętij *Stoici eâdem inſcriptione liber, item* Hipparchi Pythagorici: *denique &* Plutarchi Chæronæi, *qui exſtat.*

76. ANIMVS SEMPER.] *Deſcriptio eſt* Tranquillitatis *vberior. quam ipſam ita Democritus efformabat:* Καθ' ἣν γαληνῶς καὶ εὐσταθῶς ἡ ψυχὴ διάγει, ὑπὸ μηδενὸς ταραττομένη φόβου, ἢ δεισιδαιμονίας, ἢ ἄλλου τινὸς πάθους: Per quam tranquillè & conſtanter animus agit, nullo metu perturbatus, vel ſuperſtitionis, vel alterius affectus.

77. ÆQVALIS.] *Fortè,* æquali ſecundoque. *Eſt Stoicorum* εὐροια.

78. PROPITIVSQVE SIBI.] *Volens & benignus. non ſibi aut fortunæ ſuæ iratus.*

79. NEC ATTOLLENS.] *Planè qualis ille Cotta apud Salluſtium:* Bonæ ſecundæque res, opes non ingenium mihi mutabant. *Enimuerò mutari ad hæc incerta & externa, vt Epictetus loquitur,* ἰδιώτου φάσις καὶ χαρακτὴρ: imperiti conſtitutio eſt, & character.

80. SIMVL TV.] *Hæc verba videantur pro iis, qui priorem totam partem & querelam* Sereni *eſſe volunt interrogantis. Sed, vt rem dicam, hic libellus ſatis confuſus eſt: à ſcriptore, an ab æuo: ſed confuſus.*

81. PROFESSIONEM.] *Ad Philoſophos falſos hoc refert? an ad eos, qui in luce publicâ, magiſtratus & rectores? vtrouis poteſt.*

82. INGENTI TITVLO.] *Sub præſcriptione honeſtâ. ſiue ſapientiæ, vt philoſophi; ſiue curæ publicæ & tutelæ, vt alij.*

83. SIMVLATIONE.] *Quâ præferunt ſibi benè & beatè eſſe. iucundè & tranquillè viuere.*

84. QVOD RELIQVERVNT.] *Vt viduis mulierculis defuncti mariti.*

85. NON INCONSTANTIÆ.] *Veteres,* conſtantiæ. *ex quo Pincianus:* qui non conſtantiâ, in vitio. *Aſſentior, ſed hoc amplius,* in vitâ *legi vellem.*

86. PENDENT.] *Parum ſuauiter repetitur: nam præiuit* pendentibus. *ſed paſsim hîc interpolatio.*

 87. DE-

dent,& inhoneſta ſe ac difficilia docent, coguntque : & vbi ſine præmio labor eſt, tor- A
quet illos irritum dedecus,nec dolent praua, ſed fruſtrà voluiſſe. Tunc illos & pœniten-
tia cœpti tenet,& incipiendi timor,ſubrepitque illa iactatio animi, non inuenientis exi-
tum,quia nec cupiditatibus ſuis imperare,nec obſequi poſſunt;& cunctatio vitæ parum
ſe explicantis,& inter[87] deſtituta vota torpentis animi ſitus. Quæ omnia grauiora ſunt,
vbi odio infelicitatis operoſæ ad otium profugerunt, & ad ſecreta ſtudia:quæ[88] pati non
poteſt animus ad ciuilia erectus,agendique cupidus,& naturâ inquietus, parum ſcilicet
in ſe ſolatiorum habens : ideoque detractis oblectationibus,quas ipſæ occupationes diſ-
currentibus præbent, domum, ſolitudinem, parietes non fert, inuitus adſpicit ſe ſibi re-
lictus. Hinc illud eſt tædium, & diſplicentia ſui, & nuſquam reſidentis animi volutа-
tio,& otij ſui triſtis atque ægra patientia : vtique vbi cauſas fateri pudet,[89] tormenta in-
trorſus egit verecundia,in anguſto incluſæ cupiditates,ſine exitu,ſe ipſæ ſtrangulant. In-
de mæror marcorque, & mille fluctus mentis incertæ, quam inchoata habent ſuſpen-
ſam, deplorata triſtem : inde ille affectus otium ſuum deteſtantium, querentiumque
nihil ipſos habere quod agant, & alienis incrementis inimiciſſima inuidia. Alit enim li- B
uorem infelix inertia : & omnes deſtrui cupiunt,quia ſe non potuerunt prouehere: & ex
hac deinde auerſatione alienorum proceſſuum, & ſuorum deſperatione, obiraſcens for-
tunæ animus, & de ſæculo quærens, & in angulos ſe retrahens, & pœnæ incubans ſuæ,
dum tædet ſui,pigetque. Naturâ enim humanus animus agilis eſt, & pronus ad motus.
grata omnis illi excitandi ſe abſtrahendique materia eſt ; gratior quibuſque peſſimis in-
geniis,quæ occupationibus libenter deteruntur. Vt vlcera quædam nocituras manus ap-
petunt, & tactu gaudent, & fœdam corporum ſcabiem delectat, quicquid exaſperat:
non aliter dixerim his mentibus,[90] in quas cupiditates velut mala vlcera eruperunt,vo-
luptati eſſe laborem vexationemque. Sunt enim quædam,quæ corpus quoque noſtrum
cum quodam dolore delectant : vt verſare ſe, & mutare nondum feſſum latus, & aliò
atque aliò[91] poſitum ventilari. Qualis ille[92] Homericus Achilles eſt,modò pronus,mo-
dò ſupinus,in varios habitus ſe ipſe componens. quòd proprium ægri eſt,nihil diu pati,
& mutationibus vt remediis vti. Inde peregrinationes ſuſcipiuntur vagæ, & littora per- C
errãtur,& modò mari ſe,modò terrâ experitur ſemper præſentibus infeſta leuitas. Nunc
Campaniam petamus. iam[93] delicata faſtidio ſunt : inculta videantur. Bruttios & Lu-
canos ſaltus perſequamur. Aliquid tamen inter deſerta amœni requiratur, in quo luxu-
rioſi oculi longo locorum horrentium ſquallore releuentur. Tarentum petatur,[94] lauda-
tusque portus, & hiberna cæli mitioris, & tecta vel[95] antiquæ ſatis opulenta turbæ.
Iam flectamus curſum ad vrbem. nimis diu[96] à plauſu & [97] fragore aures vacauerunt:

iuuat

87. DESTITVTA VOTA.] *A ſucceſſu & Fortunâ.*

88. PATI NON POTEST.] *Nec mirum.* nam primum argumentum eſt *(noſter epiſt.* II.) compoſitæ mentis, poſſe conſiſtere, & ſecum morari. *Horatius in iſtos:*

Non horam tecum eſſe potes, non otia rectè
Ponere, teque; ipſum vitas fugitiuus & erro.

89. TORMENTA.] *Cum articulo ſcriberem*, & tormenta.

90. IN QVAS.] *Fortè*,in quis,*id eſt*,*quibus*.

91. POSITVM.] *Gruterus*,poſitu.

92. HOMERICVS ACHIL.] *Verſus quos tangit,in Iliad.* ω.

Ἄλλοτ' ὀπὶ πλευρᾶς κατακείμενος, ἄλλοτε δ' αὖτε
Ὑπτίος, ἄλλοτε δὲ πρηνὴς, τότε δ' ὀρθὸς ἀναστάς:

Nunc lateri incumbens, iterùm pòſt paullò
ſupinus
Corpore,tũ pronus, tum ſurgens deniq;rectus.

Quos & Iuuenalis adſpexit, aut vertit:

-noctem patitur lugentis amicum
Pelidæ, cubat in faciem, mox deinde ſupinus.

93. DELICATA.] *Ad ipſam Campaniam refer,quæ nihil niſi cæli ſoliq; deliciæ : præſertim vt tunc culta.*

94. LAVDATVSQVE PORTVS.] *Liuio deſcriptus,libro* XXV. *& Floro* I. *cap.* XVIII.

95. VEL ANTIQVÆ.] *Sententia eſt, Tecta etiamnunc tam multa & lata, vt vel antiquam turbam (id eſt, quæ olim fuit) poſſint capere. Nam Tarentum, Croton, Metapontus, magna illa & florentiſſima olim opida(ita vices rerum ſunt) tunc deſerta. Nominatim hoc de Tarento, Strabo :* Vetus murus ambitum habet magnum, nunc autem maior vrbis pars,ad Iſthmum ſita,deſerta eſt. *Dio Chryſoſtomus in Tarſico primo :* Nónne Sybaris, quæ maximè luxuriata eſt, maximè perijt? nónne Croton & Thurij, & Metapontus, & Tarentum? quæ olim ſic florentes & potentes, quâ vrbe non ſunt nunc deſertiores? *Tamen ſuſpecta lectio.* D

96. A PLAVSV.] *Theatrali.*

97. FRAGORE.] *Circenſi. Iuuenalis:*

--& fragor aurem Percutit, euentum viridis
quo colligo panni. *Neque nego in theatris potuiſſe & fragorem eſſe populi incitati: ſed magis in Circo, victoriæ illo euentu, inter factiones & ſponſiones.*

98. SEM-

A iuuat iam & humano ſanguine frui. Aliud ex alio ſuſcipitur, & ſpectacula ſpectaculis mutantur: vt ait Lucretius,

Hoc ſe quiſque modo[98] *ſemper fugit.*

Sed quid prodeſt, ſi non effugit? ſequitur ſe ipſe, & vrget grauiſſimus comes. Itaque ſcire debemus, non locorum vitium eſſe quo laboramus, ſed noſtrum. Infirmi ſumus ad omne tolerandum, nec laboris patientes, nec voluptatis,[99] nec noſtræ, nec vllius rei diutiùs. Hoc quoſdam egit ad mortem, quòd propoſita ſæpè mutando, in eadem reuoluebantur, & non reliquerant nouitati locum. Faſtidio illis eſſe cœpit vita, & ipſe mundus: & [100] ſubit illud rabidarum deliciarum: [101] *Quouſque eadem?* Aduerſus hoc tædium III.
quo auxilio putem vtendum, quæris. Optimum erat (vt ait [102] Athenodorus) actione rerum & Reip. tractatione, & officiis ciuilibus ſe detinere. nam vt quidam ſole, & exercitatione, & curâ corporis, diem ducunt, athletiſque vtiliſſimum eſt, lacertos ſuos, roburque cui ſe vni dicauerunt, maiore temporis parte nutrire: ita nobis animum ad
B rerum ciuilium certamen parantibus, in opere eſſe, non longè pulcherrimum eſt? Nam cùm vtilem ſe efficere ciuibus mortalibuſque propoſitum habeat, ſimul & exercetur & proficit, qui in mediis ſe officiis poſuit, communia priuataq; pro facultate adminiſtrans. Sed quia in hac, inquit, tam inſanâ hominum ambitione, tot calumniatoribus in deterius recta torquentibus, parùm tuta ſimplicitas eſt, & plus futurum ſemper eſt quod obſtet, quàm quod ſuccedat, [103] à foro quidem & publico recedendum eſt: ſed habet, vbi ſe etiam in priuato lare explicet magnus animus. nec vt leonum animaliumque impetus caueis coërcetur: ſic hominum, quorum [104] maximè in ſeductu actiones ſunt. Ita tamen delituerit, vt vbicumque otium ſuum abſconderit, prodeſſe velit & ſingulis & vniuerſis, ingenio, voce, conſilio. Nec enim is ſolus Reip. prodeſt, qui [105] candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace belloque cenſet: ſed qui iuuentutem exhortatur, qui in tantâ bonorum præceptorum inopiâ, virtute inſtruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque curſu ruentes prenſat ac retrahit, & ſi nihil aliud, certè moratur, in priuato pu-
C blicum negotium agit. An ille plus præſtat, qui [106] inter peregrinos & ciues, aut vrbanus præ-

98. SEMPER FVGIT.] *Illud*, ſemper, *non eſt in Lucretio, & verſus reſpuit. At locus eius, huic compar, inſignis eſt, & meritò adſcribendus, lib.* III.

—— vt nunc plerumque videmus,
Quid ſibi quiſque velit, neſcire & quærere ſemper:
Commutare locũ, quaſi onus deponere poſſit.
Exit ſæpè foras magnis ex ædibus ille,
Eſſe domi quẽ pertæſum eſt, ſubitoq; reuertit:
Quippe foris nihilo melius qui ſentiat eſſe.
Currit agens mannos ad villam hic præcipitanter,
Auxilium tectis quaſi ferre ardentibus inſtet:
Oſcitat extemplò tetigit cùm limina villæ,
D Aut abit in ſomnũ grauis, atq; obliuia quærit,
Aut etiam properans vrbem petit, atq. reuiſit.
Hoc ſe quiſque modo fugit. at, quod ſcilicet, vt fit,
Effugere haud potis eſt, ingratis hęret, & angit.

99. NEC NOSTRÆ.] *Phraſis cùm alibi, tum in Liuio crebra. Lib.* III. Patres ſuarum rerum erant, amiſsâ publicâ. *Et* XXIII. Plebs nouarum rerum & Annibalis tota eſſe.

100. SVBIT ILLVD.] *Magis*, ſubiit. *& neſcio an ſtatim* tabidarum, *pro* rabidarum. *Si hoc tenes; ſententia erit, delicias acres, efferas, & infrenes eò prorumpere, vt mortem ament, ſe oderint. Si, quod ſubiicio; delicias languentes, deficientes (vt ſolet à nimio vſu) tædio ire ad mortem.*

101. QVOVSQVE EADEM.] *Dormire, ſurgere, ingerere, egerere, libidinari, fatiſcere, & omnia in orbem. Eadem vulgi vox in Epiſtolâ* XXIV. *vide: & ſenſus in Lucretio:*

Prætereà, verſamur ibidem, atque inſumus vſque,
Nec noua viuendo procuditur vlla voluptas.

Ac plura item vide.

CAP. III. 102. ATHENODORVS.] *Aliquot iſto nomine, & quidem ſectæ Stoicæ fuerunt. Vide Manud.* I. *Diſſert.* XII.

103. A FORO QVIDEM.] *Ita idem ſuadet & probat, epiſt.* XXVIII. Si liceat diſponere ſe, conſpectum quoque fori & viciniam procul fugiam. *Plura ibi vide.*

104. MAXIME.] *Imò*, maximæ.

105. CANDIDATOS EXTRAHIT.] *Producit ad petendum, ſuffragator eſt. Nam itá in comitiis illis Senatoriis (hoc Principum ævo) fiebat. Vide Plinij epiſtolam* XX. *libri* III. *& eiuſdem Panegyricum. Adde & epiſt.* VIII. *noſtri Senecæ, ſententiâ conſimili:* Non videor tibi plus prodeſſe, quàm cùm ad vadimonium aduocatus deſcenderem, aut tabulis teſtamenti anulum imprimerem, aut in Senatu candidato vocem & manũ commodarem? *Alioqui & legi poterat*, qui candidatus extrahit & tuetur reos. *Nam aduocati & honeſtiores, in tali veſte.*

106. INTER PEREGRINOS.] *Primus Prætor in vrbe ius, & inter ciues dixit, creatus anno Vrbis* CCCXCVIII. *atque is* Vrbanus *ideò dictus. Poſteà, non ſufficiente eo, & multitudine peregrinorum influente in vrbem, alter additus, qui ius diceret inter ciues & Peregrinos. Id factum anno* DX.

prætor adeuntibus [107] assessoris verba pronunciat: quàm [108] qui docet quid sit iustitia, A
quid pietas, quid patientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid deorum intellectus, [109] quantum bonum sit bona conscientia? Ergo si tempus in studia conferas, quod subduxeris officiis, [110] non deserueris, nec munus detractaueris. Neque enim ille solus militat, qui in acie stat, & [111] cornu dextrum læuumque defendit: sed & qui portas tuetur, & statione minus periculosâ, non otiosâ tamen fungitur, vigiliasque seruat, & armamentario præest. quæ ministeria quamuis incruenta sint, [112] in numerum stipendiorum veniunt. Si te ad studia reuocaueris, omne vitæ fastidium effugeris: nec noctem fieri optabis tædio lucis, nec tibi grauis eris, nec aliis superuacuus: multos in amicitiam attrahes, affluetque ad te optimus quisque. Numquam enim [113] quamuis obscura virtus latet, sed [114] mittit sui signa. quisquis dignus fuerit, vestigiis illam colliget. Nam si omnem conuersationem tollimus, & generi humano renunciamus, viuimusq; in nos tantùm conuersi; sequetur hanc solitudinem, omni studio carentem, inopia rerum agendarum. Incipiemus ædificia alia ponere, alia subuertere, & mare submouere, & aquas
contra difficultates locorum ducere, & malè dispensare tempus, quod nobis natura con- B
sumendum dedit. Alij parcè illo vtimur, alij prodigè: alij sic impendimus, vt possimus rationem reddere: alij, vt nullas habeamus [115] reliquias. Quare nihil turpius est, quàm grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, præter ætatem. [116] Mihi, carissime Serene, nimis videtur submississe temporibus se Athenodorus, nimis citò refugisse. Nec ego negauerim aliquando cedendum: sed sensim relato gradu, & saluis signis, saluâ militari dignitate. Sanctiores tutioresque sunt hostibus suis, qui in fidem cum armis veniunt. Hoc puto virtuti faciendum, studiosoque virtutis. si prævalebit fortuna, & præcidet agendi facultatem; non statim auersus inermisque fugiat, latebras quærens, quasi vllus locus sit, quò non possit fortuna persequi: sed parciùs se inferat officiis, & cum dilectu inueniat aliquid, in quo vtilis ciuitati sit. Militare non licet? honores spectet. priuato viuendum est? sit orator. silentium indictum est? tacitâ aduocatione ciues iuuet. periculosum etiam ingressu forum est? in domibus, in spectaculis, in conuiuiis, bonum contubernalem, amicum fidelem, temperantem conuiuam C
agat. Officia si ciuis amiserit, hominis exerceat. Ideò magno animo nos [117] non vnius vrbis mœnibus clausimus, sed in totius orbis commercium emisimus; patriamque nobis mundum professi sumus: vt liceret latiorem virtuti campum dare. Præclusum tibi tribunal est, & rostris prohiberis, aut comitiis? respice post te, quantũ latissimarum regionũ pateat, quantum populorũ. numquam tibi ita magna pars obstruetur, vt non maior relinquatur. Sed vide, ne totũ istud vitium tuũ sit. non vis enim nisi consul, aut [118] prytanes,

107. ADSESSORIS VERBA.] *Quæ ille peritus iuris dictasset, quibus sententiam concepisset. Notum Adsessuræ hoc munus. atq; ita emendauit hunc locum Iac. Cuiacius* XXIII. *Obseru. cap.* XL. *Etsi nec litterâ minus meus laudatus ille codex.*

108. QVI DOCET.] *Absunt hæc duo verba omnibus libris, tamen aptæ & tenenda.*

109. QVANTVM BONVM.] *Ita Erasmus vulgauerat, tenuitq; Muretus. At Pinciani codices,* quàm gratuitum bonum sit bona cons. *Quidam Gruteri, & meus,* quantum grauidorum hominum sit bona cons. *Adhæream Pinciani, & explicem:* Gratuitum bonum, *quòd reliqua pretio aut labore; hoc vltrò, & voluntate solâ, paretur.*

110. NON DESERVERIS.] *Meus,* te non deserueris. *nec malè. Illud tamen à militiâ, aptius videtur.*

111. CORNV DEXTRVM.] *Acies in duo cornua plurimùm diuidi solet, quod notum. putarem tamen commodiùs legi,* cornu dextro, læuóve. *Neque enim vnus vir totum cornu defendit.*

112. IN NVMERVM.] *Id est, stipendiis accensentur: æs & nomen militare capiunt. Non audio qui corrigit,* in numerorum stipendia: *id est, cohortium, inquit. Apage. vulgatâ nihil melius aut clarius.*

113. QVAMVIS OBSCVRA.] *Etsi non in luce & publico posita. etsi in priuato paruoq; lare.*

114. MITTIT SVI SIGNA.] *Lumen & radios* D
spargit. An à feris magis sumptum, quæ odorem & vestigia relinquunt, iis vestigandæ?

115. RELIQVIAS.] *Nihil appareat, nihil facti operis exstet.*

116. MIHI CARISSIME.] *Hactenus Athenodori sententia: nunc Sencæ, qui aliquid distinguit, aut mutat.*

117. NON VNIVS VRBIS.] *Vide de Vitâ beatâ, cap.* XXXI.

118. PRYTANES.] *Athenienſium magiſtratus. apud quos, eiectis triginta tyrannis, decem à Thrasibulo reip. præpoſiti: mox iis quoque à Pauſaniâ ſpretis, quinquaginta iſti* Prytanes *inſtituti. de quibus Demoſthenes* II. *Philipp. atque alibi, Pollux libro* VIII. *& Harpocration his verbis:* Πρυτάνεις πεντήκοντα

A tanes, aut [119] ceryx, aut [120] ſufes adminiſtrare Remp. Quid ſi militare nolis, niſi imperator, aut tribunus? etiam ſi alij [121] primam frontem tenebunt, te ſors inter [122] triarios poſuit: inde voce, adhortatione, exemplo, animo milita. Præciſis quoque manibus ille in prœlio inuenit, quod partibus conferat, qui ſtat tantùm, & clamore iuuat. Tale quiddam facies, ſi à primâ te Reip. parte fortuna ſubmouerit; ſtes tamen, clamore iuues: ſi quis fauces oppreſſerit; ſtes tamen, & ſilentio iuues. Numquam inutilis eſt opera ciuis boni. auditu enim, viſu, vultu, nutu, obſtinatione tacitâ, inceſſuq; ipſo prodeſt. Vt ſalutaria quædam, citra guſtum [123] tactumque, odore proficiunt: ita virtus vtilitatem etiam ex longinquo & latens fundit, ſiue exſpatiatur & fruitur ſuo iure; ſiue precarios habet acceſſus, cogiturque vela contrahere; ſiue otioſa mutaque eſt, & anguſto circumſcripta, ſiue adaperta: in quocumque habitu eſt, prodeſt. Quid? tu parum vtile putas exemplum benè quieſcentis? [124] Longè, inquam, optimum eſt miſcere otium rebus, quotiens actuoſa vita impedimentis fortuitis, aut ciuitatis conditione prohibetur. Numquam
B enim vſque eò intercluſa ſunt omnia, vt nulli actioni honeſtæ locus ſit. Numquid potes inuenire vrbem miſeriorem, quàm Athenienſium fuit, cùm illam triginta tyranni diuellerent? mille [125] trecentos ciues, optimum quemque, occiderant: nec finem ideò faciebat, ſed irritabat ſe ipſa ſæuitia. In quâ ciuitate erat ariopagos, religioſiſſimum iudicium, in quâ ſenatus populusque ſenatui ſimilis: coibat quotidie carnificum triſte collegium, & infelix curia tyrannis anguſta. Poterátne illa ciuitas conquieſcere, in quâ tot tyranni, [126] quot ſatellites erant? Ne ſpes quidem vlla recipiendæ libertatis animis poterat offerri: nec vlli remedio locus apparebat, contra tantam vim malorum. vnde enim miſeræ ciuitati tot [127] Harmodios? Socrates tamen [128] in medio erat, & lugentes patres conſolabatur, & deſperantes de Rep. exhortabatur, & diuitibus opes ſuas [129] metuentibus exprobrabat [130] ſeram periculoſæ auaritiæ pœnitentiam; & imitari volentibus magnum circumferebat exemplar, cùm inter triginta dominos liber incederet. Hunc tamen Athenæ ipſæ in carcere occiderunt: & qui tutò inſultauerat agmini tyrannorum, eius liber-
C tatem libera ciuitas non tulit: vt ſcias & in afflictâ Rep. eſſe occaſionem ſapienti viro ad ſe proferendum, & in florenti ac beatâ, [131] pecuniam, inuidiam, mille alia vitia [132] inermia regnare. Vtcumque ergo ſe Reſp. dabit, vtcumque fortuna permittet, ita aut [133] explicabimus nos, aut contrahemus: vtique mouebimus, nec alligati metu torpebimus. Imò ille vir fuerit, qui periculis vndique imminentibus, armis circà & cathenis fremen-

tibus,

τὴκοντα ἄνδρες ἀπὸ μιᾶς φυλῆς, οἱ διοικοῦντες πάντα τὰ ὑπὸ τῆς βουλῆς τατόμενα: Prytanes, quinquaginta viri ex vnâ tribu electi, qui omnia adminiſtrant à Senatu decreta. *Idem ſummi magiſtratus nomen & Rhodiis fuit, apud Liuium* XLII. *Plutarchum in Politicis, Appianum* IV. *Ciuil.*

119. CERYX.] *Libri, vt in ignotiore voce, vacillant, & meus* tenyt *præfert. Sed vulgatum, verum: eſtq;* Ceryx, præco, legatus: *etiam qui ſacra Cereris tractabat* Ceryx, *vel ad diſcrimen* κηρυκήρυξ: *de quibus Athenæus aliquid lib.* XIIII. *& Plutarchus in*
D *Alcibiade.*

120. SVFES.] *Pœnorum ſupremus Dictator, in Liuio. Vide Feſtum, eâ voce.*

121. PRIMAM FRONTEM.] *Hoc eſt, quod ipſe De Conſtantiâ ſap. cap. vlt. ſcribit*, in primâ acie altos ordines ſtare. *Vide Militiam noſtram.*

122. TRIARIOS.] *Qui tertij in acie, vltimiq;.*

123. TACTVMQVE.] *Quidam libri*, citra guſtum, tactu, odore: *neque id malè, etſi vulgatum præfero.*

124. LONGE, INQVAM.] *Haud ſatis hærere cum prioribus videtur: niſi refers ad illa contra Athenodorum dicta.*

125. TRECENTOS.] *Alij* quingentos *tradunt.*

126. QVOT SATELL.] *Meus, & alij ſcripti,* tot tyranni erant, quot ſatellites eſſent? *Puto verum, ſi vocula educatur latens*: quot ſat ſatellites eſſent. *Erant enim triginta tyranni: atqui ſatis erat, inquit, tot vel ſatellites tyrannidis eſſe. De tyrannide autem iſtâ, noſter epiſt.* CIV.

127. HARMODIOS.] *Tyrannicidas. Vide lib.* VII. *De Benef. cap.* XIV.

128. IN MEDIO.] *Cicero ad Atticum*, VIII. Quaſi locupletior mihi quærendus ſit auctor, quàm Socrates, qui cùm XXX. tyranni Athenis eſſent, pedem portâ non extulit.

129. METVENTIBVS.] *Quia diuites maximè periclitantur ſub tyrannis.*

130. SERAM.] *Antè enim opes exponendæ pro patriâ, contra Lacedæmonios; & priuſquam eò decideret.*

131. PECVNIAM.] *Ita ſanè libri: etſi Muretus,* impotentiam, *quæ Pinciani nuda coniectura eſt. An* pecuniam *retinemus, & auaritiam, ſiue potiùs corruptelas à pecuniâ explicamus? an* petulantiam, *placet ſubſtitui?*

132. INERMIA.] *Togata, & tyrannidi armatæ opponit.*

133. EXPLICABIMVS NOS.] *Salutare præceptum, & ſimul*

tibus, non [134] alliserit virtutem, nec [135] absconderit. [136] Non enim debet seruantem se A
obruere. Vt opinor, Curius Dentatus aiebat, *Malle esse se mortuum,* [137] *quàm viuere.* Vltimum malorum est, ex viuorum numero exire, antequam moriaris. Sed faciendum erit, si in Reip. tempus minùs tractabile incideris, vt plus otio ac litteris vindices: nec aliter quàm in periculosâ nauigatione, subinde portum petas: nec exspectes donec res te
IV. dimittant, sed ab illis te ipse disiungas. Inspicere autem debemus primùm [138] nosmetipsos, deinde quæ aggredimur negotia, deinde eos quorum caussâ, aut cum quibus agendum est. Ante omnia, necesse est seipsum æstimare: quia ferè plus nobis videmur posse, quàm possumus. Alius eloquentiæ fiduciâ prolabitur, alius patrimonio suo plus imperauit, quàm ferre possit: alius infirmum corpus laborioso oppressit officio. Quorumdam parùm idonea est verecundia rebus ciuilibus, quæ [139] firmam frontem desiderant: quorumdam [140] contumacia non facit ad aulam. quidam non habent iram in potestate: & illos ad temeraria verba quælibet indignatio effert. quidam vrbanitatem nesciunt continere, nec periculosis abstinent salibus. Omnibus his vtilior negotio quies est. B
V. ferox impatiensque natura, irritamenta nocturæ libertatis euitet. Æstimanda sunt deinde ipsa, quæ aggredimur, & vires nostræ [141] cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandæ. Debet enim semper plus esse virium in latore, quàm in onere. necesse est [142] opprimant onera, quæ ferente maiora sunt. Quædam præterea non tam magna sunt negotia, quàm fœcunda, multumque negotiorum ferunt. & hæc refugienda sunt, ex quibus noua occupatio multiplexque nascetur. Nec accedendum eò, vnde liber regressus non sit: his admouenda manus est, quorum finem aut facere, aut certè sperare possis.

Relin-

& simul politicum, vt rebus temporibusq; , virtute saluâ, aptemur. Socratis dictum huc facit: Ὁ βίος, ὥσπερ ὄργανον, ἀνέσει καὶ ἐπιτάσει ἁρμοττόμενος, ἡδίων γίνεται: Vita, velut organum, intentione & remissione aptata, iucundior redditur: *etsi aliò hoc etiam ducas, ad quietem scilicet labore temperatam. Lucanus ad Pisonem:*

Temporibus seruire decet. qui tempora certis
Ponderibus pensabit, eum si bella vocabunt,
Miles erit: si pax, positis toga vestiet armis.

134. ALLISERIT.] *Id est, nec peruicaciâ aut ambitione præposterâ, se vitamq; fregerit: quasi in scopulum nauem vltrò miserit.*

135. ABSCONDERIT.] *Turpiter se subduxerit, latuerit. Vult medium teneri, qualem suum Agricolam Tacitus facit,* peritum obsequi, eruditumque vtilia honestis miscere. *Eumdem,* non contumaciâ, neque inani iactatione libertatis, famam fatumque prouocasse: *sed* obsequium & modestiam, cui industria tamen & vigor adessent, *prætulisse. Idem, de M. Lepido:* Hunc ego, temporibus illis, grauem & sapientem virum fuisse comperior. nam pleraque ab sæuis adulationibus aliorum in melius deflexit: neque tamen temperamenti egebat, cùm æquabili auctoritate & gratiâ apud Tiberium viguerit.

136 NON ENIM.] *Ita Erasmi editio, & ex eâ vulgatæ. Muretus,* Non est enim seruare se, obruere: *viderit quo auctore, non certè libris. Quorum alij,* Non enim debet seruare se, vel obruere: *alij, vt meus,* Non enim seruare se voluit, nec obruere. *Ego eliciebam:* Non enim cernuare se volt, nec obruere. *Neutrum, inquit, sapiens facit. nec cernuat se, & abiicit pronum ac præcipitem; nec item obruit, & abscondit. Planè respondent priori clausulæ, eamq; explicant:* nec allidet virtutem, nec abscondet. Cernuo *autem siue &* Cernullo, *veteris & medij æui probum solensq; verbum est. Ipse noster, epist.* VIII. Non euertit eos Fortuna, sed cernullat & allidit. *Et notes ibi quoque iungi & pariari cum verba* Allidendi.

137. QVAM VIVERE.] *Repetendum commune verbum,* mortuum. *Sententia est, malle se reuera esse mortuum, quàm mortuum inter viuos agere. Lucretius in hoc genus:* C

Mortua cui vita est propè iam viuo atque videnti.

Seneca alibi: Otium sine litteris, mors est, & viui hominis sepultura. *Et de ignauo illo:* Vatias hîc situs est. *Quid Plato?* Ὅσις τῇ ψυχῇ μὴ δύναται χρῆσθαι, τοῦτῳ τὸ ἄγειν ἡσυχίαν τῇ ψυχῇ καὶ μὴ ζῆν κρεῖττον, ἢ ζῆν πράττοντι καθ' αὑτόν: Quisquis animâ & vitâ vti nescit, huic quiescere animâ, nec vltrà viuere melius, quàm sic viuere apud sese. *Est ipsa sententia Curiana.*

CAP. IIII. 138. NOSMETIPSOS.] *De Irâ* III. *cap.* VII. *hæc sic partitè:* Quotiens aliquid conaberis, te simul, & ea quæ paras, quibusque paraaris, ipse metire. *Etsi ibi fortasse verius,* quibusque parabis: *id est, quorum caussâ & gratiâ, vt hîc sequitur.* D

139. FIRMAM FRONTEM.] *Benè. at libri omnes prisci, & meus:* primam frontem. *Quod interpretari possis, aut eximiam & notabilem in duritie: aut primò & ante omnia assumendam talem frontem.*

140. CONTVMACIA.] *Nam Aula vult obsequentes. Tacitus:* Labeo incorruptâ libertate, & ob id famâ celebratior, Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur.

CAP. V. 141. CVM REBVS.] *Eadem lege* III. *De Irâ, cap.* VI. *extremo, &* VII. *primo.*

142. OPPRIMANT.] *Propertius:*

Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.

CAP.

A Relinquenda, quæ latiùs actu procedunt, nec vbi propoſueris, deſinunt. Homi- VI.
num vtique delectus habendus eſt; an digni ſint, quibus partem vitæ noſtræ impendamus, an ad illos temporis noſtri iactura perueniat. Quidam vltrò officia noſtra [143] nobis imputant. Athenodorus ait, ne ad cœnam quidem ſe iturum ad eum, qui ſibi nil pro hoc debiturus ſit. Puto intelligis, multo minùs ad eos iturum, qui cum amicorum officiis [144] paria in mensâ faciunt, qui fercula pro congiariis numerant: quaſi in alienum honorem intemperantes ſint. Deme illis teſtes ſpectatoreſque, non delectabit popina ſecreta. [145] Conſiderandum eſt, vtrùm [146] natura tua agendis rebus, an otioſo ſtudio contemplationique [147] aptior ſit: & eò inclinandum, quò te vis ingenij defert. Iſocrates Ephorum iniectâ manu à foro ſubduxit, vtiliorem componendis monumentis hiſtoriarum ratus. Malè enim reſpondent [148] coacta ingenia. reluctante naturâ, irritus labor eſt.

[149]* Nihil tamen æquè oblectauerit animũ, quàm amicitia fidelis & dulcis. Quantum VII.
bonum eſt, vbi ſunt præparata pectora, in quæ tutò ſecretum omne deſcendat, quorum
B conſcientiam minùs quàm tuam timeas, quorum ſermo ſolicitudinem leniat, ſententia conſilium expediat, hilaritas triſtitiam diſſipet, [150] conſpectus ipſe delectet? Quos ſcilicet vacuos, quantum fieri poterit, à cupiditatibus, eligemus. Serpunt enim vitia, & in proximum quemque tranſiliunt, & contactu nocent. Itaque, vt in peſtilentiâ, cauendum eſt, ne [151] corruptis iam corporibus & morbo flagrantibus aſſideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipſo laborabimus: ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, vt quamminimè inquinatos aſſumamus. Initium morbi eſt, ægris [152] ſana miſcere. Nec hoc præceperim tibi, vt neminem niſi ſapientem ſequaris, aut attrahas. vbi enim iſtum inuenies, quem tot ſæculis quærimus? pro optimo eſt, minimè malus. Vix tibi eſſet facultas [153] delectus felicioris, ſi inter Platonas & Xenophontas, & illum Socratici fœtus prouentum bonos quæreres: aut ſi tibi poteſtas Catonianæ fieret ætatis, quæ pleroſque dignos tulit, qui Catonis ſæculo naſcerentur, ſicut multos peiores, quàm vmquam aliàs, maximorumque molitores ſcelerum. Vtrâque enim tui bâ opus erat, vt
C Cato poſſet intelligi. habere debuit & bonos, quibus ſe approbaret: & malos, [154] in quibus vim ſuam experiretur. Nunc verò in tantâ bonorum egeſtate, minùs faſtidioſa fiat electio. Præcipuè tamen vitentur triſtes, & omnia deplorantes, quibus nulla non cauſſa in querelas placet. Conſtet illi licet fides & beneuolentia, [155] tranquillitati tamen inimicus eſt comes perturbatus, & omnia gemens. Tranſeamus ad patrimonia, maxi- VIII.
mam

CAP. VI. 143. NOBIS IMPVTANT.] *Id eſt, cùm ipſi pro iis debeant, debere nos putant. quaſi quos dignos habuerint, vt obſequia præſtaremus.* Imputare *autem, in rationibus alicuius ponere, inſcribere. Suetonius Tiberij cap.* LIII. Imputauit etiam, quòd non laqueo ſtrangulatam abiecerit. *Plinius, de Medicis:* Stertinius imputauit Principibus, quòd quingenis HS. contentus eſſet. *Statius:* Lucanum potes imputare terris. *Seneca De Benef.* II. Superbi & imputatores.

D 144. PARIA IN MENSA.] *Ita meus liber, & ſententia liquet. Tamen alij*, parem menſam: *aut*, pares menſas. *Poſſis igitur*, paria mensâ faciunt. *De quo genere Iuuenalis:*

Fructus amicitię magnę cibus. imputat hũc rex:
Et quamuis rarum, tamen imputat. *Iterùm*:
Primo fige loco, quòd cùm diſcumbere iuſſus,
Mercedem ſolidam veterũ capis officiorum.

Ammianus copiosè & iocosè lib. XIV.

145. CONSIDERANDVM.] *Neſcio an hæc ſatis apta, & non ſit hiatus.*

146. NATVRA TVA.] *Nam, vt ipſe alibi*, tenenda nobis vita eſt, quam natura præſcripſit, nec ab illâ declinandum. Illam ſequentibus, omnia facilia & expedita ſunt: contra illam nitentibus, non alia vita eſt, quàm contra aquam nauigantibus.

147. APTIOR SIT.] *Socratis eò monitum facit:* Ὁ βίος ἁρμόζων, ἀλυπότερος: Vita conueniens & apta, minùs moleſta.

148. COACTA INGENIA.] *Quò ſpectat Latinorum verbum*, Nequid inuitâ Mineruâ.

CAP. VII. 149. * NIHIL TAMEN.] *Neque hæc prioribus ſatis connexa, & ſuſpicor hiulca eſſe.*

150. CONSPECTVS IPSE.] *Euripides:*

——εἴ τι τυγχάνει κακὸν,
Εἰς ὄμματ' εὐνοῦ φωτὸς εἰσβλέψαι γλυκύ:
—— ſiquid accidit mali,
Vel os amici ſuaue contuerier.

151. CORRVPTIS IAM.] *Siue placet*, correptis.

152. SANA MISCERE.] *Vidi qui vellet*, ægris ſe admiſcere.

153. DELECTVS FELICIORIS.] *Excidiſſe puto voculam*, dilectus huius felic. *Magis id pro mente Senecæ, ac vero.*

154. IN QVIBVS.] *Quos frangeret, & quibus reſiſteret.*

155. TRANQVILLITATI.] *Serenitatem animi turbat nubilus ille vultus, & ſemper, vt ità dicam, pluuius.*

CAP.

mam humanarum ærumnarum materiam. Nam si omnia alia quibus angimur, com- A
pares, mortes, ægrotationes, metus, desideria, dolorum laborumque patientiam, cum iis quæ nobis mala pecunia nostra exhibet; hæc pars multum prægrauabit. Itaque cogitandum est, quanto leuior dolor sit, non habere, quàm perdere: & intelligemus, paupertati eò minorem tormẽtorum, quò minorem damnorum esse materiam. Erras enim, si putas animosiùs detrimenta diuites ferre. maximis minimisq; corporibus par est dolor vulneris. Bion eleganter ait, *Non minùs molestum esse* [156] *caluis, quàm comatis, pilos velli.* Idem scias licet de pauperibus locupletibusque, par illis esse tormentum. vtrisque enim pecunia sua obhæsit, [157] nec sine sensu auelli potest. Tolerabilius autem est, vt dixi, faciliusque, non acquirere, quàm amittere: ideoque lætiores videbis, quos numquam fortuna [158] respexit, quàm quos deseruit. Vidit hoc Diogenes, vir ingentis animi, & effecit ne quid sibi eripi posset. Tu istud paupertatem, inopiam, egestatem voca, & quàm voles ignominiosum securitati nomen impone: putabo hunc non esse felicem, si quem mihi alium inueneris, cui nihil pereat. Aut ego fallor, aut regnum est, inter auaros, circum- B
scriptores, latrones, plagiarios, vnum esse, cui noceri non possit. Si quis de felicitate Diogenis dubitat, potest idem dubitare & de deorum immortalium statu, an parùm beatè degant: quòd illis non prædia, nec horti sint, nec [159] alieno colono rura pretiosa, nec grande in foro fœnus. Non te pudet, quisquis diuitiis adstupes? respice agedum [160] mundum: nudos videbis [161] deos, omnia dantes, nihil habentes. Hunc tu pauperem putas, an diis immortalibus similem, qui se fortuitis omnibus exuit? Feliciorem tu [162] Demetrium Pompeianum vocas, quem non puduit locupletiorem esse Pompeio? [163] Numerus illi quotidie seruorum, [164] velut Imperatori exercitus, referebatur: cui iamdudum [165] diuitiæ esse debuerant, [166] duo vicarij, & [167] cella laxior. At Diogeni seruus vnicus fugit, nec eum reducere, cùm monstraretur, tanti putauit. *Turpe est*, inquit, *Manen sine Diogene posse viuere, Diogenem sine Mane non posse.* Videtur mihi dixisse: Age tuum negotium fortuna. nihil apud Diogenem iam tuum est. Fugit mihi seruus? imò liber abiit. Familia
[168] ve- C

CAP. VIII. 156. CALVIS QVAM.] *Hysterologia est, perfrequens in Senecâ. Nam dictum vult, non minùs molestum comatis (id est diuitibus) quàm caluis (pauperibus) pilos opesq; euelli. Exẽpla huius inuersæ locutionis notarunt plura Petrus Faber* 1. *Semestr. cap.* XXIII. *Furnerius ad legem* VIII. *De Verb. signif.*

157. NEC SINE SENSV.] *Est quod Antiphon scribit de auaris:* Ἀφαιροῦντες δὲ καὶ χρώμυοι, ἀλγῶσιν, ὥσπερ ἀπὸ τῆς σαρκῶν ἀφαιρέμυοι: Cùm aliquid tollunt & vtuntur è pecuniâ, dolent haud aliter quàm si de carnibus suis tollant. *Nónne hoc est* obhæresce re pecuniam, *cùm in partem quasi nostri transit?*

158. RESPEXIT.] *Benigniore nempe oculo. Nam hoc est* Respicere. *Plautus*: Respice. idem Deos credo facturos tibi. *Inde & publicè culta* Fortuna, *cognomento* Respiciens.

159. ALIENO COLONO.] *Sub ergastulariis. Lucanus:*

Longa sub ignotis extendere rura colonis.

160. MVNDVM.] *Cælum ipsum.*

161. DEOS.] *Stoicos. id est, sidera.*

162. DEMETRIVM.] *Pompeÿ Magni libertum. de quo Plutarchi faceta narratiuncula, in Catone Vticensi.* Hic Antiochiam ibat, & videt extra portam, in vtroque viæ margine, composite stantes viros, iuuenes, pueros, cum discrimine ætatum, in festo omnes habitu & veste: magistratus præterea candidatos, sacerdotes etiam ipsos, coronatos. Cato stomachari, & putare sui honoris caussâ factum, & succensere iis quos præmiserat, tamquam indicassent. Itaque iam propior, descendit vehiculo, & suos idem facere ac pedibus ire iussit: tamquam salutandus, & pompâ illâ deducendus. At ecce senex quidam, coronâ & virgâ insignis (dissignator is erat) ne salute quidem dictâ rogâuit, Vbi Demetrium reliquissent? & quãdo venturus? Demetrius is erat Pompeij libertus, & multum apud illum poterat, in quem omnes mortales tunc oculos habebant coniectos. Itaque hîc comites Catonis & indignari, & risu emori: Cato nihil aliud prolocutus quàm, O miseram ciuitatem! in eam ingredi. *Hic ergo ille Demetrius.*

163. NVMERVS ILLI.] *Vide quàm multos habuerit. qui scire ex scripto & discere cottidie debuit, qui abessent, qui periissent, qui accessissent. Sed ita tunc mores: & notaui, firmauiq; exemplis, in Admirandis.*

164. VELVT IMPERATORI.] *Nota militarem morem, qui in Appiani Ciuilium quarto:* L. Antonius (*ad Perusiam*) misit Tribunos ad Cæsarem, D
qui signum ab eo peterent. Hi autem & numerum ei militum retulerunt: sicut & nunc moris est, Tribunum petentem signum dare Principi codicillum, continentem numerum copiarum.

165. DIVITIÆ ESSE.] *Aspectu nimirum seruilis conditionis.*

166. DVO VICARII.] *Lautiores serui, alios quasi subseruos habebant, & qui vices eorum gererent: inde* Vicarios *dictos. Glossarium:* Vicarius, δέλου δοῦλος: serui seruus. *Martialis:*

Esse sat est seruum, iam nolo vicarius esse.

A Iustiniano describitur, seruus inferioris notæ, & ipsius ordinarij serui seruus.

167. CELLA LAXIOR.] *Seruis minuta cellæ, vt hodie*

A [168] veſtiarium petit, victumque: tot ventres auidiſſimorum animalium tuendi ſunt: emenda veſtis, & cuſtodiendæ rapaciſſimæ manus, & flentium deteſtantiumque miniſterijs vtendum. Quanto ille felicior, qui nihil [169] vlli debet, niſi, cui facillimè negat, ſibi? Sed quoniam non eſt tantum roboris nobis, anguſtanda certè ſunt patrimonia, vt minùs ad iniurias fortunæ ſimus expoſiti. Habiliora ſunt corpora [170] puſilla, quæ in arma ſua [171] contrahi poſſunt, quàm quæ ſuperfunduntur, & vndique magnitudo ſua vulneribus obiecit. Optimus [172] pecuniæ modus eſt, qui nec in paupertatem cadit, nec procul à paupertate diſcedit. Placebit autem hæc nobis menſura, ſi priùs parcimonia IX.
placuerit: ſine quâ nec vllæ opes ſufficiunt, nec vllæ non ſatis patent: præſertim cùm in vicino remediũ ſit, & poſſit ipſa paupertas in diuitias ſe, aduocatâ frugalitate, conuertere. Aſſueſcamus à nobis remouere pompam, & [173] vſu rerum ornamenta metiri. Cibus famem domet, potio ſitim, libido quà neceſſe eſt fluat. Diſcamus membris [174] noſtris inniti: cultum victumque non ad noua exempla componere, ſed vt maiorum ſuadent
B mores. Diſcamus continentiam augere, luxuriam coërcere, [175] gulam temperare, iracundiam lenire, paupertatem æquis oculis adſpicere, frugalitatem colere, [176] etiam ſi nos pudebit deſiderijs naturalibus paruo parata remedia adhibere: ſpes effrænatas, & animum in futura eminentem velut ſub vinculis habere, id agere, vt diuitias [177] à nobis potiùs quàm à fortunâ petamus. Non poteſt, inquam, tanta varietas & iniquitas caſuum ita depelli, vt non multum procellarum irruat [178] magna armamenta pandentibus: cogendæ in arctum res ſunt, vt tela in vanum cadant. Ideoque exſilia interim calamitateſque in remedium ceſſêre, & leuioribus incommodis grauiora ſanata ſunt, vbi parùm audit præcepta animus, nec curari molliùs poteſt. Quid ni conſulitur, ſi & paupertas & ignominia, & rerum euerſio adhibetur? malo malum opponitur. Aſſueſcamus ergo cœnare poſſe [179] ſine populo, & ſeruis paucioribus ſeruiri, & veſtes parare in quod inuentæ ſunt, habitare contractiùs. Non in curſu tantùm circique certamine, ſed in his ſpatijs vitæ [180] interiùs flectendum eſt. Studiorum quoque, quæ liberaliſſima impenſa
C eſt, tamdiu rationem habebo, quamdiu modum. Quò mihi innumerabiles libros & biblio-

hodie noſtris Monachis; & nomen apud eos manſit. Quidni minutæ, cùm tanta copia mille, bis mille, & vltrà, ſub vno tecto eſſent? Itaque honeſtioris ſerui nota & votum, transferri in paullò laxiorem. Scripſi de his Cellis, *Saturn.* I. *cap.* XIV.

168. VESTIARIVM.] *Pecuniam ad veſtem. vt Salarium, Vaſarium, Calcearium, Congiarium, ad ſalem, vaſa, calceos, congios. Vide De Benefic.* III. *cap.* XXI.

169. VLLI DEBET.] *Id eſt, qui ſeruos & familiam non habet, quibus hæc & illa præbeat. Sibi vni debet, ſe tueri & alere: & legem ſibi, quam vult, dicit.*

170. PVSILLA.] *Pleraque ſcripta lectio*, imbecilla. *quædam*, in bello. *& aſſentior Pinciano* in bella *corrigenti. Aptiores ſunt ad militiam, non prægrandes illi & fluidi, ſed modici magis & ſtricti.*

D 171. CONTRAHI.] *Virgilius:*

—— bellis acer Haleſus
Tendit in aduerſum, ſeq; in ſua colligit arma.

172. PECVNIÆ MODVS.] *Seneca epiſt.* 11. Quis ſit pecuniarum modus, quæris? primus, habere quod neceſſe eſt: proximus, quod ſat eſt. *Plato interrogatus*, πόσην δεῖ οὐσίαν ἔχειν; εἶπεν, ὅσην ἔχων οὔτ' ἐπιβουλεύθήσῃ, οὔτε τῇ σῇ ἀναγκαίων ἀπορήσεις: quantas opes habere oporteret? Tantas, inquit, vt nec inſidijs exponare, nec rurſum neceſſarijs deſtituare. *At Epictetus*, modum opum, *ſtatuit* corpus eſſe, ſicut pedem calcei. Vt hic non debet maior eſſe, ita non ille amplior naturalibus corporis deſiderijs.

CAP. IX. 173. VSV RERVM.] *Inſpicere & æſtimare, quod ad vſum facit, nõ ad nudum ornatum.*

174. NOSTRIS INNITI.] *Non alienis humeris in lectica ferri, ſeruis ſuccollantibus.*

175. GVLAM TEMP.] *Quidam libri*, gloriam: *vt meus.*

176. ETIAMSI NOS.] *E veteri variante lectione cum Pinciano faciam*: etiamſi ſimiles nos pudebit eſſe populo.

177. A NOBIS POTIVS.] *Ab animo. Noſter:* Quæ ſunt maximæ diuitiæ? non deſiderare diuitias. Quis plurimum habet? qui minimum cupit. *Auſonius*:

Ex animo rem ſtare, æquum puto; non animum ex re.
Cuncta cupit Crœſus, Diogenes nihilum.

178. MAGNA ARMAMENTA.] *Pulchrè hoc à nauibus. quod idem rotundè Apuleius*: Immodicæ diuitiæ, velut ingentia & enormia gubernacula, faciliùs mergunt quàm regunt. *Idem & aliâ imagine:* Fortunam, velut tunicam, concinnam magis probare, quàm longam. *Quod ante eum Democrates:* Αἱ μὲν ποδήρεις ἐσθῆτες τὰ σώματα, αἱ δὲ ὑπέρμετροι οὐσίαι τὰς ψυχὰς ἐμποδίζουσι: Longæ veſtes corpora, & immodicæ diuitiæ animum impediunt.

179. SINE POPVLO.] *Multitudine conuiuarum.*

180. INTERIVS FLECT.] *Citeriùs, non vlteriùs.*

bibliothecas, quarum dominus vix totâ vitâ suâ indices perlegit? Onerat discentem tur- A
ba, non instruit: multoque satius est [181] paucis te auctoribus tradere, quàm errare per
multos. [182] Quadringenta millia librorum Alexandriæ arserunt, pulcherrimum regiæ
opulentiæ monumentum. alius laudauerit, sicut [183] Liuius, qui *elegantiæ regum curæque*
egregium id opus ait fuisse. Non fuit elegantia illud, aut cura, sed studiosa luxuria: imò ne
studiosa quidem. quoniam non in studium, sed in spectaculum comparauerant: sicut
plerisque ignaris etiam [184] seruilium litterarum, libri non studiorum instrumenta, sed
cœnationum ornamenta sunt. Paretur itaque librorum quantum satis sit, nihil in appa-
ratum. Honestiùs, inquis, in hos impensas, quàm in [185] Corinthia pictasque tabulas ef-
fuderim. Vitiosum est vbique, quod nimium est. Quid habes [186] cur minùs ignoscas
nomen marmore atque ebore captanti, quàm [187] opera conquirenti aut ignotorum au-
ctorum, aut improbatorum, & inter tot millia librorum oscitanti? cui voluminum suo-
rum [188] frontes maximè placent, titulique? Apud desidiosissimos ergo videbis, quicquid
orationum historiarumque est, & tecto tenus exstructa loculamenta. iam enim inter B
[189] balnearia & thermas, bibliotheca quoque, vt necessarium domus ornamentum expo-
litur. Ignoscerem planè, si è studiorum nimiâ cupidine oriretur: nunc ista exquisita, &
[190] cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum, in speciem & cultum
X. parietum comparantur. At in aliquod genus vitæ difficile incidisti, & tibi igno-
ranti vel publica fortuna, vel priuata laqueum impegit, quem nec soluere possis, nec ab-
rumpere. Cogita compeditos primò ægrè ferre onera, & impedimenta crurum: [191] de-
inde vbi non indignari illa, sed pati proposuerunt, necessitas fortiter ferre docet, consue-
tudo facilè. Inuenies in quolibet genere vitæ oblectamenta, & remissiones, & voluptates,

Nam artis in Circo, currum introrsum flectere ad ipsas metas, nec tamen impingere aut euertere. Statius:

Sperauit flexæ circum compendia metæ,
Interiùs ductis Phœbeius augur habenis,
Anticipasse viam.

Virgilius in nauali certamine: - dum proram ad saxa suburget Interior. *vbi Seruius explicat,* Sinisterior: *quia nempe ad sinistram hic flexus. Sed sæpè, vt dixi, impingebant. ideò Cicero:* In illo flexu ætatis, hæsit ad metam. *Et Horatius in laude:*

- metaque feruidis Euitata rotis. *Ergo sententia Senecæ, in omni vitâ non laxè decurrendum, nec exspatiandum esse: sed res contrahendas, & adductis habenis metam stringendam.*

181. PAVCIS TE AVCT.] *Salubria præcepta: sed quæ vberiùs & ex professo noster ingerit, epist.* II.

182. QVADRINGENTA.] *Imò alij amplius. nam Agellius lib.* VI. *cap. vlt.* A Ptolomæis regibus ad millia voluminum septingenta, *collecta tradit. Vide nos in Syntagmate, De Bibliothecis, cap.* II.

183. LIVIVS.] *Qui hoc dixit hauddubiè, vbi de eius conflagratione, ciuili Pompeiano bello.*

184. SERVILIVM LITT.] *Quas vel serui sciunt, vt legere, scribere, & quæ communis vsus requirit. Viri aliquot docti retulerunt ad* stigmata & notas seruis inustas: *quasi nec eas possent legere: mihi non rectè.* Seruiles litteras, *non nisi* Liberalibus, *id est libero dignis, & interioribus illis elegantioribusque palàm opponit.*

185. CORINTHIA.] *Vasa ex illo ære laudato, contra vel supra aurum caro.*

186. CVR MINVS IGNOSC.] *Valdè aliter ista prisci libri. Quidam,* cur ignoscas homini armario atque ebore captanti corpora conquirenti. *Alij (vt bonus ille meus)* cur ignoscas homini armarium cedro atque ebore captanti, corpora. *Ex quo bellissimè lego:* Quid est, cur ignoscas homini armarium *(siue* armaria*)* cedro atque ebore aptanti, corpora conquirenti, *&c. Ad instructum Bibliothecæ veteris facit hæc ita legi, & sciri: de quo nos, in opere iam dicto, Cap.* IX. C

187. OPERA.] *Veteres,* corpora: *nec reijciam, vt figuratè & translatione sic appellet totos ipsos libros & scripta.*

188. FRONTES TITVLIQVE.] *Nam hæc poliebant, & ornabant. Martialis:* Et frontis gemino decens honore. *Ouidius:* Candida nec nigrâ cornua fronte geras. *Quod autem ad* Titulos, *minio aut cocco notabant. Idem Ouidius:* Nec titulus minio, nec cedro charta notetur. *Et Martialis:* Et cocco rubeat superbus index.

189. BALNEARIA.] *Ipsas balneas. Nota autem, in locis secessuum aut exercitationum, etiam Bibliothecas fuisse, ne vsquam operari non esset Musis. Nisi tamen sententia, æquè ac balneas, strui iam Bibliothecas.*

190. CVM IMAGINIBVS.] *Plinius* XXXV. D
Non est prætereundum & nouitium inuentum. siquidem non solùm ex auro argentóve, aut certè ex ære, in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in ijsdem locis loquuntur: quinimò etiam, quæ non sunt, finguntur, pariuntque desideria non traditi vultus. sicut in Homero euenit. Asinij Pollionis hoc Romæ inuentum, qui primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit. *Ego adfatim in De Bibliothecis.*

CAP. X. 191. DEINDE VBI.] *Poëta:* Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

192. SI

A tes,[192] si nolueris malam putare vitam potiùs, quàm inuidiosam[193] facere. Nullo melius nomine de nobis natura meruit, quàm quòd cùm sciret, quibus ærumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consuetudinem inuênit, citò in familiaritatem grauissima adducens. Nemo duraret, si rerum aduersarum eamdem vim assiduitas haberet, quam primus ictus. Omnes cum fortunâ[194] copulati sumus. aliorum[195] aurea cathena est, & laxa: aliorum arcta & sordida. Sed quid refert? eadem custodia vniuersos circumdedit:[196] alligatique sunt etiam qui alligauerunt. nisi tu fortè leuiorem in sinistrâ cathenam putas. Alium honores, alium opes vinciunt: quosdam nobilitas, quosdam humilitas premit: quibusdam aliena supra caput imperia sunt,[197] quibusdam sua: quosdam exsilia[198] vno loco tenent, quosdam[199] sacerdotia. Omnis vita seruitium est. Assuescendum itaque conditioni suæ, & quamminimùm de illâ querendum: & quidquid habet circa se commodi, apprehendendum est. Nihil tam acerbum est, in quo non æquus animus solatium inueniat. Exiguæ sæpè areæ in multos vsus describentis arte patuere, &
B quamuis angustum[200] pedem dispositio fecit habitabilem. Adhibe rationem difficultatibus: possunt & dura molliri, & angusta laxari, & grauia scitè ferentes minùs premere. Non sunt præterea cupiditates in longinquum mittendæ, sed in vicinum illis egredi permittamus, quoniam includi ex toto non patiuntur. Relictis his, quę aut non possunt fieri, aut difficulter possunt,[201] propè posita, spei; nostrę[202] alludentia sequamur: sed sciamus, omnia æquè leuia esse, extrinsecus diuersas facies habentia, introrsus pariter vana. Nec inuideamus altiùs stantibus: quæ excelsa videntur, prærupta sunt. Illi rursus, quos sors iniqua in ancipiti posuit, tutiores erunt superbiam detrahendo rebus per se superbis, & fortunam suam quammaximè poterunt,[203] in planum deferendo. Multi quidem sunt, quibus necessariò hærendum sit in fastigio suo, ex quo non possunt,[204] nisi cadendo descendere: sed hoc ipso testentur, maximum onus suum esse, quòd alijs graues esse cogantur, nec subleuatos se, sed[205] suffixos: iustitiâ, mansuetudine,[206] humanâ lege, & benignâ manu, præparent multa ad[207] sequentes casus præsidia, quorum spe securiùs
C

192. SI NOLVERIS.] *Ego fateor me hæc non capere. Faciebam*, si nolueris malam putare vitam, potiusque inuidiosam facere. *Si non putabis & statues tecum vitam hanc malam, nec miserationi eam, sed inuidiæ expones. Quid enim aliud in miserrimâ eâ (pro vulgi sensu) fecit Diogenes? Et meus quidem codex à vulgatâ non abit, nisi quòd* viam *pro* vitam *scribat. Alij aliter. vnus apud me*, si volueris malè *(suprà*, mala) te puta potiùs quàm inuidiosa facere. *Pinciani*: si volueris malam putare potiùs vitam, quàm inuidiosam facere. *Gruteri haud longè ab istis, nec lubet referre.*

193. FACERE.] *Potes hoc verbum capere pro illo, Agere. atque ita sensus sit, Si nolueris putare te malam vitam agere, sed potiùs inuidiosam. Verbo* Faciendi *ita Alfenus vsus*: Is seruus fugerat, & annum in fugâ fecerat. *Papinianus*: Ne sibi computarentur dies, quos in custodiâ fecisset. *Inscriptio vetus*: Cum marito fecit menses v. *Et Græci ita suum* ποιεῖν.

194. COPVLATI SVMVS.] *Imago à custodiâ militari. in quâ rei aut noxij ligabantur cathenâ ad brachium sinistrum militis custodis, ipsi adstricti in dextro.*

195. AVREA.] *Puta regum, Principum, diuitum.*

196. ALLIGATIQVE SVNT.] *Idem epist.* v. Quemadmodum eadem catena & custodiam *(id est reum, qui custoditur)* & militem copulat; sic ista, quæ tam dissimilia sunt, pariter incedunt. *Plura ego ad* III. *Annal. Taciti.*

197. QVIBVSDAM SVA.] *Potest duplex esse sententia. Siue, alij alijs seruiunt; quidam sibi, & affectibus suis. Siue etiam, alij premuntur alieno imperio; quidam grauantur suo, vt Principes & magistratus, quibus ipsi honores onera & sarcinæ sunt.*

198. VNO LOCO.] *Quod propriè de* relegatis *in certum locum, eoq; clausis, verum.*

199. SACERDOTIA.] *Nam* Flamini Diali *(exempli caussâ)* noctem vnam manere extra vrbem nefas. *Simile in Flamine Martiali, Quirinali, olim: nec licitum ijs extra Italiam ire, ne sacra desererentur. Apud Græcos, alioq; Barbaros talia.*

200. PEDEM.] *Pedaturam*, ποδισμόν. *An* pedem *etiam pro solo & areâ capimus? quia id ædificij & corporis scilicet imum, & cui stat innixum.*

201. PROPE POSITA.] *De Irâ*, III. *cap.* VII. In vicinum spes exeat. *adde.*

202. ALLVDENTIA.] *Quæ velut se offerunt blandè, & ostentant.*

203. IN PLANVM.] *Ex alto, in humile & æquum.*

204. NISI CADENDO.] *De Clement.* I. *cap.* VIII.

205. SVFFIXOS.] *Vt Prometheus ille in rupe: vt cruciarius aliquis in ligno.*

206. HVMANA LEGE.] *Vox* legis *parùm conuenit. libri*, humana largè. *Fuerit*, humanitate, largâ & benignâ manu.

207. SEQVENTES.] *Id est, sequiores tristioresq;. Libri tamen scripti* secundos: *nec spernam omnino. Vti* sequens, & secundarius panis, *opponuntur primarijs.*

riùs pendeant. Nihil tamen æquè hos ab his animi fluctibus vindicauerit, quàm semper A
aliquem incrementis terminum figere: nec fortunæ arbitrium desinendi dare, sed seip-
sos, multo quidem citra extrema, hortentur consistere. Sic & aliquę cupiditates animum
XI. acuent, sed finitæ: non in immensum incertumque producent. [208] Ad imperfectos
& mediocres, & malè sanos, hic meus sermo pertinet, non ad sapientem. Huic non timi-
dè, nec pedetentim ambulandum est. tanta enim fiducia sui est, vt obuiam fortunæ ire
non dubitet, nec vnquam loco illi cessurus sit: nec habet vbi illam timeat: quia non
mancipia tantùm, possessionesque, & dignitatem, sed corpus quoque suum, & oculos, &
manum, & quidquid est cariorem vitam facturum, seque ipsum inter [209] precaria nu-
merat, viuitque vt commodatus sibi, & reposcentibus sine tristitiâ redditurus. Nec ideò
est vilis sibi, quia scit se suum non esse: sed omnia tam diligenter faciet, tam circum-
spectè, quàm religiosus homo sanctusque solet tueri [210] fidei commissa. Quandocum-
que autem reddere iubebitur, non queretur cum fortunâ: sed dicet: Gratias ago pro eo
quòd possedi, habuique. [211] Magnâ quidem res tuas mercede colui: sed quia imperas, B
cedo gratus libensque. si quid habere me tu volueris, etiam nunc seruabo: si aliud pla-
cet, ego verò [212] factum signatumque argentum, domum, familiamque meam reddo,
restituo. Appellauerit natura, quæ prior nobis credidit. & huic dicemus, Recipe ani-
mum [213] meliorem quàm dedisti: non tergiuersor, nec refugio. paratum habes à volen-
te, quod non sentienti dedisti. aufer. Reuerti [214] vnde veneris, quid graue est? malè vi-
uet, quisquis nescit benè mori. Huic itaque primum rei pretium detrahendum est, &
spiritus [215] inter seruitia numerandus. *Gladiatores* ([216] ait Cicero) [217] *inuisos habemus, si omni modo vitam impetrare cupiunt: fauemus, si contemptum eius præseferunt*: idem euenire nobis
scias. Sæpè enim caussa moriendi est, timidè mori. Fortuna illa quæ ludos sibi facit,
Quò, inquit, te reseruem, malum & trepidum animal? eò magis conuulneraberis &
confodieris, quia nescis præbere iugulum. At tu & viues diutiùs, & morieris expeditiùs,
qui ferrum non subductâ ceruice, nec manibus oppositis, sed animosè recipis. Qui mor-
tem timebit, nihil vmquã pro homine [218] viuo faciet. at qui scit, hoc sibi cùm concipere- C
tur, [219] statim condictum, viuet ad formulam: & simul illud quoque eodem animi ro-
bore prestabit, ne quid ex his quæ eueniunt, subitum sit. [220] Quidquid enim fieri potest,
quasi futurum prospiciendo, malorum omnium impetus molliet. qui ad præparatos ex-
spectantesque nihil afferunt noui: securis, & beata tantùm spectantibus, graues eueniunt.
Morbus enim, captiuitas, ruina, ignis, nihil horum repentinum est. Sciebam in quàm
tumultuosum me [221] contubernium natura clusisset. totiens in viciniâ meâ [222] concla-
matum

CAP. XI. 208. AD IMPERFECTOS.] *Alij libri*, imperitos: *at meus vtrumque iungit*, Ad imperitos, imperfectos, & mediocres. *Tamen alterum redundat: &* imperiti, *ἀπαίδευτοι*, *Stoicâ linguâ sunt plebeij, nec sapientes.*

209. PRECARIA.] *Habet inter res non proprias, sed vsu datas. Nam definiunt*, Precarium esse, quod precibus vtendum datur, quamdiu is qui concedit patitur.

210. FIDEI COMMISSA.] *Quæ* non ciuilibus verbis *(aiunt Ic.)* sed precatiuè relinquuntur: *pendentq; ex fide & pudore heredum.* A te heres peto, fideique tuæ committo, vt hereditatem reddas restituas *illi, atque illi.*

211. MAGNA MERCEDE.] *Magnâ meâ impensâ & curâ tempus triui, ingeniũ & sensus in ijs occupaui.*

212. FACTVM.] *Opere & arte factum. Opponitur Rudi. Verba ex formulâ videntur.*

213. MELIOREM.] *Virtute & sapientiâ factum.*

214. VNDE VENERIS.] *In cælum & astra, quorum pars (Stoico dogmate) animus.*

215. INTER SERVITIA.] *Omnes scripti, & bonus ille meus:* in seruitia. *Facimus*, inter vilia.

216. AIT CICERO.] *In eâ pro Milone.*

217. INVISOS HABEMVS.] *Vide me Saturn. II. cap. XXII.*

218. VIVO.] *Vnus è meis* vilius: *nec displiceat ex eo*, viuus. *Pro homine, esset dignum homine.*

219. STATIM.] *Fortè*, statum. *ex veteri formulâ*: Status, condictus cum hoste dies. D

220. QVIDQVID ENIM FIERI.] *Dogma perutile, & vtinam mentibus firmiter inserendum! Socrates aiebat*: Ὥσπερ οἱ ἐν εὐδίᾳ πλέοντες, καὶ τὰ πρὸς τὸν χειμῶνα ἔχουσιν ἕτοιμα· ἕτως οἱ ἐν εὐτυχίᾳ φρονοῦντες, καὶ τὰ πρὸς τὴν ἀτυχίαν ἡτοιμάκασι βοηθήματα: Sicut ij qui in tranquillo & sereno nauigant, parata etiam instrumenta habent, quæ in tempestate sint vsui: sic qui in bonâ fortunâ sapiunt, contra aduersam auxilia expediunt.

221. CONTVBERNIVM.] *In domum me clausum, in quâ luctus, curæ, miseriæ cohabitarent.*

222. CONCLAMATVM EST.] *Super mortuo & funere.*

223. FAX

A matum est, totiens præter limen immaturas exsequias [223] fax cereusque præcessit: sæpè altiùs ruentis ædificij fragor sonuit: multos ex his quos forum, curia, sermo, mecum contraxerat, nox abstulit, & vinctas ad sodalitium manus [224] copulatas intercîdit. Mirer aliquando ad me pericula accessisse, quæ circa me semper errauerunt? Magna pars hominum est, quæ nauigatura, [225] de tempestate non cogitat. Numquam me in bonâ re mali pudebit auctoris. [226] Publius tragicis comicisque vehementior ingeniis, quotiens mimicas ineptias, & verba ad [227] summam caueam spectantia reliquit, inter multa alia [228] cothurno, non tantùm [229] sipario, fortiora, & hoc ait:

[230] *Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest.*

Hoc si quis in medullas demiserit, & omnia aliena mala, quorum ingens quotidie copia est, sic adspexerit, tamquam illis liberum & ad se iter sit: multò antè se armabit, quàm petatur. Serò animus ad periculorum patientiam, post pericula, instruitur. Non putaui hoc futurum. numquam hoc euenturum credidissem. Quare autem non? Quæ sunt di-
B uitiæ, quas non egestas, & fames, & mendicitas à tergo sequatur? Quæ dignitas, cuius non prætextam, & [231] augurale, & [232] lora patricia, & sordes comitentur, & [233] exportatio, & notæ, & mille maculæ, & extrema contemptio? Quod regnum est, cui non parata sit ruina, & proculcatio, & dominus, & carnifex? nec magnis ista interuallis diuisa, sed horæ momentum interest [234] inter solium, & aliena [235] genua. Scito ergo, omnem condicionem versabilem esse: & quidquid in vllum incurrit, posse in te quoque incurrere. Locuples es? numquid ditior [236] Pompeio? cui cùm Caius vetus cognatus, hospes nouus, [237] aperuisset Cæsaris domum, [238] vt suam cluderet, defuit panis & aqua: cùm [239] tot

223. FAX CEREVSQVE.] *Scribo ad cap. vltimum De Breuitate vitæ.*

224. COPVLATAS.] *Melius* Copulatasque, *pro hac quidem lectione. Repperi in orâ vnius libri,* Capulus: *nempe ille feralis & funebris. At ego ex le-*
C *ctione veteri eruam:* & vinctâ ad sodalitium manu, copulatus intercidit. *Cum quo manus vinxisti ad ambulandum, siue & quicum amicitiam datis dextris iunxisti; ille deseruit, & subitâ morte cecidit.*

225. DE TEMPESTATE.] *Est imago, quam iam è Socrate protuli.*

226. PVBLIVS.] Syrus, *patriæ cognomento: cuius paucæ sententiæ, sed probæ, exstant.*

227. SVMMAM CAVEAM.] *Ad minutam plebem: cuius in theatris ibi locus. Nos in Amphitheatro.*

228. COTHVRNO.] *Tragœdijs.*

229. SIPARIO.] *Festus:* Siparium, genus veli mimicum. *Iuuenalis:* -vocem Damasippe locasti Sipario. *Apuleius:* Aulæum tragicum remoueto, & siparium scænicum complicato. *Tertullianus contra Valentin. cap.* I. & XIV.

230. CVIVIS POTEST.] *Simillimè Xenophon:*
D Πάντα ἄνθρωπον δεῖ προσδοκᾶν ἅπαντα: Quemque hominem quæcumque exspectare conuenit. *Phocyllides:*

Κοιναὶ πάθη πάντων· ὁ βίος, τρόχος· ἄσατος ὄλβος:

Communes casus; vita, orbis; & instabilis sors.

231. AVGVRALE.] *Quid vocis aut rei, nescio. An* Auguralem *legimus, & vestem purpuramq; sacerdotum capimus? An lituum accipimus, Augurum insigne?*

232. LORA PATRICIA.] *Mulleos, siue lunatos patriciorum calceos. Statius:*

Patriciaque puer signat vestigia Lunâ.

Si tamen & hæc lectio certa. Sunt qui de Bullâ *capiant: malè. ingenuorum enim ea, non tantùm patriciorum. Denique ex auro (excipio libertinos) non loro. Tria videtur iungere, Magistratus, Sacerdotes, Nobiles.*

233. EXPORTATIO.] *In insulas, quæ* Deportatio *magis dicta. Suspicabar &* Exsputatio, *contemptus extremi signum.*

234. INTER SOLIVM.] *Thronum regium, sublimem sedem. Virgilius:*

Præfatus diuos, solio rex infit ab alto.

235. GENVA.] *Sententia. Horæ spatio hæc verti ita possunt, vt qui in alto sedisti vitæ arbiter, cuius genua supplices tangebant; idem deiectus, aduoluare aliena genua. Plinius:* Hæc *(genua)* supplices tangunt, ad hęc manus tendunt, hæc vt aras adorant.

236. POMPEIO.] *Muretus* Ptolomæo *vellet. Et verò opum causâ interfectum eum Dio & Zonaras notant: sed* interfectum (ἀποκτείνειν *vox Græca est) non inediâ & simulatione benuolentiæ sublatum. Adde, quòd de hoc Ptolomæo mox nominatim: neque verisimile, bis eumdem hominem iteratum. Denique ordine suo de* Diuitibus *tantùm hîc præmittit; mox de* Dignitate *præditis; tum de* Regibus, *vt in monitis iam posuerat. Itaque* Pompeium *aliquem intellegi, ciuem Rom. & Senatorem verius: an filium* Sexti *illius* Pompeij, *qui Consul cum* Sex. Apuleio, *vltimo Augusti anno fuit? Nam hîc dicitur*, cognatus Caij *fuisse: atquin & ille* cognatus Augusti, *Dioni. Ita enim libro* LVI. *cùm istos nominasset:* Ἐκεῖνοι γὰρ συγγενεῖς τῷ Καίσαρος Αὐγούστῳ ὄντες ἦρχον: Nam illi, cognati cùm essent Cæsaris Augusti, magistratum gerebant. *Itaque hoc de* cognatione *conueniat: & de filio, quàm de ipso potiùs, qui mortuus videtur in Tiberij adhuc Principatu. Colliges ex Valerij libro* IV. *cap.* VII.

237. APERVISSET.] *In Palatium suum, velut per honorem, recepisset: vt contubernalis ei esset.*

238. VT SVAM.] *Meus,* & suam. *Vtrouis modo,*

239 tot flumina possideret in suo orientia, & in suo cadentia, mendicauit stillicidia: 240 fa- A
me ac siti perijt, in palatio cognati, dum illi 241 heres 242 publicum funus esurienti locat. Honoribus summis functus es? numquid aut tam magnis, aut tam insperatis, aut tam vniuersis, quàm Seianus? 243 Quo die illum senatus deduxerat, populus 244 in frusta diuisit: in quem quidquid congeri poterat, dij hominesque contulerant; ex eo nihil superfuit, quod carnifex 245 traheret. Rex es? non ad Crœsum te mittam, qui rogum suum & 246 escendit iussus, & extingui vidit, factus non regno tantùm, sed etiam 247 morti suæ superstes: non ad Iugurtham, quem populus Romanus 248 intra annum quàm timuerat, spectauit. Ptolemæum Africæ regem, Armeniæ Mithridatem, inter Caianas custodias vidimus. 249 alter in exsilium missus est: 250 alter vt 251 meliori fide mitteretur, optabat. In tantâ rerum, sursum ac deorsum euntium, versatione, si non quidquid fieri potest, pro futuro habes, das in te vires rebus aduersis: quas infregit, quisquis prior vidit. Proximum ab his erit, ne aut in superuacuis, aut 252 ex superuacuo laboremus: id est, ne aut quæ non possumus consequi, concupiscamus: aut adepti, cupiditatum vanitatem B
nostrarum serò, post multum pudorem, intelligamus. id est, ne aut labor irritus sine effectu sit, aut effectus labore indignus. Ferè enim ex his tristitia sequitur, si aut non successit, aut successus pudet. XII. Circumcidenda est concursatio, qualis est magnæ parti hominum, domos, & theatra, & fora pererrantium. Alienis se negotijs offerunt, semper aliquid 253 agentibus similes. Horum si aliquem exeuntem domo interrogaueris: *Quò tu? quid cogitas?* respondebit tibi: *Non mehercule scio: sed aliquos videbo, aliquid agam.* Sine proposito vagantur, quærentes negotia: nec quæ distinauerunt, agunt, sed in quæ incurrerunt. Inconsultus illis vanusque cursus est. qualis formicis, per arbusta repentibus; quæ in summum cacumen, deinde in imum inanes aguntur. His plerique similem vitam agunt, quorum non immeritò quis 254 inquietam inertiam dixerit. Quorun-

suam *valet* eius. *Sententia est, Ideò recepit in suam domum, vt tamquam heres domum eius clauderet & obsignaret.*

239. TOT FLVMINA.] *Si de rege, nihil miri: imò & plura addidisset. Sed est de priuati hominis opibus, quæ olim tantæ. Noster epist.* LXXXIX. Ager vni domino, qui populũ cepit, angustus est. Quousque arationes vestras porrigetis, ne PROVINCIARVM quidem satione contenti circumscribere prædiorum modum? Illustrium FLVMINVM per priuatum decursus, & AMNES MAGNI, magnarumque gentium termini, VSQVE AD OSTIVM A FONTE, vestri sunt. Hoc quoque parum est, nisi latifundijs MARIA CINXISTIS, nisi trans Hadriaticum, & Ionium, & Ægeum, vester villicus regnet. *Adde De Benef.* III. *cap.* VIII. *item Admiranda nostra, lib.* II.

240. FAME AC SITI.] *Non ergo propriè interfectus, aut* percussus: *quo verbo Suetonius in illo Ptolomæo vsus, cap.* XXXV.

241. HERES.] *Caius.*

242. PVBLICVM FVNVS.] *Per honorem. Ita enim ludebat hic homo (si ita appellandus) & mori eum coëgit, se herede: & publicis deinde exsequijs, quasi fato suo functum, honestauit. Mirum in Suetonio aut Dione hanc rem non tangi: sed quis omnia eius monstri scelera?*

243. QVO DIE.] *Nam putabatur Tribuniciâ potestate, id est, consortio & successione imperij donandus (Dionem vide:) atque ita lætus, & magno comitatu, in Senatum venit. ibi retentus, & in vincula mox datus.*

244. IN FRVSTA.] *Cadauer eius in Gemonias abiectum, totum triduum iacuit, & populus illusit.*

245. TRAHERET.] *Vnco, vlteriùs in Tiberim.*

246. ESCENDIT IVSSVS.] *Ex quibusdam libris scribam:* rogum suum & accendi, rursus & exstingui. *Nec displiceat alia lectio:* & accendi viuus & C
exstingui. *Vtrumque horum ad historiam, quam in Herodoti* I. *habes.*

247. MORTI SVPERST.] *Superfuit non regno solùm, cùm id sibi perisset; sed pænè morti, quam certam decretamq; effugit.*

248. INTRA ANNVM.] *Haud ita verè. imò quinto denique anno, quàm cæptum bellari cum eo, debellatum est: & ipse à C. Mario triumphatus.*

249. ALTER IN EXSIL.] *Nempe Mithridates. Tacitus* XI. *Annalium:* Mithridates, quem imperitasse Armenijs, & ad præsentiam C. Cæsaris vectum vinctumque memoraui *(in libris, qui perierunt:)* monente Claudio, in regnum remeauit. *Idem in Dionis* LX.

250. ALTER.] *Ptolomæus, Iubæ F. & M. Antonij ex Selenâ filiâ nepos: ideoq; Caio consobrinus. Suetonius Calig. cap.* XXVI. *Dio* LX.

251. MELIORI FIDE.] *Apparet ergo damnatum quidem exsilio, sed per viam interfectum. Itaque optabat mitti in exsilium, sed bonâ fide.* D

252. EX SVPERVACVO.] *In vanum, & vbi non opus. Liuius lib.* II. Ad præcauendum vel ex superuacuo.

CAP. XII. 253. AGENTIBVS SIMILIS.] *Qui sunt φιλοπράγμονες μᾶλλον, ἢ πολυπράγμονες:* negotia amantes potiùs, quàm agentes; *vt Græci elegantur dicunt. Noster alibi* Satagios *id genus appellat.*

254. INQVIETAM INERT.] *Ita Horatius:* Strenua nos exercet inertia.

255. AVT

A rundam,quasi ad incendium currentium, misereberis: vsque eò impellunt obuios, & se
alioſque præcipitant: cùm interim cucurrerint, aut salutaturi aliquem non resalutaturum, aut funus ignoti hominis prosecuturi, [255] aut iudicium sæpè litigantis, aut sponsalia sæpè nubentis, & lecticam assectati, quibusdam locis & [256] ipsi tulerint. deinde domum cum superuacuâ redeuntes lassitudine, iurant nescisse seipsos, quare exierint, vbi fuerint, postero die erraturi per eadem illa vestigia. Omnis itaque labor aliquò referatur, aliquò respiciat. [257] Non industria inquietos, & insanos, sed falsæ rerum imagines agitant. nam ne illi quidem sine aliquâ spe mouentur, proritat illos alicuius rei species, cuius vanitatem capta mens non coarguit. Eodem modo vnumquemque ex his, qui ad augendam turbam exeunt,inanes & leues causse per vrbem circũducunt, nihilq; habentem in quo laboret, [258] lux orta expellit: & cùm multorum frustra liminibus [259] illisus nomenclator persalutauit,à multis exclusus, neminẽ ex omnibus difficiliùs domi, quàm se,conuenit.Ex hoc malo dependet illud tęterrimum vitium,auscultatio,& publicorum
B secretorumq; inquisitio,& multarum rerum scientia,[260] quę nec tutò narrantur,nec tutò audiuntur. Hoc secutum puto Democritum, [261] ita cœpisse: *Qui tranquillè volet viuere, nec priuatim agat multa, nec publicè:* ad superuacua scilicet referentem. Nam si necessaria sunt, & priuatim & publicè, non tantùm multa, sed innumerabilia agenda sunt: vbi verò nullum officium solemne nos citat, inhibendæ actiones sunt. Nam qui mul- XIII.
ta agit, sæpè fortunæ potestatem sui facit: quam tutissimum est rarò experiri, ceterùm semper de illâ cogitare, & sibi nihil de fide eius promittere. Nauigabo, nisi si quid inciderit: & prætor fiam, nisi si quid obstiterit: & negotiatio mihi respondebit, nisi si quid interuenerit. Hoc est, quare sapienti nihil contra opinionem dicamus accidere. non illum casibus hominum excepimus, sed erroribus: nec illi omnia vt voluit cedunt,sed vt cogitauit. in primis autem cogitauit, aliquid posse propositis suis resistere. Necesse est autem leuiùs ad animum peruenire destitutæ cupiditatis dolorem, cui successum non vtique promiseris. Faciles etiam nos facere debemus, ne nimis destinatis rebus XIV.
C indulgeamus. [262] transeamus in ea,in quæ nos casus deduxerit: nec mutationes aut consilij

255. AVT IVDICIVM.] *Dictiunculâ insertâ legam*, aut ad iudicium.

256. IPSI TVLERINT.] *Ita solent officiosi isti: vbi turba, & arcta siue & sordida via. Martialis:*

Lecticam sellamque sequar? nec ferre recuso.
Per medium properas sed prior ire lutum.

257. NON INDVSTRIA.] *Pincianus ex coniecturâ*: Inanis industria inquietos, vt insanos, falsæ rer. imag.

258. LVX ORTA.] *Nam primo die salutabant. Martialis:*

Prima salutantes atque altera continet hora.

259. ILLISVS NOMENCLATOR.] *Tanquam ipse salutator Nomenclatoris vice fungatur, & nomine tantùm dicto (*Haue Marce*) abeat. Sed scripta lectio* nomenculatores *præfert. quasi nec Dominos quidem viderit, exclusus,& saltem salutarit Nomenclatores. Mihi videbatur*, illisum nomenclator resalutauit. *Dominus non resalutauit, mutus adstitit, sed eius vice Nomenclator. Siue & iocosè, Nomenclator resalutat ore domini, cui verbum indit.*

260. QVÆ NEC TVTO.] *Vt de regibus, de Principibus.*

261. ITA COEPISSE.] *Initium fecisse libri sui* περὶ εὐθυμίας, *siue De tranquillitate. Ipsa porrò Græca sunt in Stobæi Serm. De Felicitate:* Τὸν εὐθυμεῖσθαι μέλλοντα, χρὴ μὴ πολλὰ πράσσειν, μήτε ἰδίᾳ, μήτε ξυνῇ. μήδ' ὅσ' ἂν προσῇ, ὑπὲρ τε δύναμιν αἱρεῖσθαι τὴν ἑαυτῦ καὶ φύσιν: Qui tranquillè victurus est, eum nec priuatim nec publicè multa oportet agere: sed nec quæ adsunt & se dant, supra vires aut naturam tollere. *Claudit pulcherrimè:* Ἡ γὰρ εὐογκίη, ἀσφαλέστερον τῆς μεγαλογκίης: Parua enim moles aut sarcina, tutior semper magnâ & tumente. *Euripides consonat:*

Τὸ πολλὰ πράσσειν, οὐκ ἐν ἀσφαλεῖ βίῳ:
Res agere multas, tuta vitæ haud est via.

Iterúmque:

Ὅστις δὲ πράσσει πολλὰ, μὴ πράσσειν πρέπον,
Μώρος, παρὸν ζῆν ἡδέως ἀπράγμονα:
Qui multa agit, cùm non agere ea liberum,
Est stultus; in quiete viuere cui fiet.

At Plutarchus tamen in libello De tranquillitate hanc Democriti gnomen carpit: Ὁ μὲν εἰπὼν, ὅτι δεῖ τὸν εὐθυμεῖσθαι μέλλοντα, μὴ πολλὰ πράσσειν, μήτε ἰδίᾳ μήτε ξυνῇ, πρῶτον μὲν ἡμῖν πολυτελῆ τὴν εὐθυμίαν καθίστησι γινομένην ὠνίον ἀπραξίας: Qui dixit, tranquillum futurum non multa agere debere nec priuatim nec publicè; primùm is Tranquillitatem magno vęnalem proponit, vtpote inertiâ parabilem. *Carpat. mihi immota & sancta est: ac Seneca noster satis interpretatur. Adde eumdem De Irâ* III. *cap.* VI.

CAP. XIV. 262. TRANSEAMVS IN EA.] Ἀριστοτέλης εἶπεν· Ἐπειδὴ μὴ γίνεται τὰ πράγματα ὡς βουλόμεθα, δεῖ βούλεσθαι ὡς γίνεται. Aristoteles aiebat: Quandoquidem res non succedunt, vt volumus; at nos velimus, vt succedunt. *Aristonymi scitum:* Κυβερνήτου μὲν ἔργον ἀγαθοῦ, εἰς τὰς τοῦ πνεύματος μεταβολὰς ἁρμόσασθαι. ἀνδρὸς δὲ σοφοῦ,

silij aut status pertimescamus: dummodo nos leuitas, inimicissimum quieti vitium, non A
excipiat. Nam & pertinacia necesse est anxia & misera sit, cui fortuna sæpè aliquid extorquet: & leuitas multo grauior, nusquam se continens. Vtrumque infestum est tranquillitati, & nihil mutare posse, & nihil pati. Vtique animus ab omnibus externis in se reuocandus est. sibi confidat, se gaudeat, sua suspiciat: recedat, quantum potest, ab alienis, & se sibi applicet, damna non sentiat, etiam aduersa benignè interpretetur. Nuntiato [263] naufragio, Zeno noster, cùm omnia sua audiret submersa: [264] *Iubet*, inquit, *me fortuna expeditiùs philosophari.* Minabatur [265] Theodoro philosopho [266] tyrannus mortem, & quidem insepultam. *Habes*, inquit, *cur tibi placeas:* [267] *hemina sanguinis in tuâ potestate est. nam quod ad sepulturam pertinet, ô te ineptum, si putas interesse,* [268] *supra terram, an infra putrescam.* [269] Canius Iulus, vir in primis magnus, cuius admirationi ne hoc quidem obstat, quòd [270] nostro sæculo natus est, cum Caio diu altercatus, postquã abeunti [271] Falaris ille dixit, *Ne fortè ineptâ spe tibi blandiaris,* [272] *duci te iussi: Gratias*, inquit, *ago, optime princeps.* Quid senserit, dubito: multa enim occurrunt mihi. Contumeliosus esse vo- B
luit, & ostendere quanta crudelitas esset, in quâ [273] mors beneficium erat? An exprobrauit illi quotidianam dementiam? agebant enim gratias, & [274] quorum liberi occisi, & quorum bona ablata erant. An tamquam [275] libertatem libenter accepit? Quidquid est, magno animo respondit. Dicet aliquis: Potuit post hæc iubere illum Caius viuere. Non timuit hoc Canius. nota erat Caij in talibus imperijs [276] fides. Credísne illum, [277] decem medios vsque ad supplicium dies, sine vllâ sollicitudine exegisse? verisimile non est, quæ vir ille dixerit, quæ fecerit, quàm in tranquillo fuerit. Ludebat [278] latrunculis, cùm centurio agmen perituroru trahens, & illum quoque citari iubet. Vocatus, numerauit calculos, & sodali suo, *Vide*, inquit, *ne post mortem meam mentiaris te vicisse.* Tum annuens

πρὸς τὰς τῆς τύχης: Gubernatoris boni officium, ad ventorum mutationes se aptare; viri autem sapientis, ad fortunæ.

263. NAVFRAGIO.] *Cùm purpuram Tyro vænalem adueheret in Græciam, iuxta Pyræeum nauim fregit: atque annos natus* XXX. *ad Cratetem se applicauit.*

264. IVBET ME.] *Diogenes Laërtius effert:* Εὖ γε ποιεῖ ἡ τύχη, προσελαύνουσα ἡμᾶς φιλοσοφίᾳ: Benè Fortuna egit, quæ impulit me philosophari. *Et iterùm:* Νῦν εὐπλόηκα, ὅτε νεναυάγηκα: Nunc benè vectus sum, cùm nauem fregi.

265. THEODORO.] *Cyrenaicæ sectæ, & qui dÿs illudens* Atheus *cognominatus est.*

266. TYRANNVS.] *Lysimachus rex.*

267 HEMINA.] *Bellè dictum. & reuera eo modulo sanguinis educto, vita potest educi. Alÿ tamen libri*, vena sanguinis. *At Cicero* v. *Tuscul. & ex eo Valerius lib.* VI. *cap.* II. *aliter efferunt:* Enimuerò magnifica res tibi contigit, quia Cantharidis vim assecutus es.

268. SVPRA TERRAM.] *In cruce. siue insepultus,* ἑλῶδιον κύνεσι.

269. CANIVS.] *Libri scripti* Canus, *aut* Kanus: *& ita appellandus. Nam* Iulius *ei nomen fuit*, Canus *cognomen: quod tamen præponit Seneca, vt Tacitus, Plinius, Suetonius crebrò, more illius ævi. Meminit huius viri Boëtius Consolat. Philos.* I. *Prosâ* IV. Respondissem Cani verbo, qui cùm à C. Cæsare *(nempe Caligulâ)* Germanici F. conscius contra se factæ coniurationis diceretur; Si ego, inquit, scissem, tu nescisses. *Forte & argutum dictum. Ego si inter eos, ad rem citiùs, non ad verba issem. Et causam vnà carceris eius mortisq; discere, Coniurationis crimen; illius, nisi fallor, Lepidianæ: de quâ Suetonius in Caio, cap.* XXIV. *& Dio* LIX. *Est & alius* Canius *Martiali, Hieronymo, alÿsq;; sed diuersus ab isto, & in poëtarum classe.*

270. NOSTRO SÆCVLO.] *Nam vetera miramur tantùm: & magnâ virtute opus est, quæ præsentis inuidiæ nebulas perrumpat.* C

271. FALARIS.] *Benè. comparat Romanum tyrannum cum illo Siculo, & nomine eius signat. Vulgati tamen libri*, Falleris: *at vtrumque spreuerat Muretus.*

272. DVCI.] *Ad supplicium.*

273. MORS BENEFIC.] *Itaque gratias agebat, quasi iam absolutus, nec inter lentas illas mortes tractus. Sic Tiberius cuidam mortem petenti*, Nondum tecum in gratiam redij, *inquit.*

274. QVORVM LIBERI.] *Nam vt Panegyricus, in simili sæuitiâ, ait*: Fleri non licebat amissa, metu reliquorum. Serenos ergo nubilis mentibus vultus induebamus, & ad illorum vicem, qui deguſtato Sardorum graminum succo feruntur in morte ridere, imitabamur lætos mærentes.

275. LIBERTATEM.] *Hoc opinor, & dignum philosopho erat.* D

276. FIDES.] *Non solet reuocare sententias mortiferas, nec mitigare.*

277. DECEM MEDIOS.] *Ex Sc^to Tiberiano. de quo Suetonius in Tib. cap.* LXXV. Senatusconsulto cautum erat, vt pœna damnatorum in decimum diem semper differretur. *Causa in Dione lib.* LVII. *quia damnatio tunc ferè à Senatu: & Princeps sibi ius aliquod & cognitionem seruari etiam volebat. Vide nostra ad Taciti Annalem* III.

278. LATRVNCVLIS.] *Martialis:*

Insidiosorum si ludis bella latronum.

Vide in Epist. XCVIII.

279. PHI-

A nuens centurioni: *Testis*, inquit, *eris, vno me antecedere.* Lusisse tu Canium illâ tabulâ putas? illusit. Tristes erant amici, talem amissuri virum. *Quid mœsti*, inquit, *estis? Vos quæritis, an immortales animæ sint: ego iam sciam.* nec desijt, in ipso veritatem fine scrutari, & ex more suo quæstionem habere. Prosequebatur illum [279] philosophus suus: nec iam procul erat [280] tumulus, in quo Cæsari [281] Deo nostro fiebat quotidianum sacrum. *Quid*, inquit, *Cani nunc cogitas? aut quæ tibi mens est? Obseruare*, inquit Canius, *proposui illo velocissimo momento, an sensurus sit animus, exire se.* promisitque, si quid explorasset, circumiturum amicos, & indicaturum quis esset animarum status. Ecce in medià tempestate tranquillitas: ecce animus æternitate dignus, qui fatum suum in argumentum veri vocat: qui in vltimo illo gradu positus, exeuntem animam percontatur: nec vsque ad mortem tantùm, sed aliquid etiam ex ipsâ morte discit. Nemo diutiùs philosophatus. sed [282] non raptim relinquetur magnus vir, & [283] cum curâ dicendus. [284] dabimus te in omnem memoriam, clarissimum caput, Caianæ cladis [285] magna portio. Sed nihil prodest xv.

B priuatæ tristitiæ caussas abiecisse. Occupat enim nonnumquam [286] odium generis humani, & occurrit tot scelerum felicium turba, cùm cogitaueris, quàm sit rara simplicitas, quàm ignota innocentia, & vix vmquam, nisi cùm expedit, fides, & [287] libidinis lucra [288] damnaque pariter inuisa, & ambitio vsque eò iam se suis non continens terminis, vt [289] per turpitudinem splendeat. Agitur animus [290] in noctem, & velut euersis virtutibus, quas nec [291] sperare licet, nec [292] habere prodest, tenebræ oboriuntur. In hoc itaque flectendi sumus, vt omnia vulgi vitia non inuisa nobis, sed ridicula videantur: & [293] Democritum potiùs imitemur, quàm Heraclitum. Hic enim quoties in publicum processerat, flebat: ille ridebat. huic omnia quæ agimus, miseriæ; illi ineptiæ videbantur. Eleuanda ergo omnia, & facili animo ferenda. humanius est deridere vitam, quàm deplorare. Adijce, quòd de humano quoque genere meliùs meretur qui ridet illud, quàm qui luget. Ille spei bonæ aliquid relinquit: hic tamen stultè deflet, quæ corrigi posse desperat. & [294] vniuersa contemplatus, maioris animi est, qui risum non tenet, quàm qui lacri-

C mas. quando leuissimum affectum animi mouet, & nihil magnum, nihil seuerum, nec serium quidem, ex tanto apparatu putat. Singula, propter quæ læti ac tristes sumus, sibi quisque proponat, & sciat verum esse, quod Bion dixit, *Omnia hominum negotia similia* [295] *initijs esse, nec vitam illorum magis sanctam aut seueram esse,* [296] *quàm conceptus inchoatos.*

Sed

279. PHILOSOPHVS SVVS.] *Fortè*, vnus. *Etsi proceribus domi etiam Philosophi.*

280. TVMVLVS.] *An* Agger Tarquinij? *an extra vrbem potiùs locus, in quo Caius supplicia sumebat?*

281. DEO NOSTRO.] *Ludit amarè. nam Deus audire & haberi Caius volebat, atque adeò hostias sibi immolari. En, inquit, hostias nostri Saturni, humanas.*

282. NON RAPTIM.] *Suspectum. etsi sententia videtur: non esse raptim & in transcursu dicendum* D *magnũ virum. At verba examinata huc non faciunt.*

283. CVM CVRA.] *Sallustiana dictio, alibi iam notata.*

284. DABIMVS TE.] *Dedisti. per te quoque Canum nouimus, & noscemus, quamdiu listeris Romanis honos aut vita erit.*

285. MAGNA PORTIO.] *Ingentium damnorum, quæ orbi intulit, tu vnus magna pars.*

CAP. XV. 286. ODIVM.] *Vt in Timone aliquo* μισανθρώπῳ.

287. LIBIDINIS LVCRA.] *Cùm homines vides, qui per libidinem ditantur.* —— qui testamenta merentur Noctibus.

288. DAMNAQVE.] *Alios contrà, qui in amicæ sinum sua & se egerunt.*

289. PER TVRPIT.] *Famam in dedecore quærat, iactet se in ambitu & corruptelâ.*

290. IN NOCTEM.] *Id est, caligo oboritur, & mœstitia, fuga & odium rerum hominumq;.*

291. SPERARE LICET.] *In alijs, aut ab alijs.*

292. HABERE.] *In ipso se. non est ijs pretium.*

293. DEMOCRITVM POTIVS.] *Adde De Irâ*, II. *cap.* X.

294. VNIVERSA CONTEMPL.] *Nec malè*, vniuersè contemplanti, *nempe alteri alicui: vel*, vniuersè contemplatus.

295. INITIIS.] *Ita plerique scripti, & meus. assentior planè Pinciano*, mimicis, *ex eo facienti. Negotia hominum, sunt vt mimica:* nihil magnum, nihil seuerum, ac ne serium quidem ex tanto apparatu, *vt antè dixit. Poëta Græcus:*

Σκηνὴ πᾶς ὁ βίος καὶ παίγνιον:

Scena omnis vita est & iocus.

& communis adagio, Vita mimus. *Vide epistolam* LXXVII. *Alij tamen libri*, nuptijs. *ex quo aliquis*, nundinis *diuinet. Sanè Pythagoras dictitabat* τὸν βίον ἐοικέναι πανηγύρει: vitam adsimilem nundinis esse. ad quas alij certaturi venirent; alij negotiaturi; optimi quique spectaturi tantùm. *Quod ex eo etiam alibi Menander.*

296. QVAM CONCEPTVS.] *Scripti ferè*, conceptus

Sed ſatius eſt, publicos mores & humana vitia placidè accipere, nec in riſum, nec in A
lacrimas excidere. Nam alienis malis torqueri, æterna miſeria eſt: alienis delectari malis,
voluptas inhumana. ſicut illa inutilis humanitas, flere, quia aliquis filium efferat, &
frontem ſuam fingere. In tuis quoque malis id agere te oportet, vt dolori tantum des
quantum poſcit, non quantum conſuetudo. Plerique enim lacrimas fundunt, vt oſten-
dant: & toties ſiccos oculos habent, quoties [297] ſpectator defuit: turpe iudicantes, non
flere, cùm omnes faciant. Adeò penitus hoc ſe malum fixit, ex alienâ opinione pende-
re, vt in ſimulationem etiam ſimpliciſſima res, dolor veniat. Sequitur pars, quæ ſolet
non immeritò contriſtare, & in ſolitudinem deducere, vbi bonorum exitus mali ſunt.
Vt, Socrates cogitur in carcere mori, [298] Rutilius in exſilio viuere, Pompeius & Cicero
[299] clientibus ſuis præbere ceruicem: Cato ille, virtutum viua imago, incumbens gla-
dio, ſimul de ſe ac de Repub. [300] palàm facere. Neceſſe eſt torqueri, tam iniqua præmia
fortunam perſoluere. & quid ſibi quiſque nunc ſperet, cùm videat peſſima optimos pa-
ti? Quid ergo eſt? vide quomodo quiſque illorum tulerit: & ſi fortes fuerunt, ipſorum B
animos deſidera; ſi muliebriter & ignauè perière, nihil perijt. Aut digni ſunt, quorum
virtus tibi placeat: aut indigni, quorum deſideretur ignauia. Quid enim eſt turpius,
quàm ſi maximi viri timidos fortiter moriendo faciunt? Laudemus toties dignum lau-
dibus, & dicamus: [301] *Tanto fortior, tanto felicior!* humanos effugiſti caſus, liuorem,
morbum: exiſti ex cuſtodiâ: non tu dignus malâ fortunâ Dijs viſus es, ſed indignus in
quem iam aliquid fortuna poſſet. Subducentibus verò ſe, & in ipsâ morte ad vitam re-
ſpectantibus, [302] manus inijciendæ ſunt. Neminem flebo lætum, neminem [303] flen-
tem. ille lacrimas meas ipſe abſterſit; hic ſuis lacrimis efficit, ne vllis dignus ſit. Ego
Herculem fleam, quòd viuus vritur: aut Regulum, quòd [304] tot clauis configitur: aut
Catonem, quòd [305] vulnera ſua fortiter tulit? Omnes iſti leui temporis inpensâ inue-
nerunt, quomodo æterni fierent: ad immortalitatem moriendo venerunt. [306] Eſt
& illa ſolicitudinum non mediocris materia, ſi te anxiè componas, nec vlli ſimpliciter
oſtendas: qualis multorum [307] vita eſt, ficta, & oſtentationi parata. Torquet enim aſ- C
ſidua obſeruatio ſui, & deprehendi aliter, quàm ſolet, metuit: nec vmquam curâ ſolui-
mur, vbi toties nos æſtimari putamus, quoties aſpici. Nam & multa incidunt, quæ in-
uitos denudent: & vt benè cedat tanta ſui diligentia, non tamen iucunda vita, aut ſecu-
ra eſt, ſemper [308] ſub perſonâ viuentium. At illa quantum habet voluptatis, [309] ſincera
& per ſe ornata ſimplicitas, nihil obtendens moribus ſuis? Subit tamen & hæc vita con-

temptus

ceptus nichilo natos: *aut* (*vt & meus*) conceptum nihilo natum. *Diuinabat Pincianus*, quàm concubitus in his actos. *Nec placet, nec melius video, & ſileo.*

297. SPECTATOR.] *Martialis in quamdam:*

Amiſſum nõ flet, cùm ſola eſt Gellia, patrem:
Siquis adeſt, iuſſæ proſiliunt lacrimæ.
Non dolet hic, quiſquis laudari Gellia quærit.
Ille dolet verè, qui ſine teſte dolet.

298. RVTILIVS.] *Vide Senecam De Prouident. cap.* III. *atque alibi.*

299. CLIENTIBVS.] *Pompeius Septimio, qui olim ordines ſub eo duxerat: Cicero Popillio, quem defenderat.*

300. PALAM FAC.] *Vtrumque perÿſſe vno tempore. Nam ſolus Cato pro Republicâ: alÿ, pro alio. Epiſtolâ* CIV. Videbis illinc plebem, hinc optimates; duos in medio relictos, Rempublicam, & Catonem. *Quod ad phraſim porrò*; Palàm factum, *vſurpant in funere iam certo & conclamato. Cicero, ad Quirites poſt reditum*: Nondum palàm factum erat concidiſſe remp. *Vide me, ſi lubet,* I. *Elector. cap.* X.

301. TANTO FORTIOR.] *Laudandi & exhortandi formula, de quâ in Epiſt.* LXXI.

302. MANVS INIICIENDÆ.] *Vel vt vapulent, vel vt compellantur abire.*

303. FLENTEM.] *Quem cum Lucretio increpem potiùs:* Aufer abhinc lacrimas balathro, & compeſce querelas.

304. TOT CLAVIS.] *In arcâ ligneâ exſtantibus,* D *in quam coniectus. De Prouid. cap.* III.

305. VVLNERA SVA.] *Hæc ſcriptorum, & editorum ferè, lectio. At Muretus*, quòd vulnus ſuum iterauerit? *ſed merum coniectaneum. Cui ſi locus, faciam*, quòd vulnera ſibi fortiter intulit?

306. EST ET ILLA.] *Parùm nexa: vt plura in hoc libello.*

307. VITA EST FICTA.] *Lucilliano verſu,*

Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.

308. SVB PERSONA.] *Ritu hiſtrionum.*

309. SINCERA.] *Meus liber*, ſui cauſâ: *quod caue damnes.*

310. MVL-

A temptus periculum, ſi omnia omnibus patent. ſunt enim qui faſtidiant, quicquid propiùs adierunt. Sed nec virtuti periculum eſt, ne admota oculis reuileſcat: & ſatius eſt ſimplicitate contemni, quàm perpetuâ ſimulatione torqueri. Modum tamen rei adhibeamus. multum intereſt, ſimpliciter viuas, an negligenter. [310] Multum in ſe recedendum eſt. conuerſatio enim diſſimilium, benè compoſita diſturbat, & renouat affectus, & quidquid imbecillum in animo, nec percuratum eſt, exulcerat. Miſcenda tamen iſta, & alternanda ſunt, ſolitudo & frequentia. Illa nobis faciet hominũ deſiderium, hæc noſtri: & erit altera alterius remedium. odium turbæ ſanabit ſolitudo, tædium ſolitudinis turba. Nec in eâdem intentione æqualiter retinenda mens eſt, ſed ad iocos reuocanda. Cum pueris [311] Socrates ludere non erubeſcebat: & [312] Cato vino laxabat animũ, curis publicis fatigatum: & Scipio triumphale illud & militare corpus mouit [313] ad numeros. non molliter ſe infringens, vt [314] nunc mos eſt, etiam [315] inceſſu ipſo vltra muliebrem mollitiem fluentibus; ſed vt illi antiqui viri ſolebant, [316] inter luſum ac feſta tem-
B pora, virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiam ſi ab hoſtibus ſuis ſpectarentur. Danda eſt remiſſio animis: [317] meliores acrioreſque requieti ſurgent. Vt fertilibus agris non eſt imperandum: citò enim exhauriet illos numquam intermiſſa fœcunditas: ita animorum impetus aſſiduus labor frangit. [318] Vires recipient paullùm reſoluti, & remiſſi. Naſcitur ex aſſiduitate laborum, animorum hebetatio quædam, & languor: nec ad hoc tanta hominum cupiditas tenderet, niſi naturalem quamdam voluptatem haberet luſus iocuſque: quorum frequens vſus, omne animis pondus, omnemque vim eripiet. Nam & ſomnus refectioni neceſſarius eſt: hunc tamen ſi per diem noctemque continues, [319] mors erit. Multum intereſt, [320] remittas aliquid, an ſoluas. Legum conditores feſtos inſtituerunt dies, vt ad hilaritatem homines publicè cogerentur: tamquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum. Et magni, [321] vt dixi, viri quidam ſibi [322] menſtruas certis diebus ferias dabant: quidam nullum non diem, inter & otium & curas, diuidebant. qualem Pollionem Aſinium, [323] oratorem
C magnum, [324] meminimus: quem nulla res vltra [325] decimam retinuit. [326] ne epiſtolas qui-

310. MVLTVM IN SE.] *Diſtinxerim.* an neglegenter: multum. In ſe recedendum eſt. *Vt adfirmandi cauſſâ, bis repetatur illud* Multum.

311. SOCRATES.] *Et quidem in arundine equitando. Vide Valerium* VIII. *cap.* VIII.

312. CATO.] *Horatius:* Narratur & priſci Catonis Sæpè mero caluiſſe virtus. *Etſi hoc ad alium referri, & priorem, poteſt: ſed de iſto Vticenſi, Plutarchus:* Iam maturiorem totas noctes in mensâ egiſſe; *ſed fine eodem, quem Seneca dixit. Itaque benè Cicero, cùm Memmius Catoni obïceret* Totas noctes potare: *&* Cur non addis, *inquit*, Totos dies aleam ludere?

313. AD NVMEROS.] *Ad modulos. Perſius:*
- ad numeros ſatyri moueare Bathylli.

D 314. NVNC MOS EST.] *Seneca pater:* Cantandi ſaltandique obſcæna ſtudia effæminatos tenent, & mollitie corporis certare cum fœminis, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt.

315. INCESSV IPSO.] *Seneca:* Tenero & molli ingreſſu viri ſuſpendimus gradum, non ambulamus, ſed incedimus.

316. INTER LVSVM.] *Quidam ſcripti*, ludos. *nec id malè. Per tempora feſta, & ludis feriiſq; deſtinata.*

317. MELIORES.] *Dio Chryſoſtomus:* Αἱ γὰρ ἀνέσεις τῶν ἀσκήσεων πόνων εἰσὶ καὶ τόκος, καὶ λύρα, καὶ ἄνθρωπος ἀκμάζει δι' ἀναπαύσεως: Remiſſiones, præparamenta ad labores ſunt. & arcus, & lyra, & homo, vegetantur quiete.

318. VIRES RECIP.] *Statius:* - vires inſtillat alitque Tempeſtiua quies.

319. MORS ERIT.] *Plato*, VII. *De Legib.* Γ'ανος γὰρ ἡ πολὺς, ὅτε τοῖς σώμασιν, οὔτε ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν, ὅτε ταῖς πράξεσι ταῖς περὶ ταῦτα ἁρμόττων ἐστὶ κατὰ φύσιν. Καθεύδων γὰρ ἀδεὶς ἄδηνος ἄξιος, ἀδὲν μᾶλλον τοῦ μὴ ζῶντος: Somnus multus, neque corporibus, neque animis noſtris, ſed nec actionibus vtrorumque conuenit per naturam. Nam qui dormit, nullius pretij reique eſt, haud magis quàm ſi non viuat.

320. REMITTAS.] *Valerius:* Otium induſtriæ ſubnecti debet, non quo euaneſcit virtus, ſed quo recreatur.

321. VT DIXI.] *Non dixiſti. lego*, didici, *accepi.*

322. MENSTRVAS.] *An* menſtruis *potiùs?*

323. ORATOREM.] *De quo Horatius:* Inſigne mæſtis præſidium reis, Et conſulenti Pollio Curiæ. *Adde Plin.* VII. *cap.* XXX. *Valerium* VIII. *cap.* XII. *Senecam patrem, Præfat. libri* IV. *Controu.*

324. MEMINIMVS.] *Pueri vidimus ſub Auguſto.*

325. DECIMAM.] *Cœnæ & curæ corporis deſtinatam.*

326. NE EPISTOLAS.] *Quod Archiæ tyranno Thebarum*

quidem post eam horam legebat, ne quid nouæ curæ nascereturː sed totius diei lassitu- A
dinem duabus illis horis ponebat. Quidam medio die [327] interiunxerunt, & in post-
meridianas horas aliquid leuioris operæ distulerunt. Maiores quoque nostri [328] nouam
relationem, post horam decimam, in senatu fieri vetabant. Miles [329] vigilias diuidit,
& nox [330] immunis est ab expeditione redeuntium. Indulgendum est animo: dan-
dumque subinde otium, quod alimenti ac virium loco sit: & in ambulationibus aper-
tis vagandum, vt cælo libero & multo spiritu augeat attollatque se animus. Aliquando
vectatio iterque, & mutata regio, vigorem dabunt, conuictusque & liberalior potio:
nonnumquam & vsque ad ebrietatem veniendum, non vt mergat nos, sed vt [331] de-
primat. Eluit enim curas, & ab imo animum mouet: & vt [332] morbis quibusdam, ita
tristitiæ medetur: Liberque non [333] ob licentiam linguæ dictus est inuentor vini, sed
quia liberat [334] seruitio curarum animum, & asserit, [335] vegetioremque & [336] auda-
ciorem in omnes conatus facit. Sed vt libertatis, ita vini salubris moderatio est. Et
[337] Solonem, [338] Arcesilaumque indulsisse vino credunt. Catoni ebrietas obiecta est: B
at facilius efficiet, quisquis obiecerit, hoc [339] crimen honestum, quàm turpem Cato-
nem. Sed [340] nec sæpè faciendum est, ne animus malam consuetudinem ducat: & ali-
quando tamen in exsultationem libertatemque extrahendus, tristisque sobrietas remo-
uenda paullisper. Nam, siue [341] Græco poëtæ credimus, aliquando & insanire iucundum
est:

Thebarum vsurpatum, malè cessit. Nam super conui-
uium allatâ epistolâ, quæ indicium coniurationis ha-
beret, reiecit, cum voce, Εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα: In
crastinum seria. *Sed crastinum non vidit. Plutarch.*
in Pelopide.

327. INTERIVNXERVNT.] *Ab aurigis meta-*
phora. qui Interiungere *dicuntur, cùm quiescunt le-*
uiter & pausant: Abiungere, *cùm planè. Martialis*

—— hora lassos
Interiungit equos meridiana.

Idem: Et cùm currere debeas Bouillas,
Interiungere quæris ad Camœnas.

Seneca Epistol. LXXXIII. Breuissimo somno vtor, & quasi interiungo. *Significat autem, eos in meridie aliquid cibo, & dein somno dedisse: mox redijsse ad operas, sed leuiores. Plutarchus in Quæst. Rom.* Διὰ τί μεσημβρία πέρας ἐστὶ τοῖς πολλοῖς τοῦ τὰ δημόσια καὶ σπουδαῖα πράττειν: Meridies multis finem facit publica & seria tractandi. *Est lepidum & argutum huic rei Epigramma Græcum* I. *Antholog.*

Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται· αἱ δὲ μετ' αὐτὰς,
Γράμμασι δεικνύμεναι ζῆθι λέγουσι βροτοῖς:
Sex satis horarũ est ad seria: quęq; sequuntur,
Ipsis litterulis VIVE tibi ingeminant.

Acumen in Græco verbo est, ζῆθι: *cuius prior littera*
septem, sequens octo, tertia nouem, & quarta decem
in numeris notat. Iis horæ solent signari in Solarijs:
& dicit igitur, Labora ante meridiem, sequentibus
horis fac quod iunctæ dicunt, ζῆθι, *id est* Viue.

328. NOVAM RELATIONEM.] *Vt noua res*
deliberanda à Consule proponeretur. Hoc ideò, vel
vt corpora curarent; vel quia Sc^tum post occasum
solem factum, nec ratum quidem erat: *Agel-*
lius XIIII. *cap.* VII. *Et sanè si tam serò noua*
relatio, priusquam perrogatæ sententiæ, eò ventum
fuisset.

329. VIGILIAS DIVIDIT.] *In quater-*
nas: & eas singulas, trium horarum. Nos abundè
in Miluiâ.

330. IMMVNIS.] *Excusantur à vigilijs, qui de*
die in expeditione, & contra hostem, alibi fuerunt.

331. DEPRIMAT.] *Abducat & deducat non-*
nihil animos, in altioribus curis intentos & erectos.

332. MORBIS.] *Melancholicis (nos experti*
sumus) aut frigidis.

333. OB LICENTIAM.] *Varro*: Liber à li-
ben do, quòd lubrica mens ebrij, quò libet, pro-
labatur.

334. SERVITIO CVR.] *Homerus*:
Οἶνον τοι Μενέλαε θεοὶ πόσαν ἄμφιπολεύειν,
Θνητοῖς ἀνθρώποισιν ὑποσκεδάσαι μελεδῶνας:
O Menelae, dij vinum fecere beati, C
Vt curas animi pellat mortalibus acres.

335. VEGETIOREMQVE.] *Quidam libri*, vegetque. *probè etiam, vide Nonium. Antiphanes*
poëta suaui imagine arborum ad hanc rem vti-
tur, quæ iuxta fluenta asitæ, & semper irrigatæ,
optimè crescunt.

336. AVDACIOREM.] *Horat.* Post te neque
iratos timentem Regum apices, neque militum
arma.

337. SOLONEM.] *Ipse de se*: Ἔργα δὲ Κυπρογε-
νοῦς νῦν μοι φίλα καὶ Διονύσου.

338. ARCESILAVM.] *Qui ob lautitias & ce-*
nas, dictus est alter Aristippus: *Diogenes in eius*
vitâ. Sed hic Academicus: at nec Zeno ille Stoico-
rum princeps abhorruit, qui naturâ seuerus, in con- D
uiuio rogatus cur hilarescceret? Et lupini, *inquit,*
amari, vbi maduerint, dulcescunt. *Sed & idem*
aiebat, κρεῖττον εἶναι τοῖς ποσὶν ὀλισθεῖν, ἢ τῇ γλώτ-
τῃ: melius pedibus lapsare, quàm linguâ: *in ebrie-*
tatis excusationem.

339. CRIMEN HONESTVM.] *Quia in*
Catone scilicet, viuâ imagine virtutum, *nihil in-*
honestum.

340. NEC SÆPE.] *Horat.* Misce stultitiam
consilijs breuem.

341. GRÆCO.] *Anacreonti. cuius illud ex-*
stat: Θέλω, θέλω μανῆναι: Volo, volo insanire.

342. PLA-

A est: siue [342] Platoni, frustrà poëticas fores compos sui pepulit: siue [343] Aristoteli, nullum magnum ingenium sine mixturâ dementiæ fuit. Non potest grande aliquid & supra ceteros loqui, nisi mota mens. Cùm vulgaria & solita contempsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Non potest sublime quicquam & in arduo positum contingere, quamdiu apud se est. Descisçat oportet à solito, & efferatur, & [344] mordeat frænos, & rectorem rapiat suum: eoque ferat, quò per se timuisset ascendere. Habes, Serene carissime, quæ possint tranquillitatem tueri, quæ restituere, quæ surrepentibus vitijs resistant. Illud tamen scito, nihil horum satis esse validum, rem imbecillam seruantibus, nisi intenta & assidua cura circumeat animum labentem.

342. PLATONI.] *Pluries tale aliquid Plato: sed Seneca nunc certò locum adspicit hunc in Phædro:* Ὃς
B δ' ἂν ἄνευ μανίας μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανῶς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ἠφανίσθη: Quisquis sine furore fores poëticas pepulit, persuasus quòd arte solâ poëta possit euadere; is conatus sui irritus, & item poësis eius, abeunt siue pereunt. *Ideò & à vino poëtam iuuari percrebuit, quia mentem suscitat ac mouet. Cratinus:*

Οἶνός τοι χαρίεντι μέγας πέλει ἵππος ἀοιδῷ:
Vinum est instar equi, gestat tollitq; poëtam.

343. ARISTOTELI.] *Non hæc ipsa verba hodie in Aristotele: sed Problematis Sect.* XXX. *quæstio prima est:* Cur homines qui ingenio claruerunt, vel in studijs Philosophiæ, vel in republicâ, vel carmine pangendo, melancholici omnes fuerunt? *Quò Cicero* 1. *Tuscul. adspexit:* Aristoteles quidem ait, omnes ingeniosos melancholicos esse. *Fortasse & nunc Seneca: quia Melancholia dementiæ assidet.*

344. MORDEAT.] *Vt equi feroces, & indomiti.*

L. ANNÆI SENECÆ DE CONSTANTIA SAPIENTIS, siue QVOD IN SAPIENTEM NON CADIT INIVRIA.

ARGVMENTVM ET ORDO.

MAGNI *animi, magni ingenij, atque etiam eloquij hoc scriptum: vno verbo, inter optima. Editum sub tempus prioris illius puto, de Tranquillitate: cui vulgò etiam iungunt, malè. Diuersum argumentum est, & tali serie. Orditur à Stoicorum laude, quorum Paradoxum tractat, Sapientem non affici iniuriâ. Quid ergo? aiebat Serenus: non Cato contumelijs affectus, verberibus, & sputis? Ab hac obiectione ingreditur in materiem: &, Non est tamen iniurijs, inquit: fuit enim Sapiens, atqui in Sapientem iniuria non cadit. Quod tamen eâ mente dici ait, non vt non fiat, sed vt non admittat. Tangi potest iniuriâ, sed non lædi: à te esse, in illo non esse. Hæc* C *pulcherrimè exsequitur ad Cap.* IV. *Diuidit deinde dicenda in duas partes, idque à discrimine Iniuriæ & Contumeliæ. Priore, negat illam cadere in Sapientem; posteriore, nec istam. De Iniuriâ, hæc sunt argumenta. Sapiens nullius mali patiens: at malum est Iniuria. Secundum, Iniuria detrahit & deminuit: Sapienti nihil eripitur. habet in se vno omnia reposita, & firmiter, vt Stilpo. Tertium, Fortis ab infirmo non læditur: non ergo à Malitiâ Virus. Hîc objicitur, Atqui Socrates nónne iniuriâ damnatus? Ita, sed sine suâ iniuriâ. Illi intulerunt, ipse non accepit: sed sapientiâ reiecit. Sicut venenum mihi das, ego antidoto vim eius infringo: scelus tu facis, ego non patior. Quartum argumentum, Iniuria cum Iniustitiâ mixta est: non hæc cadit in Sapientem: minimè ergo illa. Quintum, Sapienti nemo prodest: ergo nec lædit. Sextum, Iniuria à Spe aut Metu est: Sapiens neutro eorum tangitur. Septimum vltimumque, Iniuriam nemo immotus accipit: non mouetur Sapiens. Atque hîc conclusio prioris partis, & adhortatio ad dogma animis accipiendum. Altera erat de Contumeliâ, quam explicat Cap.* X. *quid propriè sit; & tum à Sapiente arcet. Primò, quia Sapiens magnitudinem suam nouit: non ergo contumelia ad eum per-* D *tinet, quæ nomen & rem habet à contemptu. Secundò, Superbi & insolentes inferunt contumeliam: ipse tales spernit: itaque & ab ijs istam. Tertiò, Nemo maiorem melioremque contemnit: is est Sapiens. Ergo in se dicta ridet, vt in conuiuijs ioculos puerorum. Sed quid? fert igitur hæc omnia Sapiens? non castigat aut compescit? imò facit interdum: sicut illos ipsos pueros solemus: non quia malum ille acceperat, sed quia hi fecerunt. Atque hactenus (ad Cap.* XIV.) *in solam Contumeliam, aut Iniuriam: iam mixtim vtramque refutat. Hoc argumento, Securitas propria est Sapientis: non est, si alterutram accipit, aut potest accipere. Simile & Epicurei dicunt: etsi minùs fortiter. Denique leuia pleraque, quibus vulgus offenditur, suadet reijcere, & ridere ne ridearis. Conclusio, Quomodo eunti ad Sapientiam, Quomodo qui peruênit, ferendæ iniuriæ? Illi, cum morsu aliquo animi, & adhuc pugnâ; huic, sine alterutro, & victor iam agit ante se vtramque, & triumphat. Ego itero, magni animi scriptum est: robur ab eo, in temporum hac hominumque cottidianâ malitiâ, capiamus.*

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

TANTVM inter Stoicos, Serene, & [1] ceteros sapientiam professos interesse, quantum inter [2] fœminas & mares, non immeritò dixerim: cùm vtraque turba ad vitæ societatem tantundem conferat; sed altera pars ad obsequendum, altera imperio nata sit. Ceteri sapientes molliter & blandè, vt ferè [3] domestici & familiares medici, ægris corporibus, non quà optimum & celerrimum est medentur, sed quà [4] licet: Stoici [5] virilem ingressi viam, non vt amœna ineuntibus videatur curæ habent, sed vt quampriùm nos eripiant, & in illum [6] editum verticem educant, qui adeò extra omnem teli
B iactum surrexit, vt supra fortunam emineat. At ardua per quæ vocamur, & confragosa sunt. Quid enim [7] plano aditur excelsum? Sed ne tam abrupta quidem sunt, quàm quidam putant. prima tantùm pars saxa rupesque habet, & inuij speciem: sicut pleraque ex longinquo speculantibus abscissa & connexa [8] videri solent, cùm aciem longinquitas fallat. Deinde propiùs adeuntibus eadem illa, quæ in vnum congesserat error oculorum, paullatim adaperiuntur: tum illis, quæ præcipitia ex interuallo apparebant, redit [9] lene fastigium. Nuper cùm incidisset mentio M. Catonis, indignè ferebas (sicut es iniquitatis impatiens) quòd Catonem [10] ætas sua parùm [11] intellexisset, quòd supra Pompeios & Cæsares [12] surgentem, infra [13] Vatinios posuisset: & tibi indignum videbatur, quòd illi dissuasuro [14] legem, toga in foro esset erepta, quodque [15] à Rostris, vsque [16] ad arcum Fabianum, per seditiosæ factionis manus tractus, voces improbas, & sputa, & omnes alias

C

COMMENTARIVS.

CAP. I. 1. CETEROS.] *Cynicos certè excipe. qui duritie & robore super ipsos Stoicos: etsi dogmate tamen ferè conueniebant.*

2. FÆMINAS.] *De Epicuréis, haud abnuam: licenter dictum in alios.*

3. DOMESTICI.] *Diuites, illo æuo, medicos domi habebant: atque eos ferè è seruis aut libertis.*

4. LICET.] *Per mollitiem ægri, cui se attemperant.*

5. VIRILEM.] *Ideò mares, ideò fortes. Noster epist.* LXXVII. Amicus noster Stoicus, homo egregius, & vt verbis illum, quibus laudari dignus est, laudem, vir fortis ac strenuus. *Ecce tamquam de*
D *viro, imò de milite. In epist.* LXXXIV. Zenon huius sanctissimæ fortissimæque sectæ conditor. *Et ita me Deus (pauca excipio) talis fuit.*

6. EDITVM VERTICEM.] --Sapientum templa serena.
Despicere vnde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

7. PLANO.] *Per planum. Si ad excelsa tendis, scandendum connitendumque est per arrecta, & sæpè aspera.*

8. VIDERI SOLENT.] *Nobis planè (nam memini) cùm in Italiam ituri, primò vidimus Alpes.*

9. LENE FASTIGIVM.] *Quod mediæ valles faciunt, & per cliuos in cliuos adscensus.*

10. ÆTAS SVA.] *Quid mirum?* Et sua riserunt sæcula Mæoniden. *Inuidia hæc est nobis insita, &* Naturaliter *(ait Velleius)* audita visis laudamus libentiùs, & præsentia inuidiâ, præterita veneratione prosequimur: & his nos obrui, illis instrui credimus.

11. INTELLEXISSET.] *Interpretata virtutes eius, vt decebat, esset: atque easdem deinde æstimasset.*

12. SVRGENTEM.] *Et attollendum ab omnibus, si merita pendantur.*

13. VATINIOS.] *Vatinius, inter probra sui æui, ore atque animo iuxtà fœdus. Sed Cato tamen ei in petitione Præturæ posthabitus.*

14. LEGEM.] *An Metelli Tribuni, qui Pompeium in Italiam cum copijs vocabat? an Cæsaris, de agro Campano diuidendo? Vtrique enim animosè Cato se opposuit, & per contumelias, probra, violentiam reiectus. Plutarchum & Dionem vide, & Senecam ipsum epist.* XIV.

15. A ROSTRIS.] *Vbi lex ferebatur. quæ ipse ad impediendum conscenderat.*

16. AD ARCVM.] *Qui erat in primâ Sacrâ viâ, haud procul templo Faustinæ. Trebellium in Salonino vide, Ciceronem pro Plancio. Asconius* II. *in Verrem ita, ad hæc verba Tully,* Fornicem Fabianum: Arcus est iuxta Regiam, in Sacrâ viâ, à Fabio Censore constructus, qui à deuictis Allobrogibus, Allobrox cognominatus est: ibique statua eius posita propterea est.

alias insanæ multitudinis contumelias pertulisset. Tunc ego respondi, habere te quòd A
Reipublicæ nomine mouereris, quam hinc P. Clodius, hinc Vatinius, ac pessimus quisque venundabat: & cæcâ cupiditate corrupti, non intelligebant, se, dum vendunt, etiam
II. [17] vænire. Pro ipso quidem Catone securum te esse iussi. Nullum enim sapientem nec iniuriam accipere, nec contumeliam posse: Catonem autem [18] certius exemplar sapientis viri nobis deos immortales dedisse, quàm [19] Vlixem & [20] Herculem prioribus sæculis. Hos enim Stoici nostri sapientes pronunciauerunt, inuictos laboribus, & contemptores voluptatis, & victores omnium [21] terrarum. Cato cum feris manus non contulit, quas consectari venatoris [22] agrestisque est: nec monstra [23] igne ac ferro persecutus est, nec in ea tempora incidit, quibus credi posset cælum [24] vnius humeris inniti, excussâ iam antiquâ credulitate, & sæculo [25] ad summam perducto solertiam. Cum ambitu congressus, multiformi malo, & cum potentiæ immensâ cupiditate, quam totus orbis [26] in tres diuisus [27] satiare non poterat, aduersus vitia ciuitatis degenerantis, & pessum suâ mole [28] sidentis, stetit solus, & cadentem Rempublicam, quantum modò [29] vnâ re- B
trahi manu poterat, retinuit: donec vel abreptus, vel abstractus, comitem se diu sustentatæ ruinæ dedit: [30] simulque exstincta sunt, quæ nefas erat diuidi. Neque enim Cato post libertatem vixit, nec libertas post Catonem. Huic tu putas iniuriam fieri potuisse à populo, quòd aut præturam illi detraxit, aut [31] togam? quòd sacrum illud caput purgamentis oris asperfit? Tutus est sapiens, nec vllâ affici aut iniuriâ, aut contumeliâ potest.

III. Videor mihi intueri animum tuum incensum, & efferuescentem. paras acclamare: Hæc sunt quæ auctoritatem [32] præceptis vestris detrahant. [33] magna promittitis, & quæ ne optari quidem, nedum credi possint: deinde ingentia locuti, cùm [34] pauperem negastis

17. VÆNIRE.] *Nam & ipsorum libertas, atque adeo ipsi, cum republicâ peribant.*

CAP. II. 18. CERTIVS EXEMPLAR.] *In veteri Florido:*

Quippe malo vnum Catonem, quàm trecentos Socrates:
inuidendâ laude.

19. VLIXEM.] *Homeri scriptis notum. qui eum sanè, non patientem solùm, sed ἀτρωδῆ pænè facit. vt in illo vxoris suæ primo adspectu, à viginti annis: cùm ea ignorans illum, ad Vlyssis sui nomen collacrumasset; ipse nihil mouetur, nec vel leuiter tenerescit. sed, vt poëta ait,*

Ὀφθαλμοὶ δ' ὥστε κέρα ἔστασαν, ἠὲ σίδηρος:
Illi oculi stabant, vt ferrum, aut cornua dura.
Profectò Stoicus fuit: quid ipse? imò & Homerus, vt Stoici (magni eius miratores) volebant.

20. HERCVLEM.] *Quem Cynici exemplar habebant roboris, & perpessionis. Diogenes ille, nobilis canis, dicere solitus, τὸν αὐτὸν χαρακτῆρα τοῦ βίου διεξάγειν, ὃν περ καὶ Ἡρακλῆς:* eamdem vitæ formam & tenorem se exsequi, quem Hercules. *Et abisto sanè Philosophorum ille, in sollenni habitu, baculus, qui clauæ eius respondebat: ab Vlysse* Pera. *cui scilicet Minerua, vt peregrino mendico, circumposuit ἀσκὸν πήρην,* sordidam & indecoram peram.

21. TERRARVM.] *Ego* terrorum *puto. Nam illud sanè falsum, præsertim in Vlysse.*

22. AGRESTISQVE EST.] *Nec Romani nobiles in hoc studio.*

23. IGNE AC.] *Ausonius in* XII. *laboribus Herculis:*

- Lernæam ferro ac face contudit Hydram.

24. VNIVS.] *Siue Atlantis, siue Herculis qui in succollando ei successit.*

25. AD SVMMAM.] *De nostro idem dixerim. vtinam cum antiquâ simplicitate, nec antiqua virtus excussa!*

26. IN TRES.] *Cæsarem, Pompeium, Crassum. Lucanus*: Facta tribus dominis communis Roma. C

27. SATIARE.] *Imò nec duos deinde (sublato Crassò) satiauit.*

—— populique potentis,
Quæ mare, quæ terras, quæ totum possidet orbem,
Non cepit Fortuna duos.

28. SIDENTIS.] *Vt grauia & magna ædificia, fundamentis lapsantibus. Liuius in eadem re, eodem verbo*: Velut desidentes primò mores sequatur animo, deinde vt magis magisque lapsi sint.

29. VNA MANV.] *Quæ prouerbio asseritur infirma. Euripides*: - μιᾶς γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μάχη:
- vnius robur infirmum manus.

30. SIMVL EXSTINCTA.] *Ergo vel hinc interpretemur De Tranquill. cap.* XV. Cogitur simul de se ac de rep. palàm facere: *vtriusque funus simul aperire.* D

31. TOGAM.] *Dum trahit, trudit, vellicat.*

CAP. III. 32. PRÆCEPTIS VESTRIS.] *Stoicis.*

33. MAGNA PROMITTITIS.] *Ipse ita Chrysippus*: Διὸ καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ τε μεγέθους, καὶ τοῦ κάλλους, πλάσμασι δοκοῦμεν ὅμοια λέγειν, καὶ ἐκτὸς τοῦ ἀνθρώπου, καὶ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως: Quare ob excellentiam magnitudinis & pulchritudinis, videmur fabulis similia dicere, nec pro homine omnino vel humanâ naturâ.

34. PAVPEREM NEGASTIS.] *Illi verò negant, imò*

A ſtis eſſe ſapientem, non negatis ſolere illi & ſeruum, & veſtem, & tectum, & cibum deeſſe; cùm ſapientem [35] negaſtis inſanire, non negatis & alienari, & parùm ſana verba emittere, & quicquid vis morbi cogit, audere; cùm ſapientem negaſtis [36] ſeruum eſſe, ijdem non itis infitias, & vænum iturum, & imperata facturum, & domino ſuo ſeruilia præſtiturum miniſteria. Ita, ſublato altè ſupercilio, [37] in eadem quæ ceteri, deſcenditis, mutatis rerum nominibus. Tale itaque aliquid & in hoc eſſe ſuſpicor, quod primâ ſpecie pulchrum atque magnificum eſt: nec iniuriam, nec contumeliam accepturum eſſe ſapientem. Multum autem intereſt, vtrùm ſapientem [38] extra indignationem, an extra iniuriam ponas. Si dicis illum æquo animo laturum; nullum habet priuilegium. contigit illi res vulgaris, & quæ diſcitur ipſâ iniuriarum aſſiduitate, patientia. Si negas acceptarum iniuriam, id eſt, neminem illi tentaturum facere; omnibus relictis negotijs, Stoicus fio. [39] Ego verò ſapientem non [40] imaginario honore verborum exornare conſtitui, ſed eo loco ponere, quò nulla [41] permittatur iniuria. Quid ergo? nemo erit qui laceſſat,
B qui tentet? Nihil in rerum naturâ tam ſacrum eſt, quod ſacrilegum non inueniat: ſed non ideò diuina minùs in ſublimi ſunt, ſi exiſtunt, qui magnitudinem, multum vltra ſe poſitam, non icturi petant. Inuulnerabile eſt, non quod non feritur, ſed quod non læditur. [42] Ex hac tibi notâ ſapientem exhibeo. Numquid dubium eſt, quin certius robur ſit, quod non vincitur, quàm quod non laceſſitur? cùm dubiæ ſint vires inexpertæ: at meritò certiſſima firmitas habeatur, quæ omnes incurſus reſpuit. Sic tu ſapientem melioris ſcito eſſe naturæ, ſi nullius illi iniuria nocet, quàm ſi nulla fit. Et illum fortem virum dicam, quem bella non ſubigunt, nec admota vis hoſtilis exterret: non cui pingue otium eſt, inter deſides populos. Huiuſmodi igitur, ſapientem nulli eſſe iniuriæ obnoxium. Itaque non refert, quàm multa in illum [43] conijciantur tela, cùm ſit nulli penetrabilis. Quomodo quorumdam lapidum inexpugnabilis ferro duritia eſt, nec [44] ſecari adamas, aut

imò ſolum diuitem, ſolum regem eſſe ſapientem. Sed
C *quo ſenſu? quem apud me videre eſt, Manud.* III. *Diſſertat.* XI.

35. NEGASTIS INSANIRE.] *Nam ſoli & omnes ſtulti inſaniunt, ex Stoico dogmate: ſapiens minimè. Horatius:*

Quem mala ſtultitia, & quæcumque inſcitia veri,
Cęcum agit; inſanũ Chryſippi porticus & grex
Autumat. hæc populos, hæc magnos formula reges,

EXCEPTO SAPIENTE, tenet.

Atqui alienatur, *vt ſequitur in Senecâ. Reſpondent, quod verbis Stoicorum dicam.* Τὸν σοφὸν ὲ μανήσεσθ. προσπεσεῖσθαι μέντοι ποτὲ ὠυτῷ φαντασίας ἀλλοκότους, διὰ μελαγχολίαν ἢ λήρησιν, ὲ κζ τὸν τῦ αἱρετῦ λόγον, ἀλλὰ τῦδὲ φύσιν: Sapientem inſaniâ affectum non iri. Accidere tamen illi interim &
D euenire imaginationes abſurdas, à bile atrâ vel aberratione mentis; non autem à deflexu rationis in eligendo, ſed præter naturam. *Plura in Manuduct.* III. *Diſſert.* XVIII.

36. SERVVM ESSE.] *Imò ille ſolus liber. ſed hæc & talia omnia ad animum referuntur & decreta ſapientis, quæ nulla vis aut fortuna eripit: etſi in corpore, & quæ circa illud, mutat.*

37. IN EADEM.] *Ipſe iterùm De Benefic.* II. *cap.* XXXV. A conſuetudine quædam, quæ dicimus, abhorrent: deinde aliâ viâ ad conſuetudinem redeunt. *Et eſt hoc in omnibus Stoicorum* Inopinatis: *quæ magnificè dicta, vt animos attollant, nihil à naturâ aut bono more diſcedunt. Interpretatione mitigantur. quod ridet tamen Plutarchus* Aduerſus Stoicos, *& cum Archilocheio illo comparat:* Τῇ μὲν ὕδωρ δολοφρονέουσα χειρὶ, τῇ δὲ πῦρ προσάγεται: Vnâ manu aquam ſubdola fert, ignem alterâ.

38. EXTRA INDIGNATIONEM.] *Id eſt, vtrùm dicas eum non æſtimare iniuriam, an non habere.*

39. EGO VERÒ.] *Hactenus Serenus, reſpondet Seneca.*

40. IMAGINARIO.] *Aſſimilato, non vero.* Imaginarij contractus *(in iure)* in quibus fides facti ſimulatur, non intercedente veritate. *Et Senecæ* Imaginaria paupertas, *epiſt.* XXVIII.

41. PERMITTATVR.] *Siſenna:* Multi præmiſſis armis, ex ſummo ſe permitterent. *Liuius:* Concitant equos, permittuntque in hoſtes. *Seneca* II. *De Clem.* Etiam ad calamitoſos bonitatem ſuam permittere. *De ipſo autem Paradoxi ſenſu, nos in Manud.* III. *Diſſert.* XVIII.

42. EX HAC NOTA.] *Huius commatis & generis. Apuleius, pro totâ ſententiâ, De Philoſophiâ:* Non enim ſapiens eam contumeliã putat, quam improbus faciat; ſed eam non putat, quam patientia firmiter toleret.

43. CONIICIANTVR TELA.] *Idem De Irâ,* III. *cap.* V. At ille ingens animus, & verus æſtimator ſui, non vindicat iniuriam, quia non ſentit. Vt tela à duro reſiliunt, & cum dolore cædentis ſolida feriuntur: ita nulla magnum animum iniuria ad ſenſum ſui ducit, fragilior eo quod petit.

44. SECARI ADAMAS.] *Plinius* XXXVII. *cap.* IV. Quippe duritia enarrabilis eſt, igniumq; etiam victrix natura. Vnde & nomen indomita vis Græcâ interpretatione accepit.

aut cædi,[46] vel deteri poteſt,ſed incurrentia vltrò retundit:quemadmodũ quędam non A
poſſunt igne conſumi,ſed flammâ circumfuſâ,rigorem ſuum habitumque conſeruant:
quemadmodum proiecti in altum [47] ſcopuli mare frangunt,nec ipſi vlla ſæuitiæ veſti-
gia, tot verberati ſæculis, oſtentant: ita ſapientis animus ſolidus eſt,& id roboris colle-
IV. git, vt tam tutus ſit ab iniuriâ, quàm illa quæ retuli. Quid igitur?non erit aliquis
qui ſapienti facere tentet iniuriam? tentabit,ſed non peruenturam ad eum. Maiore enim
interuallo à contactu inferiorum abductus eſt,quàm vt vlla vis noxia vſque ad illum vi-
res ſuas perferat. Etiam cùm potentes, & imperio editi, & [48] conſenſu ſeruientium va-
lidi, nocere ei tentent: tam citra ſapientem omnes eorum impetus deficient,quàm quæ
[49] neruo tormentíſve in altum exprimuntur,cùm extra viſum exſilierunt,citra cęlum ta-
men flectuntur. Quid tu putas, cùm ſtolidus [50] ille rex multitudine telorum diem ob-
ſcuraſſet, vllam ſagittam in Solem incidiſſe? aut demiſſis in profundum catenis [51] Ne-
ptunum potuiſſe contingi? Vt cæleſtia humanas manus effugiunt,& ab his qui templa
diruunt, aut ſimulacra conflant, nihil diuinitati nocetur: ita quicquid fit in ſapientem B
proteruè,petulanter, ſuperbè, fruſtrà tentatur. At ſatius erat, neminem eſſe qui facere
vellet. Rem difficilem optas humano generi,innocentiam. At non fieri, eorum intereſt
qui facturi ſunt,non eius qui pati,ne ſi fiat quidẽ, non poteſt. Imò neſcio,an magis vires
ſapientia oſtendat tranquilla inter laceſſentia: ſicut maximum argumentum eſt impe-
ratoris armis viriſque pollentis, tuta ſecuritas & in hoſtium terrâ. Diuidamus ſi tibi vi-
detur, Serene,iniuriam à contumeliâ. prior illa [52] naturâ grauior eſt:hæc leuior,& tan-
tùm delicatis grauis:quâ non læduntur, ſed offenduntur. Tanta eſt tamen animorum
diſſolutio & vanitas, vt quidam [53] nihil acerbius putent. Sic inuenies ſeruum, qui fla-
gellis [54] quàm colaphis cædi malit, & qui mortem ac verbera tolerabiliora credat,quàm
contumelioſa verba. Ad tantas ineptias peruentum eſt,vt non dolore tantùm,ſed dolo-
ris opinione vexemur: more puerorum, quibus metus incutit vmbra, & perſonarum
deformitas, & deprauata facies;lacrimas verò euocant nomina parùm grata auribus, &
V. digitorum motus,& alia,quæ impetu quodam erroris improuidi refugiunt. Iniu- C
ria propoſitum hoc habet, aliquem malo afficere: malo autem ſapientia non relinquit
locum. Vnum enim malum illi eſt turpitudo: quæ introire eò, vbi iam virtus hone-
ſtumque eſt, non poteſt: iniuria ergo ad ſapientem non peruenit. Nam ſi iniuria alicu-
ius mali patientia eſt, ſapiens autem nullius mali eſt patiens,nulla ad ſapientem iniuria
pertinet. Omnis iniuria deminutio eius eſt, in quem incurrit. nec poteſt aliquis iniuriam
accipere ſine aliquo [55] detrimento vel dignitatis,vel corporis,vel rerum extra nos poſita-
rum: ſapiens autem nihil perdere poteſt, omnia in ſe repoſuit,nihil fortunæ credit,bona
ſua

46. VEL DETERI.] *Olim creditum,falſum ait Garcias Hiſpanus, aliquot experimentis: Nam* & in ſcobem malleolo redigi,& in mortario teri piſtillo ferreo.

47. SCOPVLI.] *Eadem imago De Vitâ beatâ, cap.* XXVII.

CAP. IIII. 48. CONSENSV SERV.] *Liuius*: Imperij vires in conſenſu obedientium ſunt.

49. NERVO TORMENTISVE.] *Catapultis, aut ballistis.*

50. ILLE REX.] *Xerxes.*

51. NEPTVNVM.] *Valerius*: Grauem illum & mari & terræ Xerxem, nec hominibus tantùm terribilem, ſed Neptuno quoque compedes, & cælo tenebras minitantem. *Iuuenalis*:

Ipſum compedibus qui vinxerat Ennoſigęum.

Herodotum vide lib. VII.

52. NATVRA GRAVIOR.] *Reipſâ, quia damnum & læſionem affert, Cap. ſequenti.*

53. NIHIL ACERBIVS.] *Imò generoſi animi putatur ille affectus, non tantùm (vt ipſe autumat) delicati. Ita apud Pacuuium quiſpiam*:

Patior facilè iniuriam, ſi eſt vacua à contumeliâ.

Alius apud Cæcilium, gradatione:

Facilè ærumnam ferre poſſum, ſi inde abeſt iniuria:
Etiamque iniuriam, niſi contrà conſtat contumeliâ. D

Adeò illud contemni offendit, à quo contumelia. Vide mox Cap. X.

54. QVAM COLAPHIS.] *Nam flagella recepta in caſtigatione ſeruorum: at colaphis ludibrium & irriſio ineſſe videntur, quamquam hi leuiores. Demoſthenes tali affectu*: Οὐδὲ γὰρ τὸ τύπτεσθαι τοῖς ἐλευθέροις δεινὸν, καίτοι γ' ὂν δεινὸν, ἀλλὰ τὸ ἐφ' ὕβρει: Non enim verberari liberis hominibus tam graue, etſi graue; quàm quòd per contumeliam.

CAP. V. 55. DETRIMENTO VEL.] *Ita Iuriſconſulti definiunt Iniuriam*, damnum culpâ datum.

56. VIR-

A ſua in ſolido habet, contentus virtute, quæ fortuitis non indiget. Ideoque nec augeri, nec minui poteſt. nam in ſummum perducta, incrementi non habent locum. Nihil eripit fortuna, niſi quod dedit: [56] virtutem autem non dat: ideò nec detrahit. Libera eſt, inuiolabilis, immota, inconcuſſa, ſic contra caſus indurata, vt nec inclinari quidem, nedum vinci poſſit. Aduerſus apparatus terribilium, [57] rectos oculos tenet, nihil ex vultu mutat, ſiue illi dura, ſiue ſecunda oſtentantur. Itaque nihil perdet, quod perire ſenſurus ſit. Vnius enim in poſſeſſione virtutis eſt, ex quâ depelli numquam poteſt: ceteris [58] precariò vtitur. quis autem iacturâ mouetur alieni? Quòd ſi iniuria nihil lædere poteſt ex his quæ propria ſapientis ſunt, quia virtute ſuâ [59] ſalua ſunt: iniuria ſapienti non poteſt fieri. [60] Megara Demetrius ceperat, cui cognomen Poliorcetes fuit. ab hoc Stilpon philoſophus interrogatus, numquid perdidiſſet, *Nihil*, inquit: [61] *omnia namque mea mecum ſunt*. Atqui & patrimonium eius in prædam ceſſerat, & [62] filias rapuerat hoſtis, & patriam. At ille victoriam illi excuſſit: & ſe, vrbe captâ, non inuictum tantùm, ſed indem-

B nem eſſe teſtatus eſt. habebat enim ſecum vera bona, in quæ non eſt [63] manus iniectio. At ea quæ diſſipata & direpta ferebantur, non iudicabat ſua, ſed aduenticia, & nutum fortunæ ſequentia: ideò non vt propria dilexerat. Omnium enim extrinſecus affluentium lubrica & incerta poſſeſſio eſt. Cogita nunc, an huic fur, an calumniator, aut vicinus potens, aut diues aliquis [64] regnum orbæ ſenectutis exercens, facere iniùriam poſſit, cui bellum & hoſtis ille, egregiam [65] artem quaſſandarum vrbium profeſſus, eripere nihil potuit. Inter micantes vbique gladios, & militarem in rapinam tumultum, inter flammas & ſanguinem ſtragemque impulſæ ciuitatis, inter fragorem templorum ſuper deos ſuos cadentium, vni homini pax fuit. Non eſt itaque quòd audax iudices promiſ-

ſum:

56. VIRTVTEM NON DAT.] *Eſt illud Attÿ, apud Nonium*:

- nam ſi à me regnum fortuna atque opes

C Eripere quiuit, at virtutem non quijt.

57. RECTOS OCVLOS.] *Confidentiæ notam. Suetonius Auguſti, cap.* XVI. Eum nec rectis oculis adſpicere potuiſſe inſtructam aciem. *Hierax apud Stobæum*: Τὺς δὲ ὑπ' ἐλαθερίας ἐλέγχονταϛ, ὅτ' ἰδεῖν ὀρθοῖς τοῖς ὀφθαλμοῖς ἀνέχεται: Qui verò per libertatem redarguunt, eos nec rectis oculis adſpicere ſuſtinet. *Theocritus*:

--ἄχθομαι, εἰ τύ με τολμῇς
Ὄμμασι τοῖς ὀρθοῖσι ποτιβλέπειν:
— indignor, ſi mihi contrà
Vel rectis oculis auſis obſiſtere.

58. PRECARIÒ.] *At Precarÿ lex, vti quamdiu is patitur, qui dedit.*

59. SALVA SVNT.] *Valent, vi ſuâ ſe tuentur & ſeruant: nemo in illa poteſt. Tamen nec nolim*: Virtu-

D te ſuâ ſaluâ, ſalua ſunt.

60. MEGARA DEMETRIVS.] *Bis ea vrbs capta, haud multum diuerſo tempore; & ſemper cum monumento conſtantiæ huius in Stilpone. Prior ceperat Ptolomæus Soter, & Stilponem pro magno ducens abducere, pecuniam & preces obtulit vt ſecum in Aegyptum iret: quod renuit, & in afflictâ patriâ manſit. Iterùm deinde iſte Demetrius. & cùm ei quoque notitia & cura huius viri eſſet, domum illi ſeruari, & res omnes reſtitui iuſſit. Monitus igitur, vt ſcripto complecteretur, nobilè hanc vocem edidit*; Μηδὲν τῶν οἰκείων ἀπολωλέναι. παιδείαν γὰρ μηδένα ἐξενηνοχέναι, τόν τε λόγον ἔχειν καὶ τὴν ὄψιν: Nihil ſuum amiſiſſe. eruditionem enim neminem abſtuliſſe, & rationem ſibi ſcientiamque relictam. *Ita enim hæc à Diogene efferuntur. Stilpo autem, cùm alia magnus, tum hoc nomine, quòd Cratetem & Zenonem habuerit in ſuâ diſciplinâ.*

61. OMNIA NAMQVE.] *Hoc Biantis dicto magis conuenit. qui Priene ſuâ captâ, cùm alius aliud fugiens auferret*: Tu nihil? Nihil, *inquit*. nam omnia mea mecum porto.

62. FILIAS RAPVERAT.] *Vnius filiæ Diogenes meminit, atque eius parùm pudicæ.*

63. MANVS INIECTIO.] *Dominij & vindicationis ſignum. In legibus* XII. Poſt deinde manus endoiectio eſto. *Noſter Conſol. ad Helu. cap.* XI. Animus ipſe facer & æternus, cui non poſſit inijci manus. *Seruius in hoc Virgilij*: Iniecere manus Parcæ. Vſus eſt ſermone iuris. nam manus iniectio dicitur, quoties non expectatâ auctoritate iudicis, rem nobis debitam vindicamus.

64. REGNVM ORBÆ.] *Nam orbi iſti gratioſi, imò imperioſi, & potentes obſequentium potentiâ. Captatores vndique imminebant, & ſubſeruiebant. Ammianus*: Vile eſſe, quidquid extra pomœrium vrbis naſcitur, exiſtimant, præter orbos & cælibes: nec credi poteſt, quâ obſequiorum diuerſitate colantur homines ſine liberis. *Iuuenalis:*

—— dominus tamen, & domini rex
Si vis tu fieri, nullus tibi paruulus aulâ
Luſerit Æneas.

Cicero in Paradoxis: Hereditatis ſpes, quid iniquitatis ſeruiendo non ſuſcipit? quem nutum locupletis orbi ſenis non obſeruat? *Adde Senecam Conſol. ad Marciam, cap.* XIX.

65. ARTEM QVASSAND.] *Ideò* Poliorcetes *Græcis, ſiue* Vrbicapus *dictus: & machinæ aliquot, & decantata illa* Helepolis, *ipſius inuenti fuerunt.*

ſum : cuius tibi, ſi parùm fidei habeo, ſponſorem dabo. Vix enim credis tantum firmi- A
tatis in hominem, aut tantam animi magnitudinem cadere. ſed ſi prodit in medium,
VI. qui dicat: Non eſt quòd dubites, an attollere ſe homo natus ſupra humana poſſit, an
dolores, damna, vlcerationes, vulnera, magnos motus rerum circa ſe frementium ſecurus
adſpiciat, & dura placidè ferat, & ſecunda moderatè; nec illis cedens, nec his fretus, vnus
idemque inter diuerſa ſit, nec quicquam ſuum, niſi ſe putet eſſe, [66] eâ quoque parte quâ
melior eſt. Aſſum hoc vobis probaturus, ſub iſto tot ciuitatum euerſore, munimenta in-
curſu arietis labefieri, & [67] turrium altitudinem cuniculis ac latentibus foſſis repentè re-
ſidere, & æquaturum editiſſimas arces aggerem creſcere: at nulla machinamenta poſſe
reperiri, quæ benè fundatum animum agitent. Erepſi modo è ruinis domus, & incen-
dijs vndique relucentibus, per flammas, per ſanguinem fugi. Filias meas qui caſus ha-
beat, [68] an peior publico, neſcio. Solus, & ſenior, & hoſtilia circa me omnia videns, ta-
men integrum incolumemque eſſe cenſum meum profiteor, teneo, habeo quicquid mei
habui. Non eſt quòd me victum, victorem te credas. vicit fortuna tua fortunam meam. B
Caduca illa, & dominum mutantia, vbi ſint neſcio: quod ad res meas pertinet, mecum
ſunt, mecum erunt. Perdiderunt iſti diuites patrimonia; libidinoſi amores ſuos, & ma-
gno pudoris impendio dilecta ſcorta; ambitioſi curiam & forum, & [69] loca exercendis in
publico vitijs deſtinata; fœneratores perdiderunt [70] tabellas ſuas, quibus auaritia falsò
læta, diuitias imaginatur: ego quidem omnia integra illibataque habeo. Proinde iſtos
interroga qui flent, qui lamentantur, ſtrictis gladijs nuda pro pecuniâ corpora opponũt,
qui hoſtem onerato ſinu fugiunt. Ergo ita habe, Serene, perfectum illum virum, hu-
manis diuiniſque virtutibus plenum, nihil perdere. Bona eius ſolidis & inexſuperabili-
bus munimentis præcincta ſunt. Non Babylonis illi muros contuleris, quos Alexander
intrauit: non Carthaginis aut Numantiæ mœnia, [71] vnâ manu capta: non [72] Capito-
lium, arcémve; [73] habent iſta hoſtile veſtigium. Illa quæ ſapientem tuentur, à flammâ
& ab incurſu tuta ſunt: nullum introitum præbent, excelſa, inexpugnabilia, [74] dijs
VII. æqua. Non eſt quòd dicas, ita vt ſoles, hunc ſapientem noſtrum nuſquam inueniri. C
Non fingimus iſtud humani ingenij vanum decus, nec ingentem imaginem falſæ rei
concipimus, ſed qualem confirmamus, exhibuimus, & exhibebimus. [75] Rarò forſitan,
magniſque ætatum interuallis inuenitur. neque enim magna, & excedentia ſolitum ac
vulgarem modum, crebrò gignuntur: ceterùm hic ipſe M. Cato, à cuius mentione hæc
diſputatio proceſſit, vereor ne [76] ſupra noſtrum exemplar ſit. [77] Denique validius debet
eſſe

CAP. VI. 66. EA QVOQVE PARTE.] *Id eſt, nec ſe quidem totum pro ſuo habet; ſed animum, quo propriè eſt homo.*

67. TVRRIVM ALTIT.] *Hæc & ſequentia in Poliorceticis explicauimus.*

68. AN PEIOR PVBLICO.] *Quomodo* peior, *ſi patria diruta & incenſa? An quia illa renaſci potuit, homini, cùm ſemel occidit, negatum? An* publicum *ad vulgus alioſq; refert: qui honeſtè perierunt, iſtæ cum dedecore, aut poſt illud viuant?*

69. LOCA EXERCENDIS.] *Nam in curiâ, comitio, foro, ambitio, auaritia, fraudes habitant; ac ſpecie etiam honeſti.*

70. TABELLAS.] *Contractuum, & cautionum. Gloſſæ:* Tabularius, φυλακτήριος τῶν συμβολαίων: cuſtos contractuum. *Nam tales etiam priuatim apud diuites erant. vt in epiſt.* LXXXVIII. Cuius patrimonium tabularios laſſat.

71. VNA MANV.] *Scipionis poſterioris Africani.*

72. CAPITOLIVM, ARCEMVE.] *Ergo hæc diuerſa, etſi in vno Saturnio monte. Nam pars extrema,* Arcem *regum tempore habuit, & poſteà etiam ſic dicta. Cicero in Catilinam:* Vobis arcem & Capitolium commendat. *Liuius:* Serui Capitolium atque arcem occupauere. *Eam ἄκρον Dionyſius plus ſemel nominat; additq; libro* X. τῷ Καπιτολίῳ εἶναι ἀφεστεχῆ: contiguam Capitolio eſſe. *Spectabat in eam partem, vbi poſteà theatrum Marcelli fuit.*

73. HABENT ISTA.] *Ne mutemus. licet, inquit, ibi notare hoſtium veſtigia; & capta fuêre aliquando. Nónne à Tatio Sabino, & ab Ap. Herdonio duce ſeruorum? Itaque* habent, *non tantùm* pauent, *vt mihi aliquando viſum fuit, moto dubitatione aliorum.* D

74. DIIS ÆQVA.] *In ſorte deorum, qui tuti & inacceſſi.*

CAP. VII. 75. RARÒ FORSITAN.] *Nimis rarò. atque vt ipſe (epiſt.* XLII.) tanquam Phœnix, ſemel anno quingenteſimo. *Vide Manud.* II. *Diſſert.* VIII.

76. SVPRA NOSTRVM.] *Non ſapientis illius, ſed ſuper communem noſtram ſortem. Vir eximius fuit, & proximus vero ſapienti, aut ipſe.*

77. DENIQVE VALIDIVS.] *Aſteriſco inſigniri volunt, & defectum eſſe. Dubito. videtur potiùs à digreſſiuncula & exemplo ad diſſertandum iterùm redire.*

78. INTER

A esse quod lædit, eo quod læditur : non est autem fortior nequitia virtute: non potest ergo lædi sapiens. Iniuria in bonos non tentatur nisi à malis: bonis [78] inter se pax est. Quòd si lædi nisi infirmior non potest: malus autem bono infirmior est: nec iniuria bonis, nisi à dispari, verenda est: iniuria in sapientem virum non cadit. Illud enim iam non es admonendus, neminem bonum esse, nisi sapientem. Sed iniustè, inquis, Socrates damnatus est, iniuriam accepit. Hoc loco intelligere nos oportet, posse euenire, vt faciat aliquis iniuriam mihi, & ego non accipiam : tamquam si quis rem cùm è villâ meâ surripuit, in domo meâ ponat: ille furtum fecerit, ego nihil perdiderim. Potest aliquis nocens fieri, quamuis non nocuerit. Si quis cum vxore, tanquam cum alienâ concumbat, adulter erit, quamuis illa adultera non sit. Aliquis mihi venenum dedit, sed vim suam [79] remixtum cibo perdidit: venenum illud dando, scelere se obligauit, etiam si non nocuit. Non minùs latro est, cuius telum [80] oppositâ veste elusum est. [81] Omnia scelera etiam ante effectum operis, quantum culpæ satis est, perfecta sunt. Quædam eius con-
B dicionis sunt, & hac vice copulantur, vt alterum sine altero esse non possit. Quod dico, conabor facere manifestum. Possum pedes mouere, vt non curram: currere non possum, vt pedes non moueam. possum, quamuis in aquâ sim, non natare: si nato, non possum in aquâ non esse. Ex hac sorte & hoc est, de quo agitur. si iniuriam accepi, necesse est factam esse. si est facta, non est necesse accepisse me. Multa enim incidere possunt, quæ submoueant iniuriam. Vt, intentam manum deijcere casus potest, & emissa tela declinare: ita iniurias qualescumque potest aliqua res depellere, & in medio intercipere, vt & factæ sint, nec acceptæ. Præterea, nihil iniustum iustitia pati potest: quia non VIII.
C coëunt contraria: iniuria autem non potest fieri non iniustè: ergo sapienti iniuria non potest fieri. Nec est quod mireris, si nemo potest illi iniuriam facere, [82] nec prodesse quidem quisquam potest. & sapienti nihil deest, quod accipere possit loco muneris: & malus nihil potest tribuere sapienti. Habere enim priùs debet, quàm dare: nihil autem habet, quod ad se transferri sapiens gauisurus sit. Non potest ergo quisquam aut nocere sapienti, aut prodesse: quemadmodum diuina nec iuuari desiderant, nec lædi possunt.

78. INTER SE PAX.] *Atque amicitia etiam: quæ inter malos numquam, sed factio tantùm.*

79. REMIXTVM CIBO.] *Qui vim & acrimoniam eius infregit: siue stomacho materiem reijciendi dedit. At ieiunis venena sumpta, mortifera sunt certissimò, & in venas statim eunt.*

80. OPPOSITA VESTE.] *Est Catulli illud:*
Quare nos tela ista tua euitamus amictu:
quod pulchrâ imagine dictum, nolim mutari. Vestis oppansa, etiam grauia tela eludit: Poliorcetica nostra dicent.

81. OMNIA SCELERA.] *Ita est, vbicumque assensus, & magis si conatus, accessit; culpa contrahitur, sæpè etiam pœna. Apuleius* IV. *Floridor.* In malefi-
D cijs, cogitata etiam scelera, non adhuc perfecta, vindicantur, cruentâ mente, purâ manu. *Noster De Benefic.* V. *cap.* XIV. Latro est, etiam antequam manus inquinet, qui ad occidendum iam armatus est, & habet spoliandi atque interficiendi voluntatem. Exercetur atque aperitur opere nequitia, non incipit. *Sed non confusè tamen pœna: dumtaxat in grauioribus, atque vt Apuleius dixit* maleficijs, *vbi boni publici interest etiam conatus infringi. Alioqui Catonis Censorij illud verum (apud Agellium* VII. *cap.* III.*)* Ecquis est tandem nostrûm, qui quod ad se attinet, æquum censeat, quemquam pœnas dare ob eam rem, quòd arguatur malè facere voluisse? nemo opinor. Quid nunc, ecqua lex tam acerba est, quæ dicat, Si quis illud sapiens facere voluerit, mille nummi, dimidium familiæ, mulcta esto? *Et Iurisconsultus l.* XVIII. *De pœnis:* Cogitationes nemo pœnâ luit. *Item Triphoninus l.* CCXXV. *De verb. sig.* Seruum, qui consilium fugiendi habeat, non esse fugitiuum. item furem, adulterum, aleatorem: atque oportere hæc crimina adsumpto actu intellegi. *Quæ vera sunt in minoribus, vel vbi tentatio accessit: in grauioribus minimè, & pœnam trahunt. si tamen conatus deprehensus, & foras suo indicio proditus. Ita in Adulterijs, Sulla puniuit voluntatem,* si quis tentasset. *Idem proSicario habet,* si quis cum telo, hominis occidendi caussâ, ambulasset. *Sed & in Ambitu, Arcadius & Honorius Imperatores*, pari sorte scelus, quàm sceleris puniunt voluntatem. *Magis in paricidijs, veneno, talibus. Quinctilianus Declam.* CCLXXXI. Non enim tibi proderit dixisse, Non feci. Numquam mens exitu æstimanda est: satis est, probare animum paricidæ. *Vide Maximum Tyrium in hac totâ re, Serm.* II. *Addo, Theologos quosdam sic distinguere, vt quattuor faciant gradus in culpâ:* Obiectum, siue primum Motum; Luctam; Assensum; & Actum. *Duo priora extra culpam esse; altera, in culpâ, atque etiam pœnâ, apud Deum quidem. Theodorus Balsamo, in Can.* IIII. *Concilij Neocæsarienses. Hæc ad ista Senecæ haud importunè dicta vberiùs sunto.*

CAP. VIII. 82. NEC PRODESSE.] *Omnia enim sunt sapientis, Stoico scito item, Seipso contentus est ad beatè viuendum. &, Nullâ re eget. Vide autem*

sapiens autem vicinus proximusque dijs consistit,[83] exceptâ mortalitate, similis Deo. A
Ad illa nitens pergensque excelsa, ordinata, intrepida, æquali & concordi cursu fluentia,
secura, benigna,[84] bono publico natus, & sibi & alijs salutaris, nihil humile concupiscet,
nihil flebit, qui rationi innixus, per humanos casus diuino incedet animo. Non habet
vnde accipiat iniuriam. ab homine me tantùm dicere putas? nec à fortunâ quidem: quę
quotiens cum virtute congressa est, nunquam par recessit. Si maximum illud, vltra quod
nihil habent iratæ leges, aut sæuissimi domini, quod minentur; in quo imperium suum
fortuna consumit; æquo placidoque animo accipimus, & scimus mortem malum non
esse, ob hoc ne iniuriam quidem: multò faciliùs alia tolerabimus, damna, dolores, igno-
minias, locorum commutationes, orbitates, discidia. quæ sapientem, etiam si vniuersa
circumueniant, non mergunt; nedum ad singulorum impulsus mæreat. Et si fortunæ
iniurias moderatè fert: quanto magis hominum potentium, quos scit fortunæ manus
IX. esse? Omnia itaque sic patitur,[85] vt hiemis rigorem, vt intemperantiam cæli, vt
feruores morbosque, & cetera sorte accidentia. Nec de quoquam tam benè iudicat, vt B
illum quicquam putet consilio fecisse:[86] quod in vno sapiente est. aliorum omnium non
consilia, sed fraudes, & insidiæ, & motus animorum inconditi sunt: quos casibus adnu-
merat. Omne autem fortuitum citra nos sæuit,[87] & iniuriatur. Illud quoque cogita, in-
iuriarum latissimè patere materiam illis, per quæ periculum nobis quæsitum est: vt ac-
cusatore submisso, aut criminatione falsâ, aut irritatis in nos potentiorum motibus, quæ-
que alia[88] inter togatos latrocinia sunt. Est & illa iniuria frequens, si lucrum alicui ex-
cussum est, aut præmium diu captatum; si magno labore affectata hereditas auersa est;
& quæstuosæ domus gratia erepta. hæc effugit sapiens, qui nescit nec in spe, nec in me-
tu viuere. Adijce nunc, quòd iniuriam nemo immotâ mente accipit, sed ad sensum eius
perturbatur: caret autem perturbatione vir erectus: moderator sui, altæ quietis & pla-
cidæ. Nam si illum tangit iniuria;[89] & mouet, & impedit. caret autem irâ sapiens, quam
excitat iniuriæ species: nec aliter careret irâ, nisi & iniuriâ, quam scit sibi non posse fieri.
Inde tam erectus lætusque est, inde continuo gaudio elatus, adeò ad offensiones rerum C
hominumque non contrahitur, vt ipsa illa iniuria vsui sit, per quam experimentum sui
capit, & virtutem tentat. Faueamus, obsecro vos, huic proposito, æquisque & animis &
auribus assimus, dum sapiens iniuriæ excipitur: nec quicquam ideò petulantiæ nostræ,
aut rapacissimis cupiditatibus, aut temeritati superbiæque detrahitur. Saluis vitijs ve-
stris, hæc sapienti libertas quæritur. non vt vobis facere non liceat iniuriam, agimus: sed
vt ille omnes iniurias[90] in altum dimittat, patientiaque se ac magnitudine animi de-
fendat.

tem de hac re ex professo VII. *De Benefic. cap.* IIII. *& sequentibus, An sapiens beneficium possit accipere? fatetur communi modo & sensu, propriè negat. Vide.*

83. EXCEPTA MORTALITATE.] *O superbè! Sed sic Stoici, & noster alibi*: Solo tempore sapiens à deo differt. *Et Cicero eorum mente & verbis, De Nat. deor.* II. E virtutibus vita beata exsistit, par & similis deorum, nullâ re, nisi immortalitate, cedens cælestibus. *Vide epist.* LIII. *&* LIX.

84. BONO PVBLICO.] *Hæc olim nos correximus, & est formula in Principum laudem crebra in lapideis monumentis. Notant primis litteris: B. P. N. vel B. R. P. N. quod valet*, Bono reip. natus. *Velim & priora legi*: securus, benignus.

CAP. IX. 85. VT HIEMIS.] *Apud Tacitum Cerealis, ad nostros Gallos*: Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cetera naturæ mala; sic luxum vel auaritiam dominantium tolerate. *Cicero, apud Dionem lib.* XLIV. Quæ euenerunt, tanquam nimios imbres aut grandines eueniisse rati, obliuioni mandate.

86. QVOD IN VNO.] *Stoicè. nam ceteri omnes stulti, & insaniunt.*

87. ET INIVRIATVR.] *Displicuit Mureto, & totum recîdit: quis probet? Scripti*, & inuitia, *vel* iniuria *habent: ego legam*, citra nos sæuit, etiam iniuria. *Argumentatur dicam, an argutatur? Sapiens* D *fortuita fert, & quidquid non consilio euenit: ergo & iniuriam, quia ea à stultis, quibus non est consilij copia.*

88. INTER TOGATOS.] *Lites, fraudes, calumniæ, quibus fortuna aut vita petitur, in foro exercentur, vel in aulâ: idque ab inermibus & togatis, solo linguæ telo.*

89. ET MOVET.] *Ratiocinatio obscurior, sed ista: Iniuria ad quem venit, eum mouet; sapiens non mouetur; ergo non ad eum. Noster de Irâ* III. *cap.* XXV. Qui non irascitur, inconcussus iniuriâ perstitit: qui irascitur, motus est.

90. IN ALTVM.] *Quomodo? vt in pectus recondat, & asseruet? non conuenit. Meus liber*, in altu. *Et*

A fendat. Sic in [91] certaminibus ſacris, [92] plerique vicêre, cædentium manus obſtinatâ patientiâ fatigando. Ex hoc puta genere ſapientem eorum, qui exercitatione longâ ac fideli, robur perpetiendi laſſandiſque omnem inimicam vim conſecuti ſunt. Quoniam x.
priorem partem percurrimus, ad alteram tranſeamus: in quâ quibuſdam proprijs, pleriſque verò communibus contumeliam refutabimus. Contumelia eſt minor iniuria, quam queri magis [93] quàm exſequi poſſumus, quam leges quoque nullâ dignam vindictâ putauerunt. Hunc affectum mouet humilitas animi, contrahentis ſe, ob factum dictumque inhonorificum. Ille me hodie non admiſit, cùm alios admitteret: ſermonem meum aut ſuperbè auerſatus eſt, aut palàm riſit: & non in [94] medio me loco, ſed imo collocauit: & alia huius notæ. Quæ quid vocem, niſi querelas nauſeantis animi, in quas ferè delicati & felices incidunt? non vacat enim hæc notare, cui peiora inſtant. Nimio otio, ingenia naturâ infirma & muliebria, & inopiâ veræ iniuriæ laſciuientia, his commouentur: quorum pars maior conſtat [95] vitio interpretantis. Itaque nec prudentiæ
B quicquam in ſe eſſe, nec fiduciæ oſtendit, qui contumeliâ afficitur. non dubiè enim contemptum ſe iudicat: & hic morſus non ſine quadam humilitate animi euenit, ſupprimentis ſe ac deſcendentis. Sapiens autem à nullo contemnitur, magnitudinem ſuam nouit: nulliſque tantum de ſe licere, [96] renunciat ſibi: & omnes has quas non miſerias animorum, ſed moleſtias dixerim, non vincit, ſed ne ſentit quidem. Alia ſunt quæ ſapientem feriunt, etiam ſi non peruertunt: vt dolor corporis, & debilitas, aut amicorum liberorumque amiſſio, & patriæ bello flagrantis calamitas. Hæc non nego ſentire ſapientem. nec enim lapidis illi duritiam ferríve aſſerimus. nulla virtus eſt, [97] quæ non ſentias, perpeti. Quid ergo eſt? Quoſdam ictus recipit: ſed receptos euincit, ſanat, & xi.
comprimit. hæc verò minora ne ſentit quidem, nec aduerſus ea ſolitâ illâ virtute vtitur dura tolerandi: ſed aut non annotat, aut digna riſu putat. Prætereà, cùm magnam partem contumeliarum ſuperbi inſolenteſque faciant, & malè felicitatem ferentes: habet quo illum affectum inflatum reſpuat, pulcherrimam virtutem omnium, [98] animi ſa-
C nitatem, magnitudinemque. illa, quicquid huiuſmodi eſt, tranſcurrit, vt vanas ſomniorum ſpecies, viſuſque nocturnos, nihil habentes ſolidi, neque veri. Simul illud cogitat, omnes inferiores eſſe, quàm vt illis audacia ſit, tanto excelſiora deſpicere. Contumelia à contemptu dicta eſt: quia nemo, niſi quem contempſit, tali iniuriâ notat, nemo autem maiorem melioremque contemnit, etiam ſi facit aliquid quod contemnentes ſolent. Nam & pueri os parentum feriunt, & crines matris turbauit lacerauitq; infans, & ſputo aſperſit, aut nudauit in conſpectu ſuorum tegenda, & verbis obſcœnioribus non pepercit: & nihil horum contumeliam dicimus. quare? quia qui fecit, contemnere non poteſt.

tu. *Et poſſet*, in alto, *legi: quaſi ipſe in alto & ſublimis, dimittat iniurias ſpernátque. ſed verius*, inultus, *vnâ voce. Non timete, inquit, vos procaces & iniurioſi: non accipit iniurias, nec agnoſcit quidem, & ſine vindictâ tranſit.*

D 91. CERTAMINIBVS SACRIS.] *Ita dicti Græciæ agones, quia dijs vel heroibus ſacrati. Auſonius:*

Quatuor antiquos celebrauit Achaia ludos,
Cælicolûm duo ſunt, & duo feſta hominum.
Sacra Iouis, Phœbique, Palæmonis, Archemorique.
Serta quibus pinus, malus, oliua, apium.

92. PLERIQVE.] *Pugiles nempe, quorum celebre ibi ſpectamen.*

CAP. X. 93. QVAM EXSEQVI.] *Vindicare, vlciſci. Suetonius Iulij cap.* LXVII. *Veſpaſiani* XIIII. *Seneca de Irâ* I. *cap.* XII. *& plures.*

94. MEDIO ME LOCO.] *Qui honeſtiſſimus, in ambulando, ſedendo, accubando. Alij libri*, lecto: *vt & meus ille bonus. Ac ſanè medius lectus honeſtiſſimus item fuit, ex Plutarchi Quæſt. Conuiuial. lib.* I. *Quæſt.* III. *quem vide. Si non eò refers, lege:* medio me lecti. *Ad ſententiam autem, ſimilia habes* III. *De Irâ, cap.* XXXVII.

95. VITIO INTERPRETANTIS.] *Qui in contemptum ſcilicet & deteriorem partem trahimus: boni in meliorem. vt Ariſtippus ille, Dionyſio ſe in imo locanti*: Hunc, inquit, locum ô rex illuſtrem & honeſtum deinceps vis reddere.

96. RENVNCIAT SIBI.] *Sibi dicit. Conſol. ad Polyb.* Poteſt iſta res à luctu te prohibere, ſi renunciaueris tibi, nihil horum quæ facis poſſe ſubduci. *Fabius lib.* XII. Sed ij primùm renuncient ſibi, quanta ſit ingenij humani vis. *Terentius*: Id ego iamnunc tibi here renuntio futurum.

97. QVÆ NON SENTIAS.] *Eâ mente Plato Diogeni Cynico, in frigore ſtatuam marmoream nudo corpori applicanti*, Numquid ſentis? *& negante illo*, Quid ergo magnum facis?

CAP. XI. 98. ANIMI SANITATEM.] *Propriam ſapientis, cùm alij ſcilicet ſtulti, id eſt inſani. Quid autem ea eſt? recta decreta animi, duce Ratione.*

99. MAN-

potest. Eadem causſa est, cur nos [99] mancipiorum nostrorum vrbanitas, in dominos A
contumelioſa, delectet: quorum audacia ita demum ſibi [100] in conuiuas ius facit, ſi cœpit à domino. Vt quiſque contemptiſſimus, & vt maximè ludibrio est, ita ſolutiſſimæ linguæ est. [101] Pueros quidem in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & ſub magiſtro habent, qui probra meditatè effundant: nec has contumelias
XII. vocamus, ſed argutias. Quanta autem dementia est, ijſdem modò delectari, modò offendi: & rem ab amico dictam, maledictum vocare, à ſeruulo, ioculare conuicium? Quem animum nos aduerſus pueros habemus, hunc ſapiens aduerſus omnes, quibus etiam poſt iuuentam canoſque [102] puerilitas est. An quicquam iſti profecerunt, quibus animi mala ſunt, auctique in maius errores, qui à pueris magnitudine tantùm formaque corporum differunt: ceterùm non minùs vagi incertique, voluptatem ſine dilectu appetentes, trepidi, & non ingenio, ſed formidine quieti? Non ideò quicquam, inter illos pueroſque, intereſſe quis dixerit, quòd [103] illis talorum nucumque & æris minuti auaritia est; his auri argentique & vrbium: quòd illi inter ipſos magiſtratus gerunt, & B
prætextam [104] faſceſque ac tribunal imitantur; hi eadem in campo foroque & in curiâ ludunt. [105] illi in littoribus arenâ congeſtâ ſimulacra domuum excitant; hi vt magnum aliquid agentes, in lapidibus ac parietibus, & tectis moliendis occupati, ad tutelam corporum inuenta, [106] in periculum verterunt. Ergo par pueris, longiuſque progreſſis, ſed in alia maioraque error est. Non immeritò itaque horum contumelias ſapiens, vt iocos, accipit: & aliquando illos, tamquam pueros, malo pœnaque admonet, & afficit: non quia accepit iniuriam, ſed quia fecerunt, & vt deſinant facere. Sic enim & pecora verbere domantur: nec iraſcimur illis, cùm feſſorem recuſauerint: ſed compeſcimus, vt dolor contumaciam vincat. Ergo & illud ſolutum ſcies, quod nobis opponitur, Quare ſi non accepit iniuriam nec contumeliam ſapiens, punit eos qui fecerunt? non enim ſe
XIII. vlciſcitur, ſed illos emendat. Quid est autem, quare hanc animi firmitatem non credas in virum ſapientem cadere, cùm tibi in alijs idem notare, ſed non ex eâdem cauſſâ liceat? Quis enim phrenetico medicus iraſcitur? quis febricitantis, & frigidâ prohibiti C
maledicta, in malam partem accipit? Hunc affectum aduerſus omnes habet ſapiens, quem aduerſus ægros ſuos medicus: quorum nec obſcœna, ſi remedio egent, contractare, nec [107] reliquias & [108] effuſa intueri didignatur, nec per furorem ſæuientium excipere conuicia. Scit ſapiens, omnes hos qui [109] togati purpuratique incedunt,
[110] valen-

99. MANCIPIORVM.] *Quo in genere* Coprię, *vt in Suetonij Tiberio cap.* LXI. *Claudij, cap.* VIII *qui Suidæ* κόφριοι ἄνδρες, *& Ariſtophani, initio Irenes,* κοφολόγοι. *Vbi Scholiaſtes vult Rhetoras notari,* ὡς μυσαροὺς καὶ λοιδόρους: vt fœdos & cõuiciatores.

100. IN CONVIVAS.] *Nam hoc genus in menſis. Plinius lib.* IX. *epiſt.* XVII. Scurrę, cinędi, moriones mẽſis inerrabãt. *Liuius* XXXIII. Cùm in publico epulatus domũ reuerteretur, proſequẽtibus mollibus viris, qui ioci cauſſâ conuiuio celebri interfuerant.

101. PVEROS QVIDEM.] *Statius:*

Non ego mercatus Phariâ de puppe loquaces
Delicias, doctumque ſui CONVICIA Nili
Infantem, LINGVAQVE ſimul SALIBVSQVE PROTERVVM.

Imò & conuiuas tenuiores, ſportulæ largitione quaſi emebant, vt ÿ ferrent. Lucanus, ſiue quis auctor carminis ad Piſonem:

Sed miſerum, *(clientem)* paruâ ſtipe munerat, vt pudibundos
Exercere ſales inter conuiuia poſſit.

CAP. XII. 102. PVERILITAS EST.] *Seneca epiſt.* IV. Maius gaudium exſpecta, cùm te Philoſophia in viros tranſſcripſerit. Adhuc enim non pueritia in nobis, ſed, quod est grauius, puerilitas remanet.

103. ILLIS TALORVM.] *Noſter epiſt.* CXV. Quid intereſt? niſi quòd nos circa ſtatuas & tabulas inſanimus, cariùs inepti? Illos reperti in litore calculi delectant: nos ingentiũ maculæ columnarum.

104. FASCESQVE AC TRIB.] *Spartianus in Seuero:* In primâ pueritiâ nullum alium ludum, niſi ad Iudices exercuit: cùm ipſe prælatis faſcibus ac ſecuribus, ordine puerorum circumſtante, iudicaret. *Plutarchus in Catone*: Ludus erat, iudicia, accuſationes, damnatorum abductiones.

105. ILLI IN LITTORIBVS.] *Prorſus ad hoc Homericum Iliad. o. verſ.* 362. D

——— ὡς ὅτε τις ψάμαθον παΐς ἄγχι θαλάσσης,
Ὅς τ' ἐπεὶ ἓν ποιήσει ἀθύρματα νηπιέῃσιν,
Αὖψ ἄυτις συνέχευε ποσὶν καὶ χερσὶν, ἀθύρων:
——— vt ludens puer accumulauit arenas
Littore in oceani, & varias finxit ſibi formas,
Mox manibus pedibuſque iterùm confundit eaſdem.

Et quid aliud ille Diues, qui

Deſtruit, ædificat, mutat quadrata rotundis?

106. IN PERICVLVM.] *Ob ruinas crebras, ex mole & altitudine.*

CAP. XIII. 107. RELIQVIAS.] *Alui excremẽta.*

108. EFFVSA.] *Veſicæ.*

109. TOGATI PVRPVRATIQVE.] *Non quia Toga è purpurâ, ſed quia purpurâ prætextâ, in magiſtratibus*

A [110] valentes coloratosque, malè sanos esse: quos non aliter videt, quàm ægros intemperantes. Itaque ne succensèt quidem, si quid in morbo petulantiùs ausi sunt aduersus medentem: & quo animo honores eorum nihilo æstimat, eodem parùm honorificè facta. Quemadmodum non placet sibi, si illum mendicus coluerit, nec contumeliam iudicabit, si illi homo plebis vltimæ salutanti mutuam salutationem non reddiderit: sic nec se suspiciet quidem, si illum multi diuites suspexerint. scit enim illos nihil à mendicis differre, imò miseriores esse. illi enim exiguo, hi multo egent. Et rursum non tangetur, si illum rex Medorum, [111] Attalúsve Asiæ, salutantem silentio ac vultu arroganti transierit. scit statum eius non magis habere quicquam inuidendum, quàm eius cui in magnâ familiâ cura obtigit, ægros insanosq; compescere. Num molestè feram, si mihi non reddiderit nomen aliquis ex his, qui [112] ad Castoris negotiantur, nequam mancipia ementes vendentesque, quorum tabernę pessimorum seruorum turbâ refertæ sunt? non, vt puto. quid enim is boni habet, sub quo nemo nisi malus est? Ergo vt huius humanitatem inhumanitatemque negligit, ita & regis. Habes sub te Parthos, Medos, & Bactrianos: sed quos metu contines, sed propter quos [113] remittere arcum tibi non contingit, sed postremos, sed vænales, sed nouum aucupantes dominum. Nullius ergo mouebitur contumeliâ. Omnes enim inter se differunt: sapiens quidem pares illos, ob æqualem stultitiam, omnes putat. Iam si semel se demiserit eò, vt aut iniuriâ moueatur, aut contumeliâ; non poterit vnquam esse securus: securitas autem proprium bonum sapientis est. Nec committet, vt vindicando sibi contumeliam factam, honorem habeat ei qui fecit. necesse est enim, à quo quisque contemni molestè fert, suspici gaudeat.

B Tanta quosdam dementia tenet, vt contumeliam sibi posse fieri putent à muliere. XIV. Quid refert, quantum habeat, [114] quot lecticarios, quàm [115] oneratas aures, quàm [116] laxam sellam.

stratibus quidem. Aliter etiam purpurati, *quia ditiores Lacernas sumebant* improbi coloris, *vt ipse alibi*
C *appellat: id est è purpurâ totas. Martialis*:

Illas purpureas & arrogantes,
Iussit surgere Lectius lacernas.

Satyricus: —— cui circum humeros hyacinthina læna est.

110. VALENTES COLORATOSQVE.] *Muretus aliter, atque alio sensu, vocem* valentes *eiecit. (etsi ea in priscis sanè libris) & legit:* inter coloratos maleque sanos esse. *Itaque illud* Coloratos *ad pallorem, lurorem, aut morbi notas duxit. Nostra lectio & sensus (meo sensu) melior: Hi quos vides, inquit, facie valentes & benè tinctos, colore fortium; isti omnes malè sani sunt & ægri. Nempe à corpore valent, ab animo ægrotant. Ita Senecæ, De Vitâ beat. cap.* VII. Virtus puluerulenta, colorata, *robusta est*: Voluptas *contrà*, eneruis, pallida, fucata. *Verba igitur Senecæ, sic exaudienda quasi esset*, valentes coloratique
D *que: & posis ita legere, etsi altera ordinatio item proba.*

111. ATTALVSVE ASIÆ.] *Reges Pergami primò, & posteà in parte minoris Asiæ, plerique* Attali *dicti. Itaque quasi nomen commune, & imperij illius, inualuit: quasi dicam,* Ptolomæus Ægypti, Antiochus Syriæ.

112. AD CASTORIS.] *Alij*, ad castra. *& scio equidem mangones secutos etiam castra, quia plerumque ibi mancipia vænalia è prædâ. Sed hic de ipsâ vrbe sermo: & rectè* ad Castoris, *id est templum. quod in Romano foro fuit: & iuxtà, vt hinc discimus, tabernæ vænalium seruorum. Sic enim acceperim, & de Mangonibus ipsis, qui nequam seruos vendunt emúnve. At alij tamen, quasi de Seruis ipsis, qui officinæ præfecti vendunt aut emunt. Verba sequentia damnant.*

113. REMITTERE ARCVM.] *Quidam,* animum: *malè. Nam ad morem Parthorum regum respicit, quibus pro insigni Arcus, & simul ad terrorem. Dio libro* XLIX. *legatos Antonij à Phraate auditos scribit:* cùm ipse in aureâ sellâ sederet, neruum arcus pulsans, multisque verbis in Romanos inuectus. *Statius, de nouo rege, eiusq; insignibus:*

Sumere tunc ARCVS, ipsumq; onerare veretur
Patris equum, visusque sibi nec sceptra capaci
Sustentare manu, nec adhuc implere tiaram.

Sed & Turcici reges tale. ac Busbequius olim noster, de Solymanno: Sedebat in solio humili, instrato, iuxtà autem arcus & sagittæ.

CAP. XIV. 114. QVOT LECTICARIOS.] *Nam diuites, viri fœminæq;*, hexaphoro vel octophoro *vehebantur: id est gestamine sex vel octo baiulorum. At tenuiores, vel duobus contenti erant. Nos* 1. *Elector. cap. de* Lecticâ.

115. ONERATAS AVRES.] *Lucanus*:

—— colloque, comisque
Diuitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.

Seneca, De Benefic. VII. *cap.* IX. Video vniones, non singulos singulis auribus comparatos: iam enim exercitatæ aures, oneri ferendo sunt. *Claudianus:* —— colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures.

Horatius:

Nec sit marita, quæ rotundioribus
Onusta baccis ambulet.

116. LAXAM SELLAM.] *In quâ feratur. Diuites enim eâ patentiore: vt in Martiali*:

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit.

xam sellam? æquè [117] impudens animal est, & nisi scientia accessit ac [118] multa eruditio, A
[119] ferum, cupiditatum incontinens. Quidam se [120] à cinerario impulsos molestè ferunt, & contumeliam vocant ostiarij [121] difficultatem, nomenculatoris [122] superbiam, [123] cubicularij supercilium. O quantus inter ista risus tollendus est, quantâ voluptate implendus animus, ex alienorum errorum tumultu, contemplanti quietem suam! Quid ergo? sapiens non accedet ad fores, quas durus ianitor obsidet? Ille verò, si res necessaria vocabit, experietur, & illum, quisquis erit, [124] tamquam canem acrem, obiecto cibo leniet: nec indignabitur aliquid impendere, vt limen transeat, cogitans & [125] in pontibus quibusdam pro transitu dari. Itaque illi quoque, quisquis erit, qui hoc [126] salutationum publicum exercet, donabit: scit emere venalia. Ille pusilli animi est, qui sibi placet, quòd ostiario liberè respondit, quòd [127] virgam eius fregit: quòd ad dominum accessit, [128] & petijt corium. [129] Facit se aduersarium qui contendit, & vt vincat, par fuit. At sapiens colaphis percussus, quid faciet? quod Cato, cùm illi os percussum esset: non excanduit, non vindicauit iniuriam: ne remisit quidem, sed [130] factam negauit. Maiore B
animo non agnouit, quàm ignouisset. Non diu in hoc hærebimus. quis enim nescit, nihil ex his quæ creduntur bona aut mala, ita videri sapienti, vt omnibus? Non respicit quid homines turpe iudicent, aut miserum: non it quà populus: sed [131] vt sidera con-
XV. trarium mundo iter intendunt, ita hic aduersus opinionem omnium vadit. Desinite itaque dicere: Non accipiet ergo sapiens iniuriam, si cædetur? si oculus illi eruetur? non accipiet contumeliam, si obscœnorum vocibus improbis per forum agetur? si in [132] conuiuio

117. IMPVDENS ANIMAL.] *Itáne de fœminis, ô Annæe, & Paullina tua hæc leget? Legat, res dicenda est. quam tecũ & Cato, apud Liuium lib.* XXXIV. Impotẽs naturâ, & indomitũ animal. *Ante omnes Homerus:*

Ὡς ἐκ αἰνότερον, ἢ κύντερον ἄλλο γυναικὸς:

Nil grauius, nil improbius, quàm fœmina, viuit.

118. MVLTA ERVDITIO.] *Vis tu igitur doctam & sciolam esse? Poëtæ & ratio negant: nec litteris ad virtutẽ, sed ad libidines & fraudes vti. At Senecæ mẽs de* eruditione, *Stoico sermone & sensu: id est, vt Philosophiâ imbuatur, & seuerioribus illis studijs, non amœnioribus formetur. Ita & vellet suam matrẽ* sapientię studijs imbutã: *Consol. ad Heluiam, cap.* XVI.

119. FERVM.] *Alius Seneca:*

—— nulla non melior fera est.

120. A CINERARIO.] *Glossæ:* Cinerarius, δοῦλος ἑταίρας: amicę seruus. *Idem est, qui* Ciniflo, *& explicatur* γυναικῶν κοσμητὴς, ornator mulierum. *Itaque isti proximi Dominæ, & sectabantur. Horatius:*

*Vide Epistol. Quęst. 1 epist. XIII

Custodes, lectica, ciniflones, parasiti.

Tertullianus lib. II. *ad Vxor.* Vnde, nisi à Diabolo, maritum petant, bonum exhibendę sellæ, & mulabus, & cinerarijs peregrinæ proceritatis? *Impulsos igitur ab ijs significat, dum viam dominæ faciunt, velut priuati apparitores.*

121. DIFFICVLTATEM.] *Non admittentis.*

122. SVPERBIAM.] *Nomen tuum suggerere dedignantis, aut non resalutantis.*

123. CVBICVLARII.] *Serui à cubiculo, & admissionibus interioribus.*

124. TAMQVAM CANEM.] *Bona allusio. nam & ianitores canem alligatum iuxta ostium habebant, ad suscitandum: & ipsi catenâ adstricti, vt canes. Itaque* ostiarios canes *idem noster dicit, De Irâ* III. *cap.* XXXVII.

125. IN PONTIBVS.] *Vectigalis genus. de quo in Admirandis nostris aliquid, lib.* II. *cap.* I.

126. SALVTATIONVM.] *Ita & meus optimus liber: alij plerique,* salutatorium, *etiam benè, & eodem sensu.* Publicum exercere *dicuntur, qui vectigalia publica redimunt, inde* Publicani. *Nam* Publicum, *ipsa* τελωνία, *in Glossis. Seneca epist.* CXI. Quiad publica quoque accesserat. *epist.* CXX. Quod agitarem publicum. *Plautus:* Illa, non ego, habuit publicum. *Facetè autem sic appellat, quia pro admissione ad salutandum, pecuniola dabatur. Iuuenalis:* C
- quid das, vt Cossum aliquando salutes? Publicum *igitur* salutationum; *vt* publicum salis, vini. *quod* exercet *is, qui conduxit, & præest.*

127. VIRGAM EIVS.] *Hanc gestabant, ad amoliendum aut submouendum indignos, vel importunos. Arundinem plurimùm fuisse Petronius indicat:* Et arundinem ab ostio rapuit, iterumque nil respondentem mulcauit. *Propertius:*

Nec crepuit fissâ, me propter, arundine custos.

128. ET PETIIT CORIVM.] *Id est, ait Muretus, petijt vt Hostiarius vapulet, & sibi de corio eius satisfiat. Sensum non improbo, phrasim quis è Latio mihi præstat? Ego* * *olim volebam:* petijt lorum. *Nam loris siue flagellis serui vapulabant, atque ea hoc fine petebant. Plautus:* Ite istuc, atque efferte lora. *Neque nunc melius habeo: et si libri aliter. è quibus meus,* accessit petens corium: *quidam,* accessit petitorium: *alij,* petijt tornum, *ex quo nonnemo* torum. D
quasi esset, rectà accesit ad dominum decumbentem.

129. FACIT SE ADV.] *Id est, Quisquis opponit se, idem & componit: & quamuis superet, in æquo cum eo stetit.*

130. FACTAM NEGAVIT.] *Hoc tale fuit. Percussit aliquis Catonem in balneo insciens. Excusanti, & satisfacienti, Cato,* Non memini, *inquit,* me percussum. *Vide. De Irâ* II. *cap.* XXXII.

131. VT SIDERA.] *Planetæ, vel errones.*

CAP. XV. 132. CONVIVIO REGIS.] *Ita appellabant, potentẽ aliquem, & quem colebant ac sectabãtur. An ad Caligulæ etiam factum allusum, qui* Pomponium Secundum, tunc Consulem, publico epulo ad pedes suos sedere iussit, ibique cibum capere?

133. CVM

A conuiuio regis, recumbere infra mensam, vesciqúe [133] cum seruis ignominiosa officia sortitis iubebitur? si quid aliud ferre cogetur eorum, quę excogitari pudori ingenuo molesta possunt? In quantumcumque ista vel numero, vel magnitudine creuerint, eiusdem naturæ erunt. Si non tangent illum parua, ne maiora quidem: si non tangent pauca, ne plura quidem. Sed ex imbecillitate vestrâ coniecturam capitis ingentis animi: & cùm cogitastis, quantum puteris vos pati posse, sapientis patientiæ paullò vlteriorem terminum ponitis. At illum in alijs mundi finibus sua virtus collocauit, nihil vobiscum commune habentem. Quare etsi aspera, & quantumcumque toleratu grąuia sint, aduitusque & visu refugienda, non obruetur eorum cœtu: & qualis singulis, talis vniuersis obsistet. Qui dicit illud tolerabile sapienti, illud intolerabile, & animi magnitudinem intra certos fines tenet: malè agit. vincit nos fortuna, nisi tota vincatur. Nec putes istam Stoicam esse duritiam: Epicurus, quem vos patronum inertiæ vestræ assumitis, putatisque mollia ac desidiosa præcipere, & ad voluptates ducentia: [134] *Rarò*, inquit, *sapienti in-*
B *teruenit fortuna.* Quàm pænè emisit viri vocem! Vis tu fortiùs loqui, & illam ex toto submouere? Domus hæc sapientis angusta, sine cultu, sine strepitu, sine apparatu, nullis obseruatur ianitoribus, turbam [135] vænali fastidio digerentibus: sed per hoc limen vacuum, & ab ostiarijs liberum, fortuna non transit. scit [136] non esse illic sibi locum, vbi sui nihil est. Quòd si Epicurus quoque, qui corpori plurimum indulsit, aduersus iniurias exsurgit: quid apud nos incredibile videri potest, aut supra humanæ naturæ mensuram? Ille ait iniurias tolerabiles esse sapienti, nos iniurias non esse. Nec est, quòd XVI.
dicas hoc naturæ repugnare. Non negamus [137] rem incommodam esse, verberari & impelli, & aliquo membro carere: sed omnia ista negamus iniurias esse. non sensum illis doloris detrahimus: sed nomen iniuriæ, quod non potest recipi virtute saluâ. Vter veriùs dicat, videbimus: ad contemptum quidem iniuriæ vterque consentit. Quæris quid inter duos interfit? Quod inter gladiatores fortissimos. quorum alter premit vulnus, & stat [138] in gradu; alter respiciens ad clamantem populum, significat nihil esse, & [139] in-
C tercedi non patitur. Non est, quòd putes magnum, quo dissidemus. [140] Illud quidem agitur, quod vnum ad nos pertinet, vtraque exempla hortantur contemnere: & iniurias, & quas iniuriarum vmbras ac suspiciones dixerim, contumelias. ad quas despiciendas non sapienti opus est viro, sed tantùm conspiciente, qui sibi possit dicere: Vtrùm meritò mihi ista accidunt, an immeritò? Si meritò, non est contumelia, iudicium est. si immeritò: illi qui iniusta facit, erubescendum est. Et quid est illud, quod contumelia dicitur? in capitis mei [141] leuitatem iocatus est, & in oculorum valetudinem, & in crurum gracilitatem, & in staturam. Quæ contumelia est, [142] quod apparet, audire? Coram vno aliquid

133. CVM SERVIS.] *Qui non in lecto, sed in subsellio iuxta lectum, sedentes solent vesci. Donatus in vitâ Terentij*: Iussus antè Cęcilio recitare, ad cænantem cùm veniisset, quòd erat contemptiore vestitu, subsellio iuxta lectulum residés legisse dicitur.
D post paucos verò versus, inuitatus vt accumberet, cænasse vnà. *Apud Plautum, serui, in Sticho:*

Potiùs in subsellijs Cynicè accipiemur, quàm in lecto.

Apud eumdem Parasitus:

Non postulo equidem med in lecto accũbere,
Scis tu med esse imi subsellij virum.

134. RARÒ SAPIENTI.] *Id est, non sæpè eum interpellat, adit, donat, aufert, aut ius in eum habet. Est hoc ipsum, quod Vitruuius Præfatione libri* VI. Epicurus, *inquit*, non dissimiliter: Pauca sapientibus Fortunam tribuere; quæ autem maxima & necessaria sunt, animi mentisque cogitationibus gubernari.

135. VÆNALI FASTIDIO.] *Quidam libri*, studio. *sed illud placet. Intellegit disponi ab ijs intrantes, & cum fastu ac fastidio eligi, vt quisque dedit aut daturus speratur.* Vænale *igitur, quia pro pecuniâ ponunt aut sumunt. Sunt illi canes, qui obiectâ offâ placantur, cap. superiore.*

136. NON ESSE.] *Eius sensu, qui non admittit.*

CAP. XVI. 137. REM INCOMMODAM.] *Inter Stoicorum* ἀποπροηγμένα. *Nam* προηγμένα, Commoda *dicuntur.*

138. IN GRADV.] *Non fugit, non item deijcit se aut submittit.*

139. INTERCEDI.] *A populo. qui solet in fauorabili gladiatore preces interponere apud editorem, atque eum liberare. Vide Saturnal. nostra, lib.* II. *cap.* XXII.

140. ILLVD QVIDEM.] *Alij libri*, Illud quoque. *Tu lege:* Illud quo de agitur, quod vnum ad nos pertinet, vtraque exempla hortantur.

141. LEVITATEM.] *Id est, caluitium. Tibullus*:

— cui leuia fulgent
Ora, nec amplexus hispida barba terit.

142. QVOD APPARET.] *Quod in oculis est, & ab omnibus conspicitur.*

aliquid dictum ridemus, coram pluribus indignamur: & eorum alijs libertatem non A
relinquimus, quæ ipsi in nos dicere assueuimus. Iocis temperatis delectamur, immodicis
XVII. irascimur. Chrysippus ait quemdã indignatum, quòd illum aliquis [143] *Veruecem marinum* dixerat. In senatu flentem vidimus Fidum Cornelium, [144] Nasonis generum, cùm illum Corbulo [145] *Struthiocamelum* [146] *depilatum* dixisset. Aduersus alia maledicta, mores & vitam conuulnerantia, frontis illi firmitas constitit: aduersus hoc tam absurdum lacrimæ prociderunt. tanta animorum imbecillitas est, vbi ratio discessit. Quid quòd offendimur, si quis sermonem nostrum imitatur, si quis incessum, si quis vitium aliquod corporis aut linguæ exprimit? quasi notiora illa fiant alio imitante, quàm nobis facientibus. Senectutem quidam inuiti audiunt, & canos, & alia, ad quæ voto peruenitur. Paupertatis maledictum quosdam perussit: quam [147] sibi obiecit, quisquis abscondit. Itaque materia petulantibus, & per contumeliam vrbanis detrahitur, si vltrò illam & prior occupes. nemo alijs risum præbuit, qui ex se cepit. Vatinium hominem natum & [148] ad risum, & ad odium, scurram fuisse venustum ac dicacem, memoriæ proditum est. in B
[149] pedes suos ipse plurima dicebat, & in [150] fauces concisas: sic inimicorum, [151] quos plures habebat quàm morbos, & in primis Ciceronis vrbanitatem effugit. Si ille hoc potuit duritiâ oris, qui assiduis conuicijs deprudere didicerat: cur is non possit, qui studijs liberalibus, & sapientiæ cultu, ad aliquem profectum peruenerit? Adijce, quòd genus vltionis est, eripere ei qui fecit contumeliæ voluptatem. Solent dicere: *Miserum me, puto non intellexit!* adeò [152] fructus contumeliæ in sensu, & indignatione, patientis est. Dein-
XVIII. de non deerit illi [153] aliquando par: inuenietur, qui te quoque vindicet. C. Cæsar inter cetera vitia, quibus abundabat, contumeliosus mirabiliter ferebatur [154] omnes aliquâ notâ ferendi, ipse materia risus benignissima. Tanta illi [155] palloris [156] insaniam testantis fœditas erat, tanta oculorum sub [157] fronte anili latentium toruitas, tanta capitis destituti, & [158] emendicatis capillis asperfi deformitas. adijce obsessam setis ceruicem, & exilitatem crurum, & enormitatem pedum. Immensum est, si velim singula referre, per
quæ C

CAP. XVII. 143. VERVECEM MARINVM.] *Veruex, in stupidos & fatuos conuicium. In Plauto*: O veruex! *& alibi*, Veruecium caput. *Sed cur* marinus? *nugari displicet, nescio. Sunt vituli, canes, porci marini, an & oues? Sed si oues: vnde sectus illic veruex? Itaque absurdus iocus est, & in hominem fatuum ipse fatuus. Alij libri* veruecem maximum *habent: sed aliud verbi fuit.*

144. NASONIS GENERVM.] *Ouidij, quæ vox ipsa in meo & quibusdã libris addita. Filiam autẽ habuit, & quidẽ in Africâ, tunc cùm relegatus est. Ipse* I. *Trist.*

Nata procul Libycis aberat diuersa sub oris,
Nec poterat fati certior esse mei.

An cum hoc suo marito?

145. STRVTHIOCAMELVM.] *Hominem oblongum fuisse opinor, collo cruribusq; gracilem: vt hodie id genus* Ardeas *vocamus.*

146. DEPILATVM.] *An quia toto corpore nulli huic homini pili? & obiter notat inter molles vulsosq; fuisse? Struthiocamelo quidem in capite caluities. de quâ Plinius*: Quædam animalium naturaliter caluent, sicut Struthiocameli.

147. SIBI OBIECIT.] *Qui dissimulare eam & tegere vult, ipse conspicuam magis facit, & materiem sermonum. Siue & hoc sensu: ipse eius se arguit, qui obiectam abnuit & sedulò negat. Nam diuites, in tali conuicio rideant, aliter sibi conscij: isti ringuntur, & eoipso agnoscunt.*

148. AD RISVM.] *Ex alijs capiendum. nam sequitur*, venustum *fuisse. Possis tamen & aliter: vt natus fuerit rideri, ob faciem & habitum; odio haberi, ob mores & vitia.*

149. PEDES SVOS.] *Podagrâ enim laborabat.*

150. FAVCES CONCISAS.] *Strumis sæpiùs exsectis.*

151. QVOS PLVRES.] *Cicero in eum*: Odio enim tui, etsi omnes superare propter tuum in me scelus debeo, tamen ab omnibus ferè vincor.

152. FRVCTVS CONTVMEL.] *Tertullianus, De Patientiâ, cap.* VIII. Nempe iccircò quis te lædit, vt doleas: quia fructus omnis lædentis in dolore læsi est. Ergo cùm fructum eius cuerteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui.

153. ALIQVANDO PAR.] *Meus optimus*: non deerit illi aliquando parem inuenire. *Quæ germana est & elegans scriptura: ac vide quæ de hac phrasi* III. *De Irâ, cap.* XXXVI.

CAP. XVIII. 154. OMNES ALIQVA.] *Si tenes, lege*: feriendo. *Sed libri meliores*: Omnibus aliquâ notâ feriendis. D

155. PALLORIS.] *Suetonius*: Staturâ fuit eminenti, pallido colore.

156. INSANIAM TEST.] *Quia fœdus pallor, & ab atrâ bile.*

157. FRONTE ANILI.] *Quiáne fortasse rugosa? etsi libri variant: & meus* hauili; *alij*, simul *referunt. Ex quo ego olim* simâ, *id esset depressâ & iacente: sed nunc verius habeo*, sub fronte simili. *Oculi, inquit, torui; & frons similis. Suetonius hoc approbat apertè*: Fronte latâ & toruâ. *Nam si anilis etiam aut rugosa fuisset, cur sileat?*

158. EMENDICATIS.] *Puto verum esse, & adscititios externosq; crines tangi. An & ideò* emendicatis,

A quæ[159] in patres[160] auoſque ſuos contumelioſus fuit, per quæ in vniuerſos ordines: ea referam, quæ illum exitio dederunt.[161] Aſiaticum Valerium[162] in primis amicis habebat, ferocem virum, & vix æquo animo alienas contumelias laturum. Huic in conuiuio,[163] item in concione, voce clariſſimâ,[164] qualis in concubitu eſſet vxor eius, obiecit. Dij boni, hoc virum audire, Principem ſcire, & vſque eò licentiam peruenisſe, vt non dico conſulari, non dico amico, ſed tantùm marito Princeps & adulterium ſuum narret, & faſtidium? Chęreę[165] tribuno militum, ſermo[166] non pro manu erat,[167] languidus ſono, & [168] infractâ voce ſuſpectior. Huic Caius[169] ſignũ petenti modò *Veneris*, modò *Priapi* dabat:[170] aliter atq; aliter exprobrans armato mollitiam. Hæc ipſe[171] perlucidus,[172] crepidatus,[173] armillatus. Coëgit itaque illum vti ferro, ne ſæpiùs ſignum peteret. Ille primus inter coniuratos manum ſuſtulit: ille ceruicem mediam vno ictu[174] decîdit: plurimum deinde vndique publicas ac priuatas iniurias vlciſcentium gladiorum ingeſtum eſt. ſed primus vir fuit, qui minimè viſus eſt. At idem Caius omnia
B contumelias putabat, & ſicut ferendarum impatiens, faciendarum cupidiſſimus. Iratus fuit Herennio Macro, quòd illum[175] *Caium* ſalutauerat: nec impunè ceſſit primipilario, quòd *Caligulam* dixerat. Hoc enim in caſtris natus, & alumnus legionum vocari ſolebat, nullo nomine militibus familiarior vmquam factus: ſed iam Caligulam conuicium & probrum iudicabat[176] cothurnatus. Ergo hoc ipſum ſolatio erit, etiam ſi noſtra facilitas vltionem omiſerit, futurum aliquem, qui pœnas exigat à procace, & ſuperbo, & iniurioſo: quæ vitia numquam in vno homine, & in vnâ contumeliâ conſumuntur. Reſpiciamus eorum exempla, quorum laudamus patientiam: vt Socratis, qui comœdiarum publicatos in ſe, & ſpectatos ſales, in partem bonam accepit, riſitque non minùs, quàm

tis, *quia à loco ad locum quaſi precariò traductis & diſpoſitus, ad implendum? Quidam tamen libri*, medicatis, *quod eſſet fuco tinctis: at meus*, capitis deſtituti, & enudati, totis cap. *Suetonius:* Capillo raro, & circa verticem nullo.
C

159. IN PATRES.] *Omnes libri. non diſpliceat tamen cum Mureto*, parentes. *Certè & in* matrem *contumelioſus fuit: quam* prędicabat ex inceſto natam, quod cum Iuliâ filiâ Auguſtus commiſiſſet: *Suetonius.*

160. AVOSQVE.] *Agrippam. cuius* ſe nepotem neque credi, neque dici, ob ignobilitatem eius volebat. *Idem.*

161. ASIATICVM.] *De quo Tacitus* XI. *Annal. (& nos ibi) quémque* præcipuum auctorem interficiendi C. Cæſaris *adfirmat.*

162. IN PRIMIS AMICIS.] *Nam claſſes erant amicorum, prima, ſecunda, tertia.*

163. ITEM IN CONCIONE.] *Credámne? etſi enim omnia fœda conueniunt in hoc monſtrum; vix tamen ea impudentia, vt in concione populi narrauerit adul-*
D *teria. Et quæ occaſio fuiſſet? aut ſi factum, cur non alius tam inſigne hoc ſcripſit? Libri meus & alij:* idem in concione. *Fecerim*, id eſt in conc. *Senecæ enim hoc ſchema & auxeſis eſt, interpretantis. In conuiuio, inquit, obiecit: quanto minus, quàm in concione? Nam multi in Principum mensâ conuiuæ, & ſermones illi per populũ ſtatim diuulgati. Placebat etiam aliquando*, item in cognitione: *ſed omitto.*

164. QVALIS IN CONC.] *Non grata, non id quod nolo dicere. Nam vitium obieciſſe, ex eo apparet quod ſequitur, de* faſtidio.

165. TRIBVNO.] *Meus*, contribuno.

166. NON PRO MANV.] *Mollis & languidus: cùm manus prompta & virilis.*

167. LANGVIDVS SONO.] *Alij*, ſomno. *ſed ad ipſum ſermonem ſi refers, illud teneas: & verò tenendum eſt.*

168. INFRACTA VOCE.] *Vacillant libri. alij*, infecta noxe: infacta nocens: *meus*, infacta noxe. *Muretus ex Siculo:* ni facta noſſes. *& probat, hoc ſenſu: Suſpectior eſſe poterat, niſi facta noſſes, quæ ab omni mollitie diſſidebant. Mihi incidebat, è meo:* in facta vxoria: *vt pathicum honeſtè notet. Alioqui*, infracta vox, *probo etiam ſenſu; atque ea parùm viros & eunuchos prodit.*

169. SIGNVM PETENTI.] *More militiæ, & vt Tribuno. Vide Suetonium, cap.* LVI.

170. ALITER ATQVE ALITER.] *Cùm* Venerem *ei ſignum daret, vt fœminæ*; Priapum, *vt qui virum quæreret.*

171. PERLVCIDVS.] *Mollium veſtis, aut fœminarum. Iuuenalis:*

Acer & indomitus, libertatiſque magiſter,
Cretice pelluces.

Vide Senecam, epiſt. CXV. *atque alibi.*

172. CREPIDATVS.] *In ſoleis, item fœmineum.*

173. ARMILLATVS.] *A Pinciani coniecturâ eſt, cui fulcrum hoc Suetonij*: Manuleatus & armillatus in publicum proceſſit. *Liber tamen meus, & plerique*, auratus. *quod item mulierum: vt in Propertio*, Hæc nunc auratâ cyclade verrit humum. *De* Armillis *tamen, quis etiam abnuat? & cultus ille inter parùm viriles.*

174. DECIDIT.] *Ita libri. ſed mallet Pincianus* diſcidit. *Vide Suetonium.*

175. CAIVM.] *Proprio nomine (etſi ita tunc ſolet:) non autem Imperatorem, aut Cæſarem.*

176. COTHVRNATVS.] *Eſt à Pinciano diuinante, ſed rem profectò tangente. Nam libri*, conturbatus. *Suetonius*: Modò in crepidis, vel cothurnis, modò ſpeculatoriâ caligâ conſpectus eſt.

quàm cùm ab vxore Xanthippe immundâ aquâ perfunderetur. [177] At Iphicrates, cui A
mater barbara & Thressa obijciebatur, respondit, *& deorum matrem Idæam esse.*

XIX. Non est in rixam colluctationemque veniendum. procul auferendi pedes sunt: & quidquid horum ab imprudentioribus fiet (fieri autem nisi ab imprudentibus non potest) negligendum. Et honores & iniuriæ vulgi, in promiscuo habendi sunt: nec his dolendum, nec illis gaudendum. Alioquin multa, timore contumeliarum aut tædio, necessaria omittemus: & publicis priuatisque officijs, aliquando etiam salutaribus, non occurremus, dum muliebris nos cura angit, aliquid contra animum audiendi: aliquando etiam obirati potentibus, detegemus hunc affectum intemperanti libertate. Non est autem libertas, nihil pati. Fallimur. libertas est, animum [178] opponere iniurijs, & eum facere se, ex quo solo sibi gaudenda veniant: exteriora deducere à se, ne inquieta agenda sit vita, omnium risus, omnium linguas timenti. Quis est enim, qui non possit contumeliam facere, [179] si quisquam potest? Diuerso autem remedio vtetur sapiens, assectatorque sapientiæ. Imperfectis enim, & adhuc ad publicum se iudicium dirigentibus, hoc B
proponendum est, inter iniurias ipsos contumeliasque debere versari. Omnia leuiora accidunt exspectantibus. quò quisque honestior genere, famâ, patrimonio est, hoc se fortiùs gerat: memor, [180] in primâ acie altos ordines stare: contumelias & verba probrosa, & ignominias, & cetera dehonestamenta, velut clamorem hostium ferat, & longinqua tela, & saxa sine vulnere circa galeas crepitantia. Iniurias verò, vt vulnera, [181] alia armis, alia [182] pectori infixa, non deiectus, ne motus quidem gradu, sustineat. Etiam si premeris, & infestâ vi vrgeris, cedere turpe est: assignatum à naturâ locum tuêre. Quæris quis hic sit locus? viri. Sapienti aliud auxilium est huic contrarium. Vos enim rem geritis: illi parta victoria est. Ne repugnate vestro bono, & hanc spem, dum ad verum peruenitis, alite in animis: libenterque meliora excipite, & opinione ac voto iuuate. Esse aliquem inuictum, esse aliquem in quem nihil fortuna possit, è Republicâ humani generis est.

177. AT IPHICRATES.] *Vix videtur. quia patrem ei sutorem, & ignobile id genus tribuunt: at non de matre, quod sciam. Neq; libri eò ducunt, qui meliores* Antistheni mater barbara, *habent. Sic ergo legatur, Pinciano etiam indice: & Diogene, in vitâ Antisthenis, auctore.* Ἐλέγετο δὲ ἐκ τῆς Θρᾳττης. ὅθεν πρὸς τὸν ὀνειδίζοντα εἰπεῖν, καὶ ἡ μήτηρ τῶν θεῶν Φρυγία ἐστιν. ἐδόκει γὰρ ἐκ Θρᾴττης μητρός: Dicebatur nō esse legitimus ciuis Athenensis. quod cùm obijceretur, reposuit, Et deorum mater Phrygia fuit. Opinio enim erat Thressâ matre natum esse. *Tribuit eidem & Plutarchus, in extremo De exsil.*

CAP. XIX. 178. OPPONERE INIVRIIS.] *Meus & quidam*, supponere: *alij*, superponere. *Neque illud prius malè fortasse. quia non tam vult* C
nos opponi, & resistere iniurijs; quàm subijci, & patiendo vincere.

179. SI QVISQVAM.] *Est ex Publiano illo imitatum*: Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest. *Sensus: Nemo tam vilis, tam impotens, qui iniuriam non possit facere; si admittimus, quemquam posse. Omnes, si vnus. Alij tamen rescribunt*, si quidquam, *me non fauente.*

180. IN PRIMA ACIE.] *Nam ibi Centuriones, & militum primi. Vide Militiam nostram, lib.* III.

181. ALIA ARMIS.] *Allegoricè, rebus & opibus, quæ nos ambiunt.*

182. PECTORI.] *Ipsis nobis, corpori.*

L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ
AD NERONEM CAESAREM
DE CLEMENTIA
LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B

HI libri scripti initio Pincipatus Neronis, quod ipse lib. I. cap. IX. palàm indicat, cùm scribit eum ingressum annum decimumnonum. Et verò digni Principe libri, ac materies: atque vtinam legant, & mites simul magnosque animos ab ijs sumant! Exordium est à laude Neronis, nec falsâ, vt initia illa erant. Deinde Cap. III. diuidit scriptum in tres partes, vnam Manuductionis; alteram, quæ naturam Clementiæ explicet; tertiam, quæ ad eam perducat, & firmet. In primâ, primus totus liber absumitur: & præmittit de Vtilitate Clementiæ, & Regibus maximè conuenire. Decoram illis, quia capita reip. sunt, nos velut corpus & membra: atqui corpori quis non parcit & indulget? Necessariam etiam esse, in copiâ peccantium: quos si punis semper, solitudinem facis. Ab exemplo Deorum, qui nobis parcunt: item à Famâ, quia omnia Regum patent, & minima sæuitia protrahitur. A Securitate. nam ita imperantes, tutiores: adiungitque facta quædam Augusti. Contrà in Tyrannis, qui per sæuitiam odia, pericula, exi-

C *tia sibi gignunt. At Princeps igitur rarò punit, & molliter aut modicè, animo atque exemplo parentum. Atque ea moderatio in scholis, militiâ, animalibus, seruis, cum fructu adhibetur. Etiam à Naturâ adhibetur, ab apum imagine: quarum Rex aculei est expers. Jam Princeps aut Suâ, aut Alienâ caussâ punit, cùm punit. Non debet rigidè in Suâ, quia vltionis solatio non eget in tam altâ fortunâ. Non in Alienâ, nisi (ad instar Legis) vt aut emendet, aut alios faciat meliores, siue tutiores. Hæc autem omnia magis raritas animaduersionum præstabit: quæ crebræ vilescunt, & spernuntur. In clausulâ, detestatio Sæuitiæ, & mala ab eâ atque exitia.*

CAPVT PRIMVM.

D SCRIBERE de clementiâ, Nero Cæsar, institui: vt quodammodò speculi vice fungerer, & [1] te tibi ostenderem, peruenturum ad voluptatem maximam omnium. Quamuis enim rectè factorum verus [2] fructus sit feciſſe, nec vllum virtutum pretium dignum illis extra ipsas sit: iuuat tamen inspicere & circuire bonam conscientiam, tum immittere oculos in hanc immensam multitudinem, discordem, seditiosam, impotentem, in perniciem alienam suamque pariter exsultaturam, si [3] hoc iugum fregerit, & ita loqui secum: Ego ex omnibus mortalibus placui, electusque sum, qui in terris deorum vice fungerer: ego vitæ necisque gentibus arbiter. qualem quisque sortem, statumque habeat, in manu meâ positum est. Quid cuique mortalium fortuna datum velit, [4] meo ore pronunciat: ex nostro responso lætitiæ causſas, populi vrbesque concipiunt. Nulla pars vsquam, nisi [5] volente propitioque me, floret. Hæc tot [6] millia gladiorum,

diorum, quæ [7] pax mea comprimit, ad nutum meum ſtringentur: quas nationes fun- A
ditus exſcindi, quas [8] tranſportari, quibus [9] libertatem dari, quibus eripi, quos reges mancipia fieri, quorumque capiti regium [10] circumdari decus oporteat, quæ ruant vrbes, quæ oriantur, mea iuriſdictio eſt. In hac tantâ facultate rerum, non ira me ad iniqua ſupplicia compulit, non iuuenilis impetus, non temeritas hominum & contumacia, quæ ſæpè tranquilliſſimis pectoribus quoque patientiam extorſit: non ipſa oſtentandæ per terrores potentiæ dira, ſed frequens magnis imperijs, gloria. Conditum, imò conſtrictum apud me ferrum eſt. ſumma parſimonia etiam viliſſimi ſanguinis. nemo non, cui alia deſint, hominis nomine apud me gratioſus eſt. Seueritatem abditam, clementiam [11] in procinctu habeo. ſic me cuſtodio, [12] tamquam legibus, quas ex abdito ac tenebris in lucem euocaui, rationem redditurus ſim. Alterius ætate primâ motus ſum, alterius vltimâ: alium dignitati donaui, alium humilitati: quoties nullam inueneram miſericordiæ cauſſam, mihi peperci. Hodie dijs immortalibus, ſi à me rationem repetant, annumerare genus humanum paratus ſum. Potes hoc Cæſar prædicare audacter, omnium B
quæ in fidem tutelamque tuam venerunt, nihil per te, neque vi, neque clàm [13] Reip. ereptum. Rariſſimam laudem, & nulli adhuc Principum conceſſam concupiſti, innocentiam. Non perdis operam: nec bonitas iſta tua ſingularis, ingratos aut malignos æſtimatores nacta eſt. refertur tibi gratia. Nemo vnus homo, vni homini, tam carus vnquam fuit; quàm tu populo Romano, magnum longumque eius bonum. Sed ingens tibi onus impoſuiſti. nemo iam diuum Auguſtum, nec Tiberij Cæſaris [14] prima tempora loquitur: nemo quod te imitari velit exemplar extra te quærit. Principatus tuus [15] ad guſtum exigitur. Difficile hoc fuiſſet, ſi non naturalis tibi iſta bonitas eſſet, ſed ad tem-

COMMENTARIVS.

CAP. I. 1. TE TIBI OSTEND.] *Nempe in clementiâ exprimendâ te exprimam, qui ſic eam refers. Quod ad phraſim, ſimile in Horatio:*

- ne non & cantharus & lanx
Oſtendant tibi te.

2. FRVCTVS FECISSE.] *Sparſim hoc dogma toto libro* IV. *De Beneficijs: & eſt Stoicorum proprium, qui* honeſta non in mercedem colunt. *Claudian.*

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque latè
Fortunæ ſecura nitet.

3. HOC IVGVM.] *Imperij, quo continetur.*

4. MEO ORE.] *Fata cuiuſque per me diſpenſantur. Diuina conſulta aut decreta enuncio.*

5. VOLENTE PROP.] *Quaſi de numine. nam ea formula vetus in precando,* Vti volens propitiuſque ſis.

6. MILLIA GLADIOR.] *Ad legiones & auxilia refer, quæ à Principe temperabantur.*

7. PAX MEA.] *Toto enim orbe Romano tunc ferè pax, & conditi enſes. De Prouid. cap.* IV. Gentes, in quibus Romana pax deſinit. *Galgalus apud Tacitū (in Agricolâ) ſermonem hunc Romanum culpans:* Atque vbi ſolitudinem faciunt, pacem appellant.

*Lib. II. Elect. cap. IX

8. TRANSPORTARI.] *Vt factum in* Sugambris, Sueuis, *aliſque gentibus.*

9. LIBERTATEM.] *Nam liberæ gentes atque opida erant, id eſt ſuis legibus agentia, ſine Præſide Romano. quæ tamen maieſtatem illam imperij reſpiciebant, & comiter colebant. At hæc libertas ſæpè pro meritis data, vel adempta: vt* Rhodijs, Achæis, *alijs.*

10. CIRCVMDARI.] *Diadema exprimit, ſiue tenuem albam faſciam, quæ caput cingebat.* C

11. IN PROCINCTV.] *Promptam paratamq; ad procurrendum, vt ſolent milites iam accincti. Nam ab ius ſumptum: Feſtus in* Procincta claſſis.

12. TAMQVAM LEGIBVS.] *Etſi Princeps ſupra leges. Plinius Panegyrico:* Ipſe te legibus ſubieciſti, legibus, quas nemo Principi ſcripſit.

13. REIP. EREPTVM.] *Meus,* ademptum reipublicæ.

14. PRIMA TEMPORA.] *Cum viuo Germanico adhuc, bonus laudatuſq;. nam poſteà flexit.*

15. AD GVSTVM.] *Poſſis explicare, ad guſtum quem iam dediſti. volunt reliqua eius bonitatis, & vt ſic dicam, ſaporis eſſe. At liber meus fidus, & plerique melioris notæ omnes,* ad auguſtum, *referunt. quod quibuſdam retinere viſum, quaſi ad Auguſtæum imperium Nero vocaretur: alieniſſimum Senecæ, qui di-* D
ſertim ſcripſit, Neminem iam Auguſtum loqui: *& vult ſanè victos à Nerone omnes primores. Quid ergo eſt? quod olim* diuinaui, *& nunc ſedet:* ad anni guſtum. *Annum iam in Principatu Nero fuerat, laudatiſſimè egerat. itaque non aliò nec ad alios, inquit, ſed ad te vocaris, & ad vnius illius anni guſtum. De anno verum eſſe, docet ipſe infrà cap.* IX. Diuus Auguſtus, cùm eſſet id ætatis, quod tu nunc es, duodeuiceſimum egreſſus annum. *Atqui decimoſeptimo, aut ineunte octauo, Nero imperium cepit, ſi iam decimumoctauum egreſſus, paullò plus anno in imperio, egit. Non ſileo tamen in vno meo veteri ſcriptum,* ad iugitatem exigitur: *ſicut in Gruteriano vno,* ad iugum.

16. FICTA

A tempus ſumpta. nemo enim poteſt perſonam diu ferre. [16] Ficta, citò in naturam ſuam recidunt: quibus veritas ſubeſt, quæque (vt ita dicam) ex ſolido enaſcuntur, tempore ipſo in maius meliuſque procedunt. Magnam adibat aleam populus Romanus, cùm incertum eſſet, quò ſe ſtatim [17] nobilis indoles daret: iam vota publica [18] in tuto ſunt. nec enim periculum eſt, ne te ſubita tui capiat obliuio. Facit quidem auidos nimia felicitas: nec tam temperatæ cupiditates ſunt vmquam, vt in eo quod contigit, deſinant. gradus à magnis ad maiora fit: & ſpes improbiſſimas complectuntur, inſperata aſſecuti. Omnibus tamen nunc ciuibus tuis & hæc confeſſio exprimitur, eſſe felices: & illa, nihil iam his accedere bonis poſſe, niſi vt perpetua ſint. Multa illos cogunt ad hanc confeſſionem, quâ nulla in homine tardior eſt: ſecuritas alta, affluens: ius ſupra omnem iniuriam poſitum. Obuerſatur oculis [19] lætiſſima forma Reip. cui ad ſummam libertatem nihil deeſt, niſi [20] pereundi licentia. Præcipuè tamen æqualis ad maximos imoſque peruenit clementiæ tuæ admiratio. Cætera enim bona, pro portione fortunæ ſuæ, quiſque
B ſentit aut exſpectat, maiora minoraque: ex clementiâ omnes idem ſperant. Nec eſt quiſquam, cui tam valdè innocentia ſua placeat, vt non ſtare in conſpectu clementiam, paratam humanis erroribus, gaudeat. Eſſe autem aliquos ſcio, qui clementiâ peſſimum 11.
quemque putent ſuſtineri: quoniam niſi poſt crimen ſuperuacua eſt, & ſola hæc virtus inter innocentes ceſſat. Sed primùm omnium, ſicut medicinæ apud ægros vſus, etiam apud ſanos honor eſt: ita clementiam quamuis pœnâ digni inuocent, etiam innocentes colunt. Deinde, habet clementia in perſonâ quoque innocentium locum: quia interim fortuna pro culpâ eſt: nec innocentiæ tantùm clementia ſuccurrit, ſed ſæpè virtuti: quoniam quidem conditione temporum incidunt quædam, quæ poſſint laudata puniri.
[21] Adijce, quòd magna pars hominum eſt, quæ reuerti ad innocentiam poſſit. Sed non
C tamen vulgò ignoſcere decet. nam vbi diſcrimen inter malos bonoſque ſublatum eſt, confuſio ſequitur, & vitiorum eruptio. Itaque adhibenda eſt moderatio, quæ ſanabilia ingenia diſtinguere à deploratis ſciat. Nec promiſcuam habere ac vulgarem clementiam oportet, nec abſciſam. nam tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quàm nulli. Modum tenere debemus: ſed quia difficile eſt temperamentum, quidquid æquo plus futurum eſt, in [22] partem humaniorem præponderet. Sed hæc [23] ſuo loco meliùs dicentur: III.
nunc in tres partes omnem hanc materiam diuidam. Prima erit [24] manumiſſionis: [25] ſecunda quæ naturam clementiæ habitumque demonſtret. nam cùm ſint vitia quædam virtutes imitantia, non poſſunt ſecerni, niſi ſigna quibus dignoſcantur impreſſeris. [26] tertio loco quæremus, quomodo ad hanc virtutem perducatur animus, quomodo confirmet eam, & vſu ſuam faciat. Nullam verò ex omnibus virtutibus magis homini conuenire, cùm ſit nulla humanior, conſtet neceſſe eſt: non ſolùm [27] inter nos, qui hominem
[28] ſociale

16. FICTA CITÒ.] *Cicero* II. *De Offic.* Ficta omnia celeriter, tamquam floſculi, decidunt: nec ſimulatum quidquam poteſt eſſe diuturnum.

17. NOBILIS IND.] *Quæ ferè ad magna bona,*
D *aut magna mala, declinat.*

18. IN TVTO SVNT.] *Non nimis ô Seneca: ſpes tua de alumno irrita. cuius primum quinquennium, te monitore & doctore, ita laudabile, vt Traiani celebre dictum fuerit*, Procul diſtare cunctos Principes Neronis quinquennio: *ſed media & finis præcipitarunt.*

19. LÆTISSIMA FORMA.] *Alij* lectiſſima, *aut* beatiſſima. *Quiduis eorum bonum, capiendumq; de Principatu.*

20. PEREVNDI LIC.] *Quam Princeps hactenus coërcet & frænat, vt immodicâ libertate (id eſt licentiâ) non pereat.*

CAP. II. 21. ADIICE QVÒD.] *Omnino hîc defectus eſt. fuitq; diſputatiuncula de Clementiæ vſu & fructu: atque inter alios, quòd illa dum ignoſcit, ad virtutem ſeruat, & multos ad eam ducit.*

22. PARTEM HVMANIOR.] *Clementiam.*

CAP. III. 23. SVO LOCO.] *Dixerat lib.* II. qualis ſit Clementia, & quos fines habeat (*ita enim proponit, cap.* III.) *ſed ea tota pars periit.*

24. MANVMISSIONIS.] *Corruptum. quid enim hîc manumißio?* Manuductionis *olim volui, quod eſſet* χειραγωγίας, εἰσαγωγῆς, præparationis & inductionis: *ſed nec omnino placet. Prima ſanè pars eſt tota in commendandâ Clementiâ, neceßitate & fructu eius oſtendendo: quod facit hoc libro* I. *Itaque ego non corruptelam ſolùm, ſed defectum arbitror, nec vnâ voce totum hoc expreſſum.*

25. SECVNDA.] *Quam orditur lib.* II. *cap.* III.

26. TERTIO LOCO.] *Ea pars tota periit.*

27. INTER NOS.] *Stoicos.*

28. So-

[28] ſociale animal, [29] communi bono genitum videri volumus: ſed etiam [30] inter illos, A
qui hominem voluptati [31] donant, quorum omnia dicta factaque ad vtilitatem ſuam
ſpectant. nam [32] ſi quietem petit & otium, hanc virtutem naturæ ſuæ nactus eſt, quæ
pacem amat, & manus retinet. Nullum tamen clementia ex omnibus magis, quàm re-
gem aut Principem decet. Ita enim [33] virtutes magnis viris decori gloriæque ſunt, ſi illis
ſalutaris potentia eſt. nam peſtifera vis eſt, valere ad nocendum. Illius demum magni-
tudo ſtabilis fundataq; eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt; cuius cu-
ram [34] excubare pro ſalute ſingulorum atque vniuerſorum quotidie experiuntur; quo
procedente, non tamquam malum aliquod aut noxium animal è cubili proſilierit, dif-
fugiunt, ſed tamquam ad clarum ac beneficum ſidus certatim aduolant, obijcere ſe pro
illo mucronibus inſidiantium paratiſſimi, & ſubſternere corpora ſua, ſi per ſtragem illi
humanam, iter ad ſalutem ſtruendum ſit. Somnum eius nocturnis excubijs muniunt:
latera obiecti circumfuſique defendunt: incurrentibus periculis ſe opponunt. Non hic
eſt ſine ratione populis vrbibuſq; conſenſus, ſic protegendi amandique reges, & ſe ſua- B
que iactandi, quocumque deſiderauerit imperantis ſalus. Nec hæc [35] vilitas ſui eſt, aut
dementia, pro vno capite tot millia excipere ferrum, ac multis mortibus vnam animam
redimere, nonnumquam ſenis & inualidi. Quemadmodum totum corpus animo de-
ſeruit, & cum hoc tanto maius tantoque ſpecioſius ſit, ille in occulto maneat tenuis, & in
quâ ſede latitet incertus: tamen manus, pedes, oculi negotium illi gerunt; illum hæc cu-
tis munit, illius iuſſu iacemus, aut inquieti diſcurrimus; cùm ille imperauit, ſiue auarus
dominus eſt, mare lucri cauſſâ ſcrutamur; ſiue ambitioſus, iamdudum [36] dexteram flam-
mis obiecimus, aut voluntariè [37] ſubſiluimus: ſic hæc immenſa multitudo, [38] vnius ani-
mæ circumdata, illius ſpiritu regitur, illius ratione flectitur, preſſura ſe ac fractura viribus
IV. ſuis, niſi conſilio ſuſtineretur. Suam itaque incolumitatem amant, cùm pro vno
homine [39] denas legiones in aciem deducunt, cùm in primâ fronte procurrunt, & ad-
uerſa vulneribus pectora ferunt, ne Imperatoris ſui ſigna vertantur. Ille eſt enim vincu-
lum, per quod Reſp. cohæret: ille [40] ſpiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt: nihil C
ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa imperij ſubtrahatur.

—— [41] *Rege incolumi mens omnibus vna.*
Amiſſo rupere fidem. ——

Hic

* *Exſtat* Diſſertatiuncula.

28. SOCIALE.] *Nam eorum dogma*: ὅτι οὐκ ἐν ἐρημίᾳ βιώσεται ὁ σπουδαῖος. κοινωνικὸς γὰρ φύσει, καὶ πρακτικός: Non in ſolitudine viuet ſapiens. naturâ enim ſocialis eſt, & actuoſus.

29. COMMVNI.] *Idem noſter alibi*: Homo in adiutorium mutuum generatus eſt. *Lucanus, de Catone*:

Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.

30. INTER ILLOS.] *Epicuréos.*

31. DONANT.] *Mancipant, addicunt. Quídni? qui omnia eius cauſsâ fieri & ſuſcipi volunt, ſine alio vel alieno aſpectu.*

32. SI QVIETEM.] *Vt nempe illi ipſi ab Epicuro.*

33. VIRTVTES.] *Inquinatum eſt, & depures è libris:* Ita enim magnæ vires decori.

34. EXCVBARE PRO.] *Plutarchus, Ad Principem indoctum*: Καὶ οὗτός ἐστιν ὁ φόβος τῶν ἄρχοντος φιλάνθρωπος καὶ οὐκ ἀγεννὴς ὑπὲρ τῶν ἀρχομένων δεδιέναι, μὴ λάθωσι βλαβέντες. ὡς δὲ κύνες περὶ μῆλα δυσωρήσονται ἐν αὐλῇ, θηρὸς ἀκούσαντες κρατερόφρονος, οὐχ ὑπὲρ αὐτῶν, ἀλλ' ὑπὲρ τῶν φυλαττομένων: Ille eſt benignus & generoſus Principis metus, timere ſubditis ne lædantur ignaro ipſo. Sicut canes in veſtibulo ſedulò excubant & laborant, cùm feram trucem audierint, non pro ſe, ſed pro ouibus, quas cuſtodiunt. *Plura in hanc ſententiam * ego, conuentu & auditorio procerum hîc Louanij, cùm* PRINCIPES NN. ALBERTVS & ISABELLA AVSTRIACI *imperium auſpicarentur; & ſubitò iuſſus dicere, hunc Senecæ locum in rem præſentem aptaſſem & dilataſſem.*

35. VILITAS SVI.] *Contemptus & deſpicientia. Noſter epiſt.* CXXII. In nullo deprehendes vilitatem ſui, ne negligentiam quidem. *Curtius lib.* V. Tædio laboris ad vilitatem ſui compelluntur ignaui.

36. DEXTERAM FLAMMIS.] *Vt Mucius.* D

37. SVBSILVIMVS.] *Vt Curtius. Sed an non ille magis deſiluit, vel inſiluit? Itaque mallem*, ſub ſolum iuimus. *Niſi tectius vlcus, & fuit*; aut voluptarius. *etſi cetera non emendo.*

38. VNIVS ANIMÆ.] *Lucanus, de Cæſare*:

Cùm tot in hac animâ populorum vita ſaluſq;
Pendeat.

Tacitus: Vnum eſſe reip. corpus, atque vnius animo regendum.

CAP. IV. 39. DENAS LEG.] *Imò vel tricenas, ſi opus. & tot habuerunt.*

40. SPIRITVS VITALIS.] *Curtius lib.* IX. *de Alexandro ægroto*: Armatus exercitus regiam obſedit, confeſſus omnes vnius ſpiritu viuere.

41. REGE INCOL.] *E Virgilio ſumpta, de apibus.*

42. Hic

A Hic casus Romanæ pacis exitium erit, hic tanti fortunam populi in ruinas aget. Tamdiu ab isto periculo aberit [42] hic populus, quamdiu sciet ferre frænos: quos si quando abruperit, vel aliquo casu discussos reponi sibi passus non erit, hæc vnitas & hic maximi imperij contextus in partes multas dissiliet: idemque huic vrbi dominandi finis erit, qui parendi fuerit. Ideò Principes regesque, & quocumque alio nomine sunt tutores status publici, non est mirum amari vltra priuatas etiam necessitudines. Nam si sanis hominibus publica priuatis potiora sunt: sequitur, vt is quoque carior sit, in quem se Resp. conuertit. [43] Olim enim ita se induit Reip. Cæsar, vt diduci alterum non possit, sine vtriusque pernicie. nam vt illi viribus opus est, ita & huic capite. Longiùs videtur recessisse à proposito oratio mea: at mehercules rem ipsam premit. Nam si, quod adhuc colligitur, animus Reip. tu es, illa corpus tuum: vides, vt puto, quàm necessaria clementia sit. tibi enim parcis, cùm videris alteri parcere. Parcendum itaque est etiam improbandis ciuibus, non aliter quàm membris languentibus: & si quando [44] misso sanguine B opus est, sustinendum est, ne vltrà quàm necesse sit incîdas. Est ergo, vt dicebam, clementia omnibus quidem hominibus secundùm naturam, maximè tamen decora Imperatoribus: quanto plus habet apud illos quod seruet, quantoque in maiore materiâ apparet. Quantulum enim nocet priuata crudelitas? Principum sæuitia, bellum est. Cùm autem virtutibus inter se sit concordia, nec vlla altera [45] melior aut honestior sit: quædam tamen quibusdam personis aptior est. Decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum infra quem nihil est. Quid enim maius, aut fortius, quàm malam fortunam retundere? Hæc tamen magnanimitas in bonâ fortunâ latiorem locum habet, meliusque [46] in tribunali, quàm [47] in plano conspicitur. Clementia in quamcumque domum peruenerit, eam felicem tranquillamque præstabit: sed in regiâ quò rarior, eò mirabilior. Quid enim est mirabilius, quàm eum cuius iræ nihil obstat, cuius grauiori sententiæ ipsi qui pereunt assentiuntur, quem nemo [48] interrogaturus est, imò si vehementiùs excanduit, nec deprecaturus quidem, ipsum sibi manum inijcere, & potestate suâ in melius C placidiusque vti? hoc ipsum cogitantem: Occidere contra legem nemo non potest: seruare nemo, præter me. Magnam fortunam magnus animus decet. qui nisi se ad illam extulit, & altior stetit, illam quoque [49] infra terram deducit. Magni autem animi est proprium, placidum esse, tranquillumque, & iniurias atque offensiones supernè despicere. Muliebre est, furere in irâ: feratum verò, nec generosarum quidem, [50] præmordere & vrgere proiectos. Elephantes [51] leonesq; transeunt, quæ impulerunt: ignobilis bestiæ pertinacia est. Non decet regem sæua, & inexorabilis ira: non multum enim supra eum eminet, cui se irascendo exæquat: at si dat vitam, si dat dignitatem periclitantibus & meritis amittere, facit quod nulli nisi rerum potienti licet. Vita enim etiam superiori eripitur, nunquam nisi inferiori datur. Seruare, proprium est excellentis fortunæ: quæ numquam magis suspici debet, quàm cùm illi contingit idem posse quod dijs, quorum beneficio in lucem edimur, tam boni quàm mali. Deorum itaque sibi animum asse-

rens

42. HIC POPVLVS.] *Superfluunt eæ voces.*

D 43. OLIM ENIM.] *A Iulio Cæsare, vel potiùs Augusto: qui Principatũ inseruit & miscuit cũ libertate.*

CAP. V. 44. MISSO SANGVINE.] *Tali allegoriâ Lucanus vsus:*

Sulla quoq; immensis accessit cladibus vltor.
Ille, quod exiguum restabat sanguinis vrbi,
Hausit, dumque nimis iam putrida membra recîdit,
Excessit medicina modum: nimiumque secuta est,
Quà morbi duxêre, manus.

45. MELIOR AVT.] *Ad Stoicum illud dogma, Virtutes inter se pares esse.*

46. IN TRIBVNALI.] *In edito. quasi dicat, in homine alto & exposito.*

47. IN PLANO.] *In loco ac viro humili.*

48. INTERROGATVRVS.] *Cur ita fecerit? nedum vt accusaturus.*

49. INFRA TERRAM.] *Estne aliquid infra terram? Fuerit potiùs,* in terram: *vel* infrà, ad terram.

50. PRÆMORDERE.] *Imò* remordere, *vel* permordere.

51. LEONESQVE.] *Quinctilianus Declamator:* Ferę mehercules generosiores iacentes transeunt. *Claudianus ad Principem:*

Obuia prosternas, prostrataque, more leonum,
Despicias.

Poëtæ alij: sed pulcherrimè Statius,

Vt leo Massyli cùm lux stetit obuia ferri,
Tunc iras, tunc arma citat. si decidat hostis,
Ire super satis est, vitamque relinquere victo.

52. IN

rens Princeps, alios ex ciuibus ſuis, quia vtiles boniq́ue ſunt, libens videat, alios [52] in nu- A
VI. merum relinquat: quoſdam eſſe gaudeat, quoſdam patiatur. [53] Cogitate in hac ciuitate, in quâ turba per latiſſima itinera ſine intermiſſione defluens eliditur, quotiens aliquid obſtitit, quod curſum eius velut torrentis rapidi moraretur: in quâ tribus eodem tempore theatris [54] viæ poſtulantur: in quâ conſumitur, quidquid [55] terris omnibus aratur: quanta ſolitudo & vaſtitas futura ſit, ſi nihil relinquitur, niſi quod iudex ſeuerus abſoluerit. Quotus quiſque ex [56] quæſtoribus eſt, qui non [57] eaipſâ lege teneatur, quâ quærit? Quotus quiſque accuſator vacat culpâ? & neſcio, an nemo ad dandam veniam difficilior ſit, quàm qui illam petere ſæpiùs meruit. Peccauimus omnes: alij grauia, alij leuiora, alij ex deſtinato, alij fortè impulſi, aut alienâ nequitiâ ablati: alij in bonis conſilijs parùm fortiter ſtetimus, & innocentiam inuiti ac renitentes perdidimus. Nec [58] delinquimus tantùm, ſed vſque ad extremum æui delinquemus. Etiam ſi quis tam benè purgauit animum, vt nihil obturbare eum ampliùs poſſit ac fallere, ad innocentiam tamen
VII. peccando peruênit. Quoniam deorum feci mentionem, optimè hoc exemplum B
Principi conſtituam, ad quod formetur, vt ſe talem eſſe ciuibus, quales ſibi deos velit. Expedit ergo habere inexorabilia peccatis atque erroribus numina? expedit vſque ad vltimam infeſta perniciem? Ecquis regum erit tutus, cuius non membra [59] aruſpices colligant? Quòd ſi dij placabiles, & æqui, delicta potentium non ſtatim fulminibus perſequuntur: quanto æquius eſt, hominem hominibus præpoſitum, miti animo exercere imperium, & cogitare, vtrùm mundi ſtatus gratior oculis pulchriorq́ue ſit ſereno & puro die, an cùm fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc atque illinc micant? Atqui non alia facies eſt quieti moderatiq́ue imperij, quàm ſereni cæli & nitentis. Crudele regnum, turbidum, tenebriſq́ue obſcurum eſt, inter trementes & ad repentinum ſonitum expaueſcentes, nec eo quidem qui omnia turbat inconcuſſo. Faciliùs priuatis ignoſcitur, pertinaciter ſe vindicantibus. poſſunt enim lædi, dolorq́ue eorum ab iniuriâ venit. C

52. IN NVMERVM.] *Sine nomine, ſiue magno vſu: tantùm vt turbam faciant. Lucanus:*

In numerum pars magna perit, rapuitq́ue cruentus
Victor ab ignotâ vultus ceruice reciſos.

Horatius: Nos numerus ſumus.

CAP. VI. 53. COGITATE.] *Nónne ad Neronem omnis ſermo? ergo*, Cogita tu.

54. VIÆ POSTVL.] *Non capio, nec ſincerum habeo. Tria ſanè theatra Romæ, Balbi, Marcelli, Pompeÿ: ſed quid eſt in ÿs* vias poſtulari? *An fortè, nec tria theatra ſufficere capiendo populo, & vias vicoſq́; depoſci, vt in ÿs etiam ſint ludi? Ita enim* vicatim *aliquotiens præbitos eos legimus. An fuit,* mimi poſtulantur? *Alius melius, cui Deus inſeret.*

55. TERRIS OMNIBVS.] *Mira, ſi demittis in animum: & vnà numerum copiamq́; Romani populi. Ego deduxi, & docui in Magnitud. Rom. lib.* III. *cap.* III.

56. QVÆSTORIBVS.] *Siue Quæſitoribus, qui iudicio præſunt.*

57. EAIPSA.] *Scripti conſenſu*, ex ipſâ. *fortè*, & ipſâ.

58. DELINQVIMVS.] *Puto*, delinquemus.

CAP. VII. 59. ARVSPICES COLLIGANT?] *Id eſt, qui non fulmine feriantur? Nam talium membra, ſi diſiecta (vt interdum) aruſpices colligebant, atque ipſas reliquias aut veſtigia fulminis; & ibidem ſepulcro condebant. transferre enim nefas. Eum locum deinde ſepiebant ceſpite, ſacrum & inacceſſum habebant: & quia bidente hoſtiâ ſacrificabant, dicebant* Bidental. *Lucanus* I.

—— diſperſos fulminis ignes
Colligit, & terrę męſto cum murmure condit. C

Sidonius Carmine IX.

Nec quæ fulmine Thuſcus expiato,
Septum numina quærit ad bidental.

Scholiaſtes Iuuenalis, in illud:

Atq; aliquis ſenior, qui publica fulgura cõdit,
Condi fulgura dicuntur, quotieſcumque Pontifex diſperſos ignes in vnum redigit, & quadam tacitâ ignoratâ prece locum aggeſtione conſecrat. *Nota hîc &* Aggeſtionem. *ideoq; in Apuleio* I. *Florido:* Colliculus ſepimine conſecratus. *Collem ſiue aggeſtum, & Sepimen notat. Cur & iſtud? quia loca eiuſmodi inacceſſa, & calcare nefas. Plutarchus Pyrrhi ſomnium refert, Spartam obſidentis, qui viſus* fulminibus iactis petere vrbem, atque eam incendere. Narrat amicis, interpretatur lętum in euentum, aſſentiuntur: excepto Lyſimacho, qui vereri ſe ait, μὴ καθάπερ τὰ βαλλόμενα τοῖς κεραυνοῖς ἀνέμβατα μένει χωρία, καὶ τῷ Πύρρῳ προσημαίνει τὸ θεῖον ἀνείσοδον ἔσεσθαι τὴν πόλιν: ne ſicut loca fulgurita manent inacceſſa, ita Deus Pyrrho ſignificarit, non intrandam ei vrbem. *Sacra igitur ea loca. & Lucanus* VIII. D

Incluſum Tuſco venerantur ceſpite fulmen.

Artemidorus II. *cap.* VIII. Οὐδεὶς γὰρ κεραυνωθεὶς ἄτιμός ἐστιν. ὅθεν γε καὶ ὡς θεὸς τιμᾶται: Nemo enim fulguritus infamis eſt. itaque vt Deus colitur. *Adde Feſtum in* Bidental, Occiſum, Fulguritum. *Quinctilianum Declamat.* CCLXXIV. *Perſium Sat.* II. *& ibi Scholiaſtem, Pollucem* IX. *vbi hoc* Bidental ἐνηλύσια *vocat, explicatq́;.*

60. GRA-

A venit. timent prætereà contemptum : & non retuliſſe lædentibus [60] gratiam, infirmitas videtur, non clementia. At cui vltio in facili eſt, is omiſſâ eâ, certam laudem manſuetudinis conſequitur. Humili loco poſitis [61] exerere manum, litigare, in rixam procurrere, ac morem iræ ſuæ gerere, liberius eſt : leues inter paria ictus ſunt : regi vociferatio quoque, verborumque intemperantia, non ex maieſtate eſt. Graue putas, eripi lo- VIII.
quendi arbitrium regibus, quod humillimi habent? Iſta, inquis, ſeruitus eſt, non imperium. Quid tu, non experiris iſtud nobis eſſe, [62] non tibi ſeruitutem? Alia condicio eſt eorum qui in turbâ, quam non excedunt, latent : quorum & virtutes vt appareant, diu luctantur, & vitia tenebras habent. [63] Veſtra facta dictaque rumor excipit : & ideò nullis magis cauendum eſt, qualem famam habeant, quàm qui qualemcumque meruerint, magnam habituri ſunt. Quàm multa tibi non licent, quæ nobis beneficio tuo licent? Poſſum in qualibet parte vrbis ſolus incedere, ſine timore, quamuis nullus ſequatur comes, nullus ſit domi, nullus ad latus gladius : tibi in [64] tuâ pace [65] armato viuen-
B dum eſt. Aberrare à fortunâ tuâ non poteſt : obſidet te, & quocumque deſcendis, magno apparatu ſequitur. Et hæc ſumma magnitudinis ſeruitus eſt, non poſſe fieri minorem; ſed cum diis tibi communis iſta neceſſitas eſt. nam illos quoque cælum [66] alligatos tenet : nec magis illis deſcendere, datum eſt, quàm [67] tibi tutum. Faſtigio tuo affixus es. Noſtros motus pauci ſentiunt. prodire nobis, ac recedere, & mutare habitum ſine ſenſu publico licet : tibi non magis, quàm Soli, latere contingit. Multa [68] contra te lux eſt, omnium in iſtam conuerſi oculi ſunt. Prodire te putas? [69] oriris : loqui non potes, niſi vt vocem tuam, quæ vbique ſunt gentes, excipiant. iraſci non potes, niſi vt omnia tremant. ſic neminem potes affligere, niſi vt quidquid circà fuerit, quatiatur. Vt fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu; ſic animaduerſiones magnarum poteſtatum terrent latiùs, quàm nocent : non ſine cauſsâ. Non enim quantum fecerit, ſed quantum facturus ſit, cogitatur in eo, qui omnia poteſt. Adiice nunc, quòd priuatos homines ad accipiendas iniurias opportuniores, [70] acceptarum patientia facit : regibus cer-
C tior eſt ex manſuetudine ſecuritas. Quia frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat : voluntas oportet antè ſæuiendi, quàm cauſſa deficiat. Alioquin quemadmodum præciſæ arbores plurimis ramis repullulant, & multa ſatorum genera vt denſiora ſurgant, reciduntur : ita regia crudelitas auget inimicorum numerum, tollendo. Parentes enim liberique eorum, qui interfecti ſunt, & propinqui, & amici, in locum ſingulorum ſuccedunt. Hoc quàm verum ſit, admonere te exemplo [71] domeſtico IX.
volo. Diuus Auguſtus fuit mitis Princeps, ſi quis illum à [72] principatu ſuo æſtimare inci-

60. GRATIAM.] *In malam partem, talionem.*

61. EXERERE.] *Omnes ſcripti*, exercere. *Si primum illud tenes; eſt* intendere manum, *quod Tacitus dixit, & in iurgio conuicioq; ſolet. Sin alterum; valebit iactare manum, huc illuc ferre, quod item in calore iurgandi.*

D CAP. VIII. 62. NON TIBI SERV.] *Meo aliiſq; priſcis non eſt negatio, & produnt:* iſtud nobis eſſe, tibi ſeruitutem. *Rectè. Reuera enim imperium, ſeruitus. Senecam Conſol. ad Polyb. cap.* XXVI. *vide. Adde hoc Salluſtij*: In maximâ fortunâ minima licentia eſt.

63. VESTRA FACTA.] *Pedo, ad Liuiam:*

Ad te oculos aureſque trahis. tua facta notamus,
Nec vox miſſa poteſt Principis ore tegi.

64. TVA PACE.] *Quam orbi & nobis præſtas.*

65. ARMATO.] *Quia & in vrbe cohortes, & ſatellitium habes.*

66. ALLIGATOS.] *Ad ſidera refer, quæ Stoici deos cenſent.*

67. TIBI TVTVM.] *Omiſerant alij hoc* tutum: *at libri meliores repoſcunt. Sententia eſt. Dij non deſcendunt, per naturam: non tu, ob ſecuritatem. Noſter De Breuit. vitæ, cap.* IV. Cupiant interim (*Principes*) ex illo faſtigio ſuo, ſi tutò liceat, deſcendere. *Solonis vox:* Καλὸν μὲν εἶ τυραννίδα χωρίον, ἀλλ' ἀπόβασιν οὐκ ἔχειν: Bellam quidem arcem eſſe Principatum, ſed deſcenſum non habere.

68. CONTRA TE.] *Ex aduerſo. radij lucis, ſed & oculorum omnium, incurrunt. Poſſit &*, circa te. *Claudianus:*

—— nam lux altiſſima fati
Occultum nihil eſſe ſinit, latebraſq; per omnes
Intrat, & anguſtos explorat fama receſſus.

69. ORIRIS.] *Inſtar Solis, qui videt omnia, & videtur.*

70. ACCEPTARVM PAT.] *Mimi dicto:* Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.

CAP. IX. 71. DOMESTICO.] *Quia per matrem Auguſtum tangis.*

72. PRINCIPATV SVO.] *Cùm ſolus iam rerum arbiter.*

incipiat: [73] in communi quidem Rep. [74] gladium mouit. Cùm hoc ætatis esset, quod tu A
nunc es, duodeuicesimum egressus annum, iam pugiones [75] in sinu amicorum abscon-
derat, iam insidiis M. Antonij consulis latus petierat, iam fuerat collega proscriptionis:
sed cùm annum [76] quadragesimum transisset, & [77] in Galliâ moraretur, delatum est ad
eum indicium, [78] L. Cinnam, stolidi ingenij virum, insidias ei struere. Dictum est &
vbi, & quando, & quemadmodum aggredi vellet. vnus ex consciis deferebat. Consti-
tuit se ab eo vindicare: consilium amicorum aduocari iussit. Nox illi inquieta erat, cùm
cogitaret adolescentē nobilem, hoc detracto, integrum, Cn. [79] Pompeij nepotem dam-
nandum. Iam vnum hominem occidere non poterat: [80] cùm M. Antonio proscriptio-
nis edictum inter cœnam dictarat. Gemens subinde voces emittebat varias, & inter se
contrarias: Quid ergo? ego percussorem meum securum ambulare patiar, me solicito?
Ergo non dabit pœnas, qui tot ciuilibus bellis frustra petitum caput, tot naualibus, tot
pedestribus prœliis incolume, postquam terra mariqúe pax parta est, non occidere con-
stituit, sed [81] immolare? nam sacrificantem placuerat adoriri. Rursus silentio interposi- B
to, maiore multo voce, sibi, quàm Cinnæ, irascebatur: Quid viuis, si perire te tam mul-
torum interest? quis finis erit suppliciorum? quis sanguinis? Ego sum nobilibus adole-
scentulis expositum caput, in quod mucrones acuant. Non est tanti vita, si vt ego non
peream, [82] tam multa perdenda sunt. Interpellauit tandem illum [83] Liuia vxor: &, Ad-
mittis, inquit, muliebre consilium? Fac quod medici solent: qui vbi vsitata remedia non
procedunt, tentant contraria. Seueritate nihil adhuc profecisti: [84] Saluidienum Lepidus
secutus est, Lepidum Muræna, Murænam Cæpio, Cæpionem Egnatius, vt alios taceam,
quos [85] tantum ausos pudet: nunc tenta quomodo tibi cedat clementia. Ignosce L. Cin-
næ. deprehensus est: iam nocere tibi non potest, prodesse famæ tuæ potest. Gauisus sibi,
quòd aduocatum [86] inuenerat, vxori quidem gratias egit: renuntiari autem extemplò
amicis, quos in consilium rogauerat, imperauit, & Cinnam vnum ad se accersit: dimissis-
qúe omnibus è cubiculo, cùm alteram Cinnæ poni cathedram iussisset: Hoc, inquit, pri-
mùm à te peto, ne me loquentem interpelles, [87] ne meo sermone medio proclames: da- C
bitur tibi loquendi liberum tempus. Ego te, Cinna, cùm in [88] hostium castris inueniss-
sem, non factum tantùm mihi inimicum, [89] sed natum, seruaui, patrimonium tibi om-
ne con-

73. IN COMMVNI.] *In triumuiratu nempe, cùm diuisa in tres Respublica.*

74. GLADIVM MOVIT.] *Hæc verba cur loco mouerunt? cum libris teneo, & explico: In suo Principatu mitis fuit, & ferrum conditum adstrictumq; habuit: in communi, mouit & exseruit.*

75. IN SINV.] *Subornauerat amicos, cum occultis in sinu gladiis. Spectat ad illa cum Antonio dissidia, atque adeò insidias & submissos percussores. Vide Appianum v. Ciuil. In sinu autem, togæ scilicet, vel etiam sub alis: quia optimè ibi celabantur. Inde* Sinum excutere, *in Scrutiniis.*

76. QVADRAGESIMVM.] *Hoc in Galliâ contigisse vult Seneca: quò profectum reperio anno Vrbis* DCCXXXVIII. *Itaque benè dicit* transisse. *nam ipse natus anno* DCXC. *atque ita agebat nunc annum quadragesimumoctauum.*

77. IN GALLIA.] *Dio dissentit, qui hoc factum confert in annum Vrbis* DCCLVII. *& diffusè narrat libro* LV. *Atquin Augustus tunc in Vrbe, non in Galliâ; nec quadragesimum modò, sed sexagesimum annum excedebat. Itaque dissensus hìc in loco & tempore, non tamen in re, notetur.*

78. L. CINNAM.] *Dioni est* Cn. Cinna.

79. POMPEII NEPOTEM.] *Ex filiâ, ait Dio. Quæ nempe nupta Cornelio Fausto, Sullæ Dictatoris filio, vt in Appiano habes, & Hirtio sub finem libri de Bello Africo. Ex eâ igitur coniunctione, hic Cornelius Cinna genitus, auo Pompeio.*

80. CVM M. ANTONIO.] *Vellem,* qui M.

81. IMMOLARE.] *Quod fœdius, quasi victimam aut piaculum.*

82. TAM MVLTA.] *Magis,* multi, *& mox,* perdendi.

83. LIVIA VXOR.] *Non ex fictione, sed ex facto: neque aliter Dio narrat, & consimilem orationem fœminæ adscribit.* D

84. SALVIDIENVM.] *De his omnibus Suetonius Aug. cap.* XIX. *atque ibi interpretes.*

85. TANTVM AVSOS.] *Viles nempe &* infimæ sortis homines (*nam nec eorum conspiratione caruit, vt ait Suetonius*) *quos pudor sit tantam rem ausos esse. Possis & capere: Qui ausi cogitare & velle, nec vltrà. Sed prius præfero.*

86. INVENERAT.] *Vltrò oblatum. nam alios rogari iusserat.*

87. NE MEO.] *Malim,* neu meo: *etsi vox* meo *abest aliquot libris: nec requiram.*

88. HOSTIVM CASTRIS.] *An Bruti & Cassij? opinor. Nam pater periit in Africâ, post prælium ad Thapsum.*

89. SED NATVM.] *Ex Pompeij filiâ, vt dixi.*

90. TAM

A ne conceſſi. Hodie tam felix es,& [90] tam diues, vt victo victores inuideant. Sacerdotium tibi petenti, præteritis compluribus, quorum parentes mecum militauerant, dedi. Cùm ſic de te meruerim, occidere me conſtituiſti. Cùm ad hanc vocem exclamaſſet, procul hanc ab ſe abeſſe dementiam: Non præſtas, inquit, fidem, Cinna: conuenerat, ne interloquereris. Occidere, inquam, me paras. adiecit locum, ſocios, diem, ordinem inſidiarum, cui commiſſum eſſet [91] ferrum. Et cùm defixum videret, nec ex conuentione iam, ſed ex conſcientiâ tacentem: Quo, inquit, hoc animo facis? Vt ipſe ſis princeps? malè meherculè [92] cum Republicâ agitur, ſi tibi ad imperandum nihil præter me obſtat. [93] Domum tueri tuam non potes. nuper [94] libertini hominis gratiâ in priuato iudicio ſuperatus es. Adeò nihil facilius potes, quàm contra Cæſarem [95] aduocare? [96] Cedo, ſi ſpes tuas ſolus impedio. [97] Paullúſne te, & [98] Fabius Maximus,& [99] Coſſi, & [100] Seruilij ferent, tantumque agmen nobilium, non [101] inania nomina præferentium, ſed eorum qui imaginibus ſuis decori ſunt? Ne totam eius orationem repetendo, magnam partem
B voluminis occupem: diutiùs enim quàm duabus horis locutũ eſſe conſtat, cùm [102] hanc pœnam, quâ ſolâ erat contentus futurus, extenderet: Vitam tibi, inquit, Cinna, iterum do, priùs hoſti, nunc inſidiatori ac [103] paricidæ: Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat: contendamus, vtrùm ego [104] meliore fide vitam tibi dederim, an [105] tu debeas. [106] Poſt hæc detulit vltrò conſulatum, queſtus, quòd non auderet petere: amiciſſimum fideliſſimumque habuit, heres ſolus fuit illi: nullis ampliùs inſidiis [107] ab illo petitus eſt. Ignouit [108] abauus tuus victis. nam ſi non ignouiſſet, quibus imperaſſet? X.
[109] Salluſtium, & [110] Cocceios, & [111] Duillios, & totam cohortem [112] primam admiſſionis, ex aduerſariorum caſtris conſcripſit. Iam [113] Domitios, [114] Meſſallas, Aſinios, [115] Cice-

90. TAM DIVES.] *Laudat hoc in Auguſto Ouidius:*
Diuitiis etiam multos & honoribus auctos
Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.

91. FERRVM.] *Qui gladium ſeruaret occultum,*
C *Cinnæ porrò traditurus, an ipſe percuſſurus?*

92. CVM REP.] *Aliàs*, populo Romano: *nec id malè. Sententia eſt, Infelicem Remp. ſi non alij digniores in eâ imperare, quàm Cinna: & ſi ſolus Auguſtus vota eius moraretur.*

93. DOMVM TVERI.] *Adeò imbecilli ingenio, aut tepidâ gratiâ es. & quomodo par ſis reipublicæ?*

94. LIBERTINI.] *Ne nobilis quidem.*

95. ADVOCARE.] *Adeſſe, cauſſam agere. nam manet in re illâ iudiciali.*

96. CEDO.] *Vincor, locum do. etſi poſſis interrogando acuere,* Cedò, *dic vtrùm ſolus ſpes tuas moror?*

97. PAVLLVSNE.] *Notat L. Aemilium Paullum, qui Conſul poſteà anno* DCCLIII.

98. FABIVS MAXIMVS.] *Duo tunc illuſtres,* Paullus Fabius Maximus, *& alter* Q. Fabius Ma-
D ximus Africanus.

99. COSSI.] *Corneliorum prænomen, & item cognomen. Fuit tunc* Coſſus Cornelius Lentulus, *Conſul* DCCLI.

100. SERVILII.] M. Seruilius Geminus, *Conſul* DCCLIV.

101. INANIA NOMINA.] *Cicero in Verrem:* Proponit inania mihi nobilitatis, id eſt hominum arrogantium, nomina.

102. HANC POENAM.] *Vt exprobraret ei, & obijceret.*

103. PARICIDÆ.] *Vel quia in ſeruatorem & alterum parentem ſurrexerat; vel quia in Principem, communem patrem.*

104. MELIORE FIDE.] *Obliuiſcendo, nec puniendo.*

105. TV DEBEAS.] *Agnoſcendo, & fauendo.*

106. POST HÆC.] *Multis quidem annis pòſt, ex Senecæ narratione. nam Conſulem reperio anno* DCCLVIII. *Quod eſſet tamen, ex Dionis narratione, ipſo anno ſtatim pòſt factum: & credo tempus meliùs à Dione ſignatum. De iſto autem Conſule, etiam Seneca tangit De Benefic.* IV. *cap.* XXX.

107. AB ILLO.] *Haud miror. ſed maius veriúſque*, ab vllo.

CAP. X. 108. ABAVVS TVVS.] *Per matrem. Nam Agrippina, alterius Agrippinæ filia, & hæc Iuliæ, atque ea Auguſti.*

109. SALLVSTIVM.] *Qui ex ſorore nepos Salluſtij noſtri hiſtorici. Is in arcanâ apud Auguſtum Tiberiumq; gratiâ: de quo Tacitus, Annalium* IV. *Quomodo autem iſte in hoſtium caſtris? nam auunculus certè Iulianus fuit. Per patrem igitur, aut & ipſe Bruto & libertati militarit.*

110. COCCEIOS.] *Eſt* M. Cocceius Nerua, *Antonio & Auguſto amicus: atque inter proauos Neruæ poſteà Principis.*

111. DVILLIOS.] *In meo eſt,* Duellios. *ſed olim ad Tacitum monemus,* Deillios, *ſiue* Dellios *ſcribendum. Videſis noſtra ad lib.* I. *Annal.*

112. PRIMAM ADMIS.] *Ita meus & meliores codices. alij infarctâ voce,* primam interioris ad. *Sunt qui* primæ *legant: ego non muto, & accipio* primam cohortem *exemplo militiæ dictam, quia vt ea dignißma, ſic iſti proximi Principi, & ſemper admittendi.*

113. DOMITIOS.] *Cn. quidem ipſe Domitius, qui ab Antonio transfugit, paullo pòſt obiit: ſed filium reliquit auum Neronis, & Auguſti gratiâ vigentem. Hunc igitur intellegit, non hoſtem, ſed tamen ex hoſte.*

114. MESSALLAS, ASINIOS.] *In Bruti partibus*

[115] Cicerones, & quidquid floris in ciuitate erat, clementiæ ſuæ debebat. Ipſum Lepi- A
dum quamdiu [116] mori paſſus eſt? Per [117] multos annos tulit [118] ornamenta principis
retinentem: & pontificatum maximum, non niſi [119] mortuo illo, transferri in ſe paſſus
eſt. maluit enim illum honorem vocari, quàm ſpolium. Hæc eum clementia ad ſalu-
tem ſecuritatemque perduxit; hæc gratum ac fauorabilem reddidit; quamuis nondum
ſubactis [120] Reipub. ceruicibus [121] manum impoſuiſſet; hæc hodieque præſtat illi fa-
mam, quæ [122] vix viuis principibus ſeruit. Deum eſſe, non [123] tanquam iuſſi [124] credi-
mus. Bonum principem Auguſtum, & benè illi conueniſſe [125] parentis nomen, fatemur:
ob nullam aliam cauſſam, quàm quòd contumelias quoque ſuas, quæ [126] acerbiores
principibus ſolent eſſe, quàm iniuriæ, nullâ crudelitate exſequebatur: quod probro-
ſis in ſe dictis arriſit: quòd dare illum pœnas apparebat, cùm exigeret: quod quoſcum-
que ob adulterium [127] filiæ ſuæ damnauerat, adeò [128] non occîdit, vt [129] dimiſſis, quò
tutiores eſſent, [130] diplomata daret. Hoc eſt ignoſcere, cùm ſcias multos futuros qui pro
te iraſcantur, & tibi alieno ſanguine gratificentur, non dare tantùm ſalutem, [131] ſed præ- B
XI. ſtare. Hæc Auguſtus ſenex, aut iam in ſenectutem annis vergentibus: in adole-
ſcentiâ caluit, arſit irâ, multa fecit, ad quæ inuitus oculos retorquebat. Comparare nemo
manſuetudini tuæ audebit diuum Auguſtum, etiam ſi in certamen iuuenilium anno-
rum deduxerit ſenectutem plus quàm maturam. Fuerit moderatus & clemens: nem-
pe poſt mare Actiacum Romano cruore infectum, nempe poſt fractas in Siciliâ claſſes,
[132] & ſuas [133] & alienas: nempe poſt [134] Peruſinas aras, & proſcriptiones. Ego verò cle-
mentiam non voco, laſſam crudelitatem. Hæc eſt, Cæſar, clementia vera, quam tu præ-
ſtas, quæ non ſæuitiæ pœnitentiâ cœpit: nullam habere maculam, nunquam ciuilem
ſanguinem fudiſſe. Hæc eſt in maximâ poteſtate, veriſſima animi temperantia, & hu-
mani generis [135] incomprehenſibilis amor, non cupiditate aliquâ, non temeritate incen-
di, non [136] priorum principum exemplis corruptum, quantum in ciues ſuos liceat, expe-
rien-

Meſſalla Coruinus fuit, ſeruatus à Cæſare: in Antonij Aſinius Pollio, ſed Brundiſinâ pace facta continuit ſe in Italiâ, nec vltrà mouit. Velleius, Plutarchus, Dio.

115. CICERONES.] *Oratoris noſtri filium intellegit, ſed nomine tantùm. In re & ingenio, quid tam diſſimile? Is quoque in Bruti caſtris iamtum viuo patre, & poſteà cum ipſo Auguſto Conſul.*

116. MORI PASSVS EST.] *Sic legimus, cum libris fidis. Sententia. ipſum Lepidum, qui olim Triumuir ſociuſq; potentiæ, & ideò timendum; tamen non occîdit, ſed lentâ morte abſumi in exſilio paſſus eſt, Circeios relegatum.*

117. MVLTOS ANNOS.] *Vigintitres circiter, quos exſul vixit.*

118. ORNAMENTA PR.] *Nempe titulum Pontificis Maximi, qui inter ſollennes Principum.*

119. MORTVO.] *Ex more quidem. nec enim viuo ſolet adimi.*

120. REIP. CERVIC.] *Scripti,* populi Romani. *Similis allegoria illa Horatiana:* Nondum ſubactâ ferre iugum valet Ceruice.

121. MANVM.] *Ad domandum ſcilicet, & vt ſub iugum mitteret.*

122. VIX VIVIS.] *Vbi adulationis pretium.*

123. TANQVAM IVSSI.] *Decreto Senatus, & publicâ apotheoſi.*

124. CREDIMVS.] *Ipſi inclinantes, & ſponte. Plinius Panegyrico:* Tu ſideribus patrem intuliſti, quia deum credis.

125. PARENTIS.] *Nam Pater patriæ dictus ipſe,* C
& ſecuti.

126. ACERBIORES PRINCIP.] *Nam contumelia cum contemptu eſt, & inde dicta. Vide Senecam De conſtant. ſap. cap.* IV.

127. FILIÆ SVÆ.] *Quidam libri,* familiæ: *& placeat. Nec enim ſola Iulia mater adulterauit, ſed & filia eius, Auguſti neptis: & vtriuſque admiſſarios vltum iuit.*

128. NON OCCIDIT.] *Imò verò quoſdam, vt Iulum Antonium, alioſq;, morte multauit. Tacitus, & Dio.*

129. DIMISSIS.] *Relegatis.*

130. DIPLOMATA.] *Litteras curſus publici, vt iuſſu Principis tranſueherentur.*

D

131. SED PRÆSTARE.] *Bonâ fide implere & re ipſâ, quod verbis dictum datumq; eſt.*

CAP. XI. 132. ET SVAS.] *Quas naufragio, vel & hoſtili vi amiſit, diu eo bello infelix.*

133. ET ALIENAS.] *Hoſtiles, Sexti Pompeij.*

134. PERVSINAS ARAS.] *Ad quas* trecenti *è dediticiis, hoſtiarum more, mactati. Suetonius: & Dio, qui tamen* quadringentos.

135. INCOMPREHENSIBILIS.] *Eſt à Rudolfo, non à Senecâ. Libri priſci,* comprehendit te ſibi: *alij,* comprehenſibilis. *An fortè,* communis parentis ſimilis? *Spectо auxilium.*

136. PRIORVM PRINCIPVM.] *Tiberij, Caligulæ, Claudij.*

137. GLO-

A riendo tentare, ſed hebetare aciem imperij ſui. Præſtitiſti, Cæſar, ciuitatem incruentam, & hoc quod magno animo [137] gloriatus es, *Nullam te toto orbe ſtillam cruoris humani miſiſſe*: eò maius eſt mirabiliuſque, quòd nulli vmquam citiùs [138] gladius commiſſus eſt. Clementia ergo non tantùm honeſtiores, ſed tutiores præſtat: ornamentumque imperiorum eſt, ſimul certiſſima ſalus. cùm reges conſenuerint, liberiſque ac nepotibus tradiderint regna, tyrannorum exſecrabilis ac breuis poteſtas eſt. Quid intereſt inter tyrannum & regem? ſpecies enim ipſa fortunæ ac licentia par eſt, niſi quòd tyranni voluptate ſæuiunt, reges non niſi ex cauſsâ ac neceſſitate. Quid ergo? non reges quo- XII.
que occidere ſolent? ſed quoties id fieri publica vtilitas perſuadet: tytannis ſæuitia cordi eſt. Tyrannus autem à rege diſtat factis, non nomine. Nam & Dionyſius maior iure meritoque præferri multis regibus poteſt: & L. Sullam appellari tyrannum quid prohibet, cui occidendi finem fecit inopia hoſtium? [139] Deſcenderit licet Dictaturâ ſuâ, & ſe [140] togę reddiderit: quis tamen vmquam tyrannus tam auidè humanum ſanguinem bi-
B bit, quàm ille, qui [141] ſeptem millia ciuium Romanorum, contrucidari iuſſit? Et cùm [142] in vicino, ad [143] ædem Bellonæ [144] ſedens, exaudiſſet conclamationem tot millium ſub gladio gementium, exterrito ſenatu: [145] *Hoc agamus*, inquit, *P. C. ſeditioſi pauculi meo iuſſu occiduntur*. Hoc non eſt mentitus: pauci, Sullæ videbantur. Sed mox [146] de Sullâ conſequemur, quomodo hoſtibus iraſcendum ſit: vtique ſi in hoſtile nomen ciues, & ex eodem corpore abrupti, tranſierint. Interim hoc quod dicebam, clementia efficit, vt magnum inter regem tyrannumque diſcrimen ſit: vterque licet non minùs armis valletur. ſed alter arma habet, quibus in munimentum pacis vtitur; alter vt magno timore magna odia compeſcat. Nec illas ipſas manus, quibus ſe commiſit, ſecurus adſpicit: [147] contrariis in contraria agitur. nam & inuiſus eſt, quia timetur, & timeri vult, quia inuiſus eſt: & illo [148] execrabili verſu, qui multos dedit præcipites, vtitur:

Oderint dum metuant. ——

ignа-

C 137. GLORIATVS ES.] *Opinor in Senatu, oratione aliquâ. Nam, vt Tacitus ait*, Nero clementiam ſuam crebris orationibus obſtrinxit, quas Seneca, teſtificando quàm honeſta præciperet, vel iactandi ingenij, voce principis vulgabat. *libro* XIII.

138. GLADIVS.] *Imperium, ius vitæ neciſq;.*

CAP. XII. 139. DESCENDERIT.] *E tribunali, & dignitate.*

140. TOGÆ REDDIDERIT.] *Dictator ergo in ſago, qui rei gerendæ cauſsâ creatus. Notum de Sullâ, quòd vltrò & inopinantibus cunctis, Dictaturam deponens, priuato ciuiliq; habitu in foro obambulauerit, lictoribus aliáq; pompâ dimiſſis. Simili phraſi & ſenſu apud Lucanum Cæſar:*

Ipſe ego priuatæ cupidus me reddere vitæ,
D Plebeiaq; togâ modicum componere ciuem:
etſi nimis, heu, falsò.

141. SEPTEM MILLIA.] *Valdè diſſentiunt in numero. Alij ad* quatuor millia *tradunt: vt Florus, vt Dionyſius Halicarnaſſæus (fidus auctor) fine libri* V. *Credo & Valerium ſic ſcripſiſſe: in quo tamen falsò* quattuor legiones *legas, libro* IX. *cap.* II. *Panegyricus Conſtantino dictus non abit*, qui deditam exarmatamque legionem *trucidatam ſcribit. At noſter libro De Benefic.* V. *cap.* XVI. legiones duas *dicit, conuenienter cum hoc* ſeptem millium *numero. quem & Firmicus firmat libro* I. Septem millia ciuium, in medio ſinu vrbis, Sullanâ animaduerſione ceciderunt. *Liuius autem in Epitome*, VIII. millia: *Plutarchus*, ſex. *quem omnino vide, ipſa iſta Senecæ verbatim pænè exprimentem.*

142. IN VICINO.] *Vbi igitur ſignatè? in* Ouili, *ſiue in* Septis, *Lucanus dicit*: -& miſeræ maculauit ouilia Romæ. *Alibi:* Septorumque nefas, & clauſi prælia campi. *Florus autem, Liuius, Valerius, Panegyriſtes, Auguſtinus, omnes in* Villâ publicâ. *Quid Plutarchus?* ἐν ἱπποδρόμῳ, *quod reddunt* in circo maximo: *malè, cùm ille abiunctus ſit, intellegitq;* Circum Flaminium. *Tria enim hæc loca dicta, aſsident Bellonæ ædi.*

143. ÆDEM BELLONÆ.] *Vbi Senatum extra vrbem habebat.*

144. SEDENS.] *Lucanus:* -ſedit ſecurus ab alto Spectator ſceleris.

145. HOC AGAMVS.] *Formula attentionem captantis, & in rem præſentem intendentis.*

146. DE SVLLA CONSEQ.] *Corrupta cenſeo. An gloſſematium eſt, depurandumq;*, Sed mox conſequemur, quomodo? *vt verba illa ex marginali notâ irrepſerint. An magis*, mox de Sullâ, cùm loquemur: *vt in ſecundo libro tale aliquid fuerit, quod nunc periit?*

147. CONTRARIIS IN CONTR.] *Obſcuriuſculum eſt, ſed à priore pendet. Ad metum remouendum, arma ſatellitum habet: & ecce ab iiſipſis metum habet. Ita ſecuritas ei in terrorem vertit. Thyeſtes, in Senecâ tragico:* —— dum celſus ſteti,
Numquam pauere deſtiti, atque ipſum mei
Ferrum timere lateris.
id eſt, ſatellitum qui mihi ad latus.

148. EXECRABILI VERSV.] *De quo vide* I. *De Irâ, ſub finem.*

ignarus quanta rabies oriatur, vbi ſupra modum odia creuerunt. Temperatus enim timor cohibet animos: aſſiduus verò & acer, & extrema admouens, in audaciam iacentes excitat, & omnia experiri ſuadet. Sic feras [149] lineis & pinnâ cluſas contineas: eaſdem à tergo eques telis inceſſat: tentabunt fugam per ipſa quæ fugerant, proculcabuntq; [150] formidinem. Acerrima virtus eſt, quam vltima neceſſitas extundit. Relinquat oportet ſecuri aliquid metus, multoque plus ſpei, quàm periculorum, oſtentet: alioquin vbi quieſcenti paria metuuntur, incurrere in pericula iuuat, & [151] alienâ animâ abuti. Placido tranquilloque regi fida ſunt auxilia ſua, quibus ad communem ſalutem vtatur: glorioſuſque miles (publicæ enim ſecuritati dare operam videtur) omnem laborem libens patitur, vt parentis cuſtos. At illum acerbum, & ſanguinarium, neceſſe eſt grauentur ſti-

XIII. patores ſui. Non poteſt habere quiſquam bonæ ac fidæ voluntatis miniſtros, quibus in tormentis, & eculeo, & ferramentis ad mortem paratis vtitur, quibus non aliter quàm beſtiis homines obiectat: omnibus [152] reis noxior ac ſolicitior, vt qui homines deoſque teſtes ac vindices facinorum timeat, eò perductus, vt non liceat illi mutare mores. Hoc enim, inter cetera, vel peſſimum habet crudelitas: quòd perſeuerandum eſt, nec ad meliora patet regreſſus. [153] Scelera enim ſceleribus tuenda ſunt. quid autem eo infelicius, cui iam eſſe malo neceſſe eſt? O miſerabilem illum, ſibi certè! nam ceteris miſereri eius nefas ſit, qui cædibus ac rapinis potentiam exercuit, qui ſuſpecta ſibi cuncta reddidit, tam externa quàm domeſtica: cùm arma metuat, ad arma confugiens: non amicorum fidei credens, non liberorum pietati. Qui vbi circumſpexit quæque fecit, quæque facturus eſt, & conſcientiam ſuam plenam ſceleribus ac tormentis adaperuit: ſæpè mortem timet, ſæpiùs optat, inuiſior ſibi quàm ſeruientibus. E contrario, is cui curæ ſunt vniuerſa, quamquam alia magis, alia minùs tuetur, nullam non Reip. partem tamquam ſui nutrit, inclinatus ad mitiora; etiam ſi ex vſu eſt animaduertere, oſtendens quàm inuitus aſpero remedio manus admoueat; in cuius animo nihil hoſtile, nihil efferum eſt. Qui potentiam ſuam placidè ac ſalutariter exercet, approbare imperia ſua ciuibus cupiens: felix abundè ſibi viſus, ſi fortunam ſuam [154] publicauerit; ſermone affabilis, acceſſuque facilis, vultu, qui maximè populos demeretur, amabilis, æquis deſideriis propenſus, [155] & iniquis acerbus, à totâ ciuitate amatur, defenditur, colitur. Eadem

149. LINEIS ET PINNA.] *Funiculi extenſi, quos Lineas appellant. & iis intextæ variarũ auium pinnæ, ad feras terrendas & coërcendas, vt in retia agerentur, in veterum vſu fuêre. Id totum Formido, à re vocabatur, quia feris eam dabat. Hanc* Lineam μήρινθον *Oppianus appellat*, funiculum. IV. *Halieutic.*

Μηρίνθῳ σείψαντες ἄπαν δρυὸς, ἀμφὶ δ' ἐκάφων
Ὀρνίθων δήσαντο θοὰ πτερά:

Funiculo cingunt ſiluam omnem, circaque nectunt
Alituum leuium pinnas. *Nemeſianus deſcribit:*
Linea quinetiam magnos circumdare ſaltus
Quæ poſſit, volucreſque metu concludere prædas,
Digerat innexas non vnâ ex alite pinnas.
Namque vrſos, magnoſque ſues, ceruoſque fugaces
Terrificant, liniq; vetant tranſcĕdere ſeptum.

Gratius è cygni & vulturis plumis maximè format: & addit:

- ab vulture dirus auaro
Turbat odor ſiluas.

Quâ cauſſâ à Lucano ſcriptum:

- ſic dum pauidos Formidine ceruos
Claudat, oderatæ, metuentes aëra pinnæ.

Quamquam & tingi hæ pinnæ ſandice aut rubro ſolent. Vnde Virgilius:

Puniceæve agitant pauidos formidine pinnæ.

Seneca Tragicus: Picta rubenti linea pinnâ, Vano claudat terrore feras. *Noſter de Irâ* II. *cap.* XII. Rubens pinna. *Multi ad hanc Formidinem alludunt; pulchrè Epictetus apud Arrianum* II. *Diſſert. cap.* I. Λοιπὸν ἡμεῖς τὸ τῶν ἐλάφων πάσχομεν, ὅτε φοβῶν φεύγεσαι αἱ ἔλαφοι τὰ πτηνὰ, πῦ ἕρπονται, ἢ πρός τινα ἀναχωρῆσιν ὡς ἀσφαλῆ· πρὸς τὰ δίκτυα, καὶ ὕτως ἀπόλλυνται, ἐναλλάξασαι τὰ φοβερὰ ἢ τὰ θαρραλέα: Ceterùm nos idem quod cerui facimus, qui dum exterriti fugiunt pinnas, aliò ſe vertunt & quaſi ad ſecura loca in ipſa retia concedunt; atque ita pereunt, permutantes timenda non timendis. *Ita hæc vertenda: interpres meus fecerat*, fugiunt volucrum inſectationem.

150. FORMIDINEM.] *Adde De Irâ* II. *cap.* XII.

151. ALIENA ANIMA.] *Eius quem timent. in illum potiùs ruere.*

CAP. XIII 152. REIS NOXIOR.] *Mens & priſci*, rebus noxior. *ex quo facile factu*, reis obnoxior: *quod omnino verum eſt.*

153. SCELERA ENIM.] *Seneca in Agamemnone:* Per ſcelera ſæpè ſceleribus tutum eſt iter.

154. PVBLICAVERIT.] *Felicitatem ſuam communicauerit, in publicum deriuarit.*

155. ET INIQVIS.] *Pro hac benignitate magis eſſet*, nec iniquis acerbus.

156. TOL-

A dem de illo homines ſecretò loquuntur, quæ palàm. [156] Tollere filios cupiunt, & publicis malis ſterilitas indicta recluditur: benè ſe meriturum de liberis ſuis quiſque non dubitat, quibus tale ſæculum oſtenderit. Hic Princeps ſuo beneficio tutus, nihil præſidiis eget: [157] arma ornamenti cauſsâ habet. Quod ergo officium eius eſt? quod bono- XIV.
rum parentum: qui obiurgare liberos nonnumquam blandè, nonnumquam minaciter ſolent, aliquando [158] admonere etiam verberibus. Numquid aliquis ſanus filium, [159] ad primam offenſam, exheredat? niſi magnæ & multæ iniuriæ patientiam euicerint, niſi plus eſt [160] quod timet, quàm quod damnat, non accedit ad [161] decretorium ſtilum. Multa antè tentat, quibus dubiam indolem, & [162] peiore loco iam poſitam, reuocet: ſimul deplorata eſt, vltima experitur. Nemo ad ſupplicia exigenda peruenit, niſi qui remedia conſumpſit. Hoc quod parenti, etiam Principi faciendum eſt: quem appellauimus [163] *Patrem patriæ*, non adulatione vanâ adducti. Cetera enim cognomina honori data ſunt. [164] *Magnos* & [165] *Felices* & *Auguſtos* diximus, & ambitioſæ maieſtati quidquid
B potuimus titulorum congeſſimus, illis hoc tribuentes: *Patrem* quidem *patriæ* appellauimus, vt ſciret datam ſibi poteſtatem [166] patriam: quæ eſt temperatiſſima, liberis conſulens, ſuaque poſt illos ponens. Tardè ſibi pater membra ſua abſcindat: etiam cùm abſciderit, reponere cupiat: & in abſcindendo gemat, [167] cunctatus multum diuque. Propè enim eſt vt libenter damnet, qui citò: propè vt iniquè puniat, [168] qui nimis. [169] Erixonem equitem Romanum memoriâ noſtrâ, quia filium ſuum flagellis [170] occiderat, populus in foro [171] graphiis [172] confodit. Vix illum Auguſti Cæſaris auctoritas, infeſtis tam patrum quàm filiorum manibus eripuit. [173] T. Arium, qui filium deprehen- XV.
ſum in parricidio, exſilio damnauit, cauſsâ cognitâ, nemo non ſuſpexit, quòd contentus exſilio,

156. TOLLERE FILIOS.] *Plinius Panegyrico:* Super omnia eſt tamen, quòd talis es, vt ſub te liberos tollere libeat & expediat. nemo iam pa-
C rens filio niſi fragilitatis humanæ vices horret, nec inter inſanabiles morbos Principis ira numeratur.

157. ARMA ORNAMENTI.] *Mamertinus in laudatione Iuliani:* Arma igitur & iuuenes cum gladiis atque pilis, non cuſtodiæ corporis ſunt, ſed quidam Imperatoriæ maieſtatis ſollennis ornatus. Quid enim iſtis opus eſt, cùm ſis firmiſſimo muro ciuici amoris obſeptus?

CAP. XIV. 158. ADMONERE.] *Nempe officij ſui.*

159. AD PRIMAM OFF.] *Cicero pro Roſcio:* Magna oportet eſſe vitia atque peccata filij, quibus incenſus parens potuerit animum inducere, vt naturam ipſam vinceret, vt amorem illum penitus inſitum eiiceret ex animo, vt denique ſe pa-
D trem eſſe obliuiſceretur.

160. QVOD TIMET.] *Niſi extremum aliquod ſcelus, & parricidium metuat.*

161. DECRETORIVM.] *Id eſt, vltimum & quo ſententiam in filium Abdicationis ſiue exheredationis ſcribit.* Decretorium *enim, iudiciale,* κριτικόν. *Vide Epiſtol.* CII. *& Saturnalia noſtra, libro* II. *cap.* XIX.

162. PEIORE LOCO.] *In præcipiti, & in lapſu.*

163. PATREM PATRIÆ.] *Conſentienti animo plebs ac Senatus. Vide Suetonium, Aug. cap.* LVIII. *Nam ab illo titulus adhæſit aliis; in illum venit ab exemplo Ciceronis, qui primus ita dictus.*

164. MAGNOS.] *Vt Pompeium.*

165. FELICES.] *Vt Sullam.*

166. PATRIAM.] *Non dominicam.*

167. CVNCTATVS.] *Iuuenalis:* Nulla vmquam de morte hominis cunctatio longa eſt.

168. QVI NIMIS.] *Imò ſemper & certò iniquè qui nimis. Sed hoc intellegit, videri iniuſtè & ſine cauſsâ punire, qui modum excedit. Poteſt igitur æquitas eſſe, in cauſsâ: iniquitas in modo.*

169. ERIXONEM.] *Meus & alij*, Trixonem. *magis Romanum eſſet*, Trichonem, *ſiue* Triconem. *Vtrouis enim modo credo ſcriptitaſſe.*

170. OCCIDERAT.] *Rectè. nec accedo iis qui* ceciderat, *contra libros, ſupponunt. Ignominioſum ſanè & ſeruile flagellis cædi: ſcimus. ſed patri hoc ita inuidiæ odioq; fuiſſet, cui plura & vltima in filium licent? Non opinor: ſed hoc odium meritò habuit, quòd impetu & ſæuitiâ, ipſe ſuis manibus, filium flagris neci dediſſet.*

171. GRAPHIIS.] *Nec enim telis aut pugionibus vulgò tunc accincti. Itaque in ſubitâ irâ, ad hæc, quæ prompta erant, confugiebant, graphia dico, quæ cum pugillaribus ſecum ferebant. Nam Graphium (Græcanicâ voce) ſtilus ferreus, acutus.. quo & Cæſar Iulius* Caſcæ brachium traiecit: *& Caligula Senatorem quemdam* graphiis confoſſum, lacerandum ceteris tradidit. *Suetonius in vitâ vtriuſque.*

172. CONFODIT.] *At non occidit. nam Cæſar eripuit, vt ſequitur.*

CAP. XV. 173. T. ARIVM.] *Sic Muretus: at libri noſtri* Tarium *iunctim præferunt. Et verò* L. Tarius Rufus, *ipſo Auguſti imperio, Conſul fuit, anno* DCCXXXVII. *Vide Faſtos.*

exsilio, & exsilio [174] delegato. Massiliæ parricidam [175] continuit, & [176] annua illi præ- A
stitit, quanta præstare integro solebat. Hæc liberalitas effecit, vt in quâ ciuitate numquam
deest patronus peioribus, nemo dubitaret, quin reus meritò damnatus esset, quem is pa-
ter damnare potuisset, qui odisse non poterat. Hoc ipso exemplo dabo, quem compares
bono patri bonum Principem. Cogniturus de filio T. Arius, aduocauit [177] in consilium
Cæsarem Augustum. venit in priuatos penates, assedit, [178] pars alieni consilij fuit. Non
dixit: Imò in meam domum veniat. Quod si factum esset, Cæsaris futura erat cogni-
tio, non patris. Auditâ caussâ, excussisque omnibus, & his quæ adolescens pro se dixerat,
& his quibus arguebatur, [179] petit, vt sententiam suam quisque scriberet, ne ea omnium
fieret, quæ Cæsaris fuisset. Deinde priusquam aperirentur [180] codicilli, iurauit se T. Arij
homi iis locupletis [181] hereditatem non aditurum. Dicet aliquis, [182] pusillo animo. ti-
muit, ne videretur locum spei suæ aperire velle, filij damnatione. Ego contrà sentio.
Quilibet nostrûm debuisset aduersus opiniones malignas satis fiduciæ habere in bonâ
conscientiâ: Principes multa debent etiam [183] famæ dare. Iurauit se non aditurum he- B
reditatem. Arius quidem eodem die [184] & alterum heredem perdidit, sed Cæsar liber-
tatem sententiæ suæ redemit: & postquam approbauit [185] gratuitam esse seueritatem
suam, quod principi semper curandum est, dixit, relegandũ quò patri videretur. [186] Non
culleum, non serpentes, non carcerem decreuit: memor [187] non de quo censeret, sed cui
in consilio esset. Mollissimo genere pœnæ contentum esse debere patrem dixit, in filio
adolescentulo, impulso in id scelus, in quo se, quod proximum erat ab innocentiâ, [188] ti-
XVI. midè gessisset: debere illum ab vrbe & à parentis oculis submoueri. O dignum,
quem in consilium patres aduocarent! ô dignum quem coheredem innocentibus liberis
scriberent! Hæc clementia Principem decet, vt quocumque venerit, mansuetiora omnia
faciat. Nemo regi tam vilis sit, vt illum perire non sentiat. qualiscumque, pars imperij
est. In magna [189] imperia ex minoribus petamus exemplum. Non est vnum imperan-
di genus. imperat Princeps ciuibus suis, pater liberis, præceptor discentibus, tribunus
vel centurio militibus. Nónne pessimus pater videbitur, qui assiduis plagis liberos, etiam C
ex leuissimis caussis, compescet? Vter autem præceptor liberalibus studiis dignior, qui
excar-

174. DELEGATO.] *Omnino*, delicato, *malim. nam talis in otiosâ & maritimâ vrbe illâ sedes. Innotuit Milonis iocus, in Ciceronem:* Tu si ita dixisses, non hîc Massiliæ mullos ederem: *in Dionis* XL.

175. CONTINVIT.] *Clausit, & eo loco circumscripsit. Ergo relegatio propriè, non exsilium fuit.*

176. ANNVA.] *Pandectarum titulus*, De annuis legatis: *& intelleguntur pecuniæ alimenta. Glossæ:* Annuum, τὸ ἐνιαυσιαῖον σιτηρέσιον, alimentum annuum. *Suetonius Tiberij cap.* L. Peculio concesso à patre, præbitisque annuis fraudauit.

177. IN CONSILIVM.] *De more. nam pater filio priuatus iudex & censor: atque ita velut iudicio cognituros, cognatos, adfines, amicos interiores aduocabat, de quorum consilio statueret. In Valerio, lib.* V. *cap.* VIII. *atque alibi exempla.*

178. PARS ALIENI.] *Non caput. quæ omnia ad modestiam Augusti, & in amicos benignitatem.*

179. PETIT.] *Ipse Cæsar, non pater. Bona autem ratio, ad libertatem sententiis & veritatem dandam: de quâ nos in Politicis.*

180. CODICILLI.] *In quibus sententiæ scriptæ.*

181. HEREDITATEM NON AD.] *Ergo iam heres institutus erat, & sciebat? minimè. sed potuisset institui, & ex more eius ævi crebrum erat, orbos aut qui beneficia à Cæsaribus haberent, mori illis heredibus siue ex asse, siue ex parte. Augustus igitur præcauit & rem & suspicionem hoc facto, & sententiam suam spei aut affectus immunem ostendit.*

182. PVSILLO ANIMO.] *Quia excusat, in quo nemo accusat: atque ita seipse pænè accusat.*

183. FAMÆ DARE.] *Debent certè. & Taciti nostri scitum est*, Principibus præcipua rerum ad famam dirigenda. *O ament eam, & huius amore virtutem! Verè ab eodem scriptum:* Contemptu famæ, contemni virtutes.

184. ET ALTERVM.] *Nam filium perdidit suâ* D
Abdicatione: Cæsarem, eius Abiuratione.

185. GRATVITAM ESSE.] *Spei aut præmio non obnoxiam.*

186. NON CVLLEVM.] *Infrà, cap.* XXXIII. *Porrò similis clementiæ in eodem Augusto exemplum Suetonius refert in ipso, cap.* XXXIII.

187. NON DE QVO.] *Qui ipse meritus erat. quippe animo & conatu parricida.*

188. TIMIDE GESS.] *Acutè. aggressus quidem scelus, sed parùm destinato aut forti animo, & quem pietas adhuc coërceret. Ita excusat factum quod patris fatum & Deus interpellarunt.*

CAP. XVI. 189. IMPERIA.] *Velim abesse hanc vocem.*

190. Mo-

A excarnificat discipulos, si memoria illis non constiterit, aut si parùm agilis in legendo oculus hæserit: an qui [190] monitionibus,& verecundiâ,emendare ac docere malit? Tribunum centurionemque da sæuum: desertores faciet, [191] quibus tamen ignoscitur. Numquídnam æquum est, grauiùs homini & duriùs imperari, quàm imperatur animalibus mutis? atqui equum non crebris verberibus exterret, domandi peritus magister. Fiet enim formidolosus & contumax, nisi eum tactu blandiente permulseris. Idem facit venator, qui instituit catulos vestigia sequi, quique iam exercitatis vtitur [192] ad excitandas, vel persequendas feras. Nec crebrò illis minatur: contunditur enim animus, & quidquid est indolis, comminuitur trepidatione degeneri: nec licentiam vagandi errandique passim concedit. Adiicias his licet, [193] tardiora agentes iumenta: quæ cùm ad contumelias & miserias nata sint,nimiâ sæuitiâ coguntur iugum detrectare. Nul- XVII.
lum animal morosius est, nullum maiore arte tractandum, quàm homo: nulli magis parcendum. Quid enim stultius, quàm in iumentis quidem & canibus erubescere iram
B exercere,pessimâ autem conditione [194] hominem esse? Morbis medemur,nec irascimur: atqui & hic morbus animi mollem medicinam desiderat, ipsumq; medentem minimè infestum ægro. Mali medici est, desperare, ne curet. Idem in his, quorum animus affectus est, facere debebit, cui credita salus omnium est: non citò spem proiicere, nec [195] mortifera signa pronunciare. Luctetur cum vitiis, resistat; aliis morbum suum exprobret; quosdam molli curatione decipiat, citiùs meliusque sanaturus remediis fallentibus. Agat Princeps curam, non tantùm salutis, sed etiam honestæ [196] cicatricis. Nulla regi gloria est ex sæuâ animaduersione. quis enim dubitat posse? at contrà maxima, si vim suam continet, si multos iræ alienæ eripuit, neminem suæ impendit. Seruis XVIII.
imperare moderatè,laus est: & in mancipio cogitandum est,non quantum illud impunè pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura: quæ parcere etiam captiuis, & pretio paratis, iubet. Quanto iustius hominibus liberis, ingenuis, honestis, non vt mancipiis abuti, sed his quos gradu antecedas, quorumque tibi non tradita seruitus
C sit, sed tutela? Seruis [197] ad statuam licet confugere. cùm in seruum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere commune ius animantum vetet: [198] quia eiusdem naturæ est, cuius tu. Quis non [199] Vedium Pollionem peiùs oderat, quàm serui sui, quòd murænas sanguine humano saginabat: & eos qui se aliquid offenderant,in [200] viuarium, quid aliud quàm [201] serpentibus, obiici iubebat? O hominem mille mortibus dignum! siue deuorandos seruos obiiciebat murænis, quas esurus erat, siue [202] in hoc tantùm illas alebat, vt sic aleret. Quemadmodum domini crudeles totâ ciuitate com-
mon-

190. MONITIONIBVS.] *Sic oportet. nam,vt Fabius,* Sicui est mens tam illiberalis, vt obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, vt pessima quæque mancipia, durabitur.

191. QVIBVS TAMEN.] *Praua distinctio, quis enim Desertoribus ignoscit, quos leges puniunt? Tu*
D *interpunge:* desertores faciet. Quibus tamen ignoscitur? numquídnam æquum est gr. *Sententia aperta. Ignosci volumus, & quibus? hominibus. Atqui & brutis ignoscitur, & molliter habentur: cur non magis illis?*

192. AD EXCITANDAS.] *Quod faciunt sagaces canes, qui in cubili deprehensas excitant, & venatoriis canibus tradunt.*

193. TARDIORA.] *Boues, equos, asinos.*

CAP. XVII. 194. HOMINEM ESSE.] *Scripti,* sub homine esse. *Voculam insere,* sub homine hominem esse?

195. MORTIFERA.] *Vt in desperatione, medici.*

196. CICATRICIS.] *Vt nec infamia quidem appareat.*

CAP. XVIII. 197. AD STATVAM.] *Sub Impp. ille mos. & serui iniuriâ affecti aut afficiendi, non ad templa solùm, sed ad statuam quamcumque Principis confugiebant (multæ autem in foris, vicis, viis passim:) atque eas amplexi à vi tuti erant. Exemplis satis hoc firmaui & docui ad* III. *Annalem Taciti.*

198. QVIA EIVSDEM.] *Sex hæc verba inserui auctore meo libro, nec extranea mihi videntur.*

199. VEDIVM POLL.] *De quo homine,an monstro, De Irâ* III. *cap.* XL.

200. VIVARIVM.] *Quicumque locus, vbi viuæ animantes aluntur, feræ, aues, pisces.*

201. SERPENTIBVS.] *Nam formâ vix dissident. De hac re Plinius lib.* IX. *cap.* XXIII. Inuenit in hoc animali documenta sæuitiæ Vedius Pollio, eques Rom. ex amicis D. Augusti, viuariis earum immergens damnata mancipia: non tamquam ad hoc feris terrarum non sufficientibus, sed quia in alio genere totum hominem pariter distrahi spectare non poterat.

202. IN HOC TANTVM.] *Oblectamento suæ sæuitiæ. non vt pasceretur iis, sed vt pasceret.*

203. PVBLI-

monſtrantur, inuiſiſque & deteſtabiles ſunt: ita regum & iniuria latiùs patet,& infamia, A
atque odium ſæculis traditur. Quanto autẽ non naſci melius fuit, quàm numerari inter
XIX. [203] publico malo natos? Excogitare nemo quicquam poterit,quod magis decorum
regenti ſit quàm clementia : quocunque modo is , & quocunque iure præpoſitus ceteris
erit. Eò ſcilicet formoſius id eſſe,magnificentiuſque fatebimur,quò in maiori præſtabi-
tur poteſtate: quam non oportet noxiam eſſe, ſi ad naturæ legem componitur. Natura
enim commenta eſt regem : quod & ex aliis animalibus licet cognoſcere , & ex apibus:
quarum regi [204] ampliſſimum cubile eſt , [205] medioque ac tutiſſimo loco. Prætereà
[206] onere vacat,exactor alienorum operum : & [207] amiſſo rege,totum dilabitur examen.
nec vnquam [208] plus vnum patiuntur, melioremque pugnâ quærunt. Prætereà inſignis
regi forma eſt , diſſimiliſque ceteris , [209] tum magnitudine, [210] tum nitore, hoc tamen
maximè diſtinguitur. Iracundiſſimæ, ac pro corporis captu pugnaciſſimæ ſunt apes , &
aculeos in vulnere relinquunt: [211] rex ipſe ſine aculeo eſt. Noluit illum natura nec ſæ-
uum eſſe, nec vltionem [212] magno conſtaturam petere : telumque detraxit , & iram eius B
inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens eſt. Eſt enim illi mos,exerere ſe
in paruis, & ingentium rerum documenta [213] minima agere. Pudeat ab exiguis anima-
libus non trahere mores : cùm tantò hominum moderatior eſſe animus debeat,quantò
vehementiùs nocet. Vtinam quidem eadem homini lex eſſet: & ira cum telo ſuo fran-
geretur : nec ſæpiùs liceret nocere quàm ſemel,nec [214] alienis viribus exercere odia ! faci-
lè enim laſſaretur furor,ſi [215] per ſe ſibi ſatisfaceret, & ſi mortis periculo vim ſuam effun-
deret.Sed ne nunc quidem illi curſus tutus eſt.Tantum enim neceſſe eſt [216] timeat,quan-
tum timeri voluit : & manus omnium obſeruet, & eo quoque tempore quo non captа-
tur, peti ſe iudicet,nullumq; momentũ immune à metu habeat. Hanc aliquis [217] ægram
vitam

203. PVBLICO MALO.] *Sicut aduerſa formula in bonis Principibus*, Bono publico natos. *Suetonius, Neronis cap.* VI. Præſagio fuit Domitij patris vox, negantis quidquam ex ſe & Agrippinâ niſi deteſtabile, & malo publico, naſci potuiſſe.

CAP. XIX. 204. AMPLISSIMVM CVBILE.] *Plinius :* Regias imperatoribus futuris in imâ parte aluei exſtruunt amplas, magnificas, ſeparatas, tuberculo eminentes.

205. MEDIOQVE.] *Quomodo, ſi iam ex Plinio* in imâ parte aluei *locauimus ? etſi vulgò tamen in Plinio* vnâ parte, *nimis indefinitè legunt. Sed ſciendum, apes primùm ſuas cellas ſtruere ; tum in imis ceris regum; tum denique & fucorum. Ita rex in medio ſimul, & imo : eaq; mente Hyginus*, In fine cerarum; *Columella* in extremis fauis *ponit. At Ariſtoteles rem aperit*, IX. *Hiſtor. Animal. cap.* XL. πλάττουσι δὲ, *inquit*, τὰ τῶν βασιλέων πρὸς τοῖς ὠτῶν (μικρὰ δέ ἐστι ταῦτα) τὰ δὲ κηφήνια πρὸς ὠτά : Fingunt (cellas) regum iuxta ſuas. Minores autem iſtæ ſunt : & iuxta has fuci. *Plura in eo vide.*

206. ONERE VACAT.] *Plinius :* Cùm populus in labore eſt, ipſe opera intus circuit, ſimilis exhortanti, ſolus immunis.

207. AMISSO REGE.] *Idem Plinius:* Duce prehenſo, totum tenetur agmen, amiſſo dilabitur. *Sunt ipſa verba quæ in Senecâ: ſi meum quidem manuſcriptum audis (nam alij variant) in quo eſt :* totum dilabitur agmen.

208. PLVS VNVM.] *Nam* plures quidem incohantur (*Plinius*) ſed ex his, ſoboles cùm adulta eſſe cœpit,concordi ſuffragio deterrimos necant, ne diſtrahant agmina.

209. TVM MAGNIT.] *Idem naturæ myſtes* : Regibus forma ſemper egregia, & duplo quàm ceteris maior,in fronte macula, quodam diademate candicans.

210. TVM NITORE.] *Idem :* Multum etiam C nitore à vulgo differunt.

211. REX SINE ACVL.] *Hoc controuertit Plinius :* Non conſtat inter auctores, rex nullúmne ſolus habeat aculeum, maieſtate tantùm armatus;an dederit quidem eum natura,ſed vſum eius illi tantùm negauerit. *Ariſtoteles contra Senecam profert, lib.* V. *Hiſtor. cap.* XXI. Κέντρον δὲ οἱ βασιλεῖς καὶ ἡγεμόνες ἔχουσι μὲν, ἀλλ' ἐ τύπτουσι. διὸ ἔνιοι μὲν οὐκ οἴονται ἔχειν αὐτούς: Aculeum reges & duces habent quidem, ſed eo non pungunt. quâ re quidam nec habere eos cenſent. *Cùm Senecâ iterùm Dio Chryſoſtomus, qui & hac ipsâ imagine in eamdem ſententiam vtitur*, IIII. *De regno.*

212. MAGNO CONSTATVRAM.] *Ipsâ animâ. Virgilius :* —— animaſque in vulnere ponunt.

213. MINIMA.] *Crederem*, minimâ, *auferendi caſu capiendum. Minimâ re, ingentium rerum documenta agit. Etſi non nollem etiam*, minimis. D

214. ALIENIS VIR.] *Nam Principes potenteſq; per alios, & adminiſtros, nocent.*

215. PER SE SIBI.] *Suis manibus viribúſque, non alienis, vt præiuit.*

216. TIMEAT.] *Noto illo verſu :*

Timet timentes, metus in auctorem redit.

Sed & Plutarchus pulchrè, Ad indoctum Principem: Τῷ γὰρ ὄντι, δεδίασιν οἱ βασιλεῖς ὑπὲρ τῶν ἀρχομένων, οἱ δὲ τύραννοι τὰς ἀρχομένους. διὸ τῇ δυνάμει τὸ δέος συναύξησι. πλειόνων γὰρ ἀρχοντες, πλείονας φοβοῦνται: Reuera enim reges pro ſubditis timent, ac tyranni ſubditos: quorũ potentia ſi creſcit, etiam metus. Pluribus enim cùm imperant,plures etiã timent.

217. ÆGRAM.] *Gruterus*, agere.

218. COL-

A vitam ſuſtinet: cùm liceat innoxium, atque ob hoc ſecurum, ſalutare potentiæ ius, lætis omnibus, tractare? Errat enim, ſiquis exiſtimat tutum eſſe ibi regem, vbi nihil à rege tutum eſt. Securitas ſecuritate mutuâ paciſcenda eſt. Non opus eſt inſtruere in altum editas arces, nec in adſcenſum arduos colles emunire, nec latera montium abſcindere, multiplicibus ſe muris turribuſque ſepire: ſaluum regem in aperto clementia præſtabit. Vnum eſt [219] inexpugnabile munimentum, amor ciuium. Quid pulchrius eſt, quàm viuere optantibus cunctis, & vota non [220] ſub cuſtode nuncupantibus? ſi paullùm valetudo titubauit, non ſpem hominum excitari, ſed metum? nihil eſſe cuiquam tam pretioſum, quod non pro ſalute præſidis ſui commutatum velit? omne quod illi contingit, ſibi quoque euenire deputet? [221] In hoc aſſiduis bonitatis argumentis probauit, non Remp. ſuam eſſe, ſed ſe Reipublicæ. Quis huic audeat ſtruere aliquod periculum? quis ab hoc non, ſi poſſit, fortunam quoque auertere velit, ſub quo iuſtitia, pax, pudicitia, ſecuritas, dignitas florent? ſub quo opulenta ciuitas copiâ bonorum omnium abundat?

B Nec alio animo rectorem ſuum intuetur, quàm ſi [222] dij immortales poteſtatem viſendi ſui faciant: [223] intueremur venerantes colenteſque. Quid autem? non proximum illis locum tenet is, qui ſe ex deorum naturâ gerit, beneficus ac largus, & in melius potens? Hæc affectare, hæc imitari decet: maximum ita haberi, vt optimus ſimul [224] habeatur. Duabus de cauſſis punire princeps ſolet, ſi aut ſe vindicat, aut alium. Priùs de parte diſſeram, quæ ipſum contingit. difficilius eſt enim moderari, vbi [225] dolori debetur vltio, quàm vbi [226] exemplo. Superuacuum eſt hoc loco admonere, ne facilè credat, vt verum excutiat, vt innocentiæ faueat, [227] vt appareat, non minùs rem agi periclitantis, quàm iudicis: hoc ad iuſtitiam, non ad clementiam pertinet. Nunc illum hortamur, vt manifeſtè læſus, animum in poteſtate habeat: & pœnam, ſi tutò poterit, donet: ſin minùs, temperet: longeque ſit in ſuis, quàm in alienis, exorabilior iniuriis. Nam quemadmodum non eſt magni animi, qui de alieno liberalis eſt, ſed ille qui quod alteri donat, ſibi detrahit: ita clementem vocabo, non in alieno dolore facilem, ſed eum qui

C cùm ſuis ſtimulis exagitetur, non profilit: qui intelligit magni animi eſſe, iniurias in ſummâ potentiâ pati, nec quidquam eſſe glorioſius, principe impunè læſo. Vltio duas res præſtare ſolet: aut [228] ſolatium affert ei qui accipit iniuriam, aut in reliquum ſecuritatem. Principis maior eſt fortuna, quàm vt tali ſolatio egeat: manifeſtiorque vis, quàm vt [229] alieno malo opinionem ſibi virium quærat. Hoc dico, cùm ab inferioribus petitus

XX.

XXI.

219. INEXPVGNABILE.] *Plinius Panegyrico:* Diſcimus experimento, fidiſſimam eſſe cuſtodiam Principis, ipſius innocentiam. Hæc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere.

220. SVB CVSTODE.] *Id eſt palàm, & ſecuris ſiquis obſeruet non obſeruet. Cupiunt vouentq; illum ſaluum, toto animo, totâ voce. At ſub cuſtode, alia vota palàm, alia in pectore ſuſcipiuntur. quod Plinius in Laudatione Traiani oſtendit:* Remouerent à cuſtodiâ tui oculos, teque relinquerent votis, quæ non palàm concipiuntur. *Idem, in eâdem:* Queri libet, quòd in ſecreta noſtra non inquirant Principes, niſi quos odimus: *& alia quæ adiungit, è quibus vides nec libera, nec vera vota fuiſſe ſub tyrannis. Briſſonius tamen hæc Senecæ trahit & apponit ad Plinij locum libri* XXVIII. *cap.* II. In precationibus, nequid verborum prætereatur, de ſcripto præire aliquem, rurſuſque alium cuſtodem dari qui attendat. *At mihi diuerſus ille ritus.*

221. IN HOC.] *Fortaſſe,* Is hoc: *vel,* qui: *ſi tamen non aliquis hic defectus.*

222. DII IMMORTALES.] *Eſt Homericum illud:*

Ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ, θεὸν ὡς, εἰσορόωσιν:
Vadentemque per vrbem, adſpectant numinis inſtar.

223. INTVEREMVR VENER.] *Diſtinguam:* faciant, intueremur vener. *Quidam libri,* intueamur: *item rectè.*

224. HABEATVR.] *Quibuſdam,* habeare: *benè, ad Neronem.*

CAP. XX. 225. DOLORI.] *Cùm ſe vindicat.*

226. EXEMPLO.] *Cùm alium, & nequis temerè iniurius ſit aut lædat.*

227. VT APPAREAT.] *Hæc ex melioribus libris legenda putem:* faueat & appareat, vt non minorem agi rem periclitantis, quàm iudicis, ſciat. *Appareat, id eſt, adſit præſtoq; ſit ad tuendum. Vocula autem,* ſciat, *à libris additur.*

CAP. XXI. 228. SOLATIVM AFFERT.] *Nam* dulce eſt, dolorem reddere: *lib.* II. *De Irâ, cap.* XXXII. *Et apud Pacuuium aliquis:*

Dij me etſi perdunt, tamen eſſe adiutam expetunt,
Quòd priuſquam intereo, ſpatium vlciſcendi danunt.

229. ALIENO MALO.] *Noxâ ac læſione alterius.*

230. IN-

tus violatuſque eſt. nam ſi quos pares aliquando habuit, [230] infra ſe videt, ſatis vindica- A
tus eſt. Regem & ſeruus occidit, & ſerpens, & ſagitta : ſeruauit quidem nemo, niſi ma-
ior eo quem ſeruauit. Vti itaque animosè debet tanto munere deorum, dandi auferen-
dique vitam potens : in his præſertim, quos ſcit aliquando [231] ſuo faſtigio obſtitiſſe: hoc
arbitrium adeptus, vltionem impleuit, perfecitque quantum veræ pœnæ ſatis erat. Per-
didit enim vitam, qui debet : & quiſquis ex alto ad inimici pedes abiectus, alienam de
capite ſuo [232] regiamque ſententiam exſpectauit, in ſeruatoris ſui gloriam viuet, pluſque
nomini eius conferet incolumis, quàm ſi ex oculis ablatus eſſet. Aſſiduum enim ſpecta-
culum alienæ virtutis eſt : in triumpho citò tranſiſſet. Si verò regnum quoque ſuum tu-
tò relinqui apud eum potuit, reponique eò vnde deciderat : ingenti incremento ſurgit
laus eius, qui contentus fuit, ex rege victo nihil, præter gloriam, ſumere. Hoc eſt etiam
ex victoriâ ſuâ triumphare, teſtarique, nihil ſe quod dignum eſſet victore, apud victos
inueniſſe. Cum ciuibus, & ignotis, atque humilibus, eò moderatiùs agendum eſt, quò
minoris eſt afflixiſſe eos. Quibuſdam libenter parcas : à quibuſdam te vindicare faſti- B
dias, & non aliter quàm in animalibus paruis & obterentem inquinantibus, reducenda
manus eſt: at in iis qui in ore ciuitatis ſeruati punitique erunt, occaſione notæ clementiæ
XXII. vtendum eſt. Tranſeamus ad alienas iniurias : in quibus vindicandis [233] hæc tria
lex ſecuta eſt, quæ Princeps quoque ſequi debet : aut vt eum quem punit, emendet; aut
vt pœnâ eius ceteros meliores reddat; aut vt ſublatis malis ſecuriores ceteri viuant. Ipſos,
faciliùs emendabis minore pœnâ : diligentiùs enim viuit, cui aliquid integri ſupereſt.
Nemo dignitati perditæ parcit. impunitatis genus eſt iam non habere pœnæ locum. Ci-
uitatis autem mores magis corrigit parcitas animaduerſionum. facit enim conſuetudi-
nem peccandi, [234] multitudo peccantium : & minùs grauis nota eſt, quam turba dam-
natorum leuat : & ſeueritas, quod maximum remedium habet, aſſiduitate amittit, au-
ctoritatem. Conſtituit bonos mores ciuitati Princeps, & vitia eius feliciùs compeſcit,
[235] ſi patiens eorum eſt, non tamquam probet, ſed tamquam inuitus, & cum magno tor-
mento ad caſtigandum veniat. Verecundiam peccandi facit ipſa clementia regentis. C
XXIII. Grauior multo pœna videtur, quæ à miti viro conſtituitur. Prætereà videbis ea
ſæpè committi, quæ ſæpè vindicantur. [236] Pater tuus plures [237] intra quinquennium
[238] culleo inſuit, quàm omnibus ſæculis inſutos accepimus. multo minùs audebant libe-
ri nefas vltimum admittere, quamdiu ſine lege crimen fuit. Summâ enim prudentiâ
[239] altiſſimi viri, & rerum naturæ peritiſſimi maluerunt, velut incredibile ſcelus, & vltra
auda-

230. INFRA SE.] *Claudianus*:

——ignoſcere pulchrum
Iam miſero, pœnæque genus, vidiſſe precantem.

231. SVO FASTIGIO.] *Meus*, ſibi faſtigium obtinuiſſe; *nec longè ab eo Pinciani. Cui aſſentior emendanti*: quos ſcit aliquando ſimile faſtigium obtinuiſſe.

232. REGIAMQVE.] *Diſplicuit Mureto, & eiecit. At libri aſſerunt, niſi quòd quidam* regioque. *Ex quo ego*, regnoque *fecerim.*

CAP. XXII. 233. HÆC TRIA.] *Agellius libro* VI. *cap.* XIV. *& ipſe puniendi tres cauſſas ſiue genera ponit, ſed leui diſſenſu. Vide.*

234. MVLTITVDO.] *Idem de Benef.* III. *cap.* XVI. Pudorem rei tollit multitudo peccantium, & deſinit eſſe probri loco commune maledictum.

235. SI PATIENS.] *Nam, vt Latinus Pacatus in Panegyrico*, quieſcentibus legum minis, ſubiit quemque priuatim ſui pœnitentia : *& vt Plinius*, caſtigauerunt vitia ſua ipſi, qui caſtigari merebantur. *Duc eodem hoc quoque Plinij:* Neſcio an plus moribus conferat Princeps, qui bonos eſſe patitur, quàm qui cogit.

CAP. XXIII. 236. PATER TVVS.] *Claudius, qui Neronem malo ſuo & publico adoptauit.*

237. INTRA QVINQVENNIVM.] *Vltimum, opinor.*

238. CVLLEO.] *Res iam nota. parricidæ damnati ſtatim caput & os obuoluebantur, & inde in* D
carcerem ducti, tum culleo (id eſt ſacco coriaceo) inſuti in mare deferebantur. Auctor ad Herennium libro I. Ei damnato, ſtatim folliculo lupino os obuolutum eſt, & in carcerem ductus eſt. *Vide Feſtum in* Obuoluere, *Quinctilianum Declamat.* CCXCVIII. *Senecam De Irâ*, I. *cap.* XVI. *Suprà hoc libro, cap.* XV. Non culleum, non ſerpentes. *Gloſſarium vetus :* Fuit lex, vt qui parricidium feciſſet, publicè in culleo miſſus inſueretur, cum viperâ, & cane, & ſimiâ, & gallo, impiis animalibus, impius homo : & ſuper plauſtrum, iunctis nigris bobus, deferretur in mare.

239. ALTISSIMI VIRI.] *Solonem intellegit. de quo Cicero pro Roſcio :* Solon cùm interrogaretur, cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum qui paren-

A audaciam positum præterire, quàm dum vindicant, ostendere posse fieri. Itaque parricidæ cum [240] lege cœperunt, & illis facinus pœna monstrauit. pessimo loco pietas fuit, postquam [241] sæpiùs culleos vidimus, quàm cruces. In quâ ciuitate rarò homines puniuntur, in eâ consensus fit innocentiæ, & indulgetur velut publico bono. Putet se innocentem esse ciuitas, erit. magis irascitur à communi frugalitate desciscentibus, si paucos eos esse viderit. Periculosum est, mihi crede, ostendere ciuitati, quanto plures mali sint. [242] In Senatu dicta est aliquando sententia, vt seruos à liberis [243] cultus distin- XXIV.
gueret: deinde apparuit, quantum periculum immineret, si serui nostri [244] numerare nos cœpissent. Idem scito metuendum esse, si nulli ignoscitur: citò apparebit, pars ciuitatis deterior quanto prægrauet. Non minùs Principi turpia sunt multa supplicia, quàm medico multa funera. Remissiùs imperanti, meliùs patetur. Naturâ contumax est humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens, sequiturque faciliùs, quàm ducitur. Et vt generosi atque nobiles equi, meliùs facili fræno reguntur: ita clementiam vo-
B luntaria innocentia impetu suo sequitur, & dignam putat ciuitas, quam seruet sibi. plus itaque hac viâ proficitur. Crudelitas minimè humanum malum est, indignum tam miti animo. Ferina ista rabies est, sanguine gaudere ac vulneribus: & abiecto homine, in siluestre animal transire. Quid enim interest, oro te Alexander, [245] leoni Lysi- XXV.
machum obiicias, an ipse laceres dentibus tuis? tuum illud os est, tua illa feritas. O quàm cuperes tibi potiùs vngues esse, tibi rictum illum edendorum hominum capacem! Non exigimus à te, vt manus ista, exitium familiarium certissimum, vlli salutaris sit: vt iste animus ferox, insatiabile gentium malum, citra sanguinem cædemq; satietur: clementia vocetur, si ad occidendum amicum, carnifex inter homines eligitur. Hoc est, quare vel maximè abominanda sit sæuitia, quòd excedit fines, primùm solitos, deinde humanos. Noua supplicia conquirit, ingenium aduocat, instrumenta excogitat, per quæ varietur atque extendatur dolor, & delectatur malis hominum. Tunc ille dirus animi morbus ad insaniam peruênit vltimam, cùm crudelitas versa est in voluptatem: & iam
C occidere hominem iuuat. Nam talem virum à tergo sequitur euersio, odia, venena, gladij. tam multis periculis petitur, quàm multorum ipse periculum est: priuatisque nonnumquam consiliis, aliàs verò consternatione publicâ circumuenitur. Leuis enim & priuata pernicies, non totas vrbes mouet: quòd latè furere cœpit, & omnes appetit, vndique configitur. Serpentes paruulæ fallunt, nec publicè [246] consequuntur: vbi aliqua solitam mensuram transiit, & in monstrum excreuit, vbi fontes potu infecit, & [247] sufflatu deurit obteritque quacumque incessit, [248] ballistis petitur. Possunt [249] verba dare, & eua-

parentem necasset? respondit, se id neminem facturum putasse. Sapienter fecisse dicitur, cùm de eo nihil sanxerit, quod anteà commissum non erat, ne non tam prohibere, quàm admonere videretur.

240. LEGE COEPERVNT.] *Fortasse*, cùm legem ceperunt.

D 241. SÆPIVS CVLLEOS.] *Sub Claudio. de quo Suetonius, hoc ipsum tangens, cap.* XXXIV. Pœnas parricidarum repræsentabat exigebatque coràm.

CAP. XXIV. 242. IN SENATV.] *Meus & plerique scripti*, Indicta est aliquando à Senatu sententia. *Quidam*, Inducta. *Fortasse*, Indicata. *vt significet positam tantùm, non probatā vel admissam.*

243. CVLTVS DISTING.] *Non ergo antè? non ita vulgò. Nam etsi toga ciuium propriè erat; tamen plerique tenuiorum tunicati cursitabant, id est veste seruili. Rara inquam tunc, nisi honestioribus, toga. adeò vt in Glossis legas,* Συγκλητικὸν φόρημα, Toga: *id est*, Vestis Senatoria, toga: *quasi Senatorum ea tantùm. At in Dione crebrò* Equestris habitus, *pro eâdem: de quo alibi dicendum. Sed adde etiam, Senecam vniuersè loqui de* liberis, *non de* ciuibus *modò: itaque horum sententia quærebat notam seruis dandam, quâ à toto illo genere diuiderentur. Tale Alexander Seuerus Imp.* in animo habuit, omnibus officiis genus vestium proprium dare, & omnibus seruis, vt in populo possint agnosci. *Lampridius.*

244. NVMERARE NOS.] *Perpaucos scilicet pro suâ copiâ. atque ita periculum imminebat, ne animos & manus tollerent in heros.*

CAP. XXV. 245. LEONI LYSIMACHVM.] *Idem libro* III. *De Irâ, cap.* XVII. *Plinius* VIII. *cap.* XVI. inclusum cum leone, Alexandri iussu, eumque strangulatum ab eo *scribit: cui ferè assentitur Pausanias in Atticis. Adde & Iustinum libro* XV. *& Curtium libro* VIII. *qui tamen inclinat fabellam esse.*

246. CONSEQVVNTVR.] *Patiendi notione. Vnus tamen scriptus*, consequiruntur: *è quo*, conquiruntur, *facias.*

247. SVFFLATV.] *Scripti*, si afflauit. *Puto*, suo afflatu.

248. BALLISTIS PETITVR.] *Vt illa in Africâ, quam Regulus occîdit: quò alludit.*

249. VERBA DARE.] *Fallere & latêre.*

& euadere puſilla mala: ingentibus obuiam itur. Sic vnus æger nec domum quidem perturbat: at vbi crebris mortibus peſtilentiam eſſe apparuit, conclamatio ciuitatis, ac fuga eſt, & diis ipſis [250] manus intenduntur. Sub vno aliquo tecto flamma apparuit: familia viciniſque aquam ingerunt. at incendium vaſtum, & multas iam domos depaXXVI. ſtum, parte vrbis obruitur. Crudelitatem priuatorum ſeruiles quoque manus, ſub certo [251] crucis periculo, vltæ ſunt: tyrannorum, gentes populiſque, & quorum erat malum, & hi quibus imminebat, exſcindere aggreſſi ſunt. Aliquando ſua præſidia in ipſos conſurrexerunt, perfidiamque, & [252] impietatem, & feritatem, & quidquid ab illis didicerant, in ipſos exercuerunt. Quid enim poteſt ab eo quiſquam ſperare, quem malum eſſe docuit? non diu [253] paret nequitia, nec quantum iubetur, peccat. Sed puta tutam eſſe crudelitatem: quale eius regnum eſt? non aliud, quàm captarum vrbium forma, & terribiles facies publici metus. Omnia mæſta, turbida, & confuſa: voluptates ipſæ timentur. Non conuiuia ſecura ineunt, in quibus lingua ſolicitè [254] etiam ebriis cuſtodienda eſt: non [255] ſpectacula, ex quibus materia criminis ac periculi quæritur. Apparentur licet magnâ impensâ, & regiis opibus, & [256] artificum exquiſitis nominibus: quem tamen [257] è ludo in carcerem ire iuuet? Quod iſtud, dij boni, malum eſt, occidere, ſæuire, delectari ſono cathenarũ, & ciuium capita [258] decidere, quocumque ventum eſt multum ſanguinis fundere, aſpectu ſuo terrere ac fugare? Quæ alia vita eſſet, ſi leones vrſique regnarent? ſi ſerpentibus in nos, ac [259] noxiiſſimo cuique animali daretur poteſtas? Illa rationis expertia, & à nobis immanitatis crimine damnata, abſtinent ſuis, & tuta eſt etiam [260] inter feras ſimilitudo: apud homines tantùm, nec à [261] neceſſariis quidem rabies temperat ſibi, ſed externa ſuaque in æquo habet, quò poſſit exercitatior à ſingulorum cædibus, deinde in exitia gentium ſerpere. Et iniicere tectis ignem, [262] aratrum vetuſtis vrbibus inducere, potentiam putat: & vnum occidi iubere aut alterum, parùm imperatorium credit: niſi eodem tempore grex miſerorum [263] ſubiectus ſtetit, cruſecurus erat, ne ſpernere videreris) & exſpectantes quàm mox, ad nutum Principis, abriperentur ad mortem.

250. MANVS INTENDVNTVR.] *Per iram, & vt in iurgio. queruli ſcilicet, quòd dij ita ſæuiant.*

CAP. XXVI. 251. CRVCIS.] *Quæ ſeruilis pœna, vt docui De Cruce.*

252. IMPIETATEM.] *Pro inclementiâ. vt contrà* Pietas, *illius æui ſcriptoribus, pro Clementiâ.*

253. PARET.] *Scripti*, apparet: *nec diſplicet, quia de apparitoribus ſermo.*

254. ETIAM EBRIIS.] *Exemplum De Benef.* III. *cap.* XXVII.

255. SPECTACVLA.] *Ad Caligulam hoc ſpectat, qui* infenſus turbæ aduerſus ſtudium ſuum fauenti, exclamauit, Vtinam populus Rom. vnam ceruicem haberet! *& è plebe multos, etiam ex honeſtioribus quoſdam, ob tales cauſſas, beſtiis aut gladiis obiecit. Similia Domitianus poſteà*, & quemdam patremfamilias, detractum è ſpectaculis in arenam, canibus obiecit: *quia Thracibus faucbat. Hæc Suetonius: & eâdem de re Plinius, Laudatione:* Nemo ſpectator ſpectaculum factus (*vt nempe ſub tyrannis*) miſeras voluptates vnco & ignibus expiauit.

256. ARTIFICVM.] *Scænicorum, ſiue Hiſtrionum.*

257. E LVDO IN CARC.] *Imò in arenam aut mortem herclè, non in carcerem. Itaque videſis mei, & quorumdam Gruteri librorum, ſcriptionem:* quem tamen ludi in carcere iuuent? *Alij*, ludere in carcerem. *Noſtrum illud placet, hoc ſenſu: At quem iuuent ludi, velut in carcere, editi? quia Amphitheatrum illud ibi clauſos habebat (nec vel exitus*

258. DECIDERE.] *Agendi notione, abſcindere, amputare.*

259. NOXIISSIMO.] *Ita ſuprà* obnoxior & idoneor, induſtrior, *ac plura alibi, præter tritum vſum. Tamen in pleriſque ſcriptis eſt*, noxioſiſſimo: *nec id malè.*

260. INTER FERAS.] *Plinius, lib.* VII. Leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentium morſus non petit ſerpentes: nec maris quidem belluæ ac piſces, niſi in diuerſa genera, ſæuiunt. *Horatius:*

Nec hic lupis mos, nec fuit leonibus
Vmquam, niſi in diſpar, feris.

261. NECESSARIIS.] *Cognatis, affinibus.*

262. ARATRVM.] *Mos in euertendis vrbibus olim & ſicut aratro condebantur, ita eodem ſignificabant exſcindi. Modeſtinus Ictus:* Si vſusfructus ciuitati legatus, & aratrum in eam inducitur, ciuitas eſſe deſinit, vt paſſa eſt Carthago. ideoque, quaſi morte, deſinit habere vſumfructum. *Horatius:*

—— & altis vrbibus vltimæ
Stetêre cauſsæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

263. SVBIECTVS STETIT.] *Velim cum Grutero,* ſub ictu. *Quæ locutio de Benefic.* II. *cap.* XXIX. *& Conſol. ad Marc. cap.* IX.

264. IN

A crudelitatem ſuam [264] in ordinem coactam putat. Felicitas illa, multis ſalutem dare, & ad vitam ab ipsâ morte reuocare, & mereri elementiâ [265] ciuicam. Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius pulchriuſque eſt, quàm [266] illa corona OB. CIVES. SERVATOS. Non hoſtilia arma detracta victis, non currus barbaroruin ſanguine cruenti, non parta bello ſpolia. Hæc diuina potentia eſt, gregatim ac publicè ſeruare: multos autem occidere, & indiſcretos, incendij ac ruinæ potentia eſt.

264. IN ORDINEM.] *Leges ſibi datas, liberum & ſuum ius ereptum.*

265. CIVICAM.] *Intellige, coronam.*

266. ILLA CORONA.] *Quæ in veſtibulo Cæſarum, iaminde ab Auguſto. Nam Senatus, inter alios honores, Conſulatu eius ſexto decreuit,* καὶ τὰς δαφνὰς πρὸ τῶ βασιλείων αὐτῦ προτίθεδζ, καὶ B τὸ τὸν ςέφανον τὸν δρυΐνον ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶδζ, τότε οἱ ὡς καὶ ἀεὶ τὺς τε πολεμίυς νικῶντι, καὶ τὺς πολίτας σώζοντι, ἐψηφίδη. Laurus ante regiam eius ſiue palatium poni, & coronam querceam ſuper eas aptari. quod ideò decretum ſcilicet, quòd & perpetuus hoſtium victor eſſet, & ciuium ſeruator. *Ita Dio libro* LIII. *in actis anni* DCCXXVI. *Laureatæ igitur fores (in Conſol. ad Polyb. cap.* XXXV.) *in ſignum victoriæ; Ciuica ſuper eas corona, in clementiæ, & ob ciues bellis internis ſeruatos. Tiberius ſucceſſor, quaſi per modeſtiam (Suetonius cap.* XXVI.) Ciuicam in veſtibulo coronam recuſauit. *At Claudius* (*idem, cap.* XVII.) naualem coronam, faſtigio Palatinæ domus, iuxta Ciuicam fixit. *Valerius* II. *cap.* VIII. Ceterùm ad quercum pronæ manus porriguntur, vbi OB CIVES SERVATOS corona danda eſt. quâ poſtes Auguſtæ domus ſempiternâ gloriâ triumphant. *Sed & ſpolia ibi affixa ſimul. Ouidius* III. *Triſtium:*

—— video fulgentibus armis
Conſpicuos poſtes, tectaque digna Deo:
Et Iouis hæc, dixi, domus eſt. quod vt eſſe putarem,
Augurium menti querna corona dabat.

Et mox:

Cauſſa ſuperpoſitæ ſcripto teſtata coronæ,
SERVATOS CIVES indicat huius ope.

Plura ibi, & de lauro. Adde Faſtorum lib. IIII. *in fine; itémque Numos priſcos, in quibus & corona hæc, & inſcriptio. Alluſit Martialis lib.* IX. *epig. vlt.*

L. ANNÆI SENECÆ
AD NERONEM CAESAREM
DE CLEMENTIA
LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B

ITERVM *Neronis laudatio, & generoſæ eius vocis. Tum ad ſecundam partem tranſit, Naturam Clementiæ, ipſaque definit. Magis aperit à vitio contrario, & Crudelitatem producit ac deſcribit. Fines deinde ſuos Clementiæ dat, quam à miſericordiâ vult remotam: nam hanc Stoicis vitium eſſe. Neque Ignoſcere etiam, aut Veniam dare concedit: ſed Parcere, Conſulere, & quæ verbis magis, quàm rebus, illi diſtinguunt. Hic libri finis, ſed non Materiæ: & ex diuiſione liquet multa abeſſe, temporum vitio ſublata. Dolendum in tam pulchrâ tractatione: nec ſecundus hic liber, opinor, primo ceſſerit.*

CAPVT PRIMVM.

C

VT [1] de clementiâ ſcriberem, Nero Cæſar, vna me vox tua maximè compulit: quam ego non ſine admiratione, &, cùm diceretur, audiſſe memini, & deinde aliis narraſſe. Vocem generoſam, magni animi, magnæ lenitatis: quæ non compoſita, nec alienis auribus [2] data, ſubitò erupit; ſed bonitatem tuam [3] cum fortunâ tuâ litigantem in medium adduxit. Animaduerſurus in [4] latrones duos Burrus præfectus tuus, vir egregius, & tibi Principi [5] natus, exigebat à te, [6] ſcriberes, in quos & [7] ex quâ cauſsâ animaduerti velles. hoc ſæpè dilatum, vt aliquando fieret, inſtabat. Inuitus inuito cùm chartam protuliſſet, tradereт-

COMMENTARIVS.

D

CAP. I. 1. VT DE CLEMENTIA.] *Miror dubitari, an pars ſit & ſequela ſuperioris libri. nam quid clarius? ſed & quæ propoſuit dicenda ſuprà, cap. III. eorum pars in hoc libri fragmento. At enim orditur. quid ad rem? ipſe & alij ita ſolent, nec indecorè, quaſi poſt quietem ſpiritu recepto; & item excitandi lectoris.*

2. DATA SVBITO.] *Meus liber*, ſubitò data crepuit.

3. CVM FORTVNA.] *Quæ iuſtitiam à Principe exerceri volebat; illa negabat.*

4. LATRONES.] *Si in communes aliquos latrones, neſcio an hoc ius vel animaduerſio Præfecti Prætorio: ſi in latrones, id eſt ſtipatores, ſiue ſimpliciter graſſatores milites, rectè. Cogitandum eſt. enimuerò illi de grege latrones, ad Præfectum vrbis potiùs ſpectabant, ſi tamen in vrbe aut iuxta facinus: at militares, ad iſtum.*

5. NATVS.] *Ita Muretus, & argutâ ſententiâ. quaſi ille Præfectus optimus, dignus optimo Principe eſſet; & in id æui à Deo datus. Libri tamen ſcripti,* notus: *quod eſt dilutius.*

6. SCRIBERES.] *Meus*, vt ſcriberes. *vellem*, ſubſcriberes.

7. EX QVA CAVSSA.] *Elogium ſiue titulus igitur criminis ſubſcribi à Principe ſolet, etiam tunc cùm eſſent damnati. Singularis huic ritui locus in Ammia-*

A deretque, exclamasti: [8] *Vellem nescire litteras.* O dignam vocē, quam audirent omnes gentes, quæ Romanum imperium incolunt, quæque iuxta iacent [9] dubiæ libertatis, quæque [10] se contra viribus aut animis attollunt! O vocem, in concionem omnium mortalium mittendam, in cuius verba Principes [11] regesq; iurent! O vocem publicâ generis humani innocentiâ [12] dignam, cui redderetur [13] antiquum illud sæculum! Nunc profectò consentire decebat ad æquum bonumque, expulsâ alieni cupiditate, ex quâ omne animi malum oritur: pietatem integritatemque, cum fide ac modestiâ, surgere: & vitia diuturno abusa regno, tandem felici ac puro sæculo dare locum. Futurum hoc, Cæsar, ex magnâ parte sperare & [14] confiteri libet. tradetur ista animi tui mansuetudo, diffundeturque paullatim per omne imperij corpus, & cuncta in similitudinem tui formabuntur. A capite bona valetudo. inde omnia vegeta sunt atque erecta, aut languore demissa: prout animus eorum viget, aut marcet. Et erunt ciues, erunt socij digni hac bonitate: & in totum orbem recti mores reuertentur. parcetur vbique [15] manibus. Diutiùs II.

B me morari hîc patere, non vt blandiar auribus tuis: [16] nec enim mihi hic mos est. maluerim veris offendere, quàm placere adulando. quid ergo est, [17] propter quod benè factis dictisque tuis quàm familiarissimum esse te cupio? vt quod nunc natura & impetus est, [18] fiat iudicium. Illud mecum considero, multas voces magnas, sed detestabiles, in vitam humanam peruenisse, celebresque vulgo ferri: vt illam, [19] *Oderint, dum metuant.* Cui Græcus [20] versus similis est, qui *se mortuo terram misceri ignibus* iubet: & alia huius notæ. Ac nescio quomodo, ingenia [21] immania & inuisa, materiâ fecundiori expresserunt

Ammiani XXX. *de Valentiniani sæuiore naturâ:* Et ita erat effusior ad nocendum, vt nullum aliquando damnatorum capitis, eriperet morte, subscriptionis elogio leni: cùm id etiam Principes interdum fecerint sæuissimi. *Itaque subscribere solent, & id cùm damnati essent, ac mitiore titulo interC dum tollere aut temperare pœnam.*

8. VELLEM NESCIRE.] *Similis affectus in Biante olim. qui damnaturus aliquem, lacrimas emisit vbertim. & dicente quodam,* Quid ita idem ille & damnas, & fles? Quia, inquit, naturæ affectum dare, necessarium est; legi autem, sententiam: *Stobæus, de Magistratu. Porrò dictum ipsum Neronis, totidem verbis, & narratione simili in Suetonio, cap.* X. *nisi quòd ille acriùs effert voculâ additâ,* Quàm vellem n. l.

9. DVBIÆ LIBERT.] *Limitaneæ gentes, & quæ, vt potentior ingruit, huc illuc in seruitium eunt.*

10. SE CONTRA.] *Quæ manifestò hostes.*

11. REGESQVE IVRENT.] *Meus & plerique scripti,* iuramentum faciant. *Quod puriter Latinè non dici, verè Muretus monuit; ideoq; alteram vocem*D *ablegauit, & hanc recidit. At ego fecerim,* iurent, & faciant. *quod est, iurent in ea verba; nec id tantùm, sed ita faciant seruentq;. Vult autem Seneca iurari in ea verba, non vt Reges ἀφελῶς & simpliciter* litteras nesciant: *sed vt eo fine damnandi nesciant, & scribant subscribantq; clementiæ proniores.*

12. DIGNAM, CVI.] *Vellem insitâ particulâ,* & cui. *Muretus, præter libros, hæc mutauerat.*

13. ANTIQVVM.] *Saturnium.*

—— cùm vindice nullo,
Sponte sua sine lege fidem rectumq; colebant.

CAP. II. 14. CONFITERI.] *An magis,* confidere?

15. MANIBVS.] *Scripti omnes,* manibus tuis, *voce additâ. Prior lectio & sententia bona est: nusquam vis, cædes, raptus regnabunt. nec posterior inepta: non opus erit manus te mouere ad coërcendum, aut puniendum. Siue aliter, defuncti tui manibus nemo insultabit: etsi hoc suffrigidum.*

16. NEC ENIM MIHI.] *Ita idem Seneca (in Taciti* XV. *Annali) in mandatis ad Neronem vltimis:* Nec sibi promptum in adulationes ingenium. idque nulli magis gnarum, quàm Neroni, qui sæpiùs libertatem Senecæ, quàm seruitium expertus esset. *O bonum apud Principem ingenium! facite vos qui in Aulâ, & pro fortunâ eius, non cum fortunâ, loquimini.*

17. PROPTER QVOD. [*Meus & quidam,* præter id quod. *Tunc sit periodus sic concinnanda.* Quid ergo est? præter id, quod benè f. d. t. q. f esse te cupio, vt q. n. n. e. i. e. fiat iudicium: illud mecum considero. *Sed à vulgatâ vix abeo.*

18. FIAT IVDICIVM.] *Quod bonitate naturæ impulsus fecisti; ratione & iudicio, cùm sic laudabile id vides, vsurpes atque iteres.*

19. ODERINT.] *De Irâ lib.* I. *cap. vlt.*

20. VERSVS SIMILIS.] *Quem idem hic Nero (ah, quæ mutatio!) in deterius etiam vertit. Nam* dicente quodam in sermone communi, * Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί: Imò, inquit, * Ἐμοῦ δὲ ζῶντος. *Atque ita fecit, Phaëthon orbis terræ. Porrò & Cicero De Finibus* III. *hunc versum tangit:* Illa vox scelerata atque inhumana eorum, qui negant se recusare, quo minùs, ipsis mortuis, terrarum omnium deflagratio consequatur: quod vulgari quodam versu Græco pronuntiare solent. *Atque idem hic crebrò in ore Tiberij fuit, vt Dio libro* LVII. *scribit.*

* Me terra functo misceatur ignibus.
* Me verò viuo.

21. IMMANIA.] *Fero & capio; nec scio tamen an non potiùs scripserit,* nescio quomodo ingenia, immani & inuisâ materiâ, fecundiori ore expresserunt s. v. *Considera.*

runt ſenſus vehementes & concitatos. Nullam adhuc vocem audiui ex bono leniq́ue A
[22] animoſam. Quid ergo eſt? vt rarò, inuitus, & cum magnâ cunctatione, ita aliquando
ſcribas neceſſe eſt iſtud, quod tibi in odium litteras adduxit: ſed, ſicut facis, cum magnâ
III. cunctatione, cum multis dilationibus. Et ne fortè decipiat nos ſpecioſum clemen-
tiæ nomen aliquando, & in contrarium abducat: videamus quid ſit clementia, qualiſq́;
ſit, & quos fines habeat. Clementia eſt temperantia animi, in poteſtate vlciſcendi: vel,
lenitas ſuperioris aduerſus inferiorem in conſtituendis pœnis. Plures proponere, eſt
tutius; ne vna definitio parum rem comprehendat; &, vt ita dicam, [23] formulâ excidat.
Itaque dici poteſt &, inclinatio animi ad lenitatem in pœnâ exigendâ. Illa finitio contra-
dictiones inueniet, quamuis maximè ad verum accedat, ſi dixerimus, clementiam eſſe
moderationem aliquid ex meritâ ac debitâ pœnâ remittentem. reclamabitur, nullam
virtutem quicquam [24] minus debito facere. Atqui hoc omnes intelligunt, clementiam
eſſe, quæ ſe flectit citra id, quod [25] meritò conſtitui poſſet. Huic contrariam imperiti pu-
IV. tant ſeueritatem; ſed nulla virtus virtuti contraria eſt. Quid ergo opponitur cle- B
mentiæ? Crudelitas, quæ nihil aliud eſt, quàm atrocitas animi in exigendis pœnis. Sed
quidam non exigunt pœnas, crudeles tamen ſunt: tamquam, qui ignotos homines & ob-
uios non in compendium, ſed occidendi cauſsâ occidunt. Nec interficere contenti, ſæ-
uiunt; vt [26] Sinis ille & [27] Procruſtes, & piratæ, qui captos verberant, & in ignem viuos
imponunt. Hæc crudelitas quidem: ſed quia nec vltionem ſequitur (non enim læſa eſt)
nec peccato alicui iraſcitur (nullum enim anteceſſit crimen) extra finitionem noſtram
cadit: quæ finitio continebat in exigendis pœnis intemperantiam animi. Poſſumus di-
cere, non eſſe hanc crudelitatem, ſed feritatem, cui voluptati ſæuitia eſt: poſſumus inſa-
niam vocare. nam varia ſunt genera eius, & nullum certius, quàm quod in cædes homi-
num & laniationes peruenit. Illos ergo crudeles vocabo, qui puniendi cauſſam habent,
modum non habent. Sicut in Phalari, quem aiunt non quidem in homines innocentes,
ſed ſuper humanum ac probabilem modum ſæuiſſe. Poſſumus effugere cauillationem,
& ita finire, vt ſit crudelitas, inclinatio animi ad aſperiora. Hanc clementia repellit lon- C
giùs à ſe: nam ſeueritatem illi [28] conuenire, certum eſt. Ad rem pertinet, quærere hoc
loco, quid ſit miſericordia. Plerique enim vt virtutem eam laudant, & bonum homi-
nem vocant miſericordem: hæc autem vitium animi eſt. [29] Vtraque circa ſeueritatem,
circaque clementiam poſita ſunt: quæ vitare debemus, ne per ſpeciem ſeueritatis in cru-
delitatem, néve per ſpeciem clementiæ in miſericordiam incidamus. In hoc, leuiore pe-
V. riculo erratur, ſed par error eſt à vero recedentium. Ergo quemadmodum religio
deos colit, ſuperſtitio [30] violat: ita clementiam manſuetudinem q́; omnes boni præſta-
bunt, miſericordiam autem vitabunt. Eſt enim vitium puſilli animi, ad ſpeciem alieno-
rum malorum ſuccidentis. Itaque peſſimo cuique familiariſſima eſt. Anus & mulier-
culæ

22. ANIMOSAM.] *Quid mirum? nam bonitas placida eſt, & iacens: nec impetum in verbis, cùm in animo non habeat, capit.*

CAP. III. 23. FORMVLA EXC.] *Iuris verbum. qui in ordinario iudicio agebant petebant q́; conceptis verbis faciebant: ſi plus minúſve dixiſſent, cauſsâ & formulâ cadebant. Vide Epiſt.* XLVIII.

24. MINVS DEBITO.] *Nam in modo eſt virtus, nec vltra aut citra ſtat.*

25. MERITO POSSET.] *Reſpondet. potuiſſe meritò fieri; & non potuiſſe. vtrumque cum modo, & ſine culpâ. Illud, Seueritas fuiſſet; at hoc Clementia.*

CAP. IV. 26. SINIS ILLE.] *Famoſus in Iſthmo latro, qui homines arboribus flexis curuatiſq́; alligabat, & ſic dabat diſtrahendos. Inde πιτυοκάμπης cognomento dictus*, curuator pinorum. *Plutarchus in Theſeo, Apollodorus* III. *Biblioth. Pauſanias initio lib.* II. *poëtæ paſſim. Libri tamen quidam, vt meus,* Buſiris: *quod refuto, quia iungi* Sinin *cum* Procruſte, *qui ſequitur, melius.* D

27. PROCRVSTES.] *Ab eodem Theſeo occiſus in Atticâ, ad Cephiſſum amnem; Pauſanias lib.* I. *Plutarchus in Theſeo, poëtæ.*

28. CONVENIRE.] *Meus & alij ſcripti voce inſertâ* conuenire, adeſſe, certum eſt. Pertinet. *Quidam pro* adeſſe, *habent* ad rem: *ex quo Eraſmi hæc lectio manauit. nec damno. Cur tamen illa ſcripta diſpliceat? Conuenit & ſemper ei adeſt. Si tenes, tum* Pertinet quærere, *erit vt in libris legum*, Pertinet ſcire, quæri, *& plura.*

29. VTRAQVE.] *Crudelitas, & Miſericordia.*

CAP. V. 30. VIOLAT.] *Seneca epiſt. vltimâ:* Superſtitio error inſanus eſt, amandos timet; quos colit, violat.

31. NE-

culæ ſunt, quæ lacrimis nocentiſſimorum mouentur, quæ ſi liceret, carcerem effringerent. Miſericordia non cauſſam, ſed fortunam ſpectat; clementia rationi accedit. Scio malè audire apud imperitos ſectã Stoicorum, tamquam nimis duram, & minimè principibus regibuſque bonum daturam conſilium. Obiicitur enim illi, quòd ſapientem [31] negat miſereri, negat ignoſcere. Hæc ſi per ſe ponantur, inuiſa ſunt. videntur enim nullam ſpem relinquere humanis erroribus, ſed omnia delicta ad pœnã deducere. Quod ſi eſt, [32] quid hac ſectâ durius, quæ dediſcere humanitatem iubet, portumque aduerſus fortunam certiſſimum [33] mutuo auxilio cludit? Sed nulla ſecta benignior leniorque eſt, nulla amantior hominum, & [34] communibus bonis attentior: vt propoſitum ſit vſui eſſe aut auxilio, nec ſibi tantùm, ſed vniuerſis ſinguliſque conſulere. Miſericordia eſt ægritudo animi, ob alienarum miſeriarum ſpeciem: aut, triſtitia ex alienis malis [35] concepta, quæ accidere immerentibus credit. Ægritudo autem in ſapientem virum non cadit: ſerena eius mens eſt, nec quidquam incidere poteſt quod illam obducat. Nihil æquè hominem, quàm magnus animus decet: non poteſt autem magnus eſſe idem, ſi metus & mæror confundit, ſi mentem obducit & contrahit. Hoc ſapienti ne in ſuis quidem accidet calamitatibus, ſed omnem fortunæ iram reuerberabit, [36] & ante ſe franget. eandem ſemper faciem ſeruabit, placidam & inconcuſſam: quod facere non poſſet, ſi triſtitiam reciperet. Adiice, quòd ſapiens prouidet, & in expedito conſilium habet: nunquam autem liquidum ſincerumque ex turbido venit. Triſtitia enim inhabilis eſt ad diſpiciendas res, vtilia excogitanda, periculoſa vitanda, [37] æqua æſtimanda. Ergo non miſeretur, quia & ſine miſeriâ animi non fit. [38] ceterùm omnia, quæ qui miſerentur, dolentes facerent: hic libens & alacri animo faciet. Succurret alienis lacrimis, non VI. accedet: dabit [39] manum naufrago, exſuli hoſpitium, egenti ſtipem, non hanc contumelioſam, quâ pars maior horum qui ſe miſericordes videri volunt, abiicit & faſtidit quos adiuuat, contingiſque ab his timet: ſed vt homo homini, [40] ex communi dabit. Donabit lacrimis maternis filium, & cathenas ſolui iubebit, & [41] ludo eximet, & cadauer etiam noxium ſepeliet. At faciet iſta tranquillâ mente, vultu ſuo. Ergo non miſerebitur ſapiens, ſed ſuccurret, ſed proderit, in commune auxilium natus, ac publicum bonum, ex quo dabit cuique partem: etiam ad calamitoſos, proportione, improbandos & emendandos, bonitatem ſuam permittet. Afflictis verò, & [42] fortiùs laborantibus, multo libentiùs ſubueniet. Quotiens poterit, fortunæ [43] intercedet. vbi enim opibus potiùs vtetur, aut viribus, quàm ad reſtituenda quæ caſus impulit? Vultum quidem non deiiciet, nec animi-

31. NEGAT MISERERI.] *Dogma illorum:* Ἐλεήμονάς τε μὴ εἶ (τὸς σοφὸς) συγγνώμην τε ἔχειν μηδενί. μὴ γὰρ παρίεναι τὰς ἐκ τῶν νόμων ἐπιβαλλούσας κολάσεις: Miſericordes non eſſe ſapientes, neque veniam cuiquam dare. non enim omittere pœnas legibus conſtitutas. *Refutat Auguſtinus lib.* IX. *& lib.* XIIII. *De Ciuit. Vide me Manuduct.* III. D *Diſſertat.* XIX.

32. QVID HAC SECTA.] *Iſta ab aliâ manu & nouitiâ ſunt: veteres ſcripti*, Quidni hac ſcientiâ, quæ dediſcere. *Meus pariter, niſi quòd* huius *pro* hac, *vel* hæc, *vt quidam. Profectò legendum*, Quod ſi eſt, quidni huic ſuccenſeas, quæ.

33. MVTVO AVX.] *Mens Senecæ poſcit*, mutuum auxilium, *vel certè* mutui auxilij. *Potes tamen & vulgatum ſic capere.*

34. COMMVNIBVS.] *Amicus emendat, ductu quorumdam librorum*, communis boni: *& id magis Latinum putat. Ego, cùm* Attendo tibi *&* tuis *dicamus, hoc quoque arbitror poſſe.*

35. CONCEPTA.] *Scripti*, contra: *ex quo rectè Gruterus*, contracta. *Occurrebat etiam*, coörta.

36. ET ANTE SE.] *Fallor, aut fuit:* & ſtante ſe franget. *Ipſe ſtans & rectus ea deiiciet, conterétque.*

35. ÆQVA.] *Omnino*, æquè, *vt ſcripti: id eſt, æquiter & iuſte res & pericula taxanda.*

38. CETERVM OMNIA] *Mira & hîc diuerſitas in ſcriptis. quorum meliores*: Cetera omnia quæque miſeretur volo facere, libens & alius omnino faciet. *Ita meus, nec valdè diuerſum Gruterianis: quos, ſi lubet, vide. Ego faciebam*: Cetera omnia, quæ qui miſeretur ſolet facere, libens & alius animo faciet. *vel potiùs* altus animo.

CAP. VI. 39. MANVM.] *Vnus aliquis liber*, naulum *ingerit: non hîc opportunè.*

40. EX COMMVNI.] *Quia communia hæc bona, à naturâ: lex diuiſit.*

41. LVDO EXIMET.] *Beſtiario vel gladiatorio, vbi publicâ vel priuatâ ſeruitute attinebantur.*

42. FORTIVS.] *Pincianus pulchrè & verè*, fortuitis. *Præiuit de* improbandis vel emendandis, *id eſt quos culpa ſua premit: at nunc de iis, quos fortuna. & his promptiùs ſubueniri, æquum eſt.*

43. INTERCEDET.] *Impediet eius vim & curſum. frænum aut moram, vt Tribunus, decreto eius dabit.*

animum, [44] ad æruſcantis ciuis aut pannoſi aridam [45] faciem, & [46] obnixam baculo A
ſenectutem: ceterùm omnibus dignis proderit, & deorum more, calamitoſos [47] propitius reſpiciet. Miſericordia vicina eſt miſeriæ: habet enim aliquid, trahitque ex eâ. Imbecilles oculos eſſe ſcias, qui ad alienam lippitudinem & ipſi ſuffunduntur: tam mehercule, quàm morbum eſſe, non hilaritatem, ſemper arridere ridentibus, & ad omnium [48] oſcitationem ipſum quoque os diducere. Miſericordia vitium eſt animorũ, nimis miſeriæ fauentium: quam ſi quis à ſapiente exigit, propè eſt, vt lamentationem exigat, &
VII. in alienis funeribus gemitus. At quare [49] non ignoſcat, [50] dicam. Conſtituamus nunc quoque quid ſit venia, vt ſciamus dari illam à ſapiente non debere. Venia eſt pœnæ meritæ remiſſio. Hanc ſapiens quare non debeat dare, reddunt rationem diutiùs, quibus hoc propoſitum eſt. Ego vt breuiter, tamquam [51] in alieno iudicio dicam: ei ignoſcitur qui puniri debuit: ſapiens autem nihil facit quod non debet, nihil prætermittit quod debet. itaque pœnam quam exigere debet, non donat: ſed illud quod ex veniâ conſequi vis, [52] honeſtiore tibi viâ tribuit. Parcit enim ſapiens, conſulit & corrigit. B
Idem facit, quod ſi ignoſceret, nec ignoſcit: quoniam qui ignoſcit, fatetur aliquid ſe, quod fieri debuit, omiſiſſe. Aliquem verbis tantùm admonebit, pœnâ non afficiet, [53] ætatem eius emendabilem intuens: aliquem [54] inuidiâ criminis manifeſtè laborantem, iubebit incolumem eſſe: quia deceptus eſt, quia per vinum lapſus. Hoſtes dimittet ſaluos, aliquando etiam laudatos, ſi honeſtis cauſſis pro fide, pro fœdere, pro libertate in bellum accincti ſunt. Hæc omnia non veniæ, ſed clementiæ opera ſunt. Clementia [55] liberum arbitrium habet: non [56] ſub formulâ, ſed ex æquo & bono iudicat. & abſoluere illi licet, & quanti vult, [57] taxare litem. Nihil ex his facit, tamquam iuſto minus fecerit, ſed tamquam id quod conſtituit, iuſtiſſimum ſit. Ignoſcere autem eſt, quæ iudicas punienda, non punire. Venia, debitæ pœnæ remiſſio eſt: clementia hoc primùm præſtat, vt quos dimittit, nihil aliud illos pati debuiſſe pronuntiet. Plenior eſt ergo, quàm venia, & honeſtior. De verbo (vt mea fert opinio) controuerſia eſt, de re quidem conuenit. Sapiens multa remittet, multos parùm ſani, ſed ſanabilis ingenij, ſeruabit. Agricolas C
bonos imitabitur, qui non tantùm rectas proceraſq; arbores colunt: ſed illis quoque quas aliqua deprauauit cauſſa, adminicula quibus regantur, applicant. Alias circumcidunt, ne proceritatem rami premant: quaſdam infirmas vitio loci, nutriunt: quibuſdam, alienâ vmbrâ laborantibus, cælum aperiunt. Secundùm hæc, videbit perfectus ſapiens, quod ingenium quâ ratione tractandum ſit, quo modo in rectum praua flectantur. *

Multa deſunt.

44. AD ÆRVSCANTIS.] *Optimè iſta idem optimus Cenſor (Pincianum dico) ductu librorum. Meus quidem vix vnâ litterâ aliter:* obcoruſcantis ciuis. Æruſcator, & Æſculator *(in Gloſsis)* χαλκολόγος. *qui æra minuta rogant & colligunt.*

45. FACIEM.] *Scripti*, maciem.

46. OBNIXAM.] *Meus*, obnoxiam, *quod ſeruem.*

47. PROPITIVS.] *Ex formulâ quâ dij rogabantur*, Volentes & propitij eſſe.

48. OSCITATIONEM.] *Quod vitium*, Oſcedo *dictum.*

49. NON IGNOSCAT.] *Stoicum hoc dogma pluribus in Stobæo (incerto auctore) explicatur, Serm. De magiſtratu. Et eò facit Sophocles, germanus in pleriſque Stoicus:*

Οὐ τῶν κακούργων οἶκτος, ἀλλὰ τοῦ δίκης:
Non improborum, at iuris eſt miſeratio.

Euripides autem contrà, hoc dogma ſuggillat:

Ἔνεστι δ' οἶκτος ἀμαθίᾳ μὲν οὐδαμᾶ,
Σοφοῖσι δ' ἀνδρῶν.
Miſeratio impéritiæ numquam inſita eſt,
Sed mentibus ſapientium.

50. DICAM.] *Mirum. omnes ſcripti*, vacuam: *atque illud ſubſtituit, an reſtituit, primus Pincianus. Eruebam*: vis dicam?

CAP. VII. 51. IN ALIENO.] *Quia non ad hanc rem propriè, de quâ agitur: interuenit & intercurrit.*

52. HONESTIORE.] *Verbis aliis, re eâdem, vt ſæpè Stoici.* λογομαχία *eſt.* D

53. ÆTATEM.] *Iuuenilem, quæ flecti poteſt.*

54. INVIDIA CRIM.] *Quod attollunt & augent inimici. ipſum intuentur, non occaſionem, aut cauſſam.*

55. LIBERVM ARBITR.] *Atque id diſcrimen inter Arbitrum & Iudicem; quòd ille quantum* æquius melius *definit: iſte, rigidè, vt petitum eſt, & directè. Vide De Benef.* III. *cap.* III. *Briſſon.* III. *Formular.*

56. SVB FORMVLA.] *Quâ agitur, petitúrve. Suprà, cap.* III. *Et Fabius:* Deprecatio rara eſt, & apud eos ſolos iudices, qui nullâ certâ pronunciandi formâ tenentur.

57. TAXARE.] *Æſtimare quanti res ſit, quæ in iudicium venit.*

L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ
AD PAVLLINVM
DE BREVITATE VITÆ
LIBER VNVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B DE *tempore huius scripti, apparet post Caium, & quidem statim conceptum: si non fallunt illa, cap.* XVIII. Modò intra paucos illos dies, quibus C. Cæsar periit. *Hoc apparet, at de bonitate constat. O pulchri, ô vtilis argumenti! tractemus, & imbibamus. Hypothesis est, Vitam non esse breuem, sed à nobis fieri: vel non vtendo, vel malè, aut vanè, vtendo. Hæc sic diducit. Primùm, vitiis mancipamur, quibus æuum absumitur & perit. Secundò, Inutiliter occupamur, in parùm seriis, & quæ Officia vocamus. Tertiò, Opinione aut præsumptione peccamus, & hoc breuem facit, quod longam vitam censemus. Præsentia spernimus, futura disponimus, tamquam in magnâ & certâ copiâ. Et plerique ad vana, aut aliena, labimur, & perdimus vitam quasi per lusum. Hæc talia ad Cap. vsque* X. *Inde partitur in tria omne Tempus, Præteritum, Præsens, Futurum: & quàm malè aut ineptè nos in singulis geramus, docet. Inuehitur in occupationes futiles, in delicias, in luxus, ignaua otia, etiam superflua litterarum studia. Hîc aliquid sistit, & vtinam hodiernos etiam Philologos trahat aut mutet! Solum tempus benè poni, quod* C *Sapientiæ studiis impenditur: per quam vita verè fit longa. Contrà vulgus, æstimat eam à Fortunâ: vt hæc læta aut tristis obuênit, sic vitam æstimat breuem aut longam. In tristibus mortem appetunt, in lætis timent. Adhortatio in fine ad Paullinum: quid ad illum? ad se quisque ducat, vt maturè sapiat, in portum vitæ & honestum otium secedat. Mihi voueo, & nitor.*

CAPVT PRIMVM.

D MAIOR pars mortalium, [1] Paulline, de naturæ malignitate conqueritur, quòd in exiguũ æui gignimur, quòd hæc tam velociter, tam rapidè dati nobis temporis spatia decurrant: adeò vt, exceptis admodum paucis, ceteros in ipso vitæ apparatu vita destituat. Nec huic publico, vt opinantur, malo, turba tantùm & imprudens vulgus ingemuit: clarorum quoque virorum hic affectus querelas euocauit. Inde illa [2] maximi medicorum exclamatio est, [3] *Vitam breuem esse, longam artem.* Inde [4] Aristoteli cum rerum naturâ [5] exigenti, minimè conueniens sapienti viro lis est: *illam animalibus tantum indulsisse, vt* [6] *quina aut dena sæcula* [7] *edurent, homini in tam multa ac magna genito,* [8] *tanto citeriorem terminum stare.* Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. [9] Satis longa vita, & in maximarum rerum consummationem largè data est, si tota benè collocaretur. Sed vbi [10] per luxum ac negligentiam defluit, vbi nulli rei bonæ impenditur; vltima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Ita est. non accepimus breuem vitam, sed fecimus: nec inopes eius, sed prodigi sumus. Sicut amplæ & regiæ opes, vbi ad malum dominum peruenerunt, momento dissipantur: at quamuis modicæ, si bono custodi traditæ sunt, vsu crescunt: ita ætas nostra, benè dispo-

II. disponenti, multum patet. Quid de rerum naturâ querimur? illa se benignè gessit. A vita, si scias vti, longa est. Alium insatiabilis tenet auaritia: alium in superuacuis laboribus operosa sedulitas: alius vino madet: alius inertiâ torpet: alium defatigat ex alienis iudiciis suspensa semper ambitio: alium mercandi præceps cupiditas circa omnes terras, omnia maria, spe lucri ducit. Quosdam torquet cupido militiæ, numquam non aut alienis periculis intentos, aut suis anxios: sunt quos [11] ingratus superiorum cultus voluntariâ seruitute consumat. Multos aut affectatio [12] alienæ fortunæ, aut [13] suæ odium detinuit: plerosque nihil certum sequentes, vaga & inconstans, & sibi displicens leuitas, per noua consilia iactauit. Quibusdam nihil quò cursum dirigant, placet, sed marcentes oscitantesque fata deprehendunt: adeò vt quod apud [14] maximum poëtarum, more oraculi dictum est, verum esse non dubitem:

Exigua pars est vitæ, quam nos viuimus.

ceterum quidem omne spatium, non vita, sed tempus est. Vrgentia circumstant vitia vndique: nec resurgere, aut in dispectum veri attollere oculos sinunt, sed mersos, & in B cupiditatibus infixos premunt. Numquam illis recurrere ad se licet: sed si quando aliqua quies fortuitò contigit, velut in profundo mari, in quo [15] post ventum quoque volutatio est, fluctuantur, nec vmquam illis à cupiditatibus suis otium instat. De istis me putas differere, quorum in confesso mala sunt? aspice illos, ad quorum felicitatem concurritur: bonis suis effocantur. Quàm multis graues sunt diuitiæ? quàm multorum eloquentia, quotidiano ostentandi ingenij [16] spatio, [17] sanguinem educit? quàm multi continuis voluptatibus pallent? quàm multis nihil liberi reliquit circumfusus clientium [18] populus? Omnes denique istos, ab infimis vsque ad summos, pererra: hic aduocat,

COMMENTARIVS.

CAP. I. 1. PAVLLINE.] *Senecæ vxor Paullina. Ergóne fratri, aut patri eius inscribit? illi potiùs, ex ætate, de quâ cap.* XIX.

2. MAXIMI.] *Hippocratis. qui iure vindicat hoc elogium.*

3. VITAM.] *Verba initio Aphorismorum:* Ὁ βίος βραχὺς ἡ δὲ τέχνη μακρή.

4. ARISTOTELI.] *Itáne? atqui Theophrasto Tullius in Tusculanis adscribit.* Theophrastus moriens, *inquit*, accusasse naturam dicitur, quòd ceruis & cornicibus vitam diuturnam, hominibus tam exiguam dedisset. *Et verò Aristoteles aliter* v. *De generat. anim. cap.* x. Homo plus temporis viuit, quàm quoduis animal, excepto vno elephante: quod quidem experientiâ adhuc fide digna sit cognitum.

5. EXIGENTI.] *Quasi dicas, Expostulanti. Epistola* XXVII. Mecum exigo: *hoc ipso sensu.*

6. QVINA AVT DENA.] *Imò & plura, ex Ausonij Eidullio De ætatibus animal. quod lege.*

7. EDVRENT.] *Benè, at scripti tamen* educerent.

8. TANTO CITERIOREM.] *Breuiorem, nec sic productum. Querela hæc poëtis etiam vsurpata. vt Pedoni, in obitu Musagetæ illius Mæcenatis:*

Redditur arboribus florens reuirentibus ætas:
Ergo non homini, quod fuit antè, manet?
Viuaceſq; magis ceruos decet esse pauentes,
Siquorum in toruâ cornua fronte rigent?
Viuere cornices multos dicuntur in annos:
Cur nos angustâ conditione sumus?

Adde Moschum, in Epicedio Bionis.

9. SATIS LONGA.] *Cum eo Sallustius:* Falsò C queritur de naturâ suâ genus humanum, quòd imbecilla atque æui breuis, forte potiùs quàm virtute regatur. Nam contrà reputando, neque maius aliud neque præstabilius reperias, magisq; naturæ industriam hominis, quàm vim aut tempus deesse. *Sunt istis paria, & Seneca adspexerit.*

10. PER LVXVM.] *Ista verò palàm à Sallustio:* Vbi per secordiam vires, tempus, ingenium defluxere, naturæ infirmitas accusatur.

CAP. II. 11. INGRATVS.] *Qui gratiam non reddit.*

12. ALIENÆ.] *Cui pares esse nituntur, & sæpè frustrà.*

13. SVÆ.] *In quâ sibi displicent, tristes & Timonæi.*

14. MAXIMVM.] *Virgilium putes, sed versus* D *abnuit. An Publium igitur Mimographum capis, quem sensuum & sapientiæ sæpè miratur noster? atque adeò alibi*, vehementiorem tragicis comicisque ingeniis, *facit. An & Ennium, non dignitate quidem aut præstantiâ* maximum, *sed ætate? Nam quod Muretus acutè sufficiebat*, apud Actium poëtam: *vereor vt suffecerit, in nullâ vacillatione librorum.*

15. POST VENTVM.] *Noster De Tranquill. cap.* II. Sicut est quidam tremor etiam tranquilli maris aut lacus, cùm ex tempestate requieuit. *Imago ea & apud poëtas, vt ibi dixi.*

16. SPATIO.] *Certo statoq; diei tempore. ita enim declamatores illi solent. Displicet tamen quibusdam: si & tibi*, studio *licet legas.*

17. SANGVINEM.] *Ruptâ, vt solet, venâ.*

18. POPVLVS.] *Multitudo.*

19. CON-

A uocat, hic adeſt: ille periclitatur, ille defendit, ille iudicat. Nemo ſe ſibi vindicat: alius in alium [19] conſumimur. Interroga de iſtis, quorum [20] nomina ediſcuntur: his illos dignoſci videbis notis: Hic illius cultor eſt, ille illius, ſuus nemo. Deinde dementiſſima quorumdam indignatio eſt, queruntur de ſuperiorum faſtidio, quòd ipſis adire volentibus non vacauerint. Audet quiſquam de alterius ſuperbiâ queri, qui ſibi ipſe numquam vacat? Ille tamen, quiſquis eſt, inſolenti quidem vultu, ſed aliquando [21] reſpexit: ille aures ſuas ad tua verba demiſit: ille te [22] ad latus ſuum recepit. tu non inſpicere te vmquam, non audire dignatus es. Non eſt itaque quòd iſta officia cuiquam imputes: quo- III.
niam quidem cùm illa faceres, non eſſe cum aliquo volebas, ſed tecum eſſe non poteras. Omnia licet quæ vmquam ingenia fulſerunt, in hoc vnum conſentiant, numquam ſatis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur. Prædia ſua occupari à nullo patiuntur: & ſi exigua contentio eſt de modo finium, ad lapides & arma diſcurrunt: in vitam ſuam incedere alios ſinunt, imò verò ipſi etiam poſſeſſores eius futuros inducunt.
B Nemo inuenitur, qui pecuniam ſuam diuidere velit: vitam vnuſquiſque quàm multis diſtribuit? Adſtricti ſunt in continendo patrimonio: ſimul ad temporis iacturam ventum eſt, profuſiſſimi in eo, cuius vnius honeſta auaritia eſt. Libet itaque ex ſeniorum turbâ comprehendere aliquem. Peruenisſe te ad vltimum ætatis humanæ videmus: centeſimus tibi, vel ſuprà, premitur annus. agedum, ad computationem ætatem tuam reuoca. Dic quantum ex iſto tempore creditor, quantum amica, [23] quantum reus, quantum cliens abſtulerit: quantum lis vxoria, quantum ſeruorum coërcitio, quantum officioſa per vrbem diſcurſatio. Adiice morbos, quos [24] manu fecimus: adiice, quod & ſine vſu iacuit: videbis te pauciores annos habere, quàm numeras. Repete memoriâ tecum, quando certus conſilij fueris, quotus quiſque dies vt deſtinaueras receſſerit; qui tibi vſus tui fuerit; quando in ſtatu ſuo vultus, quando animus intrepidus; quid tibi in tam longo æuo facti operis ſit; quàm multi vitam tuam diripuerint, te non ſentiente quid perderes; quantum vanus dolor, ſtulta lætitia, auida cupiditas, blanda conuerſatio abſtule-
C rit; quàm exiguum tibi de tuo relictum ſit: intelliges, te immaturum mori. Quid IV.
ergo eſt in cauſsâ? Tanquam ſemper victuri viuitis: numquam vobis fragilitas veſtra ſuccurrit. Non obſeruatis quantum temporis tranſierit. velut ex pleno & abundanti perditis: cùm interim fortaſſe ille ipſe, alicui vel homini vel rei donatus, vltimus dies ſit. Omnia, tamquam mortales, timetis: omnia, tamquam immortales, concupiſcitis. Audies pleroſque dicentes: [25] *A quinquageſimo in otium ſecedam:* [26] *ſexageſimus annus* [27] *ab officiis me dimittet.* Et quem tandem longioris vitæ prædem accipis? quis iſta, ſicuti diſponis, ire patietur? Non pudet te reliquias vitæ tibi reſeruare, & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſit? Quàm ſerum eſt, tunc viuere incipere, cùm deſinendum eſt? quæ tam ſtulta mortalitatis obliuio, in quinquageſimum & ſexageſimum annum differre ſana conſilia: & inde velle vitam inchoare, quò pauci perduxerunt? Potentiſſimis, & in altum ſublatis hominibus, excidere voces videbis, quibus otium

D 19. CONSVMIMVR.] *In gratiam fructumq́, alter alterius impendimur: ipſi & ætas, viciſſitudine officiorum, perimus.*

20. NOMINA EDISC.] *Qui iſti? an patroni & clari oratores? de quibus in libello De cauſſ. corrupt. eloq.* Quorum nomina priùs parentes liberis ſuis ingerunt? quos ſæpiùs vulgus & tunicatus hic populus nomine vocat, & digito demonſtrat? *Sed intendenti aliud ſedeat, cenſeátque Senecam de Clientibus & ſalutatoribus loqui: quorum nomina ſatis notum eſt edidiciſſe nomenclatores. Nam ſententia tota eſt: Interroga de omni hoc officioſo populo; occurret audire, Hic illum colit, alius alium, ſeſe nemo.*

21. RESPEXIT.] *Iuuenalis:*

Vt te reſpiciat clauſo Veiento labello.

22. AD LATVS.] *Per honorem. ex anteambulone comitem fecit.*

CAP. III. 23. QVANTVM REVS.] *Meus*, rex: *& de Cliente ſequitur. ſcimusq́, vulgò ita dictos, quos colebant. Plautus:* Nunc poſtquam meus rex eſt potitus hoſtium. *Horatius:*

-equus me portet, alat rex.

24. MANV FECIMVS.] *Ipſi luxu aut vitio noſtro arceſſiuimus. Crebrum in Senecâ, & alibi exemplis affirmatum.*

CAP. IV. 25. A QVINQVAGESIMO.] *Exemplo militiæ, à quâ tunc vacatio.*

26. SEXAGESIMVS.] *Exemplo Senatorum, de quo in fine libelli vide.*

27. AB OFFICIIS.] *Publiciſne muneribus? an potiùs illis priuatis officiis ſalutandi, deducendi? nam in his Roma ſuos tenebat, aut terebat.*

28. Si

otium optent, laudent, omnibus bonis ſuis præferant. Cupiunt interim ex illo faſtigio A
ſuo,[28] ſi tutò liceat, deſcendere. nam vt nihil extrà laceſſat, aut quatiat; in ſe ipſa fortuna
V. ruit. Diuus Auguſtus, cui dij plura quàm vlli præſtiterunt,[29] non deſiit quietem
ſibi precari, vacationem à Rep. petere. Omnis eius ſermo ad hoc ſemper reuolutus eſt,
vt ſibi ſperaret otium. Hoc labores ſuos, etiam ſi falſo, dulci tamen oblectabat ſolatio,
aliquando ſe victurum ſibi. In quadam ad ſenatum miſsâ epiſtolâ, cùm requiem ſuam
non vacuam fore dignitatis, nec à priore gloria diſcrepantem, pollicitus eſſet, hæc verba
inueni: *Sed iſta fieri ſpecioſiùs, quàm promitti poſſunt. me tamen cupido temporis optatiſſimi mihi, prouexit, vt quoniam rerum lætitia moratur adhuc, præciperem aliquid voluptatis ex verborum dulcedine.*[30] Tanta viſa eſt res otium, vt illam, quia vſu non poterat, cogitatione præſumeret. Qui omnia videbat ex ſe vno pendentia, qui hominibus gentibuſque fortunam dabat, illum diem lætiſſimus cogitabat, quo magnitudinem ſuam exueret. Expertus erat, quantum illa bona, per omnes terras fulgentia, ſudoris exprimerent, quantum occultarum ſolicitudinum tegerent:[31] cum ciuibus primùm, deinde cum[32] collegis, no- B
uiſſimè cum[33] affinibus, coactus armis decernere, mari terraque ſanguinem fudit: per
Macedoniam, Siciliam, Ægyptum,[34] Syriam, Aſiamque, & omnes propè oras bello
circumactus, Romanâ cæde laſſos exercitus ad externa bella conuertit. Dum Alpes pacat, immixtoſque[35] mediæ paci & imperio hoſtes perdomat, dum[36] vltra Rhenum,
[37] Euphratem & [38] Danubium terminos mouet, in ipsâ vrbe,[39] Murenæ, Cæpionis, Lepidi, Egnatiorum in eum mucrones acuebantur. Nondum horum effugerat inſidias:
filia, & tot nobiles iuuenes adulterio[40] velut ſacramento adacti, iam[41] infractam ætatem territabant: poſtquam & iterùm timenda[42] cum Antonio mulier. Hæc[43] vlcera
cum ipſis[44] membris abſciderat: alia ſubnaſcebantur. velut cùm graue multo ſanguine
eſt corpus, partes ſemper aliquæ rumpebantur. Itaque otium optabat: in huius ſpe &
cogitatione labores eius reſidebant: hoc votum erat eius, qui voti compotes facere poterat.

28. SI TVTÒ.] *Noſter de Clem. 1. cap.* VIII. Et hæc eſt ſummæ magnitudinis ſeruitus, non poſſe fieri minorem. *Plura ibi.*

CAP. V. 29. NON DESIIT.] *Totiéſne igitur? atqui Suetonius, in eo, cap.* XXVIII. De reddendâ repub. bis cogitauit. Primò poſt oppreſſum ſtatim Antonium: ac rurſus tædio diuturnæ valetudinis. *Quod poſterius, fuit in Conſulatu eius* VII. *vt notat Dio libro* LIII. *initio, vbi & oratio eius in Senatu dicta. Sed nempe ſeriò bis hoc egit & prodidit: ſæpiùs tamen voluit, & iniecit, vt hîc in Epiſtolâ ad Senatum miſsâ.*

30. TANTA VISA.] *Et mihi, qui cum Socrate appellem* σχολὴν, κάλλιστον κτημάτων: otium, optimum rerum. *Plinius Traiano:* Cùm otium à te, tamquam res optima, & petatur, & detur.

31. CVM CIVIBVS.] *Nempe in bello & acie Philippenſi.*

32. COLLEGIS.] *M. Lepido, quem Triumuiratu, copiis, & libertate ſpoliauit. Sed & M. Antonius iungi poteſt, cum quo ſæpiùs diſſedit, & bellum adeò Peruſinum cum fratre & vxore eius, quanto minus ipſo? geſsit.*

33. AFFINIBVS.] *Latiore numero, in vnum Antonium intellegit, bello Actiaco iam adfinem & fratrem, per vxorem Octauiam.*

34. SYRIAM ASIAMQVE.] *An & ibi ſedes ciuilium tunc bellorum? non, ſed tamen tranſitus. Suetonius de Auguſto, cap.* XVII. *victo iam ad Actium Antonio:* Aſiæ Syriæque circuitu Ægyptum petit.

35. MEDIÆ PACI.] *Ad ſitum Alpium, qui Galliam & Italiam interiecti. Hæc autem olim pacata: & ipſe recenter* domuit Rætiam, Vindelicos, Salaſſos, gentes Inalpinas. *Suetonius.* C

36. VLTRA RHENVM.] *Duce Druſo.*

37. EVPHRATEM.] *Duce C. Cæſare filio, qui ius in Armeniâ vindicauit.*

38. DANVBIVM.] *Variis ducibus circa eum bella: nec vltra tamen fines mouit. Itaque quod hîc eſt,* mouet: *cape, mouere conatur & ſperat.*

39. MVRENÆ.] *Vide de his omnibus, Senecam* I. *De Clem. cap.* IX. *Suetonium,* XXI. *Tacitum* I. *Annalium.*

40. VELVT SACRAM.] *Sententia eſt. Iuliæ adulterio ſic auctorati & deuincti, vt milites ſacramento ſolent. Mulier habebat ad fas & nefas paratos.* D

41. INFRACTAM.] *Ita. nam agebat Auguſtus, ſub tempus iſtud pulſæ Iuliæ, annum* LVIII. *circiter.*

42. CVM ANTONIO.] *Pulchra alluſio. Cleopatra cum M. Antonio terruerat ſanè Auguſtum & rem Romanam: ecce iterùm & ſecundò, inquit, alia mulier, alius Antonius. Hic autem iſte, filius eſt M. Antonij ex Fuluiâ,* Iulus Antonius *dictus, & ad Conſulatum ab Auguſto euectus. Diximus ad Taciti Annalem* I.

43. VLCERA.] *Ipſos adulteros,* ἀλληγορικῶς.

44. MEMBRIS.] *Filiâ ſuâ, & nepte. quas vtraſque relegauit & ſepoſuit, & velut à corpore ſuo recidit.*

45. TE-

A terat. Marcus Cicero inter Catilinas Clodioſque iactatus, Pompeioſque & Craſſos, partim manifeſtos inimicos, partim dubios amicos, dum fluctuatur cum republicâ, & illam peſſum euntem [45] tenet, nouiſſimè abductus, [46] nec ſecundis rebus quietus, nec aduerſarum patiens, quotiens illum ipſum conſulatum ſuum non ſine cauſsâ, ſed ſine fine laudatum, deteſtatur? quàm flebiles voces exprimit in quadam [47] ad Atticum epiſtolâ, iam victo patre Pompeio, adhuc filio in Hiſpaniâ fracta arma refouente? *Quid agam*, inquit, *hîc quæris? moror in Tuſculano meo ſemiliber.* Alia deinceps adiicit, quibus & priorem ætatem complorat, & de præſenti queritur, & de futurâ deſperat. *Semiliberum* ſe dixit Cicero. at mehercules numquam ſapiens in tam humile nomen procedet, numquam ſemiliber erit: integræ ſemper libertatis & ſolidæ, ſolutus, & ſui iuris, altior ceteris. Quid enim ſupra eum poteſt eſſe, qui ſupra fortunam eſt? Liuius Druſus, vir acer & ve- VI.
hemens, cùm [48] leges nouas [49] & mala Gracchana mouiſſet, ſtipatus ingenti totius Italiæ cœtu, exitum rerum [50] non prouidens, quas nec agere licebat, nec iam liberum erat ſemel
B inchoatas relinquere, exſecratus inquietam à primordiis vitam, dicitur dixiſſe, *Vni ſibi, nec puero quidem, vmquam ferias contigiſſe.* Auſus eſt enim & pupillus adhuc & prætextatus, iudicibus reos commendare, & gratiam ſuam interponere tam efficaciter, vt quædam iudicia conſtet ab illo [51] rapta. Quò non irrumperet tam immatura ambitio? ſcires in malum ingens, & priuatum, & publicum, euaſuram illam tam præcoquem audaciam. Serò itaque querebatur, nullas ſibi ferias contigiſſe: à puero ſeditioſus, & foro grauis. Diſputatur, an ipſe ſibi manus attulerit. ſubitò enim vulnere per inguen accepto, collapſus eſt: aliquo dubitante, an mors voluntaria eſſet; [52] nullo, an tempeſtiua. Superuacuum eſt commemorare plures: qui cùm aliis feliciſſimi viderentur, ipſi in ſe verum teſtimonium dixerunt, [53] peroſi omnem actum annorum ſuorum. Sed his querelis nec alios mutauerunt, nec ſeipſos. Nam cùm verba erumperent, affectus ad conſuetudinem relabebantur. Veſtra mehercule vita, licet ſupra mille annos exeat, in arctiſſimum contrahetur. Iſta vitia nullum non ſæculum deuorabunt: hoc verò ſpatium, quod, quam-
C uis natura currit, ratio dilatat, citò vos effugiat neceſſe eſt. Non enim apprehenditis, nec retinetis, nec velociſſimæ omnium rei moram facitis, ſed abire vt rem ſuperuacuam ac reparabilem ſinitis. In primis autem & illos numero, qui nulli rei, niſi vino ac libidini vacant. nulli enim turpiùs occupati ſunt: ceteri, etiam ſi vanâ gloriæ imagine teneantur, ſpeciosè tamen errant. Licet auaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel odia exercentes iniuſta, vel bella: omnes iſti viriliùs peccant. in Venerem ac libidinem proiectorum inhoneſta [54] labes eſt. Omnia iſtorum tempora excute. adſpice quamdiu compuſent, quamdiu inſidientur, quamdiu timeant, quamdiu colant, quamdiu colantur, quantum vadimonia ſua atque aliena occupent, quantum conuiuia, quæ iam ipſa [55] officia ſunt: videbis, quemadmodum illos reſpirare non ſinant vel mala ſua, vel bona. Denique inter omnes conuenit, nullam rem benè exerceri poſſe ab homine occupato:

non

45. TENET.] *Auſidius Baſſus, de Cicerone:* Vir natus ad reip. ſalutem. quæ diu defenſa & adminiſtrata, in ſenectute demùm è manibus eius elabitur.
D

46. NEC SECVNDIS.] *Veriſimè. Aſinius Pollio:* Vtinam moderatiùs ſecundas res, & fortiùs aduerſas ferre potuiſſet! namque vtræque cùm venerant, immutari eas non poſſe rebatur.

47. AD ATTICVM.] *Dubito. hodie neſcio an legatur: hoc tantùm ſimile notaui lib.* XIII. Obſecro, abiiciamus iſta, & ſemiliberi ſaltem ſimus. quod aſſequemur & tacendo, & latendo. *Sanè meus liber*, ad Actium: *ex quo promptum*, ad Axium. *Nam & is inter familiares Tullÿ, & ad eum editæ epiſtolæ. Citat inter alios Suetonius Iul. cap.* IX.

CAP. VI. 48. LEGES NOVAS.] *De iudiciis inter Senatum & equitem communicandis: item De ſociis ciuitate donandis.*

49. ET MALA.] *Legem Gracchi retulit, de coloniis deducendis, plebi conciliandæ. Appianus de iſtis* I. *Ciuil. Florus.* III. *cap.* XVII. *Suetonius Tiber. cap.* III.

50. NON PROVIDENS.] *Siue mauis*, peruidens.

51. RAPTA.] *Sententias ab eo extortas.*

52. NVLLO AN.] *Ita ſcripti aliquot, rectè. Sententia eſt: potuit dubitare aliquis, an ſponteâ morte obiiſſet, nemo quin opportunâ. Florus:* Imparem Druſum, ægrumque rerum temerè motarum, matura, vt in tali diſcrimine, mors abſtulit.

53. PEROSI.] *Scripti*, perdentes, *aut* prodentes. *Veritas*, perodientes.

54. LABES EST.] *Quidam, nec malè*, tabes.

55. OFFICIA SVNT.] *Quaſi ex officio danda, & adeunda.*

non eloquentiam, non liberales disciplinas: quando districtus animus nihil aliius recipit, sed omnia velut inculcata respuit. Nihil minus est hominis occupati, quàm viuere: A
VII. nullius rei difficilior est scientia. Professores aliarum artium vulgo multique sunt. quasdam verò ex his [56] pueri admodum ita percepisse visi sunt, vt etiam præcipere possent: viuere totâ viâ discendum est: & quòd magis fortasse miraberis, totâ vitâ [57] discendum est mori. Tot maximi viri, relictis omnibus impedimentis, cùm diuitiis, officiis, voluptatibus renunciassent, hoc vnum in extremam vsque ætatem egerunt, vt viuere scirent: plures tamen ex his nondum se scire confessi, è vitâ abierunt, nedum vt isti sciant. Magni, mihi crede, & supra humanos errores eminentis viri est, nihil ex suo tempore delibari sinere: & ideò vita eius longissima est, cui quantumcumque patuit, totum ipsi vacauit. Nihil inde incultum otiosumque iacuit: nihil sub alio fuit. neque enim quidquam reperit dignum, quod cum tempore suo permutaret, custos eius parcissimus. Itaque satis illi fuit. his verò necesse est defuisse, ex quorum vitâ multum populus tulit. Nec est quòd putes, hinc illos non intelligere damnum suum. plerosque certè audies ex B
his quos magna felicitas grauat, inter clientium greges, aut caussarum actiones, aut ceteras honestas miserias exclamare interdum, *Mihi viuere non licet.* Quidni non liceat? [58] omnes illi qui te sibi aduocant, tibi abducunt. Ille reus quot dies abstulit? quot ille candidatus? quot illa anus, efferendis heredibus lassa? quot ille ad irritandam auaritiam captantium simulatus æger? quot ille potentior amicus, qui vos non in amicitiâ, sed in apparatu habet? [59] Dispunge, inquam, ac recense vitæ tuæ dies: videbis paucos admodum & [60] reiiculos apud te resedisse. Assecutus ille quos optauerat fasces, cupit ponere, & subinde dicit: *Quando hic annus præteribit?* Facit ille ludos, quorum [61] sortem sibi obtingere magno æstimauit: *Quando*, inquit, *istos effugiam?* [62] Diripitur ille toto foro patronus, & magno concursu omnia, vltra quàm audiri potest, complet: *Quando*, inquit, *res* [63] *proferentur!* Præcipitat quisque vitam suam, & [64] futuri desiderio laborat, præsentium tædio. At ille, qui nullum non tempus in vsus suos confert, qui omnes dies [65] tamquam vitam ordinat. nec optat crastinum, nec timet. Quid enim est, quòd iam vlla ho- C
ra [66] nouæ voluptatis possit afferre? Omnia nota, omnia ad satietatem percepta sunt: de cetero, fors fortuna vt volet ordinet: vita iam in tuto est. Huic adiici potest, detrahi nihil: & adiici sic, quemadmodum saturo iam & pleno aliquid cibi, quod nec desiderat,
[67] nec

CAP. VII. 56. PVERI ADMODVM.] *Mirum, sed exempla affirmant. In lapide Romæ:* L. Valerio L. F. Pudenti. Hic cùm esset annorum XIII. Romæ, certamine sacro Iouis Capitolini, lustro VI. claritate ingenij coronatus est inter poëtas Latinos, omnibus sententiis iudicum. *Item Antipoli:* D. M. pueri Septemtrionis, qui annorum XII. Antipoli in theatro biduo saltauit & placuit. *Iterùm Romæ:* Eucharis Liciniæ L. docta, erodita omnes artes virgo. Vixit annos XIV. *Et adde porrò lepidum, si vis, carmen & progenio vetustatis. In scænicis hæc talia exempla hauries è Plinij* VII. *Hist. natur. cap.* XLVIII. *item aliquid Suetonij Domitiano, cap.* X. *vbi Paris quidam Pantomimus* impubes. *Hæc autem, ob præmia, huic generi crebra & certa.*

57. DISCENDVM EST MORI.] *Nam Philosophia, μελέτη θανάτου,* meditatio mortis. *Apuleius:* Philosophum nihil oportet sic agere, quàm vt semper studeat animam consortio corporis separare, & ideò existimandum, philosophiam esse mortis affectum, consuetudinemque moriendi.

58. OMNES ILLI.] *Vide similis sententiæ apud Plinium* I. *epist.* IX. *sanè pulchra.*

59. DISPVNGE.] *Papinianus:* Dispungere, est conferre accepta & data. *Seneca* IV. *De Benefic. cap.* XXXI.

60. REIICVLOS.] *Rectè, Varroniano etiam verbo: etsi scripti,* ridiculos.

61. SORTEM.] *Nam inter Prætores, sors aut ludos aut iurisdictionem dabat.*

62. DIRIPITVR.] *Huc illuc trahitur, rapiturq; à clientibus. De Irâ* III. *cap.* XXIII. *& hocce libro infrà, cap. vlt.* Dum rapiuntur & rapiunt, dum alter alterius quietem rumpit. *Quidam tamen hîc mauelint,* Dirumpitur, *à contentione vocis.* D

63. PROFERENTVR.] *Quod feriis fiebat, cessante actu rerum. In carmine ad Pisonem:*

——— siquando iudice fesso,
Turbida prolatis tacuerunt iurgia rebus.

64. FVTVRI DESID.] *Epistola* XV. Stulti vita ingrata est, trepida est, tota in futurum fertur.

65. TAMQVAM VITAM.] *Id est, tamquam ille modò futurus sit. Epist.* XV. Ecce hic vltimus dies vt non sit, propè ab vltimo est.

66. NOVÆ VOLVPT.] *Lucretius:*

Præterea versamur ibidem atque insumus vsque,
Nec noua viuendo procuditur vlla voluptas.

67. Nec

A [67] nec capit. Non est itaque quòd quemquam, propter canos aut rugas, putes diu vi- VIII.
xisse. non enim ille diu vixit, sed [68] diu fuit. Quid enim? si illum multum putes nauigauisse, quem sæua tempestas à portu exceptũ huc & illuc tulit, ac viribus ventorum ex diuerso furentium per eadem spatia in orbem egit? non ille multum nauigauit, sed multum iactatus est. Mirari soleo, cùm video aliquos [69] tempus petere, & eos qui rogantur facillimos. Illud vterque spectat, propter quod tempus petitum est: ipsum quidem neuter. Quasi nihil petitur, quasi nihil datur: re omnium pretiosissimâ luditur. Fallit autem illos, quia res incorporalis est, quia sub oculos non venit: ideoque vilissima æstimatur, imò pænè nullum pretium eius est. [70] Annua congiaria homines [71] clarissimi accipiunt, [72] & his aut laborem, aut operam, aut diligentiam suam locant: nemo æstimat tempus. vtuntur illo laxiùs, quasi gratuito. At eosdem [73] ægros vide, si mortis periculum admotum est propiùs, medicorum genua tangentes: si metuunt capitale supplicium, omnia sua, vt viuant, paratos impendere. tanta in illis discordia affectuum est.
B Quòd si posset, quemadmodum præteritorum [74] annorum cuiusque numerus proponi, sic futurorum: quomodo illi, qui paucos viderent superesse, trepidarent, quomodo illis parcerent? Atqui facile est, quamuis exiguum dispensare, quod certum est: id debet seruari diligentiùs, quod nescias quando deficiat. Nec est tamen, quòd ignorare putes illos, quàm cara res sit. [75] Dicere solent eis quos valdissimè diligunt, paratos se partem annorum suorum dare. Dant, nec intelligunt: dant autem ita, vt sine illorum incremento sibi detrahant: sed hoc ipsum an detrahant, nesciunt: ideò tolerabilis est illis iactura detrimenti latentis. Nemo restituet annos, nemo iterùm te tibi reddet. Ibit quà cœpit ætas, nec cursum suum aut reuocabit aut supprimet: nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis suæ, tacita labetur. Non illa se regis imperio, non fauore populi longiùs proferet. [76] sicut iussa est à primo die curret: nusquam diuertet, nusquam remorabitur. Quid fiet? tu occupatus es, vita festinat: mors interim aderit, cui, velis nolis, vacandum est. [77] Potéstne quisquam, dico, hominum eorum qui prudentiam ia- IX.
C ctant, & operosiùs occupati sunt, quàm vt [78] meliùs possint viuere? [79] Impendio vitæ vitam instruunt, cogitationes suas in longum ordinant: maxima porrò vitæ iactura, dilatio est. Illa primum quemque extrahit diem, illa eripit præsentia, dum vlteriora promit-

67. NEC CAPIT.] *Negatio abest veteribus. tu scribe*: quod nec desiderans capit. *Sicut stomacho pleno, amici gratiâ aliquid accipio, non appeto: ita in eo, qui vitæ est satur.*

CAP. VIII. 68. DIV FVIT.] *Eâ mente Similis, qui semper in officiis, & à Præfecturâ demique Prætorij dimissus, rure septem annos vixit, sepulchro insculpsit.* Hîc situs est Similis, qui tot annos fuit, sed septem vixit. *Varro:* Non illos optimè viuere, qui diutissimè, sed qui modestissimè.

69. TEMPVS PETERE.] *Tacitus* XIV. *Annal.*
D Seneca criminantium non ignarus, tempus sermoni orat, & accepto, ita incipit.

70. ANNVA CONG.] *Ita moris: & Principes, sed & proceres è Senatu dabant. Suetonius Nerone, cap.* X. Senatorum nobilissimo cuique, sed à re familiari destituto, annua salaria, & quibusdam quingena constituit.

71. CLARISSIMI.] *Senatores, vt iam dixi. sed libri ferè*, carissimi. *An* rarissimi? *pro sententiâ rectè: an* carissimè? *id esset, in magno habent, carè æstimant.*

72. ET HIS.] *Meus*, & in his. *Lego*: & ij his. *qui accipiunt, ij locant datoribus laborem aut operam.*

73. ÆGROS VIDE.] *Epictetus:* Siquis senex viuat, deos accusat quòd tam diu fatigetur, cùm mori iamdiu debuerit. At si mors aduenit, vitam desiderat, medicum accersit, & orat submissè nihil omittere industriæ in medendo.

74. ANNORVM CVIVSQVE.] *Malim*, cuique.

75. DICERE SOLENT.] *In Plauto amator:*

Ego te? quam si intellegam deficere vitâ, iam ipse
Vitam meam tibi largiar, & de meâ ad tuam addam.

Tibullus:

Viue diu mî dulcis anus. proprios ego tecum,
Sit modò fas, annos contribuisse velim.

In Statio:

Pars animæ victura meæ, cui linquere possim
O vtinam, quos dura mihi rapit Atropos, annos.

Populus, acclamationè ad Principem:

De nostris annis tibi Iuppiter augeat annos.

76. SICVT IVSSA.] *Scripti quidam*, missa: *metaphorâ à Circensibus, vbi currus mittuntur: & statim* decurret, *pro* die curret.

CAP. IX. 77. POTESTNE.] *Hæc ita edidi è meo scripto, vulgò confusa. Sensus è priore pendet. Velis nolis, morti vacandum est. potéstne id quisquam istorum, qui sic occupati?*

78. MELIVS.] *Vellem abesse.*

79. IMPENDIO VITÆ.] *Id est, veræ vitæ iacturâ, vanam vitam ornant; ei vilia & apta colligunt.*

mittit. Maximum viuendi impedimentum est, exspectatio, quæ [80] pendet ex crastino. A
Perdis hodiernum. quod in manu fortunæ positum est, disponis: quod in tuâ, dimittis. Quò spectas, quò te extendis? omnia quæ ventura sunt, in incerto iacent: [81] protinus viue. Clamat ecce maximus vates, & velut diuino furore instinctus salutare carmen canit:

[82] *Optima quæque dies miseris mortalibus æui*
Prima fugit.

Quid cunctaris, inquit, quid cessas? Nisi occupas, fugit: cùm occupaueris, tamen fugiet. Itaque cum celeritate temporis, vtendi velocitate certandum est. velut ex torrente rapido, nec semper [83] casuro, citò hauriendum est. Hoc quoque pulcherrimè ad exprobrandam infinitam cogitationem, quòd non optimam quamque ætatem, sed diem dicit. Quid securus, & in tantâ temporum fugâ lentus, menses tibi, & annos, & longam seriem, vtcumque auiditati tuæ visum est, exporrigis? de die tecum loquitur, & de hoc ipso fugiente. Non dubium est ergo, quin prima quæque optima dies fugiat mortalibus B
miseris, id est, occupatis: quorum [84] pueriles adhuc animos senectus opprimit, ad quam imparati inermesque veniunt. Nihil enim prouisum est: subitò in illam, nec opinantes inciderunt: accedere eam [85] cottidie non sentiebant. Quemadmodum quos aut sermo, aut lectio, aut aliqua interior cogitatio iter facientes decipit, peruenisse se antè sciunt, quàm appropinquasse: ita hoc iter vitæ assiduum & citatissimum, quod dormientes
X. vigilantesque eodem gradu facimus, occupatis non apparet, nisi in fine. Quod proposui, si in partes velim & argumenta diducere, multa mihi occurrent, per quæ probem breuissimam esse occupatorum vitam. Solebat dicere [86] Fabianus, non ex his [87] cathedrariis philosophis, sed ex veris & antiquis, contra affectus impetu, non subtilitate pugnandum, nec minutis vulneribus, sed incursu auertendam aciem. [88] Sugillationem enim retundi debere, non vellicari. Tamen vt illis error exprobretur suus, docendi, non tantùm deplorandi sunt. In tria tempora vita diuiditur: quod est, quod fuit, & quod futurum est. Ex his quod agimus, breue est: quod acturi sumus, dubium: quod egi- C
mus, certum. Hoc est enim, in quod fortuna [89] ius perdidit, quod in nullius arbitrium reduci potest. Hoc amittunt occupati. nec enim illis vacat præterita respicere: & si vacet, iniucunda est pœnitendæ rei recordatio. Inuiti namque ad tempora malè exacta animum reuocant, nec audent ea retentare, quorum vitia etiam quæ aliquo præsentis voluptatis lenocinio subripiebantur, retractando patescunt. Nemo, nisi à quo omnia acta sunt sub [90] censurâ suâ, quæ numquam fallitur, libenter se in præteritum retorquet. Ille qui multa ambitiosè concupiit, superbè contempsit, [91] impotenter vicit, insidiosè decepit, auarè rapuit, prodigè effudit, necesse est memoriam suam timeat. Atqui hæc est

80. PENDET EX.] *Noster* 1. *epist.* Ita fac mi Lucili, omnes horas complectere. sic fiet, vt minùs ex crastino pendeas, si hodierno manum iniecceris. Dum differtur vita, transcurrit.

81. PROTINVS.] *Statim, iamnunc. Glossæ:* Protinus, ὠδαχρῆμα, ἀυτίκα.

82. OPTIMA.] *Adde epist.* CVIII. *vbi de his versibus paria.*

83. CASVRO.] *Meus*, laturo: *alij*, labituro, *vel*, auituro: *è quo postremo fecerim* hausturo: *tibi nempe*.

84. PVERILES ADHVC.] *Epist.* XXII. Nemo non ita exit è vitâ, tanquam modò intrauerit. *& adde plusc ula.*

85. COTTIDIE.] *Epist.* I. Quem mihi dabis, qui diem æstimet? qui intellegat cottidie se mori? *vide sequentia.*

CAP. X. 86. FABIANVS.] *De quo epist.* XL. *&* C. *& alibi.*

87. CATHEDRARIIS.] *Scholasticis. nam cathedra, professorum. Ausonius in Professoribus:*

Et te quem cathedram temerè vsurpasse loquuntur: *Plureſq; ibi. Sidonius lib.* VII. Vxor illi de Palladiorum stirpe, qui aut litterarum, aut altarium cathedras tenuerunt: *id est, aut Professores, aut Episcopi fuêre. Significat ergo Seneca, Fabianum re philosophatum, non linguâ tantùm: vt solent isti à scholis.* D

88. SVGILLATIONEM.] *Falsa, obscura. Libri vett.* auertendam aciem non probam. Cauillationem enim. *Lego:* auertendam aciem. Non probam cauillationem esse, retundi debere, *&c. verè, & clarè.*

89. IVS PERDIDIT.] *Plinius lib.* II. *cap.* VII. Ne Deum quidem omnia posse, nullumque habere in præterita ius præterquàm obliuionis.

90. CENSVRA SVA.] *Rectæ rationis.*

91. IMPOTENTER.] *Meus*, impudenter euicit.

92. SA-

A est pars temporis nostri [92] sacra ac dedicata, omnes humanos casus supergressa, extra regnum fortunæ subducta: quam non inopia, non metus, non morborum incursus exagitat. Hæc nec turbari, [93] nec eripi potest: perpetua eius & interepida possessio est. Singuli tantùm dies, & hi per momenta præsentes sunt: at præteriti temporis omnes, cùm iusseris, aderunt, ad arbitrium tuum se inspici ac detineri patientur: quod facere occupatis non vacat. Securæ & quietæ mentis est, in omnes vitæ suæ partes discurrere: occupatorum animi velut [94] sub iugo sunt, flectere se ac respicere non possunt. Abiit igitur vita eorum in profundum, & vt nihil prodest, quantum libet ingeras, si non subest quod excipiat, ac seruet: sic nihil refert, quantum temporis detur, si non est vbi subsidat. per [95] quassos foratosque animos transmittitur. Præsens tempus breuissimum est, adeò quidem, vt quibusdam [96] nullum videatur: in cursu enim semper est. fluit & præcipitatur: antè desinit esse, quàm venit: nec magis moram patitur, quàm [97] mundus, aut sidera, quorum irrequieta semper agitatio, numquam in eodem vestigio manet. Solum
B igitur ad occupatos præsens pertinet tempus: quod tam breue est, vt arripi non possit, & idipsum illis, distrietis in multa, subducitur. Denique vis scire, quàm non diu XI.
viuant? vide quàm cupiant diu viuere. Decrepiti senes paucorum annorum accessionem votis mendicant. minores natu seipsos esse fingunt: mendacio sibi blandiuntur: & tam libenter fallunt, quàm si [98] fata vnà decipiant. Iam verò cùm illos aliqua imbecillitas mortalitatis admonuit, quemadmodum pauentes moriuntur, non tamquam exeant de vitâ, sed tamquam extrahantur? [99] stultos se fuisse, quòd non vixerint, clamitant, & si modò euaserint ex illâ valetudine, in otio victuros. Tunc quàm frustrà parauerint, quibus non fruerentur, quàm incassum omnis labor ceciderit, cogitant. At quibus vita procul ab omni negotio agitur, quid ni spatiosa sit? nihil ex illâ [100] delegatur, nihil aliò atque aliò spargitur, nihil inde [101] fortunæ traditur, nihil negligentiâ interit, nihil largitione detrahitur, nihil superuacuum est: tota (vt ita dicam) [102] in reditu est. Quantulacunque itaque abundè sufficit: & ideò quandocunque vltimus dies venerit, non cunctabitur vir sapiens ire ad mortem certo gradu. Quæris fortè, quos occupatos vocem? non
C est quòd me solos putes dicere, quos [103] à basilicâ immissi demum [104] canes eiiciunt; quos aut in [105] suâ vides turbâ speciosiùs elidi, aut [106] in alienâ contemptiùs; quos officia

92. SACRA AC DEDIC.] *Memoriæ & Aeuo tradita. quæ iam finem habet absoluti operis: violari non potest.*

93. NEC ERIPI.] *Martialis:* Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum. *Noster de Benefic.* III. *cap.* IV. *De Vit. Beat. cap.* VI.

94. SVB IVGO.] *Quod è ligno colla boum coërcet, nec respicere patitur.*

95. QVASSOS.] *Siue potiùs*, cassos.

96. NVLLVM VIDEATVR.] *Plutarcho, inter ceteros, fine libelli De dictione Ei apud Delphos.*

D 97. MVNDVS.] *Cælum.*

CAP. XI. 98. FATA VNA.] *Martialis in tales:*

Non omnes fallis, scit te Proserpina canum.
Personam capiti detrahet illa tuo.

99. STVLTOS SE.] *Ideò apud Euripidem Iphigenia conqueritur, in Supplicibus:*

Ὤιμοι· τί δ' ἢ βροτοῖσιν ἀχ ἔσιν τόδε,
Νέους δὶς εἶδ', καὶ γέροντας αὖ πάλιν;
Ἀλλ' ἐν δόμοις μὴ ἦν τι μὴ καλῶς ἔχῃ,
Γνώμαισιν ὑστέραισιν ἐξορθούμεθα·
Ἀ ἰῶνα δ' ἀχ ἕξειν. εἰ δ' ἦμὲν νέοι
Δὶς, καὶ γέροντες, εἴ τις ἐξαμάρτανεν,
Διπλᾶ βίᾳ λαχόντες, ἐξορθούμεθ' ἄν:
Cur à Deo hoc hominibus haud conceditur,
Bis vt iuuentam, bis senectam ætatem agant?
Namque ecce siquid in domibus haud rectè habet,
Sequente curâ posteà emendes licet:
At verò vitam non licet. quòd si senes,
Iuuenesque bis fiamus; id quòd sequiùs
Factum esset, emendare nobis tunc fiet.

100. DELEGATVR.] *Alteri traditur, aut assignatur, à re nummariâ, vbi nomina delegantur.*

101. FORTVNÆ.] *Nam sapiens consilio, non casu, viuit.*

102. IN REDITV.] *A pecuniâ, quæ occupatur, & in fœnore est. nihil hîc otiosi.*

103. A BASILICA.] *In quibus iudicia exerceri solita.*

104. CANES.] *Quos custodes & ædituí, sub noctem soluebant, aut & immittebant in morantes. Nam publica priuataq; loca etiam canes, adiuncti ianitoribus, tuebantur. Suetonius Vitell. cap.* XVI. *Seneca De Irâ,* III. *cap.* XXXVII. *Petronius in Satyrico. Significat igitur, quosdam ita actuosos, & in causis deditos, vt vltimi egrederentur, & vix cùm claudendæ Basilicæ essent, canesq; iam soluti immitterentur.*

105. SVA TVRBA.] *Cùm ipsi deducuntur.*

106. IN ALIENA.] *Cùm deducunt, vt clientes.*

cia domibus ſuis euocant, vt alienis foribus illidant; quos [107] haſta [108] prætoris [109] infa- A
mi lucro, & quandoque [110] ſuppuraturo, exercet. Quorumdam otium occupatum eſt. in villâ, aut in lecto ſuo, in mediâ ſolitudine, quamuis ab omnibus receſſerunt, ſibi ipſi moleſti ſunt: quorumdam non otioſa vita eſt dicenda, ſed deſidioſa occupatio.

XII. Illum tu otioſum vocas, qui Corinthia paucorum furore pretioſa, [111] anxiâ ſubtilitate concinnat, & maiorem dierum partem in æruginoſis lamellis conſumit? qui in [112] ceromate (nam, proh facinus, ne Romanis quidem vitiis laboramus) ſpectator puerorum rixantium ſedet? qui [113] vinctorum ſuorum greges [114] in ætatum & colorum paria diducit? qui athletas [115] nouiſſimos paſcit? Quid? illos otioſos vocas, quibus apud tonſorem multę horæ tranſmittuntur, dum [116] decerpitur, ſi quid proximâ nocte ſuccreuit, dum de ſingulis capillis [117] in conſilium itur, dum aut diſiecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc atque illinc [118] in frontem compellitur? Quomodo iraſcuntur, ſi tonſor paullò negligentior fuit? [119] tamquam virũ tonderet. Quomodo excandeſcunt, ſi quid [120] ex iubâ ſuâ deciſum eſt, ſi quid extra ordinem iacuit, niſi omnia [121] in anulos ſuos B
reciderunt? Quis eſt iſtorum, qui non malit rempublicam turbari, quàm comam ſuam?

qui

107. HASTA.] *Cui ſubiiciebantur, quæ publicè vænibant. Etiam vectigalia, ſic locata. Ouidius* IV. *de Ponto,*

Aut populi reditus poſitam componet ad haſtam,
Et minui magnæ non ſinet vrbis opes.

108. PRÆTORIS.] *Alij* Præconis. *non probo.*

109. INFAMI.] *Nam inuidiam aut odium eæ venditiones ferè habent. addo, quòd famam alienam lædunt. Tacitus, de Corbulone Prætorio, curæ viarum Præfecto:* Quod exitioſum multis, in quorum pecuniam atque famam damnationibus & haſtâ ſæuiebat.

110. SVPPVRATVRO.] *Ab vlcere occulto, quod tempore in pus & ſaniem vertit. Talia hæc lucra, inquit. quia interdum mutatio rerum, & reſcinduntur quæ ſic geſta. puta ſi in tyrannide, aut ſi iniquè. Alij legunt,* ſupputatio, *frigidè.*

CAP. XII. 111. ANXIA SVBTILIT.] *Ad diiudicandum, germanáne eſſent, an adulterina. Plinius eaipsâ voce, lib.* XXIV. *cap.* II. At mihi maior pars elegantiorum ſimulare eam ſcientiam videtur (*dignoſcendi Corinthia*) ad ſegregandos ſe à ceteris, magis quàm intelligere aliquid ſubtilius.

112. CEROMATE.] *Loco gymnaſij, vbi ſe vnguento eo linebant. Plinius:* Palæſtras athletarum imaginibus, & ceromata ſua exornant. *Hieronymus:* Bouem mittere ad ceroma. *Porrò de* Pueris, *quod adiungit: capio ephebos, more Græciæ, certantes luctantéſque. Talem* Glauciam Melioris *deſcribit Statius,* II. *Silu.*

113. VINCTORVM.] *In ergaſtulis. ſed mirabor, ſi ea diligentia & diſcretio ætatum colorúmque ibi obſeruata. Niſi quis velit pro locis, quò mittendi, item pro opere cui admouendi, ſic diſparatos à domino fuiſſe. quia alij alibi aptiores, ſaniores, diuturniores. Puto tamen magis,* victorum, *hîc ſcribendum: & libri ſanè,* victorum *ferè habent. Itaque litterula mutetur.* Vietus, *eſt* μεμαραγμένος: *iocosè & contemptim pro* Exoleto. *Sanè ita eſt. diuites iſti occupati, vt exoletos ſuos diſponerent, & per ætates coloréſque ordinarent.*

114. IN ÆTATVM.] *Ita meus liber palàm. De re, Tacitus* XV. *Annal.* Decora ſeruitia, & pari ætate habebat. *Ammianus* XIV. Poſtrema multitudo ſpadonum, à ſenibus in pueros deſinens. *Vides per ætatum gradus diſtingui. quod idem doceat Lucan.* X.

Tunc famulæ numerus turbæ, populuſq́; miniſter.
Diſcolor hos ſanguis, alios diſtinxerat ætas:
Hæc Libycos, pars iam flauos gerit altera crines.

Ipſe Seneca epiſt. XCV. Agmina exoletorum, per colores nationeſque diſtincta. C

115. NOVISSIMOS.] *An* notiſſimos? *an* nouitios? *Sed hæc mihi ſuſpecta. ſi vulgatum tenes,* poſcit *legam, id eſt, poſtremos iſtos aduocat, & ſe oblectat. Paſci tamen & ſaginari athletæ ſolent, ſcio: ſed ſententiola tota caliginoſa eſt, nec inſtituto apta.*

116. DECERPITVR.] *Volſellis.*

117. IN CONSILIVM.] *Iocosè, iudiciali verbo. Iuuenalis, de fæminâ capillos diſponente:*

Eſt in conſilio materna, admotaque lanis,
Emeritâ quæ ceſſat acu, ſententia prima
Huius erit, poſt hanc ætate atque arte minores
Cenſebunt.

118. IN FRONTEM.] *Nempe ſi deficit, vt ait, & caluaſter eſſe incipit. Aliis placet, formæ cauſſâ factum. vt in Horatio:* D

Inſignem tenui fronte Lycorida:

& fæminæ ſic volebant, neſcio an viri.

119. TAMQVAM VIRVM.] *Quos cultus neglectus decet. Notat & obiter mollitiem. In totâ re ſimilia vide apud Muſonium, in Stobæi Serm.* VI.

120. EX IVBA.] *Anulis pendulis, cincinníſque, inſtar iubæ. Seneca epiſt. vlt.* Quid capillum ingenti diligentiâ comis? in quolibet equo denſior iactabitur iuba.

121. IN ANVLOS.] *Martialis:*

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Anulus, incertâ non benè fixus acu.

Iuuenalis:

—— pectitque comas, & voluit in orbem.

Fæmina-

A qui non ſolicitior ſit de capitis ſui decore, quàm de ſalute? qui non comptior eſſe malit, quàm honeſtior? Hos tu otioſos vocas, inter pectinem ſpeculumque occupatos? Quid illi, qui in componendis, audiendis, diſcendis canticis operati ſunt: dum vocem cuius rectum curſum natura & optimum & ſimpliciſſimum fecit, inflexu modulationis inertiſſimæ torquent? Quorum digiti aliquod inter ſe carmen metientes ſemper [122] ſonant: quorum cùm ad res ferias, ſæpè & triſtes, adhibiti ſunt, exauditur tacita modulatio? non habent iſti otium, ſed iners negotium. Conuiuia mehercule horum non poſuerim inter vacantia tempora, cùm videam quàm ſoliciti [123] argentum ordinent, quàm diligenter exoletorum ſuorum tunicas [124] ſuccingant, quàm ſuſpenſi ſint, quomodo [125] aper à coco exeat: quantâ celeritate, [126] ſigno dato, [127] glabri ad miniſteria diſcurrant: [128] quantâ arte ſcindantur aues in fruſta non enormia: quàm curiosè infelices pueruli ebriorum [129] ſputa detergeant. Ex his elegantiæ lautitiæque fama captatur, & vſque eò in omnes vitæ [130] ſucceſſus mala ſua illos ſequuntur, vt nec bibant ſine ambitione, nec edant. Nec
B illos quidem inter otioſos numeraueris, qui ſellâ ſe & lecticâ huc & illuc ferunt, & ad geſtationum ſuarum, quaſi deſerere illas non liceat, horas occurrunt: quos, quando lauari debeant, quando [131] natare, quando cœnare, alius admonet: & vſque eò nimio delicati animi languore ſoluuntur, vt per ſe ſcire non poſſint, an eſuriant. Audio quendam ex delicatis (ſi modò deliciæ vocandæ ſunt, vitam & conſuetudinem humanam dediſcere) cùm ex balneo inter manus elatus, & in ſellâ poſitus eſſet, dixiſſe interrogando, [132] *Iam ſedeo?* Hunc tu ignorantem an ſedeat, putas ſcire an viuat, an videat, an otioſus ſit? Non facilè dixerim, vtrùm magis miſerear, ſi hoc ignorauit, an ſi ſe ignorare finxit. Multarum quidem rerum obliuionem ſentiunt, ſed multarum & imitantur: quædam vitia illos, quaſi felicitatis argumenta, delectant. Nimis humilis & contempti hominis eſſe videtur, ſcire quid faciat. I nunc, & mimos multa mentiri ad exprobrandam luxuriam puta. Plura mehercule prætereunt quàm fingunt: & tanta incredibilium vitiorum copia, ingenioſo in hoc vnum ſæculo, proceſſit, vt iam mimorum [133] arguere poſſimus
C negligentiam. [134] Eſſe aliquem, qui vſque eò deliciis interierit, vt an ſedeat, alteri credat? Non

Fæminarum erat, ſed & molles iſti vſurpabant. Artemidorus II. *Oniroer. cap.* VI. Πλέκεσθαι δὲ, γυναιξὶ μόναις συμφέρει· τοῖς δὲ ἀνδρῶν τοῖς ἔθος ἔχουσι: Capillos videri in ſomnio flecti in orbem, ſolis fœminis conducit, & virorum iis qui aſſuêrunt. *Fabius libro* I. Velli & comam in gradus frangere, quamlibet hæc inuaſerint ciuitatem, non erit conſuetudo. *Idem* XII. Ne intonſum caput, non in gradus atque anulos comptum. *De hac plicaturâ, adi Martianum Capellam lib.* IV. *initio.*

122. SONANT.] *At digiti in eâ menſione vix ſonant: igitur fortaſſe*, ſunt.

123. ARGENTVM.] *Menſæ miniſterium, in abaco ſiue Delficâ diſponant.*

D 124. SVCCINGANT.] *Horatius:*

Præcincti vt rectè pueri comptiq; miniſtrent.

Homerus de Eumæo:

Ὡς εἰπὼν, ζωσῆι θοῶς συνέεργε χιτῶνα.

125. APER A COCO.] *An in tempore aſſus, & in ἀκμῇ ſuâ ac vigore. Alij libri*, à coco cæſus exeat: *quod interpretatus ſum Poliorceticôn lib.* IIII. *Dialog.* I. *Editum tamen magis nunc probo, & teneo; quia meliores ſic libri.*

126. SIGNO DATO.] *A ſtructore, vel Domino. Noſter in Epiſt.* XCV. Tranſeo miniſtratorum turbam, per quos, ſigno dato, ad auferendam cænam diſcurritur. *Trimalcio ille Petronianus* ſymphoniâ ſignum *hoc dari curabat.*

127. GLABRI.] *Paullò antè* Exoleti: *& vides* Vietos *iſtos, vt ſuprà dixi in miniſteriis ferè fuiſſe.*

128. QVANTA ARTE.] *Epiſt.* XLVII. Alius pretioſas aues ſcindit, pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, in fruſta excutit. *De vitâ beatâ cap.* XVII. Et eſt aliquis ſcindendi obſonij magiſter.

129 SPVTA DETERG.] *Vide epiſt.* XLVII.

130. SVCCESSVS.] *An* ſeceſſus? *non in publico ſolùm ambitioſi & in pompam compoſiti ſunt, ſed domi & interiore vitâ.*

131. NATARE.] *Meus* pernoctare: *alij*, noctare. *ex quo Pincianus*, vectare. *At iam præiuit de Geſtatione: neſcio igitur an*, vnctare, *pro vngere. Vulgatam explices*, natare *in piſcinâ.*

132. IAM SEDEO?] *Simile, quod in Stobæi Sermon.* XXIX *legitur, etſi ab aliâ cauſâ.* Νικίας δὲ ἕτως ἦν φιλόπονος, ὥϛε πολλάκις ἐρωτᾶν τὺς οἰκέτας, εἰ λέλουκε, καὶ εἰ ἤρϛηκεν; Nicias autem ita in labore deditus, vt ſæpè ſeruos interrogaret an lauiſſet? an pranſus eſſet?

133. ARGVERE.] *Meus voce auget*, arguere minimè poſſimus: *an*, mimicè?

134. ESSE ALIQVEM.] *Rectè, & indignanter. meus tamen*, putas eſſe. *ex quo vellem*, Pudor! eſſe aliquem.

XIII. Non est ergo otiosus hic: aliud nomen imponas. æger est, imò mortuus est. Ille otio- A
sus est, cui otij sui sensus est: hic verò semiuiuus, cui ad intelligendos corporis sui habitus indice opus est. quomodo potest hic alicuius temporis dominus esse? Persequi singulos longum est: quorum aut [135] latrunculi, aut pila, aut [136] excoquendi in sole corporis cura, consumpsere vitam. Non sunt otiosi, quorum voluptates multum negotium habent. Nam de illis nemo dubitabit, quin operosè nihil agant, qui in litterarum [137] inutilium studiis detinentur: quæ iam apud Romanos quoque magna manus est. Græcorum iste morbus fuit, quærere quem numerum [138] remigum Vlixes habuisset: [139] prior scripta esset Ilias, an Odyssea: præterea an [140] eiusdem esset auctoris. Alia deinceps huius notæ: quæ siue contineas, nihil tacitam conscientiam iuuant; siue proferas, [141] non doctior videberis, sed molestior. Ecce [142] Romanos quoque inuasit inane studium [143] superuacua discendi. His diebus audiui quemdam sapientem referentem, quæ primus quisque ex Romanis ducibus fecisset. [144] Primus nauali prælio Duillius vicit, primus Curius Dentatus in triumpho duxit [145] elephantos. Etiamnum ista, & si ad veram glo- B
riam non tendunt, circa ciuilium tamen operum exempla versantur. Non est profutura talis scientia: est tamen quæ nos speciosâ rerum vanitate detineat. Hoc quoque quærentibus remittamus, quis Romanis primus persuasit nauem conscendere? Claudius is fuit: [146] Caudex ob hoc ipsum appellatus, [147] quia plurium tabularum contextus, caudex apud antiquos vocabatur: vnde publicæ tabulæ, codices dicuntur: & naues [148] nunc quo-

CAP. XIII. 135. LATRVNCVLI.] *Vide de Tranquill. cap.* XIV. *Epist.* CXVII.

136. EXCOQVENDI.] *De Tranquill. cap.* III. Quidam sole, & exercitatione corporis diem ducunt. *Insolabant se, & vngebant, & per plurimum sæpè diem. Persij Scholiastes, ad illud* -assiduo curata cuticula sole. Curata scilicet à chromatiariis. nam chromatiarij dicuntur colorarij, qui toto die in arenâ vel in sole.

137. INVTILIVM.] *Vtinam ne hodie! sed illud oraculum sedeat:*

Οὐ χρήσιμ' εἰδὼς, ἀλλ' ὁ πολλ' εἰδὼς, σοφός:
Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit.

138. REMIGVM.] *Non enim expressit Homerus. sed per argumenta captabant: vt quòd Alcinous eidem Vlyssi nauem dedit, & in eâ* LII. *viros: & quæ talia notabant.*

139. PRIOR SCRIPTA.] *Eustathius:* Ἐζήτασαν ἄλλοι πρὸς ἀκρίβειαν, ἐὰν ἡ Ἰλιὰς τῆς Ὀδυσσείας προπεποίηται, ἢ καὶ ἀνάπαλιν: Quæsierunt curiosè alij, an prior Vlyssæâ Ilias scripta esset, an contrà. *Caussa dubitandi, quia multa in Iliade, quæ intellegi sine Vlyssæâ non possunt; & quasi ibi dicta omittit. Nugæ. mente deformauerat totum opus vir diuinus: ideò alia alibi dicit, aut differt.*

140. EIVSDEM AVCT.] *Quis ille qui dubitat? non legi, & fatuus qui fecit. Hoc tantùm, plagij accusatum eum à quibusdam, quasi mulier quædam* Phantasia *nomine, scripsisset hos libros, & in templo Vulcani deposuisset, opido Memphi. Homerum venientem in Aegyptum repperisse, abstulisse, vindicasse. O vanissimam φαντασίαν!*

141. NON DOCTIOR.] *Scitè hoc Aristippus:* Sicut non qui plurimum comedunt aut exercentur, meliùs valent his qui necessaria adsumunt: sic non qui plurima, sed qui vtilia legerunt, habendi sunt eruditi.

142. ROMANOS.] *Tiberio, vel inter primos, auctore. Suetonius cap.* LXX. Maximè curauit notiam historiæ fabularis, vsque ad ineptias & derisum. Nam & Grammaticos eiusmodi fere quæstionibus experiebatur: Quæ mater Hecubæ? quod Achilli nomen inter virgines fuisset? quid Sirenes cantare solitæ sint?

143. SVPERVACVA.] *Et quæ scire tantùm, eò vt scias, pertinet: vt ait noster alibi.*

144. PRIMVS DVILLIVS.] *In lapide, ab illo æuo:* Rem nauebous marid consol primus gessit. *Tamen ante eum C. Mænius classe, vel classiculâ, Antiates vicit: & inde Rostra illa in foro. Florus* I. *cap.* XI. C

145. ELEPHANTOS.] *Plinium vide* VIII. *cap.* VI. *Florum* I. *cap.* XVIII.

146. CAVDEX.] *Suetonius Tib. cap.* II. *Polybius* I. *qui nauibus Locrensium, Tarentinorum, Neapolitanorum vsum scribit, ad traiectum. Auctor de viris illustribus:* App. Claudius Caudex Cæci frater fuit, primò ad explorandos hostes, fretum piscatoriâ naue traiecit. *Et ab eâ naui ego dictum malim, quàm quòd iusserit conscendere naues, vt noster. Nam minores illas, sic appellant. Ausonius:*

Nauita caudiceo fluitans super æquora lembo.

Nonius: Codicarias naues etiamnunc consuetudo appellat, eò quòd (*lego* eas, quæ) in fluminibus sint vsui. *Sallustius* IV. *Hist.* Contendit ad flumen Eufratem. & quanquam ad id naues codicariæ, occultè per hiemem fabricatæ, aderant. *Adde in eâ voce Festum.* Caudicarij, *sunt ipsi nautæ qui Tiberi annonam subuehunt. Cod. Theodos. lib.* I. De canone frumentario vrbis Romæ. *l.* IX. *De Suariis. Inscriptio vetus, in Smetio fol.* LXX. MENSORES PORTVENSES, QVIBVS VETVS FVIT CVM CAVDICARIIS DIVTVRNVMQVE CERTAMEN. D

147. QVIA PLVRIVM.] *Ex Varrone, apud Nonium:* Quòd antiqui plures tabulas coniunctas, Codices dicebant: à quo in Tiberi naues Codicarias appellamus.

148. NVNC QVOQVE QVÆ.] *Malim transponi*

A quoque, quæ ex antiquâ consuetudine per Tiberim commeatus subuehunt, caudicariæ vocantur. Sanè & hoc ad rem pertineat, quòd Valerius [149] Coruinus primus Messanam vicit, & [150] primus ex familiâ Valeriorum, vrbis captæ in se translato nomine Messana appellatus est, paullatimque vulgò permutante litteras, Messalla dictus est. Num & hoc quemquam curare permittas, quòd primus L. Sulla in circo [151] leones solutos dedit, cùm alioquin alligati darentur, ad conficiendos eos missis à rege Boccho iaculatoribus? & hoc sanè remittatur. Num & Pompeium primum in circo elephantorum [152] duodeuiginti pugnam edidisse, commissis more prœlij [153] noxiis hominibus, ad vllam rem bonam pertinet? Princeps ciuitatis, & inter antiquos principes, vt fama tradidit, bonitatis eximię, memorabile putauit spectaculi genus, nouo more perdere homines. Depugnant? parùm est. lancinantur? parùm est: ingenti mole animalium obterantur. Satius erat ista in obliuionem ire, ne quis posteà potens disceret, inuideretque rei minimè humanæ.

O quantum caliginis mentibus humanis obiicit magna felicitas! Ille se supra rerum XIV.
B naturam esse tunc credidit, cùm tot miserorum hominum cateruas [154] sub alio cælo natis beluis obiiceret; cùm bellum inter tam disparia animalia committeret; cùm in conspectu populi Romani multum sanguinis funderet, mox plus ipsum fundere coacturus. At idē posteà Alexandrinâ perfidiâ deceptus, vltimo mancipio transfodiendum se præbuit, tum demum intellectâ inani iactatione cognominis sui. Sed vt illò reuertar, vnde decessi, & in aliâ materiâ ostendam superuacuam quorumdam diligentiam: idem narrabat, Metellum victis in Siciliâ Pœnis, triumphantem, vnum omnium Romanorum ante currum [155] centum & viginti captiuos elephantos duxisse: [156] Sullam, vltimum Romanorum protulisse pomœrium, quod nunquam prouinciali, sed [157] Italico agro acquisito mos proferre apud antiquos fuit. Hoc scire magis prodest, quàm [158] Auentinum montem extra pomœrium [159] esse, vt ille affirmabat, propter alteram ex duabus caussis: aut quòd plebs eò secessisset, aut quòd Remo auspicante illo loco aues non addixissent. Alia deinceps innumerabilia, quæ aut ficta sunt, aut mendacij similia. Nam vt conce-
C das omnia eos fide bonâ dicere, vt [160] ad præstationem scribant: tamen cuius ista errores minuent? cuius cupiditates prement? quem fortiorem, quem iustiorem, quem liberaliorem

poni leuiter: nunc quoque ex antiquâ consuetudine, quæ per Tib.

149. CORVINVS.] *Errat. habuit cognomen* Maximi. *Fasti Capitolini*: M. Valerius, M. F. M. N. Maximus, qui in hoc honore Messalla appellatus est. *Id factum anno V.* CDXC. *Macrobius* I. *Satur.* Valerius Maximus, postquàm Messanam vrbem nobilissimam Siciliæ cepit, Messalla cognominatus est.

150. PRIMVS EX.] *Benè additum, ex eâ familiâ: nam ex alius, ante eum adepti hunc honorem: vt Marcus Coriolanus, Sergius Fidenas.*

D 151. LEONES SOLVTOS.] *Rem satis notabilem, miror non notatam aliis esse. At Liuij in hac parte scripta desiderantur: Plinius silet. qui hoc dumtaxat,* L. Sullam centum iubatorum leonum pugnam, primum omnium, in Prætură dedisse. *Caute lege, nec ad numerum solùm, sed ad tales, id est iubatos adstringe: alioqui assertio lababit. Sed nihil ipse aut alij de* solutis: *id est, qui catenis aut vinclis non alligarentur, & pleno impetu ac robore vti possent. Obserua, siquis res Venationis Romanæ.*

152. DVODEVIGINTI.] *Plinius:* Pompeij quoque altero Consulatu, dedicatione templi Veneris Victricis, pugnauêre in Circo XX. aut vt quidam tradunt XIIX. elephanti Gætulis ex aduerso iaculantibus.

153. NOXIIS.] *Ita vulgò fiebat, & Seneca non nimis intentus scripsit. At Plinius iam dixit,* Gætulos *cum iis commissos: quos noxæ damnatos non opinor.*

CAP. XIV. 154. SVB ALIO.] *Ergo non de* Gætulis *cum Plinio & re gestâ, censet: sed, vt dixi, populariter scripsit.*

155. CENTVM ET XX.] *Ita & Liuij epitoma* XIX. *At Orosius, Eutropius, Florus, variant in numero; tamen accedunt. Plinius vniuersè effert:* L. Metellus, qui plurimos (*ita lege*) elephantos primo bello Punico duxit in triumpho. *Sidonius, Panegyrico ad Anthemium,* elephanta frequentem *pariter dixit, sed non adnumerauit.*

156. SVLLAM VLTIMVM.] *Assertio falsa, nisi* Romanos *intellegit in libertate: quomodo* Cassius & Brutus, vltimi Romanorum, *alius dicti. Nam certè post eum Iulius & Augustus Cæsares: quâ de re ad Annalem* XII. *Taciti scripsi. Ipsum ibi Tacitum vide, & Vopiscum in Aureliano.*

157. ITALICO AGRO.] *Miror. & quæ ratio est?*

158. AVENTINVM.] *De totâ re, adi Agellium libro* XIII. *cap.* XIV.

159. ESSE.] *Ego hoc interrogatione acuam.*

160. AD PRÆSTATIONEM.] *Id est, vt ipsi scripti dictiq; periculum suscipiant: & nisi ita sit, luant.*

161. No-

raliorem facient? Dubitare se interim Fabianus noster aiebat, an satius esset nullis studiis A
admoueri, quàm his implicari. Soli omnium otiosi sunt, qui sapientiæ vacant: soli viuunt. nec enim suam tantùm ætatem benè tuentur: omne æuum suo adiiciunt. Quidquid annorum ante illos actum est, illis acquisitum est. Nisi ingratissimi sumus, illi clarissimi sacrarum opinionum conditores, nobis nati sunt,[161] nobis vitam pręparauerunt. Ad res pulcherrimas, ex tenebris ad lucem erutas, alieno labore deducimur: [162] nullo nobis sæculo interdictum est: in omnia admittimur: & si magnitudine animi egredi humanæ imbecillitatis angustias libet, multum per quod spatiemur temporis est. [163] Disputare cum Socrate licet, [164] dubitare cum Carneade, cum Epicuro [165] quiescere, hominis [166] naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis [167] excedere, cum rerum naturâ [168] in consortium omnis æui [169] pariter incedere. Quídni ab hoc exiguo & caduco temporis transitu, in illa nos toto demus animo, quæ immensa, quæ æterna sunt, quæ cum melioribus communia? Isti qui per officia discursant, qui se aliosque inquietant, cùm benè insanierint, cùm omnium limina quotidie perambulauerint, nec vllas apertas fores præ- B
terierint, cùm per diuersas domos [170] meritoriam salutationem circumtulerint: quotumquemque ex tam [171] immensâ, & variis cupiditatibus districtâ, vrbe poterunt videre? quàm multi erunt, quorũ illos aut somnus, aut luxuria, aut inhumanitas submoueat? quàm multi, qui illos, cùm diu torserint, simulatâ festinatione transcurrant? quàm multi per refertũ clientibus atrium prodire vitabunt, & per obscuros ædiũ aditus profugient? quasi non inhumanius sit decipere, quàm excludere. quàm multi hesternâ crapulâ semisomnes & graues, illis miseris [172] somnũ suum rumpentibus, vt alienum [173] exspectẽt, vix alleuatis labiis [174] insusurratum millies nomen, oscitatione superbissimâ reddent? Hos in [175] veris officiis morari licet dicamus, qui Zenonem, qui Pythagoram quotidie, & Democritum, ceterosque antistites bonarum artium, qui Aristotelem & Theophrastum volent habere quam familiarissimos. nemo horum non vacabit, nemo non venientem ad se beatiorem, amantioremq; sui dimittet, nemo quemquam vacuis à se manibus abire patietur. Nocte conueniri, & interdiu, ab omnibus mortalibus possunt. Horum te C
[176] mori nemo coget, omnes docebunt: horum nemo annos tuos conteret, suos tibi contribuet: nullius ex his sermo periculosus erit, nullius [177] amicitia capitalis, nullius
XV. [178] sumptuosa obseruatio. Feres ex his, quidquid voles: per illos non stabit, quo minus

161. NOBIS VITAM.] *Velim*, viam.

162. NVLLO NOBIS SÆC.] *Omnia tempora, omnis orbis, nobis patet & reclusus est. O rem pulchram, ô magnam, si quis considerat!*

163. DISPVTARE.] *Nam hoc eius proprium, & semper ille διαλογιστὴς & inquisitor.*

164. DVBITARE.] *Quod Academiæ proprium, quæ variè deinde secta.*

165. QVIESCERE.] *Qui finis Epicuro, vacare perturbationibus, & in tranquillo esse.*

166. NATVRAM.] *Hanc corruptam & effrænem. Alioqui finis, iuxta Stoicos, viuere secundùm naturam.*

167. EXCEDERE.] *Ita videbantur; sed rectâ interpretatione, vt Diogenes aiebat, μιμεῖσθε τὸς χορῳδιδασκάλους. καὶ γὰρ ἐκεῖνος ὑπὲρ τὸν τόνον ᾄδειν, ἵνα τὸς λοιποὺς ἅψασθαι τοῦ σωστοῦ τόνου: imitari magistros chori. nam & illos aliquid super tonum excedere, vt alij ad iustum & consonum eum accedant: Laërtius.*

168. IN CONSORTIVM.] *Id est, cum Naturâ illâ æternâ, & rerum parente, omnia præterita, & præsentia videre, ac nosse. Natura autem illa Deus.*

169. PARITER.] *Meus*, patiatur.

170. MERITORIAM.] *Quæ aliquid meretur, aut exspectat. Non enim gratuita est. Ita* meritoria vehicula, equi, cubicula.

171. IMMENSA.] *Spectat ad magnitudinem Romæ, satiùs à me alibi assertam.*

172. SOMNVM SVVM.] *Iuuenalis:*

-habet Trebius, propter quod rũpere somnum
Debeat, & ligulas dimittere, sollicitus ne
Tota salutatrix iam turba peregerit orbem. D

173. EXPECTENT.] Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.

174. INSVSVRRATVM.] *A nomenclatoribus. qui ideò* Farctores *dicti (ait Festus)* quòd clàm velut infarcirent nomina salutatorum in aurem.

175. VERIS OFFICIIS.] *Verè officiosos esse, & viiliter alios colere.*

176. MORI NEMO.] *Tibi ô Seneca factum. Cole Neronem tuum, forma, doce: quo præmio? mortis.*

177. AMICITIA CAPITALIS.] *Vt in Seiano, ac talibus: quos coluisse, fraudi fuit.*

178. SVMPTVOSA.] *Nam munera & ipsis dabant, suis illis patronis siue, vt appellabant, regibus (in Na-*

A minus quantum plurimum ceperis, haurias. Quæ illum felicitas, quàm pulchra ſenectus manet, qui ſe in horum clientelam contulit? habebit cum quibus de minimis maximiſque rebus deliberet, quos de ſe quotidie conſulat, à quibus audiat verum ſine contumeliâ, laudetur ſine adulatione, ad quorum ſe ſimilitudinem effingat. Solemus dicere, non fuiſſe [179] in noſtrâ poteſtate, quos ſortiremur parentes: [180] ſorte nobis datos. nobis verò ad noſtrum arbitrium [181] naſci licet. Nobiliſſimorum ingeniorum [182] familię ſunt. elige in quam adſciſci velis: non in nomen tantùm adoptaberis, ſed in ipſa bona. quæ non erunt ſordidè nec malignè cuſtodienda: maiora fient, quò illa pluribus diuiſeris. Hi tibi dabunt ad æternitatem iter, & te in illum locum, ex quo nemo eiiciet, ſubleuabunt: hæc vna ratio eſt extendendæ mortalitatis, imò in immortalitatem vertendæ. Honores, monumenta, quidquid aut [183] decretis ambitio [184] iuſſit, aut operibus exſtruxit, citò ſubruitur: nihil non longa demolitur vetuſtas, [185] & mouet ociùs, quod conſecrauit. Sapientiæ noceri non poteſt. nulla delebit ætas præſens, nulla diminuet ſequens, ac dein-
B de ſemper vlterior aliquid ad venerationem conferet. quoniam quidem [186] in vicino verſatur inuidia: ſimpliciùs longè poſita miramur. Sapientis ergo multum patet vita: non idem illum qui ceteros terminus includit. ſolus generis humani legibus ſoluitur: omnia illi ſæcula, vt Deo ſeruiunt. Tranſiuit tempus aliquod? hoc recordatione comprehendit. inſtat? hoc vtitur. venturum eſt? hoc præcipit. Longam illi vitam facit, omnium temporum in vnum collatio. Illorum breuiſſima ac ſolicitiſſima ætas eſt, qui præteritorum obliuiſcuntur, præſentia negligunt, de futuro timent: cùm ad extrema venerint, ſerò intelligunt miſeri, tamdiu ſe, dum nihil agunt, occupatos fuiſſe. Nec eſt quòd hoc XVI.
argumento probari putes, longam illos agere vitam, quia interdum [187] mortem inuocant. Vexat illos imprudentia incertis affectibus, & incurrentibus in ipſa quæ metuunt. mortem ſæpè ideò optant, [188] quia timent. Illud quoque argumentum non eſt, quod putes diu viuentium, quòd ſæpè illis longus videtur dies: quòd dum veniat condictum tempus cœnæ, tardè ire horas queruntur. nam ſi quando illos deſerunt occupationes, in
C otio relicti æſtuant, nec quomodo id diſponant, aut extrahant, ſciunt. Itaque ad occupationem aliquam tendunt, & quod interiacet, omne tempus graue eſt: tam mehercules, quàm cùm dies muneris gladiatorij edictus eſt, aut cùm alicuius alterius vel ſpectaculi vel voluptatis exſpectatur [189] conſtitutum, tranſilire medios dies volunt. Omnis illis ſperatæ rei longa dilatio eſt. At illud tempus, quod amant, breue eſt, & præceps, breuiuſq; multo fit ſuo vitio: aliunde enim aliò transfugiunt, & conſiſtere in vnâ cupiditate non poſſunt. non ſunt illis longi dies, ſed inuiſi. At contrà, quàm exiguæ noctes videntur, quas in complexu ſcortorum, aut vino exigunt? Inde etiam poëtarum furor, fabulis huma-

(in Natali, in Opere nouo, in Nuptiis, aliaq; occaſione:) & item ſeruis eorum admiſſionalibus, aut qui ad limen. Iuuenalis:

—— quid das, vt Coſſum aliquando ſalutes?
Idem: —— præſtare tributa clientes
D Cogimur, & cultis augere peculia ſeruis.

CAP. XV. 179. IN NOSTRA POTEST.] *Arrianus* I. *Diſſertat. cap.* XII. Me miſerum! patrem habeo talem, & matrem. Quid ergo? tibi naſcituro poteſtáſne data eligendi, & dicendi: Iſte cum iſtâ, iſtac horâ congrediatur, vt ego naſcar? non eſt data.

180. SORTE NOBIS.] *Ita eſt, ſed tamen offendit repetitio, & præceſſit*, quos ſortiremur: *ac poſſint tres eæ voculæ abeſſe.*

181. NASCI.] *Animis ſortiri parentes, quos libet.*

182. FAMILIÆ.] *Cicero* III. *De Oratore.* A Socrate proſeminatæ ſunt quaſi familiæ, diſſentientes inter ſe & multum diſiunctæ. *Idem* II. *De diuinatione.* Peripateticorum familia: *id eſt, ſecta.*

183. DECRETIS.] *De aliquo honorando.*

184. IVSSIT.] *Aliena ambitio iuſſit, & nobis ablandiens. ſciuit, hoc & hoc fieri.*

185. ET MOVET OCIVS.] *Ex librorum veſtigiis, hîc vacillantium, legas:* At manet otium, quod conſecrauit ſapientia: ei nocere non poteſt. *Siue etiam:* & mouet. At iis quos conſecrauit ſapientia, noceri non poteſt.

186. IN VICINO.] *Velleius Paterculus:* Præſentia inuidiâ, præterita veneratione proſequimur: & his nos obrui, illis inſtrui credimus.

CAP. XVI. 187. MORTEM INVOCANT.] *Democritus:* Ἀνοήμονες τὸ ζῆν φυγέοντες, ζῆν ἐθέλουσι δείματι αἰδέω: Stulti, vitam odientes, viuere cupiunt mortis metu.

188. QVIA TIMENT.] *Idem ſapiens:* Ἄνθρωποι τὸν θάνατον φεύγοντες, διώκουσιν: Homines mortem fugientes, appetunt.

189. CONSTITVTVM.] *Dies tempúſve ſtatutum, & dictum. Varro de R. R.* II. Cùm alius conuiciatus eſſet, qui tam ſerò veniſſet ad conſtitutum.

190. Dv.

humanos errores alentium, quibus visus est Iupiter, voluptate concubitus delinitus, A
[190] duplicasse noctem. Quid aliud est vitia incendere, quàm auctores illis inscribere deos, & [191] dare morbo, exemplo [192] diuinitatis, excusatam licentiam? Possunt istis non breuissimæ videri noctes, quas tam carè mercantur? diem noctis exspectatione perdunt, noctem [193] lucis metu. Ipsæ voluptates eorum trepidæ, & variis terroribus inquietæ sunt, subitque cum maximè exsultantes sollicita cogitatio: *Hæc quàm diu?* Ab hoc affectu reges suam fleuere potentiam: nec illos magnitudo fortunæ suæ delectauit, sed venturus aliquando finis exterruit. Cùm per magna camporum spatia porrigeret exercitum, nec numerum eius, sed [194] mensuram comprehenderet Persarum rex insolentissimus, lacrimas fudit, quòd intra centum annos nemo ex tantâ iuuentute superfuturus esset. At illis erat admoturus fatum ille ipse, qui flebat, perdituruſque alios in terrâ, alios in mari, alios in prælio, alios in fugâ, & intra exiguum tempus consumpturus illos, quibus centesimum
XVII. annum timebat. Quid, quòd gaudia quoque eorum trepida sunt? non enim solidis caussis innituntur, sed eâdem quâ oriuntur, vanitate turbantur. Qualia autem putes B
tempora esse, etiam ipsorum confessione misera: cùm hæc quoque, quibus se attollunt, & supra hominem efferunt, parùm sincera sint? [195] Maxima quæque bona sollicita sunt: nec vlli fortunæ minùs bene, quàm optimæ, creditur. Aliâ felicitate ad tuendam felicitatem opus est: & pro ipsis, quæ successerunt votis, vota facienda sunt. Omne enim, quod fortuitò euenit, instabile est: quò altiùs surrexit, vergit proniùs in occasum. neminem porrò casura delectant. Miserrimam ergo necesse est, non tantùm breuissimam, vitam eorum esse, qui magno parant labore, quod maiore possideant: operosè assequuntur quæ volunt, anxij tenent quæ assecuti sunt. Nulla interim numquam ampliùs rediturі temporis est ratio. Nouæ occupationes veteribus substituuntur, spes spem excitat, ambitionem ambitio: miseriarum non finis quæritur, sed materia mutatur. Nostri nos honores torserunt? plus temporis alieni auferunt. Candidati laborare desiuimus? suffragatores incipimus. [196] Accusandi deposuimus molestiam? iudicandi nanciscimur. Iudex desiit esse? quæsitor est. Alienorum bonorum mercenaria procuratione consenuit? suis C
opibus detinetur. Marium [197] caliga dimisit? consulatus exercet. Quintius dictaturam properat euadere? ab aratro reuocabitur. Ibit in Pœnos nondum tantæ [198] maturus rei Scipio, victor Hannibalis, victor Antiochi, [199] sui consulatus decus, fraterni [200] sponsor: ni per ipsum mora sit, [201] cum Ioue reponetur? [202] ciuiles seruatorem agitabunt seditiones

190. DVPLICASSE.] *Passim poëtæ*, triplicasse: *nec ideò tamen hîc rescribam. Nam alij aliter. vt Diuus Hieronymus:* Duas noctes Iupiter copulauit, vt magnæ fortitudinis Hercules nasceretur. *Statius* IV. *Silu.*

O bona nox, iunctaq; vtinâ Tyrinthia Lunâ!

191. DARE MORBO.] *Vitio, affectui: Stoico sermone. Inde Sani, & Insani.*

192. DIVINITATIS.] *Nam vt Ion ille apud Euripidem, Phœbi libidines accusans:*

——ἀκέτ' ἀνθρώπους κακῶς
Λέγειν δίκαιον, εἰ τὰ τῆς θεῶν κακὰ
Μιμούμεθ', ἀλλὰ τοὺς διδάσκοντας τάδε:

—hominibus haud nunc ampliùs
Fas est malè loqui aut carpere, ipsi cum Deûm
Imitamur acta; sed Deos, hæc qui docent.

Seneca De Vit. beat. cap. XXVI. Quibus nihil aliud actum est, quàm vt pudor hominibus peccandi demeretur, si tales deos credidissent.

193. LVCIS METV.] *Dum trepidè eâ fruuntur, cogitatione venturæ mox lucis.*

194. MENSVRAM.] *Herodotus* VII. *connumeratos ita ait, vt* decem millia simul in vnum locum venirent, iisque sepem circumdarent vmbilico tenus: tum iterùm alia dena, & sic deinceps. *De Xerxe sunt ista.*

CAP. XVII. 195. MAXIMA QVÆQVE.] *Aeschylus, in Septem ad Thebas:* Πρόφρυμνα δ' ἐμβολὰν φέρει ἀνδρῶν ἁλφηστῶν ὄλβος ἄγαν παχυνθείς: Citò casum minatur & adfert virorum felicium fortuna, nimis pinguis.

196. ACCVSANDI.] *Communius esset*, actitandi.

197. CALIGA.] *Desiit gregarius miles esse.*

198. MATVRVS.] *Annos natus* XXIV.

199. SVI CONSVLATVS.] *Duos gessit. vide Fastos.* D

200. SPONSOR.] *Nam diffidebant L. Scipioni, nec temerè ei Consuli bellum Antiochi credebant. Ipse intercessit, & legatum se fratri iturum promisit. Ita quasi de successu spopondit.*

201. CVM IOVE.] *Ex Valerio interpretare, lib.* IV. *cap.* I. Voluerunt illi (*Africano*) statuas in comitio, in rostris, in curiâ, in ipsâ denique Iouis opt. max. cellâ ponere; voluerunt imaginē eius, triumphali ornatu indutam, puluinaribus Capitolinis applicare; voluerunt continuum Consulatū. quorum nullum sibi neque plebiscito dari, neque Sc^to. decerni patiendo, pænè tantum in honoribus recusandis gessit, quantum in emerendis. *Adde eumdem* VIII. *cap.* XV.

202. CIVILES.] *Tribuniciæ, & in togâ. Istæ autem*

A nes, & poſt faſtiditos à iuuene diis æquos honores, iam ſenem contumacis [203] exſilij delectabit ambitio. Numquam deerunt vel felices, vel miſeræ ſolicitudinis cauſſæ: per occupationes [204] intercludetur otium: numquam agetur, ſemper optabitur. Excer- XVIII.
pe itaque te vulgo, Paulline cariſſime, & in tranquilliorem portum, [205] non pro ætatis ſpatio iactatus, tandem recede. Cogita quot fluctus ſubieris, quot tempeſtates partim priuatas ſuſtinueris, partim publicas [206] in te conuerteris. Satis iam per laborioſa & inquieta documenta exhibita virtus eſt: experire quid in otio faciat. Maior pars ætatis, certè [207] melior, Reip. data ſit: aliquid temporis tui ſume etiam tibi. Nec te ad ſegnem aut inertem quietem voco: non vt ſomno, & caris turbæ voluptatibus, quidquid eſt in te indolis viuæ, demergas. Non eſt iſtud quieſcere. inuenies maiora omnibus adhuc ſtrenuè tractatis operibus, quæ repoſitus & ſecurus agites. Tu quidem [208] orbis terrarum rationes adminiſtras, tam abſtinenter quàm alienas, tam diligenter quàm tuas, tam religiosè quàm publicas. in officio amorem conſequeris; in quo [209] odium vitare difficile eſt: ſed
B tamen, mihi crede, ſatius eſt vitæ ſuæ rationes, quàm frumenti publici noſſe. Iſtum animi vigorem, rerum maximarum capaciſſimum, à miniſterio [210] honorifico quidem, ſed parùm ad beatam vitam apto, ad te reuoca: & cogita, non id egiſſe te ab ætate primâ, omni cultu ſtudiorum liberalium, vt tibi multa millia [211] frumenti committerentur. maius quiddam & altius de te promiſeras. Non deerunt & frugalitatis exactæ homines, & laborioſæ operæ. Tanto aptiora exportandis oneribus tarda iumenta ſunt, quàm nobiles equi: quorum generoſam pernicitatem quis vnquam graui ſarcinâ preſſit? Cogita præterea, quantum ſollicitudinis ſit, ad tantam te molem obiicere. [212] cum ventre humano tibi negotium eſt: nec rationem patitur, nec æquitate mitigatur, nec vllâ prece flectitur populus eſuriens. Modò intra paucos illos dies, quibus C. Cæſar periit, ſi quis inferis ſenſus eſt, hoc grauiſſimè ferens, quòd [213] decedebat populo Romano ſuperſtite, ſeptem aut octo certè dierum cibaria [214] ſupereſſe, dum ille [215] pontes [216] nauibus iungit, & viribus imperij [217] ludit, aderat [218] vltimum malorum obſeſſis quoque, alimentorum egeſtas.
C

autem accuſationes, ob pecuniam Aſiaticam non ex fide (ita aiebant) adminiſtratam.

203. EXSILII.] *Quod Linterni egit, ibi mortuus. Seneca, epiſt.* LXXXVI. *Liuius* XXXVIII. *diffusè, Valerius* V. *cap.* III.

204. INTERCLVDETVR.] *Meus*, vitæ. *benè, ſi diſtinguis*: per occupationes vitæ, otium numquam agetur.

CAP. XVIII. 205. NON PRO ÆTATIS.] *Id eſt, plus diutiuſq; iactatus, quàm ætas tua ferre videbatur. Apparet iuuenem, aut certè viridem ad hoc munus veniſſe: vt & mox*, Maior pars ætatis, certè melior reip. data ſit. *Et cap. ſeq.* Nunc dum calet ſanguis.

D 206. IN TE CONVERT.] *Fidem eius obiter laudat, & quòd inimicitias aut odia, vſui publico ſuſceperit, licitum vitare.*

207. MELIOR.] *Viridis & integra.*

208. ORBIS TERRARVM.] *Omnino præfectus annonæ fuit, nec audio qui Vectigalibus præponunt. Nam diu in iſto munere fuit: in illo, non potuit. Quòd autem ait* orbis terrarum: *quid miri? nam etſi ex Africâ & Aegypto plurimum: tamen & è prouinciis aliis aduehebatur, decumarum titulo, aut interdum emptionis.*

209. ODIVM VITARE.] *Siue quia arduum tot millibus hominum ſatisfacere. his dare, his negare; hos admittere ad teſſeras in locum mortuorum, hos repellere: ſiue vniuersè odioſa res, cum ventre agere. nunc non ſatis, non tempore, non bonum frumentum metiri: vt ſunt interpretantes.*

210. HONORIFICO QVIDEM.] *Sed mutauit poſteà. Boëthius in Conſol. lib.* III. Siquis quòndam populi curaſſet annonam, magnus habebatur: nunc eâ Præfecturâ quid abiectius? *Nec mirum, quia nec talis diſtributio: longè aberat. At olim, ſecundus ille à Præfecto vrbis.*

211. FRVMENTI.] *Vett. voce additâ*, benè committerentur: *at meus*, verè. *ex quo ego*, viro *vellem.*

212. CVM VENTRE.] *Homerus Odyſſ. ρ. verſ.* CCLXXXI.

Γαςέρα δ' οὔτως ἐςὶν ἀπορρύψαι μεμαῖαν
Οὐλομένην, ἣ πολλὰ κακ' ἀνθρώποισι δίδωσι:

Ventrem fallere non fas, aut differre latrãtem,
Exitioſum, qui mala dat mortalibus ægris.

& plura, quæ addit.

213. DECEDEBAT.] *Libri* dicebat: *ſed puto Pincianum optimè ſic correxiſſe. Notum enim odium eius in vniuerſum populum, voce eâ palàm teſtatum:* Vtinam vnam ceruicem haberetis!

214. SVPERESSE.] *Legendum*, ſupererant.

215. PONTES.] *Inter Puteolos & Baulos, ſtupendo opere, maria conſternens. Dio videatur, & Suetonius Calig. cap.* XIX.

216. NAVIBVS.] *Et eas quoque contrahit & tenet, quæ frumentum adferrent.*

217. LVDIT.] *An* illudit.

218. VLTIMVM MALORVM.] *Homerus Od. μ.*

egestas. Exitio pænè ac fame constitit, & quæ famem sequitur rerum omnium ruinâ, furiosi, & externi, & infeliciter [219] superbi regis imitatio. Quem tunc animum [220] habuerunt illi, quibus erat mandata frumenti publici cura? ferrum, [221] saxa, ignes, [222] Caium excepturi, summâ dissimulatione tantum inter viscera latentis mali tegebant: cum ratione scilicet. Quædam enim ignorantibus ægris curanda sunt. caussa multis morien-
XIX. di fuit, morbum suum nosse. Recipe te ad hæc tranquilliora, tutiora, maiora. Simile tu putas esse, vtrùm cures, vt incorruptum à [223] fraude aduehentium & [224] negligentiâ frumentum transfundatur in [225] horrea, ne concepto humore vitietur, & concalescat, vt ad mensuram ponduſque respondeat: an ad hæc sacra & sublimia accedas, sciturus [226] quæ natura sit diis, quæ [227] voluntas, quæ [228] condicio, quæ [229] forma? quis animum tuum casus exspectet, [230] vbi nos à corporibus dimissos natura componat? quid sit, quod huius mundi grauissima quæque in medio sustineat, supra leuia suspendat, in summum ignem ferat, sidera [231] cursibus suis excitet? Cetera deinceps ingentibus plena miraculis. Vis tu, relicto solo, mente ad ista respicere? nunc dum calet sanguis, vigentibus ad meliora eundum est. Exspectat te in hoc genere vitæ multum bonarum artium, amor virtutum atque vsus, cupiditatum obliuio, viuendi atque moriendi scientia, alta rerum quies. Omnium quidem occupatorum condicio misera est: eorum tamen miserrima, qui ne suis quidem occupationibus laborant. ad alienum dormiunt somnum, ad alienum ambulant gradum, ad alienum comedunt appetitum; amare & odisse, [232] res omnium liberrimas, iubentur. Hi si velint scire, quàm breuis ipsorum vita sit, cogitent, ex quotâ parte sua sit. Cùm videris itaque [233] prætextam sæpè iam sumptam, cùm celebre in foro nomen, non inuideris. ista vitæ damno parantur: vt vnus ab illis [234] numeretur annus, omnes annos suos conterent. Quosdam, cùm in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes, ætas reliquit; quosdam cùm in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subiit cogitatio, ipsos laborasse [235] in titulum sepulcri: quorumdam vltima senectus, dum in nouas spes vt iuuenta disponitur, inter
XX. conatus magnos & improbos, inualida defecit. Fœdus ille, quem in iudicio pro igno-

Πάντες μὲν σύγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
Λιμῷ δ' οἰκτίστον θανέειν καὶ ποτμὸν ὀπάσσαι:
Dura quidem miseris mors est mortalibus omnis,
Sed periisse fame, res vna miserrima longè.
Liuius XXI. Licuit ad Erycem clausos, vltimo supplicio humanorum, fame interficere.

219. SVPERBI REGIS.] *Xerxis. Alia causſa in Suetonio.*

220. HABVERVNT ILLI.] *Et Præfectus, & Curatores alij. Sed nónne ipse Paullinus tunc erat? opinor. nam multos annos gessisse, indicauit. Tamen non ad ipsum dirigit, quia plures inclusit.*

221. SAXA, IGNES.] *Vt in seditione solet. Virgilius:* Iamque faces & saxa volant. *Ergo* ignes, *hîc faces. Possunt & trahi ad ignes, quos domibus minabantur eorum, quos petebant.*

222. CAIVM EXCEPT.] *Alij*, gladium. *Illud firmes & explices è* III. *de Irâ, cap.* XIX. Torserat fidiculis, eculeo, igne, vultu suo. *Quasi Caij vultus & ira super omnia tormenta, aut tela.*

CAP. XIX. 223. FRAVDE.] *Nequid minus.*

224. NEGLEGENTIA.] *Ne corruptum.*

225. HORREA.] *Publica, quæ per singulas regiones vrbis (ab Augusto, opinor) structa huic fini erant, sanè multa. Circiter* CCCVI. *credo P. Victorem, descriptione vrbis, adnumerasse.*

226. QVÆ NATVRA.] *Meus & alij prisci,* quæ materia sit dei. *Dei, nempe totius mundi, ex Stoicorum scito. Illi definiunt Deum,* σῶμα νοερὸν, καὶ νῦν ἐν ὕλῃ: corpus intellegens, & mentem in materiâ. *Plura alibi de hac sententiâ: sed hîc igitur vult quæri, de materiâ cui hæc mens iuncta.*

227. VOLVNTAS.] *Semper bona. At meus aliique libri,* voluptas. *Nempe delectatur ipse se, & opere suo.*

228. CONDITIO.] *Iouis vnius æterna, ceteri* ἐκπυρώσει *pereunt: Stoicis dico.*

229. FORMA.] *Iisdem, rotunda. Epist.* CXIII. *& in Menippæâ, de Claudio.*

230. VBI NOS.] *Vide epist.* LXIV. *in fine.*

231. CVRSIBVS.] *Meus, & plures:* ciuibus. *Fuerit,* vicibus: *& ad Solem Lunámque, sed & planetas, refert.*

232. RES OMNIVM LIB.] *Plinius Panegyrico:* Neque enim vt alia subiectis, ita amor imperatur: neque est vllus affectus tam erectus & liber, & dominationis impatiens, quique magis vices exigat.

233. PRÆTEXTAM.] *Magistratum iteratum.*

234. NVMERETVR.] *Vt Consules ordinarij fiant. De Irâ* III. *cap.* XXX.

235. IN TITVLVM.] *Vno fructu, vt sepulchro honores inscriberentur. Ita enim solenne. poeta:*
——titulo res digna sepulchri.

CAP.

A ignotiſſimis litigatoribus grandem natu, & imperitæ coronæ aſſentationes captantem, ſpiritus liquit. turpis ille, qui viuendo laſſus citiùs quàm laborando, inter ipſa officia collapſus eſt. turpis, quem accipiendis immorientem rationibus, [236] diu tractus iiſit heres. Præterire quod mihi occurrit exemplum, non poſſum. [237] Turannius fuit exactę diligentiæ ſenex: qui poſt annum nonageſimum, cùm vacationem procurationis à C. Cæſare vltrò accepiſſet, componi ſe in lecto, & velut exanimem à circumſtante familiâ plangi iuſſit. Lugebat domus otium domini ſenis, nec finiuit antè triſtitiam, quàm labor illi ſuus reſtitutus eſt. Adeóne iuuat occupatum mori? Idem pleriſque animus eſt: diutiùs cupiditas illis laboris, quàm facultas eſt: cum imbecillitate corporis pugnant: ſenectutem ipſam nullo alio nomine grauem iudicant, quàm quòd illos ſeponit. Lex [238] à quinquageſimo anno militem non cogit, [239] à ſexageſimo ſenatorem non citat: difficiliùs homines à ſe otium impetrant, quàm à lege. Interim dum [240] rapiuntur & rapiunt, dum alter alterius quietem rumpit, dum mutuò ſunt miſeri, vita eſt ſine fructu,
B ſine voluptate, ſine vllo profectu animi: nemo in conſpicuo mortem habet, nemo non procul ſpes intendit. Quidam verò diſponunt etiam illa quæ vltra vitam ſunt, moles magnas ſepulcrorum, & [241] operum publicorum dedicationes, & ad rogum [242] munera & ambitioſas exſequias. At mehercule iſtorum funera, tamquam minimum vixerint, [243] ad faces & ad cereos ducenda ſunt.

CAP. XX. 236. DIV TRACTVS.] *Longâ eius vitâ. diu ſperauit, tandem compos.*

237. TVRANNIVS.] *Fuit hoc nomine Præfectus annonæ ſub Tiberio & Auguſto: ſed is non poteſt eſſe. quare? quia ipſe Paullinus iamdiu hoc munus habuerat: quod non potuit, ſi ſub Caligulâ iam iſte. Deinde Seneca ait*, vacationem Procurationis accepiſſe: *ergo potiùs Procurator aut Rationalis Principis fuit.*

238. A QVINQVAGESIMO.] *Veteri iure, vaca-*
C *bant poſt id tempus. Nos in Militiâ, lib.* I.

239. A SEXAGESIMO.] *An* ſexageſimoquinto? *Ita Senecâ patre legitur Controu. vltimâ, libri primi. Et mihi maturè nimis mitti Senator videatur, in æuo, quod Prudentiæ maximè factum.*

240. RAPIVNTVR.] *Trahuntur, prenſantur.*

241. OPERVM.] *Quæ patriæ, & memoriæ ſuæ dicant.*

242. MVNERA.] *Gladiatorios & funebres ludos. Ego in Saturnal.*

143. AD FACES.] *Apparet pueros, & acerba funera, ad faces elata, ſed cereis immixtis. Ita noſter De Tranquill. cap.* XI. *& in epiſt.* CXXII. *Credo etiam ſubtracta oculis, & noctu elata: ideoq; meritò ad faces. Seruius:* Virgilius Pallantis corpus facit excipi facibus, quia Acerbum funus. *Et præmiſerat*, moris Romani eſſe, vt impuberes noctu efferrentur ad faces. *Eâ mente, Nero feſtinationem exſequiarum Britannici defendit, in Taciti* XIII. A maioribus inſtitutum referens, ſubtrahere oculis Acerba funera, neque laudationibus aut pompâ detinere. *Addo etiam, quòd planè pueri ne combuſti quidem ſint, ſed conditi. Iuuenalis:*

— terrâ clauditur infans,
Et minor igne rogi.

Plinius: hominem, priuſquam edito dente, non tremari. *Plutarchus, Epiſtolâ ſolatoriâ ad vxorem:* Τοῖς γὰρ νηπίοις ἀποθανοῦσιν οὔτε χοὰς ἐπιφέρουσιν, οὔτ' ἄλλα δρῶσι περὶ αὐτὰ, οἷα εἰκὸς περὶ θανόντων ποιεῖν: Pueris defunctis neque inferias dant, neque alia ſollennia vſurpant, quæ in mortuis recepta.

L. ANNÆI SENECÆ
DE VITA BEATA
AD GALLIONEM FRATREM
LIBER VNVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B

SENEX *hunc libellum scripsit, & velut Defensionem præscripsit contra calumniatores, qui Opes & Vitam obiectabant. Beatam vitam in Virtute esse: sed hanc externa non spernere, si accedant. Sublime scriptum est, pulcherrimum in partibus, & quod monita sensusque aureos habet. Partes eius duæ sunt: Quid sit Beata vita? & Quomodo eò perueniatur? De priore, negat in Opinione aut More quærendam: per trita situr, longiùs ab eâ abitur. Ratio sola audienda est. ea dicit, Beatam vitam esse conuenientem naturæ suæ: id est, positam in Virtute. Non in Voluptate, cum Epicuro? minimè, & diffusè hunc & assectas refellit. Vsqueeò, vt nec iungi cum Virtute Voluptatem velit, & totum hoc nomen repudiet. Hæc ad Cap.* XVI. *Inde pars altera, Ad perueniendum igitur sola Virtus amplectenda, cetera spernenda? Negat; admitti quidem externa posse, sed non vt finem. Imò iis qui in viâ adhuc sunt, & Proficientium numero,* C *opus esse aliquâ indulgentiâ Fortunæ. Hîc priuatam suam caussam calidè iam & robustè agit, & obiicientem inducit, Cur tu de Virtute sic locutus, alia etiam habes? cur seruos? nummos, villas, supellectilem? Variè respondet: ac primò Sapientem se non esse, sed conari esse. Deinde aliis summatibus viris, Platoni, Zenoni, Aristoteli iam olim hæc obiecta. Atquin omnes isti non quomodo viuerent, sed viuendum esset, docebant. Ardua res, Virtus. Suspiciendi, etiam qui conantur ascendere, etsi decidunt interim, aut hærent. Tum de Opibus ex professo, an habendæ Sapienti? à Cap.* XXI. *Et asserit haberi, etsi non amari: quæsitas tamen honestè, & benignè emittendas aut emissas. Insurgit deinde in istos blacterones, & mucronem stili, Socrate inducto, stringit: sed finis deficit, & quæ vulgò attexuntur, alterius scripti sunt atque argumenti.*

CAPVT PRIMVM.

VIVERE, [1] Gallio frater, omnes beatè volunt: sed ad peruiD dendum, quid sit quod beatam vitã efficiat, caligant. Adeoque non est facile consequi beatam vitam, vt ab eâ quisque eò longiùs recedat, quò ad illam citatiùs fertur, si viâ lapsus est: quæ vbi in contrarium ducit, ipsa velocitas maioris interualli caussa fit. Proponendum est itaque primùm, quid sit quod petamus: tunc circumspiciendum est, quà contendere illò celerrimè possimus: intellecturi in ipso itinere, si modò rectum erit, quantum quotidie [2] profligetur, quantoque propiùs ab eo simus, ad quod nos cupiditas naturalis impellit. Quamdiu quidem passim vagamur, non ducem secuti, sed fremitum & clamorem dissonum in diuersa vocantium, conteritur vita inter errores, breuis, etiam si dies noctesque bonæ menti laboremus. Decernatur itaque & quò tendamus, & quà: non

sine

A sine perito aliquo, cui explorata sint ea, in quæ procedimus. Quoniam quidem non eadem hîc, quæ in ceteris peregrinationibus, condicio est. In illis comprehensus aliquis limes,& interrogati incolæ, non patiuntur errare: at hîc tritissima quæque via, & celeberrima, maximè decipit. Nihil ergo magis præstandum est, quàm ne, [3] pecorum ritu, sequamur antecedẽtium gregem,pergentes non quà eundum est, sed quâ itur. Atqui nulla res nos maioribus malis implicat, quàm quòd ad rumorem componimur:optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt,quorumque exempla nobis multa sunt:nec ad rationem, sed ad similitudinem viuimus. Inde ista tanta coaceruatio aliorum supra alios ruentium. Quod in strage hominum magnâ euenit, cùm ipse se populus premit, nemo ita cadit, vt non alium in se attrahat: primi exitio sequentibus sunt: hoc in omni vitâ accidere, videas licet: nemo sibi tantùm errat, sed alij erroris caussa & auctor est. Nocet enim applicari antecedentibus. & dum vnusquisque mauult credere, quàm iudicare, numquam de vitâ iudicatur,semper creditur: versatq; nos & præcipitat traditus per ma-
B nus error, alienisque perimus exemplis. Sanabimur, si modò separemur à cœtu: nunc verò stat contra rationem,defensor mali sui,populus.Itaque idem euenit,quod in comitiis, in quibus eos factos prætores iidem qui fecêre mirantur, cùm se mobilis fauor [4] circumegit. Eadem probamus, eadem reprehendimus. hic exitus est omnis iudicij, in quo lis secundùm plures datur. Cùm de beatâ vitâ agitur,non est quòd mihi illud [5] dis- II.
cessionum more respondeas: [6] *Hæc pars maior esse videtur.* ideò enim [7] peior est. Non tam benè cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant: argumentum pessimi, turba est. Quæramus quid optimè factum sit, non quid vsitatissimum: & quid nos in possessione felicitatis æternę constituat,non quid vulgo,veritatis pessimo interpreti,probatum sit. Vulgum autem [8] tam chlamydatos, quàm coronam voco. Non enim colorem vestium, quibus prætexta corpora sunt,adspicio: [9] oculis de homine non credo. habeo melius certiusque lumen,quo à falsis vera diiudicem. Animi bonum, animus inue-
C niat.

COMMENTARIVS.

CAP. I. 1. GALLIO.] *Est is, qui anteà Nouatus. Adoptatus fuit à Iunio Gallione Oratore haud ignobili, quem Seneca pater sæpiculè citat, &* noſtrum *appellat: id est, amicum & popularem. Ne confunde igitur cum isto. quem noster iterùm* fratrem *vocat Præfat. Quæst. Nat. lib.* IV.

2. PROFLIGETVR.] *Libris hoc credamus. nam alij* proficiamus *substituerunt, insolentiâ eius significati. Atqui (Agellius reclamet licet, lib.* XV. *cap.*V.) *rectum est, & Augustæo ævo vsurpatum. Liuius* XXI.
D Ita fortasse decuit, deos ipsos committere ac profligare bellum, nos autem commissum ac profligatum conficere. *Ipse Augustus in lapide:* Cœpta profligataque opera à patre meo. *Tacitus, atque alij, sæpè. Est igitur Profligare, afficere & aliquousque perducere, etsi non ad finem. Ita hîc.*

3. PECORVM RITV.] *Pulchra imago. quæ Catoni seniori placita in populum. Nam aiebat (Plutarchus auctor)* Similem esse populum Rom. gregi pecorum. quæ singula non parent,sed vniuersa ductorem aliquem vnum sequuntur: ita vos, inquit, quorum consilio priuatim nemo vtatur, hos, in concionem cœtumque coacti, sequimini.

4. CIRCVMEGIT.] *Vel à ventis, aut velis, aut equis.*

CAP. II. 5. DISCESSIONVM.] *Sententiæ in Senatu, voce, discessione, manu. Primum, vbi dicebant interrogati, Assentio: alterum, vbi duabus pluribúsve diuersis sententiis dictis, Consul compendij caussâ Discessionem permittebat: id est, singuli conferrent se ad subsellia, in quibus auctores sententiarum sedebant. Id erat,* pedibus in sententiam ire. *Tertium, vbi sublatâ manu significabant se assentiri, sedibus suis manentes.*

6. HÆC PARS.] *Solennia verba, quæ Consul numeratis in quaque parte Senatoribus, pronunciabat. Prudentius:*

Seruemus leges patrias, infirma minoris
Vox cedat numeri, paruaque in parte silescat.

7. PEIOR EST.] *Seneca alibi:* Quid præstat philosophia? vt malis tibi placere, quàm populo: vt æstimes iudicia, non vt numeres.

8. TAM CHLAMYDATOS.] *Non intellego, nec pro more hoc Romano est. Manco in veteri meâ coniecturâ:* tam candidatos, quàm coloratos. *Nam honestiores, & qui non è vulgo, in veste candidâ erant: ipsum vulgus, pullati, sordidati, id est colorati. Sanè etiam Veneta editio vetus* coloratos *habet. De* candidatis *autem, alter locus Senecæ firmat hoc libro cap.* XXV. *Quid, quod ipse hîc subiungit,* Non enim colorem vestium adspicio? *ergo palàm eò refert. Vide, sodes, Electa nostra, lib.* I. *cap.* XIII.

9. OCVLIS.] *Qui ad interiorem hominem, id est verum, non penetrant.*

niat. Hic, si vmquam illi respirare & recedere in se vacauerit; ô quàm sibi ipse verum, tortus à se, fatebitur, ac dicet! Quidquid feci adhuc, infectum esse mallem: quidquid dixi, cùm recogito, in multis [10] video: quidquid [11] optaui, inimicorum exsecrationem puto: quidquid timui, dij boni, quanto [12] melius fuit, quàm quod concupiui? Cum multis inimicitias gessi, & in gratiam ex odio ([13] si modò vlla inter malos gratia est) redij: mihi ipsi nondum amicus sum. Omnem operam dedi, vt me multitudini educerem, & aliquâ dote notabilem facerem: quid aliud quàm telis me opposui, & maleuolentiæ quod morderet ostendi? Vides tu istos, qui eloquentiam laudant, qui opes sequuntur, qui gratiæ adulantur, qui potentiam extollunt? omnes aut sunt hostes, aut (quod in æquo est) [14] esse possunt. Quàm magnus mirantium, tam magnus inuidentium populus est. A

III. Quin potiùs quæro aliquid vsu bonum, quod [15] sentiam, non quod [16] ostendam: ista quæ spectantur, ad quæ consistitur, quæ alter alteri stupens monstrat, foris nitent, introrsus misera sunt. Quæramus aliquid non in speciem bonum, sed solidum & æquabile, & à secretiore parte formosius. Hoc eruamus. nec longè positum est, [17] inuenietur: scire tantùm opus est, quò manum porrigas. Nunc velut in tenebris vicina transimus, offensantes in ipsa, quæ desideramus. Sed ne te per circuitus traham, aliorum quidem opiniones præteribo: nam & enumerare illas longum est, & coarguere: nostram accipe. Nostram verò cùm dico, [18] non alligo me ad vnum aliquem ex Stoicis proceribus: est & mihi [19] censendi ius. Itaque aliquem sequar, aliquem iubebo sententiam [20] diuidere: fortasse & post omnes citatus, nihil improbabo ex his quæ priores decreuerint, & dicam: [21] *Hoc amplius censeo.* Interim, quod inter omnes Stoicos conuenit, [22] rerum naturæ assentior. ab illâ non deerrare, & ad illius legem exemplumque formari, sapientia est. Beata est ergo vita, [23] conueniens naturæ suæ: quæ non aliter contingere potest, quàm si primùm sana mens est, & in perpetuâ possessione sanitatis suæ. Deinde, si fortis ac vehemens, tum pulcherrima & patiens, apta temporibus, corporis sui pertinentiumque ad id curiosa; non anxiè tamen: rerum quæ vitam instruunt, diligens, [24] sine admiratione cuiusquam: vsura fortunæ muneribus, non seruitura. Intelligis, etiam si non adiiciam, sequi B C

10. VIDEO.] *Quo sensu? ego non elicio. Vellem,* rideo, *vel* rubeo. *Ipsa verba mea cùm recogito, ridicula vel erubescenda sunt. At Gruterus arguiè,* mutis inuideo: *quasi siluisse mallem: & mutus fuisse.*

11. OPTAVI.] *Iuuenalis:*

Euertêre domos totas, optantibus ipsis,
Dij faciles.

12. MELIVS.] *Meus & quidam,* leuius.

13. SI MODO.] *Corrigit, quia infidi & insidiosi mali inter sese. Sallustius:* Inter bonos amicitia, inter malos factio est.

14. ESSE POSSVNT.] *Ideò Chilonis hoc monitum:* Ita ames, tamquam osurus; ita oderis, tamquam amaturus.

CAP. III. 15. SENTIAM.] *In animo.*

16. OSTENDAM.] *In apparatu, & pompâ.*

17. INVENIETVR.] *Meus,* inuenire. *Distinguam:* nec longè positum est inuenire: *phrasi Græcissante, de quâ alibi.*

18. NON ALLIGO.] *Idem epist.* XLV. Non enim cuiquam me mancipaui, nullius notam fero. multum magnorum virorum iudicio credo, aliquid & meo vindico.

19. CENSENDI.] *Verbum Senatorium:* De eâ re ita censeo.

20. DIVIDERE.] *Manet in istâ re Curiæ. Cùm igitur vna sententia plura complectebatur, quorum vnum probarem, aliud minimè; verbo recepto dicebam,* Diuide: *id est, de singulis seorsum referatur. Seneca epist.* XXI. Cùm censuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, iubeo illum diuidere sententiam, & sequor.

21. HOC AMPLIVS.] *Item formula Senatoria. vt in Cicerone, Philip.* XIII. C. Seruilio assentior, & hoc amplius censeo. *Seneca* III. *Quæst. Natur. cap.* XV. Quædam ex istis sunt, quibus assentiri possum, sed hoc amplius censeo.

22. RERVM NATVRÆ.] *Miror esse, qui hæc suspecta habeant. nam ipsum caput doctrinæ Stoicæ, Naturam sequi: id est Deum. Ideò noster cum additione,* Naturam rerum *dixit. Vide me in Manud.* II. *Dissert.* XVI.

23. CONVENIENS.] *Nam summum bonum & Finem hominis Stoici in eo ponunt. Chrysippus,* τὸ τέλος εἶναι ἀπολελύθως τῇ φύσει ζῆν: Finem esse, conuenienter naturæ viuere. *Nos diffusè* II. *Manud. Dissert.* XIV. D

24. SINE ADMIRATIONE.] *Damnas? Aristoteles approbat:* Διὰ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι, καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον, ἤρξαντο φιλοσοφεῖν: Admiratione moti homines, & nunc & olim, cœperunt philosophari. *Atque hæc bona est, quæ res caussasq; inquirit: aliam damnat, quæ humana & externa æstimat, affectuum ministram. Noster iterùm epist.* XLV. Beatum esse, cui omne bonum in animo est, erectum, excelsum, mirabilia calcantem. *Mirabilia, nempe vulgo. Horatianum istuc facit:* Nil admirari.

25. TRAN-

A sequi perpetuam [25] tranquillitatem, libertatem: depulsis his, quæ aut irritant nos, aut territant. Nam pro voluptatibus, & pro illis quæ parua ac fragilia sunt, & in ipsis flagitiis noxia, ingens gaudium subit, inconcussum, & æquabile: tum pax & concordia animi, & magnitudo cum mansuetudine. Omnis enim ex infirmitate feritas est.

Potest aliter quoque definiri bonum nostrum, id est, eâdem sententiâ, non iisdem IV.
comprehendi verbis. Quemadmodum idem exercitus modò latiùs panditur, modò in angustum coarctatur, & aut in cornua, [26] sinuatâ mediâ parte, curuatur, aut rectâ fronte explicatur: vis illi, vtcumque ordinatus est, eadem est, & voluntas pro iisdem partibus standi: ita definitio summi boni aliàs diffundi potest & exporrigi, aliàs colligi, & in se cogi. Idem itaque erit, si dixero: Summum bonum est, animus fortuita despiciens, virtute lætus: aut, Inuicta vis animi, perita rerum, placida in actu, cum humanitate multâ, & [27] conuersantium curâ. Libet & ita definire, vt beatum dicamus hominem eum, cui nullum bonum malumque sit, nisi bonus malusque animus: honesti cultor,
B virtute contentus, quem nec extollant fortuita, nec frangant: qui nullum maius bonum eo, quod sibi ipse dare potest, nouerit, cui vera voluptas erit, voluptatum contemptio. Licet, si euagari velis, idem in aliam atque aliam faciem, saluâ & integrâ potestate, transferre. Quid enim prohibet nos beatam vitam dicere, liberum animum, & erectum, & [28] interritum ac stabilem, extra metum, extra cupiditatem positum? cui vnum bonum honestas, vnum malum turpitudo? Cetera [29] vilis turba rerum, nec detrahens quicquam beatæ vitæ, nec adiiciens, sine auctu ac detrimento summi boni veniens ac recedens. Hunc ita fundatum necesse est, velit nolit, sequatur hilaritas continua, & lætitia alta atque ex alto veniens, vt quæ suis gaudeat, nec maiora domesticis cupiat. Quídni ista penset benè cum minutis, & friuolis, & non perseuerantibus corpusculi motibus? quo die infra voluptatem fuerit, & infra dolorem erit. Vides autem, quàm malam & no- V.
xiam seruitutẽ seruiturus sit, quem voluptates doloresque, incertissima [30] dominia, impotentissimaque, alternis possidebunt. Ergo exeundum ad libertatem est: hanc non alia
C res tribuit, quàm fortunæ negligentia. Tum illud orietur inæstimabile bonum, quies mentis in tuto collocatæ, & sublimitas: expulsisque terroribus, ex cognitione veri gaudium grande & immotum, comitasque & [31] diffusio animi: quibus delectabitur non vt bonis, sed vt ex bono suo ortis. Quoniam liberaliter agere cœpi, potest beatus dici, qui nec cupit, nec timet, beneficio rationis. Quoniam & saxa timore & tristitiâ carent, nec minùs pecudes: non ideò tamen quisquã felicia dixerit, quibus non est felicitatis intellectus. Eodem loco pone homines, quos in numerum pecorum & animaliũ redegit hebes natura, & ignoratio sui. Nihil interest inter hos, & illa: quoniam illis nulla ratio est, his praua, & malo suo atque in peruersum solers. Beatus enim nemo dici potest, extra veritatem proiectus: beata ergo vita est, in recto certoque iudicio stabilita, & immutabilis. Tunc enim pura mens est, & soluta omnibus malis, cùm non tantùm lacerationes, sed etiam vellicationes effugerit: statura semper vbi constitit, ac sedem suam etiam iratâ & infestante fortunâ vindicatura. Nam quòd ad voluptatem pertinet, licet circumfunda-
D tur vndique, per [32] omnes vias influat, animumque blandimentis suis leniat, aliaque ex aliis admoueat, quibus totos parteque nostri sollicitet: quis mortalium, cui vllum fu-

pereſt

25. TRANQVILLITATEM.] *Annexum ei fructum. Imò epist.* XCII. Quid est beata vita? securitas & perpetua tranquillitas: *quæ descriptio ab effectu est.*

CAP. IV. 26. SINVATA.] *In Lunæ crescentis faciem.*

27. CONVERSANTIVM.] *Quia sapiens est* in cõmune bonus, *vt poëta: & vt noster, De Clem.* I. *cap.* III. Homo, sociale animal, communi bono genitus. *Vide ibi.*

28. INTERRITVM.] *Cicero* V. *Tuscul.* Volumus eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, septum atque munitum: non vt paruo metu præditus sit, sed vt nullo.

29. VILIS TVRBA.] *Statius:*

—— nos vilis turba, caducis
Deseruire bonis, semperque optare parati,
Spargimur in casus.

CAP. V. 30. DOMINIA.] *Pro dominis ipsis, vt Seruitia. Malim etiam* inertissima, *ad Voluptatem.*

31. DIFFVSIO.] Διάχυσις ψυχῆς: dilatatio. *Latina vox ad* Serenitatem *etiam valet.*

32. OMNES VIAS.] *Sensuum.*

pereſt hominis veſtigium, per diem noctemque titillari velit, & deſerto animo, corpori A
VI. operam dare? Sed & animus quoque, [33] inquit, voluptates habebit ſuas. Habeat ſanè, ſedeatque luxuriæ & voluptatum arbiter, impleat ſe omnibus eis, quæ oblectare ſenſus ſolent: deinde [34] præterita reſpiciat, & exoletarum voluptatum memor exſultet prioribus, futuriſque iam immineat, ac ſpes ordinet ſuas, & dum corpus in præſenti ſaginâ iacet, cogitationes ad [35] futura præmittat. hoc mihi videtur miſerior, quoniam mala pro bonis legere, dementia eſt. Nec ſine ſanitate quiſquam beatus eſt: nec ſanus, cui offutura pro optimis appetuntur. Beatus eſt ergo iudicij rectus: beatus eſt præſentibus, qualiacumque ſunt, contentus, amicuſque rebus ſuis: beatus is, cui omnem habitum rerum ſuarum ratio commendat. Vident & illi, qui ſummum bonum voluptatem dixerunt, quàm turpi illud loco poſuerint. Itaque negant poſſe voluptatem à virtute diduci, & aiunt, nec honeſtè quemquā viuere, vt non iucundè; nec iucundè, vt non honeſtè viuat. Non video, quomodo iſta tam diuerſa in eamdem copulam conijciantur. Quid eſt, oro vos, cur ſeparari voluptas à virtute non poſſit? videlicet, quòd omne boni ex virtute B
principium eſt: ex huius radicibus etiam ea, quæ vos & amatis & expetitis, oriuntur. Sed ſi iſta indiſcreta eſſent, non videremus quædam iucunda, ſed non honeſta: quædam ve-
VII. rò honeſtiſſima, ſed aſpera, & per dolores exigenda. Addite nunc, quòd voluptas etiam ad vitam turpiſſimam venit: at virtus malam vitam non admittit. & infelices quidam non ſine voluptate, imò ob ipſam voluptatem ſunt: quod non eueniret, ſi virtuti ſe voluptas immiſcuiſſet, quâ virtus ſæpè caret, numquam indiget. Quid diſſimilia, imò diuerſa componitis? Altum quiddam eſt virtus, excelſum, regale, inuictum, infatigabile: voluptas, humile, ſeruile, imbecillum, caducum, cuius ſtatio ac domicilium fornices & popinæ ſunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curiâ, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus: voluptatem latitantem ſæpiùs, ac tenebras captantem; circa balnea ac ſudatoria, ac loca [36] ædilem metuentia; mollem, enerue m, mero atque vnguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollutam. Summum bonum immortale eſt, [37] neſcit exire: nec ſatietatem habet, nec pœni- C
tentiam. numquam enim recta mens vertitur: nec ſibi odio eſt, nec quidquam mutauit
VIII. [38] optima. at voluptas tunc cùm maximè delectat, exſtinguitur. Nec multum loci habet. itaque citò implet: & tædio eſt, & poſt primum impetum marcet. Nec id vmquam certum eſt, cuius in motu natura eſt. ita ne poteſt quidem vlla eius eſſe ſubſtantia, quod venit tranſitve celerrimè, in ipſo vſu ſui perituru m. Eò enim peruenit, vbi deſinat: & dum incipit, ſpectat ad finem. Quid, quòd tam bonis, quàm malis, voluptas ineſt? nec minùs turpes dedecus ſuum, quàm honeſtos egregia delectant. Ideoque præceperunt veteres, optimam ſequi vitam, non iucundiſſimam: vt rectæ ac bonæ voluntatis non dux, ſed comes voluptas ſit. Naturâ enim duce vtendum eſt: hanc ratio obſeruat, hanc conſulit. Idem eſt ergo beatè viuere, & ſecundùm naturam. Hoc quid ſit, iam aperiam. Si corporis dotes, & apta naturæ, conſeruabimus diligenter & impauidè, tamquam in diem data & fugacia; ſi non ſubierimus eorum ſeruitutem, nec nos aliena poſſederint; ſi corpori grata & aduenticia eo nobis loco fuerint, quo ſunt in caſtris auxilia, & ar- D
maturæ leues. Seruiant iſta, non imperent: ita demum vtilia ſunt menti. Incorruptus vir ſit externis, & inſuperabilis, miratorque tantùm ſui: fidens animi, atque [39] in vtrumque paratus, [40] artifex vitæ. Fiducia eius non ſine ſciētiâ ſit, non ſine conſtantiâ: maneant illi

CAP. VI. 33. INQVIT.] *Ab Epicuro aliquis: & tota hæc diſputatio in illum eſt, diffuſa, nimia.*

34. PRÆTERITA.] *Epicuri dogma, Ciceroni tactum* 11. *De Finib.* Sapientem & præſentibus voluptatibus frui, & recordari præteritas, & cogitatione præcipere futuras.

35. FVTVRA.] *An* futuram.

CAP. VII. 36. ÆDILEM METVENTIA.] *Nam Aedilibus cura propinarum, fornicum, & eorum quæ ad libidines, luxum, aleam ſpectabant. Notaui ad* 11. *Annal. Taciti, ſub finem. Adde Martialem* v. *epigram. vlt.* Arcanâ modò raptus è propinâ, Ædilem rogat, vdus aleator. *&* XIV. *epigr.* 1.

37. NESCIT EXIRE.] *Meus*, eſcire. *poteſt* Exire *eſſe pro* Perire: *vnde* Exitium.

38. OPTIMA.] *Ipſa optima, nihil mutauit: quia non videt melius.*

CAP. VIII. 39. IN VTRVMQ.] *Mori aut viuere.*

40. ARTIFEX.] *Qui formare ſibi vitam poſſit, & omnem ſuauem reddere.*

41. LIIV-

A illi ſemel placita, nec vlla in decretis eius [41] litura ſit. Intelligitur, etiam ſi non adiecero, compoſitum ordinatumque fore talem virum, & in his quæ aget cum comitate magnificum. Erit [42] vera ratio [43] ſenſibus inſita, & capiens inde principia. nec enim habet aliud vnde conetur, aut vnde ad verum impetum capiat, & in ſe reuertatur. Nam mundus quoque cuncta complèctens, [44] rectorque vniuerſi Deus, [45] in exteriora quidem tendit, ſed tamen in totum vndique in ſe redit. Idem noſtra mens faciat: cùm ſecuta ſenſus ſuos, per illos ſe ad externa porrexerit; & illorum & ſui potens ſit, & (vt ita dicam) deuinciat ſummum bonum. Hoc modo vna efficietur vis ac poteſtas, concors ſibi: & ratio illa certa naſcetur, non diſſidens nec hæſitans in opinionibus comprehenſionibuſque, nec in ſuâ perſuaſione. Quæ cùm ſe diſpoſuit, & partibus ſuis conſenſit, & (vt ita dicam) concinuit, ſummum bonum tetigit. Nihil enim praui, nihil lubrici ſupereſt: nihil in quo [46] arietet, aut labet. Omnia faciet ex imperio ſuo, nihilque inopinatum accidet: ſed quidquid aget, in bonum exibit, facilè & paratè, & ſine tergiuerſatione agentis. Nam pi-
B gritia & hæſitatio, pugnam & inconſtantiam oſtendit. Quare audacter licet profitearis, ſummum bonum eſſe, animi concordiam. Virtutes enim ibi eſſe debebunt, vbi conſenſus atque vnitas erit: diſſident vitia. Sed tu quoque, inquit, virtutem non ob aliud IX.
colis, quàm quia aliquam ex illâ ſperas voluptatem. Primùm, non ſi voluptatem præſtatura virtus eſt, ideò propter hanc petitur. non enim hanc præſtat, ſed & hanc: nec huic laborat, ſed labor eius quamuis aliud petet, hoc quoque aſſequetur. Sicut in aruo, quod ſegeti proſciſſum eſt, aliqui flores internaſcuntur, non tamen huic herbulæ, quamuis delectet oculos, tantum operis inſumptum eſt: aliud fuit ſerenti propoſitum, hoc ſuperuênit: ſic voluptas non eſt merces, nec cauſſa virtutis, ſed acceſſio: nec quia delectat, placet; ſed quia placet, delectat. Summum bonum in ipſo iudicio eſt, & habitu optimæ mentis: quæ cùm ſuum [47] habitum impleuit, & finibus ſe ſuis cinxit, conſummatum eſt ſummum bonum, nec quidquam ampliùs deſiderat. Nihil enim extra totum eſt, non magis quàm vltra finem. Itaque erras, cùm interrogas, quid ſit illud propter quod
C virtutem petam? quæris enim aliquid ſupra ſummum. Interrogas, quid petam ex virtute? ipſam. nihil enim eſt melius: ipſa pretium ſui eſt. An hoc parùm magnum eſt? Cùm tibi dicam, ſummum bonum eſt, infragilis animi rigor & prouidentia, & [48] ſubtilitas, & ſanitas, & libertas, concordia & decor: aliquid etiamnum exigis maius, ad quod iſta referantur? Quid mihi voluptatem nominas? Hominis bonum quæro, non ventris, qui pecudibus ac beluis laxior eſt. Diſſimulas, inquit, quid à me dicatur. X.
ego enim nego quemquam poſſe iucundè viuere, niſi ſimul [49] & honeſtè viuat: quod non poteſt mutis contingere animalibus, nec bonum ſuum cibo metientibus. Clarè, inquam,

41. LITVRA SIT.] *Nihil deleat, aut pœnitentiâ mutet.*

42. VERA RATIO.] *Noſtra, non illa communis* Recta ratio.

43. SENSIBVS INSITA.] *Vt per eos, non ſecundùm eos, agat. Initium à ſenſibus capit, (quod ad nos*
D *quidem attinet) non in iis ſiſtit aut deſinit. Vide quædam epiſt. vlt.*

44. RECTORQVE VNIVERSI.] *Etiámne Deus in exteriora tendit? ita, ſed corporeus nempe ille Deus, &* rector vniuerſi *(vt hîc) id eſt* τὸ ἡγεμονικὸν, *ſiue* Principale. *Quod alij Stoicorum (variant enim leuiter)* Cælum *ipſum dicunt, alij* Solem, *Chryſippus* puriſſimam ætheris partem.

45. IN EXTERIORA.] *Quæ? Stoico ſenſu, Vacuum. Nam* Mundus & Vniuerſum (Κόσμος καὶ τὸ πᾶν) differunt. τὸ μὲν πᾶν λέγεται, τὸ ἐκ τοῦ κόσμου, καὶ τοῦ ἔξωθεν κενοῦ, σύστημα: Vniuerſum dicitur, id quod ex Mundo, & exteriore Vacuo, ſimul conſtat. *Itaque videtur Mundus cùm moueturin extima tendere; ſed orbe ſuo in ſe redit, aut potiùs mouendo manet.*

46. ARIETET.] *In prauo*: LABET, *in lubrico.*

CAP. IX. 47. HABITVM IMPLEVIT.] *Ita in meo opt. libro, nec Muretus ſuppoſuit, vt cenſent. Videtur dicere, Virtutem quidem in animo, & habitum eſſe: ſed cùm vſus acceßit, & totam ſe exſeruit, plenam cenſeri. Cicero tale* I. *Academ.* Zeno aiebat, non vſum modò virtutis, ſed habitum ipſum per ſe eſſe præclarum: nec tamen virtutem cuiquam adeſſe, quin eâ ſemper vteretur. *Alij tamen libri,* quæ cùm ſinum impleuit: *alij*, cùm ſuum. *Nec malè è ſequentibus*, quæ cùm ſuum ambitum. *Vide me* III. *Manud. Diſſert.* III.

48. SVBTILITAS.] *Muretus ejecerat, ſed libri omnes reuocant. Haud aptum eſt, fateor: ſed faciendum puto*, ſublimitas. *Suprà, cap.* IV. Tunc orietur illud inæſtimabile bonum, quies mentis, & ſublimitas.

CAP. X. 49. ET HONESTE.] *Ipſa verba Epicuri, in epiſtolâ ad Menœceum*: Οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν, ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς, καὶ δικαίως ἄνευ τοῦ ἡδέως. συμφυόμενα γὰρ αἱ ἀρεταὶ τῷ ζῆν ἡδέως, καὶ τὸ

quam, ac palàm teſtor hanc vitam, quam ego iucundam voco, non ſine adiectâ virtute A
contingere. At quis ignorat, pleniſſimos eſſe voluptatibus veſtris ſtultiſſimos quoſque? & nequitiam abundare iucundis, animumque ipſum non tantùm genera voluptatis praua, ſed multa ſuggerere? In primis inſolentiam & nimiam æſtimationem ſui, tumoremque elatum ſupra ceteros, & amorem rerum ſuarum cæcum & improuidum; delicias fluentes, ex minimis ac puerilibus cauſſis exſultationem; iam dicacitatem, & ſuperbiam contumeliis gaudentem, deſidiam, diſſolutionemque ſegnis animi [50] indormientis ſibi. Hæc omnia virtus diſcutit, & [51] aurem peruellit, & voluptates æſtimat, antequam admittat: nec quas probauit, magni pendit (vtique enim admittit) nec vſu earum, ſed temperantiâ læta eſt. temperantia autem cùm voluptates minuat, ſummi boni [52] iniuria eſt. Tu voluptatem complecteris: ego compeſco. tu voluptate frueris: [53] ego vtor. tu illam ſummum bonum putas: ego nec bonum. tu omnia voluptatis cauſsâ facis: ego nihil. Cùm dico me nihil voluptatis cauſsâ facere, [54] de illo loquor ſapiente, cui
XI. ſoli concedis voluptatem. Non voco autem ſapientem, ſupra quem quidquam eſt, B
nedum voluptas. Atqui ab hac occupatus, quomodo reſiſtet labori, ac periculo, egeſtati, & tot humanam vitam circumſtrepentibus minis? quomodo conſpectum mortis, quomodo doloris feret? quomodo mundi fragores, & tantum acerrimorum hoſtium, tam molli aduerſario victus? Quidquid voluptas ſuaſerit, faciet. Age, non vides quàm multa ſuaſura ſit? Nihil, inquis, poterit ſuadere turpiter, quia adiuncta virtuti eſt. Non tu vides iterùm, quale ſit ſummum bonum, cui cuſtode opus eſt, vt bonum ſit? Virtus autem quomodo [55] voluptatem reget, quam ſequitur: cùm ſequi parentis ſit, regere imperantis? à tergo ponitis, quod imperat. Egregium autem virtutis apud vos officium, voluptates [56] prægustare. Sed videbimus, an apud quos tam contumeliosè tractata virtus eſt, adhuc virtus ſit: quæ habere nomen ſuum non poteſt, ſi [57] loco ceſſit. interim de quo agitur, multos oſtendam voluptatibus obſeſſos, in quos fortuna omnia munera ſua effudit, quos fatearis neceſſe eſt malos. Adſpice [58] Nomentanum & [59] Apicium, terrarum ac maris (vt iſti vocant) bona conquirentes, & ſuper menſam recognoſcentes [60] om- C
nium gentium animalia. Vide hos eoſdem [61] è lectis ſuis ſpectantes popinam ſuam, aures [62] vocum ſono, [63] ſpectaculis oculos, ſaporibus palatum ſuum delectantes. Mollibus

τὸ ζῆν ἡδέως τέτων ἔςιν ἀχώρισον: Non eſt iucundè viuere, niſi ſimul prudenter & honeſtè: neque iuſtè, niſi iucundè. Cognatæ enim iunctæque virtutes ſunt iucundæ vitæ, & ipſa hæc ſeparari ab illis non poteſt.

50. INDORMIENTIS SIBI.] *Vni ſibi vacantis, publica & aliena ſpernentis.*

51. AVREM PERV.] *Id eſt, admonet, excitat, ſeriò cogitare iubet.*

52. INIVRIA EST.] *Ex veſtro Epicureorum ſenſu, qui Bonum in Voluptate ponitis. Si hanc minuit, ergo ipſum.*

53. EGO VTOR.] *Fo diſcrimine Florus lib.* II. *de Annibale, poſt Cannenſem pugnam:* Cùm victoriâ poſſet vti, frui maluit, relictaque Româ Campaniam Tarentumque peragrare. *Auguſtinus*, Deo nos frui, aliis vti *dixit.*

54. DE ILLO.] *Non de me, qui nondum eò veni.*

CAP. XI. 55. VOLVPTATEM REGET.] *Vide in hanc ſententiam* IV. *De Benef. cap.* II.

56. PRÆGVSTARE.] *Quaſi fungi officio prægustatoris, & explorare an innoxiæ ſint. Cleanthis huic rei imago in Cicerone* II. *De Finib.* Iubebat eos, qui audiebant, ſecum ipſos cogitare pictam in tabulâ Voluptatem, pulcherrimo veſtitu & ornatu regali, in ſolio ſedentem: præſtò eſſe virtutes, vt ancillulas, quæ nihil aliud agerent, nullum ſuum officium ducerent, niſi vt voluptati miniſtrarent, & eam ad aurem admonerent, ne quid imprudens perficeret, è quo oriretur aliquis dolor.

57. LOCO CESSIT.] *Primo illo & ſummo.*

58. NOMENTANVM.] *Gulonem ſub Auguſto notum: de quo Horatius ſæpiculè.*

59. APICIVM.] *Scientiam popinæ profeſſum. Noſter Conſol. ad Helu. cap.* X. *ego ad Annal. Taciti.*

60. OMNIVM GENTIVM.] *Cùm piſces & volucres ab omni orbe peterent. Seneca ad Helu. cap.* IX. D
Omnes regiones peruagantur, maria traijciunt, & cùm famem exiguo poſſint ſedare, magno irritant.

61. ELECTIS.] *Valdè abeunt libri, & ſuppoſitum eſt. Meus:* eoſdem eſucceſſores exſpectantes. *Alij*, eoſdem eſuros exſpect. *Alij*, eoſdem eſuccenſuros exp. *denique alij*, eoſdem ſucceſſuros, *ſiue* eſu teſſuros. *Quid hæc monſtra portendunt? an*, eſu cenſores ſpectantes? *vt iocosè formet & appellet cenſores quoſdam in edendo: cum faſtidio & dilectu omnia inſpicientes. An vates alius magis verat?*

62. VOCVM.] *Symphoniâ menſali.*

63. SPECTACVLIS.] *Nam mimos, citharœdos, pſaltrias, & id genus adhibebant.*

64. Fo-

A bus lenibuſque [64] fomentis totum laceſſitur eorum corpus: & ne nares interim ceſſent, [65] odoribus variis inficitur locus ipſe, in quo luxuriæ [66] parentatur. Hos eſſe in voluptatibus dices: nec tamen illis benè erit, quia non bono gaudent. Malè, inquit, illis XII. erit: quia multa interueniunt, quæ perturbant animum, & opiniones inter ſe contrariæ mentem inquietabunt. Quod ita eſſe concedo. ſed nihilominus illi ipſi ſtulti, & [67] inæquales, & [68] ſub ictu pœnitentiæ poſiti, magnas percipiunt voluptates: vt fatendum ſit, tam longè tum illos ab omni moleſtiâ abeſſe, quàm à bonâ mente: & (quod pleriſque contingit) [69] hilarem inſaniam inſanire, ac per riſum furere. At contrà, ſapientium remiſſæ voluptates & modeſtæ, ac pænè languidæ ſunt, compreſſæque, & vix notabiles: vt quæ neque arceſſitæ veniant, nec, quamuis per ſe acceſſerint, in honore ſint, neque vllo gaudio percipientium exceptæ. Miſcent enim illas, & interponunt vitæ, vt ludum iocumque inter ſeria. Deſinant ergo inconuenientia iungere, & virtuti voluptatem implicare, per quod vitium peſſimis quibuſque adulantur. Ille effuſus in voluptates, [70] re-
B ptabundus ſemper atque ebrius, quia ſcit ſe cum voluptate viuere, credit & cum virtute: audit enim voluptatem à virtute ſeparari non poſſe: deinde vitiis ſuis ſapientiam [71] inſcribit, & abſcondenda [72] profitetur. Ita non ab Epicuro impulſi luxuriantur, ſed vitiis dediti, luxuriam ſuam in philoſophiæ ſinu abſcondunt: & eò concurrunt, vbi audiunt laudari voluptatem. Nec æſtimatur voluptas illa Epicuri (ita enim mehercules ſentio) quàm ſobria & ſicca ſit: ſed ad nomen ipſum aduolant, quærentes libidinibus ſuis patrocinium aliquod ac velamentum. Itaque quod vnum habebant in malis bonum, perdunt, peccandi verecundiam. Laudant enim ea quibus erubeſcebant, & vitio gloriantur: ideoque ne reſurgere quidem adoleſcentiæ licet, cùm honeſtus turpi deſidiæ titulus acceſſit. Hoc eſt cur iſta voluptatis laudatio pernicioſa ſit, quia honeſta XIII. præcepta [73] intrà latent: quod [74] corrumpit, apparet. Mea quidem iſta ſententia eſt (inuitis hoc noſtris [75] popularibus dicam) [76] ſancta Epicurum & recta præcipere, & ſi propiùs acceſſeris, triſtia: voluptas enim illa ad paruum & exile reuocatur: & quam [77] nos
C virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati. Iubet illam [78] parêre naturæ: parum eſt autem luxuriæ, quod naturæ ſatis eſt. Quid ergo eſt? ille qui deſidioſum otium, & gulæ ac libidinis [79] vices felicitatem vocat, [80] bonum malæ rei quærit auctorem: & dum illò venit, blando nomine inductus, ſequitur voluptatem, non quam [81] audit, ſed quam attulit: & vitia ſua cùm cœpit putare ſimilia præceptis, indulget illis, non timidè, nec obſcurè: luxuriatur etiam [82] inoperto capite. Itaque non dico quod plerique noſtrorum, ſectam

64. FOMENTIS.] *Ad veſtes, aut ſtrata, & puluillos? an magis ad tractatores hoc refers, de quibus epiſt.* LXVI. *in fine?*

65. ODORIBVS.] *Plautus:* Sternite lectos, incendite odores. *Apud Athenæum, pueri ad menſam* στεφάνους, *καὶ μύρα, θυμιάματα,* coronas, vnguenta, & odores *apportant.*

66. PARENTATVR.] *Videntur enim ſepulchrales epulæ, quia velut mortui efferuntur. Epiſt.* CXXII.
D Non conuiuantur, ſed iuſta ſibi faciunt. *Epiſt.* XII. Cùm ſe funereis illis epulis ſepeliſſet, quaſi ſibi parentaret.

CAP. XII. 67. INÆQVALES.] *Modò in gaudio, modò triſtitiâ; nunc depreſſi, nunc elati.*

68. SVB ICTV.] *Quos pœnitentia ſtatim tanget. De Benef.* II. *cap.* XXIX. *& alibi.*

69. HILAREM INSAN.] *Epiſt.* XXIX. Gaudebo, tamquam in malis, quòd illi genus inſaniæ hilaræ contigerit.

70. REPTABVNDVS.] *A Pinciani coniecturâ eſt. meus & alij ſcripti*, raptabundus: *ego vellem*, ructabundus.

71. INSCRIBIT.] *Titulum imponit, & Epicureum ſe facit.*

72. PROFITETVR.] *Iactat & vltrò profert, vt laudanda. Amo voluptatem & ſequor: quidni? Epicuro ſummum bonum.*

CAP. XIII. 73. INTRA LATENT.] *In penetralibus doctrinæ eorum quærenda.*

74. CORRVMPIT.] *Ipſum Voluptatis nomen, & laudatio.*

75. POPVLARIBVS.] *Stoicis. Populares ſunt, eiuſdem populi, factionis, ſectæ. Salluſtius:* Catilina cùm ad iuſiurandum populares ſceleris ſui adigeret. *Iterùm:* Quod factum populares coniurationis concuſſerat.

76. SANCTA EPIC.] *Epiſtolam* XXXIII. *vide, & ſæpiùs.*

77. NOS VIRTVTI.] *Nam Stoicorum eſt, Ad naturam viuere.*

78. PARERE NAT.] *Vide epiſt.* IV. *ſub finem.*

79. VICES.] *Alternis ventri & peni vacare.*

80. BONVM.] *Philoſophum.*

81. AVDIT.] *Ab illis diſcit.*

82. INOPERTO.] *Nam qui pudent, caput ferè operiunt,*

sectam Epicuri flagitiorum magistram esse: sed illud dico, malè audit, infamis est: & A
immeritò. Nec hoc scire quisquam potest, nisi interiùs fuerit admissus: [83] frons ipsa dat
locum fabulæ, & ad malam spem inuitat. Hoc tale est, quale vir fortis [84] stolâ indutus.
Constante tibi pudicitiâ, [85] virtus salua est: nulli corpus tuum [86] patientiæ vacat, sed in
manu [87] tympanum est. Titulus itaque honestus eligatur, & inscriptio ipsa excitans ani-
mum ad ea repellenda quæ [88] statim eneruant, cùm venerint, vitia. Quisquis ad virtu-
tem accessit, dedit generosæ indolis spem: qui voluptatem sequitur, videtur eneruis, fra-
ctus, degenerans vir, peruenturus in turpia: nisi aliquis distinxerit illi voluptates, vt
sciat, quæ ex eis intra naturale desiderium sistant, quæ præceps ferantur, infinitæq; sint,
& quò magis implentur, eò magis inexplebiles. Agedum, virtus antecedat: tutum erit
omne vestigium. Voluptas nocet nimia: in virtute non est verendum, ne quid nimium
sit: quia [89] in ipsâ est modus. Non est bonum, quod [90] magnitudine laborat suâ.

XIV. Rationabilem porrò sortitis naturam, quæ meliùs res, quàm ratio proponitur? & si
placet illa iunctura, [91] si hoc placet ad beatam vitam ire comitatum; virtus antecedat, co- B
mitetur voluptas, & circa corpus, vt membra versetur. Virtutem quidem excelsissimam
omnium, voluptati tradere ancillam, nihil magnum animo capientis est. Prima virtus
sit, hæc ferat signa: habebimus nihilominus voluptatem, sed domini eius & tempera-
tores erimus. aliquid nos exorabit, nihil coget. At hi qui voluptati tradidere [92] princi-
pia, vtroque caruere. virtutem enim amittunt: ceterùm non ipsi voluptatem, sed ipsos
voluptas habet: cuius aut inopiâ torquentur, aut copiâ strangulantur. Miseri, si dese-
runtur ab illâ: miseriores, si obruuntur! sicut deprehensi in mari Syrtico, modò in sicco
relinquuntur, modò torrente vndâ fluctuantur. Euenit autem hoc nimiâ intemperan-
tiâ, & amore cæco rei. nam mala pro bonis petenti, periculosum est assequi. Vt feras
cum labore periculoque venamur, & captarum quoque illarum sollicita possessio est:
sæpè enim laniant dominos: ita habentes magnas voluptates. in magnum malum eua-
sêre, captæque cepere. Quæ quò plures maioresque sunt, eò ille minor, ac plurium seruus
est, quem felicem vulgus appellat. Permanere libet in hac etiamnum huius rei imagine. C
quemadmodum qui bestiarum cubilia indagat, & —— *laqueo captare feras* magno
æstimat, & —— *magnos canibus circumdare saltus*, vt illarum vestigia premat, potiora
deserit, multisque officiis renunciat: ita qui sectatur voluptarem, omnia postponit: &
primam libertatem negligit, ac [93] pro ventre dependit: nec voluptates sibi emit, sed se
XV. voluptatibus vendit. Quid tamen, inquit, prohibet in vnum virtutem voluptatemque confundi, & ita effici summum bonum, vt idem & honestum & iucundum sit? Quia pars honesti non potest esse, nisi honestum: nec summum bonum habebit sinceritatem suam, si aliquid in se viderit dissimile meliori. Nec [94] gaudium quidem quod

ex

riunt, vt fallant. Plautus Curcul. Tum isti Græci palliati, capite operto qui ambulant.

83. FRONS IPSA.] *Primus aditus & adspectus.*

84. STOLA.] *Quod muliebre vestimentum, ad talos demissum. Cinædi autem vti solent tunicis demissitiis.*

85. VIRTVS SALVA.] *Manuscripti omnes*, veritas. *Lego*, veritas salua esto. *Cùm pudicus sis, inquit, ne da locum mendacio aut infamiæ, externo gestu.*

86. PATIENTIÆ.] *Alij*, impudicitiæ, *sed interpretamentum est. Patientes, pathici.*

87. TYMPANVM.] *Molles gestabant, & Galli matrisdeûm. Plautus Pœnulo:* Cur non adhibuisti, dum istæc loquereris, tympanum? Nam te cinædum magis arbitror esse, quàm virum. *Idem Trucul.* Mœchum malacum, cincinnatum, tympanotribam. *Virgil.* IX.

Tympana vos buxusque vocat Berecynthia matris Idææ.

88. STATIM ENERVANT.] *Meus breuior:* quæ statim venerunt vitia. *itemq; aliquot alij scripti. Interpolata hæc agnosco.*

89. IN IPSA.] *Malim deletâ voculâ*, quia ipsa est modus. *Vide Senec. epist.* LXVII. D

90. MAGNITVDINE.] *Liuianum:* Res Romana ab exiguis profecta initiis, eò creuit, vt iam magnitudine laboret suâ. *Lucanus:*

Nec se Roma ferens.

CAP. XIV. 91. SI HOC PLACET.] *Glossematium censet Pincianus, vsque ad verbum* Virtus.

92. PRINCIPIA.] *A militiâ est. qui eam in primâ acie posuerunt, inter ductores.*

93. PRO VENTRE.] *Cibi causâ alteri se mancipat: vt parasiti, & id genus.*

CAP. XV. 94. GAVDIVM.] *Quod, ex Stoicorum sensu & sermone, soli sapienti conuenit: at non Voluptas. Vide Manud.* III. *Dissert.* V.

95. Ex

A ex virtute oritur, quamuis bonum sit, absoluti tamen boni pars est: non magis quàm lætitiâ & tranquillitas, quamuis ex pulcherrimis caussis nascantur. Sunt enim ista bona, sed consequentia summum bonum, non consummantia. Qui verò voluptatis virtutisque societatem facit, & ne [95] ex æquo quidem, fragilitate alterius boni, quidquid in altero vigoris est, hebetat: libertatemque illam [96] ita demum, si nihil se pretiosius nouit, inuictam, sub iugum mittit. Nam (quæ maxima seruitus est) incipit illi opus esse fortunâ: sequitur vita anxia, suspiciosa, trepida, casuum pauens, temporumque suspensa momentis. Non das virtuti fundamentum graue, immobile, sed iubes illam in loco volubili stare. Quid autem tam volubile est, quàm fortuitorum exspectatio: & corporis, rerumque corpus afficientium varietas? Quomodo hic potest Deo parêre, & quidquid euenit, bono animo excipere, nec de fato queri, casuum suorum benignus interpres, si ad voluptatum dolorumque punctiunculas concutitur? Sed nec patriæ quidem bonus tutor aut vindex est, nec amicorum propugnator, si ad voluptates vergit. Illò er-
B go summum bonum ascendit, vnde nullâ vi detrahitur: quò neque dolori, neque spei, neque timori sit aditus, nec vlli rei quæ deterius summi boni ius faciat. Ascendere autem illò sola virtus potest: illius gradu cliuus iste [97] frangendus est: illa fortiter stabit, & quidquid euenerit, feret: non patiens tantùm, sed etiam volens: omnemque temporum difficultatem, sciet [98] legem esse naturę. Et vt bonus miles, feret vulnera, enumerabit cicatrices, & transuerberatus telis, moriens amabit eum, pro quo cadet, imperatorem: habebit in animo [99] illud vetus præceptum: DEVM SEQVERE. Quisquis autem queritur, & [100] plorat, & gemit: imperata facere vi cogitur, & inuitus rapitur ad iussa nihilominus. Quæ autem dementia est, potiùs trahi quàm sequi? tam mehercule, quàm stultitia & ignorantia conditionis suæ, dolere, quòd aliquid tibi incidit durius: aut mirari, aut indignè ferre ea, quæ tam bonis accidunt quàm malis. morbos dico, funera, debilitates, & cetera [101] ex transuerso in vitam humanam incurrentia. Quidquid [102] ex vniuersi constitutione patiendum est, magno [103] excipiatur animo. ad hoc [104] sacramentum ad-
C acti sumus, ferre mortalia: nec perturbari his, quæ vitare nostræ potestatis non est. [105] In regno nati sumus: [106] Deo parêre, libertas est. Ergo in virtute posita est vera XVI.
felicitas. Quid hæc tibi suadebit? nequid aut bonum, aut malum existimes, quod nec virtute, nec malitiâ continget. deinde, vt sis immobilis contra malum ex bono, vt, qua fas est, Deum effingas. Quid tibi pro hac expeditione promittitur? ingentia & æqua diuinis. Nihil cogêris: nullo indigebis: liber eris, tutus, indemnis: nihil frustra tentabis, nihil

95. EX ÆQVO.] *Sic legendum. nempe, vt Voluptas præeat, pro Epicuri mente, & nec pari quidem passu cum Virtute incedat.*

96. ITA DEMVM.] *Id est, eâ lege, & hactenus inuicta est Virtus, si nihil ei anteponitur: si aliquid, iacet.*

97. FRANGENDVS.] *Minuendus, quod fit, dum scanditur; & vbi superaueris, desinit cliuus esse.*

98. LEGEM ESSE.] *Deum & Fata immisisse.*

99. ILLVD VETVS.] *Quod Pythagoræ Boëthius asserit, I. De Consol. Prosâ IV.* Instillabas auribus cogitationibusque cottidie meis Pythagoricum illud, Ἑπου θεῷ. *Plutarchus, itemq; Cicero, alicui è VII. Sapientibus tribuunt. iste IV. de Finib.* Quæque sunt vetera præcepta sapientum, qui iubent Tempori parêre, & Sequi deum, & Se noscere, & Nihil nimis. *Non dubiè hæc antiqua, & à capite Sapientiæ, id est ipso Deo, insita. Stoici interdum sic locuti, vt hoc ipsum dicerent hominis Bonum siue Finem esse. Arrianus I. Dissert. cap. XX.* Τί δὲ ἔχει μακρὸν εἰπεῖν, ὅτι τέλος ἐστὶ τὸ ἕπεσθαι θεοῖς; Quid longum est dicere, finem esse, sequi Deos? *Hoc ex doctrinâ Zenonis: quid Zenonis? etiam Moysis, vt ait Philo, de Migratione Abrahæ:* Τέλος ἓν ἐστὶ κατὰ τὸν ἱερώτατον Μωσῆν, τὸ ἕπεσθαι θεῷ: Finis secundùm sanctissimum Moysem, Sequi Deum.

100. PLORAT.] *Vide similia in Arriani Dissert. II. cap. XVI. sub finem.*

101. EX TRANSVERSO.] *A deo & fato, non à culpâ aut consilio.*

102. EX VNIVERSI.] *Occultum dogma Stoicum. omnia inter se nexa, & serie occultâ caussarum prodire, euenire: nec remedium iis, nisi ferre.*

103. EXCIPIATVR.] *Placet. tamen libri aliter:* magno visu eripiatur, *vel* nisu. *Fortè,* magno nobis excipiatur.

104 SACRAMENTVM.] *A militiâ. vt illi adacti sequi signa, & Imperatori obsequi: ita hîc iuratur, ferre quæ homini eueniunt.*

105. IN REGNO.] *Fortunæ, an verius fati.*

106. DEO PARERE.] *Dictum aureum. cui Philo consonat (de Regno)* Θεῷ δουλεύειν, καὶ ἐλευθερίας μόνον, ἀλλὰ καὶ βασιλείας ἄμεινον: Deo parêre, non libertate solùm, sed regno præstantius est.

nihil prohibeberis. Omnia tibi ex ſententiâ cedent: nihil aduerſum accidet, nihil contra opinionem ac voluntatem. Quid ergo? virtus ad viuendum beatè ſufficit, perfecta illa [107] & diuina? Quid ni ſufficiat? imò ſuperfluit. Quid enim deeſſe poteſt extra deſiderium omnium poſito? quid extrinſecus opus eſt ei, qui omnia ſua in ſe collegit? Sed ei qui ad virtutem [108] tendit, etiam ſi multum proceſſit, opus eſt tamen aliquâ fortunæ indulgentiâ, adhuc inter humana luctanti, dum nodum illum exſoluit, & omne vinculum mortale. Quid ergo intereſt? quòd alij [109] alligati ſunt, alij adſtricti, alij diſtricti quoque. Hic qui ad ſuperiora progreſſus eſt, & ſe altiùs extulit, laxam cathenam trahit, nondum liber, iam tamen pro libero. XVII. Si quis itaque ex iſtis qui philoſophiam [110] conlatrant, quod ſolent, dixerit: Quare ergo tu fortiùs loqueris quàm viuis? Quare ſuperiori verba ſummittis; & pecuniam neceſſarium tibi inſtrumentum exiſtimas, & damno moueris; & lacrimas, auditâ coniugis aut amici morte, dimittis; & reſpicis famam, & malignis ſermonibus tangeris? Quare [111] cultius rus tibi eſt, quàm [112] naturalis vſus deſiderat? cur non ad præſcriptum tuum [113] cænas? cur tibi [114] nitidior ſupellex eſt? cur apud te vinum ætate tuâ [115] vetuſtius bibitur? cur autem [116] domus diſponitur? cur arbores, [117] præter vmbram nihil daturæ, conſeruntur? quare [118] vxor tua locupletis domus [119] cenſum auribus gerit? quare [120] pædagogium [121] pretioſâ veſte ſuccingitur? quare ars eſt apud te, [122] miniſtrare: nec temerè, & vt libet, [123] collocatur argentum, ſed peritè [124] ſeruitur, & eſt aliquis [125] ſcindendi obſonij magiſter? Adiice, ſi vis, cur [126] trans mare poſſides? cur plura, [127] quàm noſti, poſſides? turpiter aut tam negligens es, vt non noueris pauculos ſeruos: aut tam luxurioſus, [128] vt plures habeas, quàm quorum notitiæ memoria ſufficiat. Adiuuabo poſtmodum conuicia, & plura mihi quàm putas, obiiciam: nunc hoc reſpondebo tibi. Non ſum ſapiens, & , vt maleuolentiam tuam paſcam, nec ero. Exigo itaque à me, non vt optimis par ſim, ſed vt malis melior. hoc mihi ſatis eſt, quotidie aliquid ex vitiis meis demere, & errores meos [129] obiurgare. Non

CAP. XVI. 107. ET DIVINA?] *Velim diſtingui:* beatè ſufficit? perfecta illa & diuina quidni ſufficiat? imò ſuperfluat.

108. TENDIT.] *Nondum ſapienti, ſed τῷ προκόπτοντι, ſiue* proficienti.

109. ALLIGATI.] *Nota diſcrimina, inter* Alligari, Adſtringi, Diſtringi. *Primum, mollius; iſtud, arctius; tertium, variè & non vno vinclo.*

CAP. XVII. 110. CONLATRANT.] *Caniculæ & dicaces, vt multi hodie: & iudicia me tardant aut ſiſtunt, cùm ſcribo.*

111. CVLTIVS RVS.] *Hæc omnia in ſe, & mox pro ſe, noſter. De rure autem & agris, ipſe apud Tacitum, libro* XV. Vbi eſt animus ille modicis contentus? tales hortos inſtruit, & per hæc ſuburbana incedit, & tantis agrorum ſpatiis, tam lato fœnore exuberat?

112. NATVRALIS.] *Contra dogma tuum Stoicum, quod iubet Naturam ſequi.*

113. CÆNAS?] *Ipſe tamen ſobrius, ſed conuiuis & mori ſe dabat.*

114. NITIDIOR.] *Tot menſæ citreæ, ſi vera Dio.*

115. VETVSTIVS.] *Opimianum aliquod, & centum annorum.*

116. DOMVS.] *Ea vox abeſt à meo atque optimis libris: ſcribuntq́, cur autem diſponitur? & licet ad vinum referre, quod in Apothecis ordine annorum diſponebatur.*

117. PRÆTER VMBRAM.] *Vt ſunt lauri, platani, cupreſſi. Plinius* XII. Sed quis non miretur, arborem vmbræ gratiâ tantùm, ex alieno orbe peti? *Habebant autem paſſim iſti diuites in ædibus* Daphnonas, platanonas, & aërias cypariſſos.

118. VXOR TVA.] *Nobilis Paullina.*

119. CENSVM.] *Propertius:*

Matrona incedit cenſus induta nepotum.

Tertullianus: Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt. *Vide* VII. *De Benef. cap.* IX.

120. PÆDAGOGIVM.] *Pueri pædagogiani, & molliculi: de quibus abundè ad* XVI. *Annal. Taciti. Adde Sen. De Tranq. cap.* I.

121. PRETIOSA.] *Tunicâ auro diſtinctâ.*

122. MINISTRARE.] *Vaſa ad miniſterium menſæ apta, in Delphicâ collocare.*

123. COLLOCATVR.] *In abaco, vt tetigi, an & in ipsâ menſâ, dum infertur?*

124. SERVITVR.] *Meus & ſcripti ferè,* ſeruatur *: ex quo Ciacconus (inter ſummos Criticos, niſi ſummus dies occupaſſet) ſeriatur: Muretus,* ſeruitur. *Ego olim*, ſtruitur: *& vix muto. De Breu. vitæ cap.* XII. Quàm ſolicitè argentum ordinent.

125. SCINDENDI.] *Carptor. de quo munere nos in* II. *Saturn. cap.* II. *& adi Epiſt.* XLVII.

126. TRANS MARE.] *In Britanniâ, & alibi, ex Dione, & æui eius more.*

127. QVAM NOSTI.] *Ad ſeruos refer, ſiue etiam ad agros.*

128. VT PLVRES.] *Cohortes enim, imò legiones (vt Plinius) ſeruorum tunc habebant. Ego in Admirandis.*

129. OBIVRGARE.] *Verbis ſcriptiſq́ conuicium iis facere, & ſic reprimere.*

130. VER-

A Non perueni ad ſanitatem, ne perueniam quidem: delinimenta magis quàm remedia podagræ meæ compono, contentus ſi rariùs accedit, & ſi minùs [130] verminatur. Veſtris quidem pedibus comparatus, [131] debilis curſor ſum. Hæc non pro me loquor: XVIII.
ego enim in alto vitiorum omnium ſum: ſed pro illo, cui aliquid [132] acti eſt. Aliter, inquit, loqueris: aliter viuis. Hoc [133] per maligniſſima capita, & optimo cuique inimiciſſima, Platoni obiectum eſt, obiectum Epicuro, obiectum Zenoni. Omnes enim iſti dicebant, non quemadmodum ipſi viuerent, ſed quemadmodum viuendum eſſet. De virtute, non de me loquor: & cùm vitiis conuitium facio, in primis meis facio. cùm potuero, viuam quomodo oportet. Nec malignitas me iſta multo veneno tincta deterrebit ab optimis. ne virus quidem iſtud, quo alios ſpargitis, [134] vos necatis, me impediet, quò minùs perſeuerem laudare vitam, non quam ago, ſed quam agendam ſcio: quò minùs virtutem adorem, & ex interuallo ingenti reptabundus ſequar. Expectabo ſcilicet, vt quidquam maliuolentiæ inuiolatum ſit, cui ſacer nec Rutilius fuit, nec Cato?
B Cur & aliquis non iſtis diues nimis videatur, quibus [135] Demetrius Cynicus parùm pauper eſt? O virum acerrimum, & contra omnia naturæ deſideria pugnantem! hoc pauperiorem, quàm ceteri Cynici, quod cùm ſibi interdixerit habere, interdixit [136] & poſcere. Negant ſatis egere. [137] Vides enim? non virtutis ſcientiam, [138] ſed egeſtatis profeſſus eſt. Diodorum Epicuréum philoſophum, qui intra paucos dies finem vi- XIX.
tæ ſuæ manu ſuâ impoſuit, negant ex decreto Epicuri feciſſe, quòd ſibi gulam præſecuit. alij dementiam videri volunt factum hoc eius, alij temeritatem. Ille interim beatus, ac plenus bonâ conſcientiâ, reddidit ſibi teſtimonium vitâ excedens, laudauitque ætatis in portu, & [139] ad ancoram actæ quietem: & dixit, quod vos inuiti audiſtis, quaſi vobis quoque faciendum ſit:

Vixi, & quem dederat curſum fortuna, peregi.

De alterius vitâ, de alterius morte diſputatis: & ad nomen magnorum ob aliquam eximiam laudem virorum, ſicut ad occurſum ignotorum hominum minuti canes, latra-
C tis. Expedit enim vobis, neminem videri bonum: quaſi aliena virtus, exprobratio delictorum veſtrorum ſit. Inuiti ſplendida cum ſordibus veſtris confertis, nec intelligitis quanto id veſtro detrimento audeatis. Nam ſi illi qui virtutem ſequuntur, auari, libidinoſi, ambitioſique ſunt: quid vos eſtis, quibus ipſum nomen virtutis odio eſt? Negatis quemquam præſtare quæ loquitur, nec ad exemplar orationis ſuæ viuere. Quid mirum? cùm loquantur fortia, ingentia, omnes humanas tempeſtates euadentia? cùm [140] refigere ſe crucibus conentur, in quas vnuſquiſque veſtrûm clauos ſuos ipſe [141] adigit? ad ſupplicium

130. VERMINATVR.] *Minùs ſe mouet, & quaſi vermium vellicatione vexat, Epiſt.* LXXIX. *item de podagrâ:* Omnium iſtorum prima verminatio vexat. *Epiſt.* XCV. Verminationes cerebri æſtuâtis. *Plinius:* Iumentorum verminationes. *Pomponius poëta vetus, de fœtu:* Decimo menſe demum turD gens, verminatur, parturit.

131. DEBILIS.] *Curro, non eo: etſi debiliter & infirmè. Suſpectum tamen hoc habeo: & fortaſſe,* debilibus, curſor ſum.

CAP. XVIII. 132. ACTI EST.] *Qui promouit, & proceſſus ſuos videt.*

133. PER MALIGNISS.] *Illud,* per, *abeſt omnibus ſcriptis. in meo hæc ita:* Hoc, maligniſſimum capitulum, & o. c. inimiciſſimum. *Benè appellat ipſum, qui obloquitur: & ô tu, inquit, malignum capitulum. o. c:*

134. VOS NECATIS.] *Inuidia venenum ſuum ipſa bibit.*

135. DEMETRIVS.] *Seneca De Benef.* VII. *cap.* VII. *& epiſt.* LXIII. *Vſque ad Domitiani ævum venit.*

136. ET POSCERE.] *In eo calumnia, quòd hîc quidem Cynicus, ſed non inter mendicos aut poſcinummios fuit. Itaque aiebant opes habere.*

137. VIDES ENIM?] *Ironicôs hæc dicuntur: & non obſcura ſunt, etſi aliis variè corrupta.*

138. SED EGESTATIS.] *Quaſi dicat. quid vos inepti? Demetrius quid profeſſus eſt, niſi ad virtutem ire? non hercules ad egeſtatem, niſi quatenus opes officiunt bonæ menti. Nec tamen malè, ſenſu iſto,* egeſtatem: *vt in meo libro.*

CAP. XIX. 139. AD ANCORAM.] *In quiete ſuâ & priuato otio vixit: non immiſit ſe in reip. fluctus.* Felix, mediæ quiſquis turbæ Parte quietus, aurâ ſtringit Litora tutâ: timidusque mari Credere cymbam, remo terras Propiore legit: *ſimili imagine dixit alter Seneca.*

140. REFIGERE.] *Reſoluere & ſe liberare à crucibus, quas cupidines & affectus ſui cuique ſtruunt.*

141. ADIGIT.] *Benè Muretus. adeò vos claues non reuellitis, vt magis magisque infigatis.*

plicium tamen acti, [142] stipitibus singulis pendent. Hi [143] qui in seipsos animaduertunt, A
quot cupiditatibus, tot crucibus distrahuntur: & maledici, in alienam contumeliam
venusti sunt. Crederem illis, nisi quidam ex patibulo suos spectatores [144] conspuerent.

XX. Non praestant philosophi quae loquuntur? multum tamen praestant, quòd loquuntur, quòd honesta mente concipiunt. Nam si & paria dictis agerent, quid esset illis beatius? interim non est, quòd contemnas bona verba, & bonis cogitationibus plena praecordia. Studiorum salutarium, etiam [145] citra effectum, laudanda tractatio est. Quid mirum, si non ascendunt in altum ardua aggressi? [146] sed viros suspice, etiam si decidunt, magna conantes. Generosa res est, respicientem non ad suas, sed ad naturae suae vires, conari alta, tentare, & mente maiora concipere, quàm quae etiam ingenti animo adornatis effici possint. Qui sibi hoc proposuit: Ego mortem eodem vultu audiam, quo [147] videbo. ego laboribus, quanticumque illi erunt, parebo, animo fulciens corpus. ego diuitias & praesentes & absentes aequè contemnam: nec si aliubi iacebunt, tristior; nec si
circa me fulgebunt, [148] animosior. ego fortunam nec venientem sentiam, nec recedentem. ego terras omnes tamquam meas videbo, meas tamquam omnium. ego sic viuam, quasi sciam aliis me natum: & naturae rerum hoc nomine gratias agam. Quo enim meliùs genere negotium meum agere potuit? vnum me donauit omnibus: vni mihi omnes. Quidquid habebo, nec sordidè custodiam, nec prodigè spargam. nihil magis possidere me credam, quàm benè donata: non numero, nec ponderè beneficia, nec vllâ, nisi accipientis aestimatione, pendam. Numquam id mihi multùm erit, quod dignus accipiet. [149] Nihil opinionis caussâ, omnia conscientiae faciam: [150] populo teste fieri credam, quidquid me nescio faciam. Edendi erit bibendique finis, desideria naturae restinguere, non implere aluum, & exinanire. Ego amicis iucundus, inimicis mitis & facilis, exorabor antequam roger, honestis precibus occurram. Patriam meam esse mundum sciam: & praesides deos supra me, circaque me stare, factorum dictorumque censores. Quandocumque autem natura spiritum repetet, aut [151] ratio dimittet, testatus
exibo, [152] bonam me conscientiam amasse, bona studia: nullius per me libertatem im- C
XXI. minutam, [153] minimè meam. Qui hoc facere proponet, volet, tentabit, ad deos iter faciet: nae ille, etiam si non tenuerit, *magnis tamen excidet ausis*. Vos quidem, qui virtutem cultoremque eius odistis, nihil noui facitis. nam & solem lumina aegra formidant, & auersantur diem splendidum nocturna animalia, quae ad primum eius ortum stupent, & latibula sua passim petunt, abduntur in aliquas rimas timida lucis. Gemite, & infelicem linguam bonorum exercete conuicio. instate, commordete: citiùs multo frangetis dentes, quàm imprimetis. Quare ille philosophiae studiosus est, & tam diues vitam agit? quare opes contemnendas dicit, & habet? vitam contemnendam putat, & tamen viuit? valetudinem contemnendam, & tamen illam diligentissimè tuetur, atque opti-

142. STIPITIBVS SING.] *Id est, isti sapientiae studiosi, non pluribus crucibus districti, vt vos: sed vno simplici ligno pendent, vnâ aliaq; cupidine retenti, eoq; facilius liberandi.*

143. QVI IN SEIPSOS.] *Pars altera sententiae est. illi vno ligno, isti maledici pluribus distrahuntur: ideoq; legerim*, Hi qui in ipsos: *ipsos, nempe studiosos illos & sapientiae cupidos. Aliter, sententiam non explices.*

144. CONSPVERENT.] *Dum diu illic pendent, & indignantes atque illudentes moriuntur.*

CAP. XX. 145. CITRA EFFECTVM.] *Apuleius:* Omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in casu est.

146. SED VIROS.] *Haec omnia concinnaui turbata, duce maximè meo libro: in quo cetera, vt edidi, nisi quòd*, vires, *haberet.*

147. VIDEBO.] *Nempe meam. Sententia est, audita alienae mors non magis me afficiet, quàm adstans & visa mea. Est familiare illud Senecae hyperbaton, non visa magis mouebit, quàm audita. Hoc enim voluit.* D

148. ANIMOSIOR.] *Scripti*, animo ducor. *Facerem*, animo editior: *vel*, diductior.

149. NIHIL OPINIONIS.] *Noster De Irâ* III. *cap.* XLI. Conscientiae satisfiat, nihil in famam laboremus.

150. POPVLO TESTE.] *Alibi:* Si honesta sunt quae facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cùm tu scias?

151. RATIO DIMITTET.] *Id est, aut ego ratione motus praeueniam, & mortem manu faciam.*

152. BONAM ME.] *Velim, & timeo tecum hoc, ô Seneca, profari: sed animo facio.*

153. MINIME MEAM.] *Tenui libertatem, quam Deus & natura dederunt, nec seruiliter alteri submisi. At libri alij*, à nemine meam: *quod esset, nulli in me ius fuit. Animo mansi erectus & liber.*

CAP.

A optimam mauult? Et exſilium nomen vanum putat, & ait, Quid eſt enim mali, mutare regiones? & tamen ſi licet, ſeneſcit in patriâ? Et inter longius tempus & breuius nihil intereſſe iudicat: tamen ſi nihil prohibet, extendit ætatem, & in multâ ſenectute placidus viret? Ait iſta debere contemni: non, ne habeat, ſed ne ſolicitus habeat. [154] non abiget illa à ſe: ſed abeuntia ſecurus proſequetur. Diuitias quidem vbi tutiùs fortuna deponet, quàm ibi, vnde ſine querelâ reddentis receptura eſt? M. Cato cùm laudaret [155] Curium & [156] Coruncanium, & ſæculum illud in quo [147] cenſorium crimen erat, paucæ argenti [158] lamellæ, poſſidebat ipſe [159] quadragies ſeſtertiûm: minus ſine dubio quàm Craſſus, plus tamen quàm cenſorius Cato. Maiore ſpacio, ſi comparentur, proauum vicerat, quàm à Craſſo vinceretur. Et ſi maiores illi obueniſſent opes, non ſpreuiſſet. nec enim ſe ſapiens indignum vllis muneribus fortuitis putat. Non amat diuitias, ſed [160] mauult: non in animum illas, ſed in domum recipit: nec reſpuit poſſeſſas, ſed continet, & maiorem virtuti ſuæ materiam ſubminiſtrari vult. Quid autem dubij XXII.
B eſt, quin maior [161] materia ſapienti viro ſit, animum explicandi ſuum in diuitiis, quàm in paupertate? cùm in hac vnum genus virtutis ſit, non inclinari, nec deprimi: in diuitiis, & temperantia, & liberalitas, & [162] diligentia, & diſpoſitio, & magnificentia, campum habeat patentem. Non contemnet ſe ſapiens, etiam ſi fuerit minimæ ſtaturæ: eſſe tamen ſe procerum volet. & exilis corpore, ac amiſſo oculo valebit: malet tamen ſibi eſſe corporis robur. Et hæc ita, vt ſciat eſſe aliud in ſe valentius. malam valetudinem tolerabit, bonam optabit. [163] Quædam enim, etiam ſi in ſummam rei parua ſunt, vt & ſubduci ſine ruinâ principalis boni poſſint: adiiciunt tamen aliquid ad perpetuam lætitiam, & [164] ex virtute naſcentem. Sic illum afficiunt diuitiæ, & exhilarant, vt nauigantem ſecundus & [165] ferens ventus, vt dies bonus, [166] vt in brumâ ac frigore [167] apricus

CAP. XXI. 154. NON ABIGET.] *Nam, vt alter Seneca*, Quis influentis dona fortunæ
C abnuat?

155. CVRIVM.] *M. Curium, bello Pyrrhi, notæ paupertatis. Valerius* IV. *cap.* III. *Cicero in Catone, Athenæus lib.* X.

156. CORVNCANIVM.] *Prænomine Tiberium. ſub idem tempus Conſul fuit, Dictator, Triumphalis.*

157. CENSORIVM.] *A Cenſore notandum. Hiſtoria innotuit de* Cornelio Ruffino, bis conſule, quem Fabricius cenſor Senatu mouit, quòd decem pondo argentea vaſa haberet. *Valerius* II. *cap.* IX. *Liuij epit.* XIV. *Plutarchus, in Sullâ. Auguſtin. epiſt.* CCLIV. *Ipſe Cato apud Liuium, libro* XXXIV. Cautum erat, quo ne plus auri & argenti facti, quo ne plus ſignati argenti & æris domi haberemus.

158. LAMELLÆ.] *Ouidius:*

D Et leuis argenti lamina, crimen erat.

159. QVADRAGIES.] *Ea eſſent nobis* centum millia *Philippicûm: modica, vel exigua potiùs, ſumma in Catonis Vticenſis illo æuo. Libri ſcripti*, quadrageſies: *ſed veriſimum*, quadringenties: *id eſt*, decies centena millia *Philippicûm. Atque id comparatio ſubſequens euincit, cùm addit magis victum ab eo proauum Catonem, quàm à Craſſo ipſum. Atqui Craſſus* bis millies *poſſedit, id eſt quinquies tantum. Diſſerui ſuper hac re, in Admirandis lib.* II. *cap. vlt.*

160. MAVVLT.] *Quia ſunt inter προηγμένα ſiue* producta, *quæ à ſapiente etiam eliguntur, & cadit in ea* ὁρμή, appetitio.

CAP. XXII. 161. MATERIA.] *Solus enim ſapiens vtitur opibus, ſtulti abutuntur. Apuleius, de Philoſophiâ Platonis:* Solus etiam ſapiens quia opes poteſt in vſibus neceſſariis regere, videri ditiſſimus debet. Nam ceteri quamuis ſint opibus affluentes, tamen quòd vel vſum earum neſciant, vel deducant eas ad peſſimas partes, inopes videntur.

162. DILIGENTIA.] *Statius pleraque hæc exprimat:*

Idem auri facilis contẽptor, & optimus idem
Condere diuitias, opibusq; immittere lucem.

Diligentia *igitur, in quærendo & tuendo:* Diſpoſitio, *pariter in collocando, & adminiſtrando.*

163. QVÆDAM ENIM.] *Hæc* Adiaphora, quæ nec ad felicitatem, nec ad infelicitatem conferunt: vt ſunt diuitiæ, ſanitas, vires, & id genus. *Inter Zenonia ſcita, Diogenes.*

164. EX VIRTVTE.] *Nam ita Stoici* ἀπογεννήματα τῆς ἀρετῆς, τήν τε χαρὰν καὶ τὴν εὐφροσύνην εἶναι: agnata virtutis, & quaſi ſoboles eſſe, gaudium & ſerenitatem mentis.

165. FERENS.] *Ventus, qui à puppe.* οὐρία. *Virgil.*

Exſpectet facilemq; fugam, ventoſq; ferentes.

Plinius Panegyrico: Venti ferentes, & breuis curſus, optentur. *Eſt Græcanicum. Homerus:*

Τὸν μὲν ἔπειτ' ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσεν.

Idem:

Αὐτίκα δ' ἐξ ἔπλωον ἐπέλασσε φέρων ἄνεμός τε καὶ ὕδωρ.

Vide & epiſt. XXII.

166. VT IN BRVMA.] *Malim*, vt dies bonus in brumâ, ac frigore apricus locus. *Bruma*, τροπὴ χειμερινή, Solſtitium hibernum: *ferè nimboſum aut turbidum; & dies qui circà, ſic appellantur.*

167. APRICVS.] *Soli expoſitus*, ἀνὰ φρίκης.

cus locus. Quis porrò ſapientum, noſtrorum dico, quibus vnum eſt bonum virtus, ne- A
gat etiam hæc quæ indifferentia vocamus, habere in ſe aliquid pretij, & [168] alia aliis eſſe
potiora? Quibuſdam ex his tribuitur aliquid [169] honoris, quibuſdam multum. Ne er-
res itaque, inter potiora diuitiæ ſunt. Quid ergo, inquis, me derides, cùm eumdem apud
te locum habeant, quem apud me? Vis ſcire, quàm non habeant eumdem locum?
mihi diuitiæ ſi effluxerint, nihil auferent, niſi ſemetipſas: tu ſtupebis, & videberis tibi
[170] ſine te relictus, ſi illæ à te receſſerint. apud me diuitiæ aliquem locum habent: apud
XXIII. te, ſummum. ad poſtremum, diuitiæ [171] meæ ſunt: tu diuitiarum es. Deſine er-
go philoſophis pecuniâ interdicere: nemo ſapientiam paupertate damnauit. [172] Habe-
bit philoſophus amplas opes: ſed nulli detractas, nec alieno [173] ſanguine cruentas, ſine
cuiuſquam iniuriâ partas, ſine ſordidis quæſtibus, quarum tam honeſtus ſit exitus quàm
introitus, quibus nemo ingemiſcat, niſi malignus. In quantum vis, exaggera illas, ho-
neſtæ ſunt: in quibus cùm multa ſint quę quiſque ſua dici velit, nihil eſt quod quiſquam
ſuum poſſit dicere. Ille verò fortunæ benignitatem à ſe non ſubmouebit, & patrimonio B
per honeſta quæſito nec gloriabitur, nec erubeſcet. Habebit tamen etiam quo glorietur,
ſi apertâ domo, & admiſsâ in res ſuas ciuitate, poterit dicere: Quod quiſque ſuum agno-
uerit, tollat. O magnum virum, [174] optimè diuitem, ſi opus ad hanc vocem conſonet!
ſi poſt hanc [175] vocem tantundem habuerit! ita dico, ſi tutus & ſecurus ſcrutationem
populo præbuerit: ſi nihil quiſquam apud illum inuenerit, quò [176] manus iniiciat: auda-
cter & propalam erit diues. Sicut ſapiens nullum denarium intra limen ſuum admittet,
malè intrantem: ita & magnas opes, munus fortunæ, fructumque virtutis, non repu-
diabit, nec excludet. Quid enim eſt, quare illis bonum locum inuideat? veniant, hoſpi-
tentur. Nec iactabit illas, nec abſcondet. alterum [177] infruniti animi eſt; alterum timi-
di & puſilli, velut magnum bonum intra [178] ſinum continentis. Nec, vt dixi, eiiciet illas
è domo. Quid enim dicet? vtrúmne, Inutiles eſtis: an, Ego vti diuitiis neſcio? Quem-
admodum etiam ſi pedibus ſuis poterit iter conficere, aſcendere tamen vehiculum ma-
let: ſic ſi poterit eſſe diues, volet: & habebit vtique opes, ſed tamquam leues & auola- C
turas: nec vlli alij, nec ſibi graues eſſe patietur. Donabit. Quid erexiſtis aures? quid ex-
peditis ſinum? Donabit, [179] aut bonis, aut eis quos facere poterit bonos. Donabit cum
ſummo conſilio, digniſſimos eligens: vt qui meminerit, tam expenſorum quàm acce-
pto-

168. ALIA ALIIS.] *Stoicorum hæc diuiſio. Alia* Bona, *alia* Mala *ſunt, alia* Indifferentia. *Sola virtus, bonum: ſola malitia, malum. Indifferentia, per ſe nec bona, nec mala; vſus dat iis nomen, ſiue cùm Virtus, ſiue cùm Malitia acceſſit. Eorum alia ſunt* Producta, *alia* Abducta. *Producta, quæ æſtimationem, & appetitionem habent: Abducta, quæ deæſtimationem, & fugam. Sed ipſa Producta, iterùm triplicia,* Animi, Corporis, Externa. *Animi, vt ingenium, ars, ſcientia: Corporis, vt ſanitas, vires: Externa, vt opes, gloria, nobilitas. Ex his mens Senecæ liquet, Adiaphora* habere aliquid pretij, *id eſt ἀξίαν, vt illi loquuntur, ſiue æſtimationem. Item* alia aliis potiora, *vt illa animi, corporeis; corporea, externis. Sed & inter ſingula ipſa, gradus. Vide me in Manud.* II. *Diſſert.* XXI. *&* XXII.

169. HONORIS.] *Vertit ἀξίαν.*

170. SINE TE.] *Nam in quoſdem hoc conuenit:*

Ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς:
Pecunia, anima & ſanguis eſt mortalibus.

171. MEÆ SVNT.] *Ego vtor, & impero: ipſæ tibi, & mancipium earum es. Non poſſides, ſed poſſideris. Vide epiſt.* VIII.

CAP. XXIII. 172. HABEBIT.] *Habere poterit.*

173. SANGVINE.] *Non ſpolium aut prædam, è damnatione aliorum. Hæc autem omnia de ſe, & pro ſe, Seneca.*

174. OPTIME.] *Vellem iterari,* O optimè.

175. VOCEM TANTVNDEM.] *Illud,* vocem, *redundat.*

176. MANVS INIICIAT.] *Vt in re ſuâ vindicanda. Poëta:*

Et dicam, meus eſt, iniiciamque manus.

177. INFRVNITI.] *Meus ſcribit,* infroniti. *Feſtus:* Fruniſcor, & Frunitum dixit Cato. nosque cùm adhuc dicimus Infrunitum, certum eſt antiquos dixiſſe Frunitum. *Agellius* IV. *cap.* IX. Verba infrunita & obtundentia. *Noſter de Benef.* III. *cap.* XVI. Infrunita eſt & antiquaria. *In Sacris:* Animo irreuerenti & infrunito. *Concilium Matiſconenſe* II. *can.* XIX. Cognouimus quoſdam clericos infrunitos, ad ferales reorum ſententias frequenter accedere. *Eſt quaſi ἄφρων, vel Infrons: & in Gloſsis explicatur,* Ἀπειρόκαλος, infrunitus, inſolens. D

178. SINVM.] *Ad accipiendum ſcilicet.*

179. AVT BONIS.] *Qui vos non eſtis, iſti improbi & calumniantes.*

180. Ex-

A ptorum rationem esse reddendam. Donabit ex rectâ & probabili caussâ. nam inter turpes iacturas malum munus est. Habebit sinum facilem, non perforatum: ex quo multa [180] exeant, nihil [181] excidat. Errat, si quis existimat facilem rem esse dona- XXIV.
re. Plurimum ista res habet difficultatis, si modò consilio tribuitur, non casu & impetu spargitur. Hunc [182] promereor, illi reddo: huic succurro, huius misereor. illum [183] instruo, dignum quem non [184] diducat paupertas, nec occupatum teneat. Quibusdam non dabo, quamuis desit: quia etiam si dedero, erit defuturum. quibusdam offeram, quibusdam etiam [185] inculcabo. Non possum in hac re esse negligens: numquam magis [186] nomina facio, quàm cum dono. Quid? tu, inquis, recepturus donas? imò non [187] perditurus. Eo loco sit donatio, vnde repeti non debeat, reddi possit. Beneficium collocetur, quemadmodum thesaurus altè obrutus: quem non eruas, nisi fuerit necesse. Quid [188] domus ipsa diuitis viri, quantam habet benefaciendi materiam? Quis enim liberalitatem tantùm ad [189] togatos vocat? hominibus prodesse natura iubet: serui liberi-
B ne sint, ingenui an libertini, [190] iustæ libertatis, an [191] inter amicos datæ, quid refert? vbicumque homo est, ibi beneficio locus est. Potest etiam pecuniam suam intra limen suum diffundere, & liberalitatem exercere: quæ non quia liberis debetur, sed quia à [192] libero animo proficiscitur, ita nominata est. Hæc apud sapientem nec vmquam in turpes indignosque impingitur, nec vmquam ita defatigata erit, vt non quotiens dignum inuenerit, quasi ex pleno fluat. Non est ergo quòd perperam exaudiatis, quæ honestè, fortiter, animosè, à studiosis sapientiæ dicuntur: & hoc primum attendite. [193] Aliud est, studiosus sapientiæ: aliud, iam adeptus sapientiam. Ille tibi dicet: Optimè loquor, sed adhuc inter mala volutor plurima. Non est, quòd me [194] ad formulam meam exigas: cummaximè facio me [195] & formo, & ad exemplar ingens attollo. si processero, quantum proposui, exige, vt dictis facta respondeant. Assecutus verò humani boni summam, aliter tecum aget, & dicet: Primùm, non est, quòd tibi permittas de melioribus ferre sententiam. mihi iam quod argumentum est recti contigit, malis displi-
C cere. Sed vt tibi rationem reddam, quam nulli mortalium inuideo, audi quid promittam, & quanti quæque æstimem. Diuitias nego bonum esse: nam si essent, [196] bonos facerent. nunc quoniam quod apud malos deprehenditur, dici bonum non potest;

hoc

180. EXEANT.] *Consilio.*

181. EXCIDAT.] *Casu aut leuitate.*

CAP. XXIV. 182. PROMEREOR.] *Vltrò deuincio, & beneficius ad me duco.*

183. INSTRVO.] *Lautiorem ampliorémque facio.*

184. DIDVCAT.] *Abstrahat & auellat à grauioribus. Scripti tamen ferè,* deducat: *& paupertas nimirum deprimit detrahit q; ad alta conantes. Hæc autem omnia in suâ personâ: & reuerà liberalis fuit. Iuuenalis:*

D Nemo petit, modicis quæ mittebantur amicis
A Senecâ.

Martialis:

Pisones, Senecasque, Memmiosque
Et Crispos mihi redde, sed priores.

185. INCVLCABO.] *Obtrudam, & quasi inuitis donabo: nempe verecundis & molliori fronte.*

186. NOMINA FACIO.] *Pecuniam occupo, colloco. Fœnerari est, dare in loco.*

187. PERDITVRVS.] *Vt prodigi. Tacitus, de Othone:* Perdere iste sciet, donare nesciet.

188. DOMVS IPSA.] *Familia illa magna, & tot serui.*

189. TOGATOS.] *Ciues & liberos.*

190. IVSTÆ LIBERT.] *Plenæ & legitimæ: quæ* Vindictâ, Censu, Testamento *parabatur. Cicero in Topic. Vlpianus Institit. Tit.* 1.

191. INTER AMICOS.] *Quæ non iusta aut plena: & hi tales (verba Taciti)* vinculo aliquo seruitutis attinebantur. *Dari ea minùs sollenniter solet,* Inter amicos, In conuiuio, Per epistolam. *Videsis nostra ad* XIII. *Annal.*

192. LIBERO.] *Non coacto, nec adstricto: tota voluntaria est. Sed & libero homine digna.*

193. ALIVD STVDIOSVS.] *Qui iam proficit, & est in parandâ sapientiâ. Stoici in his vocibus crebri. nam virtus apud eos* Scientia *est; Vitium,* Ignorantia. *Itaque* Studiosus *siue* σπουδαῖος, qui dat operam: *siue* πεπαιδευμένος *siue* Eruditus, *qui iam peruênit, & est adeptus. Ego in* II. *Manud. Dissert.* 1.

194. AD FORMVLAM.] *Ad præscriptum & legem, quam sequor, & mihi dixi.*

195. ET FORMO.] *Hoc etiam verbo vtebantur. atque ita in Arriani Dissertat.* II. *capite* XIV. ὁ τυπούμενος, καὶ ὁ τετυπωμένος: qui formatur, & qui iam factus. *vt iamnunc,* Studiosus & Eruditus.

196. BONOS FACERENT.] *Nam aiebant Stoici,* boni est proprium semper prodesse & iuuare;

hoc illis nomen nego. ceterùm & habendas esse, & [197] vtiles, & magna commoda adfe- A
XXV. rentes, fateor. Quid ergo sit, quare illas non in bonis numerem, & quid in illis præstem aliud, quàm vos, quoniam inter vtrosque conuenit habendas, audite. Pone in opulentissimâ me domo, pone aurum argentumque in promiscuo vsu sit: non suspiciam me ob ista, quæ etiam si apud me, extra me tamen sunt. In [198] sublicium pontem me transfer, & inter egentes abige; non ideò tamen me despiciam, quòd in illorum numero consideo, qui manum ad stipem porrigunt. quid enim ad rem, an frustum panis desit, cui non deest mori posse? Quid ergo est? domum illam splendidam malo, quàm pontem. Pone [199] in instrumentis splendentibus, & delicato apparatu: nihilo me feliciorem credam, quòd mihi [200] molle erit amiculum, quòd [201] purpura conuiuis meis substernetur. Nihilo miserior ero, si lassa ceruix mea in manipulo fœni acquiescet, si super Circense [202] tomentum, per futuras veteris lintei effluens, incubabo. Quid ergo est? malo quid mihi animi sit ostendere, [203] prætextatus & [204] candidatus, quàm nudis scapulis [205] & fœtentibus. Vt omnes mihi dies ex voto cedant, nouæ gratulationes priori- B
bus subtexantur: non ob hoc mihi placebo. Muta in contrarium hanc indulgentiam temporis: hinc illinc percutiatur animus, damno, luctu, incursionibus variis, nulla hora sine aliquâ querelâ sit: non ideò me dicam inter miserrima miserum, non ideò aliquem execrabor diem. [206] prouisum est enim à me, ne quis mihi ater dies esset. Quid ergo est? malo gaudia temperare, quàm dolores compescere. Hoc tibi ille Socrates dicet: Fac me victorem vniuersarum gentium: [207] delicatus ille Liberi currus triumphantem vsque

[208] ad

sicut caloris, calfacere. *Quod igitur nõ semper facit, non bonum. Addebant:* Quo benè & malè vti licet non est bonum: tale, opes & sanitas: non ergo bona. *Diogenes in Zenone.*

197. VTILES.] *Inter εὔχρηστα.*

CAP. XXV. 198. SVBLICIVM.] *In pontibus, & vbi commeatus creber ac transitus, vulgò mendici. Iuuenalis:*

*Vide 1. Electior. cap. XIII.

Inuitatus ad hæc aliquis de ponte, negabit.

Ibi Scholiastes: Quia mendici in pontis itinere sedent. *Iterùm Iuuenalis:*

—— diruſque à ponte satelles:

& Scholiastes: De numero mendicorum. *Sed & tertiùm:* Nulla crepido vacat, nusquam pons?

199. IN INSTRVMENTIS.] *In lectis ipsis aureis, vel auratis; stragulis purpureis. Licet & laxè capere, triclinij mensæq; instructum & ornamenta. Pincianus legebat,* in stramentis: *capiebatq; ipsa illa pretiosa strata.*

200. MOLLE ERIT.] *Cænatoria vestis. Molle autem, vt Plautus:* pro loricâ malacum capiam pallium: *vbi item de conuiuio. Erant è meliore lanâ, & sæpè purpureæ: ideò* molles, *an & quia mollium?*

201. PVRPVRA.] *Cicero Philipp.* II. Conchyliatis Cn. Pompeij peristromatis seruorum lectos in cellis stratos videres. *Virgilius:*

—— stratoq; super discumbitur ostro.

Martialis:

Cubitisque trudit hinc & inde conuiuas,
Effultus ostro sericisq; puluillis.

Tricliniaria, *hæc strata appellat Plinius, & è* dibaphâ Tyriâ *iam vulgò facta ostendit, libro* IX. *capite* XXXVI.

202. TOMENTVM.] *Culcita infarctum, è villis lanisve breuibus: sed & è paleis aut sectis stramentis. Hoc postremum genus vilissimum, &* Circense *dictum; quia venale illic, an quia inibi pauperes indormiebant? Martialis:*

Tomentum, concisa palus, Circense vocatur.

De hoc tali, Tacitus V. *Annal.* Drusus exstinguitur, cùm se miserandis alimentis, mandendo è cubili tomento, nonum ad diem sustentasset. C
Aluit nempe se arundinibus illis, aut cartilagineis calamis ibi insertis.

203. PRÆTEXTATVS.] *In veste magistratus. Malim tamen,* pexatus: *& est in vett.* prætaxatus.

204. CANDIDATVS.] *Veste ac colore honestiorum: suprà, cap.* II. *Mei libri,* clamidatus: *alij* causeatus, *vel* camisatus: *Mureti, vt ait,* canusinatus. *quod probat: quia Canusinæ lanæ bonæ & molles. Fateor, sed vix scio an honestioribus in vsu, ob colorem, qui aut fuscus in iis, aut ruffus. Vide Martialem epig.* CXXVII. *&* CXXIX. *libri* XIV. *Ille idem* Lecticarios *facit* canusinatos, *&* pueros: *ideò non hîc admittam. Magis, quod in quibusdam,* gausapatus. *Nam* Penulæ Gausapinæ *in vsu, contra frigus: & in Petronio etiam* coccinæ. *Vide Martial. epigram.* CXLV. *libri* XIV. *&* LIX. *libri* VI. *Si autem hoc, tum legam* petasatus, *pro* prætextatus: *vt hæc ad itineraria tegmina referantur.* D

205. ET FOETENTIBVS.] *A Mureto est. & sanè mei libri consonent, in quibus, aut* ferentibus. *Tamen cur hîc de fœtore? dubito: & alij libri,* aut sententiis; *alij,* aut assentientes; *quidam,* aut suris. *Pollutum est: quis purgat? è meis conabar,* aut verendis: *ea essent τὰ αἰδοῖα. ex aliis,* aut semitectis.

206. PROVISVM.] *Nam ratio & sapientia, bona mihi omnia & candida facient, meâ interpretatione. Aut bonum veniet, aut bonum fiet.*

207. DELICATVS.] *Hederâ & vuis ornatus, gemmeus aureúsque.*

208. AD

A [208] ad Thebas à ſolis ortu vehat: iura reges [209] Perſarum petant: me hominem eſſe tum maximè cogitabo, [210] cùm Deus vndique conſalutabor. Huic tam ſublimi faſtigio coniunge protinus præcipitem mutationem: in alienum imponar [211] ferculum, exornaturus victoris ſuperbi ac feri pompam: non humilior ſub [212] alieno curru agar, quàm in meo ſteteram. Quid ergo eſt? vincere tamen, quàm capi malo. Totum fortunæ regnum deſpiciam: ſed ex illo, ſi dabitur electio, molliora ſumam. Quidquid ad me venerit, bonum fiet: ſed malo faciliora ac iucundiora veniant, & minùs vexatura tractantem. Non eſt enim quòd vllam exiſtimes eſſe ſine labore virtutem: ſed quædã virtutes [213] ſtimulis, quædam [214] frænis egent. Quemadmodum corpus in [215] procliuo retineri debet, in ardua impelli: ita quædam virtutes in procliui ſunt, quædam cliuum ſubeunt. An dubium ſit, quin aſcendat, nitatur, obluctetur patientia, fortitudo, perſeuerantia, & quęcumque alia duris oppoſita virtus eſt, & fortunam ſubigit? Quid ergo? non æquè manifeſtum eſt per deuexum ire liberalitatem, temperantiam, manſuetudinem? In his con-
B tinemus animum, ne prolabatur: in illis exhortamur, incitamuſque. Acerrimas ergo paupertati adhibebimus, illas quæ [216] pugnare ſciunt, fortiores: diuitiis illas diligentiores, quæ ſuſpenſum gradum ponunt, & [217] pondus ſuum ſuſtinent. Cùm hoc ita diuiſum ſit, malo has in vſu mihi eſſe, quæ exercendæ tranquilliùs ſint, quàm eas quarum experimentum ſanguis & ſudor eſt. Ergo non ego, inquit ſapiens, aliter viuo quàm loquor, ſed vos aliter auditis. Sonus tantummodo verborum ad aures veſtras peruenit: quid ſignificet, non quæritis. Quid ergo inter me ſtultum, &, te ſapientem intereſt, ſi vterque habere volumus? plurimum. [218] Diuitiæ enim apud ſapientem virum in ſeruitute ſunt: apud ſtultum in imperio. ſapiens diuitiis nihil permittit: vobis diuitiæ omnia. Vos, tamquam aliquis vobis æternam poſſeſſionem earum promiſerit, aſſueſcitis illis, & cohæretis: ſapiens tunc maximè paupertatem meditatur, cùm in mediis diuitiis conſtitit. Numquam imperator ita paci credit, vt non ſe præparet bello: quod [219] etiamſi non geritur, indictum eſt. Vos domus formoſa, tamquam nec ardere nec ruere poſſit,
C inſolentes: vos opes, tamquam periculum omne tranſcenderint, maioresque ſint quàm quibus conſumendis ſatis virium habeat fortuna, obſtupefaciunt. Otioſi diuitiis luditis, nec prouidetis illarum periculum. ſicut [220] barbari plerumque incluſi, & [221] ignari machinarum, ſegnes laborem obſidentium ſpectant, nec quò illa pertineant, quæ ex longinquo inſtruuntur, intelligunt. Idem vobis euenit. marcetis in veſtris rebus: nec cogitatis, quot caſus vndique immineant, iamiamque pretioſa ſpolia [222] laturi. Sapienti quiſ-

XXVI.

208. AD THEBAS.] *Ea patria Bacchi, & domitis Indis triumphans huc vênit.*

209. PERSARVM.] *Aptum videtur. nam ij potentiſſimi in Oriente. Tamen ſcripti mei*, penatum: *alij*, penarum. *Nihil melius elicio.*

210. CVM DEVS.] *Sic olim reſtitui, Elector.* II. *cap.* IX.

211. FERCVLVM.] *Nota, imponi ſolere ipſos*
D *captiuos in ferculum, magis ſic conſpectui & oſtentui. Ioſephus, triumpho Veſpaſianorum:* Impoſitus erat in quoque ferculo dux vrbis captæ. *Seneca Tragicus:*

Non captiua dabit brachia vinculis,
Nec pompæ veniet nobile ferculum.

212. ALIENO CVRRV.] *Idem mihi animus triumphato, qui triumphanti.*

213. STIMVLIS.] *Vt in aduerſis.*

214. FRÆNIS.] *In proſperis. Adde huic rei epiſt.* LXVI. *ſub finem.*

215. PROCLIVO.] *In prono & inclinato:* deuexum *ipſe mox reddit.*

216. PVGNARE SCIVNT.] *Eraſmus*, quæ impugnatæ fiunt: *ſed libri meliores ab hac lectione. Dubito tamen an non*, pugnare ſunt fortiores.

217. PONDVS SVVM.] *Id eſt, ſufflaminant ſe, nec patiuntur per prona delabi.*

CAP. XXVI. 218. DIVITIÆ ENIM.] *Similia ſuprà, cap.* XXII. *in fine.*

219. ETIAMSI NON.] *Etſi nondum in manu eſt, tamen præ manu eſt. Alludit ad bella, quæ ſollenniter indici per Fetiales ſolent.*

220. BARBARI.] *Ita Cæſar, de Gallis, Comment.* II. Vbi vineis actis, aggere ſtructo, turrim conſtitui procul viderunt, primùm irridere ex muro atque increpitare verbis, quò tanta machinatio, ex tanto ſpatio, exſtrueretur? Vbi verò moueri, & appropinquare mœnibus viderunt, nouâ atque inuſitatâ ſpecie commoti, legatos ad Cæſarem de pace miſerunt.

221. IGNARI MACHIN.] *Tacitus* XII. *Annal.* Nihil tam ignarum barbaris, quàm machinamenta, & aſtus oppugnationum.

222. LATVRI.] *Nempe* caſus *illi, qui velut hoſtes imminent. Poſſet &*, daturi.

223. PRÆ-

quisquis abstulerit diuitias, omnia illi sua relinquet: viuit enim [223] præsentibus lætus, A futuri securus. Nihil magis, Socrates inquit, aut aliquis alius, cui idem ius aduersus humana atque eadem potestas est, persuasi mihi, quàm ne ad opiniones vestras [224] actum vitæ meæ flecterem. Solita conferte vndique verba: non conuiciari vos putabo, sed vagire velut infantes miserrimos. Hæc dicet ille, cui sapientia contigit: quem animus vitiorum immunis increpare alios, non quia odit, sed in remedium, iubet. Adiiciet his illa: Existimatio me vestra non meo nomine, sed vestro mouet. odisse, & lacessere virtutem, bonæ spei [225] eiuratio est. Nullam mihi iniuriam facitis. sicut [226] ne diis quidem hi, qui aras euertunt: sed malum propositum apparet, malumque consilium, etiam vbi nocere non potuit. Sic vestras hallucinationes fero, quemadmodum Iupiter optimus maximus ineptias poëtarum: quorum alius illi [227] alas imposuit, alius [228] cornua: alius adulterum illum induxit,& [229] abnoctantem: alius sæuum [230] in deos, alius iniquum in homines: alius raptorem ingenuorum,corruptoremque,& [231] cognatorum quidem: alius [232] parricidam, & regni alieni paternique expugnatorem. Quibus nihil B aliud actum est,quàm vt pudor hominibus peccandi demeretur, si tales deos credidissent. Sed quamquam ista me nihil lædant, vestrâ tamen vos moneo caussâ: suspicite virtutem. Credite his, qui illam diu secuti, magnum quiddam ipsos, & quod in dies maius appareat, sequi clamant. Et ipsam vt deos, & professores eius vt antistites colite: & quotiens mentio sacra litterarum interuenerit, [233] fauete linguis. Hoc verbum non, vt plerique existimant, [234] à fauore trahitur: sed imperatur silentium, vt ritè peragi possit sacrum, nullâ voce malâ obstrepente. XXVII. Quod multo magis necessarium est imperari vobis, vt quotiens aliquid ex illo proferetur oraculo, intenti & compressâ voce audiatis. Cùm [235] sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur; cùm aliquis [236] secandi lacertos suos artifex, brachia atque humeros [237] suspensâ manu cruentat; cùm aliqua [138] genibus per viam repens [239] vlulat; [240] laurumque [241] linteatus senex, & me-

223. PRÆSENTIBVS.] *Horatianum est:*
Lætus in præsens animus, quod vltrà est
Oderit curare.

224. ACTVM VITÆ.] *Epistolâ* XCI. Natura omnibus animalibus facilem actum vitæ daret: *vti & vulgò* Agere vitam.

225. EIVRATIO.] *Festus:* Eiuratio significat, non posse id, quod desideretur, præstari. *Sic noster De Benef.* V I. *cap.* I V. Eiurare ius fasque: *Plautus*, Eiurare militiam: *Cicero*, bonam copiam: *quò noster videtur alludere. Eiurare igitur* bonam spem, *est iuramento eam à se reijcere & abdicare: adeò virtutem non habere, vt nec eius spem reliquam. Vno verbo, desperati homines sunt, qui lacessunt virtutem.*

226. NE DIIS QVIDEM.] *Similia, De Constant. sap. cap.* IV. *De Benef.* VII. *cap.* VII.

227. ALAS IMPOS.] *Cygnum fecit, cùm adulterauit Ledam.*

228. CORNVA.] *Taurum, cùm Europam.*

229. ABNOCTANTEM.] *A Iunone suâ noctibus emanentem. In Pandectis:* Ne præses extra prouinciam abnoctet. *Scripti tamen*, obnoctantem.

230. IN DEOS.] *Saturnum, quem exsecuit: Vulcanum, quem præcipitauit: Iunonem, quam de cælo pedibus suspendit.*

231. COGNATORVM.] *Ganymedis. qui Trois filius, at Tros ab Assaraco & Ioue.*

232. PARRICIDAM.] *Deiecto pulsoque Saturno.*

233. FAVETE.] *In rebus diuinis, cùm fierent, de more hoc imperabatur: Brissonium in formulis vide.*

234. A FAVORE.] *Quîdni trahatur? certè tam* C *hoc à fauore ducitur, quàm calere à calore. Sed puto fuisse*, ad fauorem trahitur: *siue etiam*, trahit. *& sententia ita poscit. Ambigebatur super prisci dicti mente. alij censebant fauentiam imperari, alij silentium: & his Seneca accedit. Donatus*: In sacris, ore fauere, est silentium accommodare. *Festus:* Pascito linguam, id est coërceto: *à quo simplici est*, compescito. *Sic Græci:* Σῖγα πᾶς ἔσω λεώς. *Quidam hoc totum glossema factunt: non ausim, & bellè ad mentem Senecæ facit. Non hoc volo, inquit, vt faueatis bonis (vos tam dissimiles non potestis) sed vt de iis sileatis.*

CAP. XXVII. 235. SISTRVM.] *Crepitaculum æneum, quo Isidis sacerdotes vsi. Apuleius:* Æreis, & argenteis, & aureis sistris argutum tinnitum constrepentes. *Describit idem libro* X I. & D *apparet in monumentis.*

236. SECANDI.] *Vt Bellonarij, Galli, & id genus.*

237. SVSPENSA.] *Irridet: quasi dicat, non seriò nimis secant, sed manu altùm elatâ, molliter impressâ. Ideò Commodus:* Bellonæ seruientes, verè exsecare brachium præcepit, studio crudelitatis: *Lampridius.*

238. GENIBVS.] *Templa versus, opinor, Tibull.*
Non ego tellurem genibus perrepere supplex.

239. VLVLAT.] *Tristi voce inclamat, aut minatur.*

240. LAVRVMQVE.] *Vaticinij signum, vel lustrationis.*

241. LINTEATVS.] *AEgyptiorum sacerdotum ritu.*

242. LV-

A & medio [242] lucernam die præferens, conclamat, iratum aliquem deorum; concurritis & auditis,& [243] diuinum esse eum,inuicem mutuum alentes stuporem, adfirmatis. Ecce Socrates ex illo carcere, quem intrando purgauit, omniqúe honestiorem curiâ reddidit, proclamat: Quis iste furor? quæ ista inimica diis hominibusque natura est? infamare virtutes, & malignis sermonibus sancta violare? Si potestis, bonos laudate: si minùs,transite. Quòd si vobis exercere tætram istam licentiam placet, alter in alterum incursitate. nam cùm [244] in cælum insanitis, non dico sacrilegium facitis, sed operam perditis. Præbui ego aliquando [245] Aristophani materiam iocorum: tota illa comicorum poëtarum manus in me venenatos sales suos effudit. Illustrata est virtus mea, per ea ipsa, per quæ petebatur. [246] produci enim illi & tentari expedit: nec vlli magis intelligunt quanta sit, quàm qui vires eius lacessendo senserunt. Duritia silicis nulli magis, quàm ferientibus, nota est. Præbeo me non aliter,quàm rupes aliqua in [247] vadoso mari destituta, quam fluctus non desinunt vndecumque moti sunt verberare: nec ideò
B aut loco eam mouent, aut per totætates crebro incursu suo consumunt. Assilite, facite impetum: ferendo vos vincam. In ea, quæ firma & insuperabilia sunt, quidquid incurrit, [248] malo suo vim suam exercet. Proinde quærite aliquam mollem cedentemque materiam, in quam tela vestra figantur. Vobis autem vacat aliena scrutari mala, & sententias ferre de quoquam? Quare hic philosophus laxiùs habitat? quare hic lautiùs cænat? [249] Papulas obseruatis alienas, ipsi obsiti plurimis vlceribus. Hoc tale est, quale si quis pulcherrimorum corporum næuos aut verrucas derideat, quem fœda scabies depascitur. Obiicite Platoni,quòd [250] petierit pecuniam: Aristoteli,quòd [251] acceperit: Democrito,quòd [252] neglexerit: Epicuro, quòd [253] consumpserit: [254] mihi ipsi [255] Alcibiadem

242. LVCERNAM.] *Quare? an vt quasi præsens numen esse testaretur? an quia sic ad templum ibat? De Lucernis porrò ad festa aut sacra, scripsi* 1. *Elect. cap.* III.

C 243. DIVINVM.] *Entheum, deo plenum; siue etiam,vatem & præsagum.*

244. IN CÆLVM.] *Homines istos cælestes.*

245. ARISTOPHANI.] *Hodieq; sales illi leguntur,præsertim in fabulâ* Nubibus.

246. PRODVCI.] *In campum & in arenam. à gladiatoribus,aut athletis.*

247. VADOSO.] *Mallem,* vndoso.

248. MALO SVO.] *Qui verberat, vapulat; qui petit, læditur. vt si manum in silicem impingas.*

249. PAPVLAS.] *Tubercula, pustulas: vnde & papillæ.*

250. PETIERIT.] *Dum nauigat in Siciliam, ad Dionysium & Dionem.*

251. ACCEPERIT.] *Ab Alexandro suo, & sæpiùs.*

D 252. NEGLEXERIT.] *Cùm hereditatem haberet* centum talentorum: *quam fratribus reliquerit; pauxillo ad peregrinationem retento.*

253. CONSVMPSERIT.] *Vt quidam obiecerunt,* minam cottidie in cibos impendit. *Pete à Diogene hæc talia.*

254. MIHIIPSI.] *Cui? Senecæ, volunt viri doctissimi: & ad eum sequentia referenda. Quod mihi nullo modo videtur. vbi enim Socratici sermonis pausa vel abruptio? continuo omnia filo hærent: & addo, quòd sequentia ne possint quidem decorè à Senecâ dici. Vt,* O vos maximè felices, cùm primùm vobis vitia nostra imitari contigerit! *Hócne ille de se, tam superbum? Item:* At ego ex alto prospiciens, video quæ tempestates, *&c. quasi ipse ille sit in edito, & Sapientiæ arce: quod suprà (cap.* XXIIII.) *valdè amolitus est, & negauit. Ergo mihi verum, ista Socratis etiam esse. Sed quomodo, inquiunt, possunt, cùm tempora dissentiani? Ecce, de* Aristotele *præiuit,* pecuniam accepisse: *quomodo id autem Socrates scire potuerit, cùm Aristoteles nec natus fuerit, cùm ille obijt? Quæ verior opinio est, vt alibi dico: etsi quidam vigesimum annum egisse volunt, illo moriente: sed certè nec sic Dynastis vllis notus fuerit, aut ijs gratus. De* Epicuro, *magis etiam vrget. nam ille annis circiter* LX. *in lucem venit, postquam Socrates luce exiuit. Quæ igitur hæc diuinatio? dicam. Socratem excitat Seneca ab inferis, sed quasi in isto æuo & re præsenti locuturum. Ponit illum quidem, aut potiùs reponit, in carcere: quia id tribunal videbatur decere hanc concionem. Nónne sic oratores, & nominatim Cicero Ap. Claudium Cæcum è mortuis aduocat, & apposita facit dicere illi æuo? similis Prosopopœia hîc est: aut si aliter etiam, quid magni mali? Ipse Plato, in Dialogis, hanc in personis temporibúsque inconuenientiam sæpè peccat: vt exactè Athenæo notatum libro* V. *Calor aut intentio scribentium talia excusat.*

255. ALCIBIADEM.] *Hæc iidem illi tollunt, aut mutant, ne ad Socratem ducant. Itaque è libris coniiciunt,* assem & prædium. *Obiicite mihi, ait Seneca, opes meas duplices, vel in fœnore & pecuniâ, vel in agris. Neque nego libros quosdam præferre:* alicubi ad se & Phædrum; *alios,* alicubi assem & pedrum; *alios denique,* assem & pedum. *Sed tamen vulgatam ego teneo & tueor: etsi affectus valdè ad te(vir magne quem hîc intellego) trahit. Nam primùm, de diuitiis signatè non hîc sermo: & si esset, non ad meum gustum hæc dictio,* assem & prædium, *singulariter sic, in amplis diuitiis, efferendi. Quin magis*

dem & Phædrum obiectare. O vos [256] vſu maximè felices, cùm primùm vobis imitari vitia noſtra contigerit! Quin potiùs mala veſtra circumſpicitis, quæ vos ab omni parte confodiunt, alia graſſantia extrinſecus, alia in viſceribus ipſis ardentia? Non eo loco res humanæ ſunt, etiam ſi ſtatum veſtrum parùm noſtis, vt vobis tantum otij ſuperſit, vt in probra meliorum agitare linguam vacet. XXVIII Hoc vos non intelligitis, & alienum fortunæ veſtræ vultum geritis: ſicut plurimi, quibus in circo aut in theatro deſidentibus, iam funeſta domus eſt, nec annunciatum malum. At ego ex alto proſpiciens, video quæ tempeſtates aut immineant vobis, paullò tardiùs rupturæ nimbum ſuum, aut iam vicinæ, vos ac veſtra rapturæ, propiùs acceſſerint. Quid porrò, nónne nunc quoque (etiam ſi parùm ſentitis) turbo quidam animos veſtros rotat, & inuoluit, fugientes, petentesque eadem, & nunc in ſublime alleuatos, nunc in infima alliſos [257] rapit? * * * *

magis aſſes & prædia? *aut potiùs*, æs & prædia, *vniuersè? Deinde, nihil de Senecâ, vt prædixi: ipſius Socrates eſt, qui loquitur, & ſcimus* Alcibiadem *illi & amores obiectos. Vt alios omittam, Petronius, Lucianus, Thodoretus dicent. Iam de* Phædro, *eadem ſuſpicio ex Sympoſio Platonis, vbi amatoria colloquia, & παιδερασικὰ: ſed & ex Dialogo qui* Phædrus *inſcribitur,* Περὶ καλοῦ *ſiue* De pulchro. *Hæc ita habent: at non omitto mei optimi libri ſcripturam,* mihiipſi aliquid fedum obiectate. *Quæ valdè placeat, ſi in Senecæ perſonâ hæc ſcripta. Quod illud fœdum?* corrupiſſe cubicula principum fœminarum, *vt apud Tacitum Suillius obiecit. Sed non inducor: quiſque pro ſe cenſeto.*

256. VSV.] *Muretus eiecerat, inuitis libris: mutare malim,* ô vos iſti.

CAP. XXVIII. 257. RAPIT.] *Abeſt à meis. & verò hîc lacuna ingens, & reliqua deſunt huius libri. Quæ continenter vulgò leguntur, aliena à toto argumento ſunt, & meritò abiunxi.*

L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ

DE OTIO AVT SECESSV SAPIENTIS

LIBRI PARS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B LIBER *hic an Epistola fuerit, nescio: diuellendus tamen à* Vitâ beatâ, *cum quâ commune nihil habet. Sed nec quando scriptum istud, scio: materies & tractatio bona est, atque erudita. Quærebatur, An Sapienti non liceret in otium, & à rep. secedere? Quærebatur inter Stoicos, qui consensu eò vocabant. Ipse adfirmat: & principium scripti deest, quæ supersunt, ita habent. Ait ab exemplo principum Stoicorum id ius moremque esse: qui etsi miserunt ad remp. non iuerunt. Quosdam autem à primâ ætate otium, sed honestum, amplecti: quosdam in vltimâ, tamquam veteranos, & emeritis iam stipendiis, illuc ire. Honestum autem otium in studiis Sapientiæ, & contemplatione Naturæ, esse. Addit hæc Stoicis, sed & Epicureis placere: etsi in leui dissensu. quòd isti otium ex proposito petant; illi ex causâ. Nempe si resp. desperatè corrupta; si parua alicui auctoritas aut gratia; item si valetudo infirma. Concludit, etiam in otio* C *Rempublicam tractari. quam duplicem facit, Paruam & Magnam. Illa est, finibus certis, legibusque comprehensa: vt Athenienſis, aut Romana. Hæc ipse Mundus totus, cui Natura ciues nos dedit. Magnam, etiam in otio & secessu Sapiens colit tractatque, scribendo aut docendo. Hoc Zeno, & Chrysippus fecêre, & plus generi humano profuêre, quàm omnium actuosorum sudores & discursus.*

EX CAPITE VIGESIMOSEPTIMO.

[1] CIRCI nobis magno consensu vitia commendant. Licet nihil aliud quod sit salutare tentemus, proderit tamen [2] primò in seipsum secedere. meliores erimus singuli. Quid, quòd secedere [3] ad optimos viros, & aliquod [4] exemplum eligere, ad quod vitam dirigamus, licet? [5] quod in otio non fit. Tunc potest obtinere quod semel placuit, vbi nemo interuenit, qui iudicium adhuc imbecillum, populo adiutore, detorqueat. tunc D *potest vita æquali & vno tenore procedere, quam propositis diuersissimis scindimus. Nam inter cetera mala illud pessimum est, quòd vitia ipsa mutamus. sic ne hoc quidem nobis contingit, permanere in malo iam familiari. Aliud ex alio placet, vexatque nos. [6] Hoc quoque, quòd iudicia nostra non tantùm praua, sed etiam leuia sunt. Fluctuamus, aliudque ex alio comprehendimus: [7] petita relinquimus, relicta repetimus: alternæ inter cupiditatem nostram, & pœnitentiam vices sunt. Pendemus enim toti ex alienis iudiciis: & id optimum nobis videtur, quod petitores laudatoresque multos habet, non id quod laudandum petendumque est. Nec viam bonam ac malam per se æstimamus, sed turbâ vestigiorum, in quibus nulla sunt [8] redeuntium. Dices mihi: [9] Quid agis Seneca? deseris [10] partes. Certè Stoici vestri dicunt: Vsque ad vltimum vitæ finem [11] in actu erimus, non desinemus communi bono operam dare, adiuuare singulos, opem ferre etiam inimicis, [12] eniti manu. Nos sumus, qui nullis annis vacationem damus, & quod ait ille [13] vir disertissimus, *Canitiem galeâ premimus*. Nos sumus, apud quos vsque*

eò nihil ante mortem otioſum eſt, vt, ſi res patitur non ſit ipſa mors otioſa. Quid no- A
bis Epicuri præcepta, in ipſis Zenonis [14] principiis, loqueris? Quin tu benè & nauiter, ſi
partium piget, transfugis potiùs, quàm prodis? Hoc tibi in præſentiâ reſpondebo. Num-
quid vis amplius, quàm vt me ſimilem ducibus meis præſtem? Quid ergo eſt? non quò
XXIX. [15] miſerint me illi, ſed quò [16] duxerint, ibo. Nunc probabo tibi, nec deſciſcere me
à præceptis Stoicorum: nam ne ipſi quidem à ſuis deſciuerunt: & tamen excuſatiſſimus
eſſem, etiam ſi non præcepta illorum ſequerer, ſed exempla. Hoc quod dico, in duas di-
uidam partes. Primùm, vt poſſit aliquis, vel à primâ ætate, contemplationi veritatis to-
tum ſe tradere, rationem viuendi quærere, atque exercere, ſecretò. Deinde, [17] vt poſſit
hoc aliquis emeritis iam ſtipendiis, [18] profligatæ ætatis, iure optimo facere, & ad [19] alios
actus animum referre: virginum Veſtalium more, quæ, annis [20] inter officia diuiſis,
XXX. diſcunt facere ſacra, & cùm didicerunt, docent. Hæc Stoicis quoque placere
oſtendam: non quia legem dixerim mihi, nihil contra dictum Zenonis Chryſippíve
committere: ſed quia res ipſa patitur me ire in illorum ſententiam: quam ſi quis ſem- B
per vnius ſequitur, [21] non id vitæ, ſed factionis eſt. Vtinam quidem iam tenerentur om-
nia, & inoperta ac confeſſa veritas eſſet! nihil ex decretis mutaremus: nunc veritatem,
cum eis ipſis qui docent, quærimus. Duæ maximæ in hac re diſſident ſectæ, Epicureo-
rum & Stoicorum: ſed vtraque ad otium diuersâ viâ mittit. Epicurus ait: *Non accedet*
ad

COMMENTARIVS.

CAP. XXVIII. *Tenemus hos numeros, ne citationes aliorum falſæ ſint aut irritæ: etſi ipſi falſi. Omnino autem diuerſum hoc ſcriptum, & malè hactenus cohæſit: quid enim de* Beatâ vitâ *eſt? Argumentum diuerſiſſimum*, An ſapiens in otio & ſeceſſu poſſit agere? *quæſitum ideò, quia Stoici eum ad rempublicam mittebant.*

1. CIRCI NOBIS.] *Quid præiuerit, neſcio: haud multa tamen, ex eo, quod cap. ſequenti materiam diuidit, & oſtendit ſe tantumnon ordiri. De* Circi *autem vitiis, haud improbè: quia à pueris eò trahebantur, & tales ferè ſermones. Alij tamen libri*, cur nobis. *Exordium fuit de malis, quæ adfricat turba.*

2. PRIMÒ IN SE.] *Priſca lectio:* proderit tamen poſſe ipſum ſecedere. *Colonienſis editio veriſimè*, tamen per ſe ipſum ſecedere: *id eſt, ſeceſſus, ſine alio aſpectu, ſuâ vi proderit.*

3. AD OPTIMOS.] *Ita libri: alij ediderunt, præpoſitione omiſſâ. At Senecæ mens eſt, ipſum Secedere per ſe bonum eſſe: quanto magis, ſi à vulgo & prauis ad bonos itur? Ad quos? nempe cogitatos in mente, aut etiam manu prehenſos & electos.*

4. EXEMPLVM.] *Vide epiſt.* XI.

5. QVOD IN OTIO.] *Tota hæc clauſula (mirum) non Mureto ſolùm, ſed & Eraſmo omiſſa, aliàs talium non æquè libero. Sed libri conſenſu reponunt: legendumq; pro ſenſu:* quod in otio nónne fit? *aut omiſſâ negatione, vt in vno libro.*

6. HOC QVOQVE.] *Diſtinguam*: vexatque nos hoc quoque.

7. PETITA RELINQ.] *Plautina philoſophia ſimilis*:

Certa amittimus, dum incerta appetimus. atque hoc euenit,
In labore atque in dolore vt mors obrepat interim.

8. REDEVNTIVM.] *Ruunt enim alij ſuper alios, & præcipitant.* C

9. QVID AGIS.] *Tale in epiſt.* VIII. Tu me, inquis, vitare turbam iubes, ſecedere, & conſcientiâ contentum eſſe? Vbi illa præcepta veſtra, quæ iubent in actu mori?

10. PARTES.] *Vt in factione, aut bello.*

11. IN ACTV.] *Tacitus* XIV. *Annal.* Aſſumptâ etiam Stoicorum arrogantiâ ſectaque: quæ turbidos, & negotiorum appetentes, facit.

12. ENITI MANV.] *In vitio eſt: quidam libri*, eruti manu. *Ego è vulgatâ eruebam*, mente, manu.

13. VIR DISERTISS.] *Virgilius libro* IX. *de Latinis.*

14. PRINCIPIIS.] *A caſtris ſumptum.*

15. MISERINT.] *Præcipiendo.*

16. DVXERINT.] *Præeundo.* D

CAP. XXIX. 17. VT POSSIT.] *Quomodo poſſit, quâ vi & lege.*

18. PROFLIGATÆ.] *Iam affectæ, & ad exitum vergentis.*

19. ALIOS ACTVS.] *Meditandi, docendi.*

20. INTER OFFICIA.] *Nam vt Dionyſius lib.* II. *Plutarchus in Numâ produnt, Veſtalium tricennale tempus eſt: exq; eo decem annos diſcunt, decem faciunt, totidem docent. Dixi fuſiùs in De Veſtalibus.*

CAP. XXX. 21. NON ID VITÆ.] *Corrupta, nec boni vllius ſenſus. eſt qui corrigi cenſet:* non id ſectæ. *At libri ſcripti:* non iniuria ſed in factionis eſt. *ex quo veriſimè*, non id curiæ, ſed iam factionis eſt. *In ſententiis, crebrò alludit ad Senatum ſiue*

A *ad remp. ſapiens, niſi ſi quid*[22] *interuenerit.* Zenon ait: *Accedat ad remp. niſi ſi quid*[23] *impedierit.* Alter otium ex propoſito petit, alter ex cauſsâ. Cauſſa autem illa latè patet. ſi reſp. corruptior eſt, quàm vt adiuuari poſſit, ſi occupata eſt malis: non nitetur ſapiens in ſuperuacuum, nec ſe nihil profuturus impendet: ſi parùm habebit auctoritatis aut virium: nec illum erit admiſſura reſp. ſi valetudo illum impediet. Quomodo nauem quaſſam non deduceret in mare, quomodo nomen in militiam non daret debilis: ſic[24] ad iter quod inhabile ſciet, non accedet. Poteſt ergo & ille, cui omnia adhuc in integro ſunt, antequam vllas experiatur tempeſtates,[25] in tuto ſubſiſtere, & protinus commendare ſe bonis artibus: & illud beatum otium exigere, virtutum cultor, quæ exerceri etiam à quietiſſimis poſſunt. Hoc nempe ab homine exigitur, vt proſit hominibus, ſi fieri poteſt, multis; ſi minùs, paucis; ſi minùs, proximis; ſi minùs, ſibi. Nam cùm ſe vtilem ceteris efficit, commune agit negotium. Quomodo qui ſe deteriorem facit, non ſibi tantummodò nocet, ſed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodeſſe potuiſ-
B ſet: ſic ſi quis benè de ſe meretur, hoc ipſo aliis prodeſt, quòd illis profuturum parat.

Duas reſpublicas animo complectamur,[26] alteram magnam, & verè publicam, quâ XXXI.
dij atque homines continentur. in quâ non ad hunc angulum reſpicimus, aut ad illum, ſed terminos ciuitatis noſtræ cum ſole metimur: alteram, cui nos adſcripſit conditio naſcendi. Hæc aut Athenienſium erit, aut Carthaginenſium, aut alterius alicuius vrbis, quæ non ad omnes pertineat homines, ſed ad certos. Quidam eodem tempore vtrique reip. dant operam, maiori minorique: quidam tantùm minori: quidam tantùm maiori. Huic maiori reip. & in otio deſeruire poſſumus. imò verò neſcio an in otio meliùs: vt quæramus, quid ſit virtus,[27] vna pluréſve ſint? natura[28] an ars bonos viros faciat? vnum ſit hoc, quod maria terraſque, & mari ac terris inſerta complectitur,[29] an multa Deus corpora eiuſmodi ſparſerit? continua ſit omnis &[30] plena materia, ex quâ cuncta gignuntur, an[31] diducta, &[32] ſolidis inane permixtum ſit? [33] Deus ſedens opus ſuum ſpectet, an[34] tractet? vtrúmne[35] extrinſecus illi circumfuſus ſit,[36] an toti inditus?
C [37] immor-

ſiue Curiam (teſtis liber De vitâ beatâ, cap. II. III. *& alibi:) ita & hîc. Siquis ſemper vnius ſententiæ ſe mancipat, non Senatorem agit, ſed partiarium & factioſum. Tertullianus hoc ſcitè dictum arripuit, etſi inuertit:* Cùm boni coëunt, cùm pij & caſti congregantur, non eſt factio dicenda, ſed Curia: *Apologet. cap.* X.

22. INTERVENERIT.] *Vt ſi patria periclitetur; ſi lex eum cogit; ſi populus ignarum eligit.*

23. IMPEDIERIT.] *Verba ipſa dogmatis:* Πολιτεύσεσθαι τὸν σοφὸν, ἂν μή τι κωλύει: Iturum ad remp. ſapientem, niſi quid impediat.

24. AD ITER.] *A Mureto eſt. libri antè cuſi:* ſic ad vitam, quam inhabilem. *At ſcripti:* ſic aditum quod inhabile. *Ad olim vulgatam*
D *inclino.*

25. IN TVTO.] Neptunum procul è terrâ ſpectare furentem.

CAP. XXXI. 26. ALTERAM MAGNAM.] *Vide pulchra, epiſt.* LXIX.

27. VNA.] *Iuſtitia, quæ in ſe omnes continet. Siue magis Stoico ſenſu, Virtutem eſſe communiter,* affectionem conſentientem naturæ. *Itaque noſter epiſt.* LXVI. Vnam animi virtutem eſſe, ſed multas eius ſpecies, quæ pro vitæ varietate, & pro actionibus explicantur. *Ego iſta* II. *Ethic.*

28. AN ARS.] *Hoc enim quærebatur,* An docilis virtus eſſet? *Stoici conſenſu affirmabant: quia boni ex malis cottidie fiunt. Aly aliter, qui philoſophiam ſuperuacuam cenſebant. Eorum mente Quinctilianus Declam.* CCLXVIII. Ego autem mores naſci puto, & propriam cuiuſque naturæ virtutem. Alia forſitan diſcantur, boni mores conſtant voluntate. *Vide Manud.* II. *Diſſert.* X.

29. AN MVLTA.] *Democriti, Anaxagoræ, Epicuri dogma, Plures aut infinitos mundos eſſe.*

30. PLENA.] *Sine vacuo.*

31. DIDVCTA.] *Vt in Epicuri atomis: qui idem & Inane ſtatuebat. Democritum ſecutus, cuius opinio:* ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων, ἀτόμους καὶ κενόν: principia omnium, atomos & inane eſſe.

32. SOLIDIS.] *Atomi ſunt ſolidæ. Lucret.* I.

Sunt igitur ſolida, ac ſine inani, corpora prima: *ſed ſpatium in quo voluuntur, inane. Item, creatis omnibus in rebus inane mixtum. Diffusè ille poëta libro dicto.*

33. DEVS SEDENS.] *Otioſus & nil agens, vt Epicurus cenſet.*

34. TRACTET.] *Regat, curet, vt Stoici.*

35. EXTRINSECVS.] *Epicurus. qui Deum proiecit extra mundum. Seneca de Benef.* IV. *cap.* XIX. *Vbi is ergo? in Intermundiis.*

36. AN TOTI.] *Seneca, Præfat. Quæſt. Natur.* Opus ſuum & intrà & extrà tenet. *Nam & Stoici Vacuum ponunt extrà: atque ibi etiam Deum. Vide Phyſiol.* I. *Diſſ.* XXI.

[37] immortalis sit mundus, an inter caduca, & ad tempus nata, numerandus? Hæc qui A
contemplatur, quid Deo præstat? [38] ne tanta eius opera sine teste sint. Solemus dicere,
summum bonum esse, secundùm naturam viuere: natura nos ad vtrumque [39] genuit, &
XXXII. contemplationi rerum, & actioni. Nunc probemus, quod priùs diximus. Quid
porrò, hoc non erit probatum, si se vnusquisque consuluerit, quantam cupiditatem ha-
beat ignota noscendi, quàm ad omnes fabulas excitetur? Nauigant quidam, & labores
peregrinationis longissimæ vnâ mercede perpetiuntur, cognoscendi aliquid abditum
remotumque. Hæc res ad spectacula populos contrahit, hæc cogit præclusa rimari, se-
cretiora exquirere, antiquitates euoluere, mores barbararum audire gentium. Curiosum
nobis natura ingenium dedit: & artis sibi ac pulchritudinis suæ conscia, spectatores nos
tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam
subtiliter ducta, tam nitida, & non vno genere formosa, solitudini ostenderet. Vt scias
illam spectari voluisse, non tantùm aspici, vide quem nobis locum dederit. In mediâ
nos sui parte constituit, & circumspectum omnium nobis dedit: nec erexit tantummo- B
do hominem, [40] sed etiam ad contemplationem factum, vt ab ortu sidera in occasum
labentia prosequi posset, & vultum suum circumferre [41] cum toto, sublime fecit illi ca-
put, & collo flexibili imposuit. Deinde [42] sena per diem, sena per noctem signa pro-
duxit, nullam non partem sui explicuit: vt per hæc quæ obtulerat eius oculis, cupidita-
tem faceret etiam ceterorum. [43] nec enim omnia, [44] nec tanta visimus, quanta sunt: sed
acies nostra aperit sibi inuestigando viam, & fundamenta veri iacit, vt inquisitio trans-
eat ex apertis in obscura, & aliquid ipso mundo inueniat [45] antiquius. [46] Vnde ista side-
ra exierint? quis fuerit vniuersi status, antequam singula in partes discederent? [47] quæ ra-
tio mersa & confusa diduxerit? quis loca rebus assignauerit? suapte naturâ grauia descen-
derint, euolauerint leuia, an præter nisum ponduſque corporum [48] altior aliqua vis le-
gem singulis dixerit? an illud verum sit, quo maximè probatur, hominem diuini spiri-
tus esse, partem ac veluti scintillas quasdam [49] sacrorum in terras desiluisse, atque alieno
loco C

37. IMMORTALIS.] *Quod Xenophanes censuit,* ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον: ingenitum, & immortalem. *Idem Aristoteles. At Epicurei*, animalis modo, quia genitus, occasurum. *Stoici, perituram igne, sed semen tamen eius (id est Materiam) mansurum, & reparandum.*

38. NE TANTA.] *Epictetus in Dissertat.* Ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον θεατὴν εἰσήγαγεν αὐτοῦ τε καὶ τῶν ἔργων τῶν αὐτοῦ· καὶ οὐ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν: Deus hominem spectatorem in mundum hunc induxit, & sui & suorum operum: nec spectatorem tantùm, sed enarratorem & præconem. *Noster, de Benefic.* VI. *cap.* XXIII. Inter maxima rerum suarum Natura nihil habet quo magis glorietur *(quàm homine)* aut certè cui glorietur.

39. GENVIT.] *Peryctione Pythagorica (in Stobæo, Serm.* I.) Γέγονε δὲ καὶ συνέσεως ὁ ἄνθρωπος ποτὲ θεωρῆσαι τὸν λόγον τᾶς τῶν ὅλων φύσεως, καὶ τᾶς σοφίας. ἔργον ἔστιν αὐτῷ τούτῳ, κτήσασθαι καὶ θεωρῆσαι τὰν τῶν ἐόντων φρόνησιν: Factus & conditus est homo, vt contempletur rationem vniuersæ naturæ, & sapientiæ: eidemque hoc opus est acquirere, & considerare omnium quæ exstant sapientiam.

CAP. XXXII. 40. SED ETIAM AD.] *Vitiata, libri quidam:* sed etiam hanc contemplationem facturum: *meus*, sed & habere contemplationem facture. *Legam:* sed & habilem contemplationi naturæ, vt. *Muretus autem hæc licenter ejecerat.*

41. CVM TOTO.] *Id est, cum hoc Mundo.*

42. SENA PER DIEM.] *In qualibet die ciuili, breui seu longâ, sex signa Zodiaci oriuntur, id est supra horizontem nostrum ascendunt: totidemq; de nocte. Etsi id signum Cosmicè propriè oriri dicitur, cum quo & in quo Sol manè oritur. Non alia hîc mens nostri: neque enim ad* Diurna *aut* Nocturna *signa traxerim: de quibus, abstusiore sensu, Manilius lib.* II. *haud longè ab initio.*

43. NEC ENIM OMNIA.] *Multa latère volunt Astrologi in octauâ sphærâ, quæ paruitate sunt inconspicua. An & ad Cometas refers, quos noster vult esse æternos ignes, etsi rarò videndos? Potes & ad Australia sidera iuxta polum, nobis occulta.*

44. NEC TANTA.] *Non cerie. nam terram longè superant ea, quæ nobis bipedalia aut palmaria* D *videntur.*

45. ANTIQVIVS.] *Ita. nempe (Stoicè) Deum & Materiam, principia prima.*

46. VNDE ISTA SID.] *Ex igne Stoicis. nam, breuiter, ita sentiunt. Duo esse rerum principia, Deum & Materiam. Deum esse,* ignem intelligentem *(πῦρ νοερὸν:) Materiam, aquæ similem. Ex his quattuor elementa creata: & ex iis summo loco, Ignem. Ex purissimo igne, Solem & astra nata: atque ea, quia ignea, humore nutriri. Nos in Physiol.* II. *Dissert.* XIV.

47. QVÆ RATIO.] *Incorporalis ratio. vide Consol. ad Helu. cap.* VIII. *& me* II. *Physiolog. Dissertat.* II.

48. ALTIOR ALIQVA.] *Eadem dicta.*

49. SACRORVM.] *Quorum? ignium æternorum,*

A loco hæsisse? Cogitatio nostra cæli munimenta perrumpit, nec contenta est id quod ostenditur scire. Illud, inquit, scrutor, quod [50] vltra mundum iacet, vtrúmne profunda vastitas sit, an & hoc ipsum terminis suis cludatur? qualis sit habitus exclusis, informia & confusa sint, [51] an in omnem partem tantumdem loci obtinentia, an & illa in aliquem cultum descripta sint? huic cohæreant mundo, an longè ab hoc secesserint, & in vacuo volutentur? [52] indiuidua sint, per quæ struitur omne id quod natum futurumque est, an continua eorum materia sit, & [53] per totum mutabilis? vtrùm contraria inter se elementa sint, an non pugnent, sed per diuersa conspirent? Ad hæc quærenda natus, æstima, quàm non multum acceperit temporis, etiam si illud totum sibi vindicet. cui licet nihil facilitate eripi, nihil negligentiâ patiatur excidere, licet horas suas auarissimè seruet, & vsque in vltimæ ætatis humanæ terminos procedat, nec quidquam illi ex eo quod natura constituit, fortuna concutiat: tamen homo, ad immortalium cognitionem, nimis mortalis est. Ergo secundùm naturam viuo, si totum me illi dedo, si illius admira-
B tor cultorque sum. At natura [54] vtrumque facere me voluit, & agere, & contemplationi vacare. Vtrumque facio: quoniam ne contemplatio quidem sine actione est. Sed refert, inquis, an ad hanc voluptatis caussâ accesserit, [55] nihil aliud ex illâ petens, quàm assiduam contemplationem, sine exitu. est enim [56] dulcis, & habet illecebras suas. Aduersus hoc tibi respondeo. æquè refert, quo animo ciuilem agas vitam: an vt semper inquietus sis, nec vnquam sumas vllum tempus, quo ab humanis ad diuina respicias. Quomodo res appetere, sine vllo virtutum amore, & sine cultu ingenij, ac [57] nudas edere operas, minimè probabile est: (misceri enim inter se ista, & [58] conferri debent:) sic imperfectum ac languidum bonum est, in otium sine actu proiecta virtus, numquam id quod didicit ostendens. Quis negat illum debere profectus suos in opere tentare? nec tantùm quid faciendum sit cogitare, sed etiam aliquando manum exerere, & ea quæ meditata sunt, ad verum perducere? [59] Quid si per ipsum sapientem non est mora, si non actor deest, sed agenda desunt: ecquid illi secum esse permittes? Quo animo ad
C otium sapiens secedit? vt sciat [60] secum quoque ea acturum, per quæ posteris prosit. Nos certè sumus, qui dicimus, & Zenonem & Chrysippum maiora egisse, quàm si duxissent exercitus, gessissent honores, leges tulissent, quas non vni ciuitati, sed toti humano generi [61] tulerunt. Quid ergo est, quare tale otium non conueniat bono viro, per quod

rum, qui sacri, & dÿ quidam. Sed omnino diuinatio nostra verior, astrorum: *& sic scripsit. Pythagoræ primùm sententia fuit, opïnor,* ψυχὴν ἀπόσπασμα αἰθέρος εἶ: Animam, auulsionem & partem detractam ætheris esse. *Stoici (vt multa illius) secuti. Varro* IV. *de L. L.* Siue, vt Zeno Cittiéus, animalium semen, ignis: qui anima, & mens. qui calor è cælo, quòd hîc innumerabiles & immortales ignes. *Ennius apud Priscianum:* Terra corpus est, at ignis mentis est: *antiquè, pro* mens. *Cicero De*
D *Nat. Deor.* Semina deorum decidisse de cælo putamus in terras. & sic homines exstitisse. *Plura in Physiol.* III. *Dissert.* VIII.

50. VLTRA.] *Siue extra mundum: quod Vacuum Stoici censebant.*

51. AN IN OMNEM.] *Lego*, ac in. *Nihil enim in loco, nisi finitum.*

52. INDIVIDVA.] *Corpuscula secari nescia, atomi.*

53. PER TOTVM.] *Vbique & semper mutabilis, susceptis aliis aliisq; formis. Non ita in Atomis, quas* ἀμεταβλήτους, immutabiles *Epicurus disertè scripsit. Itaque ipsis manentibus, fieri dumtaxat, ex earum concursu vario, varias* συγκρίσεις, *siue* concretiones.

54. VTRVMQVE FACERE.] *Et in vtroque, si per virtutem operêre (Contemplatione & Actione, inquam) est Aristoteli perfecta felicitas,* X. *Ethicor. cap.* VI. VII. VIII.

55. NIHIL ALIVD.] *Id est, contemplans tantùm contemplandi caussâ.*

56. DVLCIS.] *Aristoteles, delectari nos maximè contemplatione & cognitione diuinorum, ait:* καὶ τῆς, *inquit,* εἰ καὶ κατὰ μικρόν ἐφαπτόμεθα, ὅμως διὰ τιμιότητα τῆ γνωρίζειν, ἥδιον ἢ τὰ πάντα περ' ἡμῖν ἅπαντα: & illius si vel modicam partem adepti sumus, suauius hoc nobis, quàm si inferæ huius partis omnia: *De partib. animal.* I. *cap. vlt.*

57 NVDAS.] *Meras solasq;.*

58. CONFERRI.] *Scripti*, conseri: *quod probem. vnà seri & iungi.*

59. QVID SI.] *Lego*, quod si.

60. SECVM QVOQVE.] *Meus*, se tum.

61. TVLERVNT.] *Et quas leges tulerunt? benè sentiendi, intellegendi, viuendi. Quibus? toti humano generi, vt inquit. Et sunt sanè hi tales ad istud Homericum, Iliad.* N.

quod futura sæcula ordinet, nec apud paucos concionetur, sed apud omnes omnium A
gentium homines, quique sunt, quique erunt? Ad summam quæro, an ex præceptis
suis vixerint Cleanthes, & Chrysippus, & Zenon? non dubiè respondebis, sic illos vi-
xisse, quemadmodum dixerant esse viuendum. atqui nemo illorum remp. administra-
uit. Non fuit illis, inquis, aut ea [62] fortuna, aut [63] dignitas, quæ admitti ad publicarum
rerum tractationem solet. Sed iidem nihilominus non segnem egêre vitam. inuenerunt,
quemadmodum plus quies illorum hominibus prodesset, quàm aliorum discursus &
sudor. Ergo nihilominus hi multum egisse visi sunt, quamuis nihil publicè agerent.
Præterea, [64] tria genera sunt vitæ, inrer quæ, quod sit optimum, quæri solet: vnum vo-
luptati vacat, alterum contemplationi, tertium actioni. Primùm, depositâ contentio-
ne depositoque odio, quod implacabile diuersa sequentibus indiximus, videamus, an
hæc omnia ad idem, sub alio titulo, perueniant. Nec ille, qui voluptatem probat, sine
contemplatione est; nec ille, qui contemplationi inseruit, sine voluptate est; nec ille,
cuius vita actioni destinata est, sine contemplatione est. Plurimum, inquis, discriminis B
est, vtrùm aliqua res propositum, an propositi alterius accessio sit. Sanè grande discri-
men: tamen alterum sine altero non est. Nec ille [65] sine actione contemplatur, nec hic
sine contemplatione agit. Nec ille tertius, [66] de quo malè existimare consueuimus, volu-
ptatem inertem probat, sed eam, quam [67] ratione efficit firmam sibi. Ita & hæc ipsa vo-
luptaria secta [68] in actu est. Quid ni in actu sit, cùm ipse dicat Epicurus, aliquando se
recessurum à voluptate, dolorem etiam appetiturum, si aut voluptati imminebit pœ-
nitentia, aut dolor minor pro grauiore sumetur? Quò pertinet hoc dicere? vt appareat,
contemplationem placere omnibus. Alij [69] petunt illam: [70] nobis hæc statio est, non
portus. Adiice nunc huc, quòd [71] è lege Chrysippi viuere otioso licet. non dico, vt
otium patiatur, sed vt eligat. Negant nostri sapientem ad quamlibet remp. accessurum.
Quid autem interest, quomodo sapiens ad otium veniat: vtrùm quia resp. [72] illi deest,
an quia ipse reipublicæ? Si omnibus defutura resp. est (semper autem deerit fastidiosè
quærentibus) interrogo ad quam remp. sapiens accessurus sit? Ad Athenienſium, in quâ C
Socrates damnatur, [73] Aristoteles ne damnaretur, fugit? in quâ opprimit inuidia virtutes?
negabis mihi accessurum ad hanc remp. sapientem. Ad Carthaginienſium ergo remp.
sapiens

Ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τίθει νόον εὐρύοπα Ζεὺς
Ἔσθλόν, τῷ δέ τε πολλοὶ ἐπαυρίσκονται ἄνθρωποι:

At Deus huic animum prudentem in pectore donat,
Quo multi possint homines vti atque fruisci.

62. FORTVNA.] *Nam ex censu ad remp. admissi.*

63. DIGNITAS.] *Itemq; ex genere. Alia ab his caussa, de Chrysippo quidem, proditur in Stobæo, Serm.* XLIII. Chrysippus interrogatus, cur non administraret publica? Quia si malè, inquit, diis displicuero; si benè, ciuibus.

64. TRIA GENERA.] *Ipsa hæc diuisio est in Plutarcho, De instituendis liberis*: Viuendi, *inquit*, tres rationes. quarum vna est Actiua, altera Contemplatiua, tertia Voluptaria. Atque hæc vltima, illiberalis aut brutalis est; Contemplatiua sine Actiuâ, sterilis; Actiua Contemplationis expers, impolita & cæcutiens.

65. SINE ACTIONE.] *Ambrosius* I. *De Iacobo, cap. vlt.* Quando enim feriatus videri potest, cuius mens semper operatur?

66. DE QVO MALI.] *De Epicuro. quem ipse hîc obiter, alibi strictiùs defendit aut excusat.*

67. RATIONE.] *Hæc vera lectio, & prisca. Nam Epicuri dogma (sanè laudabile & rectum, si cetera consentiant)* quòd non conuiuia aut comessationes, non item amores, non alia oblectantia, vitam faciant iucundam, *ἀλλὰ, inquit, νήφων, λογισμὸς, καὶ τὰς αἰτίας ἐξερευνῶν πάσης αἱρέσεως καὶ φυγῆς*: sed sobria & vigilans Ratio, causssas explorans cur quidque eligat, aut vitet. *Eò palàm noster adspexit.*

68. IN ACTV.] *Quomodo? quiáne Rationem adhibet? ita, quoniam & hoc ipsum ratiocinari & explorare, est non esse desidem: & Ratio à segnitie ad opus ducet, idq; solidæ voluptatis caussâ.* D

69. PETVNT.] *Ex propopositio: vt Epicurus.*

70. NOBIS.] *Stoicus. quibus accessio propositi est. Non licet remp. gerere, & in publico actu esse, quod primò volebam: ad me secedo, & ago quod possum bono publico, etiam otiosus: quod secundò volebam. Sic nauta, qui portum petit, si excidit, statione contentus est.*

70. E LEGE.] *Non ex permisso, sed (ampliùs dico) ex decreto.*

72. ILLI DEEST.] *Qualem vellet, & in quâ vtilis.*

73. ARISTOTELES.] *Cùm tredecim annos docuisset à morte Alexandri, impietatis accusatus ab Eurymedonte sycophantâ, Chalcidem profugit: &, poto aconito, vitâ aufugit.*

74. Ho-

A ſapiens accedet, in quâ aſſidua ſeditio, & optimo cuique infeſta libertas eſt, ſumma æqui ac boni vilitas, aduerſus [74] hoſtes inhumana crudelitas, etiam aduerſus [75] ſuos hoſtilitas? & hanc fugiet. Si percenſere ſingulas voluero, nullam inueniam, quæ [76] ſapientem, aut quam ſapiens [77] pati poſſit. Quòd ſi non inuenitur illa reſp. quam nobis [78] fingimus, incipit omnibus eſſe otium neceſſarium: quia quod vnum præferri poterat otio, nuſquam eſt. Si quis dicit optimum eſſe nauigare: deinde negat nauigandum in eo mari, in quo naufragia fieri ſoleant, & frequenter ſubitæ tempeſtates ſint, quæ rectorem in contrarium rapiant: puto, hic me vetat nauem ſoluere, quamquam laudat [79] nauigationem. *

74. HOSTES.] *Punica crudelitas, prouerbio innotuit.*

75. SVOS HOSTILITAS.] *Quos re malè geſtâ in crucem agebant, de more.*

B 76. SAPIENTEM.] *Perfectum illum, & ex dogmatibus ſuis loquentem.*

77. PATI POSSIT.] *Niſi cum ſapienti illâ cautione Antiſthenis. qui* interrogatus quomodo ad remp. accedendum? Vt ad ignem, inquit: neque propè admodum, ne amburaris; neque longè, ne frigeas. *Quis ſic temperabit?*

78. FINGIMVS.] *Bonam, & bonorum. Deformari animo & ſcriptis poteſt: in re non eſſe. certè non fuit.*

79. NAVIGATIONEM.*] *Deſunt hauddubiè quædam: & doleo, in pulcherrimo, & pro nobis qui ſcribimus, ſcripto.*

L. ANNÆI SENECÆ

AD AEBVCIVM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

HOS libros inter Philosophiæ vltimos pono, etsi frontem anteà tenuerunt. Sed res ita est, si tempus spectes: & scripti omnino sunt sub Nerone, post Claudij mortem. Argumentum certum, quòd fine libri primi contemptim admodum de Claudio, & futile eius iudicium *traducit: non facturus vnquam illo viuo. Libri boni sunt, sed mehercule in ordine & tractatu confusi: quem vix est vel adnitentem expedire. Tamen, vt possumus. Primus liber exordium habet & querelam de Ingratitudine, quæ crebra est, & inter vitia tamen magna. Ideò de Beneficiis se scripturum,* Quæ vis eorum,& Proprietas *sit? Hæc vsque ad Cap.* v. *Tum definit, Beneficium non in materie, sed animo tribuentis esse: & ab eo pendendum. Diducit per exemplа, & argumenta, vsque ad Cap.* XI. *Ibi duo membra dicendorum proponit,* Quæ Beneficia danda, & Quemadmodum? *Prius exsequitur ad finem libri: alterum differt in sequentem.*

CAPVT PRIMVM.

INTER multos ac varios errores temerè viuentium inconsulteque, nihil propemodum, vir optime Liberalis, dixerim [1] nocentius, quàm quòd beneficia nec dare scimus, nec accipere. Sequitur enim vt malè collata, malè debeantur. de quibus non redditis, serò querimur: ista enim perierant, cùm darentur. Nec mirum est, inter plurima maximaque vitia nullum esse frequentius, quàm ingrati animi. Id euenire ex pluribus causis video. prima, quòd non eligimus dignos, quibus tribuamus: sed [2] nomina facturi, diligenter in patrimonium & [3] vasa debitoris inquirimus: semina in solum effetum & sterile non spargimus: beneficia sine vllo delectu magis proiicimus, quàm damus. Nec facilè dixerim, vtrùm turpius sit inficiari, an repetere beneficium. Id enim genus huius crediti est, ex quo tantum recipiendum sit, quantum vltrò refertur: [4] decoquere verò fœdissimum ob hoc ipsum, quia non opus est ad liberandum fidem facultatibus, [5] sed animo. reddit enim beneficium, qui libenter debet. Sed cùm sit in ipsis crimen, qui ne confessione quidem grati sunt, in nobis quoque est. Multos experimur ingratos, plures facimus: quia aliàs graues exprobratores exactoresque sumus; [6] aliàs leues, & quos paullo pòst muneris sui pæniteat; aliàs queruli, & [7] minima momenta calumniantes. Ita gratiam omnem corrumpimus, non tantùm postquam dedimus beneficia, sed dum damus. Quis enim nostrûm contentus fuit, aut leuiter rogari, aut semel? quis non, cùm aliquid à se peti suspicatus est, [8] frontem adduxit, vultum auertit,

A auertit, occupationes ſimulauit, longis ſermonibus, & de induſtriâ non inuenientibus exitum, occaſionem petendi abſtulit, & variis artibus properantes neceſſitates eluſit? [9] In anguſto verò comprehenſus, aut diſtulit, [10] id eſt, timidè negauit; aut promiſit, ſed difficulter, ſed ſubductis ſuperciliis, ſed malignis & [11] vix exeuntibus verbis? Nemo autem libenter debet, quod non accepit, ſed expreſſit. Gratus eſſe aduerſus eum quiſquam poteſt, qui beneficium aut [12] ſuperbè iniecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, vt moleſtiâ careret, dedit? Errat, ſi quis ſperat reſponſurum ſibi, quem dilatione laſſauit, exſpectatione torſit. Eodem animo beneficium debetur, quo datur: & ideò non eſt negligenter dandum. Sibi enim quis debet, quod [13] à neſciente accepit. Nec tardè quidem: quia cùm in omni officio magni æſtimetur dantis voluntas, qui tardè fecit, diu noluit. Vtique non contumeliosè. nam cùm ita naturâ comparatum ſit, vt [14] altiùs iniuriæ quàm merita deſcendant, & illa citò defluant, has tenax memoria cuſtodiat: quid exſpectat qui offendit, dum obligat? Satis aduerſus illum gratus eſt, ſi quis [15] beneficio eius ignoſcit.

B Non eſt autem quòd tardiores faciat ad benè merendum, turba ingratorum. Nam primùm (vt dixi) nos illam augemus: deinde ne deos quidem immortales ab hac tam [16] effuſâ

COMMENTARIVS.

CAP. I. 1. NOCENTIVS.] *Pro quo alij* peius, *alij* fœdius *edunt. At in ſcriptis nihil horum: vt appareat coniectanea hæc, non germana eſſe. Meus liber:* dixerim ſubeſſe tantum errorem: *ſed nec id purum fortaſſe.*

2. NOMINA FACTVRI.] *Obligaturi aliquem, vt ijs qui æs credunt. Aſconius:* Nomina, tituli debitorum: *quia nempe in Codice vel kalendario annotabant*, Scio tot HS. Lucio tantum

C dedi.

3. VASA DEBITORIS.] *Inſtrumentum, ſupellectilem, & quidquid non eſt ſoli. Inde* Vaſa conclamare, *in caſtris: &* Vaſarium, *pecunia quæ Præſidibus ad domeſticum inſtrumentum. Græci ita laxè etiam* τὸ σκεῦος.

4. DECOQVERE.] *Alij libri,* de quo queri, *malè. Decoquere valet, fidem nolle aut non poſſe liberare, foro cedere. Inde metaphora ad ingratos ex profeſſo in beneficijs. Vide* IV. *De Benefic. cap.* XVII. *& epiſt.* LXXXI.

5. SED ANIMO.] *Cicero iamantè:* Gratiam & qui refert, habet; & qui habet, eoipſo quod habet, refert: *bellè & acutè.*

6. ALIAS LEVES.] *Columella:* Multi be-

D neficia, quæ in amicos contulerunt, leuitate deſtruunt.

7. MINIMA MOMENTA.] *Occaſionum aut temporum, quibus videantur potuiſſe reddere.*

8. FRONTEM ADDVXIT.] *In triſtitiâ aut faſtidio facimus, & corrugamus. Inde homines* adducti, *graues, ſeueri, triſtes. Adde infrà lib.* IV. *cap.* XXXI. *lib.* VI. *cap.* VII. *In hoc genus Martialis:*

Durum eſt Sexte negare, cùm rogeris:
Quanto durius, antequàm rogeris.

9. IN ANGVSTO.] *Vbi elabi aut eludere non eſſet.*

10. ID EST, TIMIDE.] *Benè. nam cauſſam dilationis exprimit, quæ eſt vt in præſenti amoliatur, non vt poſteà præſtet. In eos quoque ille Hiſpanus:*

Inquiris, dubitas, cunctaris, teque diebus
Meque decem crucias: iam rogo, Phœbe, nega.

11. VIX EXEVNTIBVS.] *Quod ſignum animi inprompti. At Tiberius hic contrà. qui* compoſitus aliàs, & velut eluctantium verborum, ſolutiùs promptiuſque eloquebatur, quoties ſubueniret. *Tacitus* IV. *Annal.*

12. SVPERBE INIECIT.] *Libri ſcripti,* abiecit: *ego vellem,* obiecit.

13. A NESCIENTE.] *Rectè. vnus tamen meus,* & à neſciente: *ex quo*, vt à neſc. *facias. Vulgati:* quod à negligente, *nec malè.*

14. ALTIVS INIVRIÆ.] *Herodianus in Pertinacis Oratione:* Καὶ τὰ μὲν δεινὰ τῆς ἔργων ἀεὶ μνημονεύεται· τὸ δὲ λυσῆσαι δυσεξάλειπτον· τὰ δὲ χρηστὰ, ἅμα τῇ ἀπολαύσει, καὶ τὴν περὶ αὐτῆς μνήμην συναναλίσκει: Iniuriarum, ſi quæ factæ ſunt, ſemper eſt memoria; & quidquid offendit, ægrè eximitur aut obliteratur: at beneficiorum, vnà cum ipſo fructu vſuque, memoria perit. *Plautus:*

—ita ſunt iſti diuites.
Siquid benè feceris, leuior plumâ eſt gratia:
Siquid peccatum eſt, plumbeas iras gerunt.

Tacitus & cauſſam vtrique affectioni aſſignat, IV. *Annal.* Procliuius eſt iniuriæ, quàm beneficio, vicem exſoluere. quia gratia oneri, vltio in quæſtu habetur. *Dio Caſsius, & aliam cauſſam, lib.* XLVI. Non eodem modo aduerſus eos qui benè, & qui malè fecerunt, homines afficiuntur. ſed iræ atque iniuriæ vel inuiti reminiſcuntur; beneficij & gratiæ vltrò obliuiſcũtur. Atque iſtud quidem, quòd dedignantur videri beneficio affecti, tamquam minores: illud autem, quòd ignauiæ ſuſpicionem de ſe præbere videantur, niſi malum malè factoribus reponant.

15. BENEFICIO EIVS IGNOSCIT.] *Nempe contumelioſo, & quod odium magis quàm gratiam mereatur.*

16. EFFVSA

[16] effusâ benignitate sacrilegi, negligentesque eorum, deterrent. Vtuntur naturâ suâ, & A
cuncta, interque illa ipsos munerum suorum malos interpretes, iuuant. Hos sequamur
duces, quantum humana imbecillitas patitur: demus beneficia, non fæneremus. Di-
gnus est decipi, qui de recipiendo cogitauit, cùm daret. At malè cessit. Et liberi, & con-
iuges spem fefellerunt: tamen & educamus, & ducimus. adeoque aduersus experimen-
ta pertinaces sumus, vt bella victi, & naufragi maria repetamus. Quanto magis perma-
nere in dandis beneficiis decet? quæ si quis non dat quia non recipit, dedit vt reciperet,
bonamque ingratorum facit caussam: quibus ita demum turpe est non reddere, [17] si &
licet. Quàm multi indigni luce sunt? & tamen dies oritur. Quàm multi, quòd nati
sunt, queruntur? tamen natura sobolem nouam gignit, ipsosque qui non fuisse mallent,
esse patitur. Hoc & magni animi & boni proprium est, non fructum beneficiorum se-
qui, sed ipsa, & post malos quoque bonum quærere. Quid magnifici erat multis prodes-
se, si nemo deciperet? nunc est virtus, dare beneficia: non vtique reditura, quorum à vi-
ro egregio statim fructus perceptus est. Adeò quidem ista res fugare nos, & pigriores ad B
rem pulcherrimam facere non debet; vt si spes mihi præcidatur gratum hominem repe-
riendi, malim non recipere beneficia, [18] quàm non dare. Quia qui non dat, vitium in-
grati antecedit. Dicam quod sentio. qui beneficium non reddit, magis peccat; [19] qui
non dat, citiùs.

II. [20] *Beneficia in vulgus cùm largiri institueris,*
Perdenda sunt multa, vt semel ponas benè.

In priore versu vtrumque reprehendas. nam nec in vulgus effundenda sunt; & nullius
rei, minimè beneficiorum, honesta largitio est. quibus si [21] detraxeris iudicium, desi-
nunt esse beneficia: in aliud quodlibet incidunt nomen. Sequens sensus mirificus est,
qui vno benè posito beneficio, multorum amissorum damna solatur. Vide, oro te, ne
hoc & verius sit, & magnitudini benè facientis aptius, vt illum hortemur ad danda,
etiam si nullum benè positurus est. Illud enim falsum est, *Perdenda sunt multa.* Nullum
perit. quia qui perdit, computauerat. Beneficiorum simplex ratio est: tantùm [22] erogan- C
tur. si reddet aliquid, lucrum est: si non reddet, damnum non est. Ego illud dedi, vt da-
rem. nemo beneficia [23] in kalendario scribit: nec auarus exactor ad horam & diem ap-
pellat. Numquam illa vir bonus cogitat, nisi admonitus à reddente: alioquin in for-
mam [24] crediti transeunt. Turpis fæneratio est, beneficium expensum ferre. Qualiscun-
que priorum euentus est, perseuera in alios conferre. melius apud ingratos iacebunt:
quos

16. EFFVSA BENIGNITATE.] *Libri scripti aliquot*, necessitate. *Otiosam vocem non arbitror, tenuerimque & ipsam, sed mutatam:* effusâ nec cessante benignitate. *Duo enim in diuinis beneficiis laudanda. & quòd larga, & quòd assidua.*

17. SI ET LICET.] *Nam vera gratitudinis lex, legem non habere. Voluntaria tota est: & si tu adstringis & reposcis, iam beneficij gratia ac decor periit, ingratitudinis autem infamia. Hanc enim solam habet: atque ideò habet, quia non necessitatem, aut pœnam. Hæc adde, illa abit.*

18. QVAM NON DARE.] *Animosè. sed & Epicuri illius, etsi omnia vtilitate metientis, hoc scitum est:* Non solùm honestius, sed iucundius esse, beneficia dare, quàm accipere. *Plutarchus in libello, Cum Principe esse philosoph.*

19. QVI NON DAT, CITIVS.] *Benè. Muretum nequis audiat eiicientem, aut in* Attius, *mutantem: quasi sequentes illius sint versus. Optimè, inquam, illud sic distinctum, & pro Senecæ mente, istâ: Peccare vtrumque, & qui non dat, & qui non reddit: sed hunc amplius, illum citiùs. Iste, quia obligatus, peccat; ille, quia non obligat. modo igitur iste plus peccat; ille tempore priùs citiúsque, & vt prædixit,* vitium ingrati antecedit.

CAP. II. 20. BENEFICIA IN VVLGVS.] *Ad aliam partem, sensumque transilit potiùs, quàm transit: & alibi id facit. alioqui suspicêre de leui hiatu.*

21. DETRAXERIS IVDICIVM.] *Valerius:* D
Liberalitatis duo sunt maximè probabiles fontes, verum Iudicium, & honesta Beniuolentia. nam cùm ab his oritur, tunc demum ei ratio constat.

22. EROGANTVR.] *A meâ coniecturâ est. Libri,* erogatur, *singulariè: ex quo Muretus,* eroga tu, *imperando. Sententia nostra liquet: Beneficia, inquit, pura sunt, simplicia, aspectum alium non habent: erogantur & dantur tantùm.*

23. IN KALENDARIO.] *Libro, in quo nomina, & pecunia fœnebris, quam Kalendis solent ponere: atque illinc vsuras ordiri. Alibi dicimus.*

24. CREDITI TRANSEVNT.] *Mei libri,* credendi transit. *Legam,* credentis transit: *ad hominem ipsum referendo.*

25. AVT

A quos aut pudor, aut occasio, [25] aut imitatio aliquando gratos poterit efficere. Ne cessaueris: opus tuum perage, & partes boni viri exsequere. [26] Alium re, alium fide, alium gratiâ, alium consilio, alium præceptis salubribus adiuua. Officia etiam feræ sen- III.
tiunt: nec vllum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora à magistris impunè tractantur: elephantorum feritatem vsque in seruile obsequium [37] demeretur cibus. Adeò etiam quæ extra intellectum atque æstimationem beneficij sunt posita, assiduitas tamen meriti pertinacis euincit. Ingratus est aduersus vnum beneficium? aduersus alterum non erit. duorum oblitus est? tertium etiam eorum quæ exciderunt, memoriam reducet. [28] Is perdit, qui citò se perdidisse credit. At qui instat, & onerat priora sequentibus, etiam ex duro & immemori pectore gratiam extundit. Non audebit aduersus multa oculos attollere. quocumque se vertit, memoriam suam fugiens, ibi te videat: beneficiis tuis illum cinge. Quorum quæ vis, quęve proprietas sit, dicam, si priùs illa, quę ad rem non pertinent, transilire mihi permi-
B seris. [29] Num dicam quare tres Gratiæ, & quare sorores sint, & quare manibus implexis, quare ridentes, iuuenes, & virgines, solutaq; ac pellucidâ veste? Alij quidē videri volunt vnam esse, quæ det beneficiū: alteram, quæ accipiat: tertiam, quę reddat. [30] Alij tria beneficiorum genera, promerentium, reddētium, simul & accipientium reddentiumque. Sed vtrūlibet ex istis iudicauerim: quid ista nos iuuat scientia? Quid ille [31] consertis manibus in se redeuntium chorus? Ob hoc, quia ordo beneficij per manus trāseuntis, nihilominus ad dantem reuertitur, & totius speciem perdit, si vsquam intertruptus est: pulcherrimus, si cohæsit, & vices seruauit. Ideò ridentes: quia promerentium vultus hilares sunt, quales solent esse qui dant, vel accipiunt beneficia. Iuuenes: quia non debet beneficiorum memoria senescere. [32] Virgines: quia incorrupta sunt, & sincera, & omnibus sancta. [33] In quibus nihil esse alligati decet, nec [34] adscripti: solutis itaque tunicis vtuntur. Pellucidis autem; quia beneficia [35] conspici volunt. Sit aliquis vsque eò Græcis mancipatus, vt hæc dicat

C 25. AVT IMITATIO.] *Vt aliorum exemplo, quos gratos vident, grati fiant. Gruterus tamen malebat* incitatio: *ego verò* inuitatio. *Exigere non licet; inuitare ad gratitudinem, licet & iuuat.*

26. ALIVM RE.] *Breuiter partitur benefaciendi modos aut vias. quos vberiùs, sed ferè eosdem ex Platone, Diogenes Laërtius.* Beneficentia, *inquit*, quadrifariàm exercetur: Opibus, Corporibus, Disciplinis, Sermonibus. Opibus, cùm egenos pecuniis aut aliâ re iuuamus; Corporibus, cùm iniuriâ affectos tuemur aut vindicamus; Disciplinis, cùm docemus, medemur, aut arte aliquâ ornamus; Sermonibus, cùm in iudicio defendimus, solamur, aut tale. *Pulchra sunt, & gemina his nostris.*

CAP. III. 27. DEMERETVR CIBVS.] *Nam*
D *capti fame domantur, & offerentem deinde cibum amant, audiuntq;. Plinium, Aelianum, vide.*

28. IS PERDIT.] *In hanc, & vicinas sententias, Plinius lib.* III. *epist.* IV. Est ita naturâ comparatum, vt antiquiora beneficia subuertas, nisi illa posterioribus cumules. Nam quamlibet sæpè obligati, siquid vnum neges, hoc solum meminerunt, quod negatum est. *Publius Mimographus callidè:*

Beneficium sæpè dare, docere est reddere.

29. NVM DICAM QVARE.] *Feci è libris, in quibus tamen est* Nunc. *sed sententia connexa, vt præcini, & interrogatione elata, ipsa se probat.*

30. ALII TRIA BENEFICIORVM.] *Adde & aliam interpretationem, nec illepidam, è Phornuto:* His quidem duæ numero Gratiæ dicuntur, his verò tres. duæ quidem, quòd hos auspicari beneficium est necesse, hos verò vices reponere. Tres autem, quandoquidem non rectè fuerit, illum, cui remuneratum est, benè meritum gradum sistere; sed iterùm est beneficium parandum, vt sine intermissione id fiat.

31. CONSERTIS MANIBVS.] *Ita pingunt, & sculpunt. eóque Horatius,* Segnesque nodum soluere Gratias, *dixit.*

32. VIRGINES, QVIA INCORRVPTA.] *Aliam etiam caussam Socratis dictum suggerit, quod in Stobæo:* Cùm quemdam videret passim, & sine dilectu, beneficia largientem; Καλῶς, εἶπεν, ἀπόλοιο. ὅτι τὰς χάριτας, παρθένους ὔσας, πόρνας ἐποίησας: Malè sit tibi, inquit. qui Gratias virgines, scorta feciſti. *Nam hæc scilicet se vulgò vulgant: etsi non Virginibus haud planè respondet.*

33. IN QVIBVS.] *Hæc separanda erant, & fecimus. neque enim ad* Virgines, *sed ad* Vestes *referenda.*

34. ADSCRIPTI.] *Mei sic libri. interpretérque, legem aut conditionem iis non apponi; libera esse, nec tabellis seruitutis adstringi. Ita idem* III. *libro infrà, cap.* XX. *de seruis:* Corpora enim obnoxia sunt, & adscripta dominis: mens quidem est sui iuris. *Vt enim* Addicti, *sic &* Adscripti. *Vulgò* adstricti *tamen est: etiam probè.*

35. CONSPICI VOLVNT.] *Non tam cùm dantur (hoc statim abnuit, & vetat) sed cùm reddantur. itémque ab accipiente, cuius est ea propalare. Sunt igitur ideò* pellucidis tunicis, *conspicuæ, &*

quasi

dicat neceſſaria: nemo tamen erit, qui etiam illud ad rem iudicet pertinere, quæ nomina illis Heſiodus impoſuerit. [36] Aglaian maximam natu appellauit, mediam Euphroſynen, tertiam Thalian. Horum nominum [37] interpretationem, & prout cuique viſum eſt, deflectit, & ad rationem aliquam conatur perducere: cùm Heſiodus puellis ſuis, quod voluit nomen impoſuerit. Itaque [38] Homerus vni mutauit, Paſithean appellauit, & [39] in matrimonium produxit, vt ſcias illas Veſtales non eſſe. Inueniam alium poëtam, apud quem præcingantur, & ſpiſſis [40] aut Phryxianis prodeant. Ergo & Mercurius vnà ſtat: non quia beneficia [41] oratio commendat, ſed quia pictori ita viſum eſt. Chryſippus quoque, penes quem ſubtile illud acumen eſt, & in imam penetrans veritatem, qui rei agendæ cauſſâ loquitur, & verbis non vltrà, quàm ad intellectum ſatis eſt, vtitur, totum librum ſuum his ineptiis replet: ita vt de ratione dandi, accipiendi, reddendique beneficij pauca admodum dicat: nec his fabulas, ſed hæc fabulis inſerit. Nam præter iſta quæ [42] Hecaton tranſſcribit, treis Chryſippus Gratias ait Iouis & [43] Eurynomes filias eſſe: [44] ætate autem minores quàm Horas, ſed meliuſculâ facie, & ideò Veneri datas comites. Matris quoque nomen ad rem iudicat pertinere. Eurynomen enim dictam, quia latè [45] patentis matrimonij ſit, beneficia diuidere: tamquam matri poſt filias ſoleat nomen

quaſi nudæ, vt à poëtis item dicuntur. Cauſſa & alia ingeniosè à Phornutho: Introducuntur nudæ, vt cùm nullam habeant poſſeſſionem, ſubminiſtrare quædam poſſint, & prorſus vtiliter largiri. *Vult dicere, etiam pauperes ac nudos, poſſe benè facere.*

36. AGLAIAN MAXIMAM.] *Nihil verius, & Gruterus probè aſſeruit. Nam Heſiodus, quem ipſe adſpexit, ita palàm:*

Τρεῖς δὲ οἱ Εὐρυνόμη Χάριτας τέκε καλλιπαρήους,
Ἀγλαΐην, καὶ Εὐφροσύνην, Θαλίην τ' ἐρατεινήν:
Treſque Ioui Eurynome Charitas enixa venuſtas,
Aglaiamque, atque Euphroſynem, Thaliámque placentem.

Eadem nomina in Apollodori Bibliothecâ, Plutarcho, aliiſque.

37. INTERPRETATIONEM.] *Quæ talis in Plutarchi libello, ſuprà dicto.* Nihil perinde eſt lætitiæ gignendæ, ac beneficentia. ideoque ſapiens fuit, qui nomina Gratiis impoſuit, Aglaiæ, Euphroſynes, & Thaliæ. *Phornuthus paria: ſed & hoc addit,* ipſas Charitas vulgariter appellatas, ἀπὸ τῆς χαρᾶς, id eſt à gaudio. *Licétne & mihi μυθολογεῖσθαι? Putem* Aglaiam *dici à ſplendore, quia talis eſt primus ille, qui donat; alteram,* Euphroſynen, *gaudium notare accipientis; tertiam* Thaliam, *quæ germinat ſcilicet & fructificat ad referendum.*

38. HOMERVS PASITHEAN.] *Sunt verſus in Iliad. Ξ.*

Ἀλλ' ἴθ', ἐγὼ δέ κέ τοι Χαρίτων ἰλίην ὁπλοτεράων
Δώσω ὀπυιέμεναι, καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν,
Πασιθέην:
Verùm age, ego Charitum iuuenem vnam conciliabo
Vxorem tibi, connubiali & fœdere iungam,
Paſitheam.

Ita Iuno ibi ad Somnum, ô quàm ſcitè & appoſitè! quid enim magis gratum gratioſúmque hominibus, quàm ille Diuus? ergo & Gratia vxor ei adſit. Sed quare Paſitheam *indigetat?* διὰ τὸ, *ait Euſtathius,* παντα χοῦ θέειν, καὶ μὴ κεκρύφθαι τὴν χάριν: quia quaquauerſus diſcurrit, nec Gratia occultatur. *Phyſica etiam cauſſa addatur. quia Somnus ad omnes venit, eiusq; vxor.*

39. IN MATRIMONIVM.] *Somni, vt iam dixi, ſed &* Charitem *dedit nuptui idem poëta Iliad. Σ.*

—— Χάριν λιπαροκρήδεμνος
Καλὴ, τὴν ὤπυιε περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις:
—— Charis velata decore,
Pulchra, cui coniux Vulcanus, claudus vtrimque.

Et quare Vulcanus? quòd gratioſa ſint mechanica opera, *ait Phornuthus.*

40. AVT PHRYXIANIS.] *A Phryxæo vellere tractum vulti lumen æui noſtri Turnebus: quia villoſa talis veſtis. Hodie retento nomine,* Friſe *vocamus Celtæ, & Belgæ. Alij hîc* Phrygianis *malunt, quaſi à Phrygibus, qui primi (apud Plinium)* acu facere inuenerunt. *Sed de craſſis veſtibus, non de pictis hîc eſt ſermo. Tu adi Turnebum lib.* XXIIII. *Aduerſar.*

41. ORATIO COMMENDAT.] *Libri ſcripti, & editi ante Muretum,* ratio commendat vel oratio. *Neque ego reiecerim alterutrum: quia vtrumq; Mercurio à Græcis tribuitur, vnâ voce* λόγου. *In beneficio autem prima Ratio requiritur, ſiue Iudiciũ: deinde & Oratio benigna & comis. De iſtâ, Plutarchus in libello* De audiendo: Ἀλλὰ καὶ τὸν Ἑρμῆν ταῖς Χάρισιν οἱ παλαιοὶ συγκαθίδρυσαν, ὡς μάλιστα τῷ λόγου τὸ συγκεχαρισμένον καὶ προσφιλὲς ἀπαιτοῦντος: Mercurium Gratiis priſci illi aſſociarunt, quòd oratio maximè gratioſum illud & amabile deſiderat: *etſi aliouorſum paullò ipſe ducit. Magis pro Senecæ hîc ſenſu, ipſe Seneca, infrà libro* II. *cap.* III. *Vide.*

42. HECATON TRANSSCRIBIT.] *Sic lege, cum manuſcriptis. Significat Hecatonem multa mutuatum eſſe, atque adeò verbatim pænè tranſſcripſiſſe è Chryſippo.*

43. EVRYNOMES.] *Quæ, vt Heſiodus ait,*

Ὠκεανοῦ κούρη, πολυήρατον εἶδος ἔχουσα:
Oceani proles, votiuâ prædita formâ.

44. ÆTATE MINORES.] *Hoc quoque pater talium Heſiodus. qui* Horas *iamantè genitas ex* Ioue & Themi *fingit.*

45. PATENTIS MATRIMONII.] *Libris, & viris doctis hoc dedi: qui perlendunt* Matrimonium *eâ facie, quâ* Patrimonium *dici. Eſto igitur, & ſic expli-*

A men imponi, aut poëtæ vera nomina reddant. Quemadmodum [46] nomenclatori memoriæ loco audacia est: & cuicumque nomen non potest reddere, imponit: ita poëtæ non putãt ad rem pertinere, verum dicere, sed aut necessitate coacti, aut decore corrupti, id quæque vocari iubent, quod bellè facit ad versum. Nec illis fraudi est, si aliud quid [47] in censum detulerunt: proximus enim poëta suum illa ferre nomen iubet. Hoc vt scias ita esse, ecce Thalia, de quâ cùm maximè agitur, apud Hesiodum [48] Charis est, apud Homerum [49] Musa. Sed ne faciam, quod reprehendo, omnia ista, quæ ita IV.
extra rem sunt, vt nec circa rem quidem sint, relinquam. Tu modò nos tuere, si quis mihi obiiciet, quòd Chrysippum [50] in ordinem coëgerim, magnum mehercule virum, sed tamen Græcum, cuius [51] acumen nimis tenue retunditur, & in se sæpè replicatur: etiam cùm agere aliquid videtur, pungit, non perforat. Hoc verò quod acumen est? De beneficiis dicendum est, & ordinanda res, quæ maximè societatem humanam alligat: danda lex vitæ, ne sub specie benignitatis inconsulta facilitas placeat; ne liberalitatem,
B quam nec deesse oportet, nec superfluere, hæc ipsa obseruatio restringat, dum temperat: docendi sunt libenter accipere, libenter reddere, & magnum ipsis certamen proponere, eos quibus obligati sunt, re animoque non tantùm æquare, sed vincere. quia qui referre gratiam debet, numquam consequitur, nisi præcessit. hi docendi sunt nihil imputare: illi plus debere. Ad hanc honestissimam contentionem, beneficiis beneficia vincendi, sic nos adhortatur Chrysippus, vt dicat verendum esse, ne quia Charites Iouis filiæ sunt, parùm se gratè gerere, sacrilegium sit, & tam bellis puellis fiat iniuria. Tu me aliquid eorum doce, per quæ beneficentior, gratiorque aduersus benè merentes fiam, per quæ obligantium, obligatorumque animi certent, vt qui præstiterint, [52] obliuiscantur, pertinax sit memoria debentium. Istæ verò ineptiæ poëtis relinquantur: quibus aures oblectare propositum est, & dulcem fabulam nectere. At qui ingenia sanare, & fidem in rebus humanis retinere, memoriam officiorum ingerere animis volunt, seriò loquantur, & magnis viribus agant: nisi fortè existimas, leui ac fabuloso sermone, & ani-
C libus argumentis, prohiberi posse rem perniciosissimam, beneficiorum [53] nouas tabulas.

Sed quemadmodum superuacua transcurram, ita exponam necesse est, hoc primum V.
nobis esse discendum quid accepto beneficio debeamus. Debere enim dicit se alius pecuniam quam accepit, alius consulatum, alius sacerdotium, alius prouinciam. Ista autem

explica. In re quidem, Phornutus accedit: beneficentiores quodammodo esse, aut debere esse, quibus magnæ tributæ sunt sortes. *Quidni sint?* κατὰ τί ὄφελος *(Aristotelis verba* VIII. *Nicomachiorum, cap.* I.) τῆς τοιαύτης εὐετηρίας, ἀφαιρεθείσης ἐνεργεσίας; & quis vsus diuitiarum & abundantiæ, sublatâ beneficentiâ?

46. NOMENCLATORI.] *Munus ordinarium, siue officium, apud diuites. Sæpè autem ioco ludóque erant, cùm memoriâ fallente nomina aliqua dicta-*
D *rent, promptâ semper audaciâ. Noster in epist.* XXVII. Nemo vetulus nomenclator, qui nomina non reddit, sed imponit, tam perperàm tribus quàm ille Troianos & Achiuos, persalutabat.

47. IN CENSVM.] *A Romano ritu. quisque ciuis, nomen, ætatem, opes in censuales tabulas deferebant: atque ea vera, & iurati. Itaque ludens, Parùm refert, inquit, si aliud nomen proprium verumq; habent: nec poëtæ id aspiciunt, sed quod facit ad versum. Eadem locutio in epist.* XCV.

48. CHARIS EST.] *Versibus iam datis,* Thalia *inter Charitas censetur.*

49. MVSA.] *Thalia inter Musas nouem, & vulgò etiam habetur.*

CAP. IV. 50. IN ORDINEM.] *Tullio, aliisq; crebra phrasis. vel à militiâ, vel à magistratibus ducta. Inter milites, sunt extra vel supra ordines, Legati, Tribuni, & tales: ij cogi in ordinem videntur, cùm ius is demitur, paresq; habentur gregariis. Simile in magistratu. qui eminet, nec est in vulgi classe vel ordine: quò compellitur, si auctoritas eius spernitur aut violatur.*

51. ACVMEN NIMIS TENVE.] *Adhæsit hæc culpa Chrysippo, & curiosâ subtilitate virilem & masculam illam sectam (Stoicorum dico) eneruauit. Vis argumentum?* trecenta vndecim volumina solius partis Logicæ reliquit. *Adeò ille disserere magis docuit, quàm viuere.* * *Diog. Laert.*

52. OBLIVISCANTVR.] *Vetus monitum, & quod Chiloni tribuitur. Eius nomine, Ausonius ita versibus comprehendit:*

Tu benè siquid facias, non meminisse fas est:
Quę benè facta accipias, perpetuò memento.

53. NOVAS TABVLAS.] *Id est, obliuionem vel potiùs abolitionem beneficiorum, & nequid debeamus. Sumptum à re nummariâ, in quâ* Nouæ tabulæ, χρεῶν ἀποκοπαί *bonis Glossis explicantur: id est, resectio & expunctio debitorum. Cùm enim pares rationes, & nulla reliqua, itur ad nouas tabulas conficiendas. Simile in epist.* LXXXI. *& infrà De Benef.* VII. *cap.* X.

tem ſunt meritorum ſigna, non merita. Non poteſt beneficium manu tangi: [54]animo A
cernitur. multum intereſt inter materiam beneficij, & beneficium. Itaque nec aurum, nec argentum, nec quidquam eorum quæ [55] à proximis accipiuntur, beneficium eſt, ſed ipſa tribuentis voluntas. Imperiti autem id, quod oculis incurrit, & quod traditur poſſidentque, ſolùm notant: contrà, illud quod in re carum atque pretioſum eſt, paruipendunt. Hæc quæ tenemus, quæ aſpicimus, in quibus cupiditas noſtra hæret, caduca ſunt: auferre ea nobis & fortuna, & iniuria poteſt: beneficium verò, etiam amiſſo eo quod datum eſt, durat. Eſt enim rectè factum, quod irritum nulla vis efficit. Amicum à piratis redemi: hunc alius hoſtis excepit, & in carcerem condidit. non beneficium, ſed vſum beneficij mei ſuſtulit. Ex naufragio alicui raptos, vel ex incendio liberos reddidi: hos vel morbus, vel aliqua fortuita iniuria eripuit: manet etiam ſine illis, quod in illis datum eſt. Omnia itaque, quæ falſum beneficij nomen vſurpant, miniſteria ſunt, per quæ ſe voluntas amica explicat. Hoc quoque in aliis rebus euenit, vt aliubi ſit ſpecies rei, aliubi ipſa res. Imperator aliquem, [56] torquibus, murali, & ciuicâ donat. quid habet B
[57] per ſe corona pretioſum? quid [58] prætexta? quid [59] faſces? quid [60] tribunal, & [61] currus? nihil horum honor eſt, ſed honoris inſigne. Sic non eſt beneficium id quod ſub
VI. oculos venit, ſed beneficij veſtigium & nota. Quid eſt ergo beneficium? [62] Beneuola actio tribuens gaudium, capiensque tribuendo, in id quod facit prona, & ſponte ſuâ parata. Itaque non quid fiat, aut quid detur, refert, ſed quâ mente. Quia beneficium non in eo quod fit aut datur, conſiſtit, ſed in ipſo dantis aut facientis animo. Magnum autem eſſe inter iſta diſcrimen, vel ex hoc intelligas licet, quòd beneficium vtique bonum eſt: id autem quod fit aut datur, nec bonum nec malum eſt. [63] Animus eſt, qui parua extollit, ſordida illuſtrat, magna & in precio habita dehoneſtat: ipſa, quæ appetuntur. neutram naturam habent, nec boni, nec mali, id refert, quò illa rector animus impellat, à quo forma datur rebus. Non eſt ergo beneficium ipſum, quod numeratur, aut traditur. ſicut nec in victimis quidem, [64] licet opimæ ſint, [65] auroque præfulgeant, deorum eſt honos; ſed [66] piâ ac rectâ voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre C
[67] ac fitillâ religioſi ſunt; mali rurſus non effugiunt impietatem, quamuis aras ſanguine

multo

CAP. V. 54. ANIMO CERNITVR.] *Acutè ſic Muretus. nam vetus omnis lectio,* geritur. *Quod defendi videatur iſtis è libro* II. *cap.* XXXIV. Non eſt quòd exſpectes, vt ſolutionem tibi oſtendam: res inter animos geritur.

55. A PROXIMIS.] *Imò verò & à longinquis. An fuit,* aperto ſinu? *an quod Grutero placitum,* pro maximis? *an propius erit,* quæ pro ſummis? *Nam illa particula, à, libris ſanè deeſt.*

56. TORQVIBVS.] *Aureis. de quibus, aliiſque hîc militaribus donis, liber* V. *Militiæ noſtræ dicet.*

57. PER SE CORONA.] *Nihil. nam è quercu eſt.*

58. PRÆTEXTA.] *Inſigne magiſtratuum.*

56. FASCES.] *Item magiſtratuum, vel poteſtatum.*

60. TRIBVNAL.] *Prætoris, aut Proconſulis.*

61. CVRRVS.] *Triumphalis.*

CAP. VI. 62. BENEVOLA ACTIO.] *Repete Valerij verba:* Liberalitatis duo fontes, verum Iudicium, & honeſta Beniuolentia. *Sed quare* honeſta? *ne ad fœdum amorem & volentiam eas. Salluſtius eódem facit:* Nemo munificus habebatur, niſi pariter volens.

63. ANIMVS EST.] *In Phornuto, vetus hoc verbum:* Munerum animus optimus.

64. LICET OPIMÆ.] *Feſtus:* Hoſtiæ opimæ, præcipuæ, pingues.

65. AVROQVE PRÆFVLGEANT.] *Nempe in cornibus & fronte. Mos Homero notus, in Odyſſ. γ.*

Τὴν (βοῦν) τοι ἐγὼ ῥέξω, χρυσὸν κέρασι περιχεύας:

Hanc *(bouem)* tibi ego faciam, circumdans cornibus aurum.

Tangit & alibi: ſicut Ouidius,

——inductaque cornibus aurum

Victima. *Virgilius:*

Et ſtatuam ante aras auratâ fronte iuuencum.

In lapide, Votis XX. *alibus:*

VOTA. FAVENTINVS. BIS DENI. CONCIPIT. ORBIS.
VT. MACTET. REPETENS. AVRATA. FRONTE. IVVENCOS. D

Liuius XXV. Apollini boue aurato, & capris duabus albis auratis. *A quo redargui Plinius videtur, lib.* XXXIII. *cap.* III. Deorum honori in ſacris nihil aliud excogitatum, quàm vt auratis cornibus hoſtiæ, maiores dumtaxat, immolarentur. *Atqui* capræ, *non inter maiores.*

66. PIA AC RECTA.] *Plinius in Panegyrico:* Animaduerto enim etiam deos, non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentiâ & ſanctitate lætari: gratioremque exiſtimari, qui delubris eorum puram caſtamque mentem, quàm qui meditatum carmen intulerit. *Nos ibi plura.*

67. AC FITILLA.] *Non amat Seneca obſoletas voces,*

A multo cruentauerint. Si beneficia in rebus, non in ipsâ benefaciendi voluntate VII.
consisterent, eò maiora essent, quò maiora sunt, quæ accepimus. id autem falsum est.
nonnumquam enim magis nos obligat, qui dedit parua magnificè: qui *Regum æquauit opes animo*: qui exiguum tribuit, sed libenter: qui paupertatis suæ oblitus est, dum meam respicit: qui non voluntatem tantùm iuuandi habuit, sed cupiditatem: qui accipere se putauit beneficium, cùm daret: qui dedit tamquam non recepturus, recepit tamquam non dedisset: qui occasionem, quâ prodesset, [68] & occupauit & quæsiuit. Contrà, ingrata sunt (vt dixi) licet re ac specie magna videantur, quæ danti aut extorquentur, aut [69] excidunt: multoque gratius venit, quod facili, quàm quod plenâ manu datur. Exiguum est quod in me contulit, sed amplius non potuit. At hic quod dedit, magnum est: sed dubitauit, sed distulit, sed cùm daret, gemuit, sed superbè dedit, sed [70] circumtulit, & placere non ei, cui præstabat, voluit. [71] ambitioni dedit, non mihi. Socrati cùm VIII.
multa multi pro suis quisque facultatibus offerrent: Æschines pauper auditor, *Nihil*, in-
B quit, *dignum te quod dare tibi possim, inuenio: &* [72] *hoc vno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi quod vnum habeo, Me ipsum. Hoc munus rogo qualecumque est, boni consulas, cogiteque alios cùm multum tibi darent,* [73] *plus sibi reliquisse.* Cui Socrates: *Quid ni tu*, inquit, *mihi magnum munus dederis, nisi fortè paruo te æstimas? Habebo itaque curæ, vt te meliorem tibi reddam quàm accepi.* Vicit Æschines hoc munere Alcibiadis [74] parem diuitiis animum, & omnem iuuenum opulentorum munificentiam. Vides quomodo animus inueniat IX.
liberalitatis materiam, etiam inter angustias? Videtur mihi dixisse: *Nihil egisti fortuna, quòd me pauperem esse voluisti: expediam nihilominus dignum huic viro munus: & quia de tuo non possum, de meo dabo.* Neque est quod existimes illum vilem sibi fuisse, [75] qui pretium se sui fecit: ingeniosus adolescens inuênit, quemadmodum Socratem [76] sibi daret. Non quanti quæque sint, sed à quali dentur, perspiciendum. [77] * Callidus non difficilem aditum præbet immodica cupientibus: spesque improbas, nihil re adiuturus, verbis fouet. At eius [78] peior est opinio, qui linguâ asper, vultu grauis, cum inuidiâ fortu-
C nam suam explicauit. [79] Colunt enim, detestanturque felicem, & si potuerint, eadem facturi, odêre facientem. [80] * Coniugibus alienis nec clàm, sed apertè quidam [81] ludibrio habitis, suas aliis permisere. Rusticus, inhumanus, ac [82] maleuolus, & inter matronas

voces, fateor, sed hanc mutare religio vetabat, in quâ vsurpabant. Et libri sanè habent plerique, ficillâ. *Teneamus igitur, nisi quis eligit,* fritillâ: *vt in Arnobio, lib.* VII. Quid fritilla, quid frumen? *Vide Festum in* Muries, *vbi* olla fritilis: *Nonium in* Exfit.

CAP. VII. 68. ET OCCVPAVIT.] *Præuênit, aut præuertit.*

69. EXCIDVNT.] *Est quod Capite* I. *dixit,* vt à nesciente dari.

D 70. CIRCVMTVLIT.] *Ostentauit, vt in pompâ.*
71. AMBITIONI DEDIT.] *Suo morbo.*

CAP. VIII. 72. HOC VNO MODO.] *Quia aliàs nil quæro, nil desidero: sed dum tibi aliquid quæro, disco quod nesciebam, multa mihi abesse.*

73. PLVS SIBI RELIQ.] *At ego qui nihil habeo, vnum quod habeo donans, nihil mihi seruo.*

74. PAREM DIVITIIS.] *Largum, vt ipsæ.*

CAP. IX. 75. QVI PRETIVM.] *Malo, cum libris, illud,* qui, *ablegari. Acutiùs ita efferetur: Non ideò se parui fecit, quia donauit: sed magni potiùs, quia nullum dignum se donum, extra se, repperit. Petronij hoc de Româ, assimilat:* Ipsa sui merces erat. *Flori:* Misera respublica in exitium suum merces erat.

76. SIBI DARET.] *Se dando, Socratem ita suum fecit, vt illi instruendo vacaret: atque ita eum sibi quasi mancipauit.*

77. * CALLIDVS NON.] *Defectum odoror. & fuit de iis qui donaturi, fallunt. Alter, inquit, benignè respondet, & ducit, non donat: alter asperè, & ostendit opes, non communicat.*

78. PEIOR OPINIO.] *Pincianus:* At is peior, opinor: *Sed fouet, non sanat; & est omnino hiatus, vt dixi.*

79. COLVNT ENIM.] *Epistolâ* XLII. *par sententia. Vide.*

80. * CONIVGIBVS ALIENIS.] *Neque ista satis nexa sunt: quid enim ad iam dicta? Est excursio siue παρέκβασις in æui sui mores: sed cui alia occasio, & caput fuit.*

81. LVDIBRIO HABITIS.] *Mitiùs ita dicunt: sicut veneriari,* ludere, *& παίζειν Græci. Ludibrio igitur habentur, quibus illuditur. vt Suetonius, de Tiberio:* Solitus matronarum capitibus illudere. *Tacitus de Nerone:* Illusisse eum pueritiæ Britannici.

82. MALEVOLVS.] *Libri plerique prisci,* mali moris. *Ego teneam: aut certè,* malè morus. *malè stultus.*

tronas abominandæ conditionis est, si quis coniugem [83] in sellâ prostare vetuit, & vulgò admissis inspectoribus vehi [84] vndique perspicuam. Si quis nullâ se amicâ fecit insignem, nec alienæ vxori [85] æmulum præstat, hunc matronæ humilem, & sordidæ libidinis, & [86] ancillariolum vocant. Hinc decentissimum [87] sponsaliorum genus, adulterium: & in consensu [88] vidui cælibatus, nemo vxorem duxit, nisi [89] qui abduxit. Iam rapta spargere, sparsa [90] pari auaritiâ recolligere certant: [91] nihil pensi habere, paupertatem alienam contemnere, [92] suam timere, nullum aliud vereri malum: [93] pacem iniuriis perturbare, imbecilliores vi ac metu premere. Nam prouincias spoliari, & [94] nummarium tribunal, auditâ vtrimque [95] licitatione, alteri addici, non mirum: quando
X. [96] quæ emeris, vendere, gentium ius est. Sed longiùs nos impetus euehit, prouocante materiâ. Itaque sic finiamus, ne in nostro sæculo culpa subfidat. Hoc maiores nostri questi sunt, hoc nos querimur; hoc posteri nostri querentur, euersos esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas & in omne nefas labi. At ista stant loco eodem, stabuntque, paullulùm dumtaxat vltrò aut citrò mota, vt fluctus: quos æstus accedens longiùs extulit, recedens interiore littorum vestigio tenuit. Nunc in adulteria magis, quàm in alia peccabitur, [97] abrumpetque frænos pudicitia: nunc conuiuiorum vigebit furor, & fœdissimum patrimoniorum exitium culina: nunc cultus corporum nimius & formæ cura, præ se ferens animi deformitatem: nunc in petulantiam & audaciam erumpet malè dispensata libertas: nunc in crudelitatem priuatam ac publicam ibitur, bellorumque ciuilium insaniam, quâ omne sanctum ac sacrum profanetur. Habebitur aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cepisse virtus erit. Non exspectant vno loco vitia: sed mobilia & inter se dissentiētia tumultuantur, pellunt inuicem, fugunturque. Cæterùm idem semper de nobis pronunciare debebimus, malos esse nos, malos fuis-

83. IN SELLA.] *Quâ matronæ vehebantur, siue cathedrâ. Dixi affatim* 1. *Elector. Cap. de* Lecticâ.

84. VNDIQVE PERSPICVAM.] *Et sellâ apertâ, & ipsâ Cois illis vel carbasinis parùm tectâ. Noster infrà:* Vt matronæ nostræ, ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quàm in publico ostendant. *Et alibi:* Quam in sellâ patente circumlatam, populus ab omni parte, æquè ac maritus inspexerit.

85. ÆMVLVM PRÆSTAT.] *Quò magis scilicet ametur. Nam vbi riualitas, affectus increscit: tum etiam concurritur, quasi ad latens aliquod bonum. Noster infrà lib.* III. *cap.* XVI. Eò ventum est, vt nulla virum habeat, nisi vt irritet adulterum. *In Cicerone etiam* Æmulus *eo sensu*: Licet eum solus ames, me æmulum non habebis. *Libri tamen aliquot scripti,* anulum.

86. ANCILLARIOLVM.] *Ancillarum amoribus deditum. Martialis:*

Ancillariolum tua te vocat vxor, & ipsa
Lecticariola est, estis Alauda pares.

87. SPONSALIORVM GENVS.] *Initium & gradus ad matrimonium, & quasi Sponsalia, adulterium.*

88. VIDVI CÆLIBATVS.] *Mutuo vtrimque consensu & fœdere, soluunt coniugium diuertendo: tum liberi scilicet, iunguntur.*

89. QVI ABDVXIT.] *Palàm ducit, quam à marito, per adulterium, clàm iam abduxerat. Potes & interpretari,* abductam *per diuortium. Nec displicuit aliquando:* nisi quam duxit. *vt in verbo ludat: quod inter obscæna etiam esse scimus. Sed non muto.*

90. PARI AVARITIA.] *Quomodo par auaritia sparsioni? imò dissimillima. Ex libris scriptis totum hoc legas:* Iam rapta spargere, sparsa rapaci auaritiâ colligere. *Nam in tis est:* sparsa erat agri auaritiâ. *Ouidiana sunt:*

Quærere vt absumant, absumpta requirere certant.

Est etiam, quod Aristoteles verè notat IV. *Ethicorum,* prodigos, eosdem ferè rapaces esse, & capere vnde non oportet. Quomodo enim adsiduè aliter donent?

91. NIHIL PENSI.] *A Sallustio dicas, in Catilinario:* Rapere, consumere, sua paruipendere, aliena cupere, nihil pensi neque moderati habere.

92. SVAM TIMERE.] *Meus liber:* suamque timere, quàm vllum aliud vereri malum. *Legam,* quàm vllum aliud verè malum. *Paupertatem, opinione malum, magis timent; quàm probrum, re malum. Tacitus simile, de Marcello:* Morum haud spernendus habebatur, nisi quòd paupertatem extremum malorum credebat. *Quidam etiam libri breuiùs:* suam, quàm vllum aliud vereri malum. *Neque id malè. vtrobique autem,* magis, *intellegendum: vt prisci loqui solent.*

93. PACEM INIVRIIS.] *Vulgò hæc corrupta. sententia est, pacem publicam iniuriis aut rapinis Præsidum turbari, & populos per se quietos agi in arma.*

94. NVMMARIVM TRIBVNAL.] *Cicero in Verrem:* Ecquod Romæ iudicium tam dissolutum, tam nummarium fore putasti? *corruptum, & in quo nummi ac nundinatio versantur.*

95. LICITATIONE.] *Vt in auctione, vtra pars plus daret.*

96. QVÆ EMERIS.] *Poëta Hispanus:*

Nam quod emas, possis dicere iure tuum.

CAP. X. 97. ABRVMPETQVE FRÆNOS.] *De eodem sexu, eâdem metaphorâ Propertius:*

Vt semel impositi rupistis fræna pudoris.

98. OMNIA

A fuisse, inuitus adiiciam, & futuros esse. Erunt homicidæ, tyranni, fures, adulteri, raptores, sacrilegi, proditores: infra ista omnia ingratus est, nisi quòd [98] omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo vix vllum magnum facinus accreuit. Hoc tu caue, tamquam maximum crimen, ne admittas: ignosce tamquam leuissimo, si admissum est. Hæc est enim iniuriæ summa. Beneficium perdidisti. Saluum est tibi ex illo, quod est optimum: dedisti. Quemadmodum autem curandum, vt in eos potissimùm beneficia conferamus, qui gratè responsuri erunt: ita [99] quædam, etiam si de illis malè sperabitur, faciemus, tribuemusque, non solùm si iudicabimus ingratos fore, sed si sciemus fuisse. Tamquam si filios alicui restituere potero, magno periculo liberatos, sine vllo meo [100] incommodo, non dubitabo. Dignum, etiam impendio sanguinis mei tuebor, & in partem discriminis veniam: indignum, si eripere latronibus potero, clamore sublato, salutarem vocem homini non pigebit emittere. Sequitur vt dicamus, quæ beneficia xi.
danda sint, & quemadmodum. Primò demus necessaria, deinde vtilia, deinde iucun-
B da, vtique mansura. Incipiendum est autem à necessariis. aliter enim ad animum peruenit, quod vitam continet: aliter quod exornat, aut instruit. Potest in eo aliquis fastidiosus esse æstimator, quo facilè carituras est, de quo dicere licet: *Recipe, non desidero. meo contentus sum.* [101] interim non reddere tantùm libet quod acceperis, sed abiicere. Ex his quæ necessaria sunt, quædam primum obtinent locum, sine quibus non possumus viuere; quædam secundum, sine quibus non debemus; quædam tertium, sine quibus nolumus. Prima huius notæ sunt, hostium manibus eripi, & tyrannicæ iræ, & proscriptioni, & aliis periculis, quæ varia & incerta humanam vitam obsident. Quidquid horum discusserimus, quo maius ac terribilius erit, hoc maiorem inibimus gratiam. Subit enim cogitatio, quantis sint liberati malis: & [102] lenocinium est muneri, antecedens metus. Nec tamen ideò debemus tardiùs quemquam seruare, quàm possumus: vt muneri nostro timor [103] imponat pondus. Proxima ab his sunt, sine quibus possumus quidem viuere, sed vt mors potior sit: tamquam libertas, & pudicitia, & mens bona. Post
C hæc habebimus coniunctione, ac sanguine, vsuque, & consuetudine longâ, cara: vt liberos, coniuges, penates, ceteraque quæ vsque eò animus sibi applicuit, vt ab illis, quàm à vitâ diuelli grauius existimet. Subsequuntur vtilia, quorum varia & lata materia est. Hîc erit pecunia non superfluens, sed ad sanum modum habendi parata: hîc erit honor, & processus ad altiora tendentium. nec enim vtilius quidquam est, quàm sibi vtilem fieri. Iam cetera ex abundanti veniunt, delicatos factura. In his sequemur, vt opportunitate grata sint, vt non vulgaria, quæque aut pauci habuerint, aut pauci intra hanc ætatem habent, [104] aut quæ etiam si naturâ pretiosa non sunt, tempore aut loco fiant. Videamus quid oblatum maximè [105] voluptati futurum sit; quid frequenter occursurum habenti, vt toties nobiscum, quoties cum illo sit. Vtique cauebimus, ne munera superuacua mittamus: vt fœminæ aut seni arma venatoria, aut rustico libros, aut
studiis

98. OMNIA ISTA AB INGRATO.] *Eâ mente*
D *Publius:*

Dixeris maledicta cuncta, cùm ingratum hominem dixeris.

Ausonius:

Ingrato homine terra peius nil creat.

Denique Plautus:

Pol quidem, meo animo, ingrato homine nihil impensius.

99. QVÆDAM ETIAM.] *Nempe obuia, & facilia. ex Tullij præcepto pari:* Quidquid sine detrimento possit commodari, tribuendum esse vel ignoto. ex quo sunt illa communia, Non prohibere aquâ profluente, Pati ab igne capere ignem.

100. INCOMMODO.] *Abest consensu libris. ergo scribo:* magno periculo liberandos, sine vllo meo, non dubitabo. *Possit & vtraque voce iunctim scribi, & clariùs:* magno periculo liberandos, liberatos sine vllo meo.

CAP. XI. 101. INTERIM NON REDDERE.] *Valet* interdum.

102. LENOCINIVM EST.] *Commendatio, quod gratiam dat & ornatum.*

103. IMPONAT PONDVS.] *Grauius auctiúsque faciat.*

104. AVT QVÆ ETIAM.] *Supplenda ex libris:* Habent, aut hoc modo; quæ etiam si. *Rara videntur, inquit, quæ vel pauci habent, vel non hoc modo habent: id est, formâ, magnitudine, aliis qualitatibus, quæ in æstimatione rerum variè spectantur. Vt, margaretæ communes satis: sed non tali pondere, candore, orbe. Idem in animalibus, aliisq;.*

105. VOLVPTATI FVTVRVM.] *Nam, vt Plautus,*

—— nullum beneficium
Esse duco id, quod, quoi facias, non placet.

ſtudiis ac litteris dedito retia. Æquè ex contrario circumſpiciemus, ne dum grata mit- A
tere volumus, ſuum cuique morbum exprobratura mittamus: ſicut ebrioſo vina, &
valetudinario medicamenta. Maledictum enim incipit eſſe, non munus, in quo vitium
XII. accipientis agnoſcitur. Si arbitrium dandi penes nos eſt, præcipuè manſura quæ-
remus, vt quàm minimè mortale munus ſit. Pauci enim ſunt tam grati, vt quod acce-
perint, etiam ſi non vident, cogitent. Ingratis quoque memoria cum ipſo munere in-
currit: vbi ante oculos eſt, & obliuiſci ſui non ſinit. ſed auctorem ſuum ingerit & in-
culcat. Eò quidem magis duratura quæramus, quia numquam admonere debemus:
ipſæ res euaneſcentem memoriam excitent. Libentiùs donabo [106] argentum factum,
quàm ſignatum: libentiùs ſtatuas, quàm veſtem, & quod vſus breuis deterat. Apud
paucos poſt rem manet gratia: plures ſunt, apud quos non diutiùs in animo ſunt dona-
ta, quàm in vſu. Ergo ſi fieri poteſt, conſumi munus meum nolo: exſtet, hæreat amico
meo, & conuiuat. Nemo tam ſtultus eſt, vt monendus ſit, ne cui gladiatores aut [107] ve-
nationem iam munere edito mittat, & veſtimenta æſtiua brumâ, hiberna [108] ſolſtitio. B
Sit in beneficio ſenſus communis, tempus, locum, perſonas obſeruet: quia [109] momen-
tis quædam grata & ingrata ſunt. Quanto acceptius eſt, ſi id damus, quod quis non ha-
bet, quàm cuius copiâ abundat? quod diu quærit, nec inuenit, quàm quod vbique vi-
ſurus eſt? Munera non tam pretioſa, quàm rara & exquiſita ſint, quæ etiam apud diui-
tem ſui locum faciant: ſicut gregalia quoque poma, etiam poſt paucos dies itura in fa-
ſtidium, delectant, ſi prouenêre maturiùs. Illa quoque non erunt ſine honore, quæ aut
XIII. nemo illis alius dedit, aut nos nulli alij. Alexandro Macedoni, cùm victor Orien-
tis, animos ſupra humana tolleret, [110] Corinthij per legatos gratulati ſunt, & ciuitate
illum ſuâ donauerunt. Cùm riſiſſet Alexander hoc officij genus, vnus ex legatis: *Nulli*,
inquit, *ciuitatem vmquam dedimus alij, quàm tibi & Herculi.* Libens accepit delatum ho-
norem, & legatos inuitatione aliaque humanitate proſecutus, cogitauit, non qui ſibi
ciuitatem darent, ſed cui dediſſent. Et homo gloriæ deditus, cuius nec naturam nec
modum nouerat, [111] Herculis Liberiſque veſtigia ſequens, ac ne ibi quidem reſiſtens C
vbi illa defecerant, ad ſocium honoris ſui reſpexit à dantibus: tamquam cælum, quod
mente vaniſſimâ complectebatur, teneret, quia Herculi æquabatur. Quid enim illi ſi-
mile habebat væſanus adoleſcens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil ſi-
bi vicit: orbem terrarum tranſiuit, non concupiſcendo, ſed vindicando. Quid vince-
ret malorum hoſtis, bonorum vindex, terrarum marisque pacator? At hic [112] à pue-
ritiâ latro, gentiumque vaſtator, [113] tam hoſtium pernicies, quàm amicorum, qui
ſummum bonum duceret, terrori eſſe cunctis mortalibus; oblitus, non ferociſſima tan-
XIV. tùm, ſed ignauiſſima quoque animalia [114] timeri, ob virus malum. Ad propoſi-
tum

CAP. XII. 106. ARGENTVM FACTVM.] *In vaſis, ſtatuis, ornamentis: quod manet. At* Signatum, *in Pecuniâ, diſſipatur & abit.*

107. VENATIONEM.] *Ipſas feras accipe, venatu captas, & venatui item (Romanum illum dico) aptas. Liuius lib.* XXV. Dux Philomenes erat, cum ſolito captæ venationis onere: *id eſt, cum apro, vt Polybius*: grandi beſtiâ, *vt mox ipſe Liuius. Spartianus in Hadriano*: Venationem ſemper cum amicis participauit. *Frontinus* III. *Stratag.* Venationi quoque *(ita lege)* & pecoribus quidam inſuerunt litteras. *Sidonius lib.* IV. Venatu vtitur, nec vtitur venatione. *Gloſſæ Iuuenalis:*

—— feſtinat ad illam,

Quam primam rupto prædam guſtauerit ouo:
id eſt, *inquit*, ad venationem vnde nutrita eſt. *Gallorum idiotiſmus idem habet.*

108. SOLSTITIO.] *Aeſtiuum accipe. vt ferè veteres, quoties* Brumale *non adiiciebant.*

109. MOMENTIS QVÆDAM.] *Temporum aut occaſionum. Valerius:* Dono autem ipſi gratiam magnitudo quidem ſua, ſed efficaciorem aliquanto opportunitas conciliat. D

CAP. XIII. 110. CORINTHII.] *In Plutarcho*, Megarenſes *id feciſſe leguntur.*

111. HERCVLIS.] *Idem infrà* VII. *cap.* III. Alexander, quem per Liberi Herculiſque veſtigia felix temeritas egit: *ſed per prioris illius magis. Vide Senecam patrem Suaſoriâ* I.

112. A PVERITIA.] *Ab anno* XVI. *ſcribunt militiæ & imperiis à patre admotum: ſi tamen ea Pueritia.*

113. TAM HOSTIVM.] *Senſus & vſus volebant*, tam amicorum quàm hoſtium: *ſed ea metatheſis neſcio quomodo crebra, & pænè aſſidua, noſtro eſt. Exempla in Fabro* I. *Semeſtr.*

114. TIMERI OB VIRVS.] *Idem de Irâ*, II. *cap.*

A tum nunc reuertamur. Beneficium quod [115] quibuslibet datur, nulli gratum est. Nemo se [116] stabularij aut cauponis hospitem iudicat, nec conuiuam [117] dantis epulum, vbi dici potest: *Quid enim in me contulit?* Nempe hoc quod in illum, & vix benè notum sibi, & in illum etiam mimicum ac turpissimum hominem. Numquid enim me dignum iudicauit? [118] morbo suo morem gessit. Quod voles gratum esse, rarum effice: quis patitur sibi [119] imputari vulgaria? Nemo hæc ita interpretetur, tamquam reducam liberalitatem, & frænis arctioribus reprimam. Illa verò, in quantum libet, exeat: sed eat, non erret. Licet ita largiri, vt vnusquisque etiam si cum multis accepit, in populo se esse non putet. nemo non habeat aliquam familiarem notam, per quam [120] speret se propiùs admissum. Dicat, Accepi idem quod ille, sed vltrò. Accepi quod ille: sed ego intra breue tempus, cùm ille diu meruisset. Sunt, qui idem habeant: sed non eisdem verbis datum, non eâdem comitate tribuentis. Ille accepit, cùm rogasset: ego, cùm rogarer. Ille accepit: sed facilè redditurus, sed cuius senectus & liberorum orbitas magna
B promittebat: mihi plus dedit, quamuis idem dederit, quia sine spe recipiendi dedit. [121] Quemadmodum meretrix ita inter multos se diuidit, vt nemo non aliquod signum familiaris animi ferat: ita qui beneficia sua amabilia vult esse, excogitet, quomodo & multi obligentur, & tamen singuli habeant aliquid, quo se ceteris præferant. Ego verò beneficiis non obiiciam moras: quæ quò plura maioraque fuerint, plus afferent laudis. Adsit tamen iudicium. neque enim cordi esse cuiquam possunt, fortè ac temerè data. Quare si quis existimat nos, cùm ista præcipimus, benignitatis fines [122] introrsus referre, & illi minùs laxum limitem aperire; næ perperam monitiones nostras exaudit. Quam enim virtutem magis veneramur? cui magis stimulos addimus? quibúsve tam conuenit hæc adhortatio, [123] quàm nobis, societatem humani generis sancientibus?

Quid ergo est? cùm sit nulla honesta vis animi, etiam si à rectâ voluntate incepit, nisi quam virtutem modus fecit, veto liberalitatem [124] nepotari. Tunc iuuat accepisse beneficium, & [125] supinis quidem manibus, vbi illud ratio ad dignos perducit: non XV.
C quod

cap. X 1. Nec hoc sapientis dici velim, quod feræ quoque telum est, timeri.

CAP. XIV. 115. QVIBVS LIBET DATVR.] *Cicero* II. *De offic.* Multi multa faciunt, temeritate quadam, sine iudicio vel modo, in omnes; vel repentino quodam impetu animi, quasi vento, incitati quæ beneficia æquè magna habenda non sunt, atque ea quæ iudicio, considerate, constanterque delata sunt. *Adde finem huiusce Capitis.*

116. STABVLARII.] *Diuersitoris*, πανδοχέως, *vt Glossæ explicant. Qui enim viantes ipsos, atque animalia eorum excipit, quia ibi stant & manent*, Stabularius. *Ipse locus*, Stabulum. *Apuleius*: Pretio mansionis stabulario persoluto. *Festus*: Prosedas, meretrices Plautus appellat, quòd
D ante stabula sedeant: *nempe hæc diuersoria & cauponas, quod etiam hodie. Inde &* Prostibula: *nec ad pecuaria stabula referas.*

117. DANTIS EPVLVM.] *Nempe publicum. nam in priuato aliud est, & obligamur.*

118. MORBO SVO.] *Neque olim, neque nunc probo, quidquid me vellicent. At enim* Morbus *vitium est, & inueteratus affectus, Stoicâ linguâ. Scimus, & aliud me doceant: sed quid hîc de vitio, sodes, nisi si mores legesq; in vitio? Nam iis obtemperabant, qui epulum in Capitolio, vel in foro & publico dabant. Itaque inclinabam legere, neque muto*, moribus morem gessit. *Tamen quisque pro se: præimus, non trahimus.*

119. IMPVTARI VVLGARIA?] *Abest*, vulgaria *libris: neque ego desiderem.*

120. SPERET SE.] *Putet, opinetur: vt sæpè huius sequentisq; æui scriptores.*

121. QVEMADMODVM MERETRIX.] *Pulchrè. & sunt hæc ab Ennio, aut fallor. Ille quidem eadem:*

——quasi in choro pilâ
Ludens, datatim dat se & communem facit.
Alium tenet, alij annutat, alij manus
Est occupata, at alij peruellit pedem.
Alij dat anulum, *spectaculum: labris
Alium inuocat; cum alio cantat; attamen
Alij dat digito litteras.

Scitè, nec potest suprà.

* *Ita reperi in v. cod. vulgò*, exspectãdum à labris.

122. INTRORSVS REFERRE.] *Et quod sequitur, arctare ac minuere.*

123. QVAM NOBIS.] *Stoicis. nam Epicurei diuellebant, ad sua priuatim commoda quidque referentes.*

CAP. XV. 124. NEPOTARI.] *Nepotes imitari, profundere, dilapidare. Tertullianus:* Aristippus in purpurâ nepotatur. *Inde &* Nepotatus, *ipsa actio, Suetonio & Plinio.*

125. SVPINIS QVIDEM.] *Expansis, promptísque.*

quod quilibet casus & consilij indigens impetus defert: quod ostentare libet, & [126] inscribere sibi. Beneficia tu vocas, quorum auctorem fateri pudet? At illa quanto gratiora sunt, quantoque in partem interiorem animi numquam exitura descendunt: cùm delectant, cogitantem magis à quo, quàm quid acceperis? [127] Crispus Passienus solebat dicere, quorumdam se iudicium malle, quàm beneficium: quorumdam beneficium malle, quàm iudicium. & subiiciebat exempla: *Malo*, aiebat, [128] *diui Augusti iudicium: malo* [129] *Claudij beneficium*. Ego verò nullius puto expetendum esse beneficium, cuius vile iudicium est. Quid ergo? Non erat accipiendum à Claudio quod dabatur? erat: sed [130] sicut à Fortunâ, quam scires statim posse malam fieri. Quid ergo ista inter se mixta diuidimus? Non est beneficium, cui deest pars optima, datum esse iudicio. Alioquin pecunia ingens si non ratione, nec rectâ voluntate donata est, non magis beneficium est, quàm thesaurus. Multa sunt autem, quæ oportet accipere, [131] nec debere.

A

B

126. INSCRIBERE SIBI.] *Se auctorem profiteri.*

127. CRISPVS PASSIENVS.] *Qui Neroni vitricus, Agrippinæ alter maritus: amœni ingenij, orisque diserti. Vide nostra ad* XII. *Annal. Taciti.*

128. DIVI AVGVSTI.] *Considerati & prudentis Principis.*

129. CLAVDII.] *Fatui & mori.*

130. SICVT A FORT.] *Ideſt, sicut cæca illa Dea indignis dignísque sæpè dat, & mox eripit: ita censere de Claudio licebat, capere, sed mox fortasse capiendum.*

132. NEC DEBERE.] *Nec pro iis obligari.*

L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ

AD AEBVCIVM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER SECVNDVS.

B

ARGVMENTVM ET ORDO.

ASSVMIT *& repetit alterum membrum,* Quemadmodum beneficia danda? *Varia dat præcepta : vt* Libenter, Citò, Sine dubitatione. *Quædam* Palàm, *quædam in* secreto. *Sed omnia tamen sine superbiâ, aut iactatione. Deinde,* Quæ nocitura, non dare, *nec si petant : non item* Turpia, *& infamiæ futura. Denique* Personæ æstimandæ, *& qui dat, & qui accipit: vt decora sint vtrique. Pars altera libri, Ipse* Accipiens *quomodo se gerat?* A quibus *capiat,* & Quomodo? *inprimis* Gratè. *Ex occasione,* quid faciat ingratos? Superbia, Auaritia, Inuidia. *Pluribus deinde de* Gratitudine, *eamque constare voluntate, vbi res deficit.*

CAPVT PRIMVM.

C

INSPICIAMVS, Liberalis virorum optime, id quod ex [1] priore parte adhuc supereſt, Quemadmodum dandum sit beneficium: cuius rei expeditissimam videor monstraturus viam. Sic demus, quomodo vellemus accipere. ante omnia libenter, citò, sine vllâ dubitatione. Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægrè dimittere visus est; & sic tamquam sibi præriperet. Etiam si quid moræ interuênit, euitemus omni modo, ne deliberasse videamur. Proximus est â negante, qui dubitauit, nullamque meretur gratiam. Nam cùm in beneficio iucundissima sit tribuentis voluntas; qui nolentem se tribuisse ipsâ cunctatione testatus est, non dedit, sed [2] aduersus ducentem, malè retinuit. Multi autem sunt, quos liberales facit frontis infirmitas. Gratissima sunt beneficia, parata, facilè [3] occurrentia, vbi nulla mora fuit, nisi
D in accipientis verecundiâ. Primum est, antecedere desiderium cuiusque: proximum sequi. Illud melius, occupare antequam rogemur: quia cùm homini probo ad rogandum [4] os concurrat, & suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. [5] Non tulit gratis, qui cùm rogasset, accepit. Quoniam quidem, vt maioribus

COMMENTARIVS.

CAP. I. 1. PRIORE PARTE.] *Quam incohauit, Cap.* XI. *libri* I.

2. ADVERSVS DVCENTEM.] *Ab eo qui funem trahit, alio malè renitente.*

3. OCCVRRENTIA.] *Publianâ illâ sententiâ*: Bis est gratum, quod opus est, vltrò si offeras.

4. OS CONCVRRAT.] *Alij volunt*, corruat: *cur autem? proprium huic ingenuo vitio verbum est, & è re sumptum. Qui molli ore sumus, ipsum hoc experimur, os coire & ægrè diduci. Itaque & Fabius eo verbo, lib.* III. Est alius concursus oris, & cum verbis suis colluctatio. *Seneca epist.* XI. Lingua titubat, labra concurrunt.

5. NON TVLIT GRATIS.] *Apuleius:* Non enim leui

bus noſtris, grauiſſimis viris, viſum eſt, nulla res cariùs conſtat, quàm quæ precibus A
empta eſt. Vota homines parciùs facerent, ſi palàm facienda eſſent. adeò etiam deos,
quibus honeſtiſſimè ſupplicamus, tacitè malumus & intra noſmetipſos precari.

II. Moleſtum verbum eſt, oneroſum, & demiſſo vultu dicendum, *Rogo*. Huius facienda eſt gratia amico, & cuicumque, quem amicum ſis promerendo facturus. Properet licet: ſerò beneficium dedit, qui roganti dedit. Idcò diuinanda cuiuſque voluntas, & cùm intellecta eſt, neceſſitate grauiſſimâ rogandi liberanda eſt. Illud beneficium iucundum, victurumque in animo ſcias, quod obuiam venit. Si non contingit præuenire, plura rogantis verba intercidamus, ne rogati videamur: ſed certiores facti, ſtatim promittamus, facturoſque nos etiam antequam interpellaremur, ipsâ feſtinatione approbemus. Quemadmodum in ægris opportunitas cibi ſalutaris eſt, & aqua tempeſtiuè data remedij locum obtinuit: ita quamuis leue & vulgare beneficium ſit, ſi præſtò fuerit, ſi proximam quamque horam non perdidit, multum ſibi adiicit, gratiamque pretioſi, ſed lenti & diu cogitati muneris vincit. Qui tam paratè fecit, non eſt dubium, quin B

III. libenter faciat. Itaque lætus facit, & induit ſibi animi ſui vultum. Ingentia quorumdam beneficia, ſilentium aut loquendi tarditas, imitata grauitatem & triſtitiam, corrupit, cùm promitterent vultu negantium. Quanto meliùs, adiicere bona verba rebus bonis, & prædicatione humanâ benignaque commendare quæ præſtes? vt ille ſe caſtiget, quòd tardior in rogando fuit. Adiicias licet familiarem querelam: *Iraſcor tibi, quòd cùm aliquid deſideraſſes, non olim ſcire me voluiſti, quòd tam diligenter rogaſti, quòd quemquam adhibuiſti. Ego verò gratulor mihi, quòd experiri animum meum libuit: poſteà quidquid deſiderabis, tuo iure exiges. Semel ruſticitati tuæ ignoſcitur.* Sic efficies, vt animum tuum pluris æſtimet, quàm illud quidquid eſt, ad quod petendum venerat. Tunc eſt ſumma virtus tribuentis, tunc benignitas, vbi ille qui diſceſſit, dicet ſibi: *Magnum hodie lucrum feci. malo quòd illum talem inueni, quàm ſi multiplicatum hoc ad me aliâ viâ peruenisſet. Huic eius*

IV. *animo numquam parem referam gratiam.* At plerique ſunt, qui beneficia aſperitate C
verborum & ſupercilio in odium adducunt, eo ſermone vſi, eâ ſuperbiâ, vt impetraſſe
pœniteat. Aliæ deinde poſt rem promiſſam ſequuntur moræ. nihil autem eſt acerbius,
quàm vbi [6] quoque cùm impetraſti, rogandum eſt. Repræſentanda ſunt beneficia: quæ
à quibuſdam accipere difficilius eſt, quàm impetrare. Hic rogandus eſt, vt admoneat;
ille, [7] vt ſumat. Sic vnum munus per multorum teritur manus, ex quo gratiæ minimum apud promittentem remanet: quia auctori detrahit, quiſquis poſt illum rogandus eſt. Hæc itaque curæ habebis, ſi gratè æſtimari quæ præſtabis voles, vt beneficia tua illibata, vt integra ad eos, quibus promiſſa ſunt, perueniant, [8] ſine vllâ, quod aiunt, deductione. Nemo illa intercipiat, nemo detineat: nemo in eo quod daturus es, gratiam

V. ſuam facere poteſt, vt non tuam minuat. Nihil æquè amarum, quàm diu pendêre. Æquiore quidam animo ferunt [9] præcidi ſpem ſuam, quàm trahi. Pleriſque autem hoc vitium eſt, ambitione prauâ differendi promiſſa, [10] ne minor ſit rogantium turba. Quales regiæ potentiæ miniſtri ſunt, quos delectat ſuperbiæ ſuæ longum ſpectaculum: minuſque ſe iudicant poſſe, niſi diu multumque ſingulis, quid poſſint, oſtentent. Nihil D
con-

leui mercede emit, qui precatur: aut paruum pretium accipit, qui rogatur.

CAP. IV. 6. QVOQVE CVM IMPETR.] *Ame eſt, cùm in libris inueniſſem*, quoque quod impetr. *Sententia vulgò hæret.*

7. VT SVMAT.] *Non diſplicet, & fit ita apud magnates: munus ab alio tibi traditur, nec hauris ex ipſo fonte. Ergo Diſpenſator, aut talis, rogandus vt pro te ſumat. Tamen libri ferè veteres*, vt conſummet: *quod eſſet, finem & ſummam manum muneri imponat. Sed prius magis arridet.*

8. SINE DEDVCTIONE.] *Oſtendit inter formulas fuiſſe. & lego in marmore Hiſpanienſi:* SIGNVM. PANTHEI. TESTAMENTO. FIERI. PONIQVE. EX. ARGENTI. LIBRIS. C. SINE. VLLA. DEDVCTIONE. IVSSIT. *Iterùm:* HEREDES. SINE. VLLA. DEDVCTIONE. XX. POSVERE. *Valet igitur, vt nihil de ſummâ detrahatur.*

CAP. V. 9. PRÆCIDI SPEM.] *In hoc genus Martialis:*

Primum eſt vt præſtes, ſiquid te Cinna rogabo:
Illud deinde ſequens, vt citò Cinna neges.
Diligo præſtantem, non odi Cinna negantem:
At tu nec præſtas, nec citò Cinna negas.

10. NE MINOR SIT.] *Eſt & cauſſa alia, quam Plinius Panegyrico tangit: quòd* beneficiis ſuis commendationem ex difficultate captant.

11. Po-

A confestim, nihil semel faciunt. iniuriæ illorum præcipites, lenta beneficia sunt. Quare verissimum existima, quod ille Comicus dixit: ——— *Quid? tu non intelligis, Tantùm te gratiæ demere, quantum moræ adiicis?* Inde illæ voces, quas ingenuus dolor exprimit: *Fac, si quid facis*: &, *Nihil est tanti: Malo mihi iam neges*: vbi in tædium adductus animus incipit beneficium odisse, dum exspectat. [11] Potest ob id ingratus esse. Quemadmodum acerbissima crudelitas est, quæ trahit pœnam: & misericordiæ genus est, [12] citò occidere (quia tormentum vltimum finem sui secum affert; quod antecedit tempus, maxima venturi supplicij pars est:) ita maior est muneris gratia, quo minùs diu pependit. Est enim bonarum etiam rerum solicita exspectatio. & cùm plurima beneficia remedium alicuius rei afferant; qui aut diutiùs torqueri patitur, quem protinus potest liberare, aut gaudere tardiùs, beneficio suo [13] manus affert. Omnis benignitas properat: & proprium est libenter facientis, citò facere. Qui tardè, & diem de die extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit, & tempus, & argumentum
B amicæ voluntatis. tardè velle, nolentis est. In omni negotio, Liberalis, non mini- VI.
ma portio est, quomodo quidque aut dicatur, aut fiat. multum celeritas fecit, multum abstulit mora. Sicut in telis eadem ferri vis est: sed infinitum interest, vtrùm excusso lacerto torqueantur, an remissâ manu effluant. gladius idem & stringit, & transforat: quàm [14] presso articulo venerit, refert: idem est quod datur; sed interest quomodo detur. Quàm dulce, quàm pretiosum est, si gratias sibi agi non est passus, qui dedit: si dedisse. dum dat, oblitus est! nam corripere eum, cui cùm maximè aliquid præstes, dementia est, & inferere contumeliam meritis. Itaque non sunt exasperanda beneficia, nec quidquam illis triste miscendum. Etiam si quid erit, de quo velis admonere, aliud tempus eligito. Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro asperè datum, *Pa-* VII.
nem [15] *lapidosum* vocabat; quem esurienti accipere necessarium sit, esse acerbum. Tiberius Cæsar rogatus [16] à nepote [17] M. Allio prætorio, vt æri alieno succurreret: edere illum sibi nomina creditorum iussit. Hoc non est donare, sed creditores conuocare. Cùm
C edita essent, scripsit, [18] *nepoti iussisse se pecuniam solui.* adiectâ contumeliosâ admonitione, effecit, vt nec æs alienum haberet, nec beneficium. Liberauit illum à creditoribus, sibi non obligauit. Aliquid Tiberius secutus est. puto noluit plures esse, qui idem rogaturi concurrerent. ista fortasse efficax ratio fuerit, ad hominem improbas cupiditates pudore reprimendas: beneficium verò danti, tota alia sequenda est via. [19] Omni ge- VIII.
nere

11. POTEST OB ID.] *A Mureto ea lectio, siue potiùs Erasmo. At mei*, gratus, *non* ingratus *statim habent. Distinctione iuuanda & elicienda sententia est, istâ:* Malo mihi iam neges. Vbi in tæd. ad. animus, inc. b. o. dum exspectat: potest ob id gratus esse? *An, inquit, gratus animus ob id beneficium esse potest, quod mora in odium traxit?*

12. CITO OCCIDERE.] *Tyranni sciebant. vt Ti-*
D *berius cuidam* precanti pœnæ maturitatem, Nondum, inquit, tecum in gratiam redij. *Et Caius Caligula*, non temerè in quemquam, nisi crebris & minutis ictibus animaduerti passus est, perpetuo notoque iam præcepto: Ita feri, vt sentiat se mori. *Vtrumque in Suetonio. Adde Lucani:*

——— moremque nefandæ
Dirum sæuitiæ pereuntis parcere morti.

13. MANVS AFFERT.] *Intellige, occidit, perdit. Notum, quid sit* manus sibi afferre: *atque inde, huc translatum.*

CAP. VI. 14. PRESSO ARTICVLO.] *Manu forti, & adactâ. Contrà est*, molli articulo. *Fabius lib.* 11. Gladiatorem vehementis impetus, excipit aduersarij mollis articulus. *Nec dissimile, quod in Cicerone*: Molli brachio, & Leui, *quæ omnia à re militari aut gladiatoriâ.*

CAP. VII. 15. LAPIDOSVM.] *Is est, qui in lapidem duratus.*

16. A NEPOTE.] *Putarim maiusculâ litterâ insigniendum*, Nepote: *& cognomen fuisse huius viri.*

17. M. ALLIO.] *Meus liber opt.* Aleo: *in aliis* Ælio. *Ceterùm ipse Tacito, aut Suetonio, non nominatur: res tangitur in plures Senatorum. Illi his verbis*: Propertio Celeri decies HS. largitus est, tentantes eadem, probare caussam Senatui iussit: cupidine seueritatis, in his etiam quæ rectè faceret, acerbus. Vnde ceteri silentium & paupertatem, confessioni & beneficio præposuêre. *At Suetonio, istis*: Paucorum Senatorum inopiâ sustentatâ, ne pluribus opem ferret, negauit se subuenturum, nisi Senatui iustas necessitatum caussas probassent.

18. NEPOTI.] *Iterùm maiusculâ, & in eo scomma. Videbatur nomen edere, & vitium exprobrauit.* Nepotes, ἄσωτοι: luxuriosæ vitæ homines (*ait Festus*) quòd non magis his rei suæ familiaris cura est, quàm iis quibus pater auusque viuunt.

CAP. VIII. 19. OMNI GENERE.] *Valet, omni modo, & ratione. Ici crebriusculè, & noster mox cap. x.*

20. RE-

nere quod des, quo sit acceptius, adornandum est. Hoc verò non est beneficium dare, A
[20] reprehendere est. Et vt in transitu de hac quoque parte dicam quid sentiam, ne Principi quidem satis decorum est, donare ignominiæ causſâ. Tametsi inquietudinem Tiberius, nec hoc quidem modo, quo putabat, potuit effugere. Nam aliquot posteà, qui idem rogarent, inuenti sunt. omnes iussit reddere in senatu æris alieni causſas, & ita illis certas summas dedit. Non est illud liberalitas: censura est, [21] auxilium est, Principale tributum est. Beneficium non est, cuius sine rubore meminisse non possum. Ad iudi-
IX. cem missus sum. vt impetrarem, causſam dixi. Præcipiunt itaque omnes auctores sapientiæ, quædam beneficia palàm danda, quædam secretò. Palàm, quæ consequi glorioſum est: vt militaria dona, & honores, & quidquid aliud notitiâ pulchrius fit. Rursus quæ non [22] producunt, nec honestiorem faciunt, sed occurrunt infirmitati, egestati, ignominiæ, tacitè danda sunt: vt nota sint solis, quibus prosunt. Interdum & ipse qui
X. iuuatur, fallendus est: vt habeat, nec à quo acceperit, sciat. [23] Arcesilaus, vt aiunt, [24] amico pauperi, & paupertatem suam dissimulanti, ęgro autem, & ne hoc quidem con- B
fitenti deesse sibi in sumptum ad necessarios vsus, cùm clàm succurrendum iudicasset; puluino eius ignorantis sacculum subiecit, vt homo [25] inutiliter verecundus, quod desiderabat, inueniret potiùs quàm acciperet. Quid ergo? ille nesciet à quo acceperit? Primùm nesciat, si hoc ipsum beneficij pars est. deinde multa alia faciam, multa tribuam, per quæ intelligat & illius auctorem. Denique ille nesciet accepisse se: ego sciam me dedisse. Parum est, inquis. Parum, si fænerare cogitas: sed si dare [26] quo genere accipienti maximè profuturum erit; dabis. contentus eris te teste. Alioquin non benefacere delectat, sed videri benefecisse. Volo, inquis, sciat: debitorem quæris. Volo vtique sciat: quid, si illi vtilius est nescire? si honestius, si gratius? non in aliam partem abibis? Volo sciat: ita tu hominem non seruabis in tenebris? Non nego, quoties patitur res, percipiendum gaudium ex accipientis voluntate: sin adiuuari illum & oportet, & pudet; si quod præstamus, offendit, nisi absconditur: beneficium [27] in acta non mitto. Quid? ego illi sum indicaturus me dedisse: cùm inter prima præcepta ac maximè necessaria sit, ne vm- C
quam [28] exprobrem, imò ne admoneam quidem? Hæc enim beneficij inter duos lex est. alter statim obliuisci debet dati, alter accepti numquam. Lacerat animum & premit fre-
XI. quens meritorum commemoratio. Libet exclamare, [29] quod ille triumuirali proscriptione seruatus à quodam Cæsaris amico exclamauit, cùm superbiam eius ferre non posset: *Redde me Cæsari*. Quousque dices: *Ego te seruaui, ego te eripui morti?* istud, si meo arbitrio memini, vita est; si tuo, mors est. Nihil tibi debeo, si me seruasti, vt haberes, quem ostenderes. Quousque me circumducis? quousque obliuisci fortunæ meæ non finis?

20. REPREHENDERE.] *Assentior Pinciano legenti*, deprehendere: *detegere vitia latentia & efferre*.

21. AVXILIVM EST.] *Grutero nostro visum, cum negatione immissâ legere:* Non est illud liberalitas, censura est; non auxilium est, principale tributum est. *vt anthiteta ista haud indecorè concurrant. Tributum autem Principale, quia velut ab inuito tribuitur in aliorum necessitates.*

CAP. IX. 22. PRODVCVNT.] *Prouehunt, attollunt. Inde* Producta *Stoicorum.*

CAP. X. 23. ARCESILAVS.] *Crantoris discipulus, qui & mediæ Academiæ auctor fuit.*

24. AMICO PAVPERI.] *Cteſibium nominat Laërtius: & dictum addit, cùm pecunia inuenta esset*, Ἀρκεσιλάου τὸ παίγνιον: Arcesilai hic ludus. *At Plutarchus in libello,* Quomodo Adulator ab Amico noscendus: *diserè* Apelli Chio *hoc tribuit: & cetera consonat, nisi quòd dictum effert*, Ἀρκεσιλάου τουτὶ τὸ κλέμμα: Arcesilai hoc furtum.

25. INVTILITER VERECVNDVS.] *Homericum est:* Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ προΐκτη:
Nec pudor vtilis est, homini qui pauperi adhæret.

26. QVO GENERE.] *Quo modo. vt suprà cap.* VIII. D

27. IN ACTA.] *Id est, non publico, non posteritati trado. Acta confici solent rerum memorabilium vel in populo, vel Senatu, atque ea per certos huic curæ homines describi: tum publicari. Itaque prouerbij speciem dictum,* In acta mittere: *& plura ego ad Annalem* IV. *Taciti.*

28. EXPROBREM.] *Tullij idem monitum, in Lælio:* Odiosum est genus hominum, officia exprobrantium. quæ meminisse debet is, in quem collata sunt; non commemorare, qui contulit. *Sanè ea res odium gignit, & maximè apud Principes. Tacitus* IV. *Hist.* Neque deerat ipse arrogantiâ vocare offensas, nimius commemorandis quæ meruisset.

CAP. XI. 29. QVOD ILLE.] *Quis, ignoro: sed plures sic seruati.*

30. REPE-

A ſinis? ſemel in triumpho ductus eſſem. Non eſt dicendum, quid tribuerimus. qui admonet, [30] repetit. Non eſt inſtandum, non eſt [31] memoriæ reuocandum: niſi vt aliud dando, prioris admoneas. Ne aliis quidem narrare debemus. qui dedit beneficium, taceat: narret, qui accepit. Dicetur enim, quod illi vbique iactanti beneficium ſuum: *Num negabis*, inquit, *te recepiſſe?* & cùm reſpondiſſet, *Quando?* [32] *Sæpè quidem*, inquit, *& multis locis: id eſt, quoties & vbicumque narraſti.* [33] Quid opus eſt te loqui? quid alienum occupare officium? Eſt qui iſtud facere honeſtiùs poſſit: quo narrante, & hoc laudabitur, quòd ipſe non narras. Ingratum me iudicas, ſi iſtud te tacente, nemo ſciturus eſt? Quod adeò non eſt committendum, vt etiam ſi quis coram nobis narrabit, ei reſpondendum ſit: *Digniſſimus quidem ille eſt maioribus beneficiis, quæ ego magis velle me ſcio præſtare, quàm poſſe.* Et hæc ipſa non [34] verniliter, nec eâ figurâ, quâ quidam reiiciunt, quæ magis ad ſe volunt attrahere: deinde adiicienda omnis humanitas. Perdet agricola quod ſparſit, ſi labores ſuos deſtituet in ſemine. Multâ curâ ſata perducuntur ad ſegetem. nihil in fru-
B ctum peruenit, quod non à primo vſque ad extremum æqualis cultura proſequitur: eadem beneficiorum eſt condicio. Numquid vlla maiora poſſunt eſſe, quàm quæ in liberos patres conferunt? [35] Nec tamen tuta ſunt, ſi in infantiâ deſerantur, niſi longa pietas munus ſuum nutriat. Eadem ceterorum beneficiorum condicio eſt: niſi illa adiueris, perdes. parum eſt dediſſe, fouenda ſunt. Si gratos vis habere quos obligas, non tantùm des oportet beneficia, ſed ames. Præcipuè, vt dixi, parcamus auribus. admonitio tædium facit, exprobratio odium. Nihil æquè in beneficio dando vitandum eſt, quàm ſuperbia. Quid opus arrogantiâ vultus? quid tumore verborum? ipſa res te extollit. Detrahenda eſt inanis iactatio: res loquentur, nobis tacentibus. Non tantùm ingratum, ſed inuiſum eſt beneficium, ſuperbè datum. [36] Cæſar dedit vitam [37] Pompeio Pen- XII.
no, ſi dat, qui non aufert: deinde abſoluto & agenti gratias, porrexit oſculandum ſiniſtrum pedem. Qui excuſant, & negant id inſolentiæ cauſâ factum: aiunt [38] ſocculum auratum, imò aureum margaritis diſtinctum, oſtendere eum voluiſſe. Ita prorſus: quid
C hîc contumelioſum eſt, ſi vir conſularis aurum & margaritas oſculatus eſt; & alioquin [39] nullam partem in corpore eius electurus, quam puriùs oſcularetur? Homo natus in hoc, vt mores liberæ ciuitatis [40] Perſicâ ſeruitute mutaret, parùm iudicauit, ſi ſenator ſenex, [41] ſummis vſus honoribus, [42] in conſpectu principum ſupplex ſibi, eo more iacuiſſet,

30. REPETIT.] *Totidem pænè verbis ante eum Publius*: Beneficium dediſſe qui dicit, petit.

31. MEMORIÆ REVOCANDVM.] *Alij libri*, memoria reuocanda: *at meus*, renouanda. *quod probem.*

32. SÆPE QVIDEM.] *Acutum reſponſum. fructum beneficij percepiſti in tuâ iactantiâ. Non eſt opus me dependere, tu tibi à te ſoluiſti.*

33. QVID OPVS TE LOQVI?] *Non opus. & argutè in iſtos Martialis:*

D Quæ mihi præſtiteris memini, ſemperque tenebo.
Cur igitur taceo Poſtume? tu loqueris.
Non bellè faciunt quædam duo. ſufficit vnus
Huic operi: ſi vis vt loquar, ipſe tace.

34. VERNILITER.] *Blandè & cum adulatione, ſine animi tui ſenſu. Vox à* Vernis, *id eſt ſeruulis, qui ferè blandiuntur. Inde* Vernilis, πολιτικὸς *in Gloſſis priſcis*: πολιτικὸς *autem iiſdem*, Ciuilis, Vrbanus. *Vernilitas eodem ſenſu in Senecâ, epiſt.* XCIV. *In Taciti* II. *Hiſt. Vbi noſtri libri de Vitellio*, Quamuis odium humilibus blanditiis velaret: *video Robertum Stephanum legiſſe*, vernilibus blanditiis. *Aptè profectò, ſi è membranis.*

35. NEC TAMEN TVTA.] *Pincianus iubet, & parent alij*, Hæc tamen irrita. *Ego nihil mutem.*

CAP. XII. 36. CÆSAR.] *Omnino litterula addenda*, C. Cæſar: Caligulam *notat.*

37. POMPEIO PENNO.] *Cetera mihi ignotus. an tamen idem, qui poſteà fame ab eo mori coactus, homo opulens & locuples, ſupra pleroſque ſui ævi? de quo Seneca idem, de Tranquill. cap.* XI.

38. SOCCVLVM AVRATVM.] *Plinius* XXXVII. *cap.* II. Tolerabiliorem tamen fecit (*Pompeius Magnus*) cauſſam Caij Principis, qui, ſuper omnia muliebria, ſocculos induebat è margaritis. *Quidni igitur & auratos?*

39. NVLLAM PARTEM.] *Significat ſuperum inferumq; impurum fuiſſe.*

40. PERSICA SERVITVTE.] *Quia Perſæ valdè obnoxij ſuis regibus. & inde Cicero*: Regnum non modò Romano homini, ſed nec Perſæ quidem cuiquam tolerabile. *Et verò in hac ipsâ re certum, Perſas regibus ſuis* manus pedeſque oſculatos: & humi ſtratos ſeruiliter adoraſſe.

41. SVMMIS VS. HON.] *Ita Pincianus & Muretus, ex coniecturâ. Mihi placebat*, ſummis honoribus, *abſolutè dictum. At ecce apud me duo libri*, ſummiſſimis *clarè præferunt: an non ſeruandum, & Comico illo more, dictum, vt* ipſiſſimus?

42. IN CONSPECTV PRINCIPVM.] *Accipio, procerum*

cuisset, quo victi hostes victoribus iacuere: inuenit aliquid infra genua, quò libertatem A
detruderet. Non hoc est remp. calcare? [43] & quidem, dicet aliquis (nam potest ad
rem pertinere) sinistro pede. Parùm enim fœdè furioseque insolens fuerat, qui de capi-
te consularis viri [44] soccatus audiebat, nisi in os senatoris ingessisset imperator [45] pigros
XIII. suos. O superbia magnæ fortunæ! O stultissimum malum! vt à te nihil accipere
iuuat? vt omne beneficium in iniuriam conuertis? vt te omnia nimia delectant? vt te
omnia dedecent? quoque altiùs te subleuasti, hoc depressior es, ostendisque [46] te non
agnoscere ista bona, quibus tantùm inflaris. Quidquid das, corrumpis. Libet itaque in-
terrogare, quid tantopere te [47] supinet, quid vultum habitumque oris peruertat, vt ma-
lis habere [48] personam, quàm faciem? Iucunda sunt, quæ humanâ fronte, certè leni, pla-
cidaque tribuuntur: quæ cùm daret mihi superior, non exsultauit supra me, sed quàm
potuit, benignissimus fuit, descenditque [49] in æquum, & detraxit muneri suo pompam.
obseruauit idoneum tempus, vt in occasione potiùs, quàm in necessitate succurreret.
Vno modo istis persuadebimus, ne beneficia sua insolentiâ perdant, si ostenderimus B
non ideò videri maiora, quò tumultuosiùs data sunt: ne ipsos quidem ob id cuiquam
posse maiores videri. vanam esse superbiæ magnitudinem, & quæ in odium etiam a-
XIV. manda perducat. Sunt [50] quædam nocitura impetrantibus: quæ non dare, sed
negare, beneficium est. Æstimabimus itaque vtilitatem potiùs, quàm voluntatem pe-
tentium. Sæpè enim noxia concupiscimus, nec dispicere quàm pernicioſa sint licet: quia
iudicium interpellat affectus. sed cùm subsedit cupiditas, cùm impetus ille flagrantis
animi, qui consilium fugat, cecidit; detestamur pernicioſos malorum munerum auctо-
res. Vt frigidam ægris negamus, & lugentibus ac sibi iratis ferrum, aut amantibus quid-
quid contra se vsurus ardor petit: sic ea, quæ nocitura sunt impensè ac submissè, non-
numquam etiam miserabiliter rogantibus, perseuerabimus non dare. Tum initia be-
neficiorum suorum spectare, tum etiam exitus decet: & ea dare quæ non tantùm acci-
pere, sed etiam accepisse delectet. Multi sunt qui dicant: *Scio hoc illi non profuturum. sed*
quid faciam? rogat, resistere precibus eius non possum. Viderit. de se, non de me, queretur. C
Falsum est: imò de te, & meritò quidem: cùm ad mentem bonam redierit, cùm [51] accessio il-
la quæ animum inflammabat, se remiserit. Quid ni eum oderit, à quo in damnum ac
periculum suum adiutus est? Exorari in perniciem rogantium, sæua bonitas est. Quem-
admodum pulcherrimum opus est, [52] etiam inuitos nolentesque seruare: ita roganti-
bus pestifera largiri, blandum & affabile odium est. Beneficium demus, quod vsu ma-
gis

rum & populi primorum, id est Senatorum: & ali-
quoties ita Seneca. At Gruterus malit, in conspectu
p.r. *id esset*, populi Romani.

43. ET QVIDEM.] *Ista à Mureto, & hominis cauſ-*
sâ tenui: sed credo mea, puro iudicio, meliora: & qui-
dem (licet aliquis non putet ad rem pertinere)
sinistro pede? *Nam in eo argutatur. non solùm pe-*
dem præbuit, quod turpe, basiandum; sed quod tur-
pius indigniusq;, sinistrum. At quod hic est R. P. pos-
sis etiam, Rom. populum *explicare*.

44. SOCCATVS.] *Insolens hoc Romanis. & Cice-*
ro Verri grauiter obiecit, quòd soleatus in publico
stetisset. *Nam domi dumtaxat soleæ: in publico, &*
certè cùm iudicia obibant, calceati togatique erant.
Fœdius autem Caius, qui in muliebri etiam socco hæc
patrabat.

45. PIGROS SVOS.] *Sententiam video, verbum*
sine exemplo est: videturq; ita pedes, aut sordes circa
pedes, notare. Io. Meursius, vir doctus, epigros *vel-*
let, & clauos interpretari, qui calceus suppacti vel im-
pacti. In Augustino ea vox, Lignum ligno per sub-
scudes, epigros, clauos, & gluten bituminis, non
potest adhærere. *Sed & Isidoro*, XIX. Epigri & cla-
ui sunt, quibus lignum ligno adhæret. *Pincianus*
autem, pictos soccos: *Libri non mutant, nisi quòd*
vnus meus pigtos.

CAP. XIII. 46. TE NON AGNOSCERE.] *Li-*
bri scripti, tibi non: *& quidam*, adagnoscere. *Su-*
specta mihi: sed tantùm.

47. SVPINET.] *Alij* resupinet, *nec malè. Habi-* D
tus autem ille superborum, caput attollere, pectus pro-
iicere: quod est, sese supinare, κεφὴν ὑπτιάζειν.

48. PERSONAM.] *Histrioniam, & alienam.*

49. IN ÆQVVM.] *Ex alto descendit, se submisit,*
& velut parem gessit.

CAP. XIV. 50. QVÆDAM NOCITVRA.] *Ta-*
citus XV. *Annal.* Plura sæpè peccantur, dum de-
meremur, quàm dum offendimus.

51. ACCESSIO.] *Alij libri*, accensio. *Illud*
teneo, & est inuasio morbi & παροξυσμός. A fe-
bribus ductum.

52. ETIAM INVITOS.] *Negat Horatius:*
Inuitum qui seruat, idem facit occidenti:
sed in re aliâ. nempe is, qui mori consilio & decreto
volunt (prisco illo more) nec sunt interpellandi.

53. A TV-

gis ac magis placeat,quod numquam in malum vertat. Pecuniam non dabo,quam numeraturum adulteræ sciam : ne in societate turpis facti aut consilij inueniar. Si potero, reuocabo : sin minùs, non adiuuabo scelus. Siue illum ira, quò non debebat, impellit, siue ambitionis calor abducit [53] à tutis : non committam, vt possit quandoque dicere, *Ille amando me occidit*. Sæpè nihil interest inter amicorum munera, & [54] hostium vota. Quidquid illi accidere optant; in id horum intempestiua indulgentia impellit, atque instruit. Quid autem turpius, quàm (quod euenit frequentissimè) vt nihil intersit inter odium, & beneficium? Numquam, in turpitudinem nostram reditura, tri- XV.
buamus. Cùm summa amicitiæ sit, amicum sibi æquare; vtrique simul consulendum est. Dabo egenti : sed vt ipse non egeam. succurram perituro : sed vt ipse non peream. nisi si futurus ero magni hominis, aut [55] magnæ rei merces. Nullum beneficium dabo, quod turpiter peterem. Nec exiguum dilatabo, nec magna pro paruis accipi patiar. Nam vt qui quod dedit, [56] imputat, gratiam destruit : ita qui quantum det, ostendit, [57] mu-
B nus suum commendat, non exprobrat. Respiciendæ sunt cuique facultates suæ, viresque : ne aut plus præstemus, quàm possumus, aut minus : Æstimanda est eius persona, cui damus. quædam enim minora sunt, quàm vt exire à magnis viris debeant : quædam accipiente minora sunt. Vtriusque itaque personam confer : & idipsum, inter illas, quod donabis, examina, numquid aut danti graue sit, aut paucum : numquid rursus qui accepturus est, aut fastìdiat, aut non capiat. Vrbem cuidam Alexander donabat XVI.
[58] væsanus, & qui nihil animo non grande conciperet. cùm ille cui donabatur, seipse mensus, tanti muneris inuidiam refugisset, dicens non conuenire fortunæ suæ : *Non quæro*, inquit, *quid te accipere deceat, sed quid me dare*. Animosa vox videtur, & regia : cùm sit stultissima. Nihil enim per se quemquam decet : refert quid, cui, quando, quare, vbi, & cetera, sine quibus facti ratio non constabit. Tumidissimum animal! si illum accipere hoc non decet, nec te dare. Habeatur personarum ac dignitatum proportio : & cùm sit vbique virtutis modus, æquè peccat quod excedit, quàm quod deficit. Liceat istud
C sanè tibi, & te in tantum fortuna sustulerit, vt [59] congiaria tua vrbes sint : quas quanto maioris animi fuit non capere, quàm [60] spargere? est tamen aliquis minor, quàm vt [61] in sinu eius condenda sit ciuitas. [62] Ab Antigono Cynicus petiit talentum. respon- XVII.
dit, plus esse, quàm quod Cynicus petere deberet. Repulsus petit denarium. respondit, minus esse, quàm quod regem deceret dare. Turpissima est eiusmodi cauillatio. Inuenit quomodo neutrum daret. in denario regem, in talento Cynicum respexit : cùm posset & denarium tamquam Cynico dare, & talentum tamquam rex. Vt sit aliquid maius, quàm quod Cynicus accipiat; nihil tam exiguum est, quod non honestè regis humanitas

53. A TVTIS.] *Placet. nam in præceps, certè anceps, ambitio impellit. At libri aliter : & est in meis,* abducit acutis, non à semetipso vires inferri patiar, nec committam. *Alij porrò:* acutis. Si nullum
D malum vires à semetipsâ patiar, nec committam. *Quid hîc est? vlcus, aut vlcera : neque ego nunc Machaon.*

54. HOSTIVM VOTA.] *Euripides:*
Ἀκαιρος ἔυνοι' ἀδὲν ἔχθρας διαφέρει:
Volentia importuna, ab odio haud dissidet.

CAP. XV. 55. MAGNÆ REI MERCES.] *Vel perire paratus sum, si impendo me in rem hominemú magnum, vnius exitio redimendum.*

56. IMPVTAT.] *Inscribit, & in rationibus expensi ponit.*

57. MVNVS SVVM COMMENDAT.] *Ita negatione electâ, & mox positâ legendum, sensu liquido.*

CAP. XVI. 58. VÆSANVS.] *Nusquam noster pronus in hunc regem : quem reuera vulgus & fortuna magis, quàm prudentes & ratio attollunt.*

59. CONGIARIA.] *Scripti aliquot,* congia : *sed eódem cadit, atque illud receptius. Pro quouis munere accipiunt. vt noster Consol. ad Marciam, cap.* XXII. Seianus patrem tuum clienti suo congiarium dedit : *crebrius tamen, sunt Principum dona publicè, in plebem.*

60. SPARGERE.] *Effusè dilargiri. & alludit ad fortuitas in theatris sparsiones.*

61. IN SINV.] *Ad easdem sparsiones referam. nam sinu tesseras & munuscula excipiebant.* Condenda *autem, ambiguè : siue vt ædifices, siue vt reponas & occultes.*

CAP. XVII. 62. AB ANTIGONO.] *In Plutarchi Apophthegmatis ita :* Θρασύλλου τοῦ Κυνικοῦ δραχμὴν αἰτήσαντος αὐτὸν, Ἀλλ' ἀ βασιλικὸν, ἔφη, τὸ δόμα. τοῦ δὲ εἰπόντος, Οὐκοῦν τάλαντον δός μοι, Ἀλλ' ἀ κυνικὸν, ἔφη, τὸ λῆμμα : Thrasyllo Cynico drachmam ab eo petente, Regium non est, inquit, hoc dare. Illo igitur subiciente, Da talentum : Non est Cynicum, inquit, accipere. *Quæ Græcè magis bellè cadunt.*

* tas tribuat.[63] * Si me interrogas, probo. est enim intolerabilis res, poscere nummos, & A
contemnere. [64] Indixisti pecuniæ odium: hoc professus es. hanc personam induisti:
agenda est. Iniquissimum est, te pecuniam sub gloriâ egestatis acquirere. Aspicienda
ergo non minùs sua cuique persona est, quàm eius, de quo iuuando quis cogitat. Volo
Chrysippi nostri vti similitudine[65] de pilæ lusu: quam cadere non est dubium, aut mit-
tentis[66] vitio, aut accipientis. Tunc cursum suum seruat, vbi inter manus vtriusque, ap-
tè ab vtroque & iactata & excepta versatur. necesse est autem lusor bonus, aliter illam
collusori longo, aliter breui mittat. Eadem beneficij ratio est. nisi vtrique personæ, dan-
tis & accipientis, aptatur: nec ab hoc exibit, nec ad illum perueniet, vt debet. Si cum
exercitato & docto negotium est, audaciùs pilam mittemus. vtcumque enim venerit,
manus illam expedita & agilis repercutiet. Si cum tirone & indocto: non tam rigidè, nec
tam excussè, sed languidius, & in ipsam eius dirigentes manum, remissè occurremus.
Idem faciendum est in beneficiis. quosdam[67] doceamus, & satis iudicemus,[68] si conan-
tur, si audent, si volunt. Facimus autem plerumque ingratos, & vt sint, fauemus: tam- B
quam ita demum magna sint beneficia nostra, si gratia illis referri non potuit: vt mali-
gnis lusoribus propositum est, collusorem[69] traducere, cum damno scilicet ipsius lusus,
qui non potest, nisi consentitur, extendi. Multi sunt tam prauæ naturæ, vt malint per-
dere quæ præstiterunt, quàm videri recepisse, superbi & imputatores. Quanto melius,
quantoque humanius id agere, vt illi quoque partes suæ constent, & fauere; vt gratia si-
bi referri possit, benignè omnia interpretari; gratias agentem, non aliter quàm si referat,
audire; præbere se facilem, ad hoc, vt quem obligauit, etiam exsolui velit? Malè audire
solet fenerator, si acerbè exigit: æquè si in recipiendo tardus ac difficilis moras quærit:
beneficium tam recipiendum est, quàm non exigendum. Optimus ille, qui dedit faci-
lè, numquam exegit: reddi gauisus est, bonâ fide quid præstitisset, oblitus, qui accipien-
XVIII. tis animo recepit. Quidam non tantùm dant beneficium superbè, sed etiam acci-
piunt: quod non est committendum. Iam enim transeamus[70] ad alteram partem, tra-
ctaturi quomodo se gerere homines in accipiendis beneficiis debeant. Quodcumque ex C
duobus constat officium, tantumdem ab vtroque exigit. Qualis pater esse debeat, cùm
inspexeris; scies non minus operis illic superesse, vt dispicias, qualem esse oporteat filium.
sunt aliquæ partes mariti, sed non minores vxoris. Inuicem ista quantum exigunt, præ-
stant, & parem desiderant regulam: quæ, vt ait Hecaton, difficilis est. Omne enim hone-
stum in arduo est, etiam quod vicinum honesto est. non enim tantùm fieri debet, sed
ratione fieri. Hac duce, per totam[71] viam eundum est. minima maximaque ex huius
consilio gerenda sunt: quomodo hæc suaserit, dandum. Hæc autem hoc primùm cen-
sebit, non ab omnibus accipiendum. A quibus ergo accipiemus? Vt breuiter tibi re-
spondeam: ab his, quibus dedisse[72] vellemus. [73] Num etiam maiore dilectu quæren-
dus

63. *SI ME.] *Videtur aliqua dissertatiuncula fuisse (quæ perijt) super hoc facto. Subijcit nunc, Si me quoque interrogas, sum inter probantes.*

64. INDIXISTI.] *Ad Cynicos propriè, non ad omnes Philosophos. De istis autem æruscatoribus, & poscinummiis, pulchrè Herodes apud Agell. lib.* IX. *cap.* II. *& Lucianus plurifariàm.*

65. DE PILÆ LVSV.] *Quæ placuit & Plutarcho, libello de Socratis dæmonio: etsi Chrysippo non inscripsit.* H[c] χάεις, *inquit*, ἄχ ἧττον δεομένη τῦ λαμβάνοντος, ἢ τῦ διδόντος, ἐξ ἀμφοῖν τελειοῦται πρὸς τὸ καλόν. ὁ δὲ μὴ δεξάμενος, ὥσπερ σφαῖραν εὖ φερομένην, κατήχυνεν ἀτελῆ ποιοῦσαν: Beneficium non minùs desiderat accipientem, quàm dantem, & ex vtrisque perficitur, honestumque tangit. Qui autem non excipit, sicut pilam rectè delatam & directam, dehonestat beneficium, cadens, & finem suum non assecutum.

66. VITIO.] *Probum est. tamen libri*, studio, *aut* dubio.

67. DOCEAMVS.] *Capere beneficia.*

68. SI CONANTVR.] *Grati esse, benè excipere.*

69. TRADVCERE.] *Ludibrio exponere.* D

CAP. XVIII. 70. AD ALTERAM.] *Anteà* aliam. *ego hoc recepi è meis. quia hæc reuerà secunda pars: & hactenus peregit, quod è priore supererat.*

71. VIAM.] *Hanc beneficiorum viam. Tamen libri*, vitam: *nimis etiam verè: ac Ratio dux & domina esse debet totius vitæ.*

72. VELLEMVS.] *A diuinatione Mureti merâ est. nam libri omnes*, videamur. *quod conuenire H. Stephano videbatur, non mihi: & vellem ex eo*, voueamus, *vel*, gaudeamus.

73. NVM ETIAM.] *Ita scripsi, & interrogando acui, præeuntibus meis libris. Alij*, Nam etiam: *quod reijciunt sequentia, quibus huic interrogationi respondetur.*

74. POST

A dus est, cui debeamus, quàm cui præstemus? nam, vt non sequantur vlla incommoda (sequuntur autem plurima) graue tamen tormentum est debere, cui nolis. Contrà, iucundissimum est ab eo accepisse beneficium, quem amare etiam [74] post iniuriam [75] possis. Illud verò homini verecundo & probo miserrimum est, si eum amare oportet, quem non iuuat. [76] Toties admoneam necesse est, non loqui me de sapientibus, quos quidquid oportet, & iuuat; qui animum in potestate habent, & [77] legem sibi, quam volunt, dicunt, & quam dixerunt, seruant: sed de imperfectis hominibus, honesta sequi volentibus, quorum affectus sæpè [78] contumaciter parent. Itaque eligendus est, à quo beneficium accipiam. Et quidem diligentiùs quærendus beneficij, quàm pecuniæ creditor. Huic enim reddendum est, quantum accepi: & si reddidi, solutus sum ac liber. at illi plus soluendum est: & nihilominus etiam relatâ gratiâ, [79] cohæremus. Debeo enim, cùm reddidi, rursus incipere: [80]* monetque amicitia non recipere indignum. Sic est be- *
neficiorum quidem sacratissimum ius, ex quo amicitia oritur. Non semper, inquit, mi-
B hi licet dicere, Nolo: aliquando beneficium accipiendum est & [81] inuito. Dat tyrannus crudelis & iracundus: qui munus suum fastidire te, iniuriam iudicaturus est. non accipiam? Eodem loco pone latronem & piratam, quo regem, animum latronis ac piratæ habentem. quid faciam? parùm dignus est, cui debeam. Cùm eligendum dico cui debeas, [82] vim maiorem & metum excipio: quibus adhibitis, electio perit. Si liberum est tibi, si arbitrij tui est, vtrùm velis, an non; id apud te ipse perpendes. si necessitas tollit arbitrium; scies te non accipere, sed parêre. Nemo id accipiendo obligatur, quod illi repudiare non licuit. Si vis scire, an velim; effice, vt possim nolle. Vitam tamen tibi dedit. non refert quid sit, quod datur, nisi à volente volenti detur. Si seruasti me, non ideò seruator es. Venenum aliquando pro remedio fuit. non ideò numeratur inter salubria. Quædam prosunt, nec obligant. [83] Tuber quidam tyranni gladio diuisit, qui ad XIX.
eum occidendum venerat: non ideò illi tyrannus gratias egit, quòd rem quam medicorum

C 74 POST INIVRIAM.] *Nam bonus bonum, etiam læsus ab eo, amat.*

75. POSSIS.] *Ab hoc verbo, in scriptis meis ista inseruntur*: vbi amicitiam alicui iucundam eam fecit & iustam. *Quæ sanè haud abijcienda, nec insuper habenda sunt: imò à me concinnanda.* vbi amicitiam, alioqui iucundam, iam fecit & iustam. *Acutè. suaue à viro bono accipere, quem ames vel acceptâ iniuriâ: nunc magis, vbi amicitiam antè iucundam tantùm, & sine beneficij vinculo, nunc cùm te obligauit, fecit & iustam. Porrò & Pincianus & Gruterus hæc in suis repererunt: nisi quòd in quibusdam pro,* eam, *scriptum habent* causa: *item probè.* Causa *fecit iustam, nempe beneficium.*

76. TOTIES.] *Vbi vel semel antè, ô Seneca? non in his libris: aut partes eæ (quod potest) desunt. Sed*
D *verius, alibi monitum esse: & hoc discrimen Sapientum inculcatum. Quod sequitur,* Quidquid oportet *explicatur à me, in epist.* CIV.

77. LEGEM.] *Vitæ, & actionum. qui Decreta sua firma & immota habent.*

78. CONTVMACITER.] *Parent quidem, sed rebelles. obluctantur & repugnant.*

72. COHÆREMVS.] *Solutione factâ, non soluimur: quia manet animi & voluntatis illud vinculum, quod beneficio interuênit.*

80. *MONETQVE.] *Mureto locus vitiatus videtur: & quiuis dicet. Libri tamen haud valdè mutant, nisi quòd:* manetque. *& paullò pòst:* Sic ne in beneficiorum. *Mihi sedet legere:* rursus incipere. Nam & qûo *(valet,* quomodo) in amicitiam non reciperem indignum; sic nec in beneficiorum quidem. *Vide, & inquire: Senecæ mens ea est, & verba. Adhærent & adspiciunt superiorem illam clausulam:* Et quidem diligentius quær. e.b.q.pec. creditor. *cui cetera, quasi parenthesi, subiiciuntur vel inseruntur: tum hæc αἰτιολογία: quare diligentius?* Nam & quomodo. *&c.*

81. INVITO.] *Contra vulgatam, imò & Iuris regulam,* Inuito beneficium non datur. *Lactantius:* Non est beneficium, quod ingeritur reluctanti. *Imò &* beneficiorum hæc est summa, *(Plinius Panegyrico)* si illis & non vti licet. *Atqui hîc exceptio: sed ita, vt Beneficia ea esse non dicas, sed Imperia.*

82. VIM MAIOREM.] Θεοῦ βίαν, *sine* Diuinam vim *interpretantur Plinius, & Iurisconsulti, nempe illam cælestem: adde & regiam, quæ accedit.*

CAP. XIX. 83. TVBER.] *Hoc de Pheræo Iasone Cicero ita extulit* III. *de Nat. Deor. sententiâ planè, quâ Seneca:* Nec prodesse Pheræo Iasoni voluit is, qui gladio vomicam eius aperuit, quam sanare medici non poterant. Multi enim etiam cùm obesse vellent, profuerunt; & cùm prodesse, obfuerunt. *Cum Cicerone, Valerius* I. *cap.* VIII. *At Plutarchus, De vtilitate ex inimicis cap. Promotheo Thessalo tribuit, in his verbis:* Ὥσπερ γὰρ ὁ τὸν Θεσσαλὸν Προμηθέα κτεῖναι διανοηθεὶς, ἔπαισε τῷ ξίφει τὸ φῦμα, καὶ διεῖλεν οὕτως ὥστε σωθῆναι τὸν ἄνθρωπον· οὕτω πολλάκις ὑπ' ἐχθρᾶς προσπεσοῦσα λοιδορία, πακὸν ψυχῆς ἀγνοούμενον ἐθεράπευσεν. vt enim is, qui Thessalum Promothea interficere moliens, gladio percussit vomicam eius, & sic aperuit vt homo sanaretur: ita sæpè contumelia ab inimico, malum animi latens curat.

corum manus reformidauerant, nocendo ſanauit. Vides non eſſe magnum in ipsâ re momentum? quoniam non videtur dediſſe beneficium, qui malo animo profuit. Caſus enim beneficium eſt, hominis iniuria. [84] Leonem in amphitheatro ſpectauimus, qui vnum è beſtiariis agnitum, cùm quondam eius fuiſſet magiſter, protexit ab impetu beſtiarum. Num ergo eſt beneficium, feræ auxilium? minimè: quia nec voluit facere, nec benefaciendi animo fecit. Quo loco feram poſui, tyrannum pone. Et hic vitam dedit, & illa: nec hic, nec illa beneficium. quia non eſt beneficium, accipere cogi. non eſt beneficium, debere, cui nolis. Antè des oportet mihi arbitrium mei, deinde beneficium. A

XX. Diſputari de M. Bruto ſolet, an debuerit accipere à D. Iulio vitam, cùm occidendum eum iudicaret. Quam rationem in occidendo ſecutus ſit, aliàs tractabimus. Mihi enim, cùm vir magnus fuerit in aliis, in hac re videtur vehementer erraſſe, nec ex inſtitutione Stoicâ [85] ſe geſſiſſe: qui aut regis nomen extimuit, cùm optimus ciuitatis ſtatus ſub rege iuſto ſit; aut ibi ſperauit libertatem futuram, vbi tam magnum præmium erat & imperandi, & [86] ſeruiendi; aut exiſtimauit ciuitatem in priorem formam poſſe reuocari, amiſſis priſtinis [87] moribus; futuramque ibi æqualitatem ciuilis iuris, & ſtaturas ſuo loco leges, vbi viderat tot millia hominum pugnantia, non an ſeruirent, [88] ſed vtri. Quanta verò illum aut rerum naturæ, aut vrbis ſuæ tenuit obliuio, qui vno interempto, defuturum credidit alium, qui idem vellet: cùm Tarquinius eſſet inuentus, poſt [89] tot reges ferro ac fulminibus occiſos? Sed vitam accipere debuit: ob hoc tamen non habere illum parentis loco, qui in ius dandi beneficij iniuriâ venerat. Non enim ſeruauit is, qui B

XXI. non interfecit; nec beneficium dedit, ſed [90] miſſionem. Illud magis venire in diſputationem poteſt aliquam, quid faciendum ſit captiuo, cui redemptionis pretium homo proſtituti corporis & [91] infamis ore promittit? Patiar me ab impuro ſeruari? ſeruatus deinde, quam illi gratiam referam? Viuam cum obſcœno? non viuam cum redemptore? Quid ergo placeat, dicam. Etiam ab aliquo tali accipiam pecuniam, quam pro capite dependam: accipiam autem tamquam creditum, non tamquam beneficium. Soluam illi pecuniam: & ſi occaſio fuerit ſeruandi, periclitantem ſeruabo: in C amicitiam, quæ ſimiles iungit, non deſcendam. nec ſeruatoris illum loco numerabo, ſed feneratoris: cui ſciam reddendum quod accepi. Eſt aliquis dignus, à quo beneficium accipiam: ſed danti nociturum eſt. ideò non accipiam, quia ille paratus eſt mihi cum incommodo, aut etiam periculo ſuo prodeſſe. Defenſurus eſt me reum: ſed illo patrocinio, regem ſibi eſt facturus inimicum. Inimicus ſim, ſi cùm ille pro me periclitari velit, ego, quod facilius eſt, non facio, vt ſine illo pericliter. Ineptum & friuolum hoc Hecaton ponit exemplum Arceſilai, quem ait à filio familias oblatam pecuniam non accepiſſe, ne ille patrem ſordidum offenderet. Quid fecit laude dignum? quòd furtum non recepit? quòd maluit non accipere, quàm reddere? quæ eſt enim alienam rem non accipere moderatio? Si exemplo magni animi opus eſt, vtamur [92] Græcini Iulij viri egregij, D

84. LEONEM.] *Potuit idem ille eſſe, imò meo animo fuit, quem Appion Pliſtonices vidiſſe apud Agellium narrat, in ſeruo Androclo, lib. V. cap. XIV. Nam ætas conuenit, & Appion ille ſub Tiberio.*

CAP. XX. 85. SE GESSISSE.] *At libri ſcripti editiq; anteà, ſe egiſſe. & cur ineptum volunt? dederim ex mediâ illâ ætate ſcriptorum vicena exempla.*

86. SERVIENDI.] *Ad miniſtros vel fautores tyrannidis refer, qui euehebantur.*

87. MORIBVS.] *Hoc rectè. libertas & æquitas habitare agrè poterant inter ambitum, auaritiam, luxum, & cauſſam horum omnium, opes.*

88. SED VTRI.] *Hæc vera lectio, nec Muretus ingerat ſuum, cui. Vnus è ſcriptis meis, & Gruteri item, habet: ſed & diu notarat Agricola Rodolfus. Pompeium & Iulium notat: quorum vterque, alio præ-*

texto, de imperio certabat. Cicero non ſemel ad Atticum: & Seneca epiſt. XIV. Quid tibi vis M. Cato? iam non agitur de libertate. olim peſſumdata eſt. Quæritur vtrùm Cæſar, an Pompeius poſſideat Rempublicam. Lucanus ipſo verbo Senecæ:

——quærunt, vter imperet orbi.

89. TOT REGES.] *Tres ferro, vnus fulmine, perierunt.*

90. MISSIONEM.] *A re gladiatoriâ. Mittitur, qui liberatur. Pugna* ſine miſſione: *cùm neceſſum eſt cædere aut cædi. Ego II. Saturn.*

CAP. XXI. 91. INFAMIS ORE.] *Meus*, infamis repromittit. *Nec abnuo exempla tamen ſubiungi, de infamiâ oris: itaque teneatur. etſi illud communiter dictum, magis ad theſim facit.*

92. GRÆCINI IVLII.] *De quo in Taciti Agricolâ ſcripſi, atque ibi laudatur: alibi etiam à noſtro Senecâ, vt epiſt. XXIX.*

93. LVDO-

A gij,quem C. Cæſar occidit ob hoc vnum, quòd melior vir erat, quàm eſſe quemquam tyranno expediret. Is cùm ab amicis conferentibus ad impenſam[93] ludorum pecunias acciperet, magnam[94] pecuniam à Fabio[95] Perſico miſſam non accepit. Et obiurgantibus his, qui non æſtimabant mittentem, ſed miſſa, quòd repudiaſſet: *Ego*, inquit, *ab eo beneficium accipiam, à quo*[96] *propinationem accepturus non ſim?* Cumque illi[97] Rebilus conſularis, homo eiuſdem infamiæ, maiorem ſummam miſiſſet, inſtaretque, vt accipi iuberet: *Rogo*, inquit, *ignoſcas: nam & à*[98] *Perſico non accepi*. Vtrùm hoc munera accipere eſt, an[99] ſenatum legere? Cùm accipiendum iudicauerimus, hilares accipiamus, profitentes gaudium: & id danti manifeſtum ſit, vt fructum præſentem capiat. Iuſta enim cauſſa lætitiæ eſt, lætum amicum videre: iuſtior, feciſſe. Gratè ad nos peruenisse indicemus, effuſis affectibus: quod non ipſo tantùm audiente, ſed vbique teſtemur. Qui gratè beneficium accepit, primam eius[100] penſionem ſoluit. Sunt quidam, qui nolunt niſi ſecretò accipere: teſtem beneficij & conſcium vitant: quos ſcias licet B malè cogitare. Quomodo danti in tantum producenda notitia eſt muneris ſui, in quantum delectatura eſt eum, cui datur; ita accipienti adhibenda[101] concio eſt. Quod pudet debere, ne acceperis. Quidam furtiuè agunt gratias, & in angulo, & ad aurem. Non eſt iſta verecundia, ſed infitiandi genus. Ingratus eſt, qui, remotis arbitris, agit gratias. Quidam[102] nolunt nomina ſecum fieri, nec interponi[103] pararios, nec ſignatores aduocari, nec chirographum dare: idem faciunt, qui dant operam, vt beneficium in ipſos collatum, quàm ignotiſſimum ſit. Verentur palàm ferre, vt ſuâ potiùs virtute, quàm alieno adiutorio conſecuti dicantur. Rariores in eorum[104] officiis ſunt, quibus vitam, aut dignitatem debent: & dum opinionem clientium timent, grauiorem ſubeunt ingratorum. Alij peſſimè loquuntur de optimè meritis. Tutius eſt quoſdam offendere, quàm demeruiſſe. argumentum nihil debentium,[105] odio quærunt. Atqui nihil magis præſtandum eſt, quàm vt memoria nobis meritorum hæreat, quæ ſubinde reficienda eſt: quia nec referre poteſt gratiam, niſi qui meminit; & qui meminit, iam refert. C Nec delicatè accipiendum eſt, nec ſubmiſsè & humiliter. Nam qui negligens eſt in accipiendo, cùm omne beneficium recens placeat; quid faciet, cùm prima eius voluptas refrixerit? Alius accepit faſtidioſè, tamquam qui dicat: *Non quidem mihi opus eſt: ſed quia tam valde vis, faciam tibi mei poteſtatem*. Alius ſupinè, vt dubium præſtanti relinquat, an ſenſerit: alius vix labra diduxit, & ingratior, quàm ſi tacuiſſet, fuit. Loquendum pro magni-

XXII. XXIII. XXIV.

93. LVDORVM.] *Vetus ita mos. quia largiter effundendum in voluptates illas populi; paſſim amici, imò & prouinciæ, conferebant.*

94. PECVNIAM.] *Poteſt abeſſe.*

95. PERSICO.] *Paullus Fabius Perſicus, Conſul fuit ſub Tiberio, anno* DCCLXXXVI. *Quare* Perſicus? *à rege Perſe, opinor, memoriâ victoriæ eius ab Aemilio Paullo partæ: è quâ gente hic fuit, etſi maiores adoptione tranſlati in Fabiam. Clarus igitur, ſed* D *ô fœdus! Adi & noſtrum lib.* IV. *infrà, cap.* XXX.

96. PROPINATIONEM.] *Vox abeſt à meis: at hæc, aut ſimilis fuit. Nam ſententia perbella eſt, & è quâ Martiali iocus:*

Quòd nulli calicem tuum propinas,
Humanè facis Herme, non ſuperbè.

97. REBILVS.] *Fuit vnus ſub Iulio Cæſare Conſul, etiam alius ſub Auguſto, ſed in magiſtratu mortuus. Hic tertius, quando & quis, neſcio. Et per me ſanè pereat homo Oſcus, aut lateat.*

98. PERSICO.] *Tangit Rebilum. ſignificans, nec ab illo pari tuo in infamiâ, ſed nobiliori ſtirpe, accepi: minùs à te.*

99. SENATVM.] *Hæc germana habeo, contra Pincianum. quídni fide librorum, & decore ſententiæ? Non hoc eſt, inquit, munera capere; ſed dantes examinare, quaſi ſi Senatum legas. in quem ſcilicet non niſi probos puroſq; admittas.*

CAP. XXII. 100. PENSIONEM.] *Solutionem, certis temporibus diuiſam & diſpenſatam.*

CAP. XXIII. 101. CONCIO.] *Populus & turba, vt omnes ſciant. Noſter* I. *De Clem.* O vocem in concionem omnium mortalium mittendam! *Malè, qui* cautio *ſufficiunt.*

102. NOLVNT.] *Ego vellem, cum quibuſdam libris,* volunt: *ſententiâ iſtâ. Sicut quidam volunt pecuniam mutuam capere, & debere; nec tamen ſollennia obligationum & cautionum adhibere: ita iſti beneficiarij, qui accipere, nec ſciri.*

103. PARARIOS.] *Conciliatores, proxenetas. Vide infrà, lib.* III. *cap.* XV.

104. OFFICIIS.] *Salutatione, deductione, & iſtis: quæ præſtabant obnoxij, aut clientes.*

CAP. XXIV. 105. ODIO.] *Quod ſit præſertim in magnis beneficiis, & quæ grauat capientem. Tacitus* IV. *Annal.* Beneficia vſque eò læta ſunt, donec exſolui poſſe videntur: vbi multum anteuenêre, pro gratiâ odium redditur. *De iiſdem Curtius;*

magnitudine rei impensiùs, & illa adiicienda: *Plures quàm putas, obligasti.* Nemo enim A
non gaudet beneficium suum latiùs patere. *Nescis quid mihi præstiteris: sed scire te oportet, quanto plus sit quàm æstimas.* Statim gratus est, qui se onerat. *Numquam tibi gratiam*
XXV. *referre potero: illud certè non desinam vbique confiteri, me referre non posse.* Nullo magis Cæsarem Augustum demeruit, & ad alia impetranda facilem sibi reddidit [106] Furnius, quàm quòd, cùm Patri Antonianas partes secuto veniam impetrasset, dixit: *Hanc vnam Cæsar habeo* [107] *iniuriam tuam. effeciſti vt viuerem, & morerer ingratus.* Quid est tam grati animi, quàm nullo modo sibi satisfacere? quàm nec ad spem quidem exæquandi vmquam beneficij accedere? His atque eiusmodi vocibus id agamus, vt voluntas non lateat, sed aperiatur, vt luceat. Verba cessent licet. si quemadmodum debemus affecti sumus, conscientia eminebit in vultu. Qui gratus futurus est, statim dum accepit, de reddendo cogitat. Chrysippus quidem dicit, illum velut in certamen cursus compositum, & [108] carceribus inclusum, opperiri debere suum tempus, ad quod velut dato [109] signo prosiliat. Et quidem magnâ illi celeritate opus est, magnâ contentione, vt consequa- B
XXVI. tur [110] antecedentem. Videndum est nunc, quid maximè faciat ingratos. Aut nimius sui [111] suspectus, & insitum mortalitati vitium, se suaque mirandi: aut auiditas, aut inuidia. Incipiamus à primo. Nemo non benignus est sui iudex. inde est, vt omnia meruisse se existimet, & [112] in solutum accipiat: nec satis suo pretio se æstimatum [113] putet. *Hoc mihi dedit: sed quàm serò, sed post quot labores? quanto consequi plura potuissem, si illum, aut illum, aut me colere maluissem? non hoc speraueram. In turbam coniectus sum.*
XXVII. [114] *tam exiguo dignum me iudicauit. honestius* [115] *præteriri fuit.* Cn. Lentulus [116] augur, diuitiarum maximum exemplum, antequam illum [117] libertini pauperem facerent (hic [118] quater millies sestertium suum vidit. propriè dixi: nihil enim amplius quàm vidit) ingenij fuit [119] tam sterilis, quàm pusilli. Cùm enim esset auariſſimus, nummos citiùs emittebat, quàm verba: tanta illi inopia erat sermonis. Hic cùm omnia incrementa sua D. Augusto deberet, ad quem attulerat paupertatem, [120] sub honore nobilitatis laborantem; princeps iam ciuitatis, & pecuniâ, & [121] gratiâ, subinde Augusto so- C
lebat queri, dicens, *A studiis se abductum. Nihil tantum in se congestum esse, quantum perdidisset,*

tius: Quædam imò beneficia odimus: *& vitam, & hæc summa, nemo libens alteri debet.*

CAP. XXV. 106. FVRNIVS.] Caius *prænomine, qui Consul fuit anno* DCCXXXVI. *At pater eius, item* Caius, *inter Consulares relatus ab Augusto, quia designatus non iniuerat, anno* DCCXXIII.

107. INIVRIAM.] *Callidissimè dictum. In summo beneficio, iniuria tua mixta est: quia ingratum me feciſti, nec sum soluendo.*

108. CARCERIBVS.] *A Circo sumptum.*

109. SIGNO.] *Mappâ. nam eâ missâ à Prætore aut Consule, è carceribus effundebantur.*

110. ANTECEDENTEM.] *Benefactorem. qui tempore præiit: & manet in imagine de Cursu. nam difficile consequi, diu præeuntem.*

CAP. XXVI. 111. SVSPECTVS.] *Probè. at libri tamen ferè* suspectum. *Ferri posset, vt* Prætextus, *&* Prætextum.

112. IN SOLVTVM.] *Id est, quasi non datum, sed debitum. non fiat cum eo nomen, sed expungatur.*

113. PVTET.] *Subdunt mei libri,* Nec dicat, Hoc m. d. *Omnino rectè & germanè, si distinguas:* Nec dicat, Hoc mihi dedit; sed, Quàm serò, sed, Post quot labores? *Verba nempe exprimit horum calumniantium: qui non benignè sibi dicunt,* Hoc dedit: *sed illa alia;* Quàm serò?

114. TAM EXIGVO.] *Libri,* tamquam. *Vellem,* támne, *interrogando.*

115. PRÆTERIRI.] *In numero capientium non fuisse. Adspectum ad Senatores qui* Præteriti *dicuntur, cùm non lecti. Sed & in repulsâ ab honoribus, hoc verbum.*

CAP. XXVII. 116. AVGVR.] *De viro isto dixi ad* I V. *Annal. Taciti. Opes ei exitio fuêre. quod ita Suetonius, Tib. cap.* X L I X. Cn. Lentulum Augurem. cui census maximus fuit, angore & metu ad fastidium vitæ egit, & vt nequo, nisi ipso, herede moreretur.

117. LIBERTINI PAVP.] *Ergo illi (notabis) plus etiam possederunt: præsertim sub Claudio, quem obiter tangit, libertis suis addicto.* D

118. QVATER MILLIES.] *Sunt ipsa* centies centena millia, *siue* decem milliones *Philippicorum: nostrâ æstimatione.*

119. TAM STERILIS.] *Pinciani & mei libri:* Ingenij fuit sterilis, tam pusilli quàm animi. *Ego teneam, sed copulam libens inseram:* & tam pusilli. *Ingenio, & animo iuxtà pusillus, vt mox ostendit: nec est, cur hæc vexentur, aut vexent.*

120. SVB HONORE.] *Alij libri,* onere. *quod sunt qui arripiant: ego non muto. & verè laborat magis paupertas sub honore & luce nobilitatis: quia condignè se eâ & maioribus non potest gerere.*

121. GRATIA.] *Mirum, in homine tam parui ingenij, animi, oris. Sed gratia hæc à nummis, quibus ditem* — decorat Suadela Venusque.

122. COL-

A *disset, relictâ eloquentiâ.* At illi inter alia hoc quoque diuus Augustus præstiterat, quòd illum derisu ac labore irrito liberauerat. Non patitur auiditas quemquam esse gratum. numquam enim improbæ spei, quod datur, satis est. Eò maiora cupimus, quò maiora venerunt: multoque concitatior est auaritia, in magnarum opum congestu [122] collocata. vt flammæ infinito acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit. Æquè ambitio non patitur quemquam in eâ mensurâ honorum conquiescere, quæ quondam eius fuit [123] impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias: sed queritur, quòd non est ad præturam vsque perductus. nec hæc grata est, si deest consulatus. ne hic quidem [124] satiat, si vnus est. Vltrà se cupiditas porrigit, & felicitatem suam non intelligit: quia non [125] vnde venerit, respicit, sed quò tendat. Omnibus his vehementius & importuniùs malum est inuidia, quæ nos inquietat, dum comparat. Hoc mihi præstitit: sed xxviii illi plus, sed illi maturiùs: & deinde nullius caussam agit, contra omnes [126] sibi fauet. Quanto est simplicius, quanto pudentius, beneficium acceptum augere: scire nemi-

B nem tanti ab alio, quanti à seipso æstimari? Plus accipere debuissem. sed illi facile non fuit plus dare. in multos diuidenda liberalitas erat. Hoc initium est. boni consulamus, & animum eius, gratè excipiendo, euocemus. Parum fecit; sed sæpiùs faciet. illum mihi prætulit; & me multis. ille non est mihi par virtutibus, nec officiis; sed habuit suam [127] Venerem. Querendo non efficiam, vt maioribus dignus sim, sed vt datis indignus. Plura illis hominibus turpissimis data sunt. quid ad rem? quàm rarò fortuna iudicat? Quotidie querimur, malos esse felices. sæpè quæ agellos pessimi cuiusque transierat, optimorum virorum segetem grando percussit. Fert sortem suam quisque, vt in ceteris rebus, ita in amicitiis. Nullum est tam plenum beneficium, quod non vellicare malignitas possit: nullum tam angustum, quod non bonus interpres extendat. Numquam deerunt caussæ querendi, si beneficia à [128] deteriore parte spectaueris. Vide quàm xxix. iniqui sint diuinorum munerum æstimatores, etiam quidam [129] professi sapientiam. Queruntur, quòd non magnitudine corporum æquemus elephantes, velocitate ceruos,

C leuitate aues, impetu tauros: quòd solidior sit cutis beluis, decentior damis, densior vrsis, mollior fibris: quòd sagacitate nos narium canes vincant, quòd acie luminum aquilæ, spatio ætatis corui, multa animalia [130] nandi facilitate. Et cùm quædam ne coire quidem in idem natura patiatur, vt velocitatem corporum & vires pares animalibus: ex diuersis ac dissidentibus bonis hominem non esse compositum, iniuriam vocant: & in negli-

122. COLLOCATA.] *Abest à meis, & potest.*

123. IMPVDENS VOT.] *Quo peruenire, cũ paruus obscuruſq; esset, nec sine impudentiâ vouisset. At nunc assecutus, iterùm altiora atq. altiora: & quid deinde? casum. Simillimus locus de Irâ* III. *cap.* XXXI.

124. SATIAT.] *A Pinciani coniecturâ probâ. nam libri,* faciat.

125. VNDE VENERIT.] *Idem alibi noster:* Ha-

D bet hoc vitium omnis ambitio, non respicit. *Manilius:* Nec quod habet, numerat; tantùm quod non habet, optat. *Sed pulcherrimè Teles ille Pythagoricus:* Ecce, *inquit*, seruus liber fieri cupit. Libertatem enim nactus, ait, omnia habebo. Iam est: desiderat ipse seruum. Habet: cur non alium? vna hirundo non facit ver. Ergo duos parat, & iam etiam agrum. Quid deinde? Athenienſis vult fieri: tum magistratum appetit, tum & regnum. Postremò immortalis vult fieri, vt Alexander: & esto; iam & Iupiter optet esse. *Vides catenam Ambitionis, & ea plerosque ligat.*

CAP. XXVIII. 126. SIBI FAVET.] *Non diiudicat merita, sed se præferendam censet.*

127. VENEREM.] *Suam gratiam, suum illicium. Plinius de Apelle, lib.* XXXV. *cap.* X. Cùm eâdem ætate essent maximi pictores; collaudatis omnibus, deesse iis vnam illam Venerem dicebat, quam Græci Charita vocant. *Cui autem illa fauet & adest, ij felices & impetrabiles. vnde Sulla, qui Latinis cognomen* Felicis *habet, Græcis* ἐπαφρόδιτος *inscriptus,* Venustus.

128. DETERIORE.] *Quâ deficiunt, aut vincuntur; non eâ quâ vincunt.*

CAP. XXIX. 129. PROFESSI SAP.] *Credo Epicuréos maximè notari, apud quos eiusmodi querelæ. Plinium vide lib.* VII. *initio, Lucretium lib.* V. *Sed & in Plutarchi, de Fortunâ, hæc comparatio: tamen hominum etiam prælatio, à consilio & ratione. Aristoteles damnat & reiicit istos, qui hominem ceteris animantibus postponunt, lib.* IV. *De Partib. animal. cap.* X. *sed pulchrè & diffusè Xenophon lib.* IV. *de Factis & Dictis Socrat. item Cicero* II. *de Naturâ Deorum.*

130. NANDI FACIL.] *Libri scripti,* felicitate. *Itaque ariolabar olim,* diuinandi felicitate, *quia naturâ duce multa præsagiunt, tempestates, hiemes, ruinas, alia. Sequitur etiam mox de* futuri scientiâ. *Tamen ariolabar fortasse, & tutius meliusq; non abire à vulgatâ. Plinius enim in illâ querelâ:* Alia pernicitatem vsurpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare.

131. VI-

negligentes noſtri deos querimoniam iaciunt, quòd non bona valetudo & [131] vitiis in- A
expugnabilis data ſit, quòd non futuri ſcientia. Vix ſibi temperant, quin eouſque impudentiæ prouehantur, vt naturam oderint, quòd infra deos ſumus, quòd non in æquo illis ſtetimus. Quanto ſatius eſt ad contemplationem tot tantoruḿque beneficiorum reuerti, & agere gratias, quòd nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt [132] ſecundas ſortiri, quòd terrenis præfecerunt? Aliquis ea animalia comparat nobis, quorum poteſtas penes nos eſt? Quidquid nobis negatum eſt, dari non potuit. Proinde quiſquis es iniquus æſtimator ſortis humanæ, cogita quanta nobis tribuerit parens noſter, quanto valentiora animalia ſub iugum miſerimus, quanto velociora conſequamur: quàm nihil ſit mortale, non [133] ſub ictu noſtro poſitum. Tot virtutes accepimus, tot artes, animum denique, cui nihil non eodem quo intendit momento peruium eſt, [134] ſideribus velociorem, quorum poſt multa ſæcula futuros curſus antecedit. tantum denique frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum ſuper alias aceruatarum. Circumeas licet cuncta: & quia nihil totum inuenies, quod eſſe te malles, ex omnibus ſingula excerpas, quæ tibi da- B
ri [135] velles. Ita benè æſtimatâ naturæ indulgentiâ, [136] confitearis neceſſe eſt, in deliciis te illi fuiſſe. Ita eſt: cariſſimos nos habuerunt dij immortales, habentque. & qui maximus tribui honos potuit, ab ipſis proximos collocauerunt. Magna accepimus, maiora
XXX. non [137] cepimus. Hæc, mi Liberalis, neceſſaria credidi, vt dicerem, & quia loquendum aliquid de magnis beneficiis erat, cùm de minutis loqueremur, & quia inde manat etiam in cetera, huius deteſtabilis vitij audacia. Cui enim reſpondebit gratè, quod munus exiſtimabit magnum, aut reddendum, qui ſumma beneficia ſpernit? Cui ſalutem, cui ſpiritum debebit, qui vitam accepiſſe ſe à diis [138] negat, quam quotidie ab illis petit? Quicumque ergo gratos eſſe docet, & hominum cauſſam agit, & deorum: quibus nullius rei indigentibus, poſitis extra deſiderium, referre nihilominus gratiam poſſumus. Non eſt, quòd quiſquam excuſationem mentis ingratæ ab infirmitate atque inopiâ petat, & dicat: *Quid enim faciam, & quomodo? quando ſuperioribus, dominiſque rerum omnium gratiam referam?* Referre facile eſt, ſi auarus es, ſine [139] impendio: ſi iners, ſine [140] operâ. C
Eodem quidem momento, quo obligatus es, ſi vis, cum quolibet [141] paria feciſti: quo-
XXXI. niam qui libenter beneficium accepit, reddidit. Hoc ex paradoxis Stoicæ ſectæ minimè mirabile, vt mea fert opinio, aut incredibile eſt, eum qui libenter accepit beneficium, reddidiſſe. Nam cùm omnia ad animum referamus, fecit quiſque quantum voluit. & cùm pietas, fides, iuſtitia, omnis denique virtus intra ſe perfecta ſit; etiamſi illi [142] manum exerere non licuit, gratus quoque poteſt eſſe homo voluntate. Quotiens quod propoſuit quiſque conſequitur, capit operis ſui fructum. Qui beneficium dat, quid proponit? prodeſſe ei cui dat, & voluptati ſibi eſſe. Si quod voluit, effecit, peruenitque ad me animus eius, ac mutuo gaudio affecit; tulit quod petiit. Non enim ſibi inuicem aliquid reddi voluit: aut non fuit beneficium, ſed negotiatio. Benè nauigauit,

131. VITIIS.] *Pincianus ita correxit, cùm eſſet* virtus. *quod ego cum libris teneam, & ad corporis virtutem ſiue robur transferam, quod eâ non ſimus indomitâ & inuictâ. Alterum tamen etiam acutum, querentium, quòd non valetudo inter vitia, libidinem & intemperantiam, ſit firma.*

132. SECVNDAS.] *Ex libris magis eſſet*, ſecunda. *Sed illud commmunius*, Primas ſecundasque ſortiri, agere: *& intelligimus* partes.

133. SVB ICTV.] *Valet ſubiectum nobis & obnoxium: quod tangere, quod ferire poſſimus. Contrà eſt, quod* VII. *De Benefic.* Deum extra ictum ſua diuinitas poſuit.

134. SIDERIBVS VEL.] *Cogitatione, quâ nil celerius. Itaque pulchrè Homerus, Odyſſ.* Η. Τῶν νέες ὠκεῖαι, ὥσεὶ πτερὸν, ἠὲ νόημα: Quorum naues celeres, ſicut ala auium, vel cogitatio.

135. VELLES.] *Vellem ego interrogatione totum hoc efferri: & mens ea Senecæ. Itâne, inquit, quia vnum aliquod totum eſſe nolis, ius tibi cenſeas ſingu-* D
la optima excerpendi?

136. CONFITEARIS.] *Mei codices voculam anteponunt*, vt confit. *Fuerit*, tute confit.

137. CEPIMVS.] *Anguſti oris corporiſque vaſcula.*

CAP. XXX. 138. NEGAT.] *Epicuri aſſecla. qui Deos à curâ noſtri remouet, caſui & atomis omnia permittit.*

139. IMPENDIO.] *Vt nihil dones.*

140. OPERA.] *Vt nihil facias.*

141. PARIA FECISTI.] *Crebrum in Senecâ, Pliniis, Iuriſconſultis. valet, rationibus redditis, reliqua nulla eſſe: quod &* Pariare *dicunt.*

CAP. XXXI. 142. MANVM EXER.] *Actiones ſuas fungi. operari.*

143. MIT-

A gauit, qui quem deſtinauit portum, tenuit: teli iactus certæ manus peregit officium, ſi petita percuſſit: beneficium qui dat, vult excipi gratè. habet quod voluit, ſi benè acceptum eſt. Sed ſperauit emolumentum aliquod. non fuit hoc beneficium, cuius proprium eſt, nihil de reditu cogitare. Quod accipiebam, ſi eo animo accepi quo dabatur, reddidi. Alioquin peſſima optimæ rei condicio eſt: vt gratus ſim, ad fortunam [143] mittor. Si illâ inuitâ reſpondere non poſſum, ſufficit animus animo. Quid ergo? non quidquid potero, & faciam, & reddam? temporum rerumque occaſionem ſequar, & eius implere ſinum cupiam, à quo aliquid accepi? ſed malo loco beneficium eſt, niſi & [144] excuſſis manibus eſſe grato licet. Qui accepit, inquit, beneficium, licet animo benigniſſimo acceperit, non conſummauit officium ſuum. reſtat enim pars reddendi. Sicut in luſu eſt aliquid, [145] pilam ſcitè ac diligenter excipere; ſed non dicitur bonus luſor, niſi qui aptè & expeditè remiſit, quam exceperat. Exemplum hoc diſſimile eſt. quare? quia huius rei laus in corporis motu eſt, & in agilitate, non in animo. XXXII.

B explicari itaque totum debet, de quo oculis iudicatur. Nec tamen ideò non bonum luſorem dicam, qui pilam, vt oportebat, excepit, ſi per ipſum mora, quò minùs remitteret, non fuit. Sed quamuis, inquit, arti ludentis nihil deſit, quia partem quidem fecit, ſed & partem quam non fecit, poteſt facere: ludus tamen ipſe imperfectus eſt: qui conſummatur vicibus mittendi ac remittendi. Nolo diutiùs hoc refellere. exiſtimemus ita eſſe: deſit aliquid luſui, non luſori. ſic & in hoc de quo diſputamus, deeſt aliquid rei datæ, cui [146] par alia debetur, non [147] animo. Qui animum parem ſibi nactus eſt, quantum in illo eſt, quod voluit, effecit. Beneficium mihi dedit. accepi non aliter, quàm ipſe accipi voluit. Iam habet, quod petit: & quod vnum petit, ego gratus ſum. Poſt hæc vſus mei reſtat, & aliquod ex homine grato commodum. hæc non imperfecti officij reliqua pars eſt; ſed perfecti [148] acceſſio. Facit Phidias ſtatuam: alius eſt fructus artis, alius artificij. artis eſt, feciſſe quod voluit: artificij, feciſſe cum fructu. Perfecit opus ſuum Phidias, etiamſi non vendidit. Triplex eſt illi fructus operis ſui. vnus con- XXXIII.

C ſcientiæ: hunc abſoluto opere percepit. alter famæ, tertius vtilitatis: quem allatura eſt, aut gratia, aut venditio, aut aliqua commoditas. Sic beneficij fructus primus ille eſt, conſcientiæ. Hunc percepit, qui quò voluit, munus ſuum pertulit. Secundus eſt famæ. tertius eorum, quæ præſtari inuicem poſſunt. Itaque cùm benignè acceptum eſt beneficium, is qui dedit, gratiam quidem iam recepit, mercedem nondum. Debeo itaque quod extra beneficium eſt, ipſum quidem benè accipiendo perſolui. Quid ergo? inquit, retulit gratiam, qui nihil fecit? [149] Plurimum fecit, bono animo bonum [150] retulit: & quod eſt amicitiæ, ex æquo. [151] Pòſt deinde aliter beneficium, aliter creditum ſoluitur. Non eſt quòd exſpectes, vt ſolutionem tibi oſtendam. res inter animos geritur. Quod dico, non videbitur durum, quamuis primò contra opinionem pugnet tuam, XXXIV.

143. MITTOR.] *Optimè, nec audio qui*, nitor. *Mitti ad Fortunam dicit gratum futurum, quia ab*

D *eâ opes & externa petenda, quæ refundat. Atqui ea non in noſtrâ poteſtate: ab illâ pendent: nulla autem virtus ab illâ: ergo nec gratitudo.*

144. EXCVSSIS.] *Vacuis. non apertis ſolùm, ſed motis & excuſſis. Clauſæ autem eædem aliquid continent, & ferunt.*

CAP. XXXII. 145. PILAM SCITE.] *Meus opt.* pilam iacere ac dil.

146. PAR ALIA.] *Res ſimilis, vt exæquet in beneficio. Non video, cur offendat Criticos.*

147. ANIMO. QVI.] *Mihi potior diſtinctio hæc:* non animo, qui animum parem ſibi nactus eſt. Quantum in illo eſt &c. *Ita enim argutatur (vero verbo vtor, & poterant hæc à materiâ abeſſe:) Rei aliquid deeſt, cui alia non relata; animo nihil deeſt, cui animum iam repoſui. Atqui ab eo beneficium, & in eo gratitudo.*

CAP. XXXIII. 148. ACCESSIO.] *In eo tota iniectiunculæ huius ſolutio. Beneficium & gratia, in ſolo animo: ſi quid rei acceſſit, acceſſit tantùm. Et tamen debet, ſi poteſt: at iſtud acceſſorium, non gratia propriè, ſed merces eſt.*

CAP. XXXIV. 149. PLVRIMVM.] *Ne abeamus à libris, qui* Primum: *& diſtinctione iuuemus.* Primùm, fecit. bono animo bonum retulit. *Duplex eſt reſponſio. Nilne fecit? imò fecit. quid? animum animo rependit. Deinde, alia ſolutio in beneficio, quàm credito: & quæ ſubdit.*

150. RETVLIT.] *Libri omnes*, obtulit. *& rectè, quaſi ipſum animum pretium ei obtulit & porrexit.*

151. POST DEINDE.] *Mihi hæc ſana. & Comicum eſt*, Poſtinde, Poſtdeinde: *eadem cum ſimplicibus.*

152. COM-

tuam, si te [152] commodaueris mihi, & cogitaueris res esse plures, quàm verba. Ingens A
copia est rerum sine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, sed alienis commodatisque. Pedem & nostrum dicimus, & lecti, & [153] veli, & carminis: canem, & venaticum, & marinum, & sidus. Quia non sufficimus, vt singulis singula assignemus: quotiens opus est, mutuamur. Fortitudo est virtus, pericula iusta contemnens: aut scientia periculorum repellendorum, excipiendorum, prouocandorum. Dicimus tamen & gladiatorem fortem virum, & seruum nequam, quem in contemptum mortis temeritas impulit. Parsimonia est scientia vitandi sumptus superuacuos: aut ars re familiari moderatè vtendi: [154] parcissimum tamen hominem vocamus pusilli animi & contracti: cùm infinitum intersit, inter modum & angustias. Hæc alia sunt naturâ: sed effecit inopia sermonis, vt & hunc & illum parcum vocemus; vt & ille fortis dicatur cum ratione fortuita despiciens, & hic sine ratione in pericula excurrens. Sic beneficium, est & actio, vt diximus benefica, & ipsum quod datur per illam actionem: vt pecunia, domus, prætexta. Vnum vtrique nomen est: vis quidem ac potestas longè alia. B

XXXV. Itaque attende. iam intelliges, nihil me, quod opinio tua refugiat, dicere. Illi beneficio quod actio perficit, relata gratia est, si illud beneuolè excipimus: illud alterum quod re continetur, nondum reddidimus, & volumus reddere. Voluntati voluntate satisfecimus, rei rem debemus. Itaque quamuis retulisse illum gratiam dicamus, qui beneficium libenter accepit; iubemus tamen aliquid simile ei quod accepit, reddere. A consuetudine quædam quæ dicimus, abhorrent: deinde aliâ viâ [155] ad consuetudinem redeunt. Negamus [156] iniuriam accipere sapientem: & tamen qui illum pugno percusserit, iniuriarum damnabitur. Negamus rem [157] stulti esse: & tamen eum qui rem aliquam stulto surripuerit, furti condemnabimus. Insanire omnes [158] stultos dicimus: nec tamen omnes curamus elleboro. his ipsis quos vocamus insanos, & [159] suffragium & [160] iurisdictionem committimus. Sic dicimus eum qui beneficium bono animo accepit, gratiam retulisse: nihilominus illum in ære alieno relinquimus, gratiam relaturum, etiam cùm reddiderit. Exhortatio est illa, non infitiatio beneficij. Ne C
timeamus, néve intolerabili sarcinâ depressi deficiamus animo. Bona mihi donata sunt, & fama defensa, [161] detractæ sordes, spiritus, [162] & libertas potior spiritu; & quomodo referre gratiam potero? quando ille veniet dies, quo illi animum meum ostendam

152. COMMODAVERIS.] *Commodum voluntemq; præbueris.*

153. VELI.] *Pars vtraque inferior veli, vbi funibus distenditur,* Pes *dicitur: & quidem pro lateribus, Dexter aut Sinister. Lucanus* V.

—— & flexo nauita cornu
Obliquat læuo pede carbasa.

Catullus:

—— siue vtrumque Iupiter
Simul secundus incidisset in pedem.

Ita & Græcis πούς. *Centena exempla sunt.*

154. PARCISSIMVM.] *Plinius lib.* XXII. *capite* XXIV. Homines animi humilis & præparci, quos illi *(Græci)* dixêre micropsychos.

CAP. XXXV. 155. AD CONSVETVD.] *De iisdem Stoicis, De Constant. sapientis, cap.* III. Ita sublato altè supercilio, in eadem quæ ceteri descenditis, mutatis rerum nominibus.

159. INIVRIAM.] *Hæc libello iam dicto propriè exsequitur.*

157. STVLTI.] *Nam* omnia sapientis esse, *iam definiuerant Cynici, vt Diogenes Laërtius in Diogene: & tenuerunt Stoici. quod ita in Zenone idem:* Καὶ σόφων δὲ πάντα εἶναι. δεδωκέναι γὰρ ἰωτοῖς πάντα τελῆ ἐξουσίαν τὸν νόμον. τῶν δὲ φαύλων εἶναι τινὰ λέγεται, ὃν τρόπον καὶ τῶν ἀδίκων, ἄλλως μὲν τῆς πόλεως, ἄλλως δὲ τῶν χρωμένων φαύλων: Sapientum esse omnia. plenam enim perfectamque potestatem à lege *(primâ illâ & communi)* iis datam. Malorum autem & stultorum quædam dicuntur esse. sicut & iniustorum, aliter quidem ciuitatis, aliter vtentium dicimus. *Vide me Manuduct.* III. *Dissertat.* XI.

158. STVLTOS.] *Vocem hanc frustrà suspectam habent. Est ipsum Stoicorum scitum:* Πάντας τοὺς ἄφρονας μαίνεσθαι: Omnes stultos insanire: *Cicero in Paradoxis, Diogenes in Zenone, Horatius* II. *Sat.* III. *Vide item Manud.* III. *Diss.* XX. D

159. SVFFRAGIVM.] *In Comitiis.*

160. IVRISDICTIONEM.] *In magistratibus. Hæc Plutarcho absona visa libello* De communibus notionibus, *sub initium. vide.*

161. DETRACTÆ SORDES.] *In reatu. id est, liberaui eum in iudicio & defendi. Vestem mutare feci. quam sordidam sumebant rei, & capillo atque alio cultu squallebant. Simile lib.* IV. *infrà, cap.* XII.

162. ET LIBERTAS.] *Defensa scilicet, verbo non proximo, sed vlteriore repetito.*

163. RED-

A ostendam? hic ipse est, quo ille suum ostendit. Excipe beneficium, amplexare, gaude: non quòd accipias, sed quòd [163] reddas, debiturus sis. Non adibis tam magnæ rei periculum, vt casus ingratum facere te possit. Nullas tibi proponam difficultates, ne despondeas animo, ne laborum ac longæ seruitutis exspectatione deficias. non differo te: de præsentibus fiat. Numquam eris gratus, nisi statim es. Quid ergo facies? non arma sumenda sunt: & fortasse erunt. non maria emetienda: fortasse etiam ventis minantibus solues. vis reddere beneficium? benignè accipe, retulisti gratiam: non vt soluisse te putes, sed vt securior debeas.

163. REDDAS DEBITVRVS.] *Id est, animo reddas, & paria facias: in re & mercede reliquator sis. Meus liber*, debituruſque: *nec id malè.*

L. ANNÆI SENECÆ
AD AEBVCIVM LIBERALEM
DE BENEFICIIS
LIBER TERTIVS.

B

ARGVMENTVM ET ORDO.

AGIT de Ingratis. qui illi sint? & an puniendi, aut ad iudicem vocandi? accuratâ disputatione negat: & addit, pœnam iis in Odio & Infamiâ esse, atque Animo ipso. Deinde ex occasione, an Dominus in seruum gratus esse debeat? an ab illo Beneficium accipiat? adfirmat, & hoc vberiùs, quia creber tunc seruorum vsus Adnectit, An filius patri det Beneficium? disputat in vtramque, sed affirmantem affirmat.

CAPVT PRIMVM.

NON referre beneficiis gratiam, & est turpe, & apud omnes habe- C
tur, Æbuci Liberalis. Ideò de ingratis etiam ingrati queruntur: cùm interim hoc omnibus hæreat, quod omnibus displicet: adeoque in contrarium itur, vt quosdam habeamus infestissimos non post beneficia tantùm, sed propter beneficia. Hoc prauitate naturæ accidere quibusdam, non negauerim: pluribus, quia memoriam tempus interpositum subduxit. Nam quæ recentia apud illos viguerunt, ea interiecto spatio obsolescunt. De quibus fuisse mihi tecum [1] disputationem scio, cùm tu illos non ingratos vocares, sed oblitos: tamquam ea res ingratum excuset, quæ facit. [2] An quia hoc accidit alicui, non sit ingratus: cùm hoc non accidat, nisi ingrato? Multa sunt genera ingratorum, vt furum, homicidarum: quorum vna culpa est, ceterùm in partibus varietas magna. Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: ingratus est, qui dissimulat: ingratus, qui non reddit: [3] ingratissimus omnium, qui oblitus est. Illi enim si non soluunt, tamen D
debent: & exstat apud illos vestigium certè meritorum, intra malam conscientiam concluforum: & aliquando ad referendam gratiam conuerti ex aliquâ caussâ possunt, si illos

COMMENTARIVS.

CAP. I. 1. DISPVTATIONEM.] *Et hanc & plures, libris sequentibus, parùm necessarias miscet. adeò incurrit in eam, quam sæpè tangit,* σοφιστίαν.

2. AN QVIA.] *Mihi hîc lux est, & dicit: Ideóne qui oblitus est excusetur, vt non ingratus; cùm nemo obliuisci possit, nisi ingratus?*

3. INGRATISSIMVS.] *Deprimit infra omnes oblitum. At mihi (bonâ tuâ venîâ, doctor) aliter videtur. Aut magnum est beneficium, aut exiguum, quod accepi si istud, obliuisci possum fateor, sed nec in paruo magnum peccare: si illud, quî possum? Dissimulatio hæc potiùs sit, aut negatio: nec notabilis beneficij obliuio facilè surrepat. Ita, si hæc examinas, in* λογομαχίαν *magis, quàm in seriam disputationem ibunt.*

4. VITIO-

Alos pudor admonuerit, si subita honestæ rei cupiditas; qualis solet ad tempus etiam in malis pectoribus exsurgere: si inuitauerit facilis occasio: hic numquam fieri gratus potest, cui totum beneficium elapsum est. Et vtrùm tu peiorem vocas, apud quem gratia beneficij intercidit, an apud quem etiam memoria? [4] Vitiosi oculi sunt, qui lucem reformidant: cæci, qui non vident. & parentes suos non amare, impietas est: non agnoscere, insania. Quis tam ingratus est, quàm qui quod in primâ parte animi positum esse debuit, & semper occurrere, ita sepositit & abiecit, vt in ignorantiam verteretur? appâret illum non sæpè de reddendo cogitasse, cui obrepsit obliuio. Denique ad reddendam gratiam, & [5] virtute opus est, & [6] tempore, & [7] facultate, & adspirante fortunâ. Qui meminit, sine impendio gratus est. Hoc quod non operam exigit, non opes, non felicitatem, qui non præstat; nullum habet, quod lateat, patrocinium. Numquam enim voluit gratus esse, qui beneficium tam longè proiecit, vt extra conspectum suum poneret. Quemadmodum quæ [8] in vsu sunt, & manum quotidie tactumque patiuntur. II.

B numquam periculum situs adeunt: illa quæ ad oculos non reuocantur, sed extra conuersationem, vt superuacua iacuerunt, sordes ipsâ colligunt vetustate: ita quidquid frequens cogitatio exercet ac renouat, memoriæ numquam subducitur, quæ nihil perdit, nisi ad quod non sæpè respexit. Præter hanc caussam, aliæ quoque sunt, quæ nobis merita nonnumquam maxima [9] velant. Prima omnium ac potissima, quòd nouis semper cupiditatibus occupati, non quid habeamus, sed quid petamus, inspicimus: non in id [10] quod est, sed [11] quod appetitur, intenti. Quidquid enim domi est, vile est. Sequitur autem, vt vbi quod acceperis, leue nouorum cupiditas fecit, auctor quoque eorum non sit in pretio. Amauimus aliquem & suspeximus, & [12] fundatum ab illo statum nostrum professi sumus, quàm diu nobis placebant ea quæ consecuti sumus: deinde irrumpit animum aliorum admiratio, & ad ea impetus factus est, vti mortalibus mos est, ex magnis maiora cupiendi: protinus excidit, quidquid antè apud nos beneficium vocabatur. nec ea intuemur, quæ nos aliis præposuere, sed ea sola quæ fortuna III.

C præcedentium ostentat. Non potest autem quisquam & inuidere, & gratias agere: quia inuidere, querentis & mæsti est: gratias agere, gaudentis. Deinde, quia nemo nostrûm nouit, nisi id tempus, quod cùm maximè transit: ad præterita rari animum retorquent. Sic fit, vt præceptores, eorumque beneficia intercidant: quia totam pueritiam reliquimus. sic fit, vt in adolescentiam nostram collata pereant: quia ipsa numquam retractatur. Nemo quod fuit, tamquam in præterito, sed tamquam in perdito ponit: ideoque caduca memoria est, futuro imminentium. Hoc loco reddendum est Epicuro [13] testimonium, qui assiduè queritur, quòd aduersus præterita simus ingrati, quòd quæcumque percepimus bona, non in memoriam reducamus, nec inter voluptates numeremus: cùm [14] certior nulla sit voluptas, quàm quæ iam [15] eripi non potest. Præsentia bona nondum tota in solido sunt, potest illa casus aliquis incidere: futura pendent, & incerta sunt: quod præteriit, inter tuta sepositum est. Quomodo ergo gratus quisquam esse aduersus beneficia potest, qui omnẽ vitam suam transilit? Præsentium [16] intuitus, ac IV.

D præ-

4. VITIOSI OC.] *Hæc vetus & libraria scriptura est, pro quibus Muretus* luscitiosi oculi. *Cur recepta, & bona, damnemus? Porrò comparatio similis in Plutarcho de Atheis, & Superstitiosis. cùm illos nihil, istos prauè videntibus assimilat: & ideò illos palàm deteriores esse.*

CAP. II. 5. VIRTVTE.] *Ipsâ gratitudine, & illâ amici animi responsione.*

6. TEMPORE.] *Quod occasionem donet.*

7. FACVLTATE.] *Opibus viribúsque.*

8. IN VSV.] *Vtensilia.*

CAP. III. 9. VELANT.] *Obducunt, aut subducunt.*

10. QVOD EST.] *Iam adest, & tenetur.*

11. QVOD APPETITVR.] *Semper Tantali, semper in nouas cupidines inhiantes.*

12. FVNDATVM.] *Debere nos illi incrementa & dignitatem.*

CAP. IV. 13. TESTIMONIVM.] *Iudicij & sententiæ bonæ.*

14. CERTIOR NVLLA.] *Vide cap.* VI. *De Vitâ beatâ.*

15. ERIPI NON POT.] *Præteritum enim tempus est,* in quod fortuna ius perdidit, quod in nullius arbitrium reduci potest. *De Breu. vitæ, cap.* X.

16. INTVITVS.] *Credo hæc sana esse. nam hoc vnum docet diffusè, futurorum spem ingratos facere: contrà, gratos esse aut fore, qui præsentia & præterita*

præteritorum memoria gratum facit: memoriæ minimum tribuit, quisquis spei plurimum. A

V. Quemadmodum, mi Liberalis, quædam res semel perceptæ hærent; quædam vt scias, non est satis didicisse (intercidit enim eorum scientia, nisi [17] continuetur) Geometriam dico, & [18] sublimium cursum, & si qua alia propter subtilitatem lubrica sunt: ita beneficia quædam magnitudo non patitur excidere, quædam minora, sed numero pluria, & temporibus diuersa, effluunt. Quia (vt dixi) non subinde illa tractamus, nec libenter quid cuique debeamus, recognoscimus. Audi voces petentium. nemo non victuram semper in animo suo memoriam dixit: nemo non deditum [19] se & deuotum professus est, & si quod aliud humilius verbum, quo se oppigneraret, inuênit. Post exiguum tempus, iidem illi verba priora, quasi sordida & parùm libera, euitant: perueniunt deinde eò, quò, vt ego existimo, pessimus quisque atque ingratissimus peruenit, vt obliuiscantur. Adeò enim ingratus est, qui oblitus est, vti gratus sit, cui be-

VI. neficium in mentem venit. Hoc tam inuisum vitium, an impunitum esse debeat, quæritur: & an hæc lex, quæ [20] in scholis exercetur etiam in ciuitate ponenda sit, quâ B [21] ingrati datur actio. Quæ videtur [22] æqua omnibus. quid ni? cùm vrbes quoque vribus, quæ præstitere exprobrent, & [23] maioribus collata, à posteris exigant. Nostri maiores, maximi illi viri, ab hostibus tantùm [24] res repetierunt: beneficia magno animo dabant, magno perdebant. Exceptâ [25] Macedonum gente, non est [26] in vllâ data aduersus ingratum actio. Magnumque hoc argumentum, dandam non fuisse: quia aduersus maleficium omne [27] consensimus. & homicidij, veneficij, parricidij, violatarũ religionum, aliubi atque aliubi diuersa pœna est: sed vbique aliqua. Hoc frequentissimum crimen nusquam punitur, vbique improbatur. Neque absoluimus illud: sed cùm difficilis esset incertæ rei æstimatio, [28] tantùm odio damnauimus, & inter ea reliquimus, quæ

VII. ad vindices deos mittimus. Rationes autem multæ mihi occurrunt, propter quas crimen hoc in legem cadere non debeat. Primum omnium, pars optima beneficij periit, si actio, sicut [29] certæ pecuniæ, aut ex conducto & locato datur. Hoc enim speciosissimum est, quòd dedimus vel perdituri: quòd totum permisimus accipientium arbitrio. C [30] Si appello, si ad iudicem voco, incipit non beneficium esse, sed creditum. Deinde, cùm res honestissima sit, referre gratiam, desinit esse honesta, si necessaria est. non enim magis laudabit quisquam gratum hominem, quàm eum qui depositum reddidit, aut quod debebat, [31] citra iudicium soluit. Ita duas res, quibus in vitâ humanâ nihil pulchrius,

intuentur. Vide priora. Attamen Pincianus & alij hîc innouant, à me non audiendi.

CAP. V. 17. CONTINVETVR.] *Mei libri,* contineant. *ex quo verius putem,* continuent.

18. SVBLIMIVM CVRS.] *Astronomiam.*

19. SE ET DEVOT.] *Meus liber:* deditum, sed deuotum. *Non satis, inquit, habent* Deditos *se dicere, sed malunt* Deuotos. *Iampridem monui de hac* Deuotionis *formulâ lib.* V. *cap.* VIII. *Antiquar. Lectionum.*

CAP. VI. 20. IN SCHOLIS.] *Declamatoriis.*

21. INGRATI ACTIO.] *Vide Senecam patrem libro* IX. *Controu.* 1. *ipso Themate.*

22. ÆQVA.] *Aequitatem habere.*

23. MAIORIBVS.] *Libri,* maiores. *itaque benè etiam Gruterus:* & in maiores.

24. RES REPETIERVNT.] *Nota formula & ritus, per Fetiales res repetendi: & si negarentur, bellum indicendi. Significat, Romanos non ab amicis res aut beneficia collata repetiisse, vllâ actione: sed tantùm ab hostibus. Loci emendatio Mureto inscribenda. nam anteà* æs repetierunt. *Meus liber proximè verùm,* es rep.

25. MACEDONVM.] *Omnes libri. At nusquam id legas hodie: an non ideò fuit? Potuit & noster erraſſe, ac gentem pro gente ſuppoſuiſſe. Viri docti tamen conſentiunt, vel* Perſarum *hîc reſcribere, vel* Medorum. *quia Xenophon atque alij tradunt, Ingrati iudicium & pœnam Perſis fuiſſe. Medi autem Perſis finitimi, & pro iis etiam vſurpati. Vide, ſi lubet, Muretum* XII. *Variar. cap.* III. *Tamen & Philippus Macedo (quod pro vulgatâ aliquid) ingrati hoſpitis frontem ſtigmate inuſſit: infrà libro* IIII. *cap.* XXXVII.

26. IN VLLA.] *Non quidem ἁπλῶς & vniuersè* in Ingratos: *ſed fuit Athenis, in* liberos ingratos, *conceſſa parentibus: Romæ, in* libertos ingratos, *patronis.* D

27. CONSENSIMVS.] *Naturæ quodam inſtinctu, quæ ea præſertim maleficia coërcet aut punit, quæ ſocietatem hanc conuellunt.*

28. TANTVM ODIO.] *Vt mendacium, & eiuſmodi crimina, quæ frequentia diſſuadet puniri.*

CAP. VII. 29. CERTÆ PECVNIÆ.] *In ſtipulatione, aut ſyngraphâ, expreſſæ.*

30. SI APPELLO.] *Flagito, & poſco priuatim: deinde ad iudicem, quod ſequitur.*

31. CITRA IVDICIVM.] *Mei libri,* extra iudicem: *nec video, cur damnem.*

32. ANI-

Achrius est, corrumpimus, gratum [32] animum & beneficium. Quid enim aut in hoc magnificum est, si beneficium non dat, sed commodat? aut in illo qui reddit, non quia vult, sed quia necesse est? Non est glorioſa res, gratum esse: nisi tutum est, ingratū fuisse. Adiice nunc, quòd huic vni legi [33] omnia fora vix sufficient. Quis erit, qui non agat? quis, cum quo non agatur? omnes [34] sua extollunt, omnes etiam minima, quæ in alios contulere, dilatant. Præterea quæcumque in cognitionem cadunt, comprehendi possunt, & non dare infinitam licentiam iudici. Ideò melior videtur conditio, [35] causſæ bonæ, si ad iudicem, quàm si ad arbitrum mittitur: quia illum [36] formula includit, & certos, quos non excedat, terminos ponit; huius libera, & nullis astricta vinculis religio, & detrahere aliquid potest, & adiicere, & sententiam suam non prout lex aut iustitia suadet, sed prout humanitas & misericordia impulit, regere. Ingrati actio non erat iudicem alligatura, sed regno liberrimo positura. [37] Quid sit enim beneficium, non constat: deinde quantumcumque sit, refert quàm benignè illud interpretetur iudex. Quid
B sit ingratus, nulla lex monstrat. Sæpè & [38] qui reddidit quod accepit, ingratus est: & qui non reddidit, gratus. De quibusdam etiam imperitus iudex [39] dimittere tabellam potest: vbi [40] feciſſe, aut non feciſſe pronunciandum est, [41] vbi prolatis [42] cautionibus, controuersia tollitur. Vbi verò inter disputantes ratio ius dicit, ibi animi coniectura capienda est: vbi id, de quo sola sapientia decernit, in controuersiam incidit, non potest ad hæc sumi iudex ex turbâ [43] selectorum, quem [44] census in [45] album, & [46] equestris hereditas

32. ANIMVM.] *Scripti*, hominem. *quod Pincianus retinet, & mox* beneficum *item legit. Admittam: & sequentia verba faciunt*, in hoc si b. dat: &, illo qui reddit. *quæ omnia ad hominem ipsum talem referenda.*

33. OMNIA FORA.] *Quæ tunc trina. De Irâ libro* II. *cap.* IX.

34. SVA EXTOL.] *Aristoteles Ethic. Nicom. hoc*
C *vitium aperit:* Οἱ μὲν γὰρ παθόντες, τοιαῦτά φασι λαβεῖν τῆς εὐεργετῶν, ἃ μικρὰ ἦν ἐκείνοις, καὶ ἐξῆν παρ' ἑτέρων λαβεῖν, πάντα σμικρύνοντες· οἱ δ' ἀνάπαλιν, τὰ μέγιστα παρ' αὐτοῖς, καὶ ἃ παρ' ἄλλων οὐκ ἦν, καὶ ἐν κινδύνοις, ἢ τοιαυταῖς χρείαις. Qui enim affecti beneficio sunt, dicunt se à benefactoribus talia accepisse; quæ parua ipsis erant, & licebat ab aliis capere, omnia extenuantes: econtrà qui fecerunt, quæ maxima apud ipsos, & quæ ab aliis non erat capere, item in periculis, aut eiusmodi opportunitate dedisse. *Ita ille lib.* VIII. *cap.* XIII. *& alterum etiam vitium Extenuantium addit.*

35. CAVSSÆ BONÆ.] *Firmæ, & benè instructæ. in ambiguis itur ad arbitrum: imò vbi res vacillat, ab ipso iudice ad illum flectunt. Hoc Cicero dictum voluit, pro Roscio Comœdo:* Ceteri cùm ad iudicem
D causſam labefactari animaduertunt, ad arbitrum confugiunt: hic ab arbitro ad iudicem venire est ausus.

36. FORMVLA INCLVD.] *Cicero ibidem:* Iudicium est, certæ pecuniæ; Arbitrium, incertæ. Ad Iudicium hoc modo venimus, vt aut totam litem obtineamus, aut amittamus: ad Arbitrium, vt neque nihil, neque tantum, quantum postulauimus, consequamur. Eius rei ipsa verba Formulæ testimonio sunt. Quid est in Iudicio? directū, asperum, simplex: Si paret HS. IↃↃↃ. dari oportere. hic nisi planum facit HS. IↃↃↃ. ad libellam sibi deberi, causſam perdit. Quid est in Arbitrio? mite, moderatum, Quantum æquius, melius, id dari. *Noster lib.* II. *de Clem. cap. vlt.* Clementia liberum Arbitrium habet, non sub Formulâ, sed ex æquo & bono iudicat.

37. QVID SIT.] *Imò verò id constat, & definitum est: sed* Quod (*ita legerim*) *id est, quale & quantum, non constat.*

38. QVI REDDIDIT.] *Re, non animo, est gratus.*

39. DIMITTERE TABELLAM.] *An magis,* demittere? *in cistam, vt solet. Tamen & vulgatum interpreter,* Dimittere, *effari, & prouulgare. Sanè solent ex tabellâ iudices sententiam proferre, quod est notum. Sed & qui inter plures tabellam fert, dimittit eam cùm à se tradit Quæsitori. Dixit Portius Latro* Ferre tabellam, VII. *Controu.* VIII. Iudex quam tulit tabellam de reo, reuocare non potest: quæsitor non mutabit pronunciationem.

40. FECISSE.] *Allusum ad sollemnia iudicum verba,* Feciſſe videri.

41. VBI PROLATIS.] *Verius censui, quàm* ibi.

42. CAVTIONIBVS.] *Scripturæ ipsæ dicuntur, quibus debitor creditori cauet, seq; obstringit.*

43. SELECTORVM.] *Est quidem agnomen Decuriæ vnius iudicialis (apud Plinium* XXXIII. *cap.* III.) *sed etiam aliter commune nomen iis, qui ex omnibus Decuriis, quotannis sorte ducti, solent iudicare. Inscriptio vetus:* Iudex Selectus ex V. Decuriis. *Neque aliter Horatius:* Vnum ex iudicibus Selectis obiiciebat. *Ouidius:*

Non benè Selecti iudicis arca patet.

Atque ita hîc Seneca.

44. CENSVS.] *Clarum est. queriturq; Plinius, Præfatione libri* XIV. iudicem fieri censu. *Latro apud Senecam, Controu.* I. *lib.* II. Censu iudex in foro legitur. *Ouidius:*

——— dat census honores,
Inde grauis iudex, inde seuerus eques.

45. ALBVM.] *Tabulam siue indicem, vbi Iudices scripti.*

46. EQVESTRIS.] *Ea erat* quadringentorum HS. *id est, Philippicum decies mille. Nam is census equester. Pincianus aliàs sagaciſsimus, obesâ hîc nare, cùm rescribit:* & equester ordo.

VIII. reditas misit. Itaque non hæc parùm idonea res visa est, quæ deduceretur ad iu- A
dicem, sed nemo huic rei satis idoneus iudex inuentus est: quod non admiraberis, si ex-
cusseris, quid habiturus fuerit difficultatis, quisquis in eiusmodi reum [47] exisset. Dona-
uit aliquis magnam pecuniam: sed diues, sed non sensurus impendium. Donauit alius:
sed toto patrimonio [48] cessurus. Summa eadem est: beneficium idem non est. Etiam
nunc adiice. Hic pecuniam pro [49] addicto dependit: sed cùm illam domo protulisset.
ille dedit eandem: sed mutuam sumpsit, aut rogauit, & se obligari [50] ingenti merito pas-
sus est. Eodem existimas loco esse illum, qui beneficium ex facili largitus est: & hunc,
qui accepit, vt daret? Tempore quædam magna fiunt, non summâ. Beneficium est do-
nata [51] possessio, cuius fertilitas laxare possit annonam: beneficium est, vnus in fame pa-
nis. Beneficium est, donare regiones, per quas [52] multa flumina & nauigabilia decur-
rant: beneficium est, arentibus siti, & vix spiritum per siccas fauces ducentibus, mon-
strare fontem. Quis inter se ista comparabit? quis expendet? difficilis est sententia, quæ
non rem, sed vim rei quærit. Eadem licet sint, aliter data [53] non idem pendent. Dedit B
mihi hic beneficium: sed non libenter, sed dedisse se questus est, sed superbiùs me quàm
solebat, aspexit: sed tam tardè dedit, vt plus præstiturus fuerit, si citò negasset. Horum
quomodo iudex inibit æstimationem, cùm sermo, & dubitatio, & vultus meriti gratiam
IX. destruant? Quid quòd quædam beneficia vocantur, quia [54] nimis concupiscun-
tur: quædam non sunt ex hac vulgari notâ, sed maiora, etiam si minùs apparent? Bene-
ficium vocas, dedisse potentis populi ciuitatem, [55] in quatuordecim gradus deduxisse,
& defendisse capitis reum: quid vtilia [56] suasisse? quid retinuisse, ne in scelus rueret?
quid gladium excussisse morituro? quid efficacibus remediis refocillasse lugentẽ, & quos
[57] desiderabat volentem sequi, ad vitæ consilium reduxisse? quid assedisse ægro, & cùm
valetudo eius ac salus [58] momentis constaret, excepisse idonea cibo tempora, & [59] caden-
tes venas vino refecisse, & medicum adduxisse morienti? Hæc quis æstimabit? quis [60] si-
milibus beneficiis iubebit beneficia pensari? Donauit tibi domum: sed ego tuam supra
te [61] ruere prædixi. Dedit tibi patrimonium: sed ego naufrago tabulam. Pugnauit pro C
te, & vulnera excepit: at ego vitam tibi [62] silentio dedi. Cùm aliter beneficium detur,
X. aliter reddatur, paria facere difficile est. Dies præterea beneficio reddendo non di-
citur, sicut pecuniæ creditæ. Itaque potest, qui nondum reddidit, reddere. Dic enim,
intra quod tempus deprehendetur ingratus? maxima beneficia probationem non ha-
bent: sæpè intra tacitam duorum conscientiam latent. An hoc inducimus, vt ne demus
beneficia sine teste? Quam deinde pœnam ingratis constituamus? vnam omnibus,
cùm

CAP. VIII. 47. EXISSET.] *Sorte lectus venisset. In vrnam coniecta nomina, sorte ducta, exibant.*

48. CESSVRVS.] *Mira beneficentia, totum patrimonium dare: imò rara aut nulla est, sed ponitur in exemplum.*

49. ADDICTO.] *Quem iudex creditori addixit, ob debitum.*

50. INGENTI MERITO.] *Illius, à quo sumpsit.*

51. POSSESSIO.] *Ager ipse aut fundus.*

52. MVLTA FLVMINA.] *Meus*, magna: *quod præferam. Tantæ autem olim opes, vt & hæc donari potuerint: de quibus epist.* LXXXIX. *in fine, & De Tranquill. cap.* XI.

53. NON IDEM PENDENT.] *Non idem pondus pretiumq; habebunt.*

CAP. IX. 54 NIMIS CONCVP.] *Non pro sententiâ verba, si examinas. Meus opt. codex*, minus. *Ex eo verè faciebam:* quia eminus conspiciuntur. *Quædam, inquit, beneficia conspicua, & in oculos vel procul se ingerunt: quædam aliter, & quamquam magna, minùs apparent.*

55. IN QVATTVORDECIM.] *Id est, equitem fecisse. Rem à signo dat intelligi: quia soli equites spectabant in* XIV.

56. SVASISSE.] *Priora, consticua illa sunt; sequentia, sequentis & obscurioris illius notæ.*

57. DESIDERABAT.] *Vxorem, liberos, amicos, iam præmortuos.* D

58. MOMENTIS.] *Obseruatione & captatione temporum.*

59. CADENTES.] *Languentes, & minùs tumidas: spiritibus defectas. Epist.* XCV. vino fulcire venas cadentes. *Adde De Irâ, lib.* III. *cap.* IX.

60. SIMILIBVS.] *Imò*, dissimilibus: *quod meus & alij veteres quidam. Nam hoc agitur, vt talia beneficia aliis paribus, sed non iisdem pensentur: pretio, inquam, paribus, non re similibus.*

61. RVERE.] *Quod Romæ crebrum: & ideò aptè inter exempla.*

62. SILENTIO.] *Te non accusando, cùm rogarer, aut torquerer. Siue, te non indicando, cùm hostis insequeretur.*

CAP.

A cùm diſparia beneficia ſint? an inæqualem, & pro cuiuſque beneficio maiorem, aut minorem? Age, [63] intra pecuniam verſabitur taxatio: quid quòd quædam beneficia vitæ ſunt, & maiora vitâ? His quæ pronunciabitur pœna? [64] minor beneficio? iniqua eſt. par & capitalis? quid inhumanius, quàm cruentos eſſe beneficiorum exitus?

Quædam, inquit, [65] priuilegia parentibus data ſunt. quomodo horum extra ordi- XI.
nem habita ratio eſt, ſic aliorum quoque beneficiorum haberi debet. Parentum conditionem ſacrauimus, quia expediebat liberos tolli: ſollicitandi ad hunc laborem erant, incertam adituri fortunam. Non poterat illis dici, quod beneficia dantibus dicitur: *Cui des, elige ipſe tecum. Si deceptus es,* [66] *quære dignum, adiuua.* In liberis tollendis, nihil iudicio tollentium licet: tota res voti eſt. Itaque vt æquiore animo adirent [67] aleam, danda illis aliqua poteſtas fuit. Deinde alia conditio eſt parentum, qui beneficia, quibus dederunt, dant nihilominus [68] daturique ſunt: nec eſt periculum, ne dediſſe ſe [69] illis mentiantur. In ceteris quæri debet, non tantùm an receperint, ſed an dederint. Horum in
B confeſſo merita ſunt: & quia vtile eſt iuuentuti regi, impoſuimus illi quaſi domeſticos [70] magiſtratus, ſub quorum cuſtodiâ contineretur. Deinde omnium parentum vnum erat beneficium: itaque æſtimari ſemel potuit. alia diuerſa ſunt, diſſimilia, infinitis inter ſe interuallis diſtantia: itaque ſub nullam regulam cadere potuerunt. cùm æquius eſſet omnia relinqui, quàm omnia æquari. Quædam magno dantibus conſtant: XII.
quædam accipientibus magna ſunt, ſed gratuita tribuentibus: quædam amicis data ſunt, quædam ignotis. Plus eſt, quamuis idem detur, ſi ei detur, quem noſſe [71] à tuo beneficio incipis. Hic auxilia tribuit, ille ornamenta, ille ſolatia. Inuenies, qui nihil putet eſſe iucundius, nihil maius, quàm habere in quo calamitas [72] acquieſcat: inuenies rurſus, qui [73] dignitati ſuæ, quàm ſecuritati, conſuli malit: eſt qui plus ei debere ſe iudicet, per quem [74] tutior eſt, quàm ei per quem honeſtior. Proinde iſta maiora aut minora erunt, prout fuerit iudex, aut ad hæc, aut ad illa, [75] inclinatus animo. Prætereà creditorem mihiipſe eligo: beneficium ſæpè ab eo accipio, à quo nolo, & aliquando ignoC rans obligor. Quid facies? ingratum vocabis eum, cui beneficium inſcio, &, ſi ſciuiſſet, non accepturo, impoſitum eſt: non vocabis eum, qui vtcumque acceptum non reddidit? Aliquis dedit mihi beneficium, ſed idem poſteà [76] fecit iniuriam. Vtrùm vno XIII.
munere ad patientiam omnium iniuriarum aſtringor: an perinde erit, ac ſi gratiam retulerim, quia beneficium ſuum ipſe inſequenti iniuriâ reſcidit? Quomodo deinde æſtimabis; vtrùm plus ſit quod accepit, an in quo læſus eſt? Dies me deficiet, omnes difficultates perſequi [77] tentantem. Tardiores, inquit, ad beneficia danda facimus, non vindicando data, nec infitiatores eorum afficiendo pœnâ. Sed illud quoque tibi econtrariò occurrat. multo tardiores futuros ad accipienda beneficia, ſi periculum cauſſæ dicendæ adituri erunt, & innocentiam ſollicitiore habituri loco. Deinde, erimus per hoc ipſi quo-

que

CAP. X. 63. INTRA PEC.] *Vltra pecuniam æſtimatio non fiet.*

D 64. MINOR.] *Scilicet pecuniaria.*

CAP. XI. 65. PRIVILEGIA PAR.] *Nam illi repetunt à liberis, & ingratos damnant, & alimenta etiam poſcunt.*

66. QVÆRE.] *Ita mei libri, & rectè. ſed vellem etiam voculâ extractâ, quæ in ſequentis capite latuit:* querere, dein dignum adiuua: *vel,* dehinc. *Querela tibi ſuper, non actio: caue in poſterum, & gratis digniſq; confer.*

67. ALEAM.] *Incertum, quomodo caſuram. bonos an malos habituri liberos eſſent.*

68. DATVRIQVE SVNT.] *Mei libri ſine copulâ. Vtrumuis rectè. ſignificat perpes eſſe in parentibus, & fore hoc benefaciendi ſtudium.*

69. ILLIS.] *Liberis.*

70. MAGISTRATVS.] *Quia reuera omne imperium illis in prolem, Romano iure, etiam vitæ & necis.*

CAP. XII. 71. A TVO BENEFICIO.] *Nempe anteà ignotum. beneficio applicas tibi & iungis vltrò.*

72. ACQVIESCAT.] *Tria quæ præmiſit, in exemplis repetit: ſed ordine inuerſo. à poſtremo orditur: atque hoc ad* Solatia *ſpectat.*

73. DIGNITATI.] *Ad* Ornamenta.

74. TVTIOR.] *Ad* Auxilia.

75. INCLINATVS.] *Ipſe pluris faciet Ornamenta, Auxilia, vel Solatia.*

CAP. XIII. 76. FECIT INIVR.] *De hac re ex profeſſo epiſt.* LXXXI. *Vide.*

77. TENTANTEM.] *Ex vno meo libro,* interpretantem: *nec ſpreuerim. Facit enim. proponit nodos, interpretatur & ſoluit.*

que ad danda tardiores. nemo enim libenter dat inuitis: sed quicumque ad benefacien- A
dum bonitate inuitatus est, & ipsâ pulchritudine rei, etiam libentiùs dabit, nihil debi-
turis nisi quod volent. Minuitur enim gloria eius officij, cui diligenter [78] cautum est.

XIV. Deinde, pauciora erunt beneficia? sed veriora. quid autem mali est, inhiberi benefi-
ciorum temeritatem? Hoc enim ipsum secuti sunt, qui nullam legem huic constitue-
runt: vt circumspectiùs donaremus, circumspectiùs eligeremus eos, in quos merita con-
ferrentur. Etiam atque etiam cui des, considera: nulla actio erit, nulla repetitio. Erras, si
existimas succursurum tibi iudicem. Nulla lex te in integrum [79] restituet: solam acci-
pientis fidem specta. Hoc modo beneficia auctoritatem suam tenent, & magnifica
sunt: pollues illa, si materiam litium feceris. Æquissima vox est, & ius gentium præ se
ferens, *Redde quod debes.* Hæc turpissima est in beneficio, *Redde.* Quid reddet? [80] Vi-
tam, inquam, debet, dignitatem, securitatem, sanitatem. reddi maxima quæque non
possunt. Aut pro his, inquit, aliquid quod tanti sit. Hoc est quod dicebam, interituram
tantæ rei dignitatem, si beneficium [81] mercem facimus. Non est incitandus animus ad B
auaritiam, ad querelas, ad discordiam: suâ sponte in ista fertur. Quantum possumus,

XV. resistamus, & quærenti occasiones, amputemus. Vtinam quidem persuadere pos-
semus, vt pecunias creditas tantùm à volentibus acciperent! vtinam nulla [82] stipulatio
emptorem venditori obligaret! nec pacta conuentaque impressis signis [83] custodirentur!
fides potiùs illa seruaret, & æquum colens animus! Sed necessaria optimis prætulerunt,
& cogere fidem, quàm spectare [84] malunt. Adhibentur [85] ab vtraque parte testes. ille
per tabulas [86] plurium nomina, interpositis [87] parariis, facit: ille non est [88] interroga-
tione contentus, nisi [89] rem manu suâ tenuit. O turpem humano generi fraudis ac ne-
quitiæ publicæ confessionem! annulis nostris plus, quàm animis creditur. In quid isti
viri [90] ornati adhibiti sunt? [91] in quid imprimunt signa? nempe ne ille neget accepisse
se, quòd accepit. Hos incorruptos viros, & vindices veritatis existimas? at his ipsis sta-
tim [92] non aliter pecuniæ committentur. Ita non honestiùs erat à quibusdam fidem fal-
li, quàm ab omnibus perfidiam timeri? Hoc vnum deest auaritiæ, vt beneficia sine C
sponsore non demus. Generosi animi & magnifici est, iuuare & prodesse. qui dat bene-
ficia, deos imitatur: qui repetit, feneratores. Quid [93] illos, dum [94] vindicamus, in

[95] tur-

78. CAVTVM EST.] *Cui conditiones adscriptæ, præmia & fructus in certo.*

CAP. XIV. 79. RESTITVET.] *Ex iure. quod succurrit eâ ratione & formulâ minoribus, aut enormiter læsis, deceptísve.*

80. VITAM INQVAM.] *Ex meis libris*, Vitam quam debet. *Finis deinde commatij interrogatione acuatur*, sanitatem?

81. MERCEM.] *Quod erit, si pretium illi ponimus, si taxamus.*

CAP. XV. 82. STIPVLATIO.] *Quæ & ipsa conceptis verbis olim in emptionibus adhibita. Plauti Comœdiæ docent.*

83. CVSTODIRENTVR.] *In tabulis.*

84. MALVNT.] *Sequela & numerus periodi*, maluerunt, *mallet.*

85. AB VTRAQVE.] *In rem vtriusque partis; vt illi cautum sit, hic ne circumuentus.*

86. PLVRIVM NOMINA.] *Iac. Ræuardus explicat, quia* plurium, qui adhibebantur, testium nominibus chirographum signabatur. *Ego acceperim quasi esset*, plura nomina: *id est, cum pluribus contrahit, & nomina facit. Facit, inquam, nomina plurium, quos vel principales habet, vel sponsores. An & legi posset*, plurimùm? *id esset plerumque per tabulas contrahit: at alius pignora item capit.*

87. PARARIIS.] *Suprà eadem vox in hac re, libro* II. *cap.* XXIII. *Et est in veteri quodam Lexico,* μεσίτης: *id est*, interuentor, proxeneta. *Nomen non à* pariando, *sed à parando videtur: quia parant vtrimque animos, & coniungunt. Alij (vt Ræuardus) explicant* tabelliones, actuarios: *quibus vt minùs assentiar, facit Seneca epist.* CXX. Nolo per intercessorem mutueris. *Sanè est hic ipse Pararius.*

88. INTERROGATIONE.] *Stipulatione.*

89. REM.] *Libri aliquot* reum. *sed* rem *tenemus, & pignus ἐνέχυρον interpretamur. Aliquis, inquit, ita diffidit, vt nullæ tabulæ aut sponsiones satis-* D
dent: sed rem tenere manu voluit, & in potestate habere pignus.

90. ORNATI.] *E dignioribus ciuium: ordinis Equestris, aut & Senatorij. Classici testes.*

91. IN QVID.] *Meus opt. codex:* hi, inquit: *quod omnino seruem, sed absque interrogatione, vt legas,* hi, inquit, imprimunt signa. *Est enim velut dialogismus, & hoc ei respondetur. Sequentia deinde, iterùm Senecæ.*

92. NON ALITER.] *Quorum fide niteris, nec iis in re simili fidem habes. aliorum signis, & tabulis obstringis.*

63. ILLOS.] *Beneficia dantes.*

94. VINDICAMVS.] *Tutos securósque esse volumus.*

95. TVR-

A [95] turbam sordidissimam redigimus? Plures, inquit, ingrati erunt, si nulla aduersus ingratum datur actio. Imò potiùs, pauciores: quia maiore delectu dabuntur beneficia. Deinde, non expedit notum omnibus fieri, quàm multi ingrati sint. pudorem enim rei tollet [96] multitudo peccantium: & desinet esse probri loco, commune maledictum. Numquid iam vlla repudio erubescit, postquam illustres quædam ac nobiles fœminæ, [97] non consulum numero, sed maritorum annos suos computant? & [98] exeunt matrimonij caussâ, [99] nubunt repudij? Tam diu istud timebatur, quàm diu rarum erat. quia verò nulla sine diuortio [100] acta sunt, quòd sæpè audiebant, facere didicerunt. Numquid iam vllus adulterij pudor est, postquam eò ventum est, vt nulla virum habeat, nisi vt adulterum [101] irritet? argumentum est deformitatis, pudicitia. Quam inuenies tam miseram, tam sordidam, vt illi satis sit [102] vnum adulterorum par? nisi singulis diuisit horas, & non sufficit dies omnibus? [103] nisi ad alium gestata est, apud alium mansit? [104] Infrunita & [105] antiqua est, quæ nesciat, matrimonium vocari, [106] vnius adB ulterium. Quemadmodum horum delictorum iam euanuit pudor, postquam res latiùs euagata est: ita ingratos plures efficies, & [107] audaciores, [108] si numerare se cœperint. [109] Quid ergo? impunitus erit ingratus? Quid ergo? impunitus erit impius? XVII. quid malignus? quid auarus? quid impotens? quid crudelis? Impunita tu credis esse, quæ inuisa sunt? aut vllum supplicium grauius existimas [110] publico odio? Pœna est, quòd XVI.

95. TVRBAM SORD.] *Gregem fœneratorum.*

CAP. XVI. 96. MVLTITVDO.] *Noster De Clem.* I. *cap.* XXII. Facit enim consuetudinem peccandi, multitudo peccantium: & minùs grauis nota est, quam turba damnatorum leuat. *Vide ibi alia huius sententiæ.*

97. NON CONSVLVM.] *Quasi tot maritos, quot annos numerent. Iuuenalis:*

C Sic crescit numerus, sic fiunt octo mariti
Quinque per Autumnos.

Plures etiam illa apud Martialem, quæ pænè tot quot dies: Aut minus, aut certè vix iam vigesima lux est,
Et nubit decimo iam Telesina viro.

Diuortiis quidem modum Augustus imposuerat (in Suetonio:) sed, vt videmus, libido & licentia euicerant: atque vt Tertullianus ait, Repudium iam votum erat, quasi matrimonij fructus: *Apologet. cap.* VI.

98. EXEVNT.] *A viro, quem habent: ab vno coniugio, noui caussâ.*

99. NVBVNT.] *Amarè dictum, finis coniugij est, iungi: hæ habent, solui.*

100. ACTA.] *Nam in acta referebantur, vt rata & legitima essent: quod docui in* V. *Annal. Taciti.*

D 101. IRRITET.] *Latro apud Senecam patrem lib.* II. *Controu.* VII. Erratis Iudices, si non maritum ad solicitandam matronam putatis irritamentum. *Nam adulter incitatur scilicet eo ipso, quod non licet. Habere vult, quam alter habet: ipse per iniuriam, ille per legem. Praua libido hoc habet. vt libidinum magister poëta:*

Quod licet, ingratum est: quod non licet, acriùs vrit.

Iterùm:

Quiquid seruatur, cupimus magis, ipsaque furem
Præda vocat.

Martialis iocosum exemplum:

Mœchus es Aufidiæ, qui vir Ceruine fuisti;
Riualis fuerat qui tuus, ille vir est.
Cur aliena placet tibi, quæ tua nõ placet vxor?
Numquid securus non potes hoc facere?

102. VNVM ADVLTERORVM.] *Hem, bona verba. Itáne tunc mores? sed attolli quædam ab eo in his talibus, declamatorio more, scimus.*

103. NISI AD ALIVM.] *Hæc caliginosa sunt. distinctio dederit aliquam. si fortè, lucem:* nisi singulis diuisit horas? & non sufficit dies omnibus. nisi ad alium. *Explico, nisi in sellâ gestata est ad vnum adulterum, sed obiter vidit; apud alium diutiùs mansit. Ita quasi cursim adulteros obibat, & visebat. Sed libri tamen consensu habent,* apud alium, *& nostra ista lectio est à Mureto. An aliud latet? nam meus liber,* gesta est, *non* gestata: *voluissem,* comessata est, *si faueret scriptura: nunc coronam ego offero, alius capiti imponat.*

104. INFRVNITA.] *Insulsa, fatua. dico De Vitâ beatâ, cap.* XXIII.

105. ANTIQVA.] *Priscis & exoletis moribus. rustica aliqua, & Sabina.*

106. VNIVS ADVLT.] *Non mutem quod est in libris,* vnum adulterium. *Pro hoc more Martialis illa vxor, de quâ ipse:*

Vt mœchum patiar rogat vxor, Galle, sed vnũ.
Huic ego non oculos eruo Galle duos?

107. AVDACIORES.] *Libri,* auctiores. *sed malim editum. Nam audaciam à numero sumpturi erant.*

108. SI NVMERARE.] *In simili re, ipsis verbis vtitur De Clem.* I. *cap.* XXIV. Apparuit quantum periculum immineret, si serui nostri numerare nos cœpissent.

CAP. XVII. 109. QVID ERGO?] *Hoc capiendum, quasi responsio & relatio ad illud prius. Obiiciebat ille, Quid ergo? ingrati impuniti? μιμήσει respondet, Quid ergo? nónne & impij impuniti sunt, & alij.*

110. PVBLICO ODIO.] *Apud Ciceronem loci similes, in Clodium, Pisonem, Antonium. Et reuerà, animo in quo scintilla honesti, & sensus famæ, nihil tristius aut acerbius odio & detestatione communi.*

111. ACIE

quòd non audet ab vllo beneficium accipere, quòd non audet vlli dare, quòd omnium A
desiignatur oculis, aut desiignari se iudicat: quòd intellectum optimæ rei ac dulcissimæ amisit. An tu infelicem vocas, qui caret [111] acie oculorum, cuius aures morbus obstruxit: non vocas miserum eum, qui sensum beneficiorum amisit? Testis ingratorum omnium deos metuit, vrit illum & angit intercepti beneficij conscientia: denique satis hæc ipsa pœna magna est, quòd rei (vt dicebam) iucundissimæ fructum non percipit. At quem iuuat accepisse, æquali perpetuaque voluptate fruitur: & animum eius à quo accepit, non rem intuens, gaudet. Gratum hominem semper beneficium delectat, ingratum semel. Comparari autem potest vtriusque vita. cùm alter tristis sit & solicitus, qualis esse infitiator, ac fraudulentus solet; apud quem non parentum qui debet, honor est, non [112] educatoris, non præceptorum: alter lætus, hilaris, occasionem referendæ gratiæ exspectans, & ex hoc ipso affectu gaudium grande percipiens; nec quærens quomodo [113] decoquat, sed quemadmodum pleniùs vberiusque respondeat; non solùm parentibus & amicis, sed humilioribus quoque personis. Nam etiam si à seruo suo benefi- B
XVIII. cium accepit, æstimat non à quo, sed quid acceperit. Quamquam quæritur à quibusdam, sicut ab Hecatone, an beneficium dare seruus domino possit? Sunt enim qui ita [114] distinguant, Quædam beneficia esse, quædam officia, quædam ministeria. Beneficium esse, quod alienus det: alienus est, qui potuit sine reprehensione cessare. Officium esse filij, vxoris, & earum personarum, quas [115] necessitudo suscitat, & ferre opem iubet. Ministerium esse serui, quem condicio sua eo loco posuit, vt nihil eorum quæ præstat,
* [116] imputet superiori. [117]* Propterea seruos qui negat dare aliquando beneficium, ignarus est iuris humani. refert enim cuius animi sit, qui præstat, non cuius status. Nulli præclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes inuitat, ingenuos, libertinos, seruos, reges, & exsules. non eligit domum, nec censum; nudo homine contenta est. Quid enim erat tuti aduersus repentina, quid animus magnum promitteret sibi, si [118] certam virtutem fortuna mutaret? Si non dat beneficium seruus domino; nec regi [119] quisquam suo, nec duci suo miles. Quid enim interest, quali quis teneatur impe- C
rio, si summo tenetur? Nam si seruo, quo minùs in nomen meriti perueniat, necessitas obest, & patiendi vltima timor: idem istud obstabit, & ei qui regem habet, & ei qui ducem: quoniam, quamquam sub [120] dispari titulo, paria in illos licent. Atqui dant regibus suis, dant imperatoribus beneficia: ergo & dominis. Potest seruus iustus esse, potest fortis, potest magnanimus: ergo & beneficium dare potest. Nam & hoc virtutis est. adeoque dominis serui beneficia possunt dare, vt ipsos sæpè [121] beneficia sua fecerint.

Non

111. ACIE OCVL.] *Cicero de aruſp. reſp. in Clodium:* An tibi luminis obesset cæcitas plus, quàm libidinis? ne id quidem sentis, conniuentes illos oculos abaui tui magis optandos fuisse, quàm hos flagrantes sororis? *Certè mentis illa cæcitas, vltimum suppliciorum.*

112. EDVCATORIS.] *Potiùs*, educatorum.

113. DECOQVAT.] *Fidem non soluat, rem creditori minuat & absumat.*

CAP. XVIII. 114. DISTINGVANT.] *Pulchrè, & notabiliter.*

115. NECESSITVDO.] *Festi nota huc facit:* Necessarios esse, vt Gallus Ælius ait, qui aut Cognati, aut Adfines, & in quos necessaria Officia conferuntur, præter ceteros. *Ille duos gradus Necessitudinis, tertium etiam Corn. Fronto facit, Meritorum.* Necessitudo, *inquit*, est vel sanguinis, vel meritorum, cum præceptoribus, cum amicis.

116. IMPVTET.] *In rationibus eius ponat. possit inscribere, vel expensum referre.*

117. *PROPTEREA.] *Libri scripti*, præterea. *Neque illud, aut hoc, aptè nectitur prioribus, & omnino aliquid deest. nempe pars illa prior, quâ disputatur, An seruus beneficium domino conferat? Seneca nunc ait, & post rationem vnam alterámve, hanc etiam addit. Ergo rectè*, Prætereà.

118. CERTAM.] *In se stabilem, se contentam & nixam.* D

119. QVISQVAM SVO.] *Si scriptum*, quisquam subditus; ἰσόκωλος *magis & expressa sententia esset.*

120. DISPARI TIT.] *Non enim serui, sed subditi aut milites dicuntur: & tamen ius vitæ necisq; in illos habent, Rex aut Imperator.*

121. BENEFICIA SVA.] *Ego non damno, imò rectè & argutè dicitur: sicut illud*, Beneficia sua amare. *id est, Beneficiarios suos, & de quibus benè meritus fuerit. Prisci tamen libri*, beneficij sui: *nec id malè. Suetonius Tiberio:* per quosdam beficij sui centuriones. *Iterùm Claudio:* Commeatus à Senatu peti solitos, beneficij sui fecit. *Prius tamen illud* ἐμφατικώτερον, *& impressius dicetur.*

CAP.

A Non est dubium, an seruus beneficium dare possit cuilibet: quare ergo non & domino suo possit? Quia non potest, inquit, creditor domini sui fieri, si pecuniam illi de- XIX.
derit. Alioqui quotidie dominum suum obligat: peregrinantem sequitur, ægro ministrat, & labore summo colit. Omnia tamen ista, quæ alio præstante beneficia dicerentur, præstante seruo ministeria sunt. Beneficium enim id est, quod quis dedit, cùm illi liceret & non dare: seruus autem non habet [122] negandi potestatem: ita non præstat, sed paret, nec id se fecisse iactat, quod non facere non potuit. Etiam sub istâ lege vincam, & eò perducam seruum, vt in multa liber sit. Interim dic mihi, si tibi ostendero aliquem seruum pro salute domini sui, sine respectu suæ dimicantem & confossum vulneribus, reliquias tamen sanguinis ab ipsis vitalibus fundentem, & vt ille effugiendi tempus habeat, moram suâ morte quærentem: hunc tu negabis beneficium dedisse, quia seruus est? Si tibi ostendero aliquem, vt secreta domini prodat, nullâ tyranni pollicitatione corruptum, nullis territum minis, nullis cruciatibus victum, auertisse quantum potuerit,
B suspiciones quærentis, & impendisse spiritum fidei: hunc tu negabis beneficium domino dedisse, quia seruus est? Vide ne eò magis sit, quò rarius est exemplum virtutis in seruis: eoque gratius, quòd cùm ferè inuisa imperia sint, & omnis necessitas grauis, commune seruitutis odium, in aliquo domini caritas vicit. Ita non ideò beneficium non est, quia à seruo profectum est: sed ideò maius, quia deterrere ab illo nec seruitus quidem potuit. Errat, si quis existimat seruitutem in totum hominem descendere: pars XX.
melior eius excepta est. Corpora obnoxia sunt, & [123] adscripta dominis: mens quidem sui iuris. quæ adeò libera & vaga est, vt ne ab hoc quidem carcere cui inclusa est, teneri queat, quo minùs impetu suo vtatur, & ingentia agat, & in infinitum [124] comes cælestibus exeat. Corpus itaque est, quod domino fortuna tradidit. Hoc emit, hoc vendit: interior illa pars [125] mancipio dari non potest. Ab hac quidquid venit, liberum est. non enim aut nos omnia iubere possumus, aut in omnia serui parere coguntur: contra rempublicam imperata non facient, nulli sceleri manus commodabunt. Quædam XXI.
C sunt qui leges nec iubent, nec vetant facere: in his seruus materiam beneficij habet. Quamdiu præstatur, quod à seruis exigi solet, ministerium est: vbi plus quàm quod seruo necesse est, beneficium. Vbi in [126] affectum amici transit, desinit vocari ministerium. Est aliquid, quod dominus præstare seruo debeat, vt [127] cibaria, [128] vestiarium: nemo hoc dixit beneficium. At indulsit, liberaliùs educauit, [129] artes quibus eruditur ingenui, tradidit: beneficium est. Idem, econtrariò, fit in personâ serui. Quidquid est quod seruilis officij formulam excedit, quod non ex imperio, sed ex voluntate præstatur, beneficium est: si modò tantum est, vt hoc vocari potuerit, quolibet alio præstante.
Seruus (vt placet Chrysippo) perpetuus [130] mercenarius est. Quemadmodum ille be- XXII.
neficiũ dat, vbi plus præstat quàm quod [131] operis locauit: sic seruus vbi beneuolentiâ erga dominum fortunæ suę modũ transiit, & altiùs aliquid ausus, quod etiam [132] feliciùs nato

CAP. XIX. 122. NEGANDI POT.] *Imò nec*
D *voluntatem, nec personam aut caput habet: iuris ciuilis quidem inuentiunculis & phrasibus.*

CAP. XX. 123. ADSCRIPTA.] *Addicta dominis. emptionum tabulis mancipata.*

124. COMES CÆL.] *Sidera sequatur, aut præeat. Ad mentem & cogitationem referendum. Adde suprà, lib.* II. *cap.* XXIX.

125. MANCIPIO.] *Iuris verbum. quod proprietatem, dominium, & quasi ea quæ manu capiuntur teneturq́, notat.*

CAP. XXI. 126. AFFECTVM.] *Quo propriè constat beneficium.*

127. CIBARIA.] *Dimensa sua, & Iusta.*

128. VESTIARIVM.] *Pecuniam, quæ pro veste datur. Adde cap.* VIII. *De Tranquill.*

129. ARTES.] *Quod multi fecêre. & ab iis dominus Plautus, Terentius, Epictetus ipse manauit.*

CAP. XXII. 130. MERCENARIVS.] *Qui operas mercede locat,* μισθωτὸς, μισθοφόρος. *Duo genera: sunt liberi, sunt serui. Hîc de liberis capiendum. sed vt illi, aiebat Chrysippus, operas suas in diem aut tempus, locant: sic de seruis sentiendum, liberos esse, dumtaxat perpetuâ nobis operâ obstrictos. De ipsis Mercenariis seruis, infrà lib.* VI. *cap.* V.

131. OPERIS.] *Atqui dominus opus locat, mercenarius conducit. Itaque cùm in libris* operas *exstet: haud inuitus Mureto assentiar legenti*, quàm ad quod operas locauit.

132. FELICIVS NATO.] *Libero, ingenuo, nobili.*

133. QVID

nato decori esset, & spem domini anteceſſit, beneficium est intra domum inuentum. A
An æquum tibi videtur, quibus, si minus debito faciant, irascimur: non haberi gratiam, si plus debito solitoque fecerint? Vis scire, quando non sit beneficium? vbi dici potest. [133] Quid si nollet? Vbi verò id præstat, quod nolle licuit, voluisse laudandum est. Inter se contraria sunt, beneficium & iniuria. Potest dare beneficium domino, si à domino iniuriam potest accipere: atqui de iniuriis dominorum in seruos, [134] qui audiat, positus est, qui & sæuitiam & libidinem, & in præbendis ad victum necessariis auaritiam compescat. Quid ergo? Beneficium dominus à seruo accipit? imò homo ab homine. Denique quod in illius potestate fuit, fecit: beneficium domino dedit: ne à seruo acceperis, [135] in tuâ potestate est. Quis autem tantus est, quem non fortuna indigere etiam infimis cogat? Multa iam beneficiorum exempla referam, & dissimilia, & quædam inter se [136] contraria. Dedit aliquis domino suo vitam, dedit mortem, seruauit periturum: & hoc si parùm est, [137] pereundo seruauit. alius mortem domini [138] adiuuit, alius [139] decexxiii. pit. Claudius Quadrigarius in duodeuicesimo annalium tradidit, cùm obsideretur [140] Adrumentum, & iam ad summam desperationem ventum esset, duos seruos ad hostem transfugisse, & [141] operæ pretium fecisse. [142] Deinde vrbe captâ, passim discurrente victore, illos per nota itinera ad domum in quâ seruierant, præcucurrisse, & dominam suam ante se egisse: & quærentibus quænam esset, dominam, & quidem crudelissimam [143] ad supplicium ab ipsis duci, professos esse. Eductam deinde extra muros, summâ curâ celasse, donec hostilis ira consideret. deinde, vt satiatus miles [144] ad Romanos mores citò rediit: illos quoque ad suos rediisse, & dominam sibi ipsos dedisse. Manumisit vtrumque eueſtigiò illa: nec indignata est ab his se vitam accepisse, in quos vitæ necisque potestatem habuisset. Potuit sibi hoc vel magis gratulari. Aliter enim seruata, munus notæ & vulgaris clementiæ habuisset: sic seruata, nobilis fabula, & exemplum [145] duarum vrbium fuit. In tantâ confusione captæ ciuitatis, cùm sibi quisque consuleret, omnes ab illâ præter transfugas fugerunt. At hi, vt ostenderent quo animo facta esset prior illa transitio, à victoribus ad captiuam transfugerunt, personam [146] par- C
ricidarum ferentes. quod in illo beneficio maximum fuit, tanti iudicauerunt, ne domina occideretur, videri dominam occidisse. Non est, mihi crede, [147] non est, dico, seruilis animi,

133. QVID SI NOLLET?] *Herile & minax verbum: cui adhæret, & intellegi datur:* cogam, malo doctus faciet.

134. QVI AVDIAT.] *Præfectus vrbis. opinor ab ipso Augusto esse: etsi Hadriano tribuitur, quòd* seruos à dominis vetuit occidi, eosque iussit damnari per iudices, si digni essent. *Ita Spartianus in eius vitâ. Nempe rettulit, aut roborauit & ampliauit ius illud vetus. Nam & addidit,* Ne lenoni aut lanistæ venderentur, caussâ non præstitâ.

135. IN TVA POT.] *Callidè. nam innuit, fac liberum, manumitte.*

136. CONTRARIA.] *Vt vitam & mortem dare, quæ subiungit.*

137. PEREVNDO.] *Suâ vitâ, eius redemit.*

138. ADIVVIT.] *Vt C. Vettij seruus, de quo infrà.*

139. DECEPIT.] *Vt L. Domitij, de quo item infrà.*

CAP. XXIII. 140. ADRVMENTVM.] *Mureti lectio: nam prisca omnis* Grumentum. *Atque istud in Italiâ in Lucanis esse, Liuius, Florus, Appianus, Ptolemæus dicunt. Quid, quòd Macrobius in hoc ipso facto, ita nominat? Sed impulit Muretum mutare, credo, quòd mox de* Romano milite *sequitur. Quid ergo? nónne bello Punico hostilia multa Italiæ loca, & in eo præsertim tractu? Potuit & sociali bello euenisse, ex Flori* III. *cap.* XVIII.

141. OPERÆ PRET.] *Sunt ipsa Claudij verba, non ambigo. Pretium operæ, id est, condignam mercedem labore & periculo suo cepisse. Ita Liuius initio operis:* Facturúsne operæpretium sim.

142. DEINDE.] *Credam veriùs distingui, & antiquâ compositione:* operæpretium feciſſe deinde. Vrbe captâ.

143. AD SVPPLICIVM.] *Eadem Macrobius, I. Saturn. cap.* XI.

144. AD ROM. MORES.] *Mites & modestos.*

145. DVARVM VRBIVM.] *Quarum? Grumenti, & Romæ, ait Gruterus: quia vtraque potuit æmulari. Sed cur non plurium etiam vrbium? cur non orbis? Muretus ait librum aliquem (fide hoc eius stet)* duarum, *habuisse tantùm: itaque ex eo faciendum prorsus,* dominarum. *Hoc ita placuit, vt & in textum receperit: sed profectò eiiciendum. Quod exemplum hîc dominabus? quiáne vna seruata? quid imitentur? seruorum tota laus est, vt scimus. Ego verò coniicio, & mihi certè approbo, fuisse:* exemplum duraturum. *Nihil à scripturâ abeo: sensum ipsum Senecæ tango. Illa, inquit, sic seruata, nobile & scriptis sæculisq; consecratum exemplum est.* D

146. PARRICIDARVM.] *Quasi dominam ad supplicium raperent.*

147. NON EST.] *Libri mei:* non dico. *Omnino lego:* non, dico, est. *Illa insertio & repetitio, valdè affirmant.*

CAP.

A animi, egregium factum famâ sceleris emisse. C. Vettius, prætor Marsorum, ducebatur ad Romanum [148] imperatorem. Seruus eius gladium militi ipsi, à quo trahebatur, eduxit, & primùm dominum occidit: deinde, *Tempus est*, inquit, *me & mihi consulere: iam dominum manumisi*. atque ita se vno ictu transiecit. Da mihi quemquam, qui magnificentiùs dominum seruarit. Corfinium Cæsar obsidebat: tenebatur inclusus Domitius. Imperauit medico, eidemque [149] seruo suo, vt sibi [150] venenum daret. Cùm tergiuersantem videret: *Quid cunctaris*, inquit, *tamquam tuâ in potestate totum istud sit? mortem rogo* [151] *armatus*. Tum ille promisit, & medicamentum innoxium bibendum illi dedit: quo cùm sopitus esset, accessit ad filium eius: *Iube me*, inquit, *adseruari, dum ex euentu intelligis, an venenum patri tuo dederim*. Vixit Domitius, & seruatus à Cæsare est: prior tamen illum seruus seruauerat. XXIV.

Bello ciuili, proscriptum dominum seruus abscondit: & cùm [152] anulos eius sibi aptasset, ac vestem induisset, speculatoribus occurrit: nihil se deprecari, quo minùs imperata peragerēt, dixit: & deinde ceruicem porB rexit. Quanti viri est, pro domino eo tempore mori velle, quo erat [153] rara fides dominum mori nolle? in publicâ crudelitate mitem inueniri, in publicâ perfidiâ fidelem? cùm præmia proditionis ingentia ostendantur, præmium fidei, morte concupiscere? XXV.

Nostri sæculi exempla non præteribo. Sub Tiberio Cæsare fuit accusandi frequens & pænè publica rabies, quæ omni ciuili [154] bello grauiùs togatam ciuitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium. nihil erat tutum: omnis sæuiendi placebat occasio. Nec iam reorum exspectabatur euentus, cùm esset [155] vnus. Cænabat Paulus prætorius in conuiuio quodam, imaginem Tiberij Cęsaris habens, [156] ectypam, & eminente gemmâ. Rem ineptissimam fecero, si nunc [157] verba quæsiero, quemadmodum dicam illum matellam sumpsisse. Quod factum, simul & [158] Maro, ex notis illius temporis vestigatoribus, notauit. At seruus eius cui nectebantur insidiæ, ei ebrio anulum extraxit. & cùm Maro conuiuas testaretur, admotam esse [159] imaginem obscœnis, & iam [160] subscriptionem componeret: ostendit in [161] manu suâ seruus anulum. XXVI.

C

Si quis

148. IMPERATOREM.] *Mei libri*, imperium. *& meo animo sic lege*. *Ducebatur (notâ phrasi) ad mortem, ad supplicium: ducebatur autem, ad iussum Romanum. Euenisse hoc scias Sociali bello Italico: in quo vel præcipui perduellium, Marsi: &* Vettius *iste inter Duces, Appiano atque aliis.*

CAP. XXIV. 149. SERVO.] *Nam diu medicina Romæ apud libertos aut seruos, vt ingenuis parùm digna. Iulius Cæsar primus decus addidit, &* ciuitate eos donauit: *qui liberi nempe, & exteri essent. Augustus deinde, in honorem Antonij Musæ, immunitatem.*

150. VENENVM.] *Vide Plinium lib.* VII. *cap.* LIII. *Suetonium in Nerone, cap.* III. *qui tamen paullò aliter referunt: at consentit cum Senecâ magis Plutarchus, in Cæsare.*

D

151. ARMATVS.] *Quasi dicat, Iamnunc inferre eam mihi tibiq; possum. Arma ecce, & gladius.*

CAP. XXV. 152. ANVLOS.] *In Appiano* IV. *Ciuil. in Valerio* VI. *cap.* VIII. *in Macrobio. Anulos autem vestemq; sumit, tamquam ingenuus & Senator: vt sic pro hero se approbaret.*

153. RARA FIDES.] *Quidni rara? nam præmiis inducebantur, ad dominos prodendos vel occidendos. & qui fecisset ac caput retulisset,* præmium capiebat libertatem, & dena millia drachmarum, itemque ciuitatem: *Appianus.*

CAP. XXVI. 154. BELLO GRAVIVS.] *Tacitus non semel ostendit & queritur*, pacem quouis bello sæuiorem.

155. VNVS.] *Exitialis omnibus; & accusari, damnari erat.*

156. ECTYPAM.] *Meus liber*, ectypâ, *diserte: vt ad gemmam ipsam referatur. Plinius* XXXVII. Hæ sunt gemmæ, quæ ad ectypas sculpturas aptantur. *Ectypa igitur gemma, expressa & effigiata.*

157. VERBA QVÆS.] *Ne sordidis scilicet illis & communibus vtar,* matulam sumere.

158. MARO.] *Qui Tacito tamen non nominatur, quod sciam.*

159. IMAGINEM OBSC.] *Tamquam in eo Impietas, & læsa maiestas, quòd sacra Principis imago ad partes pudendas iuisset. O flebiles ineptias! de quibus Suetonius Tiberij cap.* LVIII. Capitale fuisse, circa Augusti simulacrum seruum cecidisse, vestem mutasse, nummo vel anulo effigiem impressam latrinæ aut lupanari intulisse. *Quin Philostratus narrat,* damnatum quemdam, quòd seruum verberasset, qui Denarium cum effigie Cæsaris apud se habebat.

160. SVBSCRIPTIONEM.] *Non eo sensu, quo Asconius in Diuinatione notat,* Subscriptores *secundarios quosdam accusatores, & socios præcipui illius esse: sed hic ipsam accusationem notat. quia qui deferebant, libello id faciebant, atque ei subscribebant. Eo sensu noster in Ludo, de morte Claudij:* Postulat nomen eius recipi, edit subscriptionem. *Vide & Brissonij Lexicon, in verbo Subscribere.*

161. MANV SVA.] *Ergo non in Domini fuisse: & falsum Maronem arguebat.*

C

162. CON-

XXVII. Si quis hunc ſeruum vocat, & illum [162] conuiuam vocabit. Sub diuo Auguſto A nondum hominibus verba ſua periculoſa erant, iam moleſta. Rufus, vir ordinis ſenatorij, inter cænam optauerat, ne Cæſar ſaluus rediret ex eâ [163] peregrinatione quam parabat: & adiecerat, *Idem omnes &* [164] *tauros & vitulos optare.* Fuerunt qui illa diligenter audirent. Vt primùm diluxit, ſeruus qui cænanti [165] ad pedes ſteterat, narrat quæ inter cænam ebrius dixiſſet. hortatur, vt Cæſarem occupet, atque ipſe ſe deferat. Vſus conſilio, [166] deſcendenti Cæſari occurrit. & cùm [167] malam mentem habuiſſe ſe pridie iuraſſet, id vt [168] in ſe & filios ſuos recideret, optauit: & Cæſarem, vt ignoſceret ſibi rediretque in gratiam ſecum, rogauit. Cùm dixiſſet ſe Cæſar facere: *Nemo,* inquit, *credet te mecum in gratiam rediſſe, niſi aliquid mihi donaueris:* petitq. non faſtidiendam à propitio ſummam: & impetrauit. Cæſar ait: [169] *Meâ cauſſâ dabo operam, ne vmquam tibi iraſcar.* Honeſtè Cæſar, quòd ignouit, quòd liberalitatem clementiæ adiecit. Quicumque hoc audiuerit exemplum, neceſſe eſt Cæſarem laudet, ſed cùm ſeruum antè laudauerit. Num exſpectas, vt tibi narrem manumiſſum, qui hoc fecerat? nec tamen gratis. pecuniam pro B

XXVIII. libertate eius Cæſar numerauerat. Poſt tot exempla num eſt dubium, quin beneficium aliquando à ſeruo dominus accipiat? Quare potiùs perſona rem minuat, quàm perſonam res ipſa cohoneſtet? Eadem omnibus principia, eademque origo. nemo altero nobilior, niſi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius. Qui imagines [170] in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis [171] ſtemmatum illigata flexuris, in parte [172] primâ ædium collocant: noti magis, quàm nobiles ſunt. Vnus omnium parens [173] mundus eſt: ſiue per ſplendidos, ſiue per ſordidos gradus, ad hunc prima cuiuſque origo perducitur. Non eſt, quòd te iſti decipiant; [174] qui cùm maiores ſuos recenſent, vbicumque [175] defecit nomen illuſtre, illicò deum fingunt. Neminem deſpexeris, etiam ſi circa illum obſoleta ſunt nomina, & parùm indulgente adiuta fortunâ.

[176] Siue

162. CONVIVAM.] *Maronem. indignum eo nomine, qui cædes & accuſationes ibi machinabatur.*

CAP. XXVII. 163. PEREGRINATIONE QVAM.] *Verbum hîc meus liber inſerit,* peregrinatione ille.

164. TAVROS.] *Iocosè. quia iis periculum ab immolatione: & grandi numero peribant, cùm ſaluus ille rediiſſet. Similis iocus in Ammiani* XXV. *de Iuliano:* Æſtimabatur, ſi rediſſet de Parthis, boues iam defuturos Marci illius ſimilis Cæſaris, in quem id accepimus dictum: Οἱ λεῦκοὶ βόες Μάρκῳ τῷ Καίσαρι· Ἂν σὺ νικήσῃς, ἡμεῖς ἀπωλόμεθα: Albi boues Marco Cæſari. Si tu viceris, nos periimus.

165. AD PEDES.] *Domini, atque etiam lecti, ſi ille imus iaceret. Si medius, aut ſummus; tum ad latus poſticum lecti ſtetiſſe, ad iacentium pedes, opinandum: id eſt, ponè dominum. Martialis inde iocus:*

Omnia cùm retrò pueris obſonia dones,
Cur non menſa tibi ponitur A pedibus?

166. DESCENDENTI.] *E palatio in forum.*

167. MALAM MENT.] *Sollennia verba in ſatisfactione. Tibullus*: Et ſe iurabit mente fuiſſe malâ: *id eſt, parum ſuâ & ſanâ.*

168. IN SE ET FILIOS.] *Superſtitio in votis aut imprecatione. ſi irrita eſſe non poſſent; tunc in ſe ea potiùs reuocabant, aut in alium deriuabant. Tibullus:*

Et mala ſiqua tibi dixit dementia noſtra,
Ignoſcas. capiti ſint precor illa meo.

Noſter lib. IV. *infrà, cap.* XXXI. Siquid mali dixi, mihi & capiti meo.

169. MEA CAVSA.] *Facetè. Nam ego luere debeo tuam vicem, & pecuniam à me dare. Qui lædunt,* C *mulctari ſolent; ego, qui lædor.*

CAP. XXVIII. 170. IN ATRIO.] *Romanus ritus, quem fusè explicaui* I. *Elect. cap.* XXIX.

171. STEMMATVM.] *Plinius* XXXV. *cap.* II. Stemmata verò lineis diſcurrebant ad imagines pictas. *Erant minores, & rotundæ imagines, quæ ad latera adſitæ genus illius maternum, aut & propinquos notabant: illius inquam præcipui, cuius imago. Statius:*

Non tibi clara quidem ſenior placidiſſime gentis
Linea, nec proauis demiſſum ſtemma.

172. PRIMA.] *In atrio, vbi ſalutatores & clientes excipiebantur. Ideò ibi, omnibus aduentoribus oſtentui.*

173. MVNDVS.] *Cælum. nam Stoicâ ſententiâ,* D *ex illo animæ, & è ſideribus. Seneca epiſt.* XLIV. *in hac ipsâ re:* Omnes, ſi ad primam originem reuocentur, à diis ſunt.

174. QVI CVM.] *Ita continuaui, & in parte ſententiam iuui, ex libris.*

175. DEFECIT.] *Hîc Apollo me deſerit. Libri ferè habent:* vbicumque nomen illuſtre fecit illo dominium fingunt. *Meus,* dominia: *vnus atque alter,* illo deum fugiunt, *aut* fulgiunt. *Mihi non diſpliceat,* vbicumque nomen illuſtre defecit, in loco Deum fingunt: *aut* Deum fulciunt. *Quaſi dicat: quid iſti vani ſe iactant, & Deum alibi auctorem originis inculcant: cùm omnes à Diis ſimus? Defecit autem nomen illuſtre, in capite & origine: quam ferè ſolent ad deos referre.*

176. SIVE

A volens acceperis, nolenti reddere. Quidam, cùm aliquod illis missum est munusculum, subinde aliud intempestiuè remittunt, & nihil se debere testantur. 190 Reijciendi genus est, protinus aliud inuicem mittere, & munus munere expungere. Aliquando & non reddam beneficium cùm possim, quando plus mihi detracturus ero, quàm illi collaturus: si ille non erit sensurus vllam accessionem recepto eo, quo reddito, mihi multum abscessurum erit. Qui festinat vtique reddere, non habet animum grati hominis, sed debitoris. Et breuiter dicam, qui nimis citò cupit soluere, inuitus debet: qui inuitus debet, ingratus est.

190. REIICIENDI GENVS EST.] ijciendi sumpti genus, *postremâ voce compendio scriptâ.* *Meus*, Reijciendi sunt pignus. *Certò fuit*: re-

L. ANNÆI SENECÆ
AD AEBVCIVM LIBERALEM
DE BENEFICIIS
LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B

ABSOLVTIS *duabus præcipuis partibus*, Quomodo dandum Beneficium, Quomodo accipiendum: *transire se dicit ad quædam non tam in ipsâ materie, quàm ex ipsâ, & vicina ac connexa. Quæstiunculas subserit, primò istam: An turpe Beneficijs vinci? negat vinci posse, & parem semper esse, qui gratè meminit, qui cupit animo referre, si re non potest. Quæstiuncula secunda: An aliquis sibi beneficium donet? item negat, & in vtramque tamen partem argutatur. Tertia quæstiuncula: An aliquis Ingratus Stoicè dici possit? ait, & docet. Quarta, An non omnes ingrati sint? minimè, etsi plurimos fatetur. Deinde ex adtextu, Quousque, & an alius pro alio obligemur? vt filius pro patre, & talia. Distinctione respondet, & magis negat. Quinta quæstiuncula; An triste beneficium, & inuito etiam dari possit? potest. Vltima denique: An repeti Beneficium possit?*

C

CAPVT PRIMVM.

IN prioribus libris videbar consummasse propositum, cùm tractassem, quemadmodum dandum esset beneficium, & quemadmodum accipiendum. hi enim sunt huius officij fines. Quidquid vltrà moror, non seruio materiæ, sed indulgeo: quæ quò ducit, sequendum est, non quò inuitat. Subinde enim nascetur, quod lacessat aliquâ dulcedine animum, magis non necessarium, quàm superuacuum. Verùm quia [1] ita vis, perseueremus, peractis quæ rem continebant, scrutari etiam ea quæ sunt his connexa, verùm non cohærentia: quæ quisquis diligenter inspicit, nec facit operæ pretium, nec tamen perdit operam. Tibi autem [2] homini naturâ optimo, & ad beneficia propenso, Liberalis Æbuci, nulla eorum laudatio satisfacit. Neminem vmquam vidi tam benignum, etiam leuissimorum officiorum æstimatorem. Iam bonitas tua eousque prolapsa est, vt tibi dari putes beneficium, quod vlli datur. paratus es, ne quem beneficij pæniteat, pro ingratis [3] dependere. Ipse vsqueeò abes ab omni iactatione, vsqueeò statim exonerare cupis quos obligas, vt quidquid in aliquem confers, velis videri [4] non præstare, sed reddere. Ideóque pleniùs ad te sic data reuertuntur. nam ferè sequuntur beneficia non reposcentem: & vt gloria fugientes magis ac magis sequitur, ita fructus beneficiorum gratiùs respondet illis, per quos etiam esse ingratis licet. Per te verò non est mora, quò minùs beneficia qui acceperunt, [6] vltrò repetant: nec recusabis conferre alia, & [7] suppressis dissimulatisque plura ac maiora adijcere. Propositum optimi viri, & ingentis [8] animi est, tam diu ferre ingratum, donec feceris gratum. Nec te ista ratio decipiet. succumbunt vitia virtutibus, si illa [9] non citò odisse properaueris.

D

Illud

A longum est, quî viuunt ob nullam causſam aliam, quàm quòd illos liberorum eximia virtus tradidit posteris. Vtrùm maius beneficium dedit M. Agrippæ pater, ne post Agrippam quidem [194] notus: an patri dedit Agrippa, [195] nauali coronâ insignis, vnicum adeptus inter dona militaria decus? qui tot in vrbe maxima opera excitauit, quæ & priorem magnificentiam [196] vincerent, & nullâ posteâ vincerentur? Vtrùm Octauius maius vllum beneficium dedit filio, an patri diuus Augustus, quamuis illum [197] vmbra adoptiui patris abscondit? Quantam cepisset voluptatem, si illum, post debellata arma ciuilia, vidisset securæ paci prę sidentem, non agnoscens bonum suum, nec satis credens, quoties respexisset ad se, potuisse illum virum in domo suâ nasci? Quid nunc ceteros persequar, quos iam consumpsisset obliuio, nisi illos filiorum gloria è tenebris eruisset, & adhuc in luce retineret? Deinde non quærimus, num quis filius patri maiora beneficia reddiderit, quàm à patre acceperat: sed an possit aliquis maiora reddere. Etiamsi quæ retuli exempla, nondum satis faciunt, nec beneficia parentum suorum [198] supermicant:
B capit tamen hoc natura, quod nondum vlla ætas tulit. Si singula paternorum meritorum magnitudinem exuperare non possunt, plura in vnum congesta superabunt.

Seruauit [199] in prælio patrem Scipio, & [200] prætextatus in hostes [201] equum concita- XXXIII.
uit: parùm est, quòd vt perueniret ad patrem, tot pericula [202] maximos duces cùm maximè prementia contempsit, tot oppositas difficultates; quòd ad primam pugnam exiturus tiro per veteranorum corpora cucurrit; quòd annos suos transiliuit. Adiice, vt idem patrem reum defendat, & conspirationi inimicorum potentium eripiat: vt alterum illi consulatum, ac tertium, alioſque honores etiam consularibus concupiscendos congerat, vt pauperi raptas belli iure opes tradat, & quod est militaribus viris speciosissimum, diuitem illum spoliis etiam hostilibus faciat. Si adhuc parùm est, adiice vt prouincias & extraordinaria imperia continuet: adiice vt dirutis maximis vrbibus, Romani imperij sine æmulo ad ortus occasuſque venturi defensor & conditor, maiorem nobilitatem nobili viro adiiciat. [203] Dic Scipionis patrem: haud dubium est, quin gene-
C randi vulgare beneficium vicerit eximia pietas & virtus, ipsi vrbi nescio, vtrùm maius præsidium afferens, an decus. Deinde, si hoc parùm est, finge aliquem tormenta XXXIV.
patris discussisse, finge in se transtulisse. Licet tibi inquantum velis extendere beneficia filij, cùm paternum munus & simplex sit, & facile, [204] nec danti voluntarium. Quid necesse est multis? dedit etiam, quibus dedisse se nescit. In quo [205] consortem habet, in quo spectauit [206] legem patriam, [207] præmia patrum, domus ac familiæ perpetuitatem, omnia potiùs quàm eum cui dabat. Quid si quis sapientiam consecutus, hanc patri tradiderit, etiam nunc disputabimus, an maius aliquid dederit, quàm acceperat: cùm vitam beatam

CAP. XXXII. 194. NOTVS.] *De hac ignobilitate Agrippæ, Seneca pater lib.* II. *Controu.* IV.

195. NAVALI.] *E rostris nauium concinnatâ: quam duo mortalium M. Varro, & Agrippa acceperunt. Plinius* XVI. *cap.* IV.

D 196. VINCERENT.] *Nota de operibus Agrippæ, eorumq; inuicto splendore.*

197. VMBRA ADOPT.] *Iulij Cæsaris. Ad altas arbores aspectum, quæ magnitudine minores tegunt & inumbrant.*

198. SVPERMICANT.] *Veteres codices*, Superiniciunt.

CAP. XXXIII. 199. IN PRÆLIO.] *Ad Ticinum flumen, cum Annibale. Liuius* XXI. *Valerius, & alij: Plinij error est, lib.* XVI. *cap.* IV. *qui ad Trebiam scribit.*

200. PRÆTEXTATVS.] Iam pubescens, *vt Liuius loquitur*: vixdum annos pueritiae egressus, *vt Valerius.*

201. EQVVM.] *Nam totum prælium illud equestre.*

202. MAXIMOS.] *Intellegit patrem ipsum Scipionem, & Romanos duces, qui premebantur, & (si licet dicere) cedebant, id est fugiebant.*

203. DIC SCIP.] *Pone nunc & adfer Scipionis illius patrem: quid præ his erit.*

CAP. XXXIV. 204. NEC DANTI.] *Imò verò voluntarium, obuio & communi sensu. Itaque libri*, sed danti. *Tota periodus confusa & tenebrosa, sic restituenda:* & facilè. Sed voluntarium. Quid necesse est? ille multis dederit, e. q. d. s. nescit. *Inseritur obiectio. At enim voluntas paterna emicuit in te gignendo. Respondet: quid est opus? potest & sine tali certâ voluntate homo gigni, & ipse in aliis fœminis genuerit.*

205. CONSORTEM.] *Vxorem. nec sine eâ genuit, aut sibi vni hoc beneficium inscribit.*

206. LEGEM.] *Quæ iussit ducere.*

207. PRÆMIA.] *Data ab antiquo patribus: honores, anteceſsiones, & talia. quæ posteà lex Iulia & Papia immensùm auxerunt.*

 208. INSTI-

beatam patri reddiderit,acceperit tantùm vitam? Sed patris,inquit,beneficium eſt,quid- A
quid facis, quidquid præſtare illi potes. Et præceptoris mei, quòd [208] inſtitutis liberalibus profeci. Ipſos tamen qui tradiderunt illa,tranſſcendimus: vtique eos,qui prima elementa docuerũt. Et quamuis ſine illis nemo quidquam aſſequi poſſet, non tamen quantumcumque quis aſſecutus eſt, infra illos eſt. multum, inter prima, ac maxima intereſt. nec ideò prima maximorum inſtar ſunt, quia ſine primis maxima eſſe non poſſunt.

XXXV. Iam tempus eſt quædam ex [209] noſtrâ (vt ita dicam) monetâ [210] proferri. Qui id beneficium dedit, quo eſt aliquid melius, poteſt vinci: pater dedit filio vitam, eſt autem aliquid vitâ melius: ita pater vinci poteſt, quia dedit beneficium,quo eſt aliquid melius. Etiamnum, qui dedit alicui vitam, ſi ſemel & iterùm liberatus eſt mortis periculo, maius accepit beneficium,quàm dedit: pater autem vitam dedit: poteſt ergo,ſi ſæpiùs periculo mortis liberatus à filio fuerit, maius beneficium accipere,quàm dedit. Qui beneficium accepit, maius accipit,quò magis eo indiget: magis autem indiget vitâ qui viuit,quàm qui natus non eſt, vt qui ne indigere quidem omnino poſſit: maius ergo bene- B
ficium accipit pater, ſi vitam à filio accepit, quàm filius à patre, quòd natus eſt. Patris beneficia vinci à filiis beneficiis non poſſunt. quare? quia vitam accepit à patre: quam niſi accepiſſet,nulla dare beneficia potuiſſet. Hoc commune eſt patri cum omnibus,qui vitam dederunt alicui. non potuiſſent enim referre gratiam, niſi vitam accepiſſent. Ergo nec medico in maius gratia referri poteſt. ſolet enim & medicus vitam dare: nec nautæ, ſi naufragum ſuſtulit. Atqui & horum & aliorum, qui aliquo modo nobis vitam dederunt, beneficia vinci poſſunt: ergo & patrum poſſunt. Si quis mihi beneficium dedit, quod multorum beneficiis adiuuandum eſſet,ego autem beneficium illi dedi,quod nullius adiutorio egeret, maius dedi quàm accepi: pater filio vitam dedit perituram, niſi multa acceſſiſſent, quæ illam tuerentur: filius patri ſi dedit vitam, dedit eam, quæ nullius deſideraret auxilium, in hoc, vt permaneret: ergo maius beneficium accepit à filio

XXXVI. pater, qui vitam accepit,quàm ipſe illi dederat. Hæc non deſtruunt parentum venerationem, nec deteriores illis liberos faciunt,imò etiam meliores. naturâ enim glorio- C
ſa eſt virtus,& anteire priores cupit. alacrior erit pietas, ſi ad reddẽda beneficia cum vincendi ſpe venerit. Id ſi patribus idem [211] volentibus contigerit (quoniam pleraque ſunt, in quibus noſtro bono vincimur: vnde certamen tam optabile,vnde tantam felicitatem parentibus, vt fateantur ſeipſos filiorum beneficiis impares? Niſi hoc ita iudicamus, excuſationem damus liberis: & illos ſegniores ad referendam gratiam facimus,quibus ſtimulos adijcere debemus, & dicere, Hoc agite optimi iuuenes. poſita eſt inter parentes ac liberos honeſta contentio, dederint maiora, an receperint. Non ideò vicerunt, quia occupauerunt. ſumite modò animum, qualem decet, & deficere nolite, vt [212] vincatis optantes. Nec deſunt tam pulchro certamini duces, qui ad ſimilia vos cohortentur, ac

XXXVII per veſtigia ſua ire ad victoriam ſæpè iam partam ex parentibus, iubeant. Vicit Æneas patrem, ipſe eius in infantiâ leue tutumque geſtamen, grauem ſenio, per media hoſtium agmina,& per cadentis circa ſe vrbis ruinas ferens, cùm complexus ſacra ac penates deos religioſus ſenex non ſimplici vadẽtem ſarcinâ premeret: tulit illum per ignes, D
&,quid non pietas poteſt? pertulit,colendumque inter conditores Romani imperij poſuit. Vicere [213] Siculi iuuenes, cùm Ætna maiore vi peragitata, in vrbes, in agros, in magnam

208. INSTITVTIS.] *Haud mutem. aliquis tamen diuinet*, in ſtudiis.

CAP. XXXV. 209. NOSTRA MON.] *Stoicâ? an tuâ propriâ,ô Seneca? Credo illum hæc à ſe promere: priora ab Hecatone aut Chryſippo fuerunt.*

210. PROFERRI.] *Poſt hæc verba meus liber opt.* Siquid melius vitâ eſt, & à patre ſola vita datur, poteſt beneficiis à filio vinci pater. *Tum deinde reliqua: nec ego vt ſpuria damnem, etſi tamen iterari pòſt videntur.*

CAP. XXXVI. *In planam viam redit Seneca, ex illâ ſcruposâ & ſpinosâ.*

211. VOLENTIBVS.] *Omiſſa vox eſt, quæ in libris pleriſque*, legibuſque. *Dicas fuiſſe*, volentibus lætiſque, *vel etiam* libentibuſque.

212. VINCATIS OPTANTES.] *Ita legendum. Claudianus:*

Adſpice,completur votum,iam natus adęquat
Te meritis, & quod magis eſt optabile, vincit.

CAP. XXXVII. 213. SICVLI.] *De quibus Strabo, Valerius, Solinus, Aelianus. Catanæos fuiſſe conſentiunt, in nominibus variant. Claudiani etiam de iis epigramma eſt:*

Adſpice

Agnam insulæ partem effudisset incendium, vexerunt parentes suos. [214] Dissedisse creditum est ignes, & vtrimque flammâ recedente limitem adapertum, per quem transcurrerent iuuenes dignissimi, qui magna tutò auderent. [215] Vicit Antigonus: qui cùm ingenti prælio superasset hostem, præmium belli ad patrem transtulit, & imperium illi Cypri tradidit. Hoc est regnum, nolle regnare, cùm possis. Vicit patrem, imperiosum quidem, T. [216] Manlius: qui cùm [217] ad tempus relegatus esset à patre, ob adolescentiam brutam ac hebetem, ad tribunum plebis, qui patri suo dixerat diem, venit: petitoque tempore, quod ille dederat, sperans fore proditorem parentis inuisi (& benè meruisse se de iuuene credebat, cuius exsilium pro grauissimo crimine inter alia Manlio obijciebat) nactus adolescens secretum, stringit occultatum sinu ferrum, &, *Nisi iuras*, inquit, *te diem patri remissurum, hoc te gladio transfodiam. In tuâ potestate est*, [218] *vtro modo pater meus accusatorem non habeat.* Iurauit tribunus: nec fefellit, & causam accusationis remissæ concioni reddidit. Nulli alij licuit impunè tribunum in ordinem redigere. Alia ex aliis exem- XXXVIII
B pla subeunt eorum, qui parentes suos periculis eripuerunt, qui ex infimo ad summum protulerunt, & è plebe aceruoque ignobili numquam tacendos sæculis dederunt. Nullâ vi verborum, nullâ ingenij facultate exprimi potest, quantum opus sit, quàm laudabile, quamque numquam à memoriâ hominum exiturum, posse [219] hoc dicere: Parentibus meis parui, cessi: imperio eorum, siue æquum, siue iniquum fuit, obsequentem submissumque me præbui: ad hoc vnum contumax fui, ne beneficiis vincerer. Certate obsecro vos, & fusi quoque restituite aciem. Felices, qui vicerint: felices, qui vincentur. Quid eo adolescente præclarius, qui sibi ipsi dicere potuerit, neque enim fas est alteri dicere: Patrem meum beneficiis vici? Quid eo fortunatius sene, qui omnibus vbique prædicabit, à filio suo se beneficiis victum? Quid autem est felicius, quàm [220] sibi cedere?

Adspice sudantes venerando pondere fratres,
Diuino meritos semper honore coli.
Iusta quibus rapidæ cessit reuerentia flammæ,
C Et mirata vagas reppulit Ætna faces.

Et plura, quæ in statuas illorum æneas scripsit. Vocat ipse, Amphinomum & Anapum.

214. DISSEDISSE. [*Melius veteres,* discessisse: *vel & melius mei libri* decessisse, *quasi, per honorem & reuerentiam, viam dedisse.*

215. VICIT ANTIGONVS.] *Vbi hoc scriptum? aut qui iste Antigonus, quis patri regnum Cypri tradidit? In re & nomine illustri sunt tenebræ: & an Senecæ error est, an ex scriptoris culpâ? Pro re quidem legendum:* Vicit Antigoni F. *id est,* filius. *Ita enim historia. Demetrius Antigoni filius, ingenti prælio Ptolomæum regem vicit: & statim à victoriâ Cyprum inuasit, & occupauit. atque hanc, & naues, & milites, apparatus hostiles patri tradidit: qui tunc denique* Regis *nomen assumpsit, & tenuit. Vide Plutarchum in Demetrio, & Diodorum lib.* XX.

216. MANLIVS.] *Cicero* III. *De Offic. Liuius lib.* VII. *Valerius* V. *cap.* IV.

217. AD TEMPVS.] *Ego atque alij hæsimus. Sed cùm in meo codice nunc reperiam,* cùm antè ad tempus; *nihil ambigo legere,* ante id tempus: *nempe diei dictæ, & rei iam narrandæ.*

218. VTRO MODO.] *Siue iuratus (quod posco) absistas; siue hoc gladio traiectus æternùm sileas.*

CAP. XXXVIII. 219. HOC DICERE.] *Quod Lesbonicus ille, apud Plautum:*

Semper ego, vsque ad hanc ætatem, ab ineunte adolescentiâ,
Tuis seruiui seruitutem imperiis & præceptis, pater.
Pro ingenio, ego me liberum esse ratus sum; pro imperio, tuum.

220. SIBI CEDERE.] *Quasi filius, alter sit ille. Non nolim tamen,* sic cedere. *At meus liber,* ibi occidere. *quasi in pugnâ illâ cadere.*

L. ANNÆI SENECÆ
AD AEBVCIVM LIBERALEM
DE BENEFICIIS
LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B

ARGVTA *ferè tractat, ſed vtilibus (vt ſemper) mixtis. Quærit, an Beneficium & Gratia per ſe expetenda? aſſerit, contra Epicuréos, qui omnia fructu metiebantur. Inter alia hoc argumento, quòd etiam Dij dent Beneficia: quod ipſum contra illos negantes vbertim docet. Obiectiones deinde remouet, quæ vtilitatem verſari in Beneficiis docere videantur. Tum ad Gratiam venit, & oſtendit eam quoque referendam ſolius Honeſti, non Vtilis, adſpectu. Tum quærit, An quem ſcias ingratum futurum, beneficium ſit dandum? diſtinguit, & partim ait, partim negat.*

CAPVT PRIMVM.

C

EX omnibus quæ tractauimus, Æbuci Liberalis, poteſt videri nihil tam neceſſarium, aut magis (vt ait Saluſtius) cum curâ dicendum, quàm quod in manibus eſt: An beneficium dare, & inuicem gratiam referre, per ſe res expetendæ ſint? [1] Inueniuntur qui honeſta in mercedem colant, quibuſque non placeat virtus gratuita: quæ nihil habet in ſe magnificum, ſi quidquam habet vænale. Quid enim eſt turpius, quàm aliquem computare, [2] quanti vir bonus ſit: cùm virtus nec lucro inuitetur, nec abſterreatur damno, adeoque neminem ſpe ac pollicitatione corrumpat, vt contrà in ſe [3] impendere iubeat, ac ſæpiùs in [4] vltrotributis ſit? Calcatis vtilitatibus ad illam eundum eſt, quocunque vocauit, quocunque miſit, ſine reſpectu rei familiaris: interdum etiam, ſine vllâ ſanguinis ſui parſimoniâ vadendum, nec vmquam imperium eius detrectandum. Quid conſequar, inquit, ſi hoc fortiter, ſi hoc gratè fecero? [5] quòd feceris. Nihil tibi extra promittitur: ſi D quid fortè obuenerit commodi, inter acceſſiones numerabis. Rerum honeſtarum pretium, in ipſis eſt. Si honeſtum per ſe expetendum eſt, beneficium autem honeſtum eſt, non poteſt alia eius conditio eſſe, cùm eadem natura ſit. Per ſe autem expetendum eſſe
II. honeſtum, ſæpè & abundè probatum eſt. In hac parte nobis pugna eſt cum Epicureorum delicatâ & vmbraticâ turbâ, in conuiuio ſuo philoſophantium: apud quos virtus voluptatum miniſtra eſt. Illis paret, illis deſeruit, illas ſupra ſe videt. Non eſt, inquit, [6] voluptas ſine virtute. Sed quare ante virtutem eſt? De ordine putas diſputationem eſſe? de re totâ, & de poteſtate eius ambigitur. non eſt virtus, ſi ſequi poteſt. Primæ partes eius ſunt. ducere debet, imperare, ſummo loco ſtare: tu illam iubes [7] ſignum petere. Quid, inquit, tuâ refert? & ego, ſine virtute, nego beatam vitam poſſe conſtare. Ipſam voluptatem, quam ſequor, cui me [8] mancipaui, remotâ illâ, improbo & damno. de hoc vno diſputatur, vtrùm virtus ſummi boni cauſſa ſit, an ipſa ſummum bonum.

[9] Vt hoc

A [46] aliquis probè fecerit, non tamen debebit referre gratiam ſibi, quia non habebit, [47] cui referat. Vt concedam aliquem dare ſibi beneficium: dum dat, & recipit. vt concedam aliquem à ſe accipere beneficium, dum accipit, reddit. Domi (quod aiunt) [48] verſura fit, & velut [49] luſorium nomen ſtatim tranſit. Neque enim alius dat quàm qui accipit, ſed vnus atque idem. Hoc verbum DEBERE, non habet niſi inter duos locum: quomodo ergo in vno conſiſtit, qui ſe obligando liberat? Vt in orbe ac pilâ nihil eſt imum, nihil ſummum, nihil extremum, nihil primum, [50] quia motu ordo mutatur, & quæ ſequebantur prȩcedunt, & quæ occidebant oriuntur, omnia quomodocumque ierint, in idem reuertuntur: ita in homine exiſtima fieri. cùm illum in multa mutaueris, vnus eſt. Cecîdit ſe: iniuriarum cum quo agat, non habet. alligauit & clauſit: de vi non tenetur. beneficium ſibi dedit: protinus danti reddidit. Rerum natura nihil dicitur perdere, quia quidquid illi auellitur, ad illam [51] redit: nec perire quidquam poteſt, quod quò excidat non habet, ſed eódem reuoluitur vnde diſcedit. Quid ſimile, inquit, habet hoc exem-
B plum propoſitæ quæſtioni? dicam. Puta te ingratum eſſe, non peribit beneficium: habet illud, qui dedit. puta te recipere nolle: apud te eſt, antequam redditur. Non potes quidquam amittere: quia quod detrahitur, nihilominus tibi acquiritur. Intra teipſum orbis agitur. accipiendo das, dando accipis. Beneficium, inquit, ſibi dare oportet: ergo & referre gratiam oportet. Primum illud falſum eſt, ex quo pendent ſequentia. IX.
Nemo enim ſibi beneficium dat, ſed naturæ ſuæ paret, à quâ ad caritatem ſui compoſitus eſt: vnde illi ſumma cura eſt nocitura vitandi, profutura appetendi. Itaque nec liberalis eſt, qui ſibi donat: nec clemens, qui ſibi ignoſcit: nec miſericors, qui malis ſuis tangitur. Quod alijs præſtare liberalitas eſt, clementia, miſericordia: ſibi præſtare, natura eſt. Beneficium res voluntaria eſt: at prodeſſe ſibi, [52] neceſſarium eſt. Quò quis plura beneficia dedit, beneficentior eſt. Quis vmquam laudatus eſt, quòd ſibijpſi fuiſſet auxilio? quòd ſe eripuiſſet latronibus? nemo ſibi beneficium dat, non magis quàm hoſpitium: nemo ſibi donat, non magis quàm credit. Si dat ſibi quiſque beneficium,
C ſemper dat, ſine intermiſſione dat: inire beneficiorum ſuorum non poteſt numerum. Quomodo ergo gratiam referet, cùm per hoc ipſum, quo gratiam refert, beneficium det? Quomodo enim diſcernere poterit, vtrùm det ſibi beneficium, an reddat, cùm intra eumdem hominem res geratur? Liberaui me periculo: beneficium mihi dedi. iterum me periculo libero: do beneficium, an reddo? Deinde vt primum illud concedam, dare nos beneficium nobis: quod ſequitur, non concedam. nam etiam ſi damus, non debemus. quare? quia ſtatim recipimus. Accipere beneficium nos oportet, deinde debere, deinde referre. Debendi locus non eſt, quia ſine vllâ morâ recipimus. Dat nemo, niſi alteri: debet nemo, niſi alteri: reddit nemo, niſi alteri. Id intra vnum non poteſt fieri, quod toties duos exigit. Beneficium eſt, præſtitiſſe aliquid vtiliter. verbum au- X.
tem *Præſtitiſſe*, ad alios ſpectat. Numquid non demens videbitur, qui aliquid vendidiſſe ſibi ſe dicet? quia venditio alienatio eſt, & rei ſuæ, iuriſque ſui, in alium [53] tranſlatio. Atqui quemadmodum vendere, ſi dare aliquid, à ſe dimittere eſt, & id quod te-
D nueris,

46. ALIQVIS PROBE.] *Vetus ſcriptio*: aliquid prodeſſe ſibi: *quod ego fecerim*, aliquid probè ſibi fecerit.

47. CVI REFERAT.] *Meus*, quò referat. *quod hominem locumq; diuerſum magis notat.*

48. VERSVRA.] *Verſuram facere, ait Donatus*, eſt creditorem mutare, & fœnus fœnore diſſoluere. *Domi autem ea fit, cùm vt ſuprà dictum, à nobis ipſis mutuamur. Vide epiſt.* XIX.

49. LVSORIVM.] *Inane, nec verum. Ita arma* luſoria, *quæ veris & decretorijs opponuntur. ita* Spectaculum non fidele, & luſorium. *epiſt.* LXXIX.

50. QVIA MOTV.] *Meus negationem inſerit*, quia neque motu. *& res ita habet: dixitq; clarè*, nihil primum eſſe, nihil extremum. *Opinione tamen noſtrâ tale aliquid poteſt: ac vide Ariſtotelem, ſi vis*, II. *de Cælo, cap.* II.

51. REDIT.] *Amiſſâ formâ, in aliam: & æterna materia prima. Vide epiſt.* XXXVI.

CAP. IX. 52. NECESSARIVM.] *Eo modo, quo neceſſaria dicuntur*, οὕτως ἔχοντα καὶ πεφυκότα: ita ſe habentia, & ſic nata. *Ariſtoteles* I. *De part. Animal. cap.* I. *Adde cap.* V. *lib.* V. *Metaph.*

CAP. X. 53. TRANSLATIO.] *Legitima definitio, & Imperatoriæ illi conſonans:* Alienatio eſt omnis actus, per quem dominium tranſfertur.

54. ALI-

nueris, habendum alteri tradere. Quod si est, beneficium nemo sibi dedit: quia nemo A
dat sibi [54] aliquid. Duo contraria in vnum coëunt, vt idem sit dare, & accipere. Sed etiamnum multum interest, inter dare, & accipere. quidni? cùm ex diuerso ista verba posita sint. atqui si quis sibi beneficium dat, nihil interest inter dare & accipere. [55] Paulloantè dicebam, quædam ad alios pertinere, & sic esse formata, vt tota significatio illorum discedat à nobis. Frater sum, sed alterius. nemo est enim suus frater. Par sum, sed alicui. qui est enim par sibi? Quod comparatur, sine altero non intelligitur: quod iungitur, sine altero non est. Si & quod datur, sine altero non est: & beneficium sine altero non est. Id ex ipso vocabulo apparet, in quo hoc continetur, benefeciſſe. Nemo autem sibi benefacit; non magis quàm sibi fauet, quàm suarum partium est. Diutiùs hoc & pluribus exemplis licet prosequi. quidni? cùm inter ea sit habendum beneficium, quæ secundam personam desiderant. Quædam cùm sint honesta, pulcherrima, summæ virtutis, nisi cum altero non habent locum. Laudatur, & inter maxima humani generis

XI. bona, fides [56] colitur. num quis ergo dicitur sibi fidem præstitisse? Venio nunc B
ad [57] vltimam partem. Qui gratiam refert, aliquid debet impendere, sicut qui soluit pecuniam: nihil autem impendit, qui gratiam sibi refert, non magis quàm consequitur, qui beneficium à se accepit. Beneficium & gratiæ relatio, vltrò citroque ire debent: intra vnum hominem non est vicissitudo. Qui ergo gratiam refert, inuicem prodest ei, à quo consecutus est aliquid: qui sibi gratiam refert, cui prodest? sibi. Et quis non alio loco relationem gratiæ, alio beneficium cogitat? Qui gratiam sibi refert, sibi prodest. & quis vmquam ingratus hoc noluit facere? imò quis non ingratus fuit, vt hoc faceret? Si gratias, inquit, nobis agere debemus, & gratiam referre debemus. Dicimus autem, *Ago gratias mihi, quòd illam vxorem nolui ducere, & cum illo non contraxi societatem.* Cùm hoc dicimus, laudamus nos: & vt factum nostrum comprobemus, gratias agentium verbis abutimur. Beneficium est quod potest, & cùm datum est, non reddi: qui sibi beneficium dat, non potest non recipere, quod dedit: ergo non est beneficium. Alio tempore beneficium accipitur, alio redditur. In beneficio hoc est probabile, & suspi- C
ciendum, quòd alteri vt aliquis prodesset, vtilitatis interim suæ oblitus est: quòd alteri dedit, ablaturus sibi. hoc non facit, qui beneficium sibi dat. Beneficium dare, socialis res est, aliquem conciliat, aliquem obligat: sibi dare, non est socialis res, neminem conciliat, neminem obligat, neminem in spem inducit, vt dicat: Hic homo colendus est. illi beneficium dedit: dabit & mihi. Beneficium est, quod quis non suâ caussâ dat, sed eius cui dat: is qui sibi beneficium dat, suâ caussâ dat: non est ergo beneficium.

XII. Videor tibi iam illud, quod in principio dixeram, mentitus? Dicis me abesse ab eo qui [58] operæpretium facit: imò totam operam bonâ fide perdere? Exspecta. etiam hoc veriùs dices, simul ac te ad has latebras perduxero: à quibus cùm euaseris, nihil amplius assecutus eris, quàm vt eas difficultates effugias, in quas licuit non descendere. Quid enim boni est, nodos operosè [59] soluere, quos ipse vt solueres, feceris? Sed quemadmodum quædam in oblectamentum ac iocum sic alligantur, vt eorum solutio imperito difficilis sit: quæ ille qui implicuit, sine vllo negotio separat; quia commissuras eorum D
[60] & moras nouit: & nihilominus illa habent aliquam voluptatem. tentant enim acumen animorum & intentionem excitant: ita hæc quæ videntur callida & insidiosa, securitatem, torporem ac segnitiem ingenijs auferunt, quibus modò campus in quo vagentur,

54. ALIQVID.] *Perplacet Gruteri correctio*: dat sibi. Alioqui duo contraria.

55. PAVLLOANTE.] *Initio Capitis*: Præstitisse, ad alios spectat.

56. COLITVR.] *Liuius libro* IX. *de Romanis*: Apud quos iuxta diuinas religiones Fides colitur. *Et habuit Romæ iam à Numâ sacrariũ, aut templum.*

CAP. XI. 57. VLTIMAM.] *An* alteram? *Intellegit hoc quod obiectum erat (initio cap.* IX.) Beneficium sibi dare potest, ergo & referre gratiam. *Prius membrum de Beneficio, refutauit: nunc hoc alterum, de Gratiâ.*

CAP. XII. 58. OPERÆPRETIVM.] *Alludit ad verba primi Capitis, atque ipsa repetit. vide.*

59. SOLVERE.] *Aristippi in ijs lepidum dictum*: Proponente quodam captiunculam, & vt solueret vrgente: O fatue, inquit, quid opus soluere, quod etiam ligatum exhibet negotium?

60. ET MORAS.] *Vulgò*, mores. *Illud aptius, & tamen aptius vellem. An fuit*, ex more?

61. SCA-

A moles, ſed totas variæ diſtinctæque materiæ, cuius tu paruula fruſta miraris, [35] tectum verò aliter nocte, aliter interdiu fulgens: negas te [36] vllum munus accepiſſe? Et cùm iſta quæ habes magno æſtimes, quod eſt ingrati hominis, nulli debere te iudicas? Vnde tibi iſtum quem trahis ſpiritum? vnde iſtam, per quam actus vitæ tuæ diſponis, atque ordinas, lucem? vnde ſanguinem, cuius curſu vitalis continetur calor? vnde iſta palatum tuum ſaporibus exquiſitis vltra ſatietatem laceſſentia? vnde hæc irritamenta iam laſſæ voluptatis? vnde iſta quies, in quâ putreſcis, ac marces? Nónne ſi gratus es, dices,

—— Deus nobis hæc otia fecit:
Namque erit ille mihi ſemper Deus. illius aram
Sæpè tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boues, vt cernis, & ipſum
Ludere quæ vellem, calamo permiſit agreſti.

Ille Deus eſt, non qui paucas boues, ſed qui per totum orbem armenta dimiſit, qui gre-
B gibus vbique paſſim vagantibus pabulum præſtat, qui paſcua hibernis æſtiua ſubſtituit; qui non calamo tantùm cantare, & agreſte atque inconditum carmen ad [37] aliquam tantùm [38] oblectationem modulari docuit, ſed tot artes, tot vocum varietates, tot ſonos, alios ſpiritu noſtro, alios externo, cantus edituros, commentus eſt. Neque enim noſtra iſta, quæ inuenimus, dixeris: non magis, quàm quòd creſcimus, quàm quòd ad conſtitutum temporum ſua corpori officia reſpondent. Nunc puerilium dentium lapſus, nunc [39] adſurgentem iam ætatem, & in robuſtiorem gradum tranſeuntem pubertas, & vltimus [40] ille dies fugienti vitæ terminum ponens. Inſita ſunt nobis omnium ætatum, omniumque artium ſemina, magiſterque ex occulto Deus [41] producit ingenia. Natu- VII.
ra, inquit, hæc mihi præſtat. Non intelligis te, cùm hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud eſt natura, [42] quàm Deus, & diuina ratio, toti mundo & partibus eius inſerta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum [43] noſtrarum compellare. & Iouem illum optimum ac maximum ritè dices, & [44] tonantem, & ſtatorem: qui non
C (vt hiſtorici tradiderunt) ex eo quòd poſt votum ſuſceptum, acies Romanorum fugientium ſtetit, ſed quòd ſtant beneficio eius omnia, ſtator, [45] ſtabilitorque eſt: hunc eumdem & fatum ſi dixeris, non mentieris. nam cùm fatum nihil aliud ſit, quàm ſeries implexa cauſſarum, ille eſt prima omnium cauſſa, ex quâ ceteræ pendent. Quæcumque voles

35. TECTVM.] *Cælum ipſum.*

36. VLLVM.] *Mei*, nullum: *Græcanico more*.

37. ALIQVAM TANTVM.] *Diu eſt, cùm emendaui*, aliquantam: *& palàm accedit meus liber.*

38. OBLECTATIONEM.] *Mei aliique*, obſeruationem. *cur reijcias? Obſeruatio eſt, & leges in modulando: ſed paucæ & leues in paſtorio calamo inflando.*

D 39. ADSVRGENTEM.] *Concinnius*, adſurgente iam ætate: *& mox*, tranſeunte.

40. ILLE DIES.] *Ferri poſſit, nec ſententia quidquam peccat. At libri aliò ducunt, qui* ille deus ſurgenti iuuentæ: *aut vt meliores, meique*, ille dens. *Dentem, dico, ingerit Seneca (nam certè ita ſcripſit) illum, qui iuuentam finit, & ad viriles ſtatoſq; annos ducit. Ij* Genuini *ſunt duo, Latinis ſic dicti, ſiue* Maxillares: *Græcis* κεραυτῆρες, σοφρονιστῆρες, γόμφιοι. *Plinius de iſtis, lib.* XI. *cap.* XXXVII. Homini nouiſſimi, qui Genuini vocantur, circiter vigeſimum annum gignuntur. *Quod ille ex Ariſtot.* II. *De Hiſt. anim. cap.* IV. *ſumpſit. At Hippocrates producit paullò magis terminum, & naſci ait* ἐν τῇ τετάρτῃ ἑβδομάδι: in quartâ hebdomade annorũ. *Ad mentẽ igitur Senecæ hæc obſeruatio, & ipſa Græca verba. quia* κεραυτῆρας *dicunt,* ἀπὸ τὸ κεράννυν τὴν ἡλικίαν: ab eo quòd perficiant iuuentam; *ſiue* σωφρονιστῆρας, *quaſi* prudentes, *quòd adoleſcentiari tunc deſinant, & in virilem maturitatem tranſire.*

41. PRODVCIT INGENIA.] *Videbatur legendum*, ingenita. *Sed cùm Tertullianus quoque hunc locum ita laudet, De Animâ, cap.* XX. *nil mutemus. Producit igitur ingenia*, ex ſeminibus ſcilicet inſitis, & occultis per infantiam, quæ ſunt & intellectus. *Ita enim ibi ille doctor: & me, ſodes, vide* III. *Phyſiol. Diſſert.* VII.

CAP. VII. 42. QVAM DEVS.] *Idem lib.* II. *Quæſt. Nat. cap.* XLV. Vis illum Naturam vocare? non peccabis. *Adde huic rei cetera. Plinius fine cap.* VII. *lib.* I. Per quæ declaratur Naturæ potentia, idque eſſe, quod Deum vocamus. *Nos in Phyſiol.* I. *Diſſertat.* V.

43. NOSTRARVM.] *Falsò. an tantùm rerum noſtrarum auctor? omnium. Libri vett.* naturarum: *rectum erit, mutato numero*, naturæ. *Natura rerum, in communi ſermone, hoc totum.*

44. TONANTEM.] *Quod Græcâ etiam voce receptum efferri, docent lapides, in quibus legi* IOVI BRONTONTI.

45. STABILITORQVE.] *Sic libri fidi. & eſt dumtaxat explicatio prioris cognominis, non ipſum.*

CAP.

voles illi nomina propriè aptabis, vim aliquam effectumq; cæleſtium rerum continen- A
VIII. tia. Tot appellationes eius poſſunt eſſe, quot munera. Hunc & Liberum patrẽ, & Herculem, ac Mercurium [46] noſtri putant. Liberum patrem: quia omnium parens ſit, quòd [47] ab eo primùm inuenta [48] ſeminum vis eſt, [49] conſultura per voluptatem. Herculem: quia vis eius inuicta ſit, quandoque laſſata fuerit operibus editis, [50] in ignem receſſura. Mercurium: quia [51] ratio penes illum eſt, [52] numeruſque, & ordo, & ſcientia. Quocumque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. nihil ab illo vacat: opus ſuum ipſe implet. Ergo nihil agis ingratiſſime mortalium, qui tè negas Deo debere, ſed naturæ. quia nec natura ſine Deo eſt, nec Deus ſine naturâ: ſed idem eſt vtrumque, [53] nec diſtat. Officium ſi quod à Senecâ accepiſſes, Annæo te diceres debere, vel Lucio: non creditorem mutares, ſed nomen. quoniam ſiue prænomen eius, ſiue nomen dixiſſes, ſiue cognomen, idem tamen ille eſſet. Sic hunc naturam voca, fatum, fortunam: omnia eiuſdem Dei nomina ſunt, variè vtentis ſuâ poteſtate. Et iuſtitia, probitas, prudentia, fortitudo, frugalitas, vnius animi bona ſunt: quidquid horum tibi placuit, animus placet. B

IX. Sed ne in aliam diſputationem ex obliquo abeam, plurima beneficia ac maxima in nos Deus confert, ſine ſpe recipiendi: quoniam nec ille collato eget, nec nos ei quidquam conferre poſſumus. Ergo beneficium per ſe expetenda res eſt. vna ſpectatur in eo accipientis vtilitas: ad hanc accedamus, ſepoſitis commodis noſtris. Dicitis, inquit, diligenter eligendos quibus beneficia demus: quia nec agricolæ quidem ſemina arenis committunt. [54] Quod ſi verum eſt, noſtram vtilitatem in beneficiis dandis ſequimur, quemadmodum in arando ſerendoque. neque enim ſerere, per ſe res expetenda eſt. Præterea, quæritis cui dandum ſit beneficium: quod non eſſet faciendum, ſi per ſe beneficium dare, expetenda res eſſet. quocumque loco, & quocumque modo daretur, beneficium erat. [55] * Honeſtum propter nullam aliam cauſſam, quàm propter ipſum, ſequimur. Tamen etſi nihil aliud ſequendum eſt, quærimus quid faciamus, & quando, & quemadmodum: per hæc enim conſtat. Itaque cùm eligo cui dem beneficium, id ago, vt beneficium ſit: quia ſi turpi datur, nec honeſtum eſſe poteſt, nec beneficium. C

X. Depoſitum reddere, per ſe res expetenda eſt: non tamen ſemper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore. aliquando nihil intereſt, vtrùm infitier, [56] an palàm reddam. Intuebor vtilitatem eius, cui redditurus ſum, & nociturum illi depoſitum negabo. Idem in beneficio faciam. videbo quando dem, cui dem, quemadmodum, quare.

Nihil

CAP. VIII. 46. NOSTRI.] *Stoici. qui placebant ſibi in his talibus, & mythica illa ſiue fabuloſa, ad myſtica & arcana ſubtiliter aptabant. Damnem? haud prorſus: imò Homero auſim dicere mentem hanc fuiſſe. At de re, ipſa hæc aut ſimilia vnius Dei nomina, interpretata reperies in Zenone Diogenis Laërtij: qui hoc recenſet, vt dogma ſectæ & ſcitum. Vide me Phyſiol.* I. *Diſſertat.* IX. *Eſt & Orphæi verſus:*

Εἷς Ζεῦς, εἷς Ἅιδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος:

Iupiter eſt idem Pluto, Sol, & Dionyſus.

47. AB EO.] *Nuſquam hæc verba in membranis. Ablegari poſſunt; ac ſequens* primùm, *non infeliciter reformari,* per eum.

48. SEMINVM.] *Nulla ea vox in meis. & an non ita ſcripſerit?* quod per eum inuenta vis. *Quæ vis? quam Arnobius explicat:* feruentia numina vim vomuêre Lucilij: *ipſum dico hoc humanum ſemen, & vim genitalem. Si remotius videtur, maneat: etſi tentaui etiam legere:* quod per eum iuuentæ vis. *Alludat ad Liberum, qui ipſe iuuenis ſemper. Ceterùm de hac interpretatione Auguſtinus,* VI. *de Ciuit.* Liberum à liberamento appellatum volunt, quòd mares in coëundo, per eius beneficium emiſſis ſeminibus, liberentur. & ob hoc virilem eam partem in eius templo poni. *Imò illinc & Thyrſi, & plura quæ volens omitto.*

49. CONSVLTVRA.] *Vſui futura. etſi plenius eſſet,* poſteritati, propagationi, *aut tale. Nam cui alioqui conſulet?*

50. IN IGNEM.] *Stoica mundi conflagratio, & illa decantata ἐκπύρωσις. Comparat cum Hercule, quia & is, monte Oetâ ſolutus in ignem.*

51. RATIO.] *Itemq; Oratio: ſed non hæc ſine illâ,* D *id eſt Mente.*

52. NVMERVSQVE.] *Placet. & auctores habeo, qui menſuras, pondera, numeros huic inuentori tribuant. Meus tamen liber,* noſtriſque, *hîc præfert.*

53. NEC DISTAT.] *Legunt iunctim alij,* nec diſtat officio.

CAP. IX. 54. QVOD SI VERVM EST.] *Hæc verba miror eiecta, cùm & libri optimi ſuggerant, & ſententia clamosè poſcat.*

55. * HONESTVM.] *Notam appoſui, & mihi hæc deſecta. Hactenus enim obiectio: nunc reſponſio, ſed ad ſecundam, non primam iniectionem. Conſidera.*

CAP. X. 56. AN PALAM.] *Malim tranſponi,* palàm, an.

57. QVAM

A Nihil enim ſine ratione faciendum eſt. non eſt autem beneficium, niſi quod ratione datur: quoniam ratio, omnis honeſti comes eſt. Quàm ſæpè hominum, donationem ſuam inconſultam obiurgantium, hanc audimus vocem, *Mallem perdidiſſe*, [57] *quàm illi dediſſe*? Turpiſſimum genus damni eſt, inconſulta donatio: multoque grauius malè dediſſe beneficium, quàm non recepiſſe. Aliena enim culpa eſt, quòd non recepimus: quòd cui daremus non eligimus, noſtra. In electione nihil minùs, quàm hoc quod tu exiſtimas, ſpectabo, à quo recepturus ſim. eligo enim eum qui gratus, non qui redditurus ſit. Sæpè autem & non redditurus, gratus eſt; & ingratus, qui reddidit. Ad animum tendit æſtimatio mea. Ideò locupletem, ſed indignum præteribo: pauperi viro bono dabo. Erit enim in ſummâ inopiâ gratus: & cùm omnia illi deerunt, ſupererit animus. Non lucrum ex beneficio capto, non voluptatem, non gloriam. vni placere contentus, in hoc dabo, vt quod oportet faciam: quod oportet autem, non eſt ſine electione: quæ qualis futura ſit, interrogas? Eligam virum integrum, ſimplicem, memorem, XI.
B gratum, alieni abſtinentem, ſui non auarè tenacem, beneuolum. Hunc verò cùm elegero, licet nihil illi fortuna tribuat, quo referre gratiam poſſit, ex ſententiâ res geſta erit. Si vtilitas me & ſordida computatio liberalem facit, ſi nulli proſum, niſi vt inuicem ille mihi proſit: non dabo beneficium proficiſcenti in diuerſas longinquaſque regiones, non dabo abfuturo ſemper, non dabo ſic affecto, vt ſpes ei nulla ſit conualeſcendi, non dabo ipſe deficiens. non enim habeo tempus recipiendi. Atqui vt ſcias, rem per ſe expetendam eſſe, benefacere; aduenis modò in noſtrum delatis portum, & ſtatim abituris, ſuccurrimus. Ignoto naufrago nauem, quâ reuehatur, & damus & [58] inſtruimus. Diſcedit ille, vix ſatis noto ſalutis auctore, & numquam ampliùs in conſpectũ noſtrum reuerſurus, debitores nobis deos [59] delegat, precaturque vt illi pro ſe gratiam referant: interim nos iuuat ſterilis beneficij conſcientia. Quid cùm ipſo vitæ in fine conſtitimus, cùm teſtamentum ordinamus, non beneficia nobis nihil profutura diuidimus? quantum temporis conſumitur, quamdiu ſecretò agitur, quantum & quibus demus? Quid
C enim intereſt, quibus demus, à nullo recepturi? Atqui numquam diligentiùs damus, numquam magis iudicia noſtra torquemus, quàm vbi remotis vtilitatibus, ſolum ante oculos honeſtum ſtetit: tamdiu officiorum mali iudices, quamdiu illa deprauat ſpes ac metus, ac inertiſſimum vitium, voluptas. Vbi mors intercluſit omnia, & ad ferendam ſententiam incorruptum [60] iudicem miſit, quærimus digniſſimos, quibus noſtra tradamus: nec quidquam curâ ſanctiore componimus, quàm quod ad nos non pertinet.

Et meherculè tunc magna voluptas ſubit cogitantem, *Hunc ego locupletiorem fa-* XII.
ciam: huius dignitati adiectis opibus, aliquid ſplendoris affundam. Si non damus beneficia, niſi recepturi, inteſtatis moriendum ſit. Dicitis, inquit, beneficium [61] creditum inſolubile eſſe: creditum autem non eſt res per ſe expetenda. Cùm creditum dicimus, imagine & tranſlatione vtimur. Sic & legem, iuſti iniuſtique regulam eſſe: & regula non eſt res per ſe expetenda. Ad hæc verba demonſtrandæ rei cauſſâ deſcendimus. Cùm dico creditum, intelligitur tamquam creditum. Vis ſcire? adiicio inſolubile, cùm
D creditum nullũ non ſolui aut poſſit, aut debeat. Adeò beneficium vtilitatis cauſſâ dandum non eſt, vt ſæpè, quemadmodum dixi, cum damno ac periculo dandum ſit. Sic latronibus circumuentum defendo, vt tutò tranſire permittatur: reum gratiâ laborantem tutor, & hominum potentium factionem in me conuerto, quas illi [62] detraxero ſordes,

57. QVAM ILLI DEDISSE.] *Gloſſema ſapiunt.*

CAP. XI. 58. INSTRVIMVS.] *Armamentis, & viatico.*

59. DELEGAT.] *Frequens Iuris verbum. & ſignificat pro ſe vicarium dare qui ſoluat. Vide infrà* VII. *De benef. cap.* XIX. *Epiſt.* XVIII. XXVII. *& pluries. Hoc iſtud, Symmachus imitatur lib.* VI. Ago gratias, & meam vicem, quia ſoluendo par non ſum, cæleſtibus delego virtutibus.

60. IVDICEM.] *Noſipſos, ſed ab affectibus iam purgatos.* Miſit *autem, iudiciale & comitiale verbum. Mittere in conſilium, in ſuffragium. quis mittit? quæſitor.*

CAP. XII. 61. CREDITVM INSOL.] *Quia ſemper obligamur, & cùm ſoluimus, debemus.*

62. DETRAXERO SORD.] *Eadem ſuprà phraſis, lib.* II. *cap. vlt. Dixi.*

des, ſub accuſatoribus iiſdem fortaſſe [63] ſumpturus, cùm abire in partem alteram poſ- A
ſim, & ſecurus ſpectare aliena certamina: ſpondeo pro iudicato, & [64] ſuſpenſum amici
bonis libellum [65] deiicio, creditoribus eius me obligaturus: vt poſſim ſeruare proſcri-
ptum, ipſe proſcriptionis periculum adeo. Nemo Tuſculanum aut Tiburtinum emere
paratus, ſalubritatis cauſsâ, & æſtiui ſeceſſus [66] quoto anno empturus ſit diſputat: cùm
emerit, [67] tuendum eſt. Eadem in beneficiis ratio eſt. nam cùm interrogaueris, quid
reddat, reſpondebo, bonam conſcientiam. Quid reddit beneficium? dic tu mihi, quid
reddat iuſtitia, quid innocentia, quid magnitudo animi, quid pudicitia, quid temperan-
XIII. tia, ſi quidquam præter ipſas [68] petis. Mundus in quid [69] inceſſum abſoluit? in
quid [70] ſol diem extendit & contrahit? omnia iſta beneficia ſunt: fiunt enim nobis pro-
futura. Quomodo mundi officium eſt, circumagere [71] rerum ordinem, quomodo ſolis
loca mutare, ex quibus oriatur, in quæ cedat, & hæc ſalutaria nobis facere ſine præ-
mio: ita viri officium eſt inter alia, & beneficium dare. Quare ergo dat? ne non det, ne
occaſionem benefaciendi perdat. Vobis voluptas eſt, [72] inerti otio aſſuefacere corpuſcu- B
lum, & ſecuritatem ſoporis ſimillimam appetere, & ſub denſâ [73] vmbrâ latitare, tener-
rimiſque cogitationibus, quas tranquillitatem vocatis, animi marcentis oblectare torpo-
rem, & cibis potionibuſque intra hortorum latebram corpora ignauiâ pallentia ſaginare: nobis voluptas eſt, dare beneficia vel laborioſa, dum aliorum labores leuent: vel pe-
riculoſa, dum alios à periculis extrahant: vel rationes noſtras aggrauatura, dum aliorum
neceſſitates & anguſtias laxent. Quid meâ intereſt, an recipiam beneficia? etiam cùm
recepero, danda ſunt. Beneficium, eius commodum ſpectat cui præſtatur, non noſtrum:
alioquin nobis, non illi, damus. Itaque multa, quæ ſummam vtilitatem aliis afferunt,
pretio gratiam perdunt. Mercator vrbibus prodeſt, medicus ægris, [74] mango vænalibus:
ſed omnes iſti, [75] quia ad alienum commodum pro ſuo veniunt, non obligant eos qui-
bus

63. SVMPTVRVS.] *In me tranſlaturus. quia ỹ qui illum, me vindicem, vt ſolet, incurrent. Igitur ego accuſabor, ego in ſordibus & ſqualore ero.*

64. SVSPENSVM.] *Solet tabella ſiue, vt hîc, libellus ſuſpendi rebus vænalibus: etiamnunc vſitatum. Siqui ergo latitabat, fruſtrabatur, aut fraudabat; omiſſo homine, rem perſequebantur, & domos, fundos, vænalia ſic proponebant. Ait* ſuſpenſum: *in alto & conſpicuo. atque ita Suetonius, de Claudio, cap.* IX. Lege prædiatoriâ vænalem pependiſſe. *Quid? ipſum? non: ſed metonymiâ decorâ, res eius. Talem libellum* Titulum *Tibullus dixit:*

—— ſedes iubeat ſi vendere auitas,
Ite ſub imperium ſub titulumq; lares.

65. DEIICIO.] *A Cicerone lux, & ipſi à Senecâ, in eâ pro Quinctio:* Libellos Sex. Alfenus procurator P. Quinctij deiicit. *Solet, vbi quis defenſorem ſe profitebatur, imò ſi opus, ſponſorem ſolutorémque.*

66. QVOTO ANNO.] *Si vera; ſententia. qui emere Tuſculanum ſalubritatis cauſsâ vult, non prorogat nec diſputat, quando? ſtatim emit, & vbi emit, tuetur atque inſtaurat: ita in beneficiis, da, & dando iterùm iterumq;, tuere. Sed non nego, ſuſpecta mihi dicta verba. cur de anno? cur non de fructu potiùs, quod illatio huius ſimilitudinis poſcit? Nam negat rogandum, Quid reddat? An fuit,* quotâ empturus: *nempe vſurâ. aut,* quoto nummo. *An etiam,* quoto anno diſputat? *vt reliqua ſint è gloſſematio. Certè comparatio (alius cogitet) tale vellet.*

67. TVENDVM.] *Nec id ſuperuacuè additur. nam vt emiſſe ſatis non eſt, impendia facienda in tuitionem & ſarta tecta: ſic in beneficiis ſine ſpe fructus danda; & data, aliis etiam impendiis tuenda. Hoc poſterius exſequitur, cap.* XV. *vbi concludit ipſo iſto verbo, etiam* inutilia beneficia tuenda ac fouenda eſſe. C

68. PETIS.] *Meus liber & alij quidam,* non petis: *ex quo acutè Modius,* quid temperantia? ſi quidquam præter ipſas petis, non petis.

CAP. XIII. 69. INCESSVM.] *Noſter codex,* inceſſu, *aut,* viceſſu. *Omnino cum eodem Modio ſcribendum,* vices ſuas. *Mundum vocat cælum, vt ſæpè. quod vicibus volui & reuolui, nemo neſcit.*

70. SOL DIEM.] *Eadem aut ſimilia iſtis Epictetus:* Sicut ſol preces aut blandimenta non exſpectat, vt exoriatur: ſed ſtatim fulget, & ab omnibus ſalutatur: ſic tu nec plauſus exſpecta, nec ſtrepitus vel laudes, vt benè facias, ſed ſponte benefacias. & pariter ac Sol carus erit. *Hæc in Stobæo, de Magiſtratu.* D

71. RERVM ORDINEM.] *Aſtra illa, & ortum atque interitum variare, quæ ab iis pendent.*

72. INERTI OTIO.] *Hæc ita in meo:* voluptates eſt inertis otij facere corpuſculum: *& quibuſdam Gruteri libris. Faciam,* voluptas eſt, inertis otij iacêre corpuſc. *Alij,* inerti otio farcire.

73. VMBRA.] *Hortorum, vel arborum.* Propter aquæ riuos, ſub ramis arboris altæ.

74. MANGO VÆN.] *Quos comit, ornat, format. Mango autem propriè,* κυνοτρόφος, canum educator & altor, *vt in eruditis Gloſſis: ſed longiùs tractum, &* puerorum altores & negotiatores, *ſic dicti.*

75. QVIA AD.] *Potiùs,* qui ad.

CAP.

A bus prosunt. Non est beneficium quod in quæstum mittitur. Hoc dabo, hoc re- XIV.
cipiam: auctio est. Non dicam pudicam, quæ amatorem vt incenderet repulit: quæ
aut [76] legem, aut virum timuit. vt ait Ouidius,

Quæ quia non licuit, non dedit, illa dedit.

Non immeritò in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timori præstitit, &
[77] non sibi. eodem modo qui beneficium vt reciperet dedit, non dedit. Ergo & nos be-
neficium damus animalibus, quæ aut vsui, aut alimento futura nutrimus? beneficium
damus arbustis quæ colimus, ne siccitate, aut immoti & neglecti soli duritiâ, laborent?
Nemo ad agrum colendum ex [78] æquo & bono venit, nec ad vllam rem, [79] cuius extra
ipsam fructus est. Ad beneficium dandum non adducit cogitatio auara, nec sordida,
sed humana, liberalis, cupiens dare etiam cùm dederit, & augere nouis ac recentibus ve-
tera: & non habens propositum, quanto ei qui præstat bono futura sit: alioquin humi-
le est, sine laude, sine gloriâ, prodesse, quia expedit. Quid magnifici est, se amare, sibi par-
B cere, sibi acquirere? Ab omnibus istis vera beneficij dandi cupido auocat: ad detrimen-
tum, [80] iniectâ manu, trahit, & vtilitates relinquit, ipso benefaciendi opere lætissima.

Numquid dubiũ est, quin contraria sit beneficio iniuria? Quomodo iniuriam face- XV.
re, per se vitanda ac fugienda res est: sic beneficium dare, per se expetenda. illîc turpitu-
do, contra omnia præmia in scelus hortantia, valet: ad hoc inuitat honesti per se efficax
species. Non mentiar, si dixero, neminem non [81] amare beneficia sua, neminem non ita
compositum animo, vt libentiùs eum videat, in quem multa congessit: cui non causa sit
iterùm dandi beneficij, semel dedisse. quod non accideret, nisi nos ipsa delectarent be-
neficia. Quàm sæpè dicentem audias? *Non sustineo illum deserere, cui dedi vitam, quem è
periculo eripui. Rogat me vt caussam suam contra homines gratiosos agam. Nolo: sed quid fa-
ciam? iam illi semel, iterumque affui.* Non vides inesse isti rei propriam quamdam vim, quæ
nos beneficia dare cogit? primùm quia oportet, deinde quia dedimus. Cui initio ratio
non fuisset præstandi, aliquid ei præstamus ob hoc, quia præstitimus. Adeoque nos ad
C beneficia non impellit vtilitas, vt & inutilia tueri ac fouere perseueremus, solâ beneficij
caritate: cui etiam infeliciter dato, indulgere, tam naturale, quàm [82] liberis prauis.

Iidem isti gratiam referre ipsos fatentur, non quia honestum est, sed quia vtile. quod XVI.
non esse ita, minore operâ probandum est. Quia quibus argumentis collegimus bene-
ficium dare, per se rem expetendam esse, iisdem etiam hoc colligemus. [83] Fixum est il-
lud, à quo in cetera probationes nostræ exeunt, honestum ob nullam aliam caussam,
quàm quia honestum sit, coli. Quis ergo controuersiam facere audebit, an gratum esse,
honestum sit? Quis non ingratum detestetur hominem, sibi ipsi inutilem? Quid autem
cùm tibi narratur de eo, qui aduersus summa beneficia amici sui ingratus est, quomo-
do id fers? vtrùm tamquam rem turpem fecerit, an tamquam vtilem rem sibi & pro-
futuram omiserit? Puto, nequam hominem existimas: cui pœnâ, [84] non cui curatore
opus sit. quod non accideret, nisi gratum esse, per se expetendum, honestumque esset.
Alia fortasse minùs dignitatem suam præferunt, & an sint honesta, interprete egent: hoc
D expo-

CAP. XIV. 76. LEGEM.] *Iuliam.*

77. NON SIBI.] *Id est, quæ non suâ caussâ nec conscientiæ pudica fuit, sed legi aut famæ.*

78. ÆQVO ET.] *Significat, non amore æqui honestique agrum & armenta coli: nec aliam rem, vt addit.*

79. CVIVS EXTRA.] *Quæ nempe fructum aliquem, præter se, habet ac donat. Vt, agrum, bouem colo, pasco: quare? ob ipsum? neutrum: sed illum, ob segetem; hunc ob operas. Ergo extra ipsos, fructus eorum est.*

80. INIECTA.] *Ritu iuris veteris, in vindicando vel asserendo, manus iniectio erat. Tibullus:*

Et dicam meus est, iniiciamque manus.

Cicero alibi: Veritas ad se, iniectâ manu, vocat.

CAP. XV. 81. AMARE BENEF.] *Aristoteles de hoc affectu, toto cap.* VII. *libri* IX. *Ethic. ad Nicom. & caussas inquirit. Vide pulchra. Tetigit & Claudianus argutè:*

—— meritisque suis obnoxia virtus,
Quos seruauit, amat.

82. LIBERIS.] *Aristoteles loco dicto, vult nos* affici erga beneficia, vt artifices erga opus; poëtas erga versus.

CAP. XVI. 83. FIXVM EST.] *Siue magis,* esto. *Mox etiam,* sibi ipsi vtilem: *non* inutilem.

84. NON CVRATORE.] *Homines nequam sua disperdunt, ideóque bonis interdicti curatorem accipiunt. At hîc de aliâ nequitiâ, & quæ pœnam magis, quàm curam requirat.*

expoſitum eſt, pulchriuſque, quàm vt ſplendor eius dubiè ac parùm luceat. Quid tam A
laudabile, quid tam æqualiter in omnium [85] animos receptum, quàm referre benè me-
XVII. ritis gratiam? Ad hoc, dic mihi, quæ cauſſa nos perducit? Lucrum? quod qui non
contemnit, ingratus eſt. Ambitio? & quæ iactatio eſt ſoluiſſe, quod debebas? Metus?
nullus ingrato. huic enim vni rei non poſuimus legem, tamquam ſatis natura cauiſſet.
Quomodo nulla lex amare parentes, indulgere liberis iubet: ſuperuacuum eſt enim, in
quod imus, impelli. quemadmodum nemo in amorem ſui cohortandus eſt, quem cùm
naſcitur trahit: ita ne ad hoc quidem, vt honeſta per ſe petat. Placet ſuapte naturâ: adeo-
que gratioſa virtus eſt, vt inſitum ſit etiam malis, probare meliora. Quis eſt, qui non be-
neficus videri velit? qui non inter ſcelera & iniurias opinionem bonitatis affectet? qui
non ipſis quæ impotentiſſimè fecit, ſpeciem aliquam induat recti? velit quoque & iis vi-
deri beneficium dediſſe, quos leſit? [86] Gratias itaque agi ſibi ab his, quos afflixere, patiun-
tur: bonosque ſe ac liberales fingunt, quia præſtare non poſſunt. Quod non facerent,
niſi illos honeſti & per ſe expetendi amor cogeret moribus ſuis opinionem contrariam B
quærere, & nequitiam abdere; cuius fructus concupiſcitur, ipſa verò odio pudoriq; eſt:
nec quiſquam tantum à naturali lege deſciuit, & hominem exuit, vt [87] animi cauſsâ ma-
lus ſit. Dic enim cuilibet ex iſtis, qui rapto viuunt, an ad illa quæ latrociniis & furtis con-
ſequuntur, malint ratione bonâ peruenire? Optabit ille, cui graſſari & [88] tranſeuntes
percutere quæſtus eſt, potiùs illa inuenire, quàm eripere. Neminem reperies, qui non
nequitiæ præmiis, ſine nequitiâ, frui malit. Maximum hoc habemus naturæ meritum,
quod virtus in omnium animos lumen ſuum [89] præmittit: etiam qui non ſequuntur il-
XVIII. lam, vident. Vt ſcias, per ſe expetendam eſſe grati animi affectionem, per ſe fu-
gienda res eſt ingratum eſſe: quoniam nihil æquè concordiam humani generis diſſociat
ac diſtrahit, quàm hoc vitium. Nam quo alio tuti ſumus, quàm quòd mutuis iuuamur
officiis? hoc vno inſtructior vita, contraque incurſiones ſubitas munitior eſt, beneficio-
rum commercio. Fac nos ſingulos: quid ſumus? præda animalium & victimæ, ac viliſ-
ſimus & facillimus ſanguis. Quoniam ceteris animalibus in tutelam ſui ſatis virium C
eſt. Quæcumque vaga naſcuntur, & actura vitam ſegregem, armata ſunt: hominem im-
becillitas cingit: non vnguium vis, non dentium, terribilem ceteris fecit: nudum & in-
firmum, ſocietas munit. Duas res dedit, quæ illum [90] obnoxium ceteris, validiſſimum
facerent, rationem & ſocietatem. Itaque qui par eſſe nulli poſſet, ſi diduceretur, rerum
potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit: ſocietas terris genitum, in
alienæ naturæ tranſmiſit imperium, & dominari etiam in mari iuſſit. Hæc morborum
impetus arcuit, ſenectuti adminicula proſpexit, ſolatia contra dolores dedit: hæc fortes
nos facit, quòd licet contra fortunam [91] aduocare. Hanc tolle: & vnitatem generis hu-
mani, quâ vita ſuſtinetur, ſcindes. tolletur autem, ſi efficies, vt ingratus animus non per
ſe vitandus ſit, ſed quia aliud illi timendum eſt. Quàm multi ſunt enim, quibus ingratis
eſſe

85. ANIMOS.] *Meus hæc ſcribit*, in omnium ad omnes receptos. *Puto fuiſſe*, tam æqualiter ad omnes receptum. *Reliqua verba, ab hæſitantiâ, recepta & geminata ſunt.*

CAP. XVII. 86. GRATIAS.] *Exemplum in Taciti Agricolâ, quem cùm Domitianus proconſulatu priuaſſet:* agi ſibi gratias paſſus eſt, nec erubuit beneficij inuidiâ.

87. ANIMI CAVSSA.] *Non audiendus Pincianus, qui* inani cauſsâ, *diuinat. Animi cauſsâ, Latinis valet, per iocum, per voluptatem, animi recreandi cauſsâ. Plautus:* Præterea aliquantum, animi cauſsâ, in deliciis diſperdidit. *Cæſar* VII. *Gallic.* Quid Romanos in illis munitionibus, animine cauſsâ cottidie exerceri putatis?

88. TRANSEVNTES.] *Pro hac voce, mei libri* peruenire *habent. nihil eruo.*

89. PRÆMITTIT.] *Aliàs*, permittit: *nec malè.* D

CAP. XVIII. 90 OBNOXIVM.] *Ab Eraſmi coniecturâ eſt, nam libris abeſt ferè illud*, ceteris. *Meus habet:* obnoxio validiſſimum, *& aliquot Gruteri. Facio*, ex obnoxio validiſſimum: *neque aliter fuit. Obnoxius, qui alteri quaſi ſubiectus, eius verens, & ab eo pendens. Talis per ſe homo: ſed duo illa, ex metuente fecerunt metuendum.*

91. ADVOCARE.] *Aduocare alios in auxilium, & ſolatium? an* Aduocare *metaphoricôs dictum, ſtare & cauſſam agere? Ita de Clem.* I. *cap.* IX. Adeò nihil facilius potes, quàm contra Cæſarem aduocare? *Sed quid, inquies, ſocietas contra fortunam? vel quia rationibus & exemplis mutuò docemur; vel quia, vt dixi, auxilia ſiue ſolatia inuicem poſcimus, & impetramus.*

CAP.

A esse tutò licet? denique ingratum voco, quisquis metu gratus est. Deos nemo sa- XIX.
nus [92] timet. Furor est enim metuere salutaria: nec quisquam amat, quos timet. Tu denique Epicure Deum inermem facis. omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam, & ne cuiquam metuendus esset, proiecisti ipsum extra [93] metum. Hunc igitur septum ingenti quodam & inexplicabili [94] muro, diuisumque à contactu & à conspectu mortalium, non habes quare verearis: nulla illi nec tribuendi, nec nocendi materia est. In medio [95] interuallo [96] huius & alterius cæli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum supra se circaque se cadentium euitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus. Atqui hunc vis videri colere, non aliter quàm parentem: grato, vt opinor, animo: aut si non vis videri gratus, quia nullum habes illius beneficium, sed te atomi & istæ [97] micæ tuæ fortè ac temerè conglobauerunt, cur colis? Propter maiestatem, inquis, eius eximiam, singularemque naturam. Vt concedam tibi: nempe hoc facis nullâ spe, nullo pretio inductus. Est ergo aliquid per se expetendum, cuius te ipsa dignitas ducit: id est
B honestum. Quid est autem honestius, quàm gratum esse? huius virtutis materia tam latè patet, quàm vita. Sed inest, inquit, huic bono etiam vtilitas aliqua. cui enim XX.
virtuti non inest? sed id propter se expeti dicitur, quod quamuis habeat aliqua extra se commoda, sepositis quoque illis ac remotis, placet. Prodest gratum esse: ero tamen gratus, etiam si noceat. Qui gratus est, quid sequitur? vt hæc res illi alios amicos, alia beneficia conciliet? Quid ergo si quis sibi offensas concitaturus est? si quis intelligit, adeò per hoc se nihil consecuturum, vt multa etiam ex reposito acquisitoque perdenda sint: num libens in detrimenta descendet? Ingratus est, qui in referendâ gratiâ [98] secundùm datum videt, qui sperat cùm reddit. Ingratum voco, qui ægro assidet, quia testamentum facturus est, cui de hereditate, aut de legato vacat cogitare. Faciat licet omnia, quæ facere bonus amicus & memor officij debet, si animo eius obuersatur spes, [99] si captator est, & [100] hamum iacit: [101] vt aues, quæ laceratione corporum aluntur, lassa morbo pecora, & casura è proximo speculantur; ita hic imminet morti, & circa cadauer volat.

C Gratus animus ipsâ virtute propositi sui capitur. Vis scire hoc ita esse, nec illum vtili- XXI.
tate corrumpi? Duo sunt genera grati hominis. dicitur gratus, qui aliquid pro eo quod acceperat, reddit. hic fortasse ostentare se potest: habet quod iactet, quod proferat. dicitur gratus, qui bono animo accepit beneficium, bono debet. Hic intra conscientiam clusus est. quæ illi contingere potest vtilitas ex affectu latenti? Atqui hic, etiam si vltrà facere nihil potest, gratus est: amat, debet, referre gratiam cupit. Quidquid vltrà desideras, non ipsi deest. Artifex est etiam, cui ad exercendam artem instrumenta non suppetunt: nec minùs canendi peritus, cuius vocem exaudiri fremitus obstrepentium non finit. Volo referre gratiam. post hoc aliquid supereſt mihi, non vt gratus, sed vt [102] solutus sim. Sæpè enim & qui gratiam retulit, ingratus est: & qui non retulit, gratus. Nam

vt

CAP. XIX. 92. TIMET.] *Epist.* CXXIII. Superstitio error insanus est. amandos timet; quos colit, violat.

D 93. METVM.] *Ita omnis scripta lectio. ex quo faciebam*, metam. *Extra limitem eum abiecisti, inquit, & extra mundi hoc spatium, vt nihil ei cum mundo esset. Lib.* VII. *infrà:* Alius diis obijcit neglegentiam nostri, alius illos extra mundum suum proiicit. *Iterùm epist.* XC. Non de eâ philosophiâ loquor, quæ ciuem extra patriam posuit, extra mundum deos. *Itaque benè pro sententiâ hîc legit & edidit Muretus*, extra mundum: *sed nos religiosè scripturam sectati sumus.*

94. MVRO.] *Vallo totius mundi.*

95. INTERVALLO.] *Quod ipse Epicurus* μετακόσμιον, *Cicero aliique* Intermundium *reddiderunt: nempe spatium inter mundos. Quinctilianus, lib.* VII. *cap.* IV. Epicurus Deo humanam formam, locumque inter mundos dedit.

96. HVIVS ET ALTER.] *Imò plurium cælorum. quia infinitos ille Mundos constituebat.*

97. MICÆ.] *Ita vertit Atomos. ex quibus non corpus hoc solùm, sed ipsa anima Epicuro. Vide epistolam eius ad Herodotum, in Laertio.*

CAP. XX. 98. SECVNDVM DATVM.] *Alterum sequenssq; donum.*

99. SI CAPTATOR.] *Assentior Grutero, particulam* si, *delenti.*

100. HAMVM.] *Plinius:* Nónne vt regum, ita Cæsarum munera, illitos cibis hamos, opertos prædâ laqueos, æmulabantur? *Idem in Epistolis* Hamata munera, *eodem sensu.*

101. VT AVES.] *Vultures & corui. Apposita imago, & eâdem vtitur epist.* XCV. Vultur est, cadauer exspectat. *Vide.*

CAP. XXI. 102. SOLVTVS.] *Arguta hæc distinctio. animo grati sumus, re soluimus.*

vt omnium aliarum virtutum, ita huius, ad animum tota æſtimatio redit. hic ſi in offi- A
cio eſt, quidquid defuit, fortuna peccat. Quomodo eſt diſertus etiam qui tacet, fortis etiam qui compreſſis manibus, vel & alligatis: quomodo gubernator etiam qui in ſicco eſt, quia conſummatæ ſcientiæ nihil deeſt, etiam ſi quid obſtat quò minùs ſe vtatur: ita gratus eſt, etiam qui vult tantùm, nec habet huius voluntatis ſuæ vllum alium, quàm ſe teſtem. Imò amplius adiiciam. eſt aliquando gratus, etiam qui ingratus videtur, quem mala interpres opinio in contrarium traducit. Hic quid aliud ſequitur, quàm ipſam conſcientiam? quæ etiam obruta delectat, quæ concioni ac famæ reclamat, & in ſe omnia reponit, & cùm ingentem ex alterâ parte turbam contrà ſentientium aſpexit, non numerat ſuffragia, ſed [103] vnâ ſententiâ vincit. Si verò bonam fidem perfidiæ ſuppliciis af-
XXII. fici videt, non [104] deſcendit è faſtigio, ſed ſupra pœnam ſuam conſiſtit. Habeo, inquit, quod volui, quod petij. Non pœnitet, nec pœnitebit, nec vllâ iniquitate me eò fortuna perducet, vt hanc vocem [105] audiam, *Quid mihi volui? quid mihi nunc prodeſt bona voluntas?* Prodeſt & in equuleo, prodeſt & in igne. qui ſi ſingulis membris admoueatur, B
& paullatim viuum corpus circumeat: licet ipſum [106] corpus plenum bonâ conſcientiâ ſtillet: placebit illi ignis, per quem bona fides collucebit. Nunc quoque illud argumentum, quamuis dictum iam, reducatur. Quid eſt quare grati velimus eſſe, cùm morimur? quare ſingulorum perpẽdamus officia? quare id agamus in omnem vitam noſtram memoriâ decurrente, ne cuius officij videamur obliti? Nihil iam ſupereſt, quò ſpes porrigatur. in illo tamen [107] cardine poſiti, abire è rebus humanis quàm gratiſſimi volumus. Eſt videlicet magna in ipſo opere merces rei, & ad alliciendas mentes hominum ingens honeſti potentia: cuius pulchritudo animos circumfundit, & delinitos admiratione luminis ac fulgoris ſui rapit. At multa hinc commoda oriuntur. Et tutior eſt vita melioribus, [108] amorque & [109] ſecundum bonorum iudicium, ætaſque [110] ſecurior, quam innocentia, quam grata mens proſequitur. Fuiſſet enim iniquiſſima rerum natura, ſi hoc tantum bonum miſerum, & anceps, & ſterile feciſſet. Sed illud intuere, an ad iſtam virtutem, quæ ſæpè tuto ac facili aditur, etiam per ſaxa, & rupes, & feris ac ſerpentibus ob- C
XXIII. ſeſſum iter, fueris iturus. Non ideò per ſe non eſt expetendum, cui aliquid extrà quoque emolumenti adhæret. ferè enim pulcherrima quæque, multis & aduenticiis comitata ſunt dotibus: ſed illas trahunt, ipſa præcedunt. Num dubium eſt, quin hoc humani generis domicilium, circuitus ſolis ac lunæ, vicibus ſuis [111] temperet? quin alterius calore alantur corpora, terræ relaxentur, immodici humores comprimantur, alligantis omnia hiemis triſtitiâ frangatur: alterius tepore efficaci & penetrabili rigetur [112] maturitas frugum? quin ad huius curſum [113] fecunditas humana reſpondeat? quin ille annum obſeruabilem fecerit circumactu ſuo; hæc menſem, minoribus ſe ſpatiis flectens? Vt tamen detrahas iſta, non erat ipſe ſol idoneum oculis ſpectaculum, dignuſque adorari, ſi tantùm præteriret? non erat digna ſuſpectu luna, etiam ſi otioſum ſidus tranſcurreret? Ipſe [114] mundus quoties per noctem ignes ſuos fudit, & tantum ſtellarum innume-

rabi-

103. VNA SENT.] *Suâ.*

104. DESCENDIT.] *Non ſubmittit ſe, nec deiicitur.*

CAP. XXII. 105. AVDIAM.] *Potiùs*, audiat: *nempe ipſa Fortuna.*

106. CORPVS.] *Redundat.*

107. CARDINE.] *Vbi ſalus & vita vertitur. An magis alluſum ad agrorum cardines ſiue limites, quia ſequitur de* abeundo? *Ita eſſet, in extremo limite illo poſiti.*

108. AMORQVE.] *Hæc omnia, id eſt ſeptena circiter verba ordine, reddidi contextui ex meis libris: nec auſim hercules delere. Germana videntur & pura.*

109. SECVNDVM.] *Fauens, propitium: vt,* ſecunda fama.

110. SECVRIOR.] *Atqui iam præiuit*, tutior. D
Dubito.

CAP. XXIII. 111. TEMPERET.] *De eâ temperie caloris humoriſq; , quam duo hæc aſtra concilient, & ſic generent ac producant; præter alios, Ariſtoteles* IV. *De generat. animal. cap. vlt.*

112. MATVRITAS.] *Nam tepido humore ſuo reſoluit, & quaſi putrefacit: omitto, quòd creſcere faciat, & ad augmenti finem venire Cicero de Nat. deor.* II. Multaq; ab eâ *(Lunâ)* manant & fluunt, quibus & animantes alantur, augeſcantque: & pubeſcant, maturitatemque aſſequantur, quæ oriuntur è terrâ.

113. FECVNDITAS HVM.] *Ad Lunares menſes partuum ratio reſpondet.*

114. MVNDVS.] *Cælum.*

115. TACI-

A rabilium refulſit, quem non intentum in ſe tenet? quis ſibi illa, tunc cùm miratur, prodeſſe cogitat? Adſpice iſta [115] tacito ſupernè cælo labentia, quemadmodum velocitatem ſuam ſub ſpecie ſtantis atque immoti operis abſcondant. Quantum iſtâ nocte, quam tu in numerum ac diſcrimen dierum obſeruas, agitur? quanta rerum turba ſub hoc ſilentio euoluitur? quantam fatorum ſeriem certus [116] limes [117] adducit? Iſta quæ tu non aliter, quàm in decorem ſparſa conſideras, ſingula in opere ſunt. Nec enim eſt, quòd exiſtimes ſeptem ſola diſcurrere, cetera hærere. paucorum motus comprehendimus: innumerabiles verò, longiuſque à conſpectu noſtro ſeducti [118] dij, eunt, redeuntque. Et ex his qui oculos noſtros patiuntur, plerique [119] obſcuro gradu pergunt, & per occultum aguntur. Quid ergo? non caperis tantæ molis aſpectu, etiam ſi te non regat, non cuſtodiat, non foueat, generetque, ac ſpiritu ſuo riget? Quemadmodum hæc cùm XXIV.
primum vſum habeant, & neceſſaria [120] vitaliaque ſint, maieſtas tamen eorum totam mentem occupat: ita omnis virtus, & in primis illa grati animi, multum quidem præ-
B ſtat, ſed non vult ob hoc diligi: amplius quiddam in ſe habet, nec ſatis ab eo intelligitur, à quo inter vtilia numeratur. Gratus eſt, quia expedit? ergo & quantum expedit. Non recipit ſordidum virtus amatorem: [121] ſoluto ad illam ſinu veniendum eſt. Ingratus hoc cogitat: *Volebam gratiam referre, ſed timeo impenſam, timeo periculum, vereor offenſam: faciam potiùs, quod expedit.* Non poteſt eadem ratio & gratum facere, & ingratum. Vt diuerſa illorum opera, ita inter ſe diuerſa propoſita ſunt. Ille ingratus eſt, quamuis non oporteat, quia expedit: hic gratus eſt, quamuis non expediat, quia oportet. Propoſitum eſt nobis [122] ſecundùm rerum naturam viuere, & deorum XXV.
exemplum ſequi: dij autem quodcumque faciunt, in eo nihil præter ipſam faciendi rationem ſequuntur. niſi fortè exiſtimas illos fructum operum ſuorum ex fumo extorum,
& turis odore percipere. Vide quanta quotidie moliantur, quanta diſtribuant, quantis terras fructibus impleant, quàm opportunis & in omnes oras ferentibus ventis maria permoueant, quantis imbribus repentè deiectis ſolum molliant, venaſque fontium arentes reintegrent, & infuſo per occulta nutrimento renouent. Omnia iſta ſine mercede, ſi-
C ne vllo ad ipſos perueniente commodo, faciunt. Hæc quoque noſtra ratio, ſi exemplari ab ſuo non aberrat, ſeruet, ne ad res honeſtas conducta veniat. Pudeat vllum venale eſſe beneficium: gratuitos habemus deos. Si deos, inquit, imitaris, da & ingratis be- XXVI.
neficia. Nam & ſceleratis ſol oritur, & piratis patent maria. [123] Hoc loco interrogant, an vir bonus daturus ſit beneficium ingrato, ſciens ingratum eſſe? Permitte mihi aliquid interloqui, ne interrogatione inſidioſâ capiamur. Duos ex conſtitutione Stoicâ accipe ingratos. alter ingratus, quia [124] ſtultus eſt. Stultus, etiam malus eſt: qui malus eſt, [125] nullo vitio caret: ergo & ingratus eſt. Sic omnes malos dicimus, intemperantes, auaros, luxurioſos, malignos: non quia iſta omnia ſingulis magna & nota vitia ſint, ſed quia eſſe poſſint: & ſunt, etiamſi latent. Alter eſt ingratus, qui à vulgo dicitur, in hoc vitium naturâ pronus & propenſus. Illi ingrato, qui ſi hac culpâ non caret, quomodo nullâ

115. TACITO.] *At mei libri*, tanto ſupernè cœ-
D tu. *puto verè. Magnus ibi cœtus in ſuperiore cælo aſtrorum, & ſine numero numerus.*

116. LIMES.] *Zodiacum dicit. per quem errantia ſidera feruntur: & ex eorum poſitu hæc inferiora, ipſoſq́; homines, ingenia & mores formari, Chaldæi cenſuerunt.*

117. ADDVCIT.] *Veteres*, educit.

118. DII EVNT.] *Stoicum eſt. qui ſidera faciebant Deos. Nos in Phyſiol.* II. *Diſſ.* XIV.

119. OBSCVRO GRADV.] *Quem obſeruatio nondum comprehendit. moueri videmus, quo modo aut lege, neſcimus.*

CAP. XXIV. 120. VITALIAQVE.] *Vitam dent, & ad tuendam eam faciant.*

121. SOLVTO.] *Aperto, ad dandum parato.*

CAP. XXV. 122. SECVNDVM RER.] *Perpetuum dogma Stoicum*, τέλος εἶναι τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν: Finem eſſe, conuenienter naturę viuere. *Vide Manud.* II. *Diſſert.* XIV.

CAP. XXVI. 123. HOC LOCO.] *Differt reſpondere ad obiectiunculam, alia interſerit. ad illam autem, cap.* XXVIII.

124. STVLTVS.] *Opponunt Sapienti. & Stoicâ ſuâ linguâ omnem malum, & omne vulgus, ſic appellant. Conſentire cum hoc dogmate (vt multis aliis) Sophocles videtur:*

——— ἥδ' ἐ μωρία
Μάλις' ἀδελφὴ τῆς πονηρίας ἔφυ:
——— verùm Amentia
Soror videtur maximè eſſe Malitiæ.

125. NVLLO VITIO.] *Plutarchus de commun. notion. contra Stoicos, carpit*, ὅτι πάντας ἐπίσης κα-

nullâ caret, dabit beneficium vir bonus. nulli enim dare poterit, ſi tales homines ſub- A
mouerit. Huic ingrato, qui beneficiorum fraudator eſt, & in hanc partem procubuit animo, non magis dabit beneficium, quàm decoctori pecuniam credet, aut depoſitum committet ei, qui iam pluribus abnegauit. Timidus dicitur aliquis, quia ſtultus eſt: & hoc quidem malos ſequitur, quos indiſcreta & vniuerſa vitia circumſtant. dicitur timidus propriè, naturâ etiam ad inanes ſonos pauidus. Stultus omnia vitia habet, ſed non in omnia naturâ pronus eſt. alius in auaritiam, alius in luxuriam, alius in petulantiam
XXVII. inclinantur. Itaque errant illi, qui interrogant Stoicos: Quid ergo? Achilles timidus eſt? Quid ergo? Ariſtides, cui iuſtitia nomen dedit, iniuſtus eſt? Quid ergo? & Fabius, qui cunctando reſtituit rem, temerarius eſt? Quid ergo? Decius mortem timet? Mucius proditor eſt? Camillus deſertor? Non hoc dicimus, ſic omnia vitia eſſe in omnibus, quomodo in quibuſdam ſingula eminent: ſed malum ac ſtultum nullo vitio vacare. nec audacem quidem timoris abſoluimus: ne prodigum quidem auaritiâ liberamus. Quomodo homo omnes ſenſus habet, nec ideò tamen omnes homines aciem ha- B
bent Lynceo ſimilem: ſic qui ſtultus eſt, non tam acria & concitata habet omnia, quàm quidam quædam. Omnia in omnibus vitia ſunt: ſed non omnia in ſingulis exſtant. Hunc natura ad auaritiam impellit: hic libidini, hic vino deditus eſt: aut ſi nondum deditus, ita formatus, vt in hoc illum mores ſui ferant. Itaque vt ad propoſitum reuertar, nemo non ingratus eſt, qui malus eſt: habet enim omnia nequitiæ ſemina: tamen propriè ingratus appellatur, qui ad hoc vitium vergit. huic ergo beneficium non dabo. Quomodo malè filiæ conſulit, qui illam contumelioſo & ſæpè [126] repudiato collocauit: quomodo malus paterfamilias habebitur, qui [127] negotiorum geſtorum damnato, patrimonij ſui curam mandauerit: quomodo dementiſſimè teſtabitur, qui tutorem filio reliquerit, pupillorum ſpoliatorem: ſic peſſimè beneficia dare dicetur, quicumque in-
XXVIII gratos eligit, in quos peritura conferat. [128] Dij quoque, inquit, multa ingratis tribuunt. Sed illa bonis parauerant: contingunt autem etiam malis, quia ſeparari non poſſunt. Satius eſt autem, prodeſſe etiam malis propter bonos, quàm bonis deeſſe pro- C
pter malos. Ita, quæ refers, diem, ſolem, hiemis æſtatiſque curſus, & media veris autumnique temperamenta, imbres, & fontium hauſtus, ventorum ſtatos flatus, pro vniuerſis inuenerunt: excerpere ſingulos non potuerunt. Rex honores dignis dat, [129] congiarium & indignis: [130] Frumentum publicum tam fur quàm periurus & adulter accipiunt, &, ſine delectu morum, quiſquis [131] ciuis eſt. cùm aliquid eſt, quod tamquam ciui, non tamquam bono datur, ex æquo boni ac mali ferunt. Deus quoque quædam in vniuerſum humano generi dedit, à quibus excluditur nemo. nec enim poterat fieri, vt ventus bonis viris ſecundus eſſet, contrarius malis: commune autem bonum erat patere

κὰς, καὶ ἀδίκους, καὶ ἀπίςους, καὶ ἀφρονας, τὰς μὲν σοφὰς ἀποφαίνονται: quòd omnes ex æquo malos, & iniuſtos, & infidos, & dementes ſtatuunt, qui non ſunt ſapientes. *Imò etiam* τὰς προκόπτοντας, *ſiue* proficientes, *id eſt ſeipſos habent in eâdem claſſe. Nos plenè in Manud.* III. *Diſſ.* XX.

CAP. XXVII. 126. REPVDIATO.] *De viro, cuius vxor repudiũ miſit. & ita Marcellus Icius, aliique. Cauſſa autem repudij præit, quòd* contumelioſus, *& malæ tractationis damnandus.*

127. NEGOT. GEST.] *Titulus in Digeſtis & Codice*, De negotiis geſtis. *Sunt, qui res litéſque alienas adminiſtrant: & in eos hæc actio, ſi malâ curâ aut fide.*

CAP. XXVIII. 128. DII QVOQVE.] *Hæc nunc ad obiectiunculam, ſuprà poſitam tantùm. Pulchra autem, ita me Deus, & philoſophica.*

129. CONGIARIVM.] *A congio, quæ liquidorum menſura. Solent autem antiquitus dari in populum tot olei congij, aut vini. Inde nomen ductum longiùs, ad quaſuis, etiam pecuniæ, donationes: ſed maximè Principum, aut publicas.*

130. FRVMENTVM.] *Quod in vnâ vrbium, ſingulari inuento, Romæ dabatur è publico, in plebem tenuiorem. Scripſi affatim* I. *Elector. & nuper in Admirandis.* D

131. CIVIS EST.] *Mei ita libri, & aptâ ſententiâ: quia extra ciues non dabatur. nemo admittebatur peregrinus. Tamen alij teſtantur in ſuis legi*, inciſus eſt. *Quod cum Gutero haud ſpernam: firmetq; Plinius, in Panegyrico:* Omnes tamen antequam te viderent, recipi, incîdi iuſſiſti, vt iaminde ab infantiâ parentem publicum, munere educationis, experirentur. *Appâret igitur inſcriptos, imò verò inciſos ſiue inſculptos in tabulis. Pincianus autem legi volebat*, quiſquis in cenſu eſt: *nec id malè. quia* recenſus *fieri ſolet (ita Suetonius appellat) & identidem purgari ea tabulæ, aliique ſuffici.*

132. MI-

A patere commercium maris, & regnum humani generis relaxari. Nec poterat lex casuris imbribus dici, ne in malorum improborumque rura defluerent. Quædam in medio ponuntur. Tam bonis quàm malis conduntur vrbes: monumenta ingeniorum, & ad indignos peruentura, publicauit editio: medicina & sceleratis opem [132] ministrat. Compositiones remediorum salutarium nemo suppressit, ne sanarentur indigni. In his exige censuram, & personarum æstimationem, quæ separatim tamquam digno dantur: non in his, quæ promiscuè turbam admittunt. Multum enim refert, vtrùm aliquem non excludas, an eligas. [133] Ius fori omnibus dicitur: pace etiam homicidæ fruuntur: sua repetunt, etiam qui aliena rapuerunt. Percussores, & domi ferrum exercentes, murus ab hoste defendit: legum præsidio, qui plurimum in illas peccauerunt, proteguntur. Quædam non poterant certis contingere, nisi vniuersis darentur. Non est itaque quòd de istis disputes, ad quæ [134] publicè inuitati sumus: illud quod iudicio meo ad aliquem peruenire debet, ei quem ingratũ sciam, non dabo. Ergo, inquit, nec consilium deliberanti XXIX.
B dabis ingrato, nec aquam haurire permittes, nec viam erranti monstrabis? an hæc quidem facies, sed nihil donabis? Distinguam istud: certè tentabo [135] distinguere. Beneficium, est opera vtilis: sed non omnis opera vtilis, beneficium est. Quædam enim tam exigua sunt, vt beneficij nomen non occupent. Duæ res coire debent quæ beneficium efficiant. Primùm, rei magnitudo. quædam enim sunt infra huius nominis mensuram. Quis beneficium dixit, quadram panis, aut stipem æris abiecti, aut ignis accendendi factam potestatem? & interdum ista plus prosunt, quàm maxima: sed tamen vilitas sua illis, etiam vbi tempore facta sunt necessaria, detrahit pretium. Deinde quod potissimum est, oportet accedat: vt eius caussâ faciam, ad quem volebam peruenire beneficium: dignumque eum iudicem, & libens id tribuam, percipiensque ex munere meo gaudium. quorum nihil est in istis, de quibus loquebamur. Non enim tamquam dignis illa tribuimus, sed negligenter tamquam parua: & non homini damus, sed [136] humanitati. Aliquando daturum me etiam indignis quædam non negauerim, in ho- XXX.
C norem aliorum: sicut in petendis honoribus quosdam turpissimos nobilitas industriis, sed [137] nouis, prætulit. Non sine ratione, sacra est magnarum virtutum memoria: & esse plures bonos iuuat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat. [138] Ciceronem filium [139] quæ res consulem fecit, nisi pater? [140] Cinnam nuper quæ res ad consulatum recepit ex hostium castris? quæ [141] Sextum Pompeium, [142] aliosque Pompeios, nisi vnius viri magni-

132. MINISTRAT.] *Mei & quidam alij,* monstrat.

133. IVS FORI.] *Libri,* ius & fori: *& quibusdam vox,* omnibus *abest. Itaque Claudius Puteanus Senator acutè:* Ius & furi dicitur.

134. PVBLICE IVVIT.] *Vt ad Solem, æstatem, imbres, fontes: & quæ alia beneficia Natura in publico & promiscuo offert.*

D CAP. XXIX. 135. DISTINGVERE.] *Posset abesse.*

136. HVMANITATI.] *Ex Aristotelis dicto haustum. qui culpatus, quòd improbo aliquid dedisset.* Οὐ τῷ ἀνθρώπῳ, φησὶν, ἀλλὰ τῷ ἀνθρωπίνῳ. *Ipsa verba Senecæ reddidit: at Herodes Atticus apud Agellium, pulchrè immutauit, in re pari:* Demus, *inquit,* huic aliquid æris, cuicuimodi est, tamquam homines, non tamquam homini.

CAP. XXX. 137. NOVIS.] *Ita dicti Romanis, qui à se orirentur, quique lucem & imagines maiorum non haberent. Vno verbo, qui in vetere famâ & notitiâ non essent.*

138. CICERONEM F.] *Quem deuicto statim Antonio collegam in Cõsulatu Augustus cepit. Quid? Ciceroni defuncto hoc tribuens, an & sic Antonio insultans? Rem ipsam in Plutarcho habes, Appiano, Plinio libro* XXII. *cap.* VI. *& Dione, actis anni* DCCXXIV. *ex quo item discas, suffectum dumtaxat Consulem fuisse, idque in extremâ parte anni.*

139. QVÆ RES.] *Nam virtutes omnes aberant: stupor & vitia aderant. Seneca pater in Suasoriâ vltimâ:* Homo qui nihil ex paterno ingenio habuit, præter vrbanitatem. *Scriptor vetus, apud Sidonium, lib.* VII. *epist.* XIV. Filium M. Ciceronis populus Romanus non agnoscebat loquentem. *Præterea ebriosus ad summum: de quo Plinius, aliique.*

140. CINNAM.] *Qui & ipse Cn. Pompeij, ex filiâ, nepos. Vide De Clem.* I. *cap.* IX. *Fuit verò iste* Cn. Cornelius Cinna Magnus, *ordinarius Consul anno vrbis* DCCLVIII.

141. SEXT. POMPEIVM.] *Quem igitur? illum notum ac famosum, Cnei filium? vix opinor. designatus enim Consul fuit, pace cum eo à Triumuiris factâ, anno* DCCXV. *sed designatus tantùm, & bello mox coörto victus atque interfectus. Itaque magis est intellegi* Sex. Pompeium Sex. F. *qui consul fuit anno* DCCXVIII. *Quo nomine & alius item Consul cum Sex. Apuleio, anno quo Augustus obiit,* DCCLXVII.

142. ALIOSQVE POMP.] *Non sanè filios illius Magni,*

magnitudo? tanta quidem, vt satis altè omnes suos etiam ruina eius attolleret. Quid A
nuper [143] Fabium Persicum, cuius osculum [144] etiam impuri vitabant, sacerdotem non
in vno collegio fecit, nisi Verrucosi, & Allobrogici, & illi trecenti, qui hostium incur-
sioni pro rep. vnam domum obiecerant? Hoc debemus virtutibus, vt non præsentes
solùm illas, sed etiam ablatas è conspectu colamus. Quomodo illæ id egerunt, vt non
in vnam ætatem prodessent, sed beneficia sua etiam post ipsas relinquerent: ita & nos
non vnâ ætate grati sumus. Hic magnos viros genuit, dignus est beneficiis, qualiscum-
que est. dignos dedit. Hic egregiis maioribus ortus est: qualiscumque est, sub vmbrâ
suorum lateat. Vt loca sordida repercussu solis illustrantur, ita inertes maiorum suorum
XXXI. luce resplendeant. [145] Excusare hoc loco, mi Liberalis, deos volo. Interdum enim
solemus dicere: Quid sibi voluit prouidentia, quæ [146] Aridæum regno impositit? Illi
putas hoc datum? patri eius datum est, & fratri. Quare [147] C. Cæsarem orbi terrarum
præfecit, hominem humani sanguinis auidissimum, quem non aliter fluere in conspectu
suo iubebat, quàm si ore excepturus esset? Quid? ergo tu illi hoc datum existimas? patri B
eius [148] Germanico datum, datum [149] auo, [150] proauoque, & ante hos aliis non minùs
claris viris, etiam si priuati paresque aliis vitam exegerunt. [151] Quid tu, cùm Mamer-
cum Scaurum Cos. faceres, ignorabas ancillarum suarum menstruum ore illum hiante
exceptare? Numquid enim ipse dissimulabat? numquid purus videri volebat? Referam
dictum tibi eius in se, quod circumferri memini, & ipso præsente laudari. Pollioni Asi-
nio iacenti, obscæno verbo vsus, dixerat se facturum id quod pati malebat. & cùm Pol-
lionis attractiorem vidisset frontem: *Quidquid*, inquit, *mali dixi, mihi & capiti meo.* Hoc
dictum suum ipse narrabat. Hominem tam palàm obscænum, ad fasces, & ad tribunal
admisisti? nempe dum veterem illum Scaurum, [152] senatus principem cogitas, indignè
XXXII. fers sobolem eius iacere. [153] Deos videre est, vt alios indulgentiùs tractent, propter
paren-

Magni, ne erres: sed gentis eiusdem, si non familiæ. vt vnum è iam dictis, & Cn. Pompeium, *qui inter suffectos Consules anno* DCCXXIII. *fragmentis Capitolinis. Sed & posteà, sub Tiberio alij. Nam* duæ aut tres fuêre *(ipse Paterculus dubitat)* Pompeiorum familiæ: *omnes tamen eius nominis prouecti, ob vnum illud nomen, vt hîc noster.*

143. FABIVM PERS.] *Dixi aliquid suprà, lib.* II. *cap.* XXI. *Adde ad ista, Iuuenalis versus:*

Cur Allobrogicis, & magnâ gaudeat arâ,
Natus in Herculeo Fabius lare:

& quæ de mollitie eius deinde addit. Nam hunc tangit.

144. ETIAM IMPVRI.] *Satis audacter hæc & plura, è merâ coniecturâ, edidit Muretus. Scripti quidam,* etiam impediret viri vota boni. *Meorum vnus,* etiam impodici deuitabam. *ex quo faciebam,* etiam impudici deuitabant. *Quid si,* vt podicem, deuitabant? *vt discrimen inter fœdam fœtidamq; illam partem non faciat, & os hoc spurcum? Posses ex alterâ scripturâ:* cuius osculi, etiam impudici, virus vitabant. *Ipsi obscæni & impudicitiam professi, virus illud oris fugiebant.*

CAP. XXXI. 145. EXCVSARE.] *Etsi pleraque laudabilia & notanda in nostro: tamen hic locus inter eximios, & sapientiæ altæ: vnà cum Cap. sequenti.*

146. ARIDÆVM.] *Libri* exarchideum. *sed habeamus pro vero editum: & fuit Aridæus frater Alexandri Magni, matre impari.*

147. C. CÆSAREM.] *Caligulam. verè natum ad reliquias Romani sanguinis hauriendas.*

148. GERMANICO.] *Magno simul & amabili viro: cui vitam & imperium, dij non dederunt, ne* C *Romanis iterùm darent.*

149. AVO.] *Druso Germanico, Tiberij fratri. quem Tacitus appellat,* breues, & infaustos populi Romani amores.

150. PROAVOQVE.] *Tib. Claudio, Liuiæ marito priori: qui tamen famâ aut factis non nimis illustris. Sed magis est, communiter* Proauum *intellegi, siue* Proauos *(& eo numero legi hîc mallem) Claudiæ gentis.*

151. QVID TV.] *Hæc directio sermonis non ad ipsum Liberalem: sed ad Prouidentiam est: cuius hæc opera. nisi aliquis,* Quid tum *legit, & mox,* faceret, *aliaq; pariter mutat. Sed de ipso homine, Tacitus breuiter* VI. *Annali:* Mamercus Scaurus, insignis nobilitate & orandis caussis, vitâ probrosus. *Certè probrosus: sed etiámne eloquens? Ita, & laudat iterùm ab eâ parte Tacitus* III. *Annal.* Scaurus oratorum eâ ætate vberrimus erat. *Seneca pater lib.* I. *Controu.* Scaurus non tantùm disertissimus homo, sed venustissimus. *Et ex professo præfatione libri Decimi. At de* impuritate *eius, etiam Tertullianus commeminit, de Pallio: ipse autem sub Tiberio, etsi alio crimine, periit, &* familia Scaurorum in eo est exstincta. *Suasoriâ* II. D

152. SENATVS PRINCIPEM.] *De quo Cicero, Asconius, alij.*

CAP. XXXII. 153. DEOS VIDERE EST.] *A Mureto commation, contra omnes libros. in quibus consensu,* Deos verisimile est. *Fortè:* Deos tueris? simile est vt. *Ita suprà,* Deos excusare volo. *Vel lege:* Deos videre similiter est.

154. IN

A parentes auoſque, alios propter futuram nepotum pronepotumque, ac longè ſequentium poſterorum indolem. Nota eſt enim illis operis ſui ſeries. omnium illis rerum per manus ſuas iturarum ſcientia [154] in aperto ſemper eſt: nobis ex abdito ſubit. & quæ repentina putamus, illis prouiſa veniunt ac familiaria. Sint hi reges, quia maiores eorum non fuerunt, [155] quia pro ſummo imperio habuerunt iuſtitiam, abſtinentiam, quia non remp. ſibi, ſed ſe reip. dicauerunt. Regnent hi, quia vir bonus [156] quidam proauus eorum fuit: qui animum ſupra fortunam geſſit, qui in diſſenſione ciuili, quoniam ita expediebat reip. vinci quàm vincere maluit. Referri illi gratia tam longo ſpatio non potuit. in illius reſpectum iſte populo præſideat: non quia ſcit aut poteſt, ſed quia alius pro eo meruit. Hic corpore deformis eſt, adſpectu fœdus, & ornamenta ſua [157] traductu-
D rus. iam me homines accuſabunt, cæcum & temerarium dicent, neſcientem quo loco, quæ ſummis ac excellentiſſimis debentur, ponam. At ego ſcio, alij me iſtud dare, alij olim debitum ſoluere. Vnde iſti norunt illum quemdam, gloriæ ſequentis fugaciſſi-
B mum, eo vultu ad pericula euntem, quo alij ex periculo redeunt? numquam bonum ſuum à publico diſtinguentem? Vbi, inquis, iſte, aut [158] quis eſt? apud me iſtæ expenſorum acceptorumque rationes [159] diſpunguntur. Ego quid cui debeam, ſcio. aliis poſt longam diem repono, aliis [160] in anteceſſum: ac prout occaſio, & reip. meæ facultas tulit. Ingrato ergo aliquando quædam, ſed non propter ipſum dabo. Quid ſi, XXXIII
inquit, neſcis, vtrùm gratus ſit, an ingratus? exſpectabis donec ſcias, an dandi beneficij tempus non amittes? Exſpectare longum eſt. nam (vt Plato ait) difficilis humani animi coniectura eſt: non exſpectare, temerarium eſt. Huic reſpondebimus, numquam exſpectare nos certiſſimam rerum comprehenſionem: quoniam in arduo eſt veri explo-
ratio: ſed eà ire, quà ducit veri ſimilitudo. Omne hac viâ procedit officium. ſic ſerimus, ſic nauigamus, ſic militamus, ſic vxores ducimus, ſic liberos tollimus: cùm omnium horum incertus ſit euentus. Ad ea accedimus, de quibus benè ſperandum eſſe credimus. Quis enim pollicetur ſerenti prouentum, nauiganti portum, militanti victoriam, marito
C pudicam vxorem, patri pios liberos? Sequimur [161] quà ratio, non quà veritas trahit. Exſpecta, vt niſi benè ceſſura non facias, & niſi compertâ veritate nihil moueris: relicto omni actu vita conſiſtit. Dum veriſimilia me in hoc aut illud impellant, [162] [163] non verebor beneficium dare ei, quem veriſimile erit gratum eſſe. Multa, inquit, in- XXXIV
teruenient, per quæ & malus pro bono ſurrepat, & bonus pro malo diſpliceat. fallaces enim ſunt rerum ſpecies, quibus credimus. Quis negat? ſed nihil aliud inuenio, per quod cogita-

154. IN APERTO.] *Ita ſanè. omnia tempora in præſenti.*

155. QVIA PRO.] *Cum Grutero*, qui. *& mox*; qui non remp.

156. QVIDAM.] *Liber meus addit*, quidam ante, *& ſequens ſtatim*, qui, *omittit. Legatur:* qui iam antè p.e. fuit, animum.

157. TRADVCTVRVS.] *Deriſui expoſiturus, in ore populi vilia facturus. Vt in Iuuenali:*

—— in quâ ſe traducebat Vlyſſes
Ancipitem.

Eodem:

Squallentes traducit auos. *ibi Scholiaſtes:* Dedecorat parentes ſuos. *Martialis:*

Rideris, multoque magis traduceris Afer.

A traductionibus per fora & theatra noxiorum: quod Polybius & Græci παδειγματίζειν dicunt, oſtentui exponere.

158. QVIS EST?] *Veteres ſubdunt*, vnde vos ſcitis? *ſiue vt meus*, vnde nos ſcitis. *Quæ Muretus deletum it, aliorum aſſenſu, non meo. Ego immutatum:* aut quis eſt, vnde? neſcitis. apud me iſtæ. *Quæritis, vbi, quis, vnde (ſic ſolet de ignotis:) vos neſcitis, at mihi hæc liquent.*

159. DISPVNGVNTVR.] *A re nummariâ verbum. &* Diſpungit, *qui per puncta rationum it, confert, pariatq.*: Expungit, *autem, qui paribus factis, nomina delet.*

160. IN ANTECESSVM.] *Mei*, in anteceſſum eſt, *voculâ adiectâ. Item à nummulariis. & ſignificat, compendio ſermonis, antequam dies ceſſius ſit ſoluere: occupare, & anteuenire. Noſter cùm alibi, tum epiſt.* VII. *atque ibi ego. Mox fortè*, rei meæ.

CAP. XXXIII. 161. QVA RATIO.] *Quod ratione aſſerente & indicante futurum videtur: non quod liquidò futurum conſtet.*

162. NON VEREBOR.] *Nihil: præſertim in bonis. Menandri præceptum congruit:*

Ὅταν τι πράττῃς ὅσιον, ἀγαθὴν ἐλπίδα
Πρόβαλλ' ἑαυτῷ, τοῦτο γινώσκων, ὅτι
Τόλμῃ δικαίᾳ καὶ θεὸς συλλαμβάνει:

Vbi agere honeſti inſiſtis aut quidquam boni,
Propone ſpem menti bonam; certus Deum
Conatibus iuſtis tuis fore adiuuam.

163. NON VEREBOR.] *Scripti abeunt:* non verè beneficium dabo. *Vellem*, numero beneficium dabo: *id eſt, ſtatim, ſine aliâ morâ. Si diſplicet hoc Comicum*; non temerè b. dabo.

CAP.

cogitationem regam. His veritas mihi vestigiis sequenda est: certiora non habeo. Hæc A
vt quàm diligentissimè æstimem, operam dabo, nec citò illis assentiar. Sic enim in prælio potest accidere, vt telum meum in commilitonem manus dirigat, aliquo errore decepta; & hosti, tamquam meo, parcam. sed hoc & rarò accidet, & non vitio meo: cui propositum est hostem ferire, ciuem defendere. Si sciam ingratum esse, non dabo beneficium. At obrepsit, at imposuit. nulla hîc culpa tribuentis est: quia tamquam grato dedi. Si promiseris, inquit, te daturum beneficium, & posteà ingratum esse scieris, dabis, an non? Si facis, sciens peccas: das enim cui non debes. si negas, & hoc modo peccas: quia non das ei, cui promisisti. [164] Secta vestra hoc loco titubat, & illud superbum promissum, [165] numquam sapientem facti sui pœnitere, nec vmquam emendare quod fecerit, nec mutare consilium. Non mutat sapiens consilium, omnibus his manentibus quæ erant, cùm sumeret. Ideò numquam illum pœnitentia subit: quia nihil melius illo tempore fieri potuit, quàm quod factum est: nihil melius constitui, quàm quod constitutum est. Ceterùm ad omnia cum exceptione veniet, si nihil inciderit quod impediat: B
ideò omnia illi succedere dicimus, & nihil contra opinionem accidere, quia præsumit animo, posse aliquid interuenire, quod destinata prohibeat. Imprudentium ista fiducia est, fortunam sibi spondere: sapiens vtramque partem eius cogitat. scit quantum liceat errori, quàm incerta sint humana, quàm multa consiliis obstent. ancipitem rerum ac lubricam sortem suspensus sequitur, & consiliis certis incertos euentus. Exceptio autem, sine quâ nihil destinat, nihil aggreditur, & hîc illum tuetur. Promisi be-
XXXV. neficium, nisi si quid incidisset, quare non deberem dare. Quid enim, si quod illi pollicitus sum, patria [166] sibi me dare iusserit? Si lex lata erit, ne id quisquam faciat, quod ego me amico meo facturum promiseram? Promisi tibi filiam [167] in matrimonium. posteà [168] peregrinus apparuisti: non est mihi cum extraneo connubium. Eadem lex me defendit, quæ vetat. Tunc fidem fallam, tunc inconstantiæ crimen audiam, si cùm omnia eadem sint, quæ erant promittente me, non præstitero promissum. alioquin quidquid mutatur, libertatem facit de integro consulendi, & meâm fidem liberat. C
Promisi aduocationem: posteà apparuit per illam caussam præiudicium in patrem meum quæri. promisi me peregrè vnâ exiturum: sed iter infestari latrociniis nunciatur. [169] in rem præsentem venturus fui: sed æger filius, sed puerpera vxor tenet. Omnia esse debent eadem, quæ fuerunt cùm promitterem, vt promittentis fidem teneas. Quæ autem maior fieri mutatio potest, quàm si te malum virum & ingratum comperi? quod tamquam digno dabam, indigno negabo, & irascendi quoque caussam habebo dece-
XXXVI. ptus. Inspiciam tamen, & quantum sit de quo agitur: dabit mihi consilium promissæ rei modus. Si exiguum est, dabo: non quia dignus es, sed quia promisi. nec tamquam munus dabo, sed verba mea redimam, & [170] aurem mihi peruellam: damno castigabo promittendi temeritatem. Ecce vt doleat, vt posteà consideratiùs loquaris:

quod

CAP. XXXIV. 164. SECTA VESTRA.] *Quis suppositit? nam scripti & editi*, Conscientia, *non* Secta. *ex quo Mureto placebat*, Scientia: *alij* Constitutio. *At verum erit*, Constantia. *nam de eâ agitur, & Stoico isto dogmate, quòd Sapiens in decretis suis nihil mutet. Res clara est: & mox quoque Seneca purgat* inconstantiæ crimen.

165. NVMQVAM SAP.] *Quod manat ex illo capite*, Μὴ δοξάσειν τὸν σοφὸν, τετίςι ψδδεῖ μὴ συγκαταθήσεδζ μηδενί: Non opinaturum sapientem, hoc est falso nulli accessurum. *Itaque decreta eius omnia vera & firma sunt: eoq; nec mutationi, nec pœnitentiæ subiecta. Vide Manud.* III. *Dissert.* VIII.

CAP. XXXV. 166. SIBI ME.] *Scripti*, sibi non. *Legendum*, nos.

167. IN MATRIMONIVM.] *Mirum in optimo meo legi*, in verum, *vel* nerum, *ambiguâ litterâ. Suspicor*, nurum. *Nam parentes ita inter se (Plautus docebit) contrahebant. An*, in torum? D

168. PEREGRINVS.] *Et tu, & tuus filius. At coniugium, Romanis legibus, inter ciues tantùm est.*

169. IN REM PR.] *Coràm adfuturus ipse. A Iurisconsultis est. & noster vsurpat sæpiùs: aliaq; exempla Brissonius* XIV. *De verb. sign. dabit.*

CAP. XXXVI. 170. AVREM PERV.] *Id est, ipse me admonebo: ad cautionem in posterum adhortabor. Nam aurem vellere, commonefacientis est, & memoriam item excitantis. Plinius:* Est in aure imâ memoriæ locus, quam tangentes antestamur. *Virgilius:* Cynthius autem Vellit, & admonuit. *Noster iterùm, lib.* V. *infrà, cap.* VII. *& epist.* XCIV.

171. LIN-

A quod dicere ſolemus, [171] linguarium dabo. Si maius erit, non committam (quemadmodum Mecænas ait) vt [172] ſeſtertio centies obiurgandus ſim. Inter ſeſe enim vtrumque comparabo. Eſt aliquid, in eo quod promiſeris, perſeuerare: eſt rurſus multum in eo, ne indigno beneficium des. Hoc tamen quantum ſit, attendendum. ſi leue, conniueamus: ſi verò magno mihi aut detrimento, aut rubori futurum, malo ſemel excuſare, quare negauerim, quàm ſemper, quare dederim. Totum, inquam, in eo eſt, [173] quanti promiſſi mei verba taxentur. Non tantùm quod temerè promiſi, retinebo, ſed quod non rectè dedi, repetam. Demens eſt, qui fidem præſtat errori.

Philippus Macedonum rex habebat militem manu fortem, cuius in multis expedi- XXXVII.
tionibus vtilem expertus operam, ſubinde ex prædâ aliquid illi virtutis cauſſâ donauerat, & hominem vænalis animæ crebris [174] auctoramentis accendebat. Hic naufragus in poſſeſſiones cuiuſdam Macedonis expulſus eſt. quod vt Macedoni illi nunciatum eſt, accucurrit, ſpiritum eius recollegit, in villam illum ſuam tranſtulit, lectulo
B ſuo ceſſit, [175] affectum ſemianimemque recreauit, diebus triginta impenſâ ſuâ curauit, refecit, viatico inſtruxit, ſubinde dicentem: *Gratiam tibi referam. videre tantùm mihi imperatorem meum contingat.* Narrauit Philippo naufragium ſuum, auxilium tacuit, & protinus petijt, vt ſibi prædia cuiuſdam donaret. Ille quidam erat hoſpes eius, is ipſe, à quo receptus erat, à quo ſanatus. Multa interim reges, in bello præſertim, opertis oculis donant. non ſufficit homo iuſtus vnus tot armatis cupiditatibus. non poteſt quiſquam eodem tempore & bonum virum, & bonum ducem agere. Quomodo tot millia hominum inſatiabilia ſatiabuntur? quid habebunt, ſi ſuum quiſque habuerit? Hoc Philippus ſibi dixit, cùm illum induci in bona quæ petebat iuſſit. Expulſus bonis ſuis ille, non vt ruſticus iniuriam tacitus tulit, contentus quòd non & ipſe [176] donatus eſſet: ſed Philippo epiſtolam ſtrictam ac liberam ſcripſit: quâ acceptâ ita exarſit, vt ſtatim [177] Pauſaniæ mandaret, bona priori domino reſtitueret. ceterùm improbiſſimo militi, ingratiſſimo hoſpiti, auidiſſimo naufrago, [178] ſtigmata inſcriberet, ingratum hoſpitem te-
C ſtantia. Dignus quidem fuit, cui non inſcriberentur illæ litteræ, ſed inſculperentur, qui hoſpitem ſuum, nudo & naufrago ſimilem, in id in quo iacuerat ipſe littus expulerat. Sed videbimus, quis modus pœnæ ſeruandus fuerit: auferendum vtique fuit, quod ſummo ſcelere inuaſerat. Quis autem pœnâ eius moueretur, qui id commiſerat, propter quod nemo [179] miſerari miſeros poſſet? Dabit tibi Philippus quia promiſit, XXXVIII
etiam ſi non debet, etiam ſi iniuriam, etiam ſi ſcelus facturus eſt, etiam ſi vno facto præcluſurus eſt naufragis litora? Non eſt leuitas, à cognito & damnato errore diſcedere: & ingenuè fatendum eſt: *Aliud putaui: deceptus ſum.* Hæc verò ſuperbæ ſtultitiæ perſeuerantia eſt: *Quod ſemel dixi, qualecumque eſt, fixum ratumque ſit.* Non eſt turpe, cum re mu-

171. LINGVARIVM.] *Meus ſelectior liber,* linguari iuri. *An quid latet? an vulgatæ adhæremus, & cum Mureto explicamus, multam dependam & quaſi vectigal, pro linguâ temerè locutâ? Nam*
D Linguarium *ita appoſitè, vt* Vaſarium, Hordearium, Calcearium, Cerarium: *quod pro vaſis, hordeo, calceis, cerâ datur. Ipſis verbis ſententia ea affirmatur,* Damno caſtigabo: *&,* Verba mea redimam.

172. SESTERTIO CENTIES.] *Sic in Conſolatione ad Heluiam:* Quorum Pantomimæ ſeſtertio decies nubunt: *& in Tacito atque alijs, crebrò. Miror, omiſſam eam vocem in editione Romanâ. Argutè Mecænas, nolle ſe obiurgari tanto impendio, id eſt rebus ipſis non verbis. Reddat nobis* CCL. M. *Philipp.*

173. QVANTI PROMISSI.] *Id eſt, magna an parua promiſerim: quæ ſumma & impendium è verbis meis ſurgat. Statim etiam,* qui fidem præſtat errori *eligendum, cum libris priſcis: & ſignificat non præſtandam fidem, vbi eſt error.*

CAP. XXXVII. 174. AVCTORAMENTIS.] *Donis, præmijs. Nos in* II. *Saturn.*

175. AFFECTVM.] *Mei libri* afflictum, ſemiuiumque.

176. DONATVS.] *In ſeruitutem.*

177. PAVSANIÆ.] *An qui poſteà eum occidit?*

178. STIGMATA.] *Inuſtas fronti notas, de quibus affatim* II. *Elector.*

179. MISERARI MISEROS.] *Placet, & ſequentia illa ſtabiliunt* : Nónne omnibus miſeris aquâ & igni interdixerat? *Item*: Vno facto præcluſurus eſt naufragis litora. *Tamen ſcripti plerique,* miſereri miſericors: *quod ipſum haud improbum.*

re mutare consilium. Age, si Philippus possessorem illum eorum litorum reliquisset, A
quæ naufragio ceperat, nónne omnibus miseris aquâ & igni interdixerat? Potius est,
inquit, intra fines regni mei, te litteras istas [180] oculis inscribendas, durissimâ fronte
circumferre. ostende quàm sacra res sit mensa hospitalis. præbe in facie tuâ legendum
istud decretum, quo cauetur, ne miseros tecto iuuare capitale sit. Magis ista constitu-
XXXIX. tio sic erit rata, quàm si illam [181] in æs incidissem. Quare ergo, inquit, Zeno
vester, cùm quingentos denarios mutuos cuidam promisisset, & illum parùm [182] ido-
neum comperisset, amicis suadentibus ne daret, perseuerauit credere, quia promiserat?
Primùm alia conditio est in credito, alia in beneficio. Pecuniæ, etiam malæ creditæ,
exactio est. & appellare debitorem ad diem possum, & si foro cesserit, [183] portionem
feram. beneficium & totum perit, & statim. Præterea hoc mali viri est, illud mali pa-
trisfamiliæ. Deinde ne Zeno quidem, si maior fuisset summa, credere perseuerasset.
Quingenti denarij sunt. Illud quod dici solet, in morbo consumat. [184] fuit tanti, non
reuocare promissum suum. Ad cænam quia promisi, ibo, etiam si frigus erit: non B
quidem, si niues cadent. Surgam ad sponsalia, quia promisi, quamuis non concoxe-
rim: sed non, si febricitauero. Sponsum [185] descendam, quia promisi: sed non si spon-
dere [186] in incertum iubebis, si [187] fisco obligabis. Subest, inquam, tacita exceptio,
si potero, si debebo, si hæc ita erunt. Effice, vt idem status sit, cùm exigitur, qui fuit
cùm promitterem. destituere leuitas non erit, si aliquid interuenit noui. Quid miraris,
cùm conditio promittentis mutata sit, mutatum esse consilium? eadem mihi omnia
præsta: & idem sum. Vadimonium promittimus, tamen deseritur. Non in omnes datur
XL. actio. [188] deserentem vis maior excusat. Idem etiam illâ in quæstione responsum
existima, an omnimodo referenda sit gratia, & an beneficium vtique reddendum sit.
Animum præstare gratum debeo: ceterùm aliquando me referre gratiam non patitur
mea infelicitas, aliquando felicitas eius cui debeo. Quid enim regi, quid pauper diui-
ti reddam? vtique cùm quidam recipere beneficium, iniuriam iudicent, & beneficia
subinde alijs beneficijs onerent. Quid amplius in horum personam possum, quàm vel- C
le? nec enim ideò beneficium nouum reijcere debeo, quia nondum prius reddidi.
[189] Accipiam tam libenter, quàm dabitur: & præbebo me amico meo exercendæ bo-
nitatis suæ capacem materiam. Qui noua accipere non vult, acceptis offenditur. Non
refero gratiam. quid ad rem? non est per me mora, si aut occasio mihi deest, aut fa-
cultas. Ille præstitit mihi. nempe cùm occasionem haberet, cùm facultatem. Vtrùm
bonus vir est, an malus? apud bonum virum, bonam caussam habeo: apud malum,
non ago. Ne illud quidem existimo faciendum, vt referre gratiam, etiam inuitis his
quibus refertur, properemus, & instemus cedentibus. Non est referre gratiam, quod
volens

CAP. XXXVIII. 180. OCVLIS.] *Quid? ipsis oculis inscriptæ notæ? nec potuit, nec solet. In fronte dumtaxat, aut facie: id est supra, aut circa oculos. An fuit*, foculis? *non quòd ipsis propriè foculis inscriptæ, sed ferro quod canduerat in illis. Talis dictio Columellæ:*

Deletura quoque est fronti data signa fo-
corum.

An magis verum, ocius? *quod esset, statim & sub hoc meo adspectu inscribendas. neque displiceret*, istas omnium oculis: *adspectui omnium.*

181. IN ÆS.] *Quod in legibus receptum: & eò respicit.*

CAP. XXXIX. 182. IDONEVM.] *Pro eo qui sufficiat, & sit soluendo: quomodo & Ic[ti].*

183. PORTIONEM.] *Et hodie ita ius: & olim actione Tributoriâ, aut quasi Seruianâ, persequebantur.*

184. FVIT TANTI.] *Pulchrè. quasi dicat, vel hoc impendio emere debui promissi fidem.*

185. DESCENDAM.] *Quia in foro & ad tribunal publicæ illæ sponsiones.* D

186. IN INCERTVM.] *Summâ non expressâ. quod cautiores meritò fugiunt.*

187. FISCO.] *Cuius graues leges, an priuilegia. &* caussa eius, nisi sub bono Principe, numquam mala est, *ait Plinius.*

188. DESERENTEM.] *Legerim distinxerímque:* Non in omnes datur actio deserentes; vis maior excusat.

CAP. XL. 189. ACCIPIAM.] *Homeri olim consilio:*

—— ἐ γὰρ καλὸν ἀνήναδϛ δόσιν ἐσί:

—— non etenim pulchrum sit spernere dona.

190. RE-

A volens acceperis, nolenti reddere. Quidam, cùm aliquod illis missum est munusculum, subinde aliud intempestiuè remittunt, & nihil se debere testantur. 190 Reijciendi genus est, protinus aliud inuicem mittere, & munus munere expungere. Aliquando & non reddam beneficium cùm possim, quando plus mihi detracturus ero, quàm illi collaturus: si ille non erit sensurus vllam accessionem recepto eo, quo reddito, mihi multum abscessurum erit. Qui festinat vtique reddere, non habet animum grati hominis, sed debitoris. Et breuiter dicam, qui nimis citò cupit soluere, inuitus debet: qui inuitus debet, ingratus est.

190. REIICIENDI GENVS EST.] ijciendi sumpti genus, *postremâ voce compendio scriptâ.* *Meus*, Reijciendi sunt pignus. *Certò fuit*: re-

L. ANNÆI SENECÆ
AD AEBVCIVM LIBERALEM
DE BENEFICIIS
LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B

ABSOLVTIS *duabus præcipuis partibus*, Quomodo dandum Beneficium, Quomodo accipiendum: *transire se dicit ad quædam non tam in ipsâ materie, quàm ex ipsâ, & vicina ac connexa. Quæstiunculas subserit, primò istam: An turpe Beneficijs vinci? negat vinci posse, & parem semper esse, qui gratè meminit, qui cupit animo referre, si re non potest. Quæstiuncula secunda: An aliquis sibi beneficium donet? item negat, & in vtramque tamen partem argutatur. Tertia quæstiuncula: An aliquis Ingratus Stoicè dici possit? ait, & docet. Quarta, An non omnes ingrati sint? minimè, etsi plurimos fatetur. Deinde ex adtextu, Quousque, & an alius pro alio obligemur? vt filius pro patre, & talia. Distinctione respondet, & magis negat. Quinta quæstiuncula; An triste beneficium, & inuito etiam dari possit? potest. Vltima denique: An repeti Beneficium possit?*

C

CAPVT PRIMVM.

IN prioribus libris videbar consummasse propositum, cùm tractassem, quemadmodum dandum esset beneficium, & quemadmodum accipiendum. hi enim sunt huius officij fines. Quidquid vltrà moror, non seruio materiæ, sed indulgeo: quæ quò ducit, sequendum est, non quò inuitat. Subinde enim nascetur, quod lacessat aliquâ dulcedine animum, magis non necessarium, quàm superuacuum. Verùm quia [1] ita vis, perseueremus, peractis quæ rem continebant, scrutari etiam ea quæ sunt his connexa, verùm non cohærentia: quæ quisquis diligenter inspicit, nec facit operæ pretium, nec tamen perdit operam. Tibi autem [2] homini naturâ optimo, & ad beneficia propenso, Liberalis Æbuci, nulla eorum laudatio satisfacit. Neminem vmquam vidi tam benignum, etiam leuissimorum officiorum æstimatorem. Iam bonitas tua eousque prolapsa est, vt tibi dari putes beneficium, quod vlli datur. paratus es, ne quem beneficij pæniteat, pro ingratis [3] dependere. Ipse vsqueeò abes ab omni iactatione, vsqueeò statim exonerare cupis quos obligas, vt quidquid in aliquem confers, velis videri [4] non præstare, sed reddere. Ideoque pleniùs ad te sic data reuertuntur. nam ferè sequuntur beneficia non reposcentem: & vt gloria fugientes magis ac magis sequitur, ita fructus beneficiorum gratiùs respondet illis, per quos etiam esse ingratis licet. Per te verò non est mora, quò minùs beneficia qui acceperunt, [6] vltrò repetant: nec recusabis conferre alia, & [7] suppressis dissimulatisque plura ac maiora adijcere. Propositum optimi viri, & ingentis [8] animi est, tam diu ferre ingratum, donec feceris gratum. Nec te ista ratio decipiet, succumbunt vitia virtutibus, si illa [9] non citò odisse properaueris.

D

Illud

A Illud vtique vnicè tibi placet, velut magnificè dictum: *Turpe eſt beneficijs vinci.* quod an ſit verum, non immeritò quæri ſolet: longeque aliud eſt, quàm mente concipis. Nunquam enim in rerum honeſtarum certamine ſuperari, turpe eſt: dummodo arma non proijcias, & victus quoque velis vincere. Non omnes ad bonum propoſitum eaſdem afferunt vires, eaſdem facultates, eandem fortunam: quæ optimorum quoque conſiliorum, [10] dumtaxat exitus, temperat. [11] Voluntas ipſa rectum petens, laudanda eſt, etiam ſi illam alius gradu velociori anteceſſit. non vt in certaminibus, ad ſpectaculum editis, meliorem palma declarat: quamquam in illis quoque ſæpè deteriorem prætulit caſus. Vbi de officio agitur, quod vterque à ſua parte eſſe quàm pleniſſimum cupit, ſi alter plus potuit, & ad manum habuit materiam ſufficientem animo ſuo, ſi illi, quantum conatus eſt, fortuna permiſit; alter autem voluntate par eſt, etiam ſi minora quàm accepit reddidit, aut omnino non reddidit, ſed vult reddere, & toto in hoc intentus eſt animo: hic non magis victus eſt, quàm qui in armis moritur. quem occidere faciliùs hoſtis po-
B tuit, quàm auertere. [12] Quod turpe exiſtimas, id accidere viro bono non poteſt, vt vincatur. numquã enim ſuccumbet, nunquã [13] renunciabit. ad vltimũ vſque diem vitæ ſtabit paratus, & in hac [14] ſtatione morietur: magna ſe accepiſſe præ ſe ferens, paria voluiſſe. [15] Lacedæmonij vetant ſuos [16] pancratio aut ceſtu decernere, vbi inferiorẽ oſtendit victi confeſſio. Curſor [17] metã prior contingit: velocitate alium, non animo, anteceſſit. Luctator [18] ter abiectus, perdidit palmã, nõ tradidit. Cùm inuictos eſſe Lacedęmonij ciues ſuos magno

II.

III.

COMMENTARIVS.

CAP. I. 1. ITA VIS.] *Poëtarum more. nempe tu Seneca vis, & facis cum velle.*

C 2. HOMINI.] *Meus*, hominum: *& magis laudet.*

3. DEPENDERE.] *Pendet è prioribus. quia tibi inſcribis & imputas âlys benefacta, ſequitur vt gratus pro ijs ſis, & ſoluas, id eſt dependas.*

4. NON PRÆSTARE.] *Non dare, ſed ſoluere iam pro accepto.*

5. GLORIA FVG.] *Liuius*: Adeò ſpreta in tempore gloria, interdum cumulatior redit. *Noſter in epiſt.* Gloria vmbra virtutis eſt, etiam inuitos comitabitur.

6. VLTRO REPETANT.] *Agant, qui ſunt rei.*

7. SVPPRESSIT.] *Meus*, ſuſpenſis. *haud malè, ſed tum quoque velim*, diſſimulatiſve, *diſiungendo, non copulando.*

D 8. ANIMI.] *Idem liber*, cauſe. *quid lateat, neſcio. nam vulgata per quidem bona videtur.*

9. NON CITÒ.] *A Mureto eſt. nam editi hactenus* concitò odiſſe. *Et ſententiam haud improbam effecit; niſi quòd vocula* citò *redundat, nec aptè cum* properandi *verbo texetur. Alij quidam ſcripti*, quàm citò adiſſe: *alij*, odiſſe: *at meo vox ea nulla eſt, ſcribiturq́:* quàm citò properaueris.

CAP. II. 10. DVMTAXAT.] *Ad ſequens verbum referes. nihil in conſilia ipſa poteſt, nec mutat quin bona, talia ſint: ſed tantùm in euentus. Etſi vel ſic vox ſuſpecta. meus diuiſim ſcribebat*, dum taxat: *aliquo etiam ſenſu.*

11. VOLVNTAS.] *Adſidet hoc Apuleÿ*: Omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in caſu eſt.

12. QVOD TVRPE.] *In meis*, Quod ipſe. *Et ita eſt. ad Liberalem refertur, de quo paullò antè:* longè aliud eſt, quàm mente concipis. *In eo igitur erras, inquit, quod exiſtimas virum bonum beneficijs vinci.*

13. RENVNCIABIT.] *Conditioni huic, aut amico certamini.*

14. STATIONE.] *A militiâ. in quâ nefas ſtationem & excubias deſerere.*

CAP. III. 15. LACEDÆMONII.] *Ex decreto ſiue rhetrâ Lycurgi. An ea obtinuit Romanorum hoc tempore? vix videtur, ex Propertio, & Philoſtrato: at tu vide Turnebum* XXVII. *Aduerſ. cap.* VIII. *Petrum Fabrum libro* I. *Agoniſtic. cap.* XII. *&* IX.

16. PANCRATIO.] *Pugilatus eſt, & gloſſis antiquis*, παγκρατιαστὴς, pugil, pugillator: *ſed cum diſcrimine à Ceſtu. Quod & Seneca hîc innuit, & ſeorſim ponit: itemq́ Propertius:*

Et patitur duro vulnera pancratio:
Nunc ligat ad ceſtum gaudentia brachia loris.

Pancratiaſtes igitur eſt, qui nudis manibus pugniſq́, nexus miſcet, ſed & pedibus ac toto corpore certat. Inde nomen Græcis, quòd viribus & omni robore aduocato: ſicut & eoſdem παμμάχους *vocant. Imò & Lucta huic certamini mixta. At Ceſtus, ſimpliciùs, etſi grauiùs, pugnat. Nam is manus obarmat (ſunt enim Ceſtus ſegmenta lorea, grauia, bullis ſiue nodis è ferro, ære, plumbo interſtincta) & pondere illo caput, genas, collum aduerſarij aut pectus quatit.*

17. METAM.] *Pleraque ſcripta lectio* Cretam: *& ita vocabant. vide epiſt.* CVIII.

18. TER ABIECTVS.] *Suidas, in verbo* τριαχθῆναι.

magno æstimarent, ab his certaminibus remouerunt, in quibus victorem facit non iu- A
dex, non per se ipse exitus, sed [19] vox cedentis, & [20] tradere iubentis. Hoc quod illi in ciuibus suis custodiunt, virtus ac bona voluntas omnibus præstat, ne vmquam vincantur: quoniam quidem etiam [21] inter superantia animus inuictus est. Ideò nemo trecentos Fabios victos dicit, sed occisos. Et Regulus captus est à Pœnis, non victus: & quisquis alius sæuientis fortunæ vi ac pondere oppressus, non submittit animum. In beneficijs idem est. plura aliquis accepit, maiora, frequentiora: non tamen victus est. Beneficia fortasse beneficijs victa sunt, si inter se data & accepta computes: si dantem & accipientem comparaueris, quorum animi & per se æstimandi sunt, penes neutrum erit palma. Solet enim fieri, vt etiam cùm alter multis vulneribus confossus est, alter leuiter
IV. quidem saucius, pares exisse dicantur, quamuis alter videatur inferior. Ergo nemo vinci potest beneficijs: si scit debere, si vult referre, [22] si quod rebus non potest, animo æquat. Hic, quàm diu in hoc permanet, quàm diu tenet voluntatem, gratum animum signis [23] approbat: quid interest, ab vtrâ parte munuscula plura numerentur? Tu mul- B
ta dare potes: at ego tantum accipere possum. tecum stat fortuna: mecum bona voluntas. tamen tam par tibi sum, quàm multis armatissimis nudi, aut leuiter armati. Nemo itaque beneficijs vincitur: quia tam gratus est quisque, quàm voluit. Nam si turpe est beneficijs vinci, non oportet à præpotentibus viris accipere beneficium, quibus gratiam referre non possis. A principibus dico, à regibus: quos eo loco fortuna posuit, ex quo largiri multa possent, pauca admodum & imparia datis recepturi. Reges & principes dixi, quibus tamen potest opera nauari, & quorum illa excellens potentia per animorum [24] consensum ministeriumque constat. Sunt quidam extra omnem subducti cupiditatem, qui vix vllis humanis desiderijs continguntur: quibus nihil potest præstare ipsa fortuna. Necesse est à Socrate beneficio vincar: necesse est à Diogene, qui per medias Macedonum gazas nudus incessit, calcatis regijs opibus. [25] Nónne ille tunc meritò & sibi & ceteris, quibus ad dispiciendam veritatem non erat offusa caligo, supra eum eminere visus est, infra quem omnia iacebant? Multo potentior, multo locupletior fuit, C
omnia tunc possidente Alexandro. plus enim erat, quod hic nollet accipere, quàm
V. quod ille posset dare. Non est turpe, ab his vinci. neque enim minùs fortis sum, si cum inuulnerabili me hoste committis: nec ideò ignis minùs vrere potest, si in materiam incidit inuiolabilem flammis: nec ideò ferrum secandi vim perdidit, si non recipiens ictum lapis solidus, inuictæque aduersus dura naturæ, diuidendus est. Idem tibi de homine grato respondeo. Non turpiter vincitur beneficijs, si ab his obligatus est, ad quos aut fortunæ magnitudo, aut eximia [26] virtus aditum redituris ad se beneficijs clausit. A parentibus ferè vincimur. nam tam diu illos [27] odio habemus, quàm diu graues

19. VOX CEDENTIS.] *Disertè de Voce. & Plutarchus hoc voluit, cùm in istâ re caussam reddit prohibitionis eius Lycurgi (in Laconicis)* ὅπως μηδεὶς αὐτῶν ἐν τῷ πονεῖν ἀπαυδᾶν ἐθίζηται: nequis assuesceret in laboribus despondere animum, & voce id fateri.

20. TRADERE.] *Manu porrectâ id significantis. nam ea confessionis, & prælationis illius nota. Plutarchus in Lycurgo*: ea sola certaminum permisisse ciuibus, ἐν οἷς χεὶρ οὐκ ἀνατείνεται: in quibus manus non protenditur. *ad hanc nempe confessionem. Prouerbium innotuit*, Manum dare.

21. INTER SVPERAN.] *Ex istis Pincianus argutè faciebat:* in ter superatis, *quia de Luctatore ter abiecto præiuit. Sed Senecæ verba nunc de Spartano toto instituto, non de Luctâ sunt. Meus liber*, intus superantiam. *Certum mihi rescribere:* intus superati animus. *hoc sensu, Hominis etiam superati animus, intus inuictus est.*

CAP. IV. 22. SI QVOD.] *Meus*, quidem. *Lego*, Si quem, *molliore sensu.*

23. APPROBAT.] *Ex eodem meo*, approbandi. *Signis, id est rebus externis: atque omnino sic legendum.* D

24. CONSENSVM.] *Politicum dictum. Liuius* 11. Vires imperij in consensu obedientium sunt.

25. NÓNNE ILLE.] *Scripti*, O nè. *quod planè verum est, exclamandi particulâ, & alterâ affirmandi. Meus*, Omne *refert.*

CAP. V. 26. VIRTVS.] *Vt de Socrate & Diogene dictum.*

27. ODIO.] *Ea vox abest à scriptis libris. nec mirari conuenit, sed fortiter relegare. Deprauat sententiam. quæ germana est, Parentes tamdiu in vitâ habemus, atque ijs fruimur; quamdiu in adolescentiâ eos ferè grauamur. Vbi firmior ætas firmius iudicium dedit; tunc abeunt, & moriuntur. Itaque grati non*

A graues iudicamus, & quàm diu beneficia illorum non intelligimus. Cùm iam ætas aliquid prudentiæ collegit, & apparere cœpit, propter illa ipsa eos amari à nobis debere, propter quæ non amabantur, admonitiones, seueritatem, & inconsultæ adolescentiæ diligentem custodiam, rapiuntur [28] nobis. Paucos vsque ad verum fructum à liberis percipiendum perduxit ætas: ceteri liberos [29] onere senserunt. Non est tamen turpe, vinci beneficijs à parente. quídni non sit turpe, cùm à nullo turpe sit? Quibusdam enim & pares, & impares sumus. pares animo, quem solum illi exigunt, quem nos solum promittimus: impares fortunâ, quæ si cui obstitit quò minùs referret gratiam, non ideò illi tamquam victo erubescendum est. Non est turpe, non consequi, dummodò sequaris. Sæpè necesse est, antè alia beneficia petamus, quàm priora reddidimus. Nec ideò non petimus, aut turpiter petimus, quia non reddituri debebimus: quia non per nos erit mora, quò minùs gratissimi simus. Sed interueniet aliquid extrinsecus, quod prohibeat. nos tamen nec vincemur animo, nec turpiter his rebus superabimur, quæ non sunt in
B nostrâ potestate. Alexander Macedonum rex gloriari solebat, à nullo se beneficijs victum. Non est quòd nimius animi Macedonas, & Græcos, & Caras, & Persas, & nationes districtas [30] sine exercitu suspiciat: ne hoc sibi præstitisse regnum, à Thraciæ angulo porrectum vsque ad litus incogniti maris, iudicet. Eâdem re gloriari Socrates potuit, eâdem Diogenes, à quo victus est. Quid ni victus sit illo die, quo homo supra mensuram humanæ superbiæ tumens, vidit aliquem, cui nec dare quidquam posset, nec eripere? [31] Archelaus rex Socratem rogauit, vt ad se veniret. dixisse Socrates traditur, *Nolle se ad eum venire, à quo acciperet beneficia, cùm reddere illi paria non posset.* Primùm, in ipsius potestate erat, non accipere: deinde ipse dare beneficium prior incipiebat. Veniebat enim rogatus, & id dabat, quod vtique ille non erat Socrati redditurus. [32] Etiamnum Archelaus daturus erat aurum & argentum, recepturus contemptum auri & argenti. Non poterat ergo Archelao referre Socrates gratiam? & quid tantum erat accepturus, quantum dabat, si ostendisset hominem vitæ ac mortis peritum, vtriusque
C [33] fines tenentem? Si regem, in luce mediâ errantem, ad rerum naturam admisisset, vsqueeò eius ignarum, vt quo die solis defectio fuit, regiam cluderet, & filium (quod in luctu ac rebus aduersis [34] moris est) tondêret? Quantum fuisset beneficium, si timentem è latebris suis extraxisset, & bonum animum habere iussisset, dicens: Non est ista solis defectio, sed duorum siderum coitus, cum luna humiliore currens viâ, infra ipsum solem, orbem suum posuit, & illum obiectu sui abscondit: quæ modò partes eius exiguas, si in transcursu strinxit, obducit; modò plus tegit, si maiorem partem sui obiecit; modò excludit totius adspectum, si recto libramento inter solem terrasque media successit? Sed iam ista sidera huc & illò diducet velocitas sua. iam recipient diem terræ, & hic ibit ordo per sæcula: quæ dispositos ac prædictos dies habent, quibus sol intercursu lunæ vetetur omnes radios effundere. Paullùm exspecta. iam emerget, iam istam velut nubem relinquet, iam exsolutus impedimentis, lucem suam liberè mittet. Socratres parem gratiam Archelao referre non posset, si illum docuisset regnare? parùm scilicet magnum beneficium à Socrate accipiebat, si vllum [35] dare potuisset Socrati? Quare ergo
D hoc

VI.

non sumus, quia cùm possumus, non intelligimus: cùm hoc, & volumus, serum est, & iam fuerunt.

28. NOBIS.] *Meus*, à nobis.

29. ONERE.] *Non beneficio. Educandi, monendi, dirigendi labores habuêre: fructum, nisi in tacitâ spe & gaudio vix vllum.*

CAP. VI. 30. SINE EXERCITV.] *An hoc vult, ligatas obnoxiasq; fuisse, etiam sine exercitu, solometu & viri gloriâ attonitas? An placebit rescribi*, suo exercitu?

31. ARCHELAVS.] *Macedonum rex fuit, qui in venatione ex vulnere fortuito obijt, ipso anno quo Socrates. Diodorus libro* XIV. *De ipsâ re, breuiter Diogenes:* Aspernatus est magno animo Archelaum Macedonem, Scopam Cranonium, & Eurylochum Larissæum, cùm nec pecunias ab ijs missas accepit, nec ipse ad eos ire voluit.

32. ETIAMNVM.] *Ea vocula interrogatione efferenda est*: Etiamnum? Archelaus *&c. Valet, Estne amplius? Addóne etiam?*

33. FINES.] *Quatenus, & quomodo, viuere ac mori oporteret.*

34. MORIS EST.] *Græcis quidem. nam Romanis contrà.*

35. DARE.] *Id est, ipsum illud beneficium erat capere, tanto viro dare.*

hoc Socrates dixit? Vt facetus, & cuius per figuras sermo procedere solitus erat, derisor A
omnium, maximè potentium, maluit illi [36] vafrè negare, quàm contumaciter ac superbè. Dixit se nolle beneficia ab eo accipere, cui non posset paria reddere. Timuit fortasse, ne cogeretur accipere quæ nollet: timuit, ne quid indignum Socrate acciperet. Dicet aliquis: Negaret, si nollet. Sed instigasset in se regem insolentem, & omnia sua magno æstimari volentem. Nihil ad rem pertinet, vtrùm dare aliquid regi nolis, an accipere à rege: in æquo vtramque potuit repulsam. & superbo fastidiri acerbius est, quàm non timeri. Vis scire, quid verè noluerit? Noluit ire ad voluntariam [37] seruitutem is, cui-
VII. us [38] libertatem ciuitas libera ferre non potuit. Satis (vt existimo) hanc partem tractauimus, an turpe esset beneficijs vinci: quod qui quærit, scit non solere homines sibiipsis beneficium dare. manifestum enim fuisset, non esse turpe à seipso vinci. Atqui apud Stoicos quosdam & de hoc ambigitur, an possit aliquis sibi beneficium dare? an debeat referre sibi gratiam? quod vt videretur quærendum, illa fecerunt. Solemus dicere, *Gratias mihi ago*, &, *De nullo queri possum alio, quàm de me*: *Ego mihi irascor*, &, *Ego à me* B
pœnas exigam. &, *Odi me.* multa præterea huiusmodi, per quæ vnusquisque de se, tamquam de altero loquitur. Si nocere, inquit, mihi possum: quare non & beneficia mihi dare possum? Præterea quæ si in alium contulissem, beneficia vocarentur: quare si in me contuli, non sint? Quòd si ab altero accepissem, deberem: quare si mihi ipse dedi, non debeam? Quare sim aduersus me ingratus, quod non minùs turpe est, quàm in se sordidum esse, & in se durum ac sæuum, & sui negligentem? Tam alieni corporis leno malè audit, quàm sui. Nempe reprehenditur assentator, & aliena subsequens verba, paratus ad falsa laudator: non minùs placens sibi, & se suspiciens, &, vt ita dicam, assentator suus. Vitia non tantùm cùm foris peccant, inuisa sunt, sed cùm in se retorquentur. Quem magis admiraberis, quàm qui imperat sibi, quàm qui se habet in potestate? Gentes facilius est barbaras, impatientesque alieni arbitrij, regere, quàm animum suum continere, & [39] tradere sibi. Plato, inquit, agit Socrati gratias, quòd ab illo didicit: quare Socrates non agat, quòd ipse se docuit? M. Cato ait: *Quod tibi* [40] *deest*, [41] *à teipso mutuare.* C
quare donare mihi non possùm, si commodare possum? Innumerabilia sunt, in quibus consuetudo nos [42] diuidit. Dicere solemus: *Sine tu, loquar mecum*: &, *Ego mihi aurem peruellam.* Quæ si vera sunt, quemadmodum aliquis sibi irasci debet, sic & gratias agere: quomodo obiurgare se, sic & laudare: quomodo damno sibi esse, sic & lucro potest. Iniuria & beneficium, contraria sunt. si de aliquo dicimus, *Iniuriam sibi fecit*: po-
VIII. terimus dicere, *Beneficium sibi dedit.* [43] Nemo sibi debet. naturâ prius est, vt quis debeat, deinde vt gratiam referat. debitor non est sine creditore, non magis quàm maritus sine vxore, aut sine filio pater. Aliquis dare debet, vt aliquis accipiat: non est dare, nec recipere, in dexteram manum de sinistrâ transferre. Quomodo nemo se portat, quamuis corpus suum moueat & transferat: quomodo nemo, quamuis pro se dixerit, [44] affuisse sibi dicitur, nec statuam sibi tamquam [45] patrono ponit: quomodo si æger cùm curâ suâ conualuit, mercedem à se non exigit: sic in omni negotio, etiam cùm
[46] ali- D

36. VAFRE.] *Cur non cum libris*, nasutè?

37. SERVITVTEM.] *Noti Sophoclæi versus*:

Ὅστις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται,
Κεἰνῳ̃ σὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ:

Ad regias qui conferet domus gradum,
Fit seruus istîc, liber etsi aceesserat.

38. LIBERTATEM.] *In monendo, & corripiendo. Atque eam veram caussam odÿ, & ex eo mortis, produnt.*

CAP. VII. 39. TRADERE SIBI.] *Vt sit suæ potestatis. non seruiat affectibus, aut corpori ancilletur.*

40. DEEST.] *Meus*, deerit.

41. A TEIPSO.] *Opinor acutè dici, Para à te ipso patientiam. careas, nec appetas.*

42. DIVIDIT.] *Ex vno duos facit.*

CAP. VIII. 43. NEMO SIBI.] *Caput hîc nouum feci. nam res tota alia, & orditur iam refutare. Abruptè satis, fateor; si tamen hæc plena.*

44. AFFVISSE.] *Patrocinio vel aduocatione iuuisse. Fori verbum est. Ouidius*:

Munera det diues, ius qui profitebitur, adsit.

45. PATRONO.] *Quod liberti, aut clientes (ad istos hîc spectat) sollenniter solent: & bases cum eiusmodi titulis multæ exstant.*

46. ALI-

A [46] aliquis probè fecerit, non tamen debebit referre gratiam ſibi, quia non habebit, [47] cui referat. Vt concedam aliquem dare ſibi beneficium: dum dat, & recipit. vt concedam aliquem à ſe accipere beneficium, dum accipit, reddit. Domi (quod aiunt) [48] verſura fit, & velut [49] luſorium nomen ſtatim tranſit. Neque enim alius dat quàm qui accipit, ſed vnus atque idem. Hoc verbum DEBERE, non habet niſi inter duos locum: quomodo ergo in vno conſiſtit, qui ſe obligando liberat? Vt in orbe ac pilâ nihil eſt imum, nihil ſummum, nihil extremum, nihil primum, [50] quia motu ordo mutatur, & quæ ſequebantur prȩcedunt, & quæ occidebant oriuntur, omnia quomodocumque ierint, in idem reuertuntur: ita in homine exiſtima fieri. cùm illum in multa mutaueris, vnus eſt. Cecîdit ſe: iniuriarum cum quo agat, non habet. alligauit & clauſit: de vi non tenetur. beneficium ſibi dedit: protinus danti reddidit. Rerum natura nihil dicitur perdere, quia quidquid illi auellitur, ad illam [51] redit: nec perire quidquam poteſt, quod quò excidat non habet, ſed eódem reuoluitur vnde diſcedit. Quid ſimile, inquit, habet hoc exem-
B plum propoſitæ quæſtioni? dicam. Puta te ingratum eſſe, non peribit beneficium: habet illud, qui dedit. puta te recipere nolle: apud te eſt, antequam redditur. Non potes quidquam amittere: quia quod detrahitur, nihilominus tibi acquiritur. Intra teipſum orbis agitur. accipiendo das, dando accipis. Beneficium, inquit, ſibi dare oportet: ergo & referre gratiam oportet. Primum illud falſum eſt, ex quo pendent ſequentia. Nemo enim ſibi beneficium dat, ſed naturæ ſuæ paret, à quâ ad caritatem ſui compoſitus eſt: vnde illi ſumma cura eſt nocitura vitandi, profutura appetendi. Itaque nec liberalis eſt, qui ſibi donat: nec clemens, qui ſibi ignoſcit: nec miſericors, qui malis ſuis tangitur. Quod alijs præſtare liberalitas eſt, clementia, miſericordia: ſibi præſtare, natura eſt. Beneficium res voluntaria eſt: at prodeſſe ſibi, [52] neceſſarium eſt. Quò quis plura beneficia dedit, beneficentior eſt. Quis vmquam laudatus eſt, quòd ſibijpſi fuiſſet auxilio? quòd ſe eripuiſſet latronibus? nemo ſibi beneficium dat, non magis quàm hoſpitium: nemo ſibi donat, non magis quàm credit. Si dat ſibi quiſque beneficium,
C ſemper dat, ſine intermiſſione dat: inire beneficiorum ſuorum non poteſt numerum. Quomodo ergo gratiam referet, cùm per hoc ipſum, quo gratiam refert, beneficium det? Quomodo enim diſcernere poterit, vtrùm det ſibi beneficium, an reddat, cùm intra eumdem hominem res geratur? Liberaui me periculo: beneficium mihi dedi. iterum me periculo libero: do beneficium, an reddo? Deinde vt primum illud concedam, dare nos beneficium nobis: quod ſequitur, non concedam. nam etiam ſi damus, non debemus. quare? quia ſtatim recipimus. Accipere beneficium nos oportet, deinde debere, deinde referre. Debendi locus non eſt, quia ſine vllâ morâ recipimus. Dat nemo, niſi alteri: debet nemo, niſi alteri: reddit nemo, niſi alteri. Id intra vnum non poteſt fieri, quod toties duos exigit. Beneficium eſt, præſtitiſſe aliquid vtiliter. verbum au- X.
tem *Præſtitiſſe*, ad alios ſpectat. Numquid non demens videbitur, qui aliquid vendidiſſe ſibi ſe dicet? quia venditio alienatio eſt, & rei ſuæ, iuriſque ſui, in alium [53] tranſlatio. Atqui quemadmodum vendere, ſi dare aliquid, à ſe dimittere eſt, & id quod te-
D nueris,

46. ALIQVIS PROBE.] *Vetus ſcriptio*: aliquid prodeſſe ſibi: *quod ego fecerim*, aliquid probè ſibi fecerit.

47. CVI REFERAT.] *Meus*, quò referat. *quod hominem locumq; diuerſum magis notat.*

48. VERSVRA.] *Verſuram facere*, ait *Donatus*, eſt creditorem mutare, & fœnus fœnore diſſoluere. *Domi autem ea fit, cùm vt ſuprà dictum, à nobis ipſis mutuamur. Vide epiſt.* XIX.

49. LVSORIVM.] *Inane, nec verum. Ita arma* luſoria, *quæ veris & decretorijs opponuntur. ita* Spectaculum non fidele, & luſorium. *epiſt.* LXXIX.

50. QVIA MOTV.] *Meus negationem inſerit, quia neque motu. & res ita habet: dixitq; clarè,* nihil primum eſſe, nihil extremum. *Opinione tamen noſtrâ tale aliquid poteſt: ac vide Ariſtotelem, ſi vis,* II. *de Cælo, cap.* II.

51. REDIT.] *Amiſsâ formâ, in aliam: & æterna materia prima. Vide epiſt.* XXXVI.

CAP. IX. 52. NECESSARIVM.] *Eo modo, quo neceſſaria dicuntur,* οὕτως ἔχοντα καὶ πεφυκότα: ita ſe habentia, & ſic nata. *Ariſtoteles* I. *De part. Animal. cap.* I. *Adde cap.* V. *lib.* V. *Metaph.*

CAP. X. 53. TRANSLATIO.] *Legitima definitio, & Imperatoriæ illi conſonans:* Alienatio eſt omnis actus, per quem dominium tranſfertur.

54. ALI-

nueris, habendum alteri tradere. Quod si est, beneficium nemo sibi dedit: quia nemo A
dat sibi [54] aliquid. Duo contraria in vnum coëunt, vt idem sit dare, & accipere. Sed etiamnum multum interest, inter dare, & accipere. quidni? cùm ex diuerso ista verba posita sint. atquí si quis sibi beneficium dat, nihil interest inter dare & accipere. [55] Paulò antè dicebam, quædam ad alios pertinere, & sic esse formata, vt tota significatio illorum discedat à nobis. Frater sum, sed alterius. nemo est enim suus frater. Par sum, sed alicui. qui est enim par sibi? Quod comparatur, sine altero non intelligitur: quod iungitur, sine altero non est. Si & quod datur, sine altero non est: & beneficium sine altero non est. Id ex ipso vocabulo apparet, in quo hoc continetur, benefeciisse. Nemo autem sibi benefacit; non magis quàm sibi fauet, quàm suarum partium est. Diutiùs hoc & pluribus exemplis licet prosequi. quidni? cùm inter ea sit habendum beneficium, quæ secundam personam desiderant. Quædam cùm sint honesta, pulcherrima, summæ virtutis, nisi cum altero non habent locum. Laudatur, & inter maxima humani generis

XI. bona, fides [56] colitur. num quis ergo dicitur sibi fidem præstitisse? Venio nunc B
ad [57] vltimam partem. Qui gratiam refert, aliquid debet impendere, sicut qui soluit pecuniam: nihil autem impendit, qui gratiam sibi refert, non magis quàm consequitur, qui beneficium à se accepit. Beneficium & gratiæ relatio, vltrò citroque ire debent: intra vnum hominem non est vicissitudo. Qui ergo gratiam refert, inuicem prodest ei, à quo consecutus est aliquid: qui sibi gratiam refert, cui prodest? sibi. Et quis non alio loco relationem gratiæ, alio beneficium cogitat? Qui gratiam sibi refert, sibi prodest. & quis vmquam ingratus hoc noluit facere? imò quis non ingratus fuit, vt hoc faceret? Si gratias, inquit, nobis agere debemus, & gratiam referre debemus. Dicimus autem, *Ago gratias mihi, quòd illam vxorem nolui ducere, & cum illo non contraxi societatem.* Cùm hoc dicimus, laudamus nos: & vt factum nostrum comprobemus, gratias agentium verbis abutimur. Beneficium est quod potest, & cùm datum est, non reddi: qui sibi beneficium dat, non potest non recipere, quod dedit: ergo non est beneficium. Alio tempore beneficium accipitur, alio redditur. In beneficio hoc est probabile, & suspi- C
ciendum, quòd alteri vt aliquis prodesset, vtilitatis interim suæ oblitus est: quòd alteri dedit, ablaturus sibi. hoc non facit, qui beneficium sibi dat. Beneficium dare, socialis res est, aliquem conciliat, aliquem obligat: sibi dare, non est socialis res, neminem conciliat, neminem obligat, neminem in spem inducit, vt dicat: Hic homo colendus est. illi beneficium dedit: dabit & mihi. Beneficium est, quod quis non suâ causâ dat, sed eius cui dat: is qui sibi beneficium dat, suâ causâ dat: non est ergo beneficium.

XII. Videor tibi iam illud, quod in principio dixeram, mentitus? Dicis me abesse ab eo qui [58] operæpretium facit: imò totam operam bonâ fide perdere? Exspecta. etiam hoc veriùs dices, simul ac te ad has latebras perduxero: à quibus cùm euaseris, nihil amplius assecutus eris, quàm vt eas difficultates effugias, in quas licuit non descendere. Quid enim boni est, nodos operosè [59] soluere, quos ipse vt solueres, feceris? Sed quemadmodum quædam in oblectamentum ac iocum sic alligantur, vt eorum solutio imperito difficilis sit: quæ ille qui implicuit, sine vllo negotio separat; quia commissuras eorum D
[60] & moras nouit: & nihilominus illa habent aliquam voluptatem. tentant enim acumen animorum & intentionem excitant: ita hæc quæ videntur callida & insidiosa, securitatem, torporem ac segnitiem ingenijs auferunt, quibus modò campus in quo vagentur,

54. ALIQVID.] *Perplacet Gruteri correctio*: dat sibi. Alioqui duo contraria.

55. PAVLLOANTE.] *Initio Capitis*: Præstitisse, ad alios spectat.

56. COLITVR.] *Liuius libro* IX. *de Romanis*: Apud quos iuxta diuinas religiones Fides colitur. *Et habuit Romæ iam à Numâ sacrariũ, aut templum.*

CAP. XI. 57. VLTIMAM.] *An* alteram? *Intellegit hoc quod obiectum erat (initio cap.* IX.) Beneficium sibi dare potest, ergo & referre gratiam. *Prius membrum de Beneficio, refutauit: nunc hoc alterum, de Gratiâ.*

CAP. XII. 58. OPERÆPRETIVM.] *Alludit ad verba primi Capitis, atque ipsa repetit. vide.*

59. SOLVERE.] *Aristippi in ijs lepidum dictum*: Proponente quodam captiunculam, & vt solueret vrgente: O fatue, inquit, quid opus soluere, quod etiam ligatum exhibet negotium?

60. ET MORAS.] *Vulgò*, mores. *Illud aptius, & tamen aptius vellem. An fuit*, ex more?

61. SCA-

A gentur, ſternendus eſt, modò [61] ſcabri aliquid & confragoſi obijciendum, per quod erepant, & ſollicitè veſtigium faciant. Dicitur nemo ingratus eſſe. id ſic colligitur. Beneficium eſt quod prodeſt: prodeſſe autem nemo homini malo poteſt, vt dicitis Stoici: ergo beneficium non accipit malus: itaque nec ingratus eſt. Etiamnum, beneficium honeſta & probabilis res eſt. Apud malum nulli honeſtæ rei aut probabili locus eſt: ergo nec beneficio: quod ſi accipere non poteſt, nec reddere quidem debet. & ideò non fit ingratus. Etiamnum, vt dicitis: Bonus vir omnia rectè facit: ſi omnia rectè facit, ingratus eſſe non poteſt. Bonus beneficium reddit; malus non accipit. quod ſi eſt, nec bonus quiſquam ingratus eſt, nec malus. ita ingratus in rerum naturâ eſt nomen, & hoc inane. Vnum eſt apud nos bonum, honeſtum. id peruenire ad malum non poteſt: deſinit enim malus eſſe, ſi ad illum virtus intrauerit. Quamdiu autem malus eſt, nemo illi dare beneficium poteſt: quia bona malaque diſſentiunt, nec in vnum eunt. Ideò nemo illi prodeſt: quia quidquid ad illum peruenit, id prauo vſu corrumpit. Quemad-
B modum ſtomachus morbo vitiatus, & colligens bilem: quoſcumque accepit cibos mutat, & omne alimentum in cauſſam doloris trahit; ita animus cæcus, quidquid illi commiſeris, id onus ſuum, & perniciem, & occaſionem miſeriæ facit. Feliciſſimis itaque opulentiſſimiſque plurimum æſtus ſubeſt, minuſque ſe inueniunt, quò in maiorem materiam inciderunt, quâ fluctuarentur. Ergo nihil poteſt ad malos peruenire, quod proſit: imò nihil quod non noceat. Quæcumque enim illis contigerunt, in naturam ſuam vertunt, & extrà ſpecioſa, profuturaque ſi meliori darentur, illis peſtifera ſunt. Ideò nec beneficium dare poſſunt: quoniam nemo poteſt, quod non habet, dare: [62] hic benefaciendi voluntate caret. XIII. Sed quamuis hæc ita ſint, accipere tamen malus poteſt, quæ beneficijs ſimilia ſint: quibus non redditis, ingratus erit. Sunt animi bona, ſunt corporis, ſunt fortunæ. Illa animi bona, à ſtulto ac malo ſubmouentur: ad hæc admittitur, quæ & accipere poteſt, & debet reddere: & ſi non reddit, ingratus eſt. Nec hoc ex noſtrâ conſtitutione tantùm. Peripatetici quoque, qui felicitatis humanæ [63] longè la-
C teque terminos ponunt, aiunt, minuta peruenire beneficia ad malos. hæc qui non reddit, ingratus eſt. Nobis itaque beneficia eſſe non placet, quæ non ſunt animum factura meliorem: [64] commoda tamen illa eſſe, & expetenda, non negamus. Hæc & viro bono dare malus poteſt, & accipere à bono: vt pecuniam, veſtem, honores, & vitam. quæ ſi non reddet, in ingrati nomen incidet. At quomodo ingratum vocas, eo non reddito, quod negas eſſe beneficium? Quædam etiamſi vera non ſint, propter ſimilitudinem eodem vocabulo comprehenſa ſunt. Sic [65] pyxidem, & argenteam & auream dicimus. ſic illitteratum, non ex toto rudem, ſed ad litteras altiores non perductum. ſic qui malè veſtitum & pannoſum vidit, nudum ſe vidiſſe dicit. Beneficia iſta non ſunt: habent tamen beneficij ſpeciem. Quomodo iſta ſunt tamquam beneficia: ſic & ille tamquam ingratus eſt, non ingratus. Falſum eſt. quia illa beneficia, & qui dat appellat, & qui accipit. Ita & qui veri beneficij ſpecie fefellit, tam ingratus eſt, quàm veneficus, qui [66] ſoporem cùm venenum crederet, miſcuit. XIV. Cleanthes vehementiùs agit. Licet, in-
D quit, beneficium non ſit quod accipit, ipſe tamen ingratus eſt: quia non fuit redditurus, etiam ſi accepiſſet. Sic latro eſt, etiam antequam manus inquinet: quia ad occidendum iam armatus eſt, & habet ſpoliandi atque interficiendi voluntatem. Exercetur & aperitur opere nequitia, non incipit. Ipſum quod accepit, beneficium non erat, ſed vocabatur. Sacrilegi dant pœnas, quamuis nemo vſque [67] ad deos manus porrigat. Quo-

61. SCABRI.] *Eſt à Pinciano. at libri omnes* crebri. *valdè fallor, aut* creperi *fuit.*

62. HIC BENEF.] *Sententia redditur*, ſic, *ſcribendo.*

CAP. XIII. 63. LONGE LATEQVE.] *Nam & corporis ac fortunæ bona ad Summum bonum admittunt.*

64. COMMODA.] Εὔχρηςα *Stoicorum voce: de quibus in Manud.* II. *Diſſert.* XXIII.

65. PYXIDEM.] *Contra vim verbi, quia* πυξὶς *Græcis eſt* ἀπὸ τῦ πύξου: *Latinè* Buxidem *dicas, à* Buxo. *Atqui à ligno metalla abeunt.*

66. SOPOREM.] *Medicamentum ſoporiferum,* ὑπνωτικὸν, *vt ille Domitij medicus ſuprà, lib.* III. *cap.* XXIII. *dedit. Ita Gloſſæ* Soporem, κάρωσιν *exponunt: id eſt,* ſoporationem: *& Seneca epiſtolâ* LXXXIII. Nec ſopore ſumpto, dormiturum.

CAP. XIV. 67. AD DEOS.] *Meus,* ad cælos: *& verum*

Quomodo, inquit, aduersus malum ingratus est quisquam, cùm malo dari beneficium A non possit? Eâ scilicet ratione, quia accepit ab illo aliquid ex his, quæ apud imperitos bona sunt: quorum si malis copia est, ipse quoque in simili materiâ gratus esse debebit: & illa qualiacumque sunt, cùm pro bonis acceperit, pro bonis reddere. [68] Æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium formâ publicâ percussum, quale apud [69] Lacedæmonios fuit, quod vsum numeratæ pecuniæ præstat. Quo genere obligatus es, hoc fidem exsolue. XV. Quid sint beneficia, an & in hanc sordidam humilemque materiam deduci magnitudo nominis clari debeat; ad vos non pertinet: [70] ad alios spectat verum. Vos ad speciem veri componite animum: & dum honestum dicitis, quidquid est id, quod nomine honesti iactatur, id colite. Quomodo, inquit, nemo per vos ingratus est, sic rursus omnes ingrati sunt. Nam (vt dicitis) omnes stulti mali sunt: qui autem habet vitium vnum, [71] habet omnia: omnes autem stulti & mali sunt. omnes ergo ingrati sunt. Quid ergo? non vndique humano generi conuicium fit? non publica querela est, beneficia [72] periisse, & pauciſſimos esse, qui de benemerentibus non B inuicem pessimè mereantur? Nec est quòd hanc tantùm nostram murmurationem putes, pro pessimo prauoque numerantium, quidquid citra recti formulam [73] cecidit. Ecce [74] nescio, quæ, non ex philosophorum domo clàm, sed ex medio conuentu, populos gentesque damnatura vox mittitur:

—— Non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero. fratrum quoque gratia rara est:
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.

Hoc iam amplius est. beneficia in scelus versa sunt: & sanguini eorum non parcitur, pro quibus sanguis fundendus est. Gladio ac venenis beneficia sequimur: ipsi patriæ manus afferre, & [75] fascibus suis illam premere, potentia ac dignitas est. Humili se ac depresso loco putat stare, quisquis non supra rempublicam stetit. Accepti ab illâ exercitus in ipsam conuertuntur, & imperatoria [76] concio est, Pugnate contra coniuges, pugnate contra liberos. aras, focos, penates, armis incessite. Qui ne triumphaturi quidem C intrare vrbem [77] iniussu senatus deberetis, quibusque exercitum victorem reducentibus curia [78] extra muros præberetur: nunc ciuibus cæsis, perfusi cruore cognato, vrbem [79] subrectis intrate vexillis. Obmutescat inter militaria signa libertas, & ille victor, pacator-

& verum est. De sententiâ, vide infrà, libro VII. *cap.* VII. *& De const. sap. cap.* IV.

68. ÆS ALIEN.] *Quia olim pecunia omnis in ære. vox igitur retenta, etsi argentum & aurum successit.*

69. LACEDÆMONIOS.] *Nicolaus Damascenus:* νομίσματι χρῶνται σκυτίνῳ: nummo vtuntur coriaceo.

CAP. XV. 70. AD ALIOS.] *Meus, & plerique scripti:* in alios quæritur verum. *Sententia quidem est. vos viles & è turbâ, vos stulti, frustrà de vero beneficio quæritis, eius non capaces: ad speciem & imaginem eius ite. veritas alijs quæritur.*

71. HABET OMNIA.] *Suprà, libro* IIII. *cap.* XXVI.

72. PERISSE.] *Catulli querela:*
Omnia sunt ingrata, nihil feciſſe benignè est.
Homeri iam olim: Odyss. δ.
— ἀλλ' ἔστι χάρις μετόπισθ' εὐεργέων:
— nec vlla est gratia post benefacta.

73. CECIDIT.] Occidit, *meus liber.*

74. NESCIO QVÆ.] *Idem ille*, nescio quemdam, qui non. *& paullo pòst*, clamat, *pro* clàm. *Legam:* Ecce nescio quem, qui non è philosophorum domo clamat, sed. *Enimuerò illud* clàm, *quod à Mureto est, non placet: nec enim Philosophi mussantes loquuntur, sed palàm & liberè conuicium moribus faciunt. Itaque si eius cetera lectio tenenda, tamen hîc faciam,* è phil. domunculâ. *Id enim genus angustius & vilius ferè habitant.*

75. FASCIBVS SVIS.] *Magistratibus & imperijs ab illâ datis. Ad Marium, Sullam, Cæsarem pertinet.*

76. CONCIO EST.] *Qualis illa Cæsaris, apud Lucanum:*
Tollite iam pridem victricia, tollite signa:
Viribus vtendum est, quas fecimus. arma D tenenti
Omnia dat, qui iusta negat.
Sed responsio deinde Lælij pulchra, & planè pro Senecæ mente. Vide.

77. INIVSSV.] *Nam Senatus primùm dabatur triumphaturo, in æde Bellonæ: atque ibi rebus expositis, ille fiebat auctor. Populus autem propriè* iubebat, *Senatus* decernebat. *Itaque hîc de* Iniussu, *non nimis ex formulâ. De solo tamen Senatu Seneca, pro more sui aut superioris æui, sub Principibus. nam olim, etiam inuito Senatu, populus sæpè dedit.*

78. EXTRA MVROS.] *Nec enim fas intrare vrbem cum imperio, sine auctoritate.*

79. SVBRECTIS.] *Vt in acie & pugnâ.*

80. AQVI-

A catorque gentium populus, remotis procul bellis, omni terrore compresso, intra muros obsessus, [80] aquilas suas horreat. Ingratus est Coriolanus: serò & post sceleris pœnitentiam pius. posuit arma, sed in medio parricidio posuit. Ingratus Catilina. parùm est illi capere patriam, nisi euerterit, nisi [81] Allobrogum in illam cohortes immiserit, & trans alpes accitus hostis, vetera & ingenita odia satiauerit, ac diu debitas [82] inferias [83] Gallicis bustis duces Romani persoluerint. Ingratus C. Marius, ad consulatum [84] à caligâ perductus: qui nisi Cimbricis cædibus Romana funera æquauerit, nisi ciuilis exitij & trucidationis non tantùm [85] dederit signum, sed [86] ipse signum fuerit, parùm [87] mutatam ac repositam in priorem locum fortunam suam sentiet. Ingratus L. Sulla: qui patriam durioribus remedijs quàm pericula erant, sanauit. qui cùm à Prænestinâ arce, vsque ad Collinam portam, [88] per sanguinem humanum incessisset, alia edidit in vrbe prælia, alias cædes: legiones duas, quod crudele est, post victoriam; quod nefas, post fidem, [90] in angulum congestas contrucidauit, & proscriptionem commentus B est: dij magni! vt qui ciuem Romanum occidisset, impunitatem, & [91] pecuniam, tantumnon [92] ciuicam acciperet. Ingratus Cn. Pompeius: qui pro tribus consulatibus, pro triumphis tribus, pro tot honoribus, quos ex maximâ parte [93] immaturus inuaserat, hanc gratiam reipublicę reddidit, vt in possessionem eius [94] alios quoque induceret, quasi potentiæ suæ detracturus inuidiam, si quod nulli licere debebat, pluribus licuisset: dum extraordinaria concupiscit imperia, dum prouincias, vt [95] eligat, [96] distribuit, dum ita [97] triumuiris remp. diuidit, vt tamen in suâ domo duæ partes essent, eò redegit populum Rom. vt saluus esse non posset, nisi beneficio [98] seruitutis. Ingratus ipse Pompeij hostis ac victor, qui à Galliâ Germaniaque bellum in vrbem circumegit, & ille plebicola,

XVI.

80. AQVILAS.] *Legiones suas.*

CAP. XVI. 81. ALLOBROGVM.] *Quos in societatem solicitauit.*

C 82. INFERIAS.] *De more. quiâ fuso hostili sanguine placare mortuos solent: idq; ad sepulchrum.*

83. GALLICIS BVSTIS.] *Locus ita Romæ dictus, vbi cæsi conditiq; à Camillo Galli. Liuius:* Mediâ vrbe, quâ nunc Busta Gallorum sunt. *Varro:* Is locus, ad Busta Gallica. quòd Româ recuperatâ, Gallorum ossa, qui possederant vrbem, ibi coaceruata ac consepta.

84. A CALIGA.] *Id est, à gregario milite, & ab imis ordinibus. Nam eorum* caliga: *&* caligati *inde militeș. Meus tamen* Gallicâ: *sed malè. Lapis vetus:* OMNIBVS. OFFICIIS. IN. CALIGA. FVNCTO.

85. DEDERIT SIG.] *In militiâ: cùm tesseram eundi Romam, & trucidandi dedit.*

D 86. IPSE SIGNVM.] *An quia eius adspectu monebantur, & miserum vindicabant? An potiùs, quia tacitum signum gestu, & à se dabat: vt videlicet interficerentur, quibuscumque manus osculum negasset? Plorus libro* III. Ancarius, ipso vidente Mario, confossus est, quia scilicet fatalem illam manum non porrexerat salutanti. *Augustinus* III. *De Ciu.* In ipsius autem Marij oculis continuò feriebantur, quibus salutantibus dextram porrigere noluisset. *Plutarchus in Mario:* Quoscumque salutantes, neque affatus esset, neque resalutasset complexúsve esset, hoc ipsum SIGNVM erat interficiendi eos in vijs.

87. MVTATAM.] *Libri scripti omnes*, multam. *quod tamen haud approbem, etsi placitum Pinciano.*

88. PER SANG.] *Quia ad Prænestę, & mox ad vrbem, pugnas aliquot pugnauit, & vicit cum magnâ cæde.*

89. LEGIONES DVAS.] *Idem noster.* Septem millia hominum, *De Clem.* I. *cap.* XII. *Vide.*

90. IN ANGVLVM.] *In ouile, quod erat in campo Martio. Alij, vt Florus, in* villam publicam.

91. PECVNIAM.] *Duo talenta, Plutarchus: id est,* mille ducentos *Philippéos.*

92. CIVICAM.] *Ludit, aut mordet. Quid superest, nisi vt Ciuicâ donentur,* Ob ciues *non* seruatos, *sed necatos?*

93. IMMATVRVS.] *Ne Senatoriâ quidem ætate: & bis triumphauit (Plinius lib.* VII.) *adhuc eques Romanus. Annos* XXIII. *natus res gerere cæpit, ciuili bello Sullæ adiunctus.*

94. ALIOS.] *M. Crassum, & C. Cæsarem, Triumuirali potentiâ inter ipsos constitutâ.*

95. ELIGAT.] *Sicut elegit Hispanias & Africam.*

96. DISTRIBVIT.] *Cæsari Gallias & Illyricum, Crasso Syriam.*

97. TRIVMVIRIS.] *Gruterus, ex vno codice,* dum ita cum tertio remp. diu. *Id est, inquit, cum M. Crasso: nam duæ partes in eius domo, quia & socer eius Iulius Cæsar, iam in domo. Acutè omnino. sed libri alij* Trimuiris *retinent: parùm aptè, quia ipse etiam Triumuir. Ergo legerim:* dum ita Triumuir r. d. *Ipse Triumuir diuidit alijs; & reuera solus plus duobus tenuit, potuitq;.*

98. SERVITVTIS.] *Tacitus* I. *Annal.* Discordantis patriæ non aliud remedium fuisse, quàm si ab vno regeretur.

cola, ille popularis, [99] castra in circo Flaminio posuit, propiùs quàm [100] Porsenæ fue- A
rant. Temperauit quidem ius crudelitatemque victoriæ. quod dicere solebat, præstitit:
neminem occidit [101] nisi armatum. Quid ergo est? Ceteri arma cruentiùs exercuerunt,
satiati tamen aliquando [102] abiecerunt: hic gladium citò condidit, numquam [103] posuit.
Ingratus Antonius in dictatorem suum, quem [104] iure cæsum pronuntiauit, interfecto-
resque eius in prouincias & imperia dimisit, patriam verò proscriptionibus, incursioni-
bus, bellis laceratam, post tot mala, destinauit [105] ne Romanis quidem regibus: vt quæ
Achæis, Rhodijs, & plerisque vrbibus claris ius integrum, libertatemque cum immuni-
XVII. tate reddiderat, ipsa tributum [106] spadonibus penderet. Deficiet dies, enumeran-
tem ingratos, vsque in vltima patriæ exitia. Æquè immensum erit, si percurrere cœpe-
ro, ipsa respublica quàm ingrata in optimos ac deuotissimos sibi fuerit: quamque non
minùs sæpè peccauerit, quàm in ipsam peccatum est. [107] Camillum in exsilium misit:
Scipionem [108] dimisit. exsulauit post Catilinam Cicero, diruti eius penates, bona dire-
pta, factum quidquid victor Catilina fecisset. [109] Rutilius innocentiæ pretium tulit [110] in B
Asiâ latere: Catoni populus Romanus [111] præturam negauit, consulatum [112] pernega-
uit. Ingrati publicè sumus. Se quisque interroget: nemo non aliquem queritur ingra-
tum. Atqui non potest fieri, vt omnes querantur, nisi querendum est [113] de omnibus.
Omnes ergo ingrati sunt. Tantùm? & [114] cupidi omnes, & maligni omnes, & timidi
omnes, illi in primis qui videntur audaces. Adijce, & ambitiosi omnes sunt, & impij
omnes. Sed non est quòd irascaris. ignosce illis: omnes insaniunt. Nolo te ad incerta
reuocare, vt dicam, Quàm ingrata sit iuuentus, [115] vide. Quis non patri suo supremum
diem, vt innocens sit, optat? vt moderatus, [116] exspectat? vt pius, cogitat? Quotus quis-
que

99. CASTRA.] *Satis inuidiosè. nemo (quos legerim) ita scripsit: ne Lucanus quidem, ex professo Cæsaris, & Cæsarum adeò, hostis. Ille* traxisse quidem agmina *dicit, sed* non armata, *&* pacis habentia vultum. *Ipse Cæsar de se,* 1. *Ciuil.* Milites in proxima municipia deductos *scribit*, sese ad vrbem profectum. *Quod non conuenit cum his Senecæ castris, & quidem in* Circo Flaminio. *Cur tamen ibi? Quia extra vrbem Senatum primò habuit Cæsar (more Imperatorum) in Apollinis templo: & inxtà, ille Circus. Probabile autem, Cæsarem aliquos milites, etsi togatos fortasse, secum eò traxisse, præsidij causâ: quod nunc Seneca attollit.*

100. PORSENÆ.] *Qui in Ianiculo castra habuit.*

101. NISI ARM.] *Velleius:* Neminem, nisi acie consumptum ciuem, patria desiderauit.

102. ABIECERVNT.] *Vt Sulla.*

103. POSVIT.] *Ius sibi semper educendi seruauit, perpetuâ illâ Dictaturâ.*

104. IVRE CÆSVM.] *Id verò voce aut scito Antonius numquam fecit: imò palàm pro eo, vt primùm copia fuit, pugnauit. Hactenus submisit se necessitati & rerum fluxui, vt Obliuionem & veniam præteritorum pateretur induci. At Seneca, declamatorio illo more, hoc interpretatur, probasse necem Iulianam; quia statim vltus non fuisset, quia cum ipsis coniuratis fœdus aliquod percussisset.*

105. NE ROMANIS.] *Nempe suæ Cleopatræ.*

106. SPADONIBVS.] *Qui apud reginam potentes. Horatius:*

Romanus, eheu posteri negabitis,
Emancipatus fœminæ,
Fert vallum & arma miles, & spadonibus
Seruire rugosis potest.

CAP. XVII. 107. CAMILLVM.] *Ipsa hæc exempla Valerius, lib.* V. *cap.* III. *rettulit*; ingrati Senatus, & populi.

108. DIMISIT.] *Quod mollius est, quàm* misit: *valetq;, passa est ire, aut certè in eo manere. Notum* C *est de secessu Scipionis in Liternum suum, atque ibi neglectum à ciuibus obijsse.*

109. RVTILIVS.] *De quo sæpè noster. In exsilium iniustè missus damnatusq; ab equitibus, in eo perseuerauit. Vide de Prouid. cap.* III.

110. IN ASIA.] *Smyrnæ.*

111. PRÆTVRAM.] *Prælato etiam illi Vatinio. Semel autem negauit, anno sequenti dedit.*

112. PERNEGAVIT.] *Cur sic loqueris? nam semel dumtaxat petijt, instante ciuili bello: nec nisi semel igitur populus negauit. Vult hoc tamen, quòd Prætura mox delata fuit, at non Consulatus: atque ita quasi perpetuùm negatus.*

113. DE OMNIBVS.] *Sententiæ acumen hoc est. Omnes queruntur: singuli autem ferè de singulis, certè diuersis: ergo omnes ingrati, quod querela ea euincit.* D

114. CVPIDI OMNES.] *Hæc & sequentia Stoicæ altitudinis, & illius Paradoxi,* Omnia vitia in omnibus esse: *Manud.* III. *Diss.* XX.

115. VIDE.] *Ista vox abest meo libro: scribitque anteriora:* Quam ingrata uite sit iuuentus. *Posses,* Quàm ingrata vide sit i. *Sed verius,* Quàm ingrata, videsis, iuuentus. *Libri alij ob voculam istam Comicam valdè turbant.*

116. EXSPECTAT.] *Iocus ille notus, apud Quinctilianum: cùm pater obiecisset filio,* Quòd mortem suam exspectaret: Ego verò non exspecto, *inquit: Pater argutissimè,* Imò rogo exspectes.

117. COM-

A que vxoris optimæ mortem timet, vt non [117] computet? Cui rogo litigatori defenſo, tam magni beneficij, [118] vltra res proximas, memoria durauit? Illud in confeſſo eſt. quis ſine querelâ moritur? quis extremo die dicere audet:

Vixi, & quem dederat curſum fortuna, peregi?

quis non recuſans, quis non gemens exit? Atqui hoc ingrati eſt, non eſſe contentum [119] præfato tempore. Semper pauci dies erunt, ſi illos numeraueris. Cogita, non eſſe ſummum bonum in tempore. quantumcumque eſt, boni conſule. Vt prorogetur tibi dies mortis, nihil proficit ad felicitatem: quoniam morâ non fit beatior vita, ſed longior. Quanto ſatius eſt, gratum aduerſus perceptas voluptates, non aliorum annos computare, ſed ſuos benignè æſtimare, & in lucro ponere? Hoc me dignum iudicauit Deus? hoc ſatis eſt. Potuit plus? ſed hoc quoque beneficium eſt. Grati ſimus aduerſus deos, grati aduerſus homines, grati aduerſus eos, qui nobis aliquid præſtiterunt; grati etiam aduerſus eos qui noſtris præſtiterunt. In infinitum, inquis, me obligas, XVIII.

B cùm dicis, & noſtris. itaque pone aliquem finem. Qui filio beneficium dat, vt dicis, & patri eius dat. [120] Primùm vnde, quò, quæro. Deinde illud vtique mihi determinari volo, ſi & patri beneficium datur, numquid & fratri? numquid & patruo? numquid auo? numquid vxori, & ſocero? Dic mihi, vbi debeam deſinere: quouſque perſonarum ſeriem ſequar. Si agrum tuum coluero, tibi beneficium dedero: ſi domum tuam ardentem reſtinxero, aut ne cadat excepero, tibi beneficium non dabo? Si ſeruum tuum ſeruauero, tibi imputabo: ſi filium tuum ſeruauero, non habebis beneficium meum?

Diſſimilia ponis exempla: quia qui agrum meum colit, agro beneficium non dat, ſed XIX.
mihi: & qui domum meam, quò minùs ruat fulcit, præſtat mihi. ipſa enim domus ſine ſenſu eſt. Debitorem me habet, quia nullum habet. Et qui agrum meum colit, non illum, ſed me demereri vult. Idem de ſeruo dicam. mei mancipij res eſt, mihi ſeruatur: ideò ego pro illo debeo. Filius ipſe beneficij capax eſt. itaque ille accipit: ego beneficio lætor. contingor, non obligor. Velim tamen, tu qui debere non putas, reſpondeas mihi:

C filij bona valetudo, felicitas, patrimonium, pertinet ad patrem? felicior futurus eſt, ſi ſaluum habuerit filium: infelicior, ſi amiſerit? Quid ergo? qui & felicior fit à me, & infelicitatis maximæ periculo liberatur, non accipit beneficium? Non, inquit. quædam enim in alios conferuntur, ſed ad nos vſque permanant. ab eo autem exigi quidque debet, in quem confertur: ſicut pecunia ab eo petitur, cui credita eſt, quamuis ad me illa aliquo modo venerit. Nullum beneficium eſt, cuius commodum non & proximos tangat, nonnumquam etiam longiùs poſitos. Non quæritur, quò beneficium ab eo cui datum eſt, transferatur, ſed vbi primò collocetur. à reo tibi ipſo & à capite repetitio eſt. Quid ergo? oro te, non dicis, filium mihi donaſti, & ſi hic periſſet, victurus non fui? pro eius vitâ beneficium non debes, cuius vitam tuæ præfers? Etiamnum cùm filium tuum ſeruaui, ad genua procumbis, dijs vota ſoluis, tamquam ipſe ſeruatus. Illæ voces exeunt tibi: *Nihil intereſt,* [121] *mea an me ſeruaueris. duos ſeruaſti: imò me magis.* Quare iſta dicis, ſi non accipis beneficium: quia & ſi filius meus pecuniam mutuam ſumpſerit, credito-

D ri numerabo, non tamen ego debuero. quia etſi filius meus in adulterio deprehenſus erit, erubeſcam, non ideò ego ero adulter. Dico me tibi obligatum pro filio: non quia ſum, ſed quia volo me offerre tibi debitorem voluntarium. At peruênit ad me ſumma ex incolumitate eius voluptas, ſumma vtilitas, & orbitatis grauiſſimum vulnus effugi.

Non

117. COMPVTET.] *Id eſt, ſimul de morte & de lucello cogitet: quod à diuitis vxoris morte exſpectet. In mixtâ autem cogitatione, dolens, vt ſic dicam, gaudet.*

118. VLTRA RES.] *Res ſimpliciter lites,* & actus rerum. *Ita* res prolatæ *dicuntur, cùm feriæ forum habent. Iam ſententia eſt: Nemo litigator meminit patrocinij, poſt vnas ferias: non extendit memoriam vltra actum proximum rerum.*

119. PRÆFATO.] *Mihi melior librorum noſtrorum ſcriptio,* præſtito. *Id autem genus, Ingrati etiam Lucretius damnat; & ſunt hæc à ſcholâ Epicuri.*

Deinde animi ingratâ naturam paſcere ſemper,
Atque explere bonis rebus, ſatiareq; nũquam:

& plura in hanc ſententiam libro III.

CAP. XVIII. 120. PRIMVM VNDE, QVÒ.] *Id eſſet, vnde incipis, quouſque progrederis? Meus tamen & quidam libri,* Primùm de quo: *minùs plenè.*

CAP. XIX. 121. MEA AN ME.] *Imò intereſt, ſi latè ad alia refers: malimq;,* meum an me.

Non quæritur nunc, an profueris mihi, ſed an beneficium dederis. prodeſt enim & ani- A
mal, & lapis, & herba: nec tamen beneficium dant, quod numquam datur, niſi à vo-
lente. Tu autem non vis patri, ſed filio dare: & interim, ne noſti quidem patrem. Ita-
que cùm dixeris, Patri ergo beneficium non dedi, filium eius ſeruando? contrà oppone,
Patri ergo beneficium dedi, quem non noui, quem non cogitaui? Et quid, quod ali-
quando euenit, vt patrem oderis, filium ſerues: beneficium ei videberis dediſſe, cui
tunc inimiciſſimus eras, cùm dares? Sed vt dialogorum altercatione ſepoſitâ, tamquam
iuriſconſultus [122] reſpondeam, mens ſpectanda eſt dantis. Beneficium ei dedit, cui da-
tum voluit. Sicut ſi in patris honorem fecit, pater accepit beneficium: ſic pater bene-
ficio in filium collato non obligatur, etiam ſi fruitur. Si tamen occaſionem habuerit,
volet & ipſe præſtare aliquid: non tamquam ſoluendi neceſſitatem habeat, ſed tam-
quam incipiendi cauſſam. Repeti à patre beneficium non debet: ſi quid pro hoc beni-
gnè facit, iuſtus, non gratus eſt. Nam illud finiri non poteſt: ſi patri do beneficium, &
matri, & auo, & auunculo, & liberis, & affinibus, & amicis, & ſeruis, & patriæ. Vbi B
ergo beneficium incipit ſtare? Sorites enim ille inexplebilis ſubit: cui difficile eſt mo-
dum imponere, quia paullatim ſurrepit, & non deſinit ſerpere. Illud ſolet quæri: Fratres
duo diſſident. ſi alterum ſeruo, an dem beneficium ei cui fratrem inuiſum non perijſſe
moleſtè laturus eſt? Non eſt dubium, quin beneficium ſit etiam inuitio prodeſſe: ſicut
XX. non dedit beneficium, qui inuitus profuit. Beneficium, inquit, vocas, quo ille of-
fenditur, quo torquetur? Multa beneficia [123] triſtem frontem & aſperam habent,
quemadmodum ſecare & vrere vt ſanes, & vinculis coërcere. Non eſt ſpectandum an
doleat quis beneficio accepto: ſed an gaudere debeat. Non eſt malus denarius, quem
barbarus & ignarus formæ publicæ reiecit. Beneficium & odit, & accepit: ſi modò id
prodeſt, ſi is qui dabat, vt prodeſſet dedit. nihil refert an bonam rem malo animo quis
accipiat. Agedum, hoc in contrarium verte. Odit fratrem ſuum, quem illi expedit ha-
bere. hunc occidi. non eſt beneficium, quamuis ille dicat eſſe, & gaudeat. Inſidioſiſſi-
mè nocet, cui gratiæ aguntur pro iniuriâ. [124] Video. Prodeſt aliqua res, & ideò benefi- C
cium eſt: nocet, & ideò non eſt beneficium. Ecce, quod nec proſit, nec noceat, dabo: &
tamen beneficium eſt. Patrem alicuius in ſolitudine exanimem inueni, corpus eius ſe-
peliui. nec illi profui (quid enim illius intererat, quo genere dilaberetur?) nec filio. quid
enim per hoc commodi acceſſit illi? Dicam quid conſecutus ſit: officio ſollenni & ne-
ceſſario per me functus eſt. Præſtiti patri eius, quod ipſe præſtare voluiſſet, necnon &
debuiſſet. Hoc tamen ita beneficium eſt, ſi non miſericordiæ & humanitati dedi, vt
quodlibet cadauer abſconderem: ſed ſi corpus agnoui, ſi filio tunc hoc præſtare me co-
gitaui. At ſi terram ignoto [125] mortuo inieci, nullum habeo huius officij debitorem,
[126] in publicum humanus. Dicet aliquis, Quid tantopere quæris, cui dederis benefi-
cium, tamquam repetiturus aliquando? Sunt qui numquam iudicant eſſe repetendum,
& has cauſſas afferunt. Indignus, etiam repetenti non reddet: dignus, ipſe per ſe referet.
Prætereà ſi bono viro dediſti, exſpecta: ne iniuriam illi facias appellando, tamquam non
fuiſſet ſuâ ſponte redditurus. ſi malo viro [127] dediſti, fer. Beneficium [128] verbo ne cor- D
ruperis, creditum faciendo. Prætereà, lex quod non iuſſit repeti, vetuit. Vera ſunt iſta.
quàm diu me nihil vrget, quàm diu fortuna nihil cogit, [129] petam potiùs beneficium

quàm

122. RESPONDEAM.] *Non diſputem vltrà aut dubitem, ſed velut de iure, certum reſpondeam.*

CAP. XX. 123. TRISTEM FRONTEM.] *Speciem & aſpectum. Tacitus*, In frontem pulchra. *Valerius*, In fronte beata.

124. VIDEO.] *Dialogiſmus eſt, & interpoſita perſona. Si non, legas*: Vides?

125. MORTVO INIECI.] *Ita moris & religionis, vt vel tranſeuntes inycerent deſerto terram. Horatius:* — licebit Iniecto ter puluere curras. *Quinctilianus Declamat.* v. Ignotis cadaueribus humum congerimus, & inſepultum corpus nulla feſtinatio tam rapida tranſcurrit, vt non quantulocumque veneretur aggeſtu.

126. IN PVBLICVM.] *Naturæ & humanitati hoc tribuens.*

127. DEDISTI, FER.] *Scripti*, dediſti flectere. *ex quo veriſimè Eraſmus*, plectere: *pœnas imprudentiæ lue.*

128. VERBO NE.] *Ipſo illo* Repetendi: *quod exactionem, & ex debito, ſonat. Poſſet legi*, verò.

129. PETAM POTIVS.] *Placet. & eſt ſententia, comiter*

A quàm repetam: ſed ſi de ſalute liberorum agitur, ſi in periculum vxor deducitur, ſi patriæ ſalus ac libertas mittit me etiam quò ire nollem, imperabo pudori meo, & teſtabor omnia me feciſſe, ne opus eſſet mihi auxilio hominis ingrati. nouiſſimè recipiendi beneficij neceſſitas, repetendi verecundiam vincet. Deinde, cùm bono viro beneficium do, ſic do, tamquam numquam repetiturus, niſi neceſſe fuerit. Sed lex, inquit, non permittendo exigere, vetuit. Multa legem non habent, nec actionem: ad quæ conſuetudo vitæ humanæ, lege omni valentior, dat aditum. Nulla lex iubet amicorum ſecreta non eloqui, [130] nulla lex fidem etiam inimico præſtare. Quæ lex ad id præſtandum nos quod alicui [131] promiſimus, alligat? Querar tamen cum eo qui arcanum ſermonem non continuerit, & fidem datam, nec ſeruatam, indignabor. Sed ex beneficio, inquit, creditum facis. Minimè. non enim exigo, ſed repeto: & ne repeto quidem, ſed admoneo. Ne vltima quidem neceſſitas in hoc aget, vt ad eum veniam, cum quo diu mihi [132] luctandum ſit. Qui tam ingratus eſt, vt illi non ſit ſatis admoneri, B eum tranſibo, nec dignum iudicabo, qui gratus eſſe cogatur. Quomodo fenerator quoſdam debitores non appellat, quos ſcit decoxiſſe, & in quorum pudorem nihil ſupereſt, quod pereat: ſic ego quoſdam ingratos palàm ac pertinaciter præteribo, nec ab vllo beneficium repetam, niſi à quo non ablaturus ero, ſed recepturus. Multi ſunt, qui nec negare ſciant, quod acceperunt, nec referre: qui nec tam boni ſunt quàm grati, nec tam mali quàm ingrati, ſegnes & tardi, lenta nomina, non mala. Hos ego non appellabo, ſed commonefaciam, & ad officium aliud agentes educam, qui ſtatim mihi ſic reſpondebunt: *Ignoſce, non mehercule ſciui hoc te deſiderare, alioquin vltrò obtuliſſem. Rogo ne me ingratum exiſtimes. memini quid mihi præſtiteris.* Hos ego quare dubitem, & ſibi meliores & mihi facere? Quemcumque potuero, peccare prohibebo, multo magis amicum, & ne peccet, & ne in me potiſſimùm peccet. Alterum illi beneficium do, ſi illum ingratum eſſe non patior: nec durè illi exprobrabo quæ præſtiti, ſed quàm potero molliſſimè, vt poteſtatem referendæ gratiæ faciam, renouabo memoriam eius, & petam C beneficium: ipſe me repetere intelliget. Aliquando vtar verbis durioribus, ſi emendari illum ſperauero poſſe. nam deploratum propter hoc quoque non exagitabo, ne ex ingrato inimicum faciam. Quòd ſi admonitionis quoque [133] ſuggillationem ingratis remittimus, ſegniores ad reddenda beneficia faciemus. Quoſdam verò ſanabiles & qui fieri boni poſſunt, ſi quid illos momorderit, perire patiemur admonitione ſublatâ? quâ & pater filium aliquando correxit, & vxor maritum [134] aberrantem ad ſe reduxit, & amicus languentem amici fidem erexit. Quidam vt expergiſcantur, non feriendi, ſed commouendi ſunt: eodem modo quorumdam ad referendam gratiam fides non ceſſat, ſed languet. hanc peruellamus. Noli munus tuum in iniuriam vertere. iniuria eſt enim, ſi in hoc non repetis, vt ingratus ſim. Quid ſi ignoro, quid deſideres? quid ſi occupationibus diſtrictus, & in alia vocatus, occaſionem non obſeruaui? oſtende mihi quid poſſim, quid velis. Quare deſperas, antequam tentas? quare properas & beneficium, & amicum, perdere? Vnde ſcis nolim, an ignorem, an animus, an facultas de- D ſit mihi? experire. Admonebo ergo, non amarè, non palàm, ſine conuicio: ſic, vt [135] ſe rediſſe in memoriam, non reduci putet. Cauſſam dicebat apud diuum Iulium

XXI. XXII. XXIII. XXIII

comiter potiùs quaſi beneficium petam, quàm vt datum repetam. Argutiâ eâdem infrà, cap. XXII. Renouabo memoriam eius, & petam beneficium, ipſe me repetere intelliget. *Item, cap.* XXV. Magis tempeſtiuè repetendum eſt beneficium, quàm petendum. *Pincianus tamen è quibuſdam libris hîc legebat*, Præteream potiùs.

CAP. XXI. 130. NVLLA LEX FIDEM.] *Iuriſconſultus:* Graue eſt fidem fallere, quam ſeruari naturâ æquum eſt. *Ergo prima ea & inſita, non hæc ſecundaria & ſcripta lex ſancit.*

131. PROMISIMVS.] *Nudis verbis, ſine ſtipulatione. nam cum hac, aliter eſt.*

132. LVCTANDVM.] *Altercatione exprimendum beneficium.*

CAP. XXII. 133. SVGGILLATIONEM.] *A corpore ſumptum. eſt ὑπωπιασμὸς, nota & liuor è verbere.*

134. ABERRANTEM.] *A ſuâ. in vagis amoribus abnoctantem.*

CAP. XXIII. 135. SE REDISSE.] *Fortè*, redire.

Iulium ex veteranis quidam, paullò violentior aduersus [136] vicinos suos, & caussâ premebatur. *Meministi*, inquit, *Imperator in Hispaniâ talum te torsisse,* [137] *circa Sucronem?* cùm Cæsar meminisse se dixisset: [138] *Meministi quoque*, inquit, *sub quadam arbore minimum vmbræ spargente, cùm velles residere feruentissimo sole, & esset asperrimus locus, in quo ex rupibus acutis, vnica illa arbor eruperat, quemdam ex commilitonibus* [139] *penulam suam substrauisse?* Cùm dixisset Cæsar: *Quid ni meminerim? & quidem siti confectus, quia* [140] *impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, nisi commilito, homo fortis ac strenuus, aquam mihi in galeâ suâ attulisset. Potes ergo*, inquit, *Imperator, agnoscere illum hominem, aut illam galeam?* Cæsar ait, se non posse galeam agnoscere, hominem pulchrè posse: & adiecit, puto ob hoc iratus, quòd se à [141] cognitione mediâ ad veterem fabulam adduceret: *Tu vtique ille non es. Meritò*, inquit, *Cæsar me non agnoscis. nam cùm hoc factum est, integer eram. posteà ad Mundam in acie oculus mihi effossus est, & in capite* [142] *lecta ossa. Nec galeam illam si videres, agnosceres: machærâ enim Hispaniâ diuisa est.* Vetuit illi exhiberi negotium Cæsar: & agellos, in quibus [143] vicinalis via, caussa rixæ ac litium fuerat, militi suo donauit. Quid ergo? non repeteret beneficium ab Imperatore, cuius memoriam multitudo rerum confuderat? quem fortuna [144] ingens, exercitus disponentem, non patiebatur singulis militibus occurrere? Non est hoc repetere beneficium, sed resumere bono loco positum, & paratum: ad quod tamen vt sumatur, manus porrigenda est. Repetam itaque, quia hoc aut necessitate facturus ero, aut illius caussâ, à quo repetam. Tiberius Cæsar inter [145] initia dicenti cuidam, *Meministi*, antequam plures notas familiaritatis veteris proferret: *Non memini*, inquit, *quid fuerim.* Ab hoc nedum esset repetendum beneficium, [146] optanda erat obliuio. Auersabatur omnium amicorum & æqualium notitiam, & illam solam præsentem fortunam suam adspici, illam solam cogitari ac narrari volebat: inquisitorem habebat, veterem amicum. Magis tempestiuè repetendum est beneficium, quàm petendum. Adhibenda verborum moderatio, vt nec ingratus possit dissimulare. Tacendum & exspectandum, si inter sapientes viueremus: & tamen sapientibus quoque indicare melius fuisset, quid rerum nostrarum status posceret. Deos, quorum notitiam nulla res effugit, rogamus: & illos vota non exorant, sed admonent. [147] Dijs quoque, inquam, Homericus ille [158] sacerdos allegat officia, & aras religiosè cultas, quò obsequentes faciat: [149] & parent. Moneri velle ac posse, [150] secunda virtus est.

XXV.

Huc

CAP. XXIIII. 136. VICINOS SVOS.] *Vt solent feroces illi, aut & diuites, qui terminos assiduè promouebant.*

137. CIRCA SVCRONEM.] *Bello Hispaniensi euenisse debuit: etsi in scriptoribus illis hodie siletur.*

138. MEMINISTI QVOQVE.] *Pleraque scripta lectio*, meministi equidem: *& decorum in sermone militari. Atque illud* Equidem, *alijs etiam personis iungi solet.*

139. PENVLAM.] *Quæ in militum & itinerantium vsu.*

140. IMPEDITVS.] *Pede læsus, & deuinctus. Sed ego non nollem*, quia in pedibus.

141. COGNITIONE.] *Proprium verbum, vbi Principes aut maiores magistratus, extra ordinem rem noscunt & arbitrantur. Suetonius Claudio*: Negantem cognitionis, sed ordinarij iuris rem esse.

142. LECTA OSSA.] *Alludsum, vel lusum in lectione ossium funebri. De Prouid. cap.* III. Remedij caussâ quibusdam & radi ossa, & legi. *Adde Consol. ad Marc. cap.* XXII.

143. VICINALIS.] *Hyginus definit*, quæ à vico ad vicum ducit: *in vsum nempe viciniæ. vt Liuio libro* XXI. lintres ad vicinalem vsum. *Pinciano cur visum legere*, vicina silua, *non equidem video.*

CAP. XXV. 144. INGENS, EXERCITVS.] *Vellem*, ingentes exercitus.

145. INITIA.] *Principatus sui.*

146. OPTANDA ERAT OBLIV.] *Nam memoria cum periculo, & pronior læsisse. Plinius Panegyrico*: Quorum votum antè fuerat, vt memoriæ Principis elaberentur.

147. DIIS QVOQVE.] *Apollini.*

148. SACERDOS.] *Chryses. Homerus ista, in Iliade primâ.*

149. ET PARENT.] *Meus liber*; & parcere. *quid fuerit, nescio*: parêre *quidem dij non bellè aut decorè dicuntur.*

150. SECVNDA VIRTVS.] *Quæ ergo prima? Meus item liber alijq;*, secula. *Si autem hîc* secunda: *quomodo statim*, proximi sunt? *Interpolata hæc habeo aut defecta.*

151. PAV-

A Huc illuc frænis leniter motis flectendus est animus, [151] paucis sui rector optimus. proximi sunt, qui admoniti in viam redeunt. His non est dux detrahendus. Opertis oculis inest acies, sed sine vsu, quam lumen [152] à dijs immissum ad ministeria sua euocat. Instrumenta cessant, nisi illa in opus suum artifex mouerit. Inest interim animis voluntas bona: sed torpet, modò delicijs ac situ, modò officij inscitiâ. Hanc vtilem facere debemus: nec irati relinquere in vitio, sed vt magistri puerorum discentium patienter ferre offensationes memoriæ labentis. Quæ, quemadmodum subiecto vno aut altero verbo, ad contextum reddendæ orationis adducta est, sic ad referendam gratiam admonitione reuocanda est.

151. PAVCIS SVI.] *Scripti*: paucis animus, sui rector optimus. *Breui monito animus in viam ducendus, qui se alioqui optimè reget. Sed & vulgata expeditur: Animus monito flectendus, qui apud paucos se regit.*

152. A DIIS.] *Verum puto*, radijs.

L. ANNÆI SENECÆ
AD AEBVCIVM LIBERALEM
DE BENEFICIIS
LIBER SEXTVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B

ITERVM *Quæstiunculæ, Chrysippéo quodam more. Prima, An Beneficium eripi posit? variè disserit, claudit tamen vsum eius eripi posse, non ipsum. Secunda, An debeamus ei, qui vel inuitus profuit, vel ignarus? negat. Tertia, An ei, qui suâ caussâ nobis profuit? si tantùm suâ, abnuit: si & meâ, admittit. Exempla & argutias miscet. Quarta, An fas incommodi aliquid alteri optare, vt gratiam possis referre? non est, & damnat. Aliam viam aperit referendæ gratiæ etiam felicibus, etiam Regibus, per consilia, monita, doctrinam.*

CAPVT PRIMVM.

C

QVAEDAM, Liberalis virorum optime, exercendi tantùm ingenij caussâ quæruntur, & semper [1] extra viam iacent: quædam & dum quæruntur, oblectamento sunt, & quæsita vsui. Omnium tibi copiam faciam. tu illa, vtcumque tibi visum erit, aut peragi iubeto, aut [2] ad explicandum ludorum ordinem induci. [3] His quoque si abire protinus iusseris, nonnihil actum erit. nam etiam quod discere superuacuum est, prodest cognoscere. [4] Ex vultu igitur tuo pendebo, prout ille suaserit mihi: alia detinebo diutiùs, alia [5] expellam,

II. & [6] capite agam. An beneficium eripi possit, quæsitum est. Quidam negant posse. non enim res est, sed actio: quomodo aliud est munus, aliud ipsa donatio: aliud qui nauigat, aliud ipsa nauigatio. Et quamuis æger non sit sine morbo, non tamen idem est æger & morbus: ita aliud est beneficium ipsum, aliud quod ad vnumquemque nostrûm beneficio peruenit. Illud incorporale est, irritum non fit: materia illius huc & illuc iactatur, & dominum mutat. Itaque cùm eripis, ipsa rerum natura reuocare quod dedit non potest. Beneficia sua [7] interrumpit, non rescindit. Qui moritur, tamen vixit: qui amisit oculos, tamen vidit. Quæ ad nos peruenerunt, ne sint effici potest: ne fuerint, non potest. pars autem beneficij & quidem certissima est, quæ fuit. Nonnumquam vsu beneficij longiore [8] prohibemur, beneficium quidem ipsum non eraditur. Licet omnes in hoc vires suas natura aduocet, [9] retro illi agere se non licet. Potest eripi domus, & pecunia, & mancipium, & quicquid est, in quo hæsit beneficij nomen: ipsum verò stabile & immotum est. Nulla vis efficiet, ne hic dederit, ne

III. ille acceperit. Egregiè mihi videtur M. Antonius apud [10] Rabirium poëtam, cùm fortunam suam transeuntem [11] aliò videbat, & sibi nihil relictum, præter ius mortis, id quoque, si citò occupauerit, exclamare: *Hoc habeo,* [12] *quodcumque dedi.* O quantum habere potuit, si voluisset! Hæ sunt diuitiæ certæ, in quacumque sortis humanæ leui-

A leuitate, vno loco permanſuræ: quæ quò maiores fuerint, hoc minorem habebunt inuidiam. Quid tamquam tuo parcis? [13] Procurator es. Omnia iſta quæ vos tumidos, & ſupra humana elatos, obliuiſci cogunt veſtræ fragilitatis, quæ ferreis clauſtris cuſtoditis armati, quæ [14] ex alieno ſanguine rapta veſtro defenditis; propter quæ claſſes cruentaturas maria deducitis; propter quæ quaſſatis vrbes, ignari, quantum telorum in [15] aduerſos fortuna comparet; propter quæ ruptis toties [16] affinitatis, [17] amicitiæ, collegij fœderibus, inter contendentes duos terrarum orbis [18] eliſus eſt; non ſunt veſtra. in depoſiti [19] cauſſâ ſunt, iam iamque ad alium dominum ſpectantia, aut hoſtis illa, aut [20] hoſtilis animi ſucceſſor, inuadet. Quæris quomodo illa tua facias? donando. Conſule ergo rebus tuis, & certam tibi earum atque inexpugnabilem poſſeſſionem para: honeſtiores illas non ſolùm, ſed tutiores facturus. illud quod ſuſpicis, quo te diuitem ac potentem putas quamdiu poſſides, ſub nomine ſordido iacet. Domus eſt, ſeruus eſt, nummi ſunt: cùm donaſti, beneficium eſt. Fateris, inquit, nos aliquando beneficium IV.
B non debere ei, à quo accepimus: ergo ereptum eſt. Multa ſunt propter quæ beneficium debere deſinimus: non quia ablatum, ſed quia corruptum eſt. Aliquis reum me defendit: ſed vxorem meam per vim ſtupro violauit. Non abſtulit beneficium, ſed opponendo illi parem iniuriam, ſoluit me debito: & ſi plus læſit, quàm antè profuerat, non tantùm gratia exſtinguitur, ſed vlciſcendi querendique libertas fit, vbi in comparatione beneficij præponderauit iniuria. ita non aufertur beneficium, ſed vincitur. Quid? non tam duri quidam, & tam ſcelerati patres ſunt, vt illos auerſari & [21] eiurare ius faſque ſit? Num-

COMMENTARIVS.

C CAP. I. 1. EXTRA VITAM.] *Vſum in ipsâ non habent: diſſeruntur ingenij cauſſâ tantùm. Muretus*, viam *voluit: præter rem & libros.*

2. AD EXPLICANDVM.] *Moris, vt in theatra aut amphitheatra, ante commiſſionem ludorum, ipſi actores aut paria inducerentur, populo oſtentui, & velut in pompâ: quod hodieq; ſcænici noſtri ſeruant. Vide Saturnalia noſtra*, II. *cap.* XVIII. *Itaque mens Senecæ: Aut iube me hæc abſoluere, & perficere: aut, vt in ludis, inducere tantùm & oſtentare. Hunc locum velim Saturnalibus meis additum, loco dicto: valdè eò facit.*

3. HIS QVOQVE.] *Ex meo & Pinciani*: Quia his.

4. EX VVLTV.] *Vultúne abſentis? ineptiæ, & poëtarum imitamenta.*

5. EXPELLAM.] *Ex hoc theatro, ſi abire innues.*

D 6. CAPITE AGAM.] *Has voces Muretus capitis damnauerat, eieceratq;: malè. Quidam ſcripti*, & ea peritè agam. *Sed illud perplacet, & Quædam horum, inquit, ipſoſq; homines pellam, & capite prehenſos trudam. Ita ſolet, vbi præcipitamus. Contrà eſt*, Capite ſiſtere, *in Plauto.*

CAP. II. 7. INTERRVMPIT.] *Curſum ſiſtit.*

8. PROHIBEMVR.] *Pro ſententiâ magis*, prohibemus.

9. RETRÒ ILLI.] *Communi ſententiâ, quâ præterita reuocare nec Deos poſſe cenſent.*

CAP. III. 10. RABIRIVM.] *Qui bella ciuica videtur ſcripſiſſe, & laudat Ouidius:*

—— magniq́ue Rabirius oris.

Velleius: Noſtri ęui eminent principes carminum, Virgilius Rabiriuſque.

11. ALIÒ.] *Ad Auguſtum.*

12. QVODCVMQVE DEDI.] *Similes alibi voces. illa Alfonſi, regis Aragonum, eximia. roganti*, Quid ſeruaret ſibi, qui tam multa multis donaret? Eaipſa, quæ dono, *inquit. Martialis:*

Extra fortunam eſt, quidquid donatur amicis;
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Mens igitur Antonÿ, Hoc vnum habeo, quod non habeo: dedi & depoſui apud alios.

13. PROCVRATOR.] *Cuius? Fortunæ: nec es in rebus tuis.*

14. EX ALIENO.] *E cædibus & bellis. videntur enim ea ſpolia ex ſanguine ipſo lecta. Si tamen abſit præpoſitio*, ex, *feram: eſſetq;, quæ alÿ ſanguine & vitâ ſuâ parauerunt; vos ÿſdem tuemini & tenetis.*

15. ADVERSOS.] *Ipſos obſidentes.*

16. AFFINITATIS.] *Ad Cæſarem & Pompeium ſpectat: quia hic illi gener.*

17. AMICITIÆ, COLLEGII.] *Ad M. Antonium & Auguſtum. Diu amici, collegæ in Triumuiratu & & Conſulatu: ſed & ÿdem affines, cùm Octauiam vxorem haberet Antonius, illius ſororem.*

18. ELISVS.] *Fractus & quaſſus. vt ſolet, vbi quid inter duos premitur.*

19. CAVSSA.] *Iure & conditione depoſiti cenſentur.*

20. HOSTILIS.] *Acuta lectio, quaſi ab hoſte ſæpè vix differat heres. At ex meo libro:* aut hoſtis ſucceſſoris anni inuadent. *Sed illud melius.*

CAP. IV. 21. EIVRARE.] *Eiurat, qui iurat aliquid ſibi non eſſe. Ita* bonam copiam eiurare: *ſe eam non habere*: bonam ſpem eiurare, *in Senecâ*

De

Numquid ergo illi abstulerunt, [22] quæ dederant? minimè: sed impietas sequentium A
temporũ, commendationem omnis prioris officij sustulit. Non beneficium tollitur, sed beneficij gratia: & efficitur, non ne habeam, sed ne debeam. Tamquam pecuniam aliquis mihi credidit: sed domum meam incendit. pensatum est creditum damno: nec reddidi illi, nec tamen debeo. Eodem modo & hîc. qui aliquid benignè aduersus me fecit, aliquid liberaliter, sed posteà multa superbè, contumeliosè, crudeliter: eo loco me posuit, vt perinde liber aduersus eum sim, quasi non accepissem. [23] vim beneficijs suis attulit. Colonum suum non [24] tenet, quamuis [25] tabellis manentibus, qui segetem eius proculcauit, qui succidit arbusta: non quia recepit quod pepigerat, sed quia ne reciperet, effecit. Sic debitori suo creditor sæpè damnatur, vbi plus ex aliâ [26] caussâ abstulit, quàm ex credito petit. Non tantùm inter creditorem & debitorem iudex sedet qui dicat, Pecuniam credidisti. Quid ergo? pecus abegisti, seruum eius occidisti, [27] agellum quem non emeras, possides: æstimatione factâ, debitor discede, qui creditor veneras. Inter beneficia quoque & iniurias [28] ratio confertur. Sæpè, inquam, beneficium manet, B
nec debetur, si secuta est dantem pœnitentia, si miserum se dixit, quòd dedisse, si cùm daret, suspirauit, vultum [29] obduxit, perdere se credidit, non donare: si suâ caussâ, aut certè non meâ dedit: si non desijt insultare, gloriari, & vbique iactare, & acerbum munus suum facere. Manet itaque beneficium, quamuis non debeatur: sicuti quædam pecu-
v. niæ, de quibus ius creditori [30] non dicitur, debentur, sed non exiguntur. Dedisti beneficium: iniuriam posteà fecisti: & beneficio gratia debetur, & iniuriæ vltio. Nec ego illi gratiam debeo, nec ille mihi pœnam: alter ab altero [31] absoluitur. Cùm dicimus, Beneficium illi reddidi: non hoc dicimus, illud nos quod acceperamus reddidisse, sed aliud pro illo. Reddere enim est, [32] rem pro re dare. Quid ni: cùm omnis solutio non idem reddat, sed [33] tantumdem. Nam & pecuniam dicimur reddidisse, quamuis numerauimus pro argenteis aureos, quamuis non interuenerint nummi, sed [34] delegatione & verbis perfecta solutio sit. Videris mihi dicere: Perdis operam. Quorsum enim pertinet scire me, an maneat quod non debetur? Iurisconsultorum istæ acutæ C
ineptiæ sunt, qui [35] hereditatem negant [36] vsucapi posse: sed ea quæ in hereditate sunt: tamquam quidquam aliud sit hereditas, quàm ea quæ in hereditate sunt. Illud mihi potiùs

De Vit. beat. cap. XXVI. *nec eam sibi esse. Ergo hîc,* eiurare parentes, *non agnoscere, nec pro talibus habere.*

22. QVÆ DEDERANT.] *Vitam, educationem, alia beneficia.*

23. VIM BENEF.] *Quasi dicat, ea occidit, interfecit.*

24. TENET.] *Obligatum obstrictumq; habet.*

25. TABELLIS.] *Fundi elocati.*

26. CAVSSA.] *Prætextu & titulo.*

27. AGELLVM.] *Meus atque alij,* argentum, quod. *quidni teneam? Argentum factum intellegit, ad mensam & ministerium.*

28. RATIO CONF.] *Quod fit, cùm vtrimque accepta & expensa examinantur, & dispunguntur.*

29. OBDVXIT.] *Meus* abduxit. *Grutero assentior* adduxit *reponenti. De eo verbo nos ad Tacitum: & est tristitiæ aut seueritatis nota. vt contrà, dilatatio & diffusio, in benignitate.*

30. NON DICITVR.] *Quiáne contra legem, puta fœnebrem, datæ? an quia pupillo, filiofamilias, aut personæ cum quâ in iudicio non constas? an denique, quia exceptione creditor repellitur? Nam vt Iurisconsultus ait,* desinit esse debitor, qui nactus est exceptionem iustam. *Desinit, inquam, esse intellectu ac potestate iuris, quia efficaciter ab eo non exigitur: reipsâ tamen est, & nomen non amittit. Quo posteriore sensu Seneca,* deberi, sed non exigi, *hîc scripsit.*

CAP. V. 31. ABSOLVITVR.] *Fortasse,* absoluimur.

32. REM PRO RE.] *Explicatio magis, quàm etymologia est. sicut* Fides, *quia fit quod dicitur. Stoici autem in hisce notationibus crebri, aut nimij: quod Cicero, alijq; obseruant.*

33. TANTVMDEM.] *Non idem corpus, sed vel aliud eiusdem generis, vel pretium.* D

34. DELEGATIONE.] *Suprà explicauimus, esse cùm ab alio creditori soluimus, & nomen aliquod nostrum illi transscribimus.*

35. HEREDITATEM.] *Agmine Iurisconsulti nostri in Senecam hîc eunt. Et est verò discrimen, nec superuacuum, in Hereditate & Rebus. Nam illa ius quoddam incorporale est: istæ corpora. sicut Beneficium distinctum, ipso Senecâ auctore, à re quæ donatur. Tamen & Hereditatis voce, ipsas res sæpè Latini appellarunt. vt vel Cicero cùm definijt,* Hereditatem pecuniam esse, quæ alicuius morte ad alium peruenire. *Hoc sensu, rectè Seneca.*

36. VSVCAPI.] *Temporum spatio alterius fieri, idq; vtendo.*

37. CON-

A potiùs distingue, quod potest ad rem pertinere, cùm idem homo beneficium mihi dedit, & postea fecit iniuriam, vtrùm & beneficium illi reddere debeam, & me ab illo nihilominus vindicare, ac veluti duobus nominibus separatim respondere: an alterum alteri [37] contribuere, & nihil negotij habere, vt beneficium iniuriâ tollatur, beneficio iniuria. Illud enim video in foro fieri. quid in vestrâ scholâ iuris sit, vos sciatis. [38] Separantur actiones, & de eo quod agimus, de eodem nobiscum agitur. [39] Non confunditur [40] formula. si qui apud me pecuniam deposuerit, idem mihi postea furtum fecerit, & ego cum illo furti agam, & ille mecum depositi. Quæ proposuisti, mi Liberalis, exempla, certis legibus continentur, quas necesse est sequi: lex legi non miscetur. Vtraque suâ viâ it: depositum habet suam actionem propriam, tam meherculè quàm furtum. Beneficium nulli legi subiectum est: me arbitro vtitur. licet me comparare inter se quantum profuerit mihi quisque, aut quantum nocuerit: tum pronunciare, vtrùm plus debeatur mihi, an debeam. In illis nihil est nostræ potestatis: eundum est, quà B [41] ducimur. In beneficio tota potestas mea est: ego itaque iudico illa, non separo, nec diduco, sed iniurias ac beneficia ad eumdem iudicem mitto. Alioquin iubes me eodem tempore amare & odisse, queri & gratias agere: quod natura non recipit. Potiùs comparatione factâ inter se beneficij & iniuriæ, videbo an etiam [42] vltrò mihi debeatur. Quomodo si quis scriptis nostris, alios supernè [43] imprimat versus, priores litteras non tollit, sed abscondit: sic beneficium superueniens [44] iniuria apparere non patitur. VI.

Vultus tuus, [45] cui regendum me tradidi, colligit [46] rugas, & attrahit frontem, quasi longiùs exeam. Videris mihi dicere: VII.

[47] *Quò tantum mihi dexter abis? huc dirige cursum.*
Littus ama. ——

[48] Non possum magis. Itaque si huic satisfactum existimas, illò transeamus, an ei debeatur aliquid qui nobis inuitus profuit. Hoc apertiùs potui dicere, nisi propositio deberet esse confusior, vt distinctio statim subsecuta ostenderet vtrumque quæri, an ei de- C beremus, qui nobis, dum non vult, profuit; & an ei, qui dum nescit. Nam si quis coactus aliquid boni fecit, quin nos non obliget, manifestius est, quàm vt vlla in hoc verba impendenda sint. Et hæc quæstio facilè expeditur, & si qua similis huic moueri potest, si totiens illò cogitationem nostram conuerterimus. Beneficium nullum est, nisi quod ad nos primùm aliqua [49] cogitatio defert, deinde [50] amica & benigna. Itaque nec fluminibus gratias agimus, quamuis aut magna nauigia patiantur, & ad subuehendas copias largo ac perenni alueo currant, aut piscosa & amœna pinguibus aruis interfluant: nec quisquam Nilo beneficium debere se iudicat, non magis quàm odium, si immodicus superfluxit, tardeque recessit: nec ventus beneficium dat, licet lenis & secundus adspi-

37. CONTRIBVERE.] *Iungere, vnire, miscere. Sic* Contribui legatum ceteris, *in Pandectis: item* Contributa bona: *& in Liuio & Cæsare* contributi populi *dicuntur, qui alijs adiuncti,* D *& formulæ eorum facti. Facit huc quod Modestinus definit* Compensationem, debiti & crediti inter se contributionem: *id est, confusionem, & vt neutrum exstet.*

38. SEPARANTVR.] *Etiamnum verba Liberalis quærentis, ne erres: & Seneca demùm cap. sequenti respondet.*

39. NON CONFVNDITVR.] *Verissimè ita P. Faber, negatione additâ, & secuti sumus. Vult enim omnino & hoc agit, non confundi nec contribui.*

40. FORMVLA.] *Actio, siue eius titulus.*

CAP. VI. 41. DVCIMVR.] *A lege.*

42. VLTRÒ.] *Mira vis in hac voculâ, nec facilè exprimenda. Valet* Insuper, Amplius etiam, ἔτι δὲ: *& plus aliquid in exemplis obseruandum, quàm interpretandum.*

43. IMPRIMAT.] *In ceratis tabellis.*

44. INIVRIA.] *Ita libri prisci, & sententia exigit planissimè. quam aliò deflexerant, qui* iniuriam *scribebant, contra totam hanc Senecæ dissertionem.*

CAP. VII. 45. CVI REGENDVM.] *Suprà, cap. 1.* Ex vultu igitur tuo pendebo. *Nam facit se quasi cum Liberali præsenti disputare, & inuicem illi sermonis dat partes, vt cap. v. & posteà. Etsi tota hæc scena parùm fortasse decora, certè non grauis est.*

46. RVGAS.] *Quod fit, vbi quid displicet aut tædet.*

47. QVO TANTVM.] *E Virgilio, in certamine nauali, lib. v.*

48. NON POSSVM.] *Respondet Seneca, quammaximè lego litus, altum disputationum vito. Et vides, quàm breuiter dixerim.*

49. COGITATIO.] *Vt consultum spontaneumq;, non fortuitum sit.*

50. AMICA.] *Volens, & cum proposito benè faciẽdi.*

51. NE-

adſpiret: nec vtilis & ſalubris cibus. Nam qui beneficium mihi daturus eſt, debet A
non tantùm prodeſſe, ſed velle. Ideò nec mutis animalibus quidquam debetur: & quàm
multos è periculo velocitas equi rapuit? nec arboribus: & quàm multos æſtu laboran-
tes, ramorum opacitas texit? Quid autem intereſt, vtrùm mihi qui [51] neſcit, profuerit,
an qui ſcire [52] non potuit? cùm vtrique velle defuerit. Quid autem intereſt, vtrùm me
iubeas naui, aut vehiculo, aut lanceæ debere beneficium: an ei qui æquè quàm iſta pro-
VIII. poſitum benefaciendi nullum habuit, ſed profuit caſu? Beneficium aliquis ne-
ſciens accipit, nemo à neſciente. Quomodo multos fortuita ſanant, nec ideò remedia
ſunt, & in flumen alicui cecidiſſe [53] frigore magno, cauſſa ſanitatis fuit: quomodo quo-
rumdam, [54] flagellis quartana diſcuſſa eſt, & metus repentinus animum [55] in aliam cu-
ram auertendo ſuſpectas horas fefellit: nec ideò quidquam horum etiamſi ſaluti fuit,
[56] ſalutare eſt: ſic quidam nobis profunt, dum nolunt, imò quia nolunt; non tamen
ideò illis beneficium debemus. Quid ſi pernicioſa illorum conſilia fortuna deflexit in
melius, an exiſtimas me debere ei quidquam, cuius manus cùm me peteret, percuſſit B
hoſtem meum, qui nocuiſſet, niſi erraſſet? Sæpè [57] teſtis dum apertè peierat, etiam ve-
ris teſtibus abrogauit fidem, & reum velut factione circumuentum miſerabilem reddi-
dit. Quoſdam ipſa, quæ premebat, [58] potentia eripuit: & iudices quem damnaturi
erant [59] cauſſâ, damnare gratiâ noluerunt. Non tamen hi beneficium dederunt, quam-
uis profuerint. quia telum quò miſſum ſit, non quò peruenerit, quæritur: & beneficium
ab iniuriâ diſtinguit, non euentus, ſed animus. Aduerſarius meus dum contraria di-
cit, & iudicem ſuperbiâ offendit, & [60] vnum teſtem temerè dimittit, cauſſam meam
IX. erexit. Non quæro an pro me errauerit, quia contra me voluit. Nempe vt gra-
tus ſim, velle debeo idem facere quod ille. vt beneficium daret, velle debuit. Nam quid
eſt iniquius homine, qui eum odit, à quo in turbâ calcatus, aut reſperſus, aut quò nollet,
impulſus eſt? At quid eſt aliud, quod illum querelæ eximat, cùm in re ſit iniuria, quàm
[61] neſciſſe quid faceret? Eadem res efficit, ne hic beneficium dederit, ne ille iniuriam fe-
cerit. & amicum & inimicum voluntas facit. Quàm multos militiæ [62] morbus eripuit? C
quoſdam ne ad ruinam domus ſuæ occurrerent, inimicus vadimonio tenuit: ne in pi-
ratarum manus peruenirent, quidam naufragio conſecuti ſunt. Nec his tamen benefi-
cium debemus: quoniam extra ſenſum officij caſus eſt: nec inimico cuius nos lis exer-
cuit, dum vexat ac detinet. Non eſt beneficium, niſi quod à bonâ voluntate proficiſci-
tur, niſi illud agnoſcit, qui dedit. Profuit aliquis mihi dum neſcit: nihil illi debeo. pro-
fuit

51. NESCIT.] *Ad hominem.*

52. NON POTVIT.] *Ad animantes, aut inanima.*

CAP. VIII. 53. FRIGORE.] *Quod febres potuit diſcutere: ſicut perfuſio aquæ rigentis poſt balneum.*

54. FLAGELLIS.] *An quia ater & lentus ille humor incaluit, & motu item diſſipatus eſt?*

55. IN ALIAM.] *Quaſi non vacauerit ei, vacare morbo. Sed vera cauſſa, quòd magnus ille metus humores & corpus mouet: ideoq́, & morbi legem frangit aut turbat.*

56. SALVTARE.] *Suâ vi & naturâ: ſed συμβεβηκότως & caſu.*

57. TESTIS.] *Libri omnes*, hoſtis: *& iſtud vulgatum, eſt ab Agricolâ. Tueatur aliquis ſcripturam. quaſi dicat, hoſtis & aduerſarius noſter, hoſtilis animi notus teſtis.*

58. POTENTIA.] *Accuſatorum.*

59. CAVSSA.] *Meus & alÿ ſcripti*, cauſſæ *quod eligam, & mox* gratiæ. *At de re, exemplum in Valerio, de L. Cotiâ. quem certis criminibus accuſatum à Scipione Aemiliano, & conuictum, tamen iudices abſoluere maluerunt.* quia homines ſapientiſſimi verebantur, inquit, ne præcipuæ accuſatoris amplitudini damnatio eius donata exiſtimaretur.

60. VNVM TEST.] *Sententia eſſet, quòd fiſus alÿs teſtibus, vnum dimiſiſſet, quaſi iam ſuperfluum & vacantem, re confectâ. Sed magis adhæſerim ſcriptæ lectioni*, & in vnum teſtem: *quod interpretor, cauſſam temerè ab eo creditam & collocatam in vno teſte: cùm plures habere potuiſſet. ſed per ſuperbiam noluit, & ſibi atque vni illi putauit credendum.* D

CAP. IX. 61. NESCISSE.] *In hanc rem Phocyllides pulchrè:*

Ὅστις ἑκὼν ἀδικεῖ, κακὸς ἀνὴρ· ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης,
Οὐκ ἐρέω τὸ τέλος. βελτὴν δ' εὔθυνε ἑκάστῳ:

Quiſquis ſponte nocet, vir is improbus. at qui nolens,

Non idem dicam. mens, quę diſcriminat, eſto. *Liuius*: Mentem peccare, non corpus: & vnde conſilium abfuerit, culpam abeſſe.

62. MORBVS.] *Sonticus, qui excuſat ne citati ad nomen reſpondeant.*

63. IMI-

A fuit cùm vellet nocere: [63] imitabor ipſum. Ad primum illum reuertamur. vt gratiam referam, aliquid [64] facere me vis: ipſe vt beneficium mihi daret, nihil fecit. Vt [65] ad alterum tranſeamus, vis me huic gratiam referre, vt quod à nolente accepi, volens reddam. Nam quid de tertio loquar, qui ab iniuriâ in beneficium delapſus eſt? Vt beneficium tibi debeam, parùm eſt [66] voluiſſe te dare: vt non debeam, ſatis eſt, noluiſſe. Beneficium enim voluntas [67] nuda non efficit: ſed quod beneficium [68] non eſſet, ſi optimæ ac pleniſſimæ voluntati fortuna deeſſet, id æquè beneficium non eſt, niſi fortunam voluntas anteceſſit. Non enim profuiſſe te mihi oportet, vt ob hoc tibi obliger, ſed ex deſtinato profuiſſe. Cleanthes exemplo eiuſmodi vtitur: Ad quærendum, in- XI.
quit, & accerſendum ex academiâ Platonem, duos pueros miſi. alter totam porticum perſcrutatus eſt, alia quoque loca in quibus illum inueniri poſſe ſperabat, percurrit, & domum non minùs laſſus quàm [69] irritus redijt: alter apud proximum [70] circulatorem reſedit, & dum vagus atque erro [71] vernaculis congregatur & ludit, tranſeuntem Plato-
B nem, quem non quæſierat, inuenit. Illum, inquit, laudabimus puerum, qui, quantum in ſe erat, quod iuſſus eſt fecit: hunc, feliciter inertem, caſtigabimus. Voluntas eſt, quæ apud nos ponit officium: cuius vide quæ conditio ſit, vt me debito obſtringat. Parùm eſt illi velle, niſi profuit: parùm eſt profuiſſe, niſi voluit. Puta enim aliquem donare voluiſſe, nec donaſſe. animum quidem eius habeo, ſed beneficium non habeo: quod conſummat & res, & animus. Quemadmodum ei qui voluit mihi pecuniam credere, ſed non credidit, nihil debeo: ita ei qui voluit mihi beneficium dare, ſed non potuit, amicus quidem ero, ſed non obligatus. Et volam illi aliquid præſtare: nam & ille voluit mihi. ceterùm ſi benigniore fortunâ vſus præſtitero, beneficium dedero, non gratiam retulero. Ille mihi gratiam debebit referre: huic initium à me [72] fiet numerandi.

Intelligo iam quid velis quærere. non opus eſt te dicere: [73] vultus tuus loquitur. Si XII.
quis ſuâ cauſſâ nobis profuit, eíne, inquis, debetur aliquid? hoc enim fæpè te conquerentem audio, quòd quædam quæ homines ſibi præſtant, [74] alijs imputant. Dicam, mi
C Liberalis: ſed priùs hanc quæſtiunculam diuidam, & rem æquam ab iniquâ ſeparabo. Multum enim intereſt, vtrùm aliquis beneficium nobis det ſuâ cauſſâ, an noſtrâ: an ſuâ & noſtrâ. Ille qui totus ad ſe ſpectat, & nobis prodeſt, quia aliter ſibi prodeſſe non poteſt:

63. IMITABOR.] *Voluntatem eamdem ſeruauero, nocere potiùs tentabo, eius exemplo.*

CAP. X. 64. FACERE ME.] *Breuiùs iſta in meo codice*: aliquid meum vis; cùm ipſe v.b.m.d. nihil fecerit. *Germana puto.*

65. AD ALTERVM.] *Nam tria genera, quibus non obligamur, etſi benè fecerint. Primi, qui nihil à ſe contulerunt: alteri, qui nolentes iuuerunt; tertij, qui nocere volentes.*

66. VOLVISSE TE.] *Res enim ſequi debeat. at contrà eſt in altero membro: etiamſi res adeſt, cùm voluntas abeſt, nihil debeo.*

D 67. NVDA.] *Mera ac ſola.*

68. NON ESSET.] *Rectè. Eraſmum nemo audiat, qui tollit negantem particulam, ex diametro Senecæ aduerſus. Res mihi clara eſt. Nuda, inquit, voluntas beneficium non efficit. & ſicut illa à Fortunâ deſtituta id non confert; ita nec ille cui Fortuna fauit, niſi voluntas præiuit.*

CAP. XI. 69. IRRITVS] *Quidam libri* iratus: *malè*. Irritus *laboris ſui & conatus. nihil effecit quærendo.*

70. CIRCVLATOREM.] *Agyrtam Græcis. qui circulos hominum congregant & faciunt. Vide epiſt.* XXIX.

71. VERNACVLIS.] *Seruis eiuſdem populi aut vrbis, & propriè domeſticis. Capitolinus in Macrino:* In vernaculis vel aulicis tam impius, tam aſper, vt ſerui illum ſui non Macrinum dicerent, ſed Macellinum. *Id genus, lepidi plerumq; aut dicaces. ideò Martialis:* Vernaculorum dicta, ſordidum dentem. *Ammianus* XVII. Iulianum appellantes loquacem talpam, litterionem Græcum, & huic congruentia plurima atque vernacula iactantes. *Itaque non nimis diſpliceat in Suetonio retineri, Vitellij cap.* XIV. Nullis tamen infenſior quàm vernaculis, & mathematicis: *dicentibus iſtis, & prædicentibus.*

72. FIET NVMERANDI.] *Commatium hoc ſine idoneo ſenſu ita editur. Meus*, à me fiet gratiæ. *quod fortaſſe probum eſt, certè in ſenſum probum. ille mihi gratiam debebit referre; ego initium & cauſſam eius dedero. Sed quia libris alijs* Numerandi *verbum, per me mutetur in* munerandi: *& verus item ſenſus, Qui mihi benè voluit tantùm, ſi ego ei benè fecero; ille mihi gratiam debet, non ego reddidi. imò à me initium factum eſt muneris & beneficij. Vt ouis modo ſcribas, reſcribe etiam* hinc, *pro* huic, *initio membri.* Hinc, *id eſt ab iſtâ parte.*

CAP. XII. 73. VVLTVS.] *Velut cum præſenti, vt ſuprà, cap.* VII.

74. ALIIS IMP.] *Suâ cauſſâ, ſuiq; commodi, faciunt; & alteri, quaſi beneficium, inſcribunt. Sibi datum, in alterius rationibus ponunt.*

potest: eo loco mihi est, quo qui peçori suo hibernum & æstiuum pabulum prospicit; A
eo loco, quo qui captiuos suos, vt commodiùs væneant, pascit, & opimos boues saginat ac defricat; quo [75] lanista, qui [76] familiam suam summâ curâ exercet, atque ornat.

XIII. Multum (vt ait Cleanthes) à beneficio distat negotiatio. Rursus non sum tam iniquus, vt nihil ei debeam, qui cùm mihi vtilis esset, fuit & sibi. Non enim exigo, vt sine respectu sui mihi consulat. imò etiam opto, vt beneficium mihi datum, vel magis danti profuerit: dummodo id qui dabat, duos intuens dederit, & inter me seque diuiserit. Licet id ipse ex maiore parte possideat, si modò me in consortium admisit, si duos cogitauit: ingratus sum, non solùm iniustus, nisi gaudeo hoc illi profuisse, quod proderat mihi. Summæ malignitatis est, non vocare beneficium, nisi quod dantem aliquo incommodo affecit. Aliter illi, qui beneficium dat suâ caussâ, respondebo. Quare potiùs te mihi profuisse dices, quàm me tibi? Puta, inquit, aliter fieri non posse me magistratum, quàm si decem captos ciues ex magno captiuorum numero redemero: nihil debebis mihi, cùm te seruitute ac vinculis liberauero? atqui meâ id caussâ faciam. Aduer- B
sus hoc respondeo. Aliquid istic tuâ caussâ facis, aliquid meâ. Tuâ, quòd redimis: meâ, quòd eligis. tibi enim ad vtilitatem tuam satis est, quoslibet redemisse. Itaque debeo, non quòd redimis me, sed quòd eligis. poteras enim & alterius redemptione idem consequi, quod meâ. Vtilitatem rei partiris mecum, & me in beneficium recipis, duobus profuturum. Præfers me alijs: hoc totum meâ caussâ facis. Itaque si prætorem te factura esset decem captiuorum redemptio, decem autem soli captiui essemus, nemo quidquam tibi deberet ex nobis; quia nihil haberes, quod cuiquam imputares, à tuâ vtilitate seductum. Non sum iniquus beneficij interpres: nec desidero illud mihi tantùm da-

XIV. ri, sed & tibi. Quid ergo, inquit, si in sortem nomina vestra conijci iussissem, & tuum nomen inter redimendos exisset, nihil deberes mihi? imò deberem, sed exiguum. Quid sit hoc, dicam. Aliquid meâ caussâ facis, quòd me ad fortunam redemptionis admittis. quòd nomen meum exijt, sorti debeo: quòd exire potuit, tibi. Aditum mihi ad beneficium tuum dedisti, cuius maiorem partem fortunæ debeo: sed hoc ipsum tibi, C
quod fortunæ debere potui. Illos ex toto præteribo, quorum [77] mercenarium beneficium est: quod qui dat, non computat cui, sed quanti daturus sit, quod vndique [78] in se conuersum est. Vendit mihi aliquis frumentum. viuere non possum, nisi emero: sed non debeo vitam, quia emi. Nec quàm necessarium fuerit, æstimo, sine quo victurus non fui: sed [79] quàm gratuitum, quod non habuissem, nisi emissem. in quo inuehendo mercator non cogitauit quantum auxilij allaturus esset mihi, sed quantum lucri sibi.

XV. Quod emi, non debeo. Isto modo, inquit, ne medico quidquam debere te, nisi mercedulam dices: nec præceptori, quia aliquid numeraueris. atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reuerentia est. Aduersus hoc respondetur, quædam pluris esse, quàm emuntur. Emis à medico rem inæstimabilem, vitam ac valetudinem bonam: à bonarum artium præceptore studia liberalia, & animi cultum. Itaque his non rei pretium, sed operæ soluitur, quòd deseruiunt, quòd à rebus suis auocati nobis vacant. mercedem non meriti, sed occupationis suæ ferunt. Aliud tamen dici potest verius, quod statim ponam, si priùs quomodo istud refelli possit, ostendero. Quædam, D
inquit, pluris sunt quàm vænierunt, & ob hoc aliquid mihi extra pro illis, quamuis empta sint, debes. Primùm, quid interest quanti sint, cùm de pretio, inter ementem & vendentem conuenerit? Deinde non vænijt illud suo pretio, [80] sed tuo. Pluris est, inquit, quàm

75. LANISTA.] *Dicitur non solùm doctor & ὑπερέτης μονομάχων; sed qui alit & quæstus caussâ habet,* λανιστόφος, μονομαχοστόφος, *vt Glossæ. Vide me in Saturnal.* I. *cap.* XV.

76. FAMILIAM.] *Gregem gladiatorum & manum. sed quia serui, & quidem infimi,* Familiæ *nomine vulgò censebantur. Ego in ijsdem libris.*

CAP. XIV. 77. MERCENARIVM.] *Mercedem & præmium spectans.*

78. IN SE CONVERS.] *Vnum se spectat, foras & ad alios non tendit.*

79. QVAM GRATVITVM.] *Meus liber,* sed ingratum mihi. *An facimus,* sed an gratum mihi. q. n. h. nisi emissem? *cum interrogatione. Etsi,* gratuitum, *temerè non mutem.*

CAP. XV. 80. SED TVO.] *Quanti tu æstimasti.*

A quàm vænijt. Sed pluris vænire non potuit: pretium autem cuiuſque rei [81] pro tempore eſt. Cùm benè iſta laudaueris: tanti ſunt, quanto pluris vænire non poſſunt. præterea nihil venditori debet, qui [82] benè emit. Deinde etiam ſi pluris iſta ſunt, non tamen vllum iſtic tuum munus eſt, vt non [83] ex vſu effectúve, ſed ex conſuetudine & [84] annonâ æſtimetur. Quod tu pretium ponis traijcienti maria, & per medios fluctus, cùm è terræ conſpectu receſſit, certam ſecanti viam, & proſpicienti futuras tempeſtates, & ſecuris omnibus iubenti ſubitò vela ſtringi, armamenta demitti, paratos ad incurſum procellæ & repentinum impetum ſtare? huic tamen tantæ rei præmium [85] vectura perſoluit. Quanti æſtimas in ſolitudine hoſpitium, in imbre tectum, in frigore balneum, aut ignem? ſcio tamen quanti iſta conſecuturus diuerſorium ſubeam. Quantum nobis præſtat, qui labentem domum [86] ſuſcipit? & agentem ex imo [87] rimas [88] inſulam, incredibili arte ſuſpendit? certo tamen & leui pretio fultura conducitur. Murus nos ab hoſtibus tutos, & à ſubitis latronum incurſionibus præſtat. notum eſt tamen, illas turres, pro ſe-
B curitate publicâ propugnacula habituras, excitaturus faber, quid in diem mereat.

Infinitum erit, ſi latiùs exempla conquiram, quibus appareat, paruo magna conſta- XVI.
re. Quid ergo? quare medico & præceptori plus quiddam debeo, nec aduerſus illos mercede [89] defungor? Quia ex medico ac præceptore in amicum tranſeunt, & nos non arte quam vendunt, obligant, ſed benignâ & familiari voluntate. Itaque medico, qui nihil amplius quàm [90] manum tangit, & me inter eos, quos [91] perambulat, ponit, ſine vllo [92] affectu facienda vitandáve præcipiens, nihil amplius debeo: quia me non tamquam amicum vidit, ſed tamquam [93] imperatorem. Ne præceptorem quidem habeo cur venerer, ſi me in grege diſcipulorum habuit, ſi non putauit dignum propriâ & peculiari curâ, ſi numquam in me direxit animum: & cùm in medium effunderet, quæ ſciebat, [94] non didici, ſed excepi. Quid ergo eſt, quare iſtis debeatur multum? non quia plures eſt quod vendiderunt quàm emimus, ſed quia nobiſipſis aliquid præſtiterunt. Ille [95] plus impendit, quàm medico neceſſe eſt: pro me, non pro [96] famâ artis, ex-
C timuit: non fuit contentus remedia monſtrare, ſed [97] admouit. Intereà ſolicitus aſſedit,

81. PRO TEMPORE.] *Atque ideò variat: vt iudicia aut cupiditas hominum, ſiue & copia aut inopia mercium fuit.*

82. BENE EMIT.] *Id eſt, vili emit. lucri fecit. Ciceronis iocus*: Quò meliùs emptum *(id eſt viliùs)* ſciatis, Tertia deducta eſt.

83. EX VSV.] *Id eſt, pro magnitudine vſus, quem mihi præſtant.*

84. ANNONA.] *Prout ea intepuit, aut eſt accenſa.*

85. VECTVRA.] *Naulum.*

86. SVSCIPIT.] *Tignis & fulturis.*

87. RIMAS.] *Meus*, ruinas. *nec ſpernas. Sed* rimas *non moueo: & ſuſpendi vult ſuperiora domus,*
D *donec ima inſtaurata & firmata.*

88. INSVLAM.] *Domum cænacularium, in quâ tenuiores ferè & inquilini habitabant. συνοικίαν.*

CAP. XVI. 89. DEFVNGOR.] *Liberor, munus impleo.*

90. MANVM.] *Venas ſiue arterias obiter explorat.*

91. PERAMBVLAT.] *Viſit tantùm, atque abit.*

92. AFFECTV.] *Cum frigore quodam, & ex lege ac more.*

93. IMPERATOREM.] *Non mutem. nam & ægri dicebantur imperare medicis (qui tunc non digniſſimæ ſortis) quos aduocabant ſcilicet, &, puto, annuâ mercede obſtrictos habebant. Alſenus lege* XXVI. *De Libert.* Medicus quòd putaret multo plures imperantes ſibi habiturum: *id eſt patronos, & qui operâ eius ægri vterentur. Varro* 1. *de R. R.* Coloni habent anniuerſarios vicinos quibus imperent, medicos, fullones, fabros: *qui ad nutum ſint præſtò, ob annuum illud ſalarium. Tamen Muretus mallet*: non tamquam amicus, ſed tamquam Imperator. *Nam imperare etiam medicorum. vt in noſtro De Irâ* 1. *cap.* XVI. Si intraſſem valetudinarium exercitatus & ſciens, non idem imperaſſem omnibus per diuerſa ægrotantibus. *Terentius in perſonâ medici:* Quod iuſſi dare bibere, & quantum imperaui, date. *Et ſanè pro Senecâ fortaſſe magis hæc lectio, vt ad ipſum medicum referatur volentem & amicum, quæ pars prima in beneficio. Nam ita paulloantè:* Ex medico & præceptore, in amicum tranſeunt. *& infrà*: Non tamquam medico, ſed amico, obligatus ſum. *Sed & ex priore idem aut ſimilis ſenſus.*

94. NON DIDICI.] *Quaſi illo abÿciente magis, quàm porrigente. Itaque ſuſtuli, inquit, non ſumpſi.*

95. PLVS IMPENDIT.] *Meus & Pinciani codices*, magis pependit: *vt ad ſolicitudinem referatur, & animum anxium in curando. Sed vulgatum etiam approbum*, Plus impendit, *operæ temporiſq;.*

96. FAMA ARTIS.] *Vt ſæpè. ne malè audirent medici, ne ipſe imperitior haberetur, abſque ſucceſſu.*

97. ADMOVIT.] *Suâ manu. In meo tamen libro*: ſed admonuit.

dit, ad [98] ſuſpecta tempora occurrit: nullum miniſterium oneri illi, nullum [99] faſtidio A
fuit. Gemitus meos non ſecurus [100] excepit. in turbâ [101] multorum inuocantium, ego illi
potiſſima [102] cura fui. tantum alijs vacauit, quantum mea valetudo permiſerat. Huic
ego non tamquam medico, ſed tamquam amico, obligatus ſum. Alter rurſus in docen-
do, & laborem & tædium tulit, præter illa quæ præcipientibus in commune dicuntur,
aliqua inſtillauit ac tradidit, hortando bonam indolem erexit, & modò laudibus fecit
animum, modò admonitionibus diſcuſſit deſidiam. Tum ingenium latens & pigrum,
iniectâ (vt ita dicam) manu, [103] extraxit: nec quæ ſciebat, malignè diſpenſauit, quò diu-
tiùs eſſet neceſſarius, ſed cupijt, ſi poſſet, vniuerſa [104] transfundere. Ingratus ſum, niſi
XVII. illum inter gratiſſimas [105] neceſſitudines diligo. Sordidiſſimorum quoque artifi-
ciorum [106] inſtitoribus ſupra conſtitutum aliquid [107] adiecimus, ſi nobis [108] opera illo-
rum enixior viſa eſt: & gubernatori, & opifici viliſſimæ mercis, & in diem ſe locanti
[109] corollarium aſperſimus. In optimis verò artibus quæ vitam aut [110] conſeruant, aut
[111] excolunt, qui nihil ſe plus exiſtimat debere quàm pepigit, ingratus eſt. Adijce, quòd B
talium ſtudiorum traditio [112] miſcet animos. hoc cùm factum eſt, tam medico quàm
XVIII. præceptori pretium operæ ſoluitur, animi debetur. Plato cùm flumen naue tranſ-
iſſet, nec ab illo quidquam [113] portitor exegiſſet, honori hoc ſuo datum credens, dixit
[114] poſitum illi eſſe apud Platonem officium. Deinde paullopòſt, cùm alium atq; alium
gratis eâdem tranſueheret ſedulitate, negauit illi iam apud Platonem poſitum officium.
Nam vt tibi debeam aliquid, pro eo quod præſtas, debes non tantùm mihi præſtare, ſed
tamquam mihi. non potes ob id quemquam [115] appellare, quod [116] ſpargis in populum.
Quid ergo? nihil debetur pro hoc? Nihil, tamquam ab vno. cùm omnibus ſoluam,
XIX. quod tibi cum omnibus debeo. Negas, inquit, vllum dare beneficiũ eum, qui me gra-
tuitâ naue per flumen Padum tulit? nego. aliquid boni facit, beneficium non dat. Facit
enim ſuâ cauſſâ, aut vtique non meâ. Ad ſummam, ne ipſe quidem ſe mihi beneficium
iudicat dare: ſed aut reip. aut viciniæ, aut ambitioni ſuæ præſtat: & pro hoc aliud
quoddam commodum exſpectat, quàm quod à ſingulis recepturus eſt. Quid ergo, in- C
quit, ſi Princeps ciuitatem dederit [117] omnibus Gallis, ſi [118] immunitatem Hiſpanis,
nihil hoc nomine ſinguli debebunt? Quid ni debeant? debebunt autem non tamquam
pro-

98. SVSPECTA.] *Cùm vis morbi ſolet ingruere, vel cùm criſis eſſet.*

99. FASTIDIO.] *Vt quædam ſordida, & ſenſibus moleſta.*

100. EXCEPIT.] *Meus, & alij*, audiuit.

101. MVLTORVM.] *Addit idem voculam*, infirmorũm inuoc.

102. CVRA FVI.] *Scripti omnes*, curatio. *cur mutarunt?*

103. EXTRAXIT.] *In lucem produxit. audere, tentare, videre & adſpici fecit.*

104. TRANSFVNDERE.] *Omnem ſcientiam ſimul in me deriuare. O pulchræ optimi doctoris notæ!*

105. NECESSITVDINES.] *Neceſſarios.*

CAP. XVII. 106. INSTITORIBVS.] *Qui merces vendunt, emúntve. qui tabernis præpoſiti,* ἐργαστηριάρχαι. *Ouidius:*

Inſtitor ad dominã veniet diſcinctus emacem. *Noſter hoc ipſo libro, cap.* XXXVIII. Inſtitores delicatarum mercium.

107. ADIECIMVS.] *Nos domini, qui tabernæ præpoſuimus. dedimus aliquid ſupra mercedem, quam pacti eramus. Nam ad emptores, non commodè hoc referas, nec ex more.*

108. OPERA.] *Diligentior & impenſior in re meâ faciendâ, in plurimi vendendo.*

109. COROLLARIVM.] *Auctarium,* ἐπίωξον. *Varro de L. L.* Manupretium, à manibus & pretio. Corollarium, ſi additum præterquàm quod debitum eius vocabulum fictum à corollis, quòd hæ, cùm placuerant actores, in ſcænâ dari ſolitæ. *Sueton. Auguſt. cap.* XLV. Corollaria & præmia alienis quoque ludis de ſuo offerebat. *Cicero in Verr.* Vt ad fructus illos arationum, corollarium hoc nummorum accederet.

110. CONSERVANT.] *Vt medicina.*

111. EXCOLVNT.] *Vt litteratura.* D

112. MISCET.] *Inter ſe iungit, amicitiam conciliat. Admodum verè dictum.*

CAP. XVIII. 113. PORTITOR.] πορθμεὺς, *qui traijcit & tranſportat.*

114. POSITVM.] *Seruatum ibi, reconditum in animo, reſumendum ab eo cùm vellet.*

115. APPELLARE.] *Quaſi debitorem.*

116. SPARGIS.] *Vt in ludis ſolet.*

CAP. XIX. 117. OMNIBVS GALLIS.] *Alludit ad ipſum eius ævi factum. nam Claudius Galliæ comatæ plenam ciuitatem, id eſt cum iure ſuffragij dedit. Tacit.* XI. *Annal.*

118. IMMVNITATEM.] *A tributis.*

119. SVB-

A proprium beneficium, sed tamquam publici partem. Nullam, inquit, habuit cogitationem mei. Illo tempore, quo vniuersis proderat, noluit mihi propriè ciuitatem dare: nec in me direxit animum. Ita quare ei debeam qui me sibi non [119] substituit, cùm facturus esset quod fecit? Primùm, cùm cogitauit Gallis omnibus prodesse, & mihi cogitauit prodesse. eram enim Gallus: & me, etiam si non meâ, publicâ tamen [120] notâ comprehendit. Deinde ego quoque illi non tamquam proprium debebo, sed quomodo vnus è populo: non tamquam pro me soluam, sed tamquam pro patriâ [121] conferam.

Si quis patriæ meæ pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec hoc æs alienum profitebor aut [122] candidatus, [123] aut reus: ad exsoluendum tamen hoc, portionem meam dabo. Sic istius muneris quod vniuersis datur, debitorem me nego: quia mihi dedit quidem, sed non propter me: & mihi quidem, sed nescius an mihi daret: nihilominus aliquid mihi dependendum sciam, quia ad me quoque circuitu longo peruenit. Propter me factum debet esse, quod me obliget. Isto, inquit, modo, nec Lunæ XX.
B nec Soli quidquam debes. non enim propter te mouentur. Sed cùm in hoc moueantur, vt vniuersa conseruent, & pro me mouentur: vniuersorum enim pars sum. Adijce nunc, quòd nostra, & horum conditio, dissimilis est. Nam qui mihi prodest, vt per me prosit & sibi, non dedit beneficium: quia me instrumentum vtilitatis suæ fecit. Sol autem & Luna etiam si nobis prosunt, non in hoc tamen prosunt, vt per nos prosint sibi. quid enim nos illis conferre possumus? Sciam, inquit, Solem ac Lunam nobis velle pro- XXI.
desse, si nolle potuerint. illis autem non licet non moueri. ad summam, consistant, & opus suum intermittant. Hoc vide quot modis refellatur. Non ideò minus vult, qui non potest nolle. imò magnum argumentum est firmæ voluntatis, ne mutare quidem posse. [124] Vir bonus non potest non facere, quod facit: non enim erit bonus, nisi fecerit. ergo nec bonus vir beneficium dat, quia facit quod debet. non potest autem non facere, quod debet. Præterea multum interest, vtrùm dicas, Non potest hoc non facere, quia cogitur: an, Non potest nolle. Nam si necesse est illi facere, non debeo ipsi bene-
C ficium, sed cogenti. Si necesse est illi velle ob hoc, quia nihil habet melius quod velit, ipse se cogit. Ita quod tamquam coacto non deberem, tamquam cogenti debeo. Desinant, inquit, velle. Hoc loco tibi occurrat, Quis tam demens est, vt eam neget voluntatem esse, cui non est periculum desinendi, vertendique se in contrarium: cùm ex diuerso nemo æquè videri debeat velle, quàm cuius voluntas vsque eò certa est, vt æterna sit? An si is quoque vult, qui potest statim nolle, is non videbitur velle, in cuius naturam non cadit nolle? Agedum, inquit, si possunt, resistant. Hoc dicis, Omnia XXII.
ista ingentibus [125] interuallis diducta, & in custodiam vniuersi disposita, stationes suas deserant, subitâ confusione rerum sidera sideribus incurrant, & ruptâ rerum concordiâ in ruinam diuina labantur, contextusq; velocitatis citatissimæ, in [126] tot sæcula promissas vices in medio itinere destituat, & quæ nunc eunt alternis redeuntque opportunis [127] libra-

119. SVBSTITVIT.] *Me non habuit animi consiliique sui scopum. Non proposuit aut suppposuit in*
D *mente talem.*

120. NOTA.] *Gentis nomine.*

121. CONFERAM.] *Propriè, vbi plures donant. Inde formula*, Ex ære collato.

CAP. XX. 122. CANDIDATVS.] *Nec miror, si candidati magistratuum æs suum & alienum professi sint: quare? vt liqueret censum Senatorium eos habere, qui ad magistratus, & publicum illum splendorem, quærebatur.*

123. AVT REVS.] *Sed quâ caussâ rei igitur professi? an non omnes, sed Repetundarum, Peculatus, aut criminum, in quibus pecuniaria res agebatur? Itaque ibi videndum, quid in suo ære, quid in alieno haberent: & inde sæpè in culpam aut innocentiam argumenta. Sed & opus deducere æs alienum, vt litis æstimatio deinde solueretur. Mihi hoc in mente: melius promenti, acceptor ero. Sed heus, succurrit. an non illa sententia: Neque extra iudicium, neque in iudicio (siquis trahat) fatebor me illius debitorem. Extra iudicium, cùm in candidâ meâ ero: siue in fordidâ, reus.*

CAP. XXI. 124. VIR BONVS.] *Dissimile est. nam potest desinere bonus esse. sed hoc quoque scilicet è sublimitate illâ, an arrogantiâ Stoicâ, qui* Hominem Deo parem: Iouem plus non posse, quàm virum bonum, *& hæc talia iactabant.*

CAP. XXII. 125. INTERVALLIS.] *Quæ inter cælos & sidera ipsa sunt.*

126. TOT SÆCVLA.] *Nec enim immortalem mundum Stoici faciunt.*

[127] libramentis, mundum ex æquo temperantia, repentino concrementur [128] incendio, A
& ex tantâ varietate soluantur, atque eant in vnum omnia. Ignis cuncta possideat, quem
deinde pigra nox occupet, & profunda vorago [129] tot deos sorbeat. Est tanti, vt tu coar-
guaris, ista [130] concidere? Prosunt tibi etiam inuito, euntque ista tuâ caussâ: etiamsi
XXIII. [131] maior illis alia, ac prior caussa est. Adijce nunc, quòd non externa cogunt deos, sed
sua illis [132] in legem æterna voluntas est. statuerunt, quę [133] non mutarent. Itaq; non pos-
sunt videri facturi aliquid, [134] quamuis nolint: quia quidquid desinere non possunt, per-
seuerare voluerunt: nec vnquam primi consilij deos pęnitet. Sine dubio [135] stare illis &
descisscere in contrariũ, non licet: sed non ideò, quia vis sua illos in proposito tenet, [136] ex
imbecillitate permanent: sed quia non licet ab optimis aberrare, & sic ire decretum est.
In primâ autem illâ [137] constitutione, cùm vniuersa disponerent, etiam nostra viderunt,
rationemq; hominis habuerunt. Itaque non possunt videri suâ tantùm caussâ decurrere,
& explicare opus suum: quia pars operis sumus & nos. Debemus ergo & Soli, & Lunæ,
& cæteris cælestibus beneficium: quia etiamsi [138] potiora illis sunt, in quæ oriuntur, nos B
tamen in maiora ituri iuuant. Adijce, quòd destinato iuuant. ideoque obligati sumus,
qui non in beneficium ignorantium incidimus, sed hæc quæ accipimus, accepturos scie-
runt: & quamquam maius illis propositum sit, maiorque actus sui fructus, quàm seruare
mortalia: tamen in nostras quoque vtilitates à principio rerum præmissa mens est, &
is ordo mundo datus, vt appareat curam nostri non inter vltima habitam. Debemus pa-
rentibus nostris pietatem. & multi non vt gignerent, coierunt. Dij non possunt videri
nescisse, quid effecturi essent, cùm omnibus alimenta protinus, & [139] auxilia prouide-
rint: nec eos per negligentiam genuere, quibus tam multa genuerant. Cogitauit enim
nos antè [140] natura, quàm fecit: nec tam leue opus sumus, vt illi potuerimus [141] excide-
re. Vide quantum nobis permiserit, quàm [142] non intra homines, humani imperij con-
ditio sit. vide inquantum corporibus vagari liceat, quæ non coërcuit [143] fine terrarum,
sed

127. LIBRAMENTIS.] *Quòd Sol remotior, quòd Luna vicinior; quòd ille ardore diurno, hæc humore nocturno, inuicem temperant.*

128. INCENDIO.] *Stoicorum ἐκπυρώσει.*

129. TOT DEOS.] *Nam* Chrysippus & Cleanthes, *vt Plutarchus ait*, cælum, terram, aërem, mare dijs compleuerunt. & neminem tamen ex tam multis immortalem reliquerunt, excepto vno Ioue. Imò ceteros omnes natos esse, & interituros, ex ignis vi. *Vide nos Physiol.* II. *Diss.* XXII.

130. CONCIDERE?] *Secutus sum libros, & Gruteri nostri coniecturam: nisi quòd interrogatione animauerim. Estne tanti, inquit, & condignum scilicet præmium, ad te arguendum, vt ista omnia collabantur & ruant? Nam hoc optas, & obijcis: Si possunt nolle, desinant. Atquin, ô homo, non desinent: prosunt tibi, proderuntq; vel inuito.*

131. MAIOR ILLIS.] *Lex illa vniuersi, & conseruatio rerum.*

CAP. XXIII. 132. IN LEGEM.] *Quid aptius altiúsque dici potest? legite hæc, qui animo tales estis.*

133. NON MVTARENT.] *Nam vt* I. *Quæst. Natur.* Maiestatis deminutio est, & confessio erroris mutanda fecisse. Necesse est ei eadem placeant, cui nisi optima placere non possunt.

134. QVAMVIS NOLINT.] *Clarius*, quasi vt nolint. *Ibidem (in Quæstion.) Seneca*: Nec ob hoc minùs liber aut potens est: ipse est enim necessitas sua.

135. STARE.] *Malè voculam expulerant: libri asserunt & sensus. Sidera quiescere non possunt, etsi tu voues: neque item in contrarium aut diuersum exorbitare.* C

136. EX IMBECILLITATE.] *Mei libri*, in imbecill. *Puto ipse*, nec imbecillitate: *ex syllabâ prioris voculæ.*

137. CONSTITVTIONE.] *Quâ primâ? cuiusque mundi, cùm renascuntur (Stoico sensu:) an illâ apud Iouem ab æterno?*

138. POTIORA ILLIS.] *Sic statim*: Maius illis propositum, maiorque actus sui fructus, quàm seruare mortalia. *De Irâ* II. *cap.* XXVII. Non enim nos caussa mundo sumus. nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moueantur. *Et est Stoicum dogma*, Mundum factum Deorum hominumque caussâ. D

139. AVXILIA.] *E libris est. vulgò*, & vtilia.

140. NATVRA QVAM.] *Id est, Deus.*

141. EXCIDERE.] *Fortuitò & quasi per casum nasci. Dum aliud opus struit, nos præter opus obiter genuit. An* excidere *etiam, elabi eius mente, interpretemur? non sumus tam leuis res, vt extra curam cogitationemq; posuerit.*

142. NON INTRA HOMINES.] *Imò & ad animantes ceteras pertinet, quibus iugum nempe damus.*

143. FINE TERRARVM.] *Siue, quia maria sulcamus, in aërem vehiculis aut funibus tollimur; siue, quia oculos etiam mittimus in ipsum cælum; siue denique quia nulli glebæ affixis quaquauersus licet ire.*

144. AVT

A ſed omnem in partem ſui miſit. vide, animi quantum audeant, quemadmodum ſoli aut nouerint deos, [144] aut quærant, & mente in altum datâ diuina [145] comitentur. Scias, non eſſe hominem [146] tumultuarium & incogitatum opus. Inter maxima rerum ſuarum, natura nihil habet quo magis glorietur, aut certè [147] cui glorietur. Quantus iſte furor eſt, [148] controuerſiam dijs muneris ſui facere? Quomodo aduerſus eos hic erit gratus, quibus gratia referri [149] ſine impendio non poteſt, qui negat ab his accepiſſe ſe, à quibus [150] cùm maximè accipit, qui & ſemper daturi ſunt, & numquam recepturi? Quanta autem peruerſitas, ob hoc alicui non debere, quia etiam infitianti benignus eſt: & continuationem ipſam, ſeriemque beneficij, argumentum vocare neceſſariò dantis? *Nolo. ſibi habeat. quis illum rogat?* & omnes alias impudentis animi voces his adſtrue. Non ideò de te minùs meretur is, cuius liberalitas ad te etiam dum negas peruenit: cuiuſque beneficiorum, vel hoc maximum, quòd [151] etiam querenti daturus eſt. Non xxiv.
vides, quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad ſalubrium rerum pa-
B tientiam cogant? Flentium corpora, ac repugnantium, diligenti curâ fouent: & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura [152] conſtringunt: & mox liberalia ſtudia inculcant, adhibito [153] timore nolentibus. [154] Ad vltimum, audacem [155] iuuentam frugalitati, pudori, moribus bonis, ſi parùm ſequitur, [156] coactam applicant. [157] Adoleſcentibus quoque, ac iam [158] potentibus ſui, ſi [159] remedia metu aut intemperantiâ reijciunt, vis adhibetur ac ſeruitus. Itaque beneficiorum maxima ſunt, quæ à parentibus accipimus, dum aut [160] neſcimus, [161] aut nolumus. His ingratis, & xxv.
repudiantibus beneficia, non quia nolunt, ſed ne debeant, ſimiles ſunt ex diuerſo nimis grati: qui aliquid incommodi precari ſolent his quibus obligati ſunt, aliquid aduerſi, in quo affectum memorem accepti beneficij approbent. An hoc rectè faciant, & piâ voluntate, quæritur: quorum animus ſimillimus eſt prauo amore flagrantibus, qui amicæ ſuæ optant exſilium, vt deſertam fugientemque comitentur: optant inopiam, vt magis deſideranti donent: optant morbum, vt aſſideant: & quidquid inimicus optaret,
C amantes vouent. Ferè idem itaque exitus eſt odij, & amoris inſani. Tale quiddam & his accidit, qui amicis incommoda optant, quæ detrahant, & ad beneficium iniuriâ veniunt: cùm ſatius ſit vel ceſſare, quàm per ſcelus officio locum quærere. Quid ſi gubernator à dijs tempeſtates infeſtiſſimas, & procellas petat, vt gratior ars ſua periculo fiat? quid ſi imperator deos oret, vt magna vis hoſtium circumfuſa caſtris, foſſas ſubito impetu compleat, & vallum trepidante exercitu [162] conuellat, & in ipſis [163] portis infeſta ſigna

144. AVT QVÆRANT.] *Pulchrè. & hoc ipſum diuinæ mentis ſignum, quòd ſemper imus ad diuina.*

145. COMITENTVR.] *Siderum nempe curſum. Vide libri* II. *ſuprà, cap.* XXIX. *libri* III. *cap.* XX.

146. TVMVLTVARIVM.] *Epicuri deſipiens dogma, à fortuito atomorum concurſu nos*
D *formantis.*

147. CVI GLORIETVR.] *O acutè & verè! Vide De Vit. beat. (ex vulgatâ diſtinctione) cap.* XXXII.

148. CONTROVERSIAM.] *In dubium vocare Dei beneficia, & ſint ne verè talia, atque à voluntate.*

149. SINE IMPENDIO.] *Nempe aduerſus homines. quibus reddi gratia ſine re non poteſt.*

150. CVM MAXIME.] *Poſſit & legi*: cùm maxima accepit, & ſemper.

151. ETIAM QVERENTI.] *Querulo & increpanti. At Pincianus*, non quærenti: *id eſt, nolenti.*

CAP. XXIV. 152. CONSTRINGVNT.] *Faſceis, & in cunis.*

153. TIMORE.] *A virgâ & ferulâ.*

154. AD VLTIMVM.] *Quomodo, ſi de adoleſcentiâ mox ſubiungit? an fortè*, adultorum?

155. IVVENTAM.] *Ideò adoleſcentiæ hîc præponit (contra ætatum ſeriem:) quia de animi & morum formatione agit, atque opportunè ſtudijs adiunxit.*

156. COACTAM.] *Vi patriæ poteſtatis, metu Abdicationis.*

157. ADOLESCENTIBVS.] *De Adultis dixit. at etiam, inquit, cùm adoleſcunt, vis & imperium adhibentur.*

158. POTENTIBVS SVI.] *Sumptâ virili Togâ, quæ ideò* Libera *dicta. cùm cuſtos & pædagogus remoti.*

159. REMEDIA.] *Ad corporis morbos refer. nam de animi, iam præiuit.*

160. NESCIMVS.] *In infantiâ & pueritiâ.*

161. AVT NOLVMVS.] *In adoleſcentiâ & iuuentâ.*

CAP. XXV. 162. CONVELLAT.] *Nam ſtipitibus interpoſitis fiebat. vnde hæc phraſis. Lib.* V. *De Milit. Rom. dixi.*

163. PORTIS.] *Caſtrorum. quæ quattuor erant.*

ſigna conſtituat, quò maiore cum gloriâ rebus lapſis profligatiſque ſuccurrat? Omnes A
iſti beneficia ſua dereſtabili viâ ducunt, qui deos contra eum aduocant, cui ipſi [164] affu-
turi ſunt, & antè illos ſterni, quàm erigi volunt. Inhumana iſta, & peruersè grati animi
XXVI. natura eſt, contra eum optare, cui honeſtè deeſſe non poſſis. Non nocet illi votum
meum, inquit, quia ſimul opto & periculum, & remedium. Hoc dicis, non nihil te pec-
care, ſed minus quàm ſi ſine remedio periculum optares. Nequitia eſt, vt extrahas, mer-
gere; euertere, vt ſuſcites; vt emittas, includere. Non eſt beneficium, [165] iniuriæ finis:
nec vmquam id detraxiſſe meritũ eſt, quod ipſe qui detraxit, intulerat. Non vulneres me
malo, quàm ſanes. potes inire gratiam, ſi quia vulneratus ſum, ſanas: non, ſi vulneras,
vt ſanandus ſim. Numquam cicatrix, niſi [166] collata vulneri, placuit: quod ita coiſſe
gaudemus, vt non fuiſſe mallemus. Si hoc ei optares, cuius nullum beneficium haberes,
inhumanum erat votum: quanto inhumaniùs ei optas, cui beneficium debes?
XXVII. Simul, inquit, vt poſſim ferre illi opem, precor. Primùm, vt te in mediâ parte voti
tui [167] occupem, iam ingratus es. nondum audio quid illi velis præſtare: ſcio quid illum B
velis pati. Sollicitudinem illi & metum, & maius aliquod imprecaris malum. optas vt
ope indigeat: hoc contra illum eſt. optas vt tuâ indigeat ope: hoc pro te eſt. non ſuc-
currere vis illi, ſed ſoluere. Qui ſic properat, ipſe [168] ſolui vult, non ſoluere. Ita quod
vnum in voto tuo honeſtum videri poterat, turpe & ingratum eſt, nolle debere. optas
enim, non vt tu facultatem habeas referendæ gratiæ, ſed vt ille neceſſitatem implorandę.
Superiorem te facis, & quod nefas eſt, benè meritum [169] ad pedes tuos mittis. quanto ſa-
tius eſt, honeſtâ voluntate debere, quàm per malam rationem ſoluere? Si infitiareris quod
acceperas, minùs peccares: nihil enim niſi quod dederat, amitteret: nunc vis illum ſub-
ijci tibi iacturâ rerum ſuarum, & ſtatus mutatione in id deuocari, vt infra [170] beneficia
ſua [171] iaceat. Gratum te reputabo? coram eo, cui prodeſſe vis, opta. Votum tu iſtud
vocas, quod inter gratum & inimicum poteſt [172] diuidi? quod non dubites aduerſa-
rium & hoſtem feciſſe, ſi extrema taceantur? Hoſtes quoque optauerunt capere quaſ-
dam vrbes, vt ſeruarent: & vincere quoſdam, vt ignoſcerent. nec ideò non hoſtilia vo- C
ta: in quibus, quod mitiſſimum eſt, poſt crudelitatem venit. Denique qualia eſſe iudi-
cas vota, quę nemo tibi minùs volet, quàm is pro quo fiunt, ſuccedere? peſſimè cum eo
agis, cui vis à dijs noceri, à te ſuccurri: iniquè cum ipſis dijs. Illis enim duriſſimas par-
tes imponis, tibi humanas. vt tu proſis, dij nocebũt? Si accuſatorem ſubmitteres, quem
deinde remoueres, ſi aliquâ illum lite implicares, quam ſubinde diſcuteres, nemo dẽ tuo
ſcelere dubitaret: quid intereſt, vtrùm iſtud fraude tentetur, an voto? niſi quòd [173] po-
tentiores illi aduerſarios quæris. Non eſt quòd dicas: Quam enim illi iniuriam facio?
Votum tuum aut [174] ſuperuacuum eſt, aut [175] iniurioſum: imò iniurioſum, etiamſi ir-
ritum. Quidquid non efficis, [176] Dei munus eſt: [177] iniuria verò, quidquid optas. Sat
XXVIII. eſt. tibi non aliter debemus iraſci, quàm ſi feceris. Si vota, inquit, valuiſſent, & in
hoc valuiſſent, vt tutus eſſes. Primùm, certum mihi optas periculum ſub incerto auxi-
lio. deinde vtrumque certum puta: quod nocet, prius eſt. Præterea, tu conditionem
voti D

164. AFFVTVRI.] *Defenſuri.*

CAP. XXVI. 165. INIVRIÆ FINIS.] *Deſinere iniurium eſſe.*

166. COLLATA VVLNERI.] *Id eſt, per ſe non placet. ſed comparatione placet. Malo, quàm vulnus.*

CAP. XXVII. 167. OCCVPEM.] *Voto nondum plenè prolato, præueniam.*

168. SOLVI VVLT.] *Ita me Deus, acutiſsimè. Significat, illi graue eſt beneficium, & liberari ſtatim vult: nec tam gratus eſſe, quàm expeditus.*

169. AD PEDES.] *Vt ſupplex tibi ſit.*

170. BENEFICIA SVA.] *Pro hominibus acceperim, & ijs quibus benè fecit. Antè notauimus, ſic vſurpari.*

171. IACEAT.] *Ad pedes, vt præmiſit.*

172. DIVIDI.] *Quia prior pars hoſtilis eſt, altera amica.*

173. POTENTIORES.] *Ipſos deos, quos voto conuenis.*

174. SVPERVACVVM.] *Si non ſuccedit, non auditur.*

175. INIVRIOSVM.] *Si auditur, cùm noxâ ſcilicet coniunctum.*

176. DEI MVNVS.] *Qui te benignior, parcit, nec exaudit.*

177. INIVRIA.] *In animo tuo, & ipsâ illâ conceptione voti.*

CAP.

A voti tui noſti: me tempeſtas occupauit, portus ac præſidij dubium. Quantum exiſtimas tormentum, etiamſi accepero, eguiſſe? etiamſi ſeruatus fuero, trepidaſſe? etiamſi abſolutus fuero, cauſſam dixiſſe? Nullius metus tam gratus eſt finis, vt non gratior ſit ſolida & inconcuſſa ſecuritas. Opta, vt reddere mihi beneficium poſſis, cùm opus erit, non vt opus ſit. Si eſſet in tuâ poteſtate quod optas, [178] ipſe feciſſes. Quanto hoc XXIX.
honeſtius votum eſt? Opto in eo ſtatu ſit, quo ſemper beneficia diſtribuat, numquam deſideret. [179] Sequatur illum materia, quâ tam benignè vtitur largiendo iuuandoque, vt numquam illi ſit dandorum beneficiorum inopia, datorum pœnitentia. Naturam per ſe pronam ad humanitatem, ad miſericordiam, & clementiam, irritet ac prouocet turba gratorum: quos illi & habere contingat, nec [180] experiri neceſſe ſit. Ipſe nulli implacabilis ſit, ipſi nemo [181] placandus. tam æquali in eum fortuna indulgentiâ perſeueret, vt nemo in illum poſſit eſſe, niſi conſcientiâ gratus. Quanto hæc iuſtiora vota ſunt, quæ te in nullam occaſionem differunt, ſed gratum ſtatim [182] faciunt? Quid enim pro-
B hibet referre gratiam proſperis rebus? quàm multa ſunt, per quæ quidquid debemus, reddere etiam felicibus poſſumus? fidele conſilium, aſſidua conuerſatio, ſermo comis, & ſine adulatione iucundus; aures, ſi deliberare velit, [183] diligentes; [184] tutæ, ſi credere; conuictus familiaritas. Neminem tam altè ſecunda poſuerunt, vt non illi eò magis [185] amicus deſit, quia nihil abſit. Iſta triſtis, & omni voto ſubmouenda occaſio, XXX.
ac procul repellenda. vt gratus eſſe poſſis, [186] iratis dijs opus eſt? Nec ex hoc quidem peccare te intelligis, quòd meliùs cum eo agitur, cui ingratus es? Propone in animo tuo carcerem, vincula, ſordes, ſeruitutem, bellum, egeſtatem: hæ ſunt occaſiones tui voti. ſi quis tecum contraxit, per iſta [187] dimittitur. Quin potiùs eum potentem eſſe velis, cui plurimum debes, & beatum? Quid enim (vt dixi) vetat, te referre etiam ſummâ felicitate præditis gratiam? cuius plena tibi occurret & varia materia. Quid? tu neſcis debitum etiam locupletibus ſolui? Nec te inuitum [188] diſtringam: Omnia ſanè excluſerit opulenta felicitas; monſtrabo tibi, cuius rei inopiâ laborent magna faſtigia, quid om-
C nia poſſidentibus deſit. Scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſaque conſuetudine pro rectis [189] blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à conſenſu concentuque falſorum. Non vides quemadmodum illos in præceps agat exſtincta [190] libertas, & fides in obſequium ſeruile ſubmiſſa, dum nemo [191] ex animi ſui ſententiâ ſuadet, diſſuadetque, ſed adulandi [192] certamen eſt, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blandiſſimè fallat? Ignorauere vires ſuas, & dum ſe tam magnos quàm audiunt, credunt, [193] attraxere ſuperuacua, & in diſcrimen rerum omnium peruentura bella: vtilem & neceſſariam rupere concordiam: ſecuti iram, quam nemo reuocabat, multorum ſanguinem hauſerunt, fuſuri nouiſſimè ſuum,

CAP. XXVIII. 178. IPSE FECISSES.] *Ipſe in diſcrimen me adduxiſſes. ipſe læſiſſes, deieciſſes: vt ſcilicet auxilio eſſes. Ergo ſcelus admiſiſſes, vt gratus deinde eſſes? Nam certè qui optat, cupit; qui cupit,*
D *fecerit ſi poſſit.*

CAP. XXIX. 179. SEQVATVR.] *Facilis ei ſit, habeat, nec vmquam deſtituat.*

180. EXPERIRI.] *Ipſe auxiliator ille, auxilij numquam egeat.*

181. PLACANDVS.] *Nemini ſupplicare debeat, nullius iram mitigare.*

182. FACIVNT.] *Optimo illo, & tam propenſo, animo.*

183. DILIGENTES.] *Ad audiendum, & mox ſuadendum.*

184. TVTÆ.] *Ad continendum, ſiquid arcani depoſuit.*

185. AMICVS DESIT.] *Quia ſemper* magnæ fortunæ *(Velleij dictum)* comes adulatio: *& veritas ac candor apud felices potenteſq; vix habitant.*

CAP. XXX. 186. IRATIS DIIS.] *Vt noceant.*

187. DIMITTITVR.] *Siquis vinculo aliquo tecum hæret, per hæc liberatur. Iſta enim ei optas, vt ſoluere aut ſolui poſſis.*

188. DISTRINGAM.] *Illigatum tenebo.*

189. BLANDA AVDIENDI.] *Tacitus de hoc genere*: Quorum aures ita formatæ, vt nil niſi iucundum, & læſurum, accipiant. *Ideò Diogenes*, Adulationem, melleum eſſe laqueum.

190. LIBERTAS.] *Amicorum & familiarium, quâ apud eum nefas vti.*

191. EX ANIMI.] *Formula vetus, quâ ſignificabant puriter, liberè, & ex interiore ſenſu dici.*

192. CERTAMEN EST.] *Quod vetus illud dictum expreſſit, ab iſto aut proximo æuo:* Omnis Romanus adulatione corrumpitur, aut corrumpit.

193. ATTRAXERE.] *Vltrò aduocarunt & arceſſiuerunt bella.*

194. DVM

ſuum,[194] dum vindicant inexplorata pro certis, flectiqúe non minùs exiſtimant turpe A
quàm vinci,& perpetua credunt, quæ in ſummum perducta maximè nutant. Ingentia
ſuper ſe ac ſuos regna fregerunt, nec intellexerunt, in illâ ſcenâ, & vanis & citò diffluen-
tibus bonis refulgente, ex eo tempore ipſos nihil non aduerſi exſpectare debuiſſe, ex
XXXI. quo nihil veri audire potuerunt. Cùm bellum Græciæ indiceret Xerxes, ani-
mum tumentem, oblitumqúe quàm caducis confideret, nemo non impulit. Alius aie-
bat, non laturos nuncium belli, & ad primam aduentus famam, terga verſuros: alius,
nihil eſſe dubij, quin illâ mole non vinci ſolùm Græcia, ſed[195] obrui poſſet: magis ve-
rendum, ne vacuas deſertaſqúe vrbes inuenirent, & profugis hoſtibus vaſtæ ſolitudines
relinquerentur, non habituris, vbi tantas vires exercere poſſent. Alius, illi vix rerum na-
turam ſufficere, anguſta eſſe claſſibus maria, militi caſtra, explicandis equeſtribus co-
pijs campeſtria, vix patere[196] cælum ſatis ad emittenda omni manu tela. Cùm in hunc
modum multa vndique iactarentur, quæ hominem nimiâ æſtimatione ſui furentem
concitarent,[197] Demaratus Lacedæmonius ſolus dixit, ipſam illam quâ ſibi placeret B
multitudinem, indigeſtam & grauem, metuendam eſſe ducenti:[198] non enim vires, ſed
pondus habere: immodica numquam regi poſſe; nec diu durare, quidquid regi non po-
teſt. In primo, inquit, ſtatim monte Lacones obiecti, dabunt tibi ſui experimentum. Tot
iſta gentium milia[199] trecenti morabuntur, hærebunt in veſtigio fixi, & commiſſas ſibi
anguſtias tuebuntur, & corporibus obſtruent. tota illos Aſia non mouebit loco. tantas
minas belli, & pænè totius generis humani ruentis impetum, pauciſſimi ſuſtinebunt.
Cùm te[200] mutatis legibus ſuis natura[201] tranſmiſerit, in ſemitâ hærebis, & æſtimabis
futura damna, cùm putaueris quanti Thermopylarum anguſta conſtiterint. Scies te fu-
gari poſſe, cùm ſcieris poſſe retineri. Cedent quidem tibi pluribus locis, velut torrentis
modo ablati, cuius cum magno terrore prima vis defluit: deinde hinc atque[202] illinc co-
orientur, & [203] tuis te viribus prement. Verum eſt quod dicitur, maiorem belli appa-
ratum eſſe, quàm qui recipi ab his regionibus poſſit, quas oppugnare conſtituis. Sed hæc
res contra nos eſt: ob hoc ipſum te Græcia vincet, quia non capit. vti toto te non potes. C
Præterea, quæ vna rebus ſalus eſt, occurrere ad primos rerum impetus, & inclinatis
opem ferre non poteris, nec fulcire ac firmare labantia. Multo antè vincêris, quàm vi-
ctum eſſe te ſentias. Ceterùm non eſt, quòd exercitum tuum ob hoc ſuſtineri putes
non poſſe, quia numerus eius duci quoque ignotus eſt. Nihil tam magnum eſt, quod
perire non poſſit: cui naſcitur in perniciem, vt alia quieſcant, ex ipſâ magnitudine ſuâ
cauſſa. Acciderunt quæ Demaratus prædixerat. Diuina atque humana impellentem,
& [204] mutantem quidquid obſtiterat, trecenti ſtare iuſſerunt: ſtratuſque per totam paſ-
ſim Græciam Xerxes intellexit, quantum ab exercitu turba diſtaret. Itaque Xerxes pu-
dore, quàm damno miſerior, Demarato gratias egit, quòd ſolus ſibi verum dixiſſet, &
permi-

194. DVM VINDICANT.] *Miror quid illud ſit, quod in meis libris additur. in altero quidem*, dum hoc ſæpè iudiſſe vindicant: *altero opt.* dum hac ſpecie iudiſti vindicant. *Numquid*, hac ſpecie iuſti?

CAP. XXXI. 195. OBRVI.] *In totâ hac narratiunculâ Declamatorij floſculi ſparſi. iſte vnus, & olim Claudij Marcelli, qui in huius argumenti Suaſoriâ*: Non vincent nos, ſed obruent, *pronunciari à Spartanis facit.*

196. CÆLVM.] *Aërem.*

197. DEMARATVS.] *Olim rex Spartæ, & tunc exſul.*

198. NON VIRES.] *Liuius ſimiliter*: Eſſe impedimentum maius, quàm auxilium.

199. TRECENTI.] *Mira prædictio Demarati. & quomodo hæc tam diſtincta, niſi poſt factum, ſciri potuerunt? Sed iſta quoque ex declamantium licentiâ: donemus.*

200. MVTATIS LEG.] *Declamator in Suaſoriâ* 11. Maria, terraſque, rerum Natura ſtatione mutauit ſuâ: moriamur trecenti, vt hîc primùm inuenerit, quod mutare non D poſſit. *Vides Mutandi verbum in hac re placuiſſe. quia nempe è terrâ mare, è mari terram fecit. Herodotum vide.*

201. TRANSMISERIT.] *In Græciam, conſtrato Helleſponto.*

202. ILLIC COORIENTVR.] *Mei libri iterùm hîc voces inſerunt. alter*, illinc ſimilis naſcentur coorientur: *alter opt.* à ſimilis naſcentur. *Quid hoc eſt? an* apibus ſimiles naſcentur?

Ἤ ῦτε ἔθνεα εἴσι μελισσάων ἀδινάων.
Adeſte vates.

203. TVIS TE VIR.] *Quas explicare non poteris. quæ ſe inuoluent aut obterent.*

204. MVTANTEM.] *Senſu, quo ſuprà.*

205. MA-

A permiſit petere quod vellet: petit ille, vt Sardes [205] maximam Aſiæ ciuitatem curru vectus intraret, [206] rectam capite tiaram gerens. id ſolis datum regibus. Dignus fuerat præmio, antequam peteret: ſed quàm miſerabilis gens, in quâ nemo fuit, qui verum diceret regi, niſi qui [207] non dicebat ſibi? Diuus Auguſtus filiam [208] intra pudicitiæ maledictum impudicam [209] relegauit, & flagitia Principalis domus in publicum [210] emiſit: admiſſos [211] gregatim adulteros, pererratam nocturnis [212] comeſſationibus ciuitatem, forum ipſum ac [213] roſtra, ex quibus pater legem de adulterijs tulerat, filiæ in ſtupra placuiſſe, quotidianum [214] ad Marſyam concurſum: cùm ex adulterâ in [215] quæſtuariam verſa, ius omnis licentiæ ſub [216] ignoto adultero peteret. [217] Hæc tam vindicanda Principi quàm tacenda (quia quarumdam rerum turpitudo etiam [218] ad vindicantem redit) parùm potens iræ publicauerat. Deinde cùm, interpoſito tempore, in locum iræ ſubijſſet [219] verecundia, gemens, quòd non illa ſilentio preſſiſſet, quæ tamdiu neſcierat, [220] donec loqui turpe eſſet, ſæpè exclamauit: *Horum mihi nihil accidiſſet, ſi aut* B *Agrippa, aut Mecænas vixiſſet.* Adeò tot habenti millia hominum, duos reparare difficile eſt. Cæſæ ſunt legiones; & protinus ſcriptæ. fracta claſſis; & intra paucos dies natauit noua. ſæuitum eſt in opera publica ignibus; ſurrexerunt meliora conſumptis: totâ vitâ, Agrippæ & Mecænatis [221] vacauit locus. Quid putem? defuiſſe ſimiles qui aſſumerentur, an ipſius vitium fuiſſe, qui maluit [222] queri, quàm [223] quærere? Non eſt quòd exiſtimemus, Agrippam & Mecænatem ſolitos illi vera dicere: qui ſi vixiſſent, inter diſſimulantes fuiſſent. Regalis ingenij mos eſt, in præſentium contumeliam, amiſſa laudare,

205. MAXIMAM ASIÆ.] *In Lydiâ ſita eſt, & Strabonis etiam ævo magna.*

206. RECTAM CAPITE.] *Quam &* Citarim *appellant. De hoc ritu Plutarchus in Artaxerxe, Xenophon* II. *Anabaſ. Sed Suidas optimè, & noſtram hanc rem ſimul tangit ex Philarchi Hiſtor.* XI. Tiara, *inquit*, ornatus capitis, quam ſoli reges rectam C ferebant apud Perſas. duces autem, inclinatam. Demaratus autem Lacedæmonius, qui cum Xerxe Athenas venit, ob ſucceſſum aliquem lętiorem rege ei permittente peteret quod vellet, petijt in rectâ tiarâ Sardes inuehi.

207. NON DICEBAT.] *Ego hoc teneam, etſi meis libris negatio abeſt. Sententia, Nemo è Perſis & indigenis regi verum dixit, ſolus hic homo exterus, cuius res non agebatur. Nihil ei ex victoriâ aut clade accedebat, decedebátve. Non ergo ſibi dicebat, id eſt in rem aut commodum ſuum. Tamen libri ſine negatione, vt dixi: & interpretêre,* Qui ſibi dicebat, *alijs non audituris. Itaque nec videbatur ijs dicere.*

CAP. XXXII. 208. INTRA PVDIC.] *Non capio, alius viderit. quidam libri,* vltra: D *atque omnino ego legam,* vltra impudicitiæ. *id eſt, adeò impudicam, vt hoc maledictum commune flagitia eius excederent. Plus erat, quàm impudica.*

209. RELEGAVIT.] *In Pandateriam inſulam primò, mox Rheginorum opido clauſit.*

210. EMISIT.] *Suetonius*: De filiâ, abſens, ac libello per Quæſtorem recitato, notum Senatui fecit.

211. GREGATIM.] *Sunt ex ipsâ accuſatione, ſiue perſcriptione Auguſti. Gregatim autem, quòd non ſingulos, ſed per greges & claſſes admitteret. O propudium!*

212. COMESSATIONIBVS.] *Cùm hîc atque illîc apud amaſios ſuos lurcaretur.*

213. ROSTRA.] *Ibi quoque, haud dubiè,*

lectulis ſtratis comeſſabunda, & quod ſequitur.

214. AD MARSYAM.] *Cuius ſtatua in foro erat, & ad eam tribunal. Itaque coronare Marſyam victores ſolent, & qui cauſſas tenuiſſent. At hæc muliercula, libidinum coronas, & pugnarum numeros, imponebat. Plinius* XXI. *cap.* III. Apud nos exemplum licentiæ huius non eſt aliud, quàm filia D. Auguſti, cuius luxuriâ noctibus coronatum Marſyam, litteræ illius Dei gemunt. *Quibus poſtremis legerim,* litteræ illius degemunt. *Qui* Deum *ad Auguſtum refert, errat: & iam de* Diuo *præceſſit. ſed nec audiendus mihi, qui reſcribit. At de Senecæ loco, non negauerim coronas eas ſimpliciter ad conuiuiales referri poſſe, quas abiens ipſa & comeſſatores Marſyæ impoſuerint: nam & id fædum, teſtari ibi conuiuatos eſſe.*

215. QVÆSTVARIAM.] *Fecítne ergo, quod Meſſallina, ſimilis aut gemina mulier?*

Excepit blanda intrantes, atque æra popoſcit.

216. IGNOTO.] *Qui nec ipſam, quem nec ipſa noſſet.*

217. HÆC TAM.] *Ita rectè, abſque negatione. vindicanda ſanè hæc erant, ſed & tacenda. ex Germanorum moribus Taciti effato:* Scelera oſtendi oportere, dum puniuntur; flagitia abſcondi.

218. AD VINDICANTEM.] *Maximè hunc, & patrem.*

219. VERECVNDIA.] *Pudor è domeſtico flagitio.*

220. DONEC LOQVI.] *Cùm iam in ſummo, & ſine remedio eſſent.*

221. VACAVIT.] *Imò Criſpus Salluſtius,* incolumi Mecænate proximus, mox præcipuus cui ſecreta Principum inniterentur. *Tac.* III. *Annal. ſed nomen, aut gratiam fortaſſe parem non habuit.*

222. QVERI.] *Se non habere.*

223. QVÆRERE.] *Vt haberet.*

CAP.

dare, & his virtutem dare vera dicendi, à quibus iam audiendi periculum non eſt. A

XXXIII. Sed vt me ad propoſitum reducam, vides quàm facile ſit, gratiam referre felicibus, & in ſummo humanarum opum poſitis. Dic illis non quod volunt audire, ſed quod audiſſe [224] ſemper volent: plenas aures adulationibus, aliquando vera vox intret: da conſilium vtile. Quæris, quid felici præſtare poſſis? effice, ne felicitati ſuæ credat: vt ſciat illam multis & fidis manibus continendam. Parùm in illum contuleris, ſi illi ſemel ſtultam fiduciam permanſuræ ſemper potentiæ excuſſeris, docueriſque mobilia eſſe quæ dedit caſus, & maiore curſu fugere quàm veniunt: nec his portionibus, quibus ad ſumma peruentum eſt, retro iri? ſæpè inter fortunam maximam & vltimam [225] nihil intereſſe? Neſcis quantum ſit pretium amicitiæ, ſi non intelligis multum te ei daturum, cui dederis amicum, rem non domibus tantùm, ſed ſæculis raram: quæ non aliubi magis deeſt, [226] quàm vbi creditur abundare. Quid? iſtos tu [227] libros, quos vix nomenclatorum complectitur aut memoria, aut manus, amicorum exiſtimas eſſe? Non ſunt iſti amici, qui agmine magno [228] ianuam pulſant, qui in primas & ſecundas [229] admiſſiones digeruntur. Conſuetudo iſta vetus eſt regibus, regeſque ſimulantibus, [230] populum amicorum deſcribere. Eſt proprium ſuperbiæ, [231] magno æſtimare introitum, ac tactum ſui liminis, pro honore dare, vt oſtio ſuo propiùs [232] aſſideas, vt gradum prior intra domum B

XXXIV. ponas, in quâ deinceps multa ſunt oſtia, quæ receptos quoque excludunt. Apud nos primi omnium [233] C. Gracchus & mox Liuius Druſus inſtituerunt ſegregare turbam ſuam, & alios [234] in ſecretum recipere, alios [235] cum pluribus, alios [236] cum vniuerſis. Habuerunt itaque iſti amicos primos, habuerunt & ſecundos, [237] numquam veros. Amicum vocas, cuius [238] diſponitur ſalutatio? aut poteſt huius tibi patere fides, qui per fores [239] malignè apertas non intrat, ſed illabitur? Huic peruenire vſque ad [240] diſtringendam libertatem licet, cuius vulgare & publicum verbum & promiſcuum ignotis, [241] AVE,

CAP. XXXIII 224. SEMPER VOLENT.] *Quod æternùm iuuabit, vt ſolent bona & recta conſilia aut monita. Contràin adulatione. Critias:*

Ὅ'ϛις δὲ τοῖς φίλοισι πάντα φρὸς χάριν
Πράσσων ὁμιλεῖ, τὴν παρ' αὐτίχ' ἡδονὴν
Ἐχθρὰν καθίϛησ' εἰς τὸν ὕϛερον χρόνον:

Quicumque amicis, gratiæ cauſſa, omnia
Dicit facitque; is ille præſens gaudium
Permutat odio, in poſterum tempus, graui.

225. NIHIL INTER.] *Noſter de Tranquill.* Horę momentum intereſt, inter ſolium & aliena genua.

226. QVAM VBI.] *Apud diuites & felices: quorum res & fortuna, non ipſi amantur.*

227. LIBROS.] *Nota morem, amicos & clientes, nominatim atque ordine, in libros digerebant nomenclatores, vt meminiſſe & nominare poſſent, ac domino ſuggerere. Epiſt.* LXVIII. Digerere in litteram ſenes orbos.

228. IANVAM.] *Manè ſalutaturi.*

229. ADMISSIONES.] *Solent pro dignitatum diſcrimine amicos aut clientes diuidere. Honeſtiores primos ad ſalutationem admittere: tum alios, tertióſque. Probabile & in ijs libris, de quibus antè, deſcriptos ita fuiſſe. Lampridius in Alexandro*: Moderationis tantæ fuit, vt amicos non ſolùm primi ac ſecundi loci, ſed etiam inferioris, ægrotantes viſeret. *Quamquam ille fortaſſe de locis Senatorijs & Equeſtribus accipiendus. Tiberius amicos etiam in tres claſſes deſcripſit, quod apud Suetonium cap.* XLVI. *vide. Ergo* primæ admiſſionis, *erant honeſtiores & quaſi interiores amici. de quibus & Seneca de Clem.* I. *cap.* X. Totam cohortem primam interioris admiſſionis. *Ab hoc more* Admiſſionales, *&* officium Admiſſionis: *de quibus ego ad* VI. *Annal. Taciti.* C

230. POPVLVM] *Cœtum & turbam ita dicunt. In Manilio:* Aërei populi, *de auibus. In eodem:*

—— populos exponere captos, *de piſcibus. In Apuleio*: ſepedum populorum vndæ, *de formicis. In Columellâ*: Duo populi coniungi debent, *de apibus. Denique in Floro:* populus virorum. *Ita igitur & hîc* populus amicorum: *ſicut item Homero & Græcis* ἔθνος. *In Sidonio ſatis audacter*: Scelerum populus, *id eſt copia peccatorum.*

231. MAGNO ÆSTIMARE.] *Imò & oſtiarij vendebant. Vide De conſt. ſap. cap.* XIV.

232. ASSIDEAS.] *Atque ibi exſpectes*, Donec Bithyno libeat vigilare tyranno. *Vide epiſt.* XCV. *& alibi.*

CAP. XXXIV. 233. C. GRACCHVS.] *Nempe iſti plebicolæ, qui magno agmine obſidebantur.* D

234. IN SECRETVM.] *In cubiculum interius.*

235. CVM PLVRIBVS.] *In aliud, atrio proximum.*

236. CVM VNIVERSIS.] *In ipſo atrio, vbi communiter ſalutabant.*

237. NVMQVAM.] *Fortaſſe*, numquid.

238. DISPONITVR.] *Loco ſuo, & vice.*

239. MALIGNE.] *Aegrè & faſtidioſè à ſuperbo oſtiario.*

240. DISTRINGENDAM.] *Soluendam, laxandam libertatem: quam metus & reuerentia retinet, ac velut clauſam habet. Hoc ſenſu* Deſtringendam *mauelim.*

241. AVE·

A [241] Ave, non nisi suo ordine emittitur? Ad quemcumque itaque istorum veneris, quorum salutatio vrbem [242] concutit, scito etiam si animaduerteris obsessos ingenti frequentiâ [243] vicos, & commeantium in [244] vtramque partem cateruis itinera compressa, tamen venire te in locum hominibus plenum, amicis vacuum. In pectore amicus, non [245] in atrio quæritur. illo recipiendus est, illîc retinendus, & in sensus recondendus. Hoc doce, gratus es. Malè de te existimas, si inutilis es, nisi afflicto; si rebus bonis superuacuus. Quemadmodum te & in dubijs, & in aduersis, & in lætis sapienter geris, vt dubia prudenter tractes, aduersa fortiter, læta moderatè: ita in omnia vtilem te amico exhibere potes. Aduersa eius si nec deserueris, nec optaueris, multa nihilominus, vt non optes, in tantâ varietate, quæ tibi materiam exercendæ fidei præbeant, incident. Quemadmodum qui optat diuitias alicui in hoc, vt illarum partem ipse ferat, quamuis pro illo videatur optare, sibi prospicit: sic qui optat amico aliquam necessitatem, quam adiutorio suo fideque discutiat; quod est ingrati, se illi [246] præfert, & tanti æstimat illum miserum
B esse, vt ipse gratus sit, & ob hoc ipsum ingratus est. Exonerare enim se vult, & vt graui sarcinâ liberare. Multum interest, vtrùm properes referre gratiam, vt reddas beneficium; an, vt ne debeas. Qui reddere vult, illius se commodo aptabit, & idoneum illi venire tempus volet: qui nihil aliud quàm ipse liberari vult, quacumque ad hoc cupiet peruenire, quod est pessimæ voluntatis. Ista, inquam, nimia festinatio ingrati est. XXXV.
id apertiùs exprimere non possum, quàm si repetiuero quod dixi. Non vis reddere acceptum beneficium, sed effugere. Hoc dicere videris, Quando isto carebo? quocumque modo mihi laborandum est, ne isti obligatus sim. Si optares vt illi solueres de suo, multum abesse videreris à grato: hoc quod optas, iniquius est. Exsecraris enim illum, & caput [247] sanctum tibi, dirâ imprecatione defigis. Nemo, vt existimo, de immanitate animi tui dubitaret, si apertè illi paupertatem, si captiuitatem, si famem ac [248] metum imprecareris. At quid interest, vtrùm vox ista tua sit, [249] an votum? [250] Sanus aliquid horum opta. I nunc, & hoc esse grati puta, quod ne ingratus quidem faceret, qui modò non
C vsque in [251] odium, sed tantùm ad infitiationem beneficij peruenirent. Quis pium XXXVI.
dicet Ænean, si patriam capi voluerit, vt captiuitate patrem eripiat? Quis [252] Siculos iuuenes, vt bona liberis exempla monstrarent, si optauerunt vt Ætna immensâ ignium vi supra solitum ardens, [253] daret ipsis occasionem exhibendæ pietatis, ex medio parentibus incendio raptis? Nihil debet Scipioni Roma, si Punicum bellum vt finiret, [254] perseuerare maluit: nihil Decijs, quòd morte patriam seruauerunt, si priùs optauerant, vt deuo-

241. AVE.] *Vulgò receptum in his salutationibus. Martialis:*

Et matutinum portat ineptus Aue.

242. CONCVTIT.] *Mouet & quatit, quia vndique ad eos concursus.*

243. VICOS.] *Vbi exspectant aditum excluſi, & atrio non capiente.*

244. VTRAMQVE PART.] *Quíne*
D *vtrimque ad ædes veniunt? an qui ab ijs abeunt, adeúntque? id est, qui prorsus & rursus commeant. an etiam de ijs accipis, qui fortuitò transeunt, vias angustas ab hac obsidione esse? Ceterùm de copiâ, Virgilius:*

Si non ingentem, foribus domus alta superbis,
Manè salutantum totis vomit ædibus vndam.

245. IN ATRIO.] *Idem epist.* XIX. Errat, qui amicum in atrio quærit, in conuiuio probat.

246. PRÆFERT.] *Quia vult vt opis suæ sit egens. ab eo pendeat.*

CAP. XXXV. 247. SANCTVM.] *Ob beneficia.*

248. METVM.] *Ita libri consensu. tamen Pincianus* mortem *vellet; & sagaciter Gruterus*, letum. *Ego neutrum etiam probo. nam quomodo gratus sit (in eo hæc tractatiuncula) si mors hominem occupet? Periclitari optat, non perire: & vt auxilij sui egeat. non potest, si obit.* Metum *igitur teneamus, grandem aliquem, & à grandibus, si volet.*

249. AN VOTVM.] *Libri turbant: ac meus & quidam*, Aliquid interest, vtrùm vox ipsa sit voti tui. *Sed, meo iudicio, turbant. nam vulgata optima. si voce palàm imprecareris, immanis & scæuus esses; quid autem interest, an ore, an animo hoc facias?* Vox *igitur, aperta*; votum, *tacitum, sed Deo notum.*

250. SANVS.] *Meus*: Sanius aliquid, oro, opta: *sed & hîc vulgatam præfero. sanus, inquit, nihil horum tibi optes. desipias mentis, si facias: cur igitur alteri, quod non tibi?*

251. ODIVM.] *Qui non hostis ex professo factus esset.*

CAP. XXXVI. 252. SICVLOS.] *De quibus lib.* III. *extremo, suprà.*

253. DARET.] *In libro meo alÿsq;*, daretur ipsis occasio. *rectè, si suprà legas*, ardente.

254. PERSEVERARE.] *Durare, donec ipse idoneus magistratibus & imperijs.*

deuotioni fortissimæ locum vltima rerum necessitas faceret. Grauissima infamia est A
medici, [255] opus quærere. Multi quos auxerant morbos, & irritauerant, vt maiore gloriâ
sanarent, non potuerunt discutere, aut cum magnâ miserorum vexatione vicerunt.

XXXVII. [256] Callistratum aiunt, ita certè Hecaton auctor est, cùm in exsilium iret, in quod
multos simul cum illo [257] seditiosa ciuitas & intemperanter libera expulerat, optante
quodam, vt Athenienſibus necessitas restituendi exsules esset, [258] abominatum talem re-
ditum. [259] Rutilius noster animosiùs. cùm enim quidam illum consolaretur, & diceret
instare arma [260] ciuilia: breui futurum, vt omnes exsules reuerterentur: *Quid tibi*, inquit,
mali feci, vt mihi peiorem reditum, quàm exitum optares? Malo, vt patria exsilio meo
[261] *erubescat, quàm reditu* [262] *mœreat.* Non est istud exsilium, cuius neminem non magis,
quàm damnatum, pudet. Quemadmodum illi seruauerunt bonorum ciuium officium,
qui reddi sibi penates suos noluerunt clade communi, quia satius erat duos [263] vnico
malo affici, quàm omnes publico: ita non seruat grati hominis affectum, qui benè de se
merentem difficultatibus vult opprimi, quas ipse submoueat: qui etiam si benè cogi- B
tat, malè precatur. Ne in [264] patrocinium quidem, nedum in gloriam est, incendium
XXXVIII exstinxisse quod feceris. In quibusdam [265] ciuitatibus, impium votum sceleris
vicem tenuit. Demades certè Athenis, eum qui necessaria funeribus venditabat, dam-
nauit, cùm probasset magnum lucrum optasse: quod contingere illi sine multorum mor-
te non poterat. Quæri tamen solet, an meritò damnatus sit. Fortasse optauit, non vt
multis venderet, sed vt carè: vt paruo sibi constarent, quæ venditurus esset. Cùm con-
stet negotiatio ex empto & vendito, quare votum eius in vnam partem trahis, cùm lu-
crum ex vtraque sit? Præterea omnes licet, qui in istâ negotiatione sunt, damnes: om-
nes enim idem volunt, idem intra se optant. Magnam hominum partem damnabis.
cui enim non ex alieno incommodo lucrum? Miles bellum optat. agricolam annonæ
caritas erigit. [266] eloquentiæ exoptat pretium litium numerus. medicis [267] grauis annus
in quæstu est. institores [268] delicatarum mercium, iuuentus corrupta locupletat. nullâ
tempestate, nullo igne lædantur tecta: iacebit opera fabrilis. [269] Vnius votum depre- C
hensum est, omnium simile est. An tu [270] Arruntium, & [271] Aterium, & ceteros qui
[272] captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere, quæ
[273] desi-

255. OPVS QVÆR.] *Vt aut ægri, aut magis ægri sint. Quod tamen vulgò medicus lepidè obijcit, & subsannat Philemon:*

Τίς ἐστιν οὗτος; ἰατρός. ὡς κακῶς ἔχει
Ἀ'πας ἰατρὸς, ἂν κακῶς μηδεὶς ἔχει;
Quis iste porrò? medicus. ô quàm sese habet
Medicus malè omnis, nemo si malè sese habet!

CAP. XXXVII. 256. CALLISTRATVM.] *Oratorem eximium, & qui Demosthenem, actione suâ de Oropo, ad eloquentiæ studium excitauit. Exsily & damnationis eius ipse Demosthenes commeminit, oratione aduersus Polyclem.*

257. SEDITIOSA.] *Athenæ.*

258. ABOMINATVM.] *Ne ea necessitas patriæ incideret.*

259. RVTILIVS.] *De quo suprà, lib.* V. *cap.* XVII.

260. CIVILIA.] *Sullana.*

261. ERVBESCAT.] *Quæ innocentem eiecit.*

262. MÆREAT.] *In publicâ calamitate.*

263. VNICO.] *A Pinciano est. at libri omnes*, iniquo. *Fortasse*, iniquè malo a. q. omnes publicè.

264. PATROCINIVM.] *Ne excusat quidem & patrocinatur, adeò non laudatur.*

CAP. XXXVIII. 265. CIVITATIBVS.] *De Athenis adiungit, cur Romam suam omittit? in quâ* Claudiam, insontem crimine, impium votum subuertit, *vt Valerius loquitur, & narrat lib.* VIII. *cap.* I. *Suetonius Tiber. cap.* II. *Agellius, alij.*

266. ELOQVENTIÆ.] *Hæc mirè, & pro arbitrio (quàm sæpè autem!) inuerterat Muretus. Ista vulgata & vetus editio est. nec mei discrepant, nisi quòd transpositâ voce*: Eloquentiæ pretium exoptat. *Fecerim*, exoptatur. *Possis etiam*, Eloquentia pretium exoptat, litium numerum.

267. GRAVIS.] *Qui morbus nos grauat.* D

268. DELICATAR. MERC.] *Serici, Cöæ vestis, vnguentorum, margaritarum.*

269. VNIVS.] *Quem Demades damnauit.*

270. ARRVNTIVM.] *De quo ad Tacitum.*

271. ATERIVM.] *Sine* Haterium, *qui ipse è Tacito notus.*

272. CAPTANDORVM.] *Hoc genus Romæ crebrum, &* Captatores *dicebantur, quia similes venantibus, prædam sectabantur & lucrum. Orbis & senibus adhærebant, obsequijs, officijs, munusculis alliciebant: omnia vno fine, vt in fine, testamenti pars essent. Martialis:*

Scis te captari, scis hunc qui captat, auarum,
Et scis quid captet, quid Mariane velit.

Isti

A [273] desiignatores & [274] libitinarios, vota? illi tamen quorum mortes optent, nesciunt: hi familiarissimum quemque, ex quo propter amicitiam [275] spei plurimum est, mori cupiunt. Illorum [276] damno nemo viuit: hos quisquis [277] differt, [278] exhaurit. Optant ergo, non tantùm vt accipiant, quod turpi seruitute meruerunt, sed etiam vt tributo graui liberentur. Non est itaque dubium, quin hi magis quod damnatum est in [279] vno, optent: quibus quisquis morte profuturus est, vitâ nocet. Omnium tamen istorum tam nota sunt vota, quàm impunita. Denique se quisque consulat, & in secretum pectoris sui recedat, & inspiciat quid tacitus optauerit. quàm multa sunt vota, quæ etiam sibi fateri pudet! quàm pauca, quæ facere coram teste possimus! Sed non quidquid repre- XXXIX.
hendendum, etiam [280] damnandum est: sicut hoc votum amici, quod in manibus est, malè vtentis [281] bonâ voluntate, & in id [282] incidentis, quod euitat. nam dum gratum animum festinat ostendere, ingratus est. Hic, ait, in potestatem meam recidat, gratiam meam desideret, sine me saluus, honestus, tutus esse non possit. tam miser sit, vt illi
B [283] beneficij loco sit, quidquid redditur. [284] Hæc dijs audientibus. Circumueniant illum domesticæ insidiæ, quas ego possim solus opprimere. instet potens inimicus & grauis, infesta turba nec inermis, & creditor vrgeat & accusator. Vide quàm sis XL.
æquus, horum optares nihil, si tibi beneficium non dedisset. Vt alia taceam, quæ grauiora committis, pessima pro optimis referendo, hoc certè delinquis, quòd non exspectas suum cuiusque rei tempus: quod æquè peccat, qui non sequitur, quàm qui antecedit. Quomodo non semper beneficium recipiendum est, sic non vtique reddendum. Si mihi non desideranti redderes, ingratus esses: quanto ingratior es, qui desiderare me cogis? Exspecta. quare [285] subsidere apud te munus meum non vis? quare obligatum molestè fers? quare, quasi cum acerbo fœneratore, [286] signare rationem parem properas?

Quid

Isti ijdem, Heredipetæ: *& suauiter ab Horatio artificium describitur, satyrâ* V. *lib.* II. *Quid à Petronio? suauissimè, in sensu sui Eumolpi personâ,*
C *qui Crotonem venerat. in quâ vrbe, inquit*, homines omnes in duas partes diuisi. Nam aut captantur, aut captant. Videbitis, *inquit*, opidum tamquam in pestilentiâ campos, in quibus nihil aliud est, nisi cadauera quæ lacerantur, aut corui qui lacerant. *Atque isti* Corui, *siue &* Vulturij, *sunt Captatores. Cui lubet ridere, (nihil enim in vllâ Comœdiâ bellius) ipsum adito. Sed quid tu hîc, Seneca, in Aruntium & Haterium? te huius culpæ culpant. Ecce Suillius apud Tacitum*: Romæ testamenta, & orbos, velut indagine eius capi. *Sed Suillius dixerit: gratiæ & potentiæ eius aliquid aliquando datum, hoc credo.*

273. DESIGNATORES.] *Qui funera comitabantur, disponebant, ordinabant. Horatius:*

—— cùm ficus prima calorque
D Designatorem decorat lictoribus atris.

Scripsi cap. XV. *De Amphitheatro.*

274. LIBITINARIOS.] *Libitina cognomen Veneris, & auctor Dionysius, Seru. Tullium regem, cùm scire numerum nascentium, morientium, in viros transeuntium vellet; instituisse singulis templum, in quod nummum aliquem inferrent, atque ita numerarentur describerenturque. Vt, nascentes, in Iunonis Lucinæ; morientes, in Veneris Libitinæ; puberes, & qui virilem togam sumerent, in Iuuentæ. Hinc manauit, vt ea dea funeribus præesse crederetur, atque inibi, quidquid ad ea, curaretur.* Libitinarij *ergo, qui* Libitinam *(vt Valerius lib.* V. *cap.* II.) exercebant. *qui funera efferenda conducebant, & cetera in hunc apparatum. Glossis*, Libitinarius ἐνταφιαστής, *siue Funerator. item*, ἐνταφιοπώλης, *qui vendit quæ ad funus. Ipsa* Libitina, ἐνταφιον, *funus. Inde Horatius*: Effugere Libitinam. *Pro officio, Liuius*: In vrbe pestilentia tanta, vt Libitina tunc vix sufficeret. *In Asconij, pro Milone legas*: Fasces ex lecto Libitinæ raptos, allatos ad domum Scipionis & Hypsæi: *ac capiam de fascibus Designatorum, qui illic asseruati. Nam lictores ijs dat Horatius.*

275. SPEI PLVR.] *At libri scripti*, rei plurimum. *Pincianus legebat*, cum quo propter rem amicitiæ plurimum est: *nec insulsè.*

276. DAMNO.] *Nihil enim ijs tollitur, etsi non additur.*

277. DIFFERT.] *Spem illorum morte non citò implet.*

278. EXHAVRIT.] *Quia munera assiduè mittunt, & vt tributa pendunt.*

279. VNO.] *Iterùm, illo Athenienſi.*

CAP. XXXIX. 280. DAMNANDVM.] *Sententiâ iudicis, exemplo illius Demadis.*

281. BONA VOL.] *Referendi gratiam.*

282. INCIDENTIS.] *In ingratitudinem, quam properat effugere improbo voto.*

283. BENEFICII.] *Non gratiæ tantùm: neque soluar ego solùm, sed obligem.*

284. HÆC DIIS.] *Pessimè omissa erat hæc clausula, quæ in scriptis. Hæc tu, inquit, si non palàm & hominibus, at dijs audientibus voues.*

CAP. XL. 285. SVBSIDERE.] *Hærere & remanere.*

286. SIGNARE.] *Signantur rationes, cùm finiuntur; cùm benè dispunctæ, & pares factæ, comprobantur. Imò ipsa illa verba videntur subscripsisse in Codicis paginis*, Par ratio.

Quid mihi negotium quæris? quid in me [287] deos immittis? quomodo exigeres, qui sic reddis? A

XLI. Ante omnia ergo, Liberalis, hoc discamus, beneficia securè debere, & occasiones reddendorum obseruare, non [288] manu facere: hanc ipsam cupiditatem primo quoque tempore liberandi se, meminerimus ingrati esse. Nemo enim libenter reddit, quod [289] inuitus debet: & quod apud se non vult esse, onus iudicat esse, non munus. Quanto melius ac iustius, in promptu habere merita amicorum: & offerre, non ingerere, nec obæratum se iudicare? quoniam beneficium commune vinculum est, & inter se duos alligat. Dic, Nihil moror, [290] quo minùs tuum reuertatur ad te: opto hilaris accipias. si necessitas alterutri nostrûm imminet, fatoque quodam datum est, vt aut tu cogaris beneficium recipere, aut ego accipere, det potiùs qui solet. Ego paratus sum: *Nulla mora in Turno*. ostendam hunc animum, cùm primum tempus aduenerit: interim dij

XLII. [291] testes sunt. Soleo, mi Liberalis, notare hunc in te affectum, & quasi [292] manu prendere, verentis & æstuantis, ne in vllo officio sis tardior. Non decet gratum animum solicitudo, sed contrà, summa fiducia sui: & ex conscientiâ veri amoris, dimissa B omnis anxietas. Tam cum vitio est, [293] recipere quod non debes, quàm non dare quod debes. hoc beneficij primum dati sit ius, vt recipiendi tempus eligat, qui dedit. At vereor, ne homines de me [294] sequiùs loquantur. Malè agit, qui [295] famæ, non conscientiæ gratus est. Duos istius rei iudices habes: [296] te, quem non potes fallere; & illum, quem potes. Quid ergo, si nulla interuenerit occasio? semper debebo? Debebis: sed palàm debebis, sed libenter debebis, sed cum magnâ voluptate apud te depositum intueberis. Pænitet accepti beneficij, quem nondum redditi piget. quare qui tibi dignus visus est, à

XLIII. quo acciperes, indignus videatur, cui debeas? In magnis erroribus sunt, qui ingentis animi credunt, proferre, donare, plurium [297] sinum ac domum replere: cùm ista interdum non magnus animus faciat, sed magna fortuna. Nesciunt, quanto maius ac difficilius interim sit capere, quàm fundere. Nam vt nihil alteri detraham, quoniam [298] vtrumque vbi ex virtute fit, par est: non minoris est animi beneficium debere, quàm dare. eò quidem operosius hoc quàm illud, quo maiore diligentiâ custodiuntur accepta, C quàm dantur. Ideo non est trepidandum, quàm citò [299] reponamus, nec [300] properandum

287. DEOS IMMITTIS.] *Votis tuis hostes factos.*

CAP. XLI. 288. MANV FACERE.] *Id est, non quærere & operâ nostrâ arcessere. Phrasis perfrequens Senecæ, & iam * alibi explicata.*

*Consol. ad Marc. cap. XIX.

289. INVITVS.] *Nihil mutandum. Inuitus debet, qui adstrictum se ægrè fert, qui non vult munus apud se residere. at idem, inquit, nec libenter reddit, id est, nec hilari promptoq; animo. quippe quem non habet. Indignanti propior, & quasi recusanti munus, regerit potiùs quàm reddit.*

290. QVO MINVS.] *Melior ac planior mei libri scriptio*: quomodo munus reuertatur ad te: *etsi illud* qûo, *compendio scribitur*: *& mallem*, quando.

291. TESTES SVNT.] *Benè Gruterus*, sunto.

CAP. XLII. 292. MANV PREND.] *De rebus quæ certæ sunt, & quas velut manu tangimus & tenemus. Seneca De Tranq. cap. I.* Quædam vitia in aperto posita, quæ manu prenderem.

293. RECIPERE QVOD.] *Ego hanc sententiolam non capio. Recipienti debetur, quomodo debet? Mihi ex mente Senecæ videbatur:* reddere cùm non debes. *Certè de tempore reddendi agitur, vt in verbis antè, & mox sequentibus: non de indebito, aut debito. An sic placet*, recipere quomodo non debes, quàm dare quomodo non debes?

294. SEQVIVS.] *Deteriùs, sinisteriùs. In libris scriptis adduntur voculæ*, id est obliquiùs aut malè, vel iniustè: *quæ palàm interpretamenta sunt. Varro*: Non modò absens quidquam de te sequius cogitabit, sed etiam ruminabitur humanitatem. *Liuius*: Inuitus, quod sequius sit, de meis ciuibus loquor.

295. FAMÆ.] *Ad famam. eius caussâ & adspectu.*

296. TE, QVEM NON.] *Ex scripto meo hæc breuiùs*: Illum quem non potes fallere, & quem potes. *Quem non potes, nempe te & animum; quem potes, populum.*

CAP. XLIII. 297. SINVM.] *Ita enim mos, togæ sinum expandere, & in eum recipere donata. Sinum implere, minoribus donis, aut pecuniâ: domum, ornamentis, alioq; instructo.* D

298. VTRVMQVE.] *Longè aliter meus*: quoniam vtrumlibet virtute par est: *breuiùs & castigatiùs. Vitia paria Stoicis, ita & virtutes: neque crescit bonum, aut decrescit. Dogma ipsum ita habet:* Πάντα τὰ ἀγαθὰ ἴσα εἶναι, καὶ πᾶν ἀγαθὸν ἐπ' ἄκρον εἶναι αἱρετόν. καὶ μήτε ἄνεσιν καὶ μήτε ἐπίτασιν δέχεσθαι: Omnia bona paria esse, & omne bonum in summo desiderabile. neque remissionem aut intensionem suscipere. *Non in Manuduct. III. Dissert. IV.*

299. REPONAMVS.] *Vicem reddamus. Iuuenalis*:

—— numquámne reponam?

300 PROPERANDVM.] *Libri ferè scripti*, procu-

A dum intempestiuè: quia æquè delinquit, qui ad referendam gratiam properat tempore alieno, quàm qui suo cessat. Positum est illi apud me. nec illius nomine, nec meo timeo. bene illi cautum est. non potest hoc beneficium perdere, nisi mecum: imò ne mecum quidem. Egi illi gratias, id est, retuli. Qui nimis de beneficio reddendo cogitat, nimis cogitare alterum de recipiendo putat. Præstat se in vtrumque facilem: si vult recipere beneficium, referamus, reddamusque læti. illud apud nos custodiri mauult, quid thesaurum eius eruimus? quid custodiam recusamus? dignus est, cui vtrum volet, liceat. Opinionem quidem & famam eo loco habeamus, tamquam non [301] ducere, sed [302] sequi debeat.

procurandum: *optimè Gruterus*, procurrendum. *Metaphora est. non nimis citò exeundum, & priusquam aperti carceres.*

301. DVCERE.] *Præire, & nos ad eam adspicere.*

302. SEQVI.] *Ex benè factis, bona erit: si non statim, tardiùs; si non apud omnes, saltem peritos & bonos.*

L. ANNÆI SENECÆ
AD AEBVCIVM LIBERALEM
DE BENEFICIIS
LIBER SEPTIMVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B

SIMILIA *prioribus, Quæstiunculæ, & subtilibus vtilia tamen mixta. Illud principio serium. coërcendam curiositatem, & nimiam sciendi cupidinem: animum potiùs ad mores & Virtutem, id est Sapientiam mittendum. Ex verbi deinde occasione Quæstio, An aliquis donare Sapienti possit, cùm eius sint omnia? ait posse, quia animo quidem, non vsu tamen omnia possidet. Altera, An qui tentauit reddere beneficium, reddiderit? ita: sed tamen iterùm iterúmque conandum docet. Tertia, An quod à viro bono acceperis, eidem iam malo reddes? Reddes, sed cum cautione, ne illa quibus malè, & in suam alienámve noxam vtatur. Quarta, Numquid obliuisci datorem beneficij sui oporteat? Non omnino. & posse tenere memoriâ ait, imò & interdum exigere. Vltima, Quomodo ferendi Ingrati? placido animo, mansueto, magno.*

CAPVT PRIMVM.

C

BONVM, mi Liberalis, habeas animum volo:

[1] *In manibus terræ. Non hîc te carmine longo,*
Atque per ambages & longa exorsa tenebo.

Reliqua hic liber cogit: & exhaustâ materiâ, circumspicio, non quid dicam, sed quid non dixerim. Boni tamen consules quidquid supererit, cùm tibi superfuerit. Si voluissem [2] lenocinari mihi, debuit paullatim [3] opus crescere, & ea pars in finem reseruari, quam quilibet etiam satiatus appeteret. Sed quidquid maximè necessarium erat, in primum statim congessi: nunc si quid effugit, recolligo. Nec mehercule, si me interrogas, nimis ad rem existimo pertinere, vbi dicta sint quæ regunt mores, persequi cetera, non in remedium animi, sed in exercitationem ingenij inuenta. Egregiè enim hoc dicere [4] Demetrius Cynicus, vir meo iudicio magnus, etiam si maximis comparetur, solet: *Plus prodesse, si pauca præcepta sapientiæ teneas, sed illa in promptu tibi & in vsu sint, quàm si multa quidem didiceris, sed illa non habeas* [5] *ad manum*. Quemadmodum,

D

COMMENTARIVS.

CAP. I. 1. IN MANIBVS.] *A nauigantibus. iam portum terramq; tangimus.*

2. LENOCINARI.] *Illecebras & lenocinia mihi circumdare. gratiosum venustumq; me reddere.*

3. OPVS CRESCERE.] *Ita solent & rhetores, & qui auribus animisq; se aptant: paullatim surgere, & ex aurorâ solem dare.*

4. DEMETRIVS.] *Inter astra eius æui non solùm stellas: si Senecæ fides, vbique laudanti. Vt mox, cap.* VII. *& epist.* XX. *item* LXII. *& sæpiùs.*

5. AD MANVM.] *Prompta, vt exerceas & vtare.*

A dum, inquit, magnus luctator est, non qui omnes [6] numeros [7] nexusque perdidicit, quorum vsus [8] sub aduersario rarus est, sed qui in vno se aut altero benè & diligenter exercuit, & eorum occasiones intentus exspectat: nec enim refert, quàm multa sciat, si scit quantum victoriæ satis est: sic in hoc studio multa delectant, pauca [9] vincunt. Licet nescias, quæ ratio Oceanum [10] effundat ac reuocet: quare septimus quisque annus ætati [11] signum imprimat: quare latitudo porticus ex remoto spectantibus, non seruet proportionem suam, sed vltima [12] in angustias coëant, & columnarum nouissima interualla iungantur: quid sit, quod geminorum conceptum separet, partum iungat. vtrùm [13] vnus concubitus spargatur in duos, an toties concepti sint. cur pariter natis [14] fata diuersa sint, maximisque rerum spatijs distent, quorum inter ortus [15] minimum interest. Non multum tibi nocebit transisse, quæ nec licet scire, nec prodest. Inuoluta veritas [16] in

B *vtare. Notabile dictum: qui legis, attende. Sperne hæc varia, & sæpè vana: pauca & vtilia disce, & vt facias disce. Aristippus consonat:* Σεμνυνομένῳ τινὸς ὅτι πολυμαθίᾳ, ἔφη, Ὥσπερ οἱ τὰ πλεῖστα ἐσθίοντες καὶ γυμναζόμενοι ὑγιαίνουσι μᾶλλον τῶν τὰ δέοντα φορτιζομένων, οὕτως οὐχ οἱ πολλ', ἀλλ' οἱ χρήσιμα ἀναγινώσκοντες, εἰσὶ πουδαῖοι: Quodam gloriante ob multiplicem doctrinam, Sicut, inquit, non ij qui plurimum comedunt aut exercentur, melius valent ijs qui modica & necessaria adsumunt: ita nec qui multa, sed qui vtilia legunt discuntque, studiosi & eruditi sunt. *Heraclitus hoc ipsum neruosè & breuiter:* Πολυμαθὴ νόον ἔχειν, οὐ διδάσκει: Mentem multisciam habere, non docet. *Non docet? non, quibus opus ad vitam, tranquillitatem, felicitatem.*

6. NVMEROS.] *Palæstræ verbum, in motibus illis, & formatione flexuq; membrorum. Quintilianus libro* XII. Et vt Palæstrici doctores, illos quos Numeros vocant *(malè quidam libri* Neruos*)* non idcircò discentibus tradunt, vt his omnibus in ipso luctandi certamine vtantur: sed vt subsit copia illa, ex quâ vnum aut alterum, cuius se occasio dederit, efficiant. *Quæ apta sanè etiam ad Demetrij sensum. Iuuenalis, de fæminâ ad palum se exercente:* Atque omnes implet numeros. *Ibi Scholiastes priscus:* Hoc est, vniuersa efficit dictata. vt tantum currat in exercitio, quantum gladiator. *Corrigo,* aut tantum curat. *Valerius lib.* VIII. *cap.* III. Motusque omnes *(ita veteres)* ac numeros defensionis fortiter exsecuta. *Inde prouerbium,* omnibus numeris perfectus. *& similia, quæ idem ille Valerius sæpè iterat.*

D 7. NEXVSQVE.] *In luctâ, Lucanus:*
Conseruêre manus & multo brachia nexu.
Dicunt aliter Nodos, *&* Ligaturas.

8. SVB ADVERSARIO.] *In ipsâ pugnâ: at benè sub doctore, & in ludo.*

9. VINCVNT.] *Rem conficiunt. affectus & vitia domant.*

10. EFFVNDAT AC.] *Fluentem & refluentem faciat, statis horis.*

11. SIGNVM IMPR.] *Quo sensu? vt reuera corpori aliquod signum sit, & velut transitus nota? sicut anno* VII. *dentes cadunt, & nascuntur: bis septimo, pubertas erumpit: ter septimo, genæ vestiuntur: quater septimo, genuini (suprà dictum) emergunt. In Philone quidem tale aliquid distinctè est legere, De opificio mundi: vide. An hoc platet, septimo quoque anno mutari hominem, & signum ætatis imprimi, nouâ nomenclaturâ? Vt ad primum Septenarium* Infans; *inde ad alterum,* Puer; *ad tertium,* Adolescens; *ad quartum,* Iuuenis; *quintum,* Vir; *sextum,* Maturus *vel* Grauis; *septimum,* Senex; *atque inde* Decrepitus. *Isto autem sensu, melius in Senecâ* ætatis signum: *quod etiam est in quibusdam libris. An denique ad gradus vel* κλιμακτῆρας *ætatum adspexit? in quibus antiquitus proditum, septimo quoque anno, mutationem aut discrimen euenire: quod Varrò apud Agellium libro* III. *cap.* X. *notat. Itaque signum imprimit, morbi, vel periculi, vel mutationis.*

12. IN ANGVSTIAS.] *Lucretius idem quærit, libro* IV.

Porticus æquali quamuis est denique ductu,
Stansque in perpetuum paribus suffulta columnis
Longa; tamen parte ab summâ cùm tota videtur,
Paullatim trahit angusti fastigia coni:

sed ipse quoque inter obscura & ignorata, quod ad caussam, mox habet. Non item Optici hodie. nam aiunt semper in lineis parallelis, longiùs ductis, remotiora coire & angustari, ob bases minores quò longiores, lineasq; quæ paullatim concurrunt. Adde nostrum, Quæst. Nat. I. *cap.* III.

13. VNVS CONCVBITVS.] *Ita sanè. & Hippocrates effatur,* τὰ δίδυμα ἀφ' ἑνὸς λαγνεύματος γίνεσθαι: geminos ab vno opere Venereo fieri. *Argumentum in canibus, quæ vno coitu multiplicem fœtum edunt: in mulieribus ipsis, quæ & hoc fatebuntur: denique in tempore partus, quod idem. Caussa, quia plures sinus vel reductiones in matrice; quæ vbi scisso semine implentur & retinent, plures mox partus.*

14. FATA DIVERSA.] *Quidni? nam & formatio diuersa. quia etsi ex vno semine; diuiditur id tamen, & plus minúsve, crassius tenuius, in hanc illámve partem illabitur: atque ita in materiâ & qualitatibus discrimen. Sed & in tempore discrimen. Idem Hippocrates:* Οὐ γὰρ ἐς ἅπαξ χωρέει ἡ γονὴ, ἀλλὰ καὶ ἐς δὶς καὶ τρὶς ἀποβράσσεται: Non enim simul semelque semen peruenit, sed bis terque euomitur & exit, *quasi per ictus.*

15. MINIMVM INTEREST.] *Nostro sensu. sed motione ipsâ cæli, & citatâ illâ vertigine, permultum: si tamen ad astricas caussas placet ire.*

[16] in alto latet. Nec de malignitate naturæ queri possumus: quia nullius rei difficilis in- A
uentio est, nisi cuius hic vnus inuentæ fructus est, [17] inueniſſe. Quidquid nos meliores beatosque facturum est, aut in aperto, aut in [18] proximo posuit. Si animus fortuita contempsit, si se supra metum sustulit, nec auidâ spe infinita complectitur, sed didicit [19] à se petere diuitias: si deorum hominumque formidinem eiecit, & scit [20] non multum esse ab homine timendum, à Deo [21] nihil: si contemptor omnium, quibus torquetur vita, dum ornatur, eò perductus est, vt illi liqueat, mortem nullius mali esse materiam, multorum finem: si animum virtuti consecrauit, & quacumque vocat illa, planum putat: si sociale animal est, & in commune genitus, mundum vt vnam domum spectat, & conscientiam suam dijs aperit, semperque tamquam in publico viuit: si se magis veritus quàm alios, subductus illis tempestatibus, in solido ac sereno stetit: consummauit scientiam vtilem, atque necessariam. reliqua oblectamenta otij sunt. Licet enim iam in tutũ retracto animo, ad hæc quoq; excurrere, cultum, non robur, ingenijs afferentia.

11. Hęc Demetrius noster vtrâque manu tenere [22] proficientem iubet, hęc nusquã dimit- B
tere, imò affigere & [23] partem sui facere, eoque quotidianâ meditatione perduci, vt suâ sponte occurrant [24] salutaria, & vbique ac statim desiderata præstò sint: & sine morâ vllâ veniat illa turpis honestique distinctio, sciatque [25] nec malum esse vllum nisi turpe, nec bonum nisi honestum. Hac regulâ vitæ opera [26] distribuat: ad hanc legem & agat cuncta, & exigat: miserrimosque mortalium iudicet, in quantiscumque opibus refulgebunt, ventri ac libidini deditos, quorum animus inerti otio torpet. Dicat ipse sibi: Voluptas fragilis est & breuis: [27] fastidit obiecta: quò auidiùs hausta est, citiùs [28] in contrarium recidens, cuius subinde necesse est aut [29] pæniteat, aut [30] pudeat. In quâ nihil est aut magnificum, aut quod naturam hominis, dijs proximi, deceat. res humilis, membrorum turpium ac vilium ministerio veniens, exitu fœda. Ista est voluptas & homine & viro digna, non implere corpus, nec saginare, nec cupiditates irritare, quarum tutissima est quies: sed perturbatione carere, & eâ [31] quæ hominum inter se rixantium ambitus concutit, & eâ quæ intolerabilis ex alto venit, vbi de dijs [32] famæ creditum est, [33] vi- C
tijsque illos nostris æstimauimus. Hanc voluptatem æqualem, intrepidam, numquam sensuram sui tædium, percipit hic quem deformamus cùm maximè: qui, vt ita dicam, [34] diuini iuris atque [35] humani peritus, [36] præsentibus gaudet, ex futuro non pendet. nihil enim firmi habet, qui in incerta propensus est. Magnis itaque curis exemptus, & distor-

16. IN ALTO.] *Ad puteum Democriti alludit, in quo veritatem demerſit.*

17. INVENISSE.] *Id eſt, per quam meliores aut prudentiores non reddimur; tantùm, ſcitiores.*

18. PROXIMO.] *Iuxta apertum, non diu quærendum.*

19. A SE PETERE.] *A ſuo animo. qui paucis contentus, diues eſt.*

20. NON MVLTVM.] *Quid, præter mortem? & cum eâ metus tui finis.*

21. NIHIL.] *Stoicè. quia nolunt Deum vindicare, aut nocere.*

CAP. II. 22. PROFICIENTEM.] *Ita vocant Stoici, eum qui in viâ ad Sapientiam eſt, qui iam promouit aliquid & profecit. Nos in Manuduct.* II. *Diſſertat.* IX.

23. PARTEM SVI.] *Animo induere, vt adhæreant: agnata videantur.*

24. SALVTARIA.] *Decreta iſta ac δόγματα.*

25. NEC MALVM.] *Capitalis diſtinctio, & cardo Sapientiæ. Nihil bonum, niſi honeſtum: & contrà. id eſt, Sola virtus bona, ſolum Vitium malum. In Manud.* II. *Diſſert.* XX.

26. DISTRIBVAT.] *Quidquid videt, audit, iſtâ metiatur & cenſeat.*

27. FASTIDIT.] *Meus, & alij quidam,* faſtidio obiecta. *probo.*

28. IN CONTRAR.] *Dolorem. qui aut vt comes adhæret, aut vt proles ex eâ naſcitur.*

29. PÆNITEAT.] *In luxu & ganeâ.*

30. PVDEAT.] *Et hoc & illud, in libidine.*

31. QVÆ HOMINVM.] *Duplicem perturbationem hîc facit: à terrâ, & à cælo. Illam, quæ ex opibus, honoribus, ſpe metúque (vt verbo dicam) rerum humanarum. Iſtam, quæ à ſuperſtitione, & prauâ de dijs opinione. de quâ addit.* D

32. FAMÆ CRED.] *Quæ facit illos vltores, vindices fulmine armat, apud inferos etiam tortores collocat: & talia, quæ Sophi iſti rident.*

33. VITIISQVE ILLOS NOSTRIS.] *Quia nos vltionis cupidi, quia nos malè facientibus reponimus: & plura talium affectuum.*

34. DIVINI.] *Quomodo dij colendi.*

35. HVMANI.] *Quid homines deceat, quid ſibi alijſq; debeat.*

36. PRÆSENTIBVS.] *Horatius:* Lætus in præſens animus, quod vltrà eſt Oderit curare.

37. IN

A distorquentibus mentem, nihil sperat, aut cupit, nec se mittit [37] in dubium, suo contentus. Nec illum existimes paruo esse contentum. [38] omnia illius sunt. non sic, quemadmodum Alexandri fuerunt: cui, quamquam in littore [39] maris rubri steterat, plus derat quàm quà venerat: illius ne ea quidem erant, quæ tenebat, aut vicerat, cùm in Oceano Onesicritus [40] præfectus classibus præmissus explorator erraret, & bella in ignoto mari quæreret. Non satis apparebat inopem esse, qui [41] extra naturæ terminos arma proferret? qui se in profundum, inexploratum & immensum, auiditate cæcâ prorsus immitteret? Quid interest, quot eripuerit regna, quot dederit, quantum terrarum tributo premat? tantum illi deest, quantum cupit. Nec hoc Alexandri tantùm vitium III.
fuit, quem per Liberi Herculisque vestigia felix temeritas egit, sed omnium quos fortuna [42] irritauit implendo. Cyrum & Cambysen, & totum regni Persici stemma percense. quem inuenies, cui modum imperij [43] satietas fecerit? qui non vitam in aliquâ vlteriùs procedendi cogitatione finierit? Nec id mirum est. quidquid cupiditati contigit,
B penitus hauritur & conditur: nec interest, quantum in id quod inexplebile est, congeras. Vnus est sapiens, cuius omnia sunt, nec ex difficili [44] tuenda. Non habet mittendos trans maria [45] legatos, nec metenda [46] in ripis hostilibus castra, non opportunis castellis disponenda præsidia, non opus est legione, nec equestribus turmis. Quemadmodum dij immortales regnum inermes regunt, & illis rerum suarum ex edito tranquilloque tutela est: ita hic officia sua, quamuis latissimè pateant, sine tumultu obit: & omne humanum genus, potentissimus eius optimusque, infra se videt. Derideas licet: ingentis spiritus res est, cùm Orientem Occidentemque lustraueris animo, quo etiam remota & [47] solitudinibus intercluſa penetrantur, cùm tot animalia, tantam copiam rerum, quas natura beatissimè fundit, aspexeris, emittere hanc Dei vocem: Hæc omnia [48] mea sunt. Sic fit, vt nihil cupiat: quia nihil est [49] extra omnia. Hoc ipsum, [50] inquis, vo- IV.
lui. teneo te: volo videre, quomodo ex his laqueis, in quos tuâ sponte decidisti, expliceris. Dic mihi. quemadmodum potest aliquis donari sapienti, si omnia sapientis sunt?
C nam id quoque quod illi donat, ipsius est. Itaque non potest dari beneficium sapienti: cui quidquid datur, de suo datur. atqui dicitis, sapienti posse donari. Idem autem me scito, & de amicis interrogare. Omnia dicitis illis esse communia: ergo nemo quidquam amico donare potest: donat enim illi communia. [51] Nihil prohibet aliquid & sapientis esse, & eius qui possidet, cui datum & assignatum est. Iure ciuili [52] omnia regis sunt: & tamen illa quorũ ad regem pertinet vniuersa possessio, in singulos dominos [53] descripta sunt,

37. In dvbivm.] *Incerta non appetit. incerta, dum quærit; incerta, dum habet.*

38. Omnia il.] *Stoico paradoxo, de quo Manud.* III. *Dissert.* XI.

39. Maris rvbri.] *Non de sinu Arabico siue Aegyptio ceperis (parùm sit eò venisse, & longiùs omnino iuit:) sed de mari Indico. quod* Rubrum *antiquis dictum, ostendi in Admirandis.*

D 40. Præfectvs.] *Vnà cum Nearcho.*

41. Extra natvræ.] *Quasi cum terris Natura desineret, & Oceanus ignotus & immotus, caligo & chaos deinde haberent. Hæc Declamatores, ex communi tunc opinione. vt in Suasoriâ* I. *ad Alexandrũ:* Iidem sint termini & regni tui, & mundi. *Alius:* Tempus est Alexandrum cum orbe & cum sole desinere. *quasi vltrà igitur nec sol, nec orbis. Poëta etiam Pedo, de Germanico Oceano:*

—— ruit ipse dies, orbemque relictum
Vltima perpetuis claudit natura tenebris.

Sed & Tacitus tali sensu: Trans Suionas aliud mare pigrum. illuc vsque (& fama vera) tantùm natura. *Vide nostras ibi vltimas Notas.*

CAP. III. 42. Irritavit.] *Cupidinem magis elicuit, indulgendo.*

43. Satietas.] *Propriè. id est, quòd satis haberent.*

44. Tvenda.] *Sine curâ, sine impendio habenda.*

45. Legatos.] *More sui æui, Legatos Consulares, qui legionibus prouinciisq; præsint. Nec enim hîc de Legatis communibus, & qui mandata ferunt.*

46. In ripis.] *Iterùm Romano ritu, in terminis imperij castra & castella erant, ad ripas Eufratis, Danubij, Rheni.*

47. Solitvdinibvs.] *Quæ sub Zonâ frigidâ, siue torridâ, vt ipsi putabant: & quos hodierna inspectio refutauit.*

48. Mea svnt.] *Vsu, visu sæpè: cùm id non potest, cogitatione & animo, qui scit sibi hæc facta. Nos Manud.* III. *Diss.* XI.

49. Extra omnia.] *Omnia autem sua censet.*

CAP. IIII. 50. Inqvis.] *Argutè & feliciter ad rem applicat, à quâ videbatur abire.*

51. Nihil.] *Seneca iam respondet.*

52. Omnia reges.] *Potestate & imperio, vt dicet.*

53. Descripta.] *Distributa. Horatius:*
Sedesque descriptas piorum.

54. Cvm

sunt, & vnaquæque res habet possessorem suum. Itaque dare regi & domum, & mancipium, & pecuniam possumus: nec donare illi de suo dicimur. Ad reges enim potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas. Fines Athenienſium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter se vicini priuatâ terminatione distinguunt. & totus ager huius aut illius reipublicæ est: pars deinde suo domino quæque censetur. ideoque donare agros nostros reip. possumus, quamuis illius esse dicantur: quia aliter illius sunt, aliter mei. Numquid dubium est, quin seruus [54] cum peculio, domini sit? dat tamen domino suo munus. Non enim ideò nihil habet seruus, quia non est habiturus, si dominus illum habere noluerit: nec ideò non est munus, cùm volens dedit, quia potuit eripi, etiamsi noluisset.* [55] Quemadmodum probemus omnia (nunc enim omnia sapientis esse, inter nos conuenit) illud quod quæritur colligendum est, quomodo liberalitatis materia aduersus eum superſit, cuius vniuersa esse concessimus. Omnia patris sunt, quæ in [56] liberorum manu sunt: quis tamen nescit, donare aliquid & filium patri? Omnia deorum sunt: tamen dijs posuimus donum, & [57] stipem iecimus. Non ideò quod habeo, meum non est, si tuum est: potest enim idem esse meum & tuum. Is, inquis, cuius prostitutæ sunt, leno est: omnia autem sapientis sunt, inter omnia autem & prostitutę sunt. ergo & prostitutæ sapientis sunt. leno autem est, cuius prostitutæ sunt: ergo sapiens est leno. Sic illum vetant emere. dicunt enim: Nemo rem suam emit: omnia autem sapientis sunt: ergo sapiens nihil emit. Sic vetant & mutuum sumere, quia nemo vsuram pro pecuniâ suâ pendit. Innumerabilia sunt, per quæ [58] cauillantur, cùm pulcherrimè, quid à nobis dicatur, intelligant. v. Enimuerò sic omnia sapientis esse dico, vt nihilominus proprium quisque in rebus suis dominium habeat: quemadmodum sub optimo rege, omnia rex imperio possidet, singuli dominio. Tempus istius probandæ rei veniet. interim hoc huic quæstioni sat est, id quod aliter sapientis, aliter meum est, me posse donare sapienti. Nec mirum est, aliquid ei cuius est totum, posse donari. Conduxi domum à te. in hac aliquid tuum, aliquid meum. res tua est: vsus rei tuæ, meus est. Itaque nec fructus tanges, colono tuo prohibente, quamuis tuâ in possessione nascantur: & si annona carior fuerit, aut fames,

Heu frustra magnum alterius spectabis aceruum,

in tuo natum, in tuo positum, in horrea iturum tua. Nec conductum meum, quamquam sis dominus, intrabis: nec seruum tuum, [59] mercenarium meum abduces: & abs te rhedam si conduxero, beneficium accipies, si tibi in vehiculo tuo sedere permisero. Vides ergo posse fieri, vt aliquis accipiendo quod suum est, munus accipiat.

VI. In omnibus istis quæ modò retuli, vterque eiusdem rei dominus est. quomodo? quia alter rei dominus est, alter vsus. Libros dicimus esse Ciceronis: eosdem [60] Dorus librarius suos vocat: & vtrumque verum est. alter illos tamquam auctor sibi, alter tamquam [61] emptor asserit: ac rectè vtriusque dicuntur esse. Vtriusque enim sunt: sed non eodem modo. sic potest T. Liuius à Doro accipere, aut emere libros suos. Possum donare sapienti, quod [62] viritim meum est, licet illius sint omnia. Nam cùm regio more cuncta [63] conscientiâ possideat, singularum autem rerum in vnumquemque proprietas sit sparsa: &

54. CVM PECVLIO.] *Peculium est, quod seruus vel ex diario comparsit, vel dono accepit. Id eius est, domino conniuente, & more fauente.*

55. QVEMADMODVM.] *Hæc inconnexa, & fortasse traiecta sunt. Concinnius paullò:* Quem ad modum perhibemus *(ita malim, quàm* probemus) omnia sapientis esse (nunc enim inter nos conueniat:) illud quod quæritur: *Scripsi* conueniat, *& verius puto quàm* conuênit.

56. LIBERORVM.] *Qui ipsi manu nondum sint missi.*

57. STIPEM.] *Varro*: Dijs cùm thesauris assem dant, stipem dicunt. *Plura ego ad Taciti* XIV. *Annalem.*

58. CAVILLANTVR.] *Quod Græcis σόφισμα, Latinis* Cauillus, Calumnia, Captio, Captendula.

CAP. V. 59. MERCENARIVM.] *Qui operas mihi locat præbetq; in dies, menses, annos. Atque eo tempore meus est, te vel inuito.*

CAP. VI. 60. DORVS LIBRARIVS.] *Bibliopolæ nomen, &* Librarius *igitur non solùm qui scribit, sed vendit. Sequentia hoc asserunt: &* Libraria *in Agellio, taberna vænalium librorum.*

61. EMPTOR.] *Emit enim, sed vendendos.*

62. VIRITIM.] *In meum caput transscriptum.*

63. CONSCIENTIA.] *Omisit siue eiecit Muretus, imperiosè. Quid si bona vox est? & significat regis om-*

A sa: & accipere munus, & debere, & emere, & conducere potest. Cæsar omnia habet, [64] fiscus eius priuata tantùm, ac sua: & vniuersa [65] in imperio eius sunt, in patrimonio propria. Quid eius sit, quid non sit, sine diminutione imperij [66] quæritur. nam id quoque quod tamquam alienum abiudicatur, aliter illius est. Sic sapiens vniuersa animo possidet, iure ac dominio sua. Bion modò omnes sacrilegos argumentis esse col- VII.
ligit, modò neminem. Cùm omnes [67] de saxo deiecturus est, dicit: Quisquis id quod deorum est, sustulit & consumpsit, atque in vsum suum vertit, sacrilegus est: omnia autem deorum sunt: quod quisque ergo tollit, deorum tollit, quorum omnia sunt: ergo quisquis tollit aliquid, sacrilegus est. Deinde cùm effringi templa, & expilari impunè Capitolium iubet: dicit, Nullum sacrilegium esse. quia quicquid sublatum est ex eo loco qui deorum erat, in eum transfertur locum, qui deorum est. Hîc respondetur: Omnia quidem deorum esse, sed non omnia dijs dicata. In his obseruari sacrilegium, quæ religio numini adscripsit. Sic & totum mundum deorum esse immortalium templum,
B solum quidem amplitudine illorum ac magnificentiâ dignum: & tamen à sacris profana discerni, & non omnia [68] licere in angulo, cui nomen [69] fani impositum est, quæ sub cælo & conspectu siderum licent. Iniuriam sacrilegus Deo quidem [70] non potest facere, quem [71] extra ictum sua diuinitas posuit: sed tamen punitur, quia tamquam Deo fecit. Opinio illum nostra, [72] ac sua, obligat pœnæ. Quomodo ergo sacrilegus videtur, qui aliquid aufert sacri, etsi quocumque transtulit, quod surripuerat, intra terminos est mundi: sic & sapienti furtum potest fieri. Aufertur enim illi, non ex his quæ vniuersa habet, sed ex his quibus dominus inscriptus est, quæ [73] viritim ei seruiunt. Illam alteram possessionem agnoscet, hanc nolet habere, etsi poterit: emittetque illam vocem, quam [74] Romanus Imperator emisit, cùm illi ob virtutem & benè gestam Rempub. tantum agri decerneretur, quantum arando vno die circuire potuisset: *Non est*, inquit, *vobis eo opus ciue, cui plus opus sit, quàm vni ciui.* Quanto maioris viri putas, respuisse hoc munus, quàm meruisse? multi enim fines alijs abstulerunt, sibi nemo constituit.
C Ergo cùm animum sapientis intuemur, potentem omnium, & per vniuersa dimissum, VIII.
omnia

gis omnia esse, eumq; possidere animo & tacito sensu. Quid si mutanda etiam? quod Erasmus voluit, fecitq; communia. *Meus liber* conscia *scribit, sed cum apice, qui compendium scripturæ notat.*

64. FISCVS.] *Ita enim dicebant principis bona propria, & ab Aerario secernebant. Plinius Panegyrico*: At fortasse non eâdem seueritate Fiscum, quâ Ærarium cohibes. imò tanto maiore, quò plus tibi licere de tuo, quàm de publico, credis.

65. IN IMPERIO.] *Ita idem Plinius*: Ecquid Cæsar non suum videat? tandemque imperium Principis, quàm Patrimonium maius est. Multa enim ex patrimonio refert in imperium, quæ
D priores Principes occuparant, non vt ipsi fruerentur, sed nequis alius.

66. QVÆRITVR.] *Nam sub bono Principe, vt idem ille inquit*, dicitur Actori atque etiam Procuratori tuo, In ius veni, sequere ad tribunal. *Et mox*: Sors & vrna fisco iudicem assignant.

CAP. VII. 67. DE SAXO.] *Tarpeio, Romano ritu. nam id supplicium in magnis sceleribus.*

68. LICERE.] *Fœda, impura.*

69. FANI.] *Ab eo*, quòd Pontifices in sacrando fati sint finem: *vel potiùs* fines, *in Varronis* v. *de L. L. Ille igitur angulus & secreta pars, cui fines fando dicti, Fanum.*

70. NON POTEST.] *Suprà lib.* v. *cap.* XIV. *De constant. sap. cap.* IV.

71. EXTRA ICTVM.] *Vt tangi lædive non possit.*

72. AC SVA.] *Nam & ipse scit, atque vt Deo posita aufert.*

73. VIRITIM.] *Malè* viciſſim. *Suprà cap.* VI. Quod viritim meum est.

74. ROMANVS IMP.] *Quis hic est?* Horatius Cocles, *ait Muretus & toto capite asserit* XVIII. *Libri* XIX. *Variar. Lectionum. Nam illi, ob strenuam in ponte Sublicio operam, populus Romanus* tantum agri dedit, quantum vno die circumarasset. *Hoc ita Liuius, Dionysius, Plinius: neque factum negamus, sed huc facere non persuademur. Primùm,* miles *ille Cocles fuit, non* Romanus Imperator, *vt Seneca: deinde, accepit præmium, non refutauit, vt item ex Senecâ: tertiò, quis hic modus supra ciues alios, aut quid minus vno iugere potuit? In numero, inquam, nulla comparatio aut diuersitas: quam fuisse oportet, aut Senecæ illa frigida, aut nihili esse. Ego arbitror hæc spectare M'. Curium illum, paupertate nobilem: & Valerium do auctorem.* Decretis, *inquit*, à Senatu septem iugeribus agri populo, sibi autem quinquaginta, popularis assignationis modum non excessit: parum idoneum reip. ciuem existimans, qui eo, quod reliquis tribueretur, non esset contentus. *Quid clarius, aut aptius? Eadem Plinius*: M'. Curij nota concio est, pernitiosum intelligi ciuem, cui septem iugera non essent satis. *Enimuerò iampridem* bina iugera *assignari solita (Varro, & idem Plinius:) sed nunc in victoriâ de*
Pyrrho,

omnia illius esse dicimus: cùm ad hoc ius [75] quotidianum, si ita res tulerit, [76] capite cen- A
sebitur. Multum interest, possessio eius animi magnitudine æstimetur, an censu. hęc vni-
uersa [77] habere, de quibus loqueris, abominabitur. Non referam tibi Socratem, Chry-
sippum, Zenonem, & ceteros magnos quidem viros, maiores tamen, quia [78] in laudem
vetustorum [79] inuidia non obstat. Paullò antè Demetrium retuli: quem mihi videtur
rerum natura, nostris tulisse temporibus, vt ostenderet, nec illum à nobis corrumpi, nec
nos ab illo [80] corripi posse: virum exactæ (licet neget ipse) sapientiæ, firmæque in his
quæ proposuit constantiæ: eloquentiæ verò eius, quæ res fortissimas deceat, non con-
cinnatæ, nec in verba sollicitæ, sed ingenti animo, prout impetus tulit, res suas prosequen-
tis. Huic non dubito, quin prouidentia & talem vitam, & talem dicendi facultatem
IX. dederit, ne aut exemplum sæculo nostro, aut conuicium deesset. Demetrio si res
nostras aliquis deorum possidendas velit tradere sub lege certâ, ne liceat [81] donare, affir-
mauerim repudiaturum, dicturumque: Ego verò me ad istud inextricabile pondus
non alligo, nec in altam fæcem rerum hunc [82] expeditum hominem demitto. Quid ad B
me defers [83] populorum omnium mala? quæ nec daturus quidem acciperem: quo-
niam multa video, quæ me donare [84] non deceat. Volo sub conspectu meo ponere,
quæ gentium oculos regumque perstringunt? volo intueri [85] pretia sanguinis, anima-
rumque vestrarum? Prima mihi luxuriæ spolia propone: siue illa vis per ordinem ex-
pandere, siue (vt est melius) in vnum aceruum dare. Video elaboratam scrupulosâ di-
stinctione [86] testudinem, & fœdissimorum pigerrimorumque animalium testas, ingen-
tibus

Pyrrho, & multo terrarum adiecto, largiores sint in populum & in ducem. Nihil hîc scrupuli. nisi in Senecæ fortè sequentibus verbis, scribentis: tantum agri decretum, quantum circuire vno die arando potuisset. *Atqui non nisi iugerum vnum, vno die aratur: & inde nomen (Varro, Plinius, alij)* quod vno iugo boum, in die, exarari posset. *Vbi ergo illa* septena, *imò* quinquagena? *Ambigo, non in re aut homine, sed in Senecæ scriptione, satin' ea ab intento & hoc agente fuerit. Sanè si de* Iugero *vno accipis, palàm falsum eum fuisse affirmandum est: sed quid si plura etiam ipse dicit? Nam ait,* circuire: *quod accipi potest, non de reciprocatione illâ in arando, sed de ambitu: & vt tantum agri, quantum bobus, vno sulco, circumduxisset. Ita sanè illa* quinquaginta *circumarauerit, aut vltrà. In Valerio quidem nihil erroris esse, cùm Plinius, tum & res mihi dicit. ac bellè omnino decretum, cùm alij* septena *haberent, vt ipse* septies septena: *quæ sunt* XLIX. *iugera: sed Valerius scilicet rotundè fecit extulitq;,* quinquaginta. *Siquis certiora, donet.*

CAP. VIII. 75. QVOTIDIANVM.] *Quo vtimur, & quo Meum Tuum dicimus.*

76. CAPITE.] *Accipiam, statu & conditione suâ censebitur. Aspicit autem ad Censuales tabulas, in quibus viritim singuli, & eorum opes, descriptæ. Itaque tunc, inquit, non tantas ei opes dabo: sed communi & ciuili iure, censum capitis eius inspiciam, & pro eo æstimabo.*

77. HABERE.] *Tuo illo possessionis sensu.*

78. IN LAVDEM.] *Dicit, magnos viros fuisse: sed æuo quoque maiores factos, & quia benignior in tales fama. At viuis ea obstat: etsi sunt & magni hodie, vt ecce Demetrius.*

79. INVIDIA.] *Sallustius:* Viuos interdum fortuna, sæpè inuidia fatigat. vbi anima naturæ cessit, demptis obtrectatoribus, ipsa se virtus magis magisque extollit. *Propertius:*

Omnia post obitum fingit maiora vetustas,
Maius ab exsequijs nomen in ora venit.

80. CORRIPI.] *Sunt qui legant*, corrigi. *At mihi non placet. Frustrà enim aut stultè Natura hominem gignat ostentetq;, à quo corrigi non possimus. Imò contrà melius esset, & ex officio benigni Dei. Mihi vetus coniectura sedet*, & nos ab illo corripi. *Ideò genitus est, vt exemplum* C *sæculo non deesset incorrupti viri, & item vitiorum acris insectatoris. Vocum consonantia ita melior, in* corrumpi, *&* corripi: *denique firmat omnino clausula*: Prouidentiam ei & talem vitam, & talem facultatem dedisse, ne aut exemplum sæculo, aut conuitium deesset. *Conuitium profectò in correptione est: & propriè ita Cynici solent, cuius hic secta. Vide de istoipso conuiciante aut oblatrante (ita loquitur) Suetonium Vespas. cap.* XIII. *& Neronis cap.* XXXIX.

CAP. IX. 81. DONARE.] *Atque ita exonerare se, & amoliri.*

82. EXPEDITVM.] *Quod est in paupertate. Apuleius:* Prorsus ad viuendum, velut ad natandum, is melior, qui onere liberior.

83. POPVLOR. OM.] *Quæ omnes & singulos* D *exagitant: quid hæc in vnum collecta mihi premendo offers?*

84. NON DECEAT.] *Vt luxuriæ, libidinis, aut & deliciarum instrumenta.*

85. PRETIA SANG.] *Quibus sanguinem & animam impenditis.*

86. TESTVDINEM.] *Quâ lectos, & repositoria maximè ornabant. Plinius* IX. Testudinum putamina secare in laminas, lectosque & repositoria ijs vestire, Caruilius Pollio instituit. *Vtebantur marinis, & maximè Indicis. Iuuenalis:*

Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Troiugenis factura ac nobile fulcrum.

Fulcrum *lecti. Lucianus in Asino:* Κλίνη ἦν μεγάλη ἀφ' ὧ

A tibus pretiis emptas, in quibus ipsa illa quæ placet [87] varietas, [88] subditis medicamentis, in similitudinem veri coloratur. Video istic [89] mensas, & æstimatum lignum [90] senatoris censu, eò pretiosius, quò illud in plures [91] nodos, arboris infelicitas torsit. Video istîc [92] crystallina, quorum [93] accendit [94] fragilitas pretium: omnium enim rerum voluptas apud imperitos, ipso quo fugare debet [95] periculo, crescit. Video murrhina pocula. parum scilicet luxuria magno furit, nisi quod vomant, capacibus gemmis inter se [96] propinarent. Video vniones, non singulos singulis auribus comparatos: iam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt: iunguntur inter se, & insuper [97] alij binis superponuntur. non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent. Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo defendi [98] aut corpus, aut denique pudor possit: quibus sumptis, mulier parùm [99] liqui-

ἀπὸ χελώνης Ἰνδικῆς: *Vertit Apuleius*: Lectus Indicâ testudine pellucidus. *Ex eius verbo nota lucem & splendorem infuisse. quod & ista Martialis:*

Gemmantes primâ fulgent testudine lecti.

Etsi intellegere etiam liceat gemmas *insertas fuisse. Ita enim Philo:* Τρίκλινα καὶ περίκλινα χελώνης ἢ ἐλέφαντος κατεσκευασμένη, καὶ τιμαλφεστέρας ὕλης. ὧν τὰ πλεῖστα λιθοκόλλητα: Tricliniares lecti & Stibadia testudine aut ebore adornata, & meliore etiam materiâ: atque ea pleraque gemmata.

87. VARIETAS.] *Ita Clemens Alexandrinus:* χελώναις πεποικιλμέναις κοίτας: testudine variegatos lectos. *Nam miscellum & insiticium opus fuit, vt hodie ossicula in lignum affabrè iniungunt. Hoc paullo antè Seneca*, scrupulosam distinctionem *dixit.*

88. SVBDITIS.] *Alij* sublitis. *non muto. De sensu, quid? an ex Plinij istis elicimus,* XVI. *cap.* XLIII. Excogitatæ sunt & ligni bracteæ. Testudo in hoc secta. nuperque portentosis ingeniis, Principatu Neronis, inuentum vt pigmentis perderet se, pluriseque væniret imitata lignum. *Vult pigmentis factum, vt testudo colorem amitteret, & in ligni speciem iret. Nam addit:* Sic lectis pretia quæruntur. sic terebinthum vinci iubent, sic citrum pretiosius fieri, sic acer despici. Modò luxuria vero fuerat contenta ligno, iam lignum etiam è testudine facit. *Hoc autem factum, siue coloratâ ipsâ testudine: siue segmentis eius tenuibus colore alio suppositio (hîc* subdito*) qui perluceret: vt fit scilicet in vitro, aut tali materie.*

89. MENSAS.] *E citro. Petronius:*

— ecce Afris eruta terris
Citrea mensa, greges seruorum, ostrumque renidens.

E Mauretaniâ adferebantur. vide Plinium XIII. *cap.* XV.

90. SENAT. CENSV.] *Ita planissimè, è Tertulliano, & sine hyperbole. De Pallio:* M. Tullius quingentis millibus nummûm orbem citri emit: bis tantum Afinius Gallus numerat. *Illud* bis tantum *facit* Decies HS. *id est* XXV. millia Philippæorum, *qui Senatorum ab Augusto census. O prodigia! Petronij ista ipsa mens, sed à nobis emendandi, post dictos versus:*

Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quæ sensim trahat. hoc sterile ac malè nobile lignum
Ebria turba mero circumuenit.

Lego: Quod censum trahat. *Redit ad indignationem super citro. & ecce ponitur aliquid, inquit, & maculis aurum prouocat, quod totum censum auferat & absumat. An etiam legas*, Ponitur, ac maculis mutatur vilibus aurum? *vt velit aurum sepositum & spretum præ citro? tum autem iunctim cetera:* Quod censum trahat, hoc sterile, *&c. Supra aurum fuisse, etiam Martialis:*

Accipe felices, Atlantica munera, siluas.
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

91. NODOS.] *Quæ pars nodosa* maculas *illas facit Petronio nominatas, & de quibus libro De Tranquill. cap.* I.

92. CRYSTALLINA.] *Vide De Irâ* III. *cap.* XL.

93. ACCENDIT.] *Sic* Incendia annonæ, *augmenta & intentiones Latini dicunt.*

94. FRAGILITAS.] *Eadem Plinius* XXXIII. *initiò:* Crystallina ex eâdem terrâ effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas.

95. PERICVLO.] *Aptè & hoc Plinius:* Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria existimata est, habere quod possit statim totum perire.

96. PROPINARENT.] *Ab Erasmo est, quod fatetur. Quid libri? consensu,* pronuntiarent, *aut* pronuntiauerint. *quomodo & meus, nisi quod ambiguum relinquat,* per, *an* pro, *scripserit. Ego fecerim*, permutarint, *vel* permutauerint: *atque ita fuit. Alternant inter se pocula & potiones.*

97. ALII BINIS.] *Ita quaterni fierent. etsi communiter & decorè vnus binis superponebatur. Plinius:* Hos digitis suspendere, ac binos & ternos auribus, fœminarum gloria est. *Id* tribaccam *vocat Petronius:* Quo margarita cara, tribacca, Indica? *Et profectò magis est, vt Senecæ quoque is sensus. alij singuli superponuntur binis: quod palàm docent sequentia verba*, bina ac terna patrimonia. *Singulas enim vult censum & patrimonium efficere. De eâ re Tertullianus, de Habitu muliebri:* Breuissimis loculis patrimonium grande profertur. vno lino decies HS. inseritur. saltus & insulas tenera ceruix fert. graciles aurium cutes Kalendarium expendunt. *Quid mirum?* centies HS. *imò & sexcenties vnam margaretam æstimatam in Plinio legas: id est, supra* auri millionem. *Adde de constant. sap. cap.* XIV.

98. AVT CORPVS.] *Simile noster, epistolâ* XC. Telas, quibus vestis nihil celatura conficitur, in quâ non dico nullum corpori auxilium, sed nullum pudori est.

[99] liquidò, [100] nudam se non esse, iurabit. Hæc ingenti summâ, ab [101] ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, vt matronæ nostræ, ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, [102] quàm in publico ostendant. Quid agis auaritia? quot rerum caritate aurum tuum victum est? omnia ista quæ retuli, in maiore honore pretioque sunt. Nunc volo tuas opes recognoscere, laminas [103] vtriusque materiæ, ad quas cupiditas nostra caligat. At mehercule terra, quæ quidquid vtile futurum nobis erat protulit, ista [104] defodit & mersit, & vt noxiis rebus ac malo gentium in medium prodituris, toto pondere incubuit. Video ferrum ex iisdem tenebris esse prolatum, quibus aurum & argentum: ne aut instrumentum in cædes mutuas deesset, [105] aut pretium. Et adhuc ista aliquam materiam habent: est in quo errorem oculorum animus subsequi possit: video istîc [106] diplomata, & [107] syngraphas, & [108] cautiones, vacua habendi [109] simulacra, vmbras quasdam auaritiæ laborantis, per quas decipiant animum, inanium opinione gaudentem. Quid enim ista sunt? quid fœnus, & [110] kalendarium, & vsura, nisi humanæ cupiditatis [111] extra naturam quæsita nomina? Possum de rerum naturâ queri, quòd aurum argentumque non interiùs absconderit, quòd non illis maius, quàm quod detrahi posset, pondus iniecerit. Quid sunt istæ [112] tabulæ, quid computationes, & [113] vænale tempus, & [114] sanguinolentæ [115] centesimæ? voluntaria mala ex constitutione nostrâ pendentia, in quibus nihil est, quod subiici oculis, quod teneri manu possit, inanis auaritiæ somnia. O miserum, si quem delectat sui patrimonij [116] liber magnus, & vasta spatia terrarum colenda per [117] vinctos, & immensi greges [118] pecorum per prouincias ac regna pascendi, & [119] familia bellicosis nationibus maior, & ædificia priuata [120] laxitatem vrbium magnarum vincentia! Cùm benè ista, per quæ diuitias suas disposuit ac fudit, circumspexerit, superbumque se fecerit, si quidquid habet, ei quod cupit comparet, pauper est. Dimitte me, & illis [121] diuitiis meis redde. Ego regnum sapientiæ noui, magnum, securum. ego sic omnia habeo, vt [122] omnium sint. X. XI. Itaque cùm C. Cæsar illi

99. LIQVIDÒ.] *Clarè & certò. Ouidius:*
Scis tamen, & liquidò iuratus dicere posses.

100. NVDAM.] *Corpore per eas vestes apparente. Ideò* pellucidas *dixere, &* collucentes. *Vide Epist.* XC.

101. IGNOTIS.] *Seribus.*

102. QVAM IN PVBLICO.] *Gemina sententiâ Controuersiâ* VII. *libri* II. Vt adultera tenui veste perspicua sit, & nihil in corpore vxoris suæ plus maritus, quàm quilibet alienus agnouerit.

CAP. X. 103. VTRIVSQVE.] *Auri & argenti.*

104. DEFODIT.] *Plinij querela grauis & adsimilis, proœmio libri* XXXIII. *Item noster Epistolâ* XCIV. Aurum & argentum & propter ista numquam pacem agens ferrum, quasi malè nobis committerentur, natura abscondit.

105. AVT PRETIVM.] *Nam ob aurum cædes.*
——nec bella fuerunt
Faginus adstabat cùm scyphus ante dapes.

106. DIPLOMATA.] *Principalium donationum aut beneficiorum.*

107. SYNGRAPHAS.] *Priuatorum nominum.*

108. CAVTIONES.] *Scripturas obligationésque sub chirographo.*

109. SIMVLACRA.] *Quid enim iis, præter apices litterarum, habes? reipsâ, dico, habes; plus tamen vi & potestate.*

110. KALENDARIVM.] *Liber fœnebris, in quo vsuræ descriptæ per kalendas. Vide Epist.* LXXXVII.

111. EXTRA NATVRAM.] *Non enim ipsa produxit: auaritia & habendi studium inuênit.*

112. TABVLÆ.] *Contractuum.*

113. VÆNALE.] *Quia gratuita pecunia non datur, sed ob tempus & moram pretium, id est Vsura. Itaque pro tempore soluitur, & ipsa illa mora emitur.*

114. SANGVINOLENTÆ.] *Quæ sanguinem & vitam miserorum secum trahunt. cruentæ vsuræ.*

115. CENTESIMÆ.] *Vsuræ inter durissimas, & quæ centesimo mense (vnde nomen) sortem æquant. Ita enim olim per Kalendas siue menses numerabant. At nobis sint duodeni annui nummi, è centum. Vide Epist.* CXVIII.

116. LIBER.] *Codex, aut Kalendarium.*

117. VINCTOS.] *Per compeditos, & ergastularios: vt tunc mos habebat. de quo ego ex professo* II. *Elector. cap.* XV.

118. PECORVM.] *Ad istos, qui Pecuariam exercebant.*

119. FAMILIA.] *Obsecro, nota ad Romanorum opes, & numerum seruorum. Collegi & firmaui in Admirandis, sed hunc locum nimis vellem adiectum. Numerus autem seruorum, inquit, superat totas gentes quasdam militares. Nónne igitur plura millia? Sed fallor, aut ad Spartanos alludum: qui haud ita numerosi.*

120. LAXITATEM VRB.] *Notabile & istud: adde alterum Senecæ locum Epist.* XC. *vbi disertè item,* Domus instar vrbium.

121. DIVITIIS MEIS.] *A Naturâ & Sapientiâ datis.*

122. OMNIVM.] *Quisque suum possideat, teneat: ego animo omnia vsurpem, cogitatione lustrem, opinione fruar & possideam.*

CAP.

A ſar illi [123] ducenta donaret, ridens reiecit, ne dignam quidem ſummam iudicans, quâ non acceptâ gloriaretur. Dij deæque, quàm pauxillo illum animum aut honorare voluit, aut [124] corrumpere! Reddendum egregio viro teſtimonium eſt. [125] Ingentem rem ab illo dici audiui, cùm miraretur dementiam eius, quòd ſe putaſſet tanti poſſe mutari. *Si* [126] *tentare*, inquit, *me conſtituerat, toto illi fui experiendus* [127] *imperio.* Sapienti XII. ergo donari aliquid poteſt, etiam ſi ſapientis omnia ſunt: æquè nihil prohibet, cùm omnia amicis dicamus eſſe communia, aliquid amico donari. Non enim mihi ſic cum amico communia omnia ſunt, quomodo cum ſocio, vt pars mea ſit, pars illius: ſed quomodo patri matrique communes liberi ſunt: quibus cùm duo ſunt, non ſinguli ſingulos habent, ſed ſinguli binos. Primum omnium iam efficiam, vt quiſquis eſt iſte, qui me in ſocietatem vocat, ſciat ſe nihil mecum habere commune. Quare? quia hoc conſortium ſolum [128] inter ſapientes eſt, inter quos amicitia eſt. ceteri non magis amici ſunt, quàm ſocij. Deinde pluribus modis communia ſunt. [129] Equeſtria omnium equitum
B Romanorum ſunt, in illis tamen locus meus fit proprius, quem occupaui. hoc ſi cui [130] ceſſi, quamuis illi communi re ceſſerim, tamen aliquid dediſſe videor. Quędam quorumdam ſub certâ conditione ſunt. habeo in equeſtribus locum, non vt vendam, non vt locem, non vt habitem: in hoc tantùm, vt ſpectem. Propterea non mentiar, ſi dicam me habere in equeſtribus locum: ſed cùm in theatrum veni, ſi plena ſunt equeſtria, & iure habeo locum illîc, quia ſedere eſt mihi liberum: & non habeo, quia ab his, cum quibus ius mihi loci commune eſt, occupatus eſt. Idem inter amicos puta fieri. Quidquid habet amicus, commune eſt nobis: ſed illius proprium eſt, qui tenet. vti, illo nolente, non poſſum. Derides me, inquis. Si quod amici eſt, meum eſt, liceat mihi vendere. Non licet. nam nec equeſtria: & tamen communia tibi cum ceteris equitibus ſunt. Non eſt argumentum, ideò aliquid tuum non eſſe, quia vendere non potes, quia conſumere, quia mutare in deterius aut melius non potes. Tuum enim eſt, etiam quod ſub lege certâ tuum eſt. [131] Accepi, ſed certè non minùs habes. [132] Ne te traham longiùs, XIII.
C Beneficium maius eſſe non poteſt: ea per quæ beneficium datur, poſſunt eſſe maiora, & plura, [133] in quæ ſe beneuolentia effundat, & ſic ſibi indulgeat, quemadmodũ amantes ſolent: quorum plura oſcula, & complexus arctiores, non augent amorem, ſed exercent. Hæc quoque, quæ venit quæſtio, [134] profligata eſt [135] in prioribus: itaque breuiter perſtringetur. Poſſunt enim in hanc, quæ data ſunt aliis, argumenta transferri. Quæritur, an qui omnia fecit, vt beneficium redderet, reddiderit. Vt ſcias, inquit, illum non reddidiſſe, omnia fecit, vt redderet. Apparet ergo, non eſſe id factum, cuius faciendi occaſionem non habuit. Vt creditori ſuo pecuniam non ſoluit is, qui vt ſolueret, vbique quæ-

CAP. XI. 123. DVCENTA.] Quinque millia *Philippicorum.*

124. CORRVMPERE.] *Ad opum & pecuniæ amorem poſſeſſionemq́ traducere: à ſapientiâ auertere.*

125. INGENTEM REM.] *Ineptè, ſiquid iudico.*
D *Facio & aſſero*, Ingenti ore.

126. TENTARE.] *Periculum roboris & conſtantiæ meæ facere.*

127. IMPERIO.] *Quaſi dicat, nec dato quidem illo, ſe ceſſurum illis decretis & vitâ.*

CAP. XII. 128. INTER SAP.] *Soli ſapientes inter ſe amici, Stoico dogmate: reliqui hoſtes, etiamſi parentes, liberi, agnati ſint. Diogenes in Zenone:* πολίτας, καὶ φίλους, καὶ οἰκείους, καὶ ἐλευθέρους, τοὺς σοφοὺς μόνον. *Nos in Manud.* III. *Diſſ.* XVI.

129. EQVESTRIA.] *Gradus quattuordecim, in quibus ij ſpectant & ſedent.*

130. CESSI.] *Cùm iam in ſpectaculo aſſediſſem. Ciceronis* III. *de Finibus huc faciunt:* Quemadmodum theatrum cùm commune ſit, rectè tamen dici poteſt eius eſſe locum, quem quiſque occuparit: ſic in vrbe mundóve commune non aduerſatur ius, quo minùs ſuum quidque cuiuſque ſit.

131. ACCEPI.] *Aut nulla, aut manca hîc ſententia. quam egregiè ſupplet meus codex:* Accipi poteſt, ſed certè. *Accipi aut occupari locus ille communis poteſt, ſed nihilominus tuus manet: & aliàs ipſe iterùm occupabis.*

CAP. XIII. 132. NE TE TRAH.] *Benè & penſiculatè Muretus monuit, defectum hîc eſſe. Alia enim diſputatio, & An beneficia beneficiis ſint maiora? Negat eſſe, ex Stoïcorum decreto, Omnia rectè facta & κατορθώματα paria cenſentium.*

133. IN QVÆ SE.] *Scripti quidam,* in quæ ſunt qui beniuol. *Meus,* inique ſunt qui ben. *Puto fuiſſe,* in quæ ſe vndique beniuolentia.

134. PROFLIGATA.] *Affecta iam, & pænè confecta.*

135. IN PRIOR.] *Libro* II. *cap.* XXXI. *& deinceps.*

quæsiuit, nec inuenit. Quædam eius conditionis sunt, vt effectum præstare debeant: A quibusdam pro effectu est, omnia attentasse, vt efficerent. Si omnia fecit vt sanaret, peregit medicus partes suas. etiam damnato reo, oratori constat eloquentiæ officium, si omni [136] arte vsus est. Laus [137] imperatori etiam victo, & duci redditur, si & prudentia, & industria, & fortitudo muneribus suis functa est. Omnia fecit, vt beneficium redderet: obstitit illi felicitas tua. Nihil incidit durius, quod veram amicitiam experiretur. Locupleti donare non potuit, sano assidere, felici succurrere: gratiam retulit, etiam si tu beneficium non recepisti. Præterea, huic intentus semper, & huius rei tempus operiens, qui in hoc multum curæ, multum sedulitatis impendit, plus laborauit, quàm cui citò

XIV. referre gratiam contigit. Debitoris exemplum dissimile est: cui parum est pecuniam quæsisse, nisi soluit. Illîc enim stat acerbus super caput creditor, qui nullum diem [138] gratis occidere patiatur: hîc benignissimus, qui cùm te viderit concursantem & sollicitum atque anxium, dicat: *Mitte hanc de pectore curam.* Desine tibi molestus [139] instare. omnia à te habeo. Iniuriam mihi facis, si me quidquam amplius desiderare B iudicas. Plenissimè ad me peruenit animus tuus. Dic, inquit, mihi. reddidisse beneficium diceres illum, si gratiam retulisset. Eodem ergo loco est, qui reddidit, & qui non reddidit. Contrà, nunc illud pone, si oblitus esset accepti beneficij, si ne tentasset quidem gratus esse, negares illum gratiam retulisse? At hic diebus noctibusque se lassauit, & omnibus aliis renunciauit officiis, huic vni imminens, & [140] operatus, nequa se fugeret occasio. Eodem ergo loco erunt, ille qui curam referendæ gratiæ abiecit, & hic qui numquam ab illâ recessit? iniquus es, si rem à me exigis, cùm videas animum non defuisse. Ad summam, puta, cùm captus esses, me pecuniam mutuatum, rebus meis in securitatem creditoris [141] oppositis, nauigasse hieme iam sequâ, per infesta latrociniis littora, emensum quidquid periculi afferre potest etiam pacatum mare: peragratis omnibus solitudinibus, cùm quos nemo non fugiebat ego quærerem, tandem ad piratas perueni: & iam te alius redemerat. negabis me gratiam retulisse? etiamsi in illâ nauigatione pecuniam, quam saluti tuæ contraxeram, naufragus perdidi, etiam in vincula quæ detrahere C tibi volui, ipse incidi: negabis me retulisse gratiam? At mehercle Athenienses, Harmodium & Aristogitonem, [142] tyrannicidas vocant: & Mucij manus in hostili arâ relicta, instar occisi Porsenæ fuit: & semper contra fortunam luctata virtus, etiam citra effectum propositi operis, enituit. Plus præstitit, qui fugientes occasiones secutus est, & alia atque alia captauit, per quæ referre gratiam posset, quàm is quem, sine vllo sudore, gra-

XV. tum prima fecit occasio. Duas, inquit, res ille tibi præstitit, voluntatem, & rem: tu quoque illi duas debes. Meritò istud diceres ei, qui tibi reddidit voluntatem otiosam: [143] huic verò, qui & vult, & conatur, & nihil intentatum relinquit, [144] non potes dicere. vtrumque enim præstat, quantum in se est. Deinde, non semper numero

nume-

136. ARTE.] *At in meo & aliis pleriſque ſcriptis*, ſi omni iure: *nec damnem. Si omnia attulit, quæ ad ius cauſſæ.*

137. IMPERATORI.] *Fortaſſe*, imperatoria etiam victo duci. *vt tautologiam fugiamus.*

CAP. XIV. 138. GRATIS.] *Sine vſurâ.*

139. INSTARE.] *Teipſum vrgere & premere.*

140. OPERATVS.] *Malè & contra libros ſubſtituerant*, opperiens. *Operari alicui rei, eſt operam ei dare, & intendere. Lucretius:*

Et quibus in rebus conſuerunt eſſe operati.

Noſter De Breuit. vit. cap. XII. Diſcendis canticis operati.

141. OPPOSITIS.] *Propriè. in pignore & hypothecâ ſic loquuntur. Catullus:*

Furi, villula noſtra non ad Auſtri
Flatus oppoſita eſt, nec ad Fauoni,
Verùm ad millia quindecim & ducentos.
O ventum horribilem, atque peſtilentem!

Terentius: Ager oppoſitus eſt pignori, ob decem minas.

142. TYRANNICIDAS.] *Etſi, vt Valerius ait,* D *dumtaxat* tyrannide liberare conati ſunt. *Thucydides rem exſequitur libro* VI. *& tyranni fratrem ab iis occiſum narrat, Hipparchum: ipſum tyrannum, Hippiam, triennio etiam pòſt imperaſſe. Fama tamen obtinuit, ipſum tyrannum cæſum: quod idem libro* I. *ſcribit, & paſſim Græci vulgant. At noſter hîc cum Thucydide ſentit.*

CAP. XV. 143. HVIC VERÒ.] *Libri ſcripti referunt*, Huic verò debes, qui. *at meus optimè*: huic non debes, & qui vult, & qui conatur. *Opponit alteram partem: Illi meritò diceres, qui ignauus; huic non debes, qui omnia facit.*

144. NON POTES DICERE.] *Gloſſematium eſt, & meus indicat, qui*, ſcilicet non potes dicere: *ea-ipsâ primore voce ſcholion notificans.*

CAP.

A numerus æquandus est: aliquando vna res pro duabus valet. Itaque in locum rei succedit tam propensa voluntas, & cupida reddendi. Quòd si animus sine re, ad referendam gratiam non valet: nemo aduersus deos gratus est, in quos voluntas sola confertur. Diis, inquit, nihil aliud præstare possumus. Sed si huic quoque, cui referre gratiam debeo, nihil aliud præstare possum: quid est, quare non eo aduersus hominem gratus sim, quo nihil amplius in deos confero? Si tamen quid sentiam quæris, & vis [145] signare XVI.
responsum: hic beneficium recepisse se iudicet: ille se sciat non reddidisse. Hic illum dimittat: ille se teneat. hic dicat, Habeo: ille respondeat, Debeo. In omni quæstione propositum sit nobis bonum publicum. præcludendæ sunt excusationes ingratis, ad quas refugere possint, & sub quibus infitiationem suam tegere. Omnia feci? fac etiam nunc. Quid tu tam imprudentes iudicas maiores nostros fuisse, vt non intelligerent iniquissimum esse, eodem loco haberi eum qui pecuniam, quam à creditore acceperat, libidine aut aleâ absumpsit, & eum qui incendio, aut latrocinio, aut aliquo casu tristiore,
B aliena cum suis perdidit? nullam excusationem receperunt, vt homines scirent fidem vtique præstandam. Satius enim erat à paucis etiam iustam excusationem non accipi, quàm ab omnibus aliquam tentari. Omnia fecisti vt redderes. Hoc illi satis sit: tibi parum. Nam quemadmodum ille, si enixam & sedulam operam transire [146] pro irritâ patitur, cui gratia referatur indignus est: ita tu ingratus es, nisi ei qui voluntatem bonam in solutum accepit, eò libentiùs debes, quia dimitteris. Non rapias hoc, nec [147] testeris: occasiones reddendi nihilominus quæras. Redde illi, quia repetit; huic, quia remittit: illi, quia malus; huic, quia non malus. Ideoque non est, quòd ad te hanc quæstionem iudices pertinere: an quod Beneficium quis à sapiente acceperit, reddere debeat, si ille desinit esse sapiens, & in malùm versus est. Redderes enim & depositum, quod à sapiente accepisses: & etiam malo, redderes creditum: quid est, cur non & beneficium? Quia mutatus est ille, te mutat? Quid? si quid à sano accepisses, ægro non redderes: cùm plus semper imbecillo amico debeamus? & hic æger est animo: adiuuetur, feratur. stultitia,
C morbus est animi. Distinguendum hoc, quo magis intelligatur, existimo.

Duo sunt beneficia. vnum, quod dare nisi sapiens sapienti non potest: hoc est absolutum & verum beneficium. alterum, vulgare, plebeium, cuius inter nos [148] imperitos commercium est. De hoc non est dubium, quin illi qualiscumque est debeam reddere, siue homicida, siue fur, siue adulter euasit. Habent scelera leges suas. meliùs istos iudex, quàm ingratus, emendat. nemo te malum, quia est, faciat. Malo beneficium proiiciam, bono reddam. huic, quia debeo; illi, ne debeam. De altero beneficij genere du- XVIII.
bitatur, quod si accipere non potui nisi sapiens, ne reddere quidem nisi sapienti possum. Puta enim me reddere. ille non potest recipere: non est iam huius rei capax. scientiam vtendi perdidit. Quid si me remittere manco pilam iubeas? stultum est dare alicui, quod accipere non possit. Vt respondere [149] ab vltimo incipiam: Non dabo illi, quod accipere non poterit: reddam, etiam si accipere non poterit. Obligare enim non possum, nisi accipientem: liberari tantùm, si reddo, possum. Ille vti illo non poterit? vi-
D derit. penes illum erit culpa, non penes me. Reddere est, inquit, accepturo tra- XIX.
didisse. Quid enim si cui vinum debeas, & hoc ille infundere reticulo iubeat, aut cribro: reddidisse te dices, aut reddere voles, quod dum redditur, inter duos perit? Reddere, est id quod debeas, ei cuius est, volenti dare. hoc vnum mihi præstandum est. Vt quidem habeat, quod à me accepit, iam vlterioris est curæ. Non [150] tutelam illi, sed fidem debeo: multoque satius est, illum non habere, quàm me non reddere. Et creditori statim in

CAP. XVI. 145. SIGNARE.] *Pro more Iurisprudentium, qui tunc obtinuit. Antiquitus consulebantur tantùm, nec responsa signabant: apud Pomponium, De origine iuris. Posteà (sub Augusto, aut circà) obtinuit, vt auctoritatis fideiq; caussâ subscriberent.*

146. PRO IRRITA.] *Pro nullâ, aut frustratoriâ. nihil ei adscribit aut tribuit.*

147. TESTERIS.] *In animo, aut apud alios. Ecce, liberatus sum: ille me dimittit.*

CAP. XVII. 148. IMPERITOS.] *Ita molliùs appellant, non sapientes: aliàs, suâ linguâ* Stultos.

CAP. XVIII. 149. AB VLTIMO.] *Obiectionis verbis istis,* Accipere non possit.

CAP. XIX. 150. TVTELAM.] *Ne res pereat iam reddita.*

tim in [151] macellum laturo, quod accepit, reddam. etiam si mihi adulteram cui numerem, delegauerit, soluam: & si nummos quos accipiet, in sinum suum discinctus fundet, dabo. Reddendum enim mihi est: non seruandum, cùm reddidero, aut tuendum. Beneficij accepti, non redditi custodiam debeo. Dum apud me est, saluum sit. ceterùm licet accipientis manibus effluat, dandum est reposcenti. Reddam bono, cùm expediet; malo, cùm petet. Tale, inquit, beneficium, quale accepisti, non illi potes reddere. Accepisti enim à sapiente: stulto reddis. [152] Imò reddo illi, quale nunc potest accipere: nec per me fit deterius, sed per illum. id quod accepi, reddam. Cui si ad sapientiam redierit, reddam quale accepi: dum in malis est, reddam quale ab illo potest accipi. Quid, inquit, si non tantùm malus factus est, sed ferus, sed immanis, qualis [153] Apollodorus, aut Phalaris: & huic beneficium, quod acceperas, reddes? Mutationem sapientis tantam natura non patitur. nam in pessima ab optimis lapsus, necesse est etiam in malo vestigia boni teneat. Numquam in tantum virtus exstinguitur, vt non certiores [154] animo notas imprimat, quàm vt illas eradat vlla mutatio. Feræ inter nos educatæ, cùm in siluas eruperunt, aliquid mansuetudinis pristinæ retinent: tantumque à placidissimis absunt, quantum à veris feris & numquam humanam manum passis. Nemo in summam nequitiam incidit, qui vmquam hæsit sapientiæ. altiùs infectus est, quàm vt ex toto elui, & transire in colorem alium possit. Deinde interrogo, vtrùm iste ferus sit animo tantùm, an & in perniciem publicam excurrat? Proposuisti enim mihi Apollodorum & Phalarin tyrannum, quorum si naturam habet intra se malus, quidni ego isti beneficium suum reddam, ne quid mihi cum eo sit iuris amplius? Si verò sanguine humano non tantùm gaudet & pascitur, sed & suppliciis omnium ætatum crudelitatem insatiabilem exercet, nec irâ, sed auiditate quadam sæuiendi furit, si [155] in ore parentum filios iugulat; si non contentus simplici morte, [156] distorquet, nec vrit solùm perituros, sed [157] excoquit, [158] si ara eius cruore semper recenti madet: [159] parùm est huic beneficium non reddere. Quidquid erat, quo mihi cohæreret, [160] interciſa iuris humani societas abscidit. Si præstitisset quidem mihi aliquid, sed arma patriæ meæ inferret: quidquid meruerat, perdidisset, & referre illi gratiam scelus haberetur. si non patriam meam impugnat, sed suæ grauis est, & sepositus à meâ gente, suam exagitat: abscidit nihilominus illum tanta prauitas animi. etiam si non inimicum, inuisum mihi efficit: priorque mihi ac potior eius

XX. officij ratio est, quod humano generi, quàm quod vni homini debeo. Sed quamuis hoc ita sit, & ex eo tempore omnia mihi in illum sint libera, ex quo, corrumpendo fas omne, vt nihil in eum nefas esset, effecerit: illum mihi seruandum modum credam, vt si beneficium illi meum neque vires maiores daturum est in exitium commune, nec confirmaturum quas habet, id autem erit, quod illi reddi sine pernicie publicâ possit, reddam. Seruabo filium eius infantem. quid hoc beneficium obest cuiquam eorum, quos crudelitas eius lacerat? pecuniam quæ satellitem stipendio teneat, non subministrabo. Si marmora & vestes desiderabit, nihil oberit cuiquam id quo luxuria eius instruitur:

151. MACELLVM.] *Nepoti alicui, qui pecuniam apud macellarios, ganeæ suæ causâ, relinquet.*

152. IMO REDDO.] *Est à Mureto. libri scripti,* Non reddo: *ex quo Erasmus distinctione legebat:* Non. reddo illi. *Pincianus,* Nunc reddo. *In meo veritas:* Nam reddo.

153. APOLLODORVS.] *Nominat iterùm noster* II. *de Irâ, cap.* IV. *Vide.*

154. ANIMO.] *Inclusam feritatem habeat, nec factis adhuc ostendat. Est quod mox aliis verbis:* intra se malus.

155. IN ORE.] *Incoràm, spectantibus iis. Tacitus* III. *Hist.* Iulianus ad Vitellium perductus, in ore eius iugulatur.

156. DISTORQVET.] *Per tormenta necat.*

157. EXCOQVIT.] *Lento igne vstulat.*

158. SI ARA EIVS.] *Hoc ad Caligulam aliquem fortasse referri posset. sicut idem noster De Tranquill. cap.* XIV. Nec iam procul erat tumulus, in quo Cæsari deo nostro cottidianum fiebat sacrum. *Sed non placet. de communi, imò exterâ tyrannide, Seneca hîc agit. Scripti libri,* Si ars eius est cruor, & semper. *Optimè Gruterus,* Si arx eius cruore semper recenti. *sed interpretando diuertit ad rupem Tarpeiam: non sequor. Imò tyrannorum propriæ arces, & in iis intellego patratas cædes.*

159. PARVM EST.] *Quasi dicat, imò maleficium dandum est.*

160. INTERCISA.] *Exuit enim hominem ipse, & à cœtu nostro se remouit.*

CAP.

A tur: militem & arma non ſuggeram. Si pro magno petet munere [161] artifices ſcænæ, & ſcorta, & quæ feritatem eius [162] emolliant, libens offeram. Cui triremes & [163] ceraſtas non mitterem, [164] luſorias & [165] cubiculatas, & alia ludibria regum in mari laſciuientium mittã. Et ſi ex toto eius ſanitas deſperata fuerit, [166] eâdem manu beneficium omnibus dabo, illi reddam: quando ingeniis talibus vitæ exitus remedium eſt: optimumque eſt obire ei, qui ad ſe numquam rediturus eſt. Sed hæc rara nequitia eſt, & ſemper portenti loco habita, ſicut hiatus terræ, & de cauernis maris [167] ignium eruptio. Itaque ab illâ recedamus: de his loquamur, quæ deteſtamur ſine horrore. Huic homini malo, quem inuenire in quolibet foro poſſum, quem [168] ſinguli timent, reddam beneficium, quod accepi. Non oportet mihi nequitiam eius prodeſſe, quod [169] in me non eſt, redeat domum bonus an malus. [170] Quàm diligenter iſtud excuterem, ſi non redderem, ſed darem? Hic locus fabulam poſcit. Pythagoricus quidam emerat à ſutore [171] phæcaſia, [172] rem magnam, non præſentibus nummis. Poſt aliquot dies venit ad B tabernam, redditurus: & cùm clauſam diu pulſaret, fuit qui diceret: *Quid perdis operam tuam? ſutor ille quem quæris, elatus, combuſtus eſt. Quod nobis fortaſſe moleſtum eſt, qui in æternum noſtros amittimus:* [173] *tibi minimè, qui ſcis futurum, vt* [174] *renaſcatur.* iocatus in Pythagoricum. At philoſophus noſter, treis aut quatuor denarios (non inuitâ manu) domum retulit, ſubinde concutiens. Deinde cùm reprehendiſſet hanc ſuam non reddendi tacitam voluptatem, intelligens arriſiſſe ſibi illud lucellum, redit ad eandem tabernam, & ait:

XXI.

CAP. XX. 161. ARTIFICES.] *Hiſtriones, mimos. Ita enim vocabant id genus, Græcorum exemplo, qui τεχνίτας Διονύσε, & ſimpliciter τεχνίτας. Suetonius Iulij, cap.* LXXXIV. Tibicines, & ſcænici artifices. *Ammianus* XXVIII. Scænarij artifices: *& plura exempla. Vnum in Suetonij Veſpaſiano corrigendum, cap.* XVII. Præſtantes poëtas, necnon C & artifices coëmit: item coloſſi refectorem inſigni congiario magnaque mecede donauit. *Quid eſt* coëmere, *in hunc ſenſum? Scio quid magni Critici ab vlteriore antiquitate de* Emptiuo milite, *id eſt mercenario petant: ſed meo animo non ſatisdant. Quin lego:* artifices ſcænæ, item coloſſi: *& ſequentia adfirmabunt.*

162. EMOLLIANT.] *Laſciuire enim præſtat, quàm ſæuire: & huc ſe tyranni potiùs vertant.*

163. CERASTAS.] *Mureti eſt: qui addit, nauibus impoſita nomina ab animalibus,* Priſtes, Tigres, Centauros, Cercuros: *atque ita* Ceraſtas. *Quæ vera, ſed in ſingulis nauibus: non in genere aut ſpecie aliquâ, de quâ hîc ſentit. Verius* æratas *legi: quod iamolim monuit Io. Brodæus. Nam æratæ naues, roſtratæ ſiue bellicæ: quas negat tyranno robur & ſubſi-* D *dium mittendas.* Ceratas *ſi quis retinet, quia cerâ illini naues etiam ſolent: nihil pro re dicit.*

164. LVSORIAS.] *Aptas ad luſus & vagationes in mari quieto. Epiſtola* IV. Vbi luſerunt nauigia, ſorbentur. *Aetas ſequens* Luſorias *etiam pro bellicis & excubitoriis nauibus dixit: ſed tamen minoribus, & quibus diſcurrere & explorare conatus hoſtiles ſolent.*

165. CVBICVLATAS.] *Grandes, ad regum diuerſoria membris ſuis inſtructas, inſtar alicuius domus.* Thalamegos *Græcâ voce: & deſcriptas aliquot prodigioſas in Athenæo habes.*

166. EADEM MANV.] *Id eſt, interficiam eum vel hac manu: & hoc ipſum erit reddere ei beneficium, vniuerſis autem dare. Quomodo? quia tolli eum è vitâ, quâ tam malè vtitur, eius intereſt: item plurium, quibus iniurias, ſtupra, cædes infert.*

167. IGNIVM ERVP.] *E mari & aquis. Vide De Prouid. cap.* I.

168. SINGVLI.] *Non vniuerſi. qui publicè noxius non eſt.*

169. IN ME NON EST.] *Omnino pro Senecæ mente ſit legi, vt in meo & quibuſdam,* prodeſſe quod meum non eſt, redeat ad dominum, bonus ſit an malus. *Ego, inquit, debeo. quid refert bono, an malo? debeo: & quod igitur alienum eſt, ad illum redeat qualemcumque.*

170. QVAM DILIGENTER.] *Veteres,* Quid, *lego,* Quin.

CAP. XXII. 171. PHÆCASIA.] *Genus calceamenti Græcanici. Epiſt* XX. Puto quædam eſſe, quæ decent Phæcaſiatum palliatumque. *Iuuenalis:*

Phæcaſianorum vetera ornamenta deorum.

vbi Phæcaſiatorum *vellem: niſi Pythœana editio aliò daceret, quæ* Hæc Aſianorum: *& ad Aſiæ populos ac templa adſtringit. Appianus, Plutarchus, Heſychius etiam nominant.*

172. REM MAGNAM.] *Cenſui olim gloſſema eſſe, ad ignotam vocem. An magis placet vrbanè & loco hoc inſertum? rem ſcilicet magnam. In Colonienſi editione, ſæpè bonâ,* rem non magnam: *ex quo aliquis,* re non magnâ. *Ideò, inquit, non præſenti pecuniâ, quia res ei non magna, nec in bulgâ ſemper nummi.*

173. TIBI MINIME.] *Hoc inter morologa, vt ſic appellem, Senecæ fuerit. qui inſerit à ſuo ſenſu, quæ non potuêre in alienum ita cadere. Quomodo ille neſcio quis, ſciuit ſubitò hunc Pythagoricum eſſe? Et ſciuerit; iocus certè non ſubitus, ſed arceſſitus.*

174. RENASCATVR.] *Ex illâ decantatâ Pythagoræ παλιγγενεσία: quâ animas migrare in corpora cenſuit, & ſic iterùm iterumq; naſci.*

& ait: *Ille tibi viuit. tu redde, quod debes.* Deinde per cloſtrum, quâ ſe commiſſura laxa- A
uerat, quatuor denarios in tabernam inſeruit, ac miſit, [175] pœnas à ſe exigens improbæ
XXII. cupiditatis, ne alieno aſſueſceret. Quod debes, quære cui reddas: & ſi nemo
poſcet, ipſe te appella. Malus an bonus ſit, ad te non pertinet. Redde & [176] accuſa, non
oblitus, quemadmodum inter vos officia diuiſa ſunt. illi obliuio imperata eſt, tibi me-
miniſſe mandauimus. Errat tamen, ſi quis exiſtimat, cùm dicimus eum qui beneficium
dedit, obliuiſci oportere, excutere nos illi memoriam rei præſertim honeſtiſſimæ. quæ-
dam præcipimus [177] vltra modum, vt ad verum & ſuum redeant. Cùm dicimus, Me-
miniſſe non debet: hoc volumus intelligi, prædicare non debet, nec iactare, nec grauis
eſſe. Quidam enim beneficium quod dederunt, omnibus [178] circulis narrant. hoc ſo-
brij loquuntur, hoc ebrij non continent: hoc ignotis ingerunt, hoc amicis committunt.
Vt hæc nimia & exprobratrix memoria ſubſideret, obliuiſci eum qui dedit, iuſſimus, &
XXIII. plus imperando quàm præſtari poterat, ſilentium ſuaſimus. Quoties parùm fi- B
duciæ eſt in his quibus imperas, amplius eſt exigendum quàm ſatis eſt, vt præſtetur
quantum ſatis eſt. In hoc omnis hyperbole extenditur, vt ad verum mendacio veniat.
Itaque qui dixit,

Qui candore niues anteirent, curſibus auras:

quod non poterat fieri, dixit: vt crederetur quantum plurimum poſſet. Et qui dixit,

His immobilior ſcopulis, violentior amne:

ne hoc quidem ſe perſuaſurum putauit, aliquem tam immobilem eſſe, quàm ſcopu-
lum. Numquam tantum ſperat hyperbola, quantum audet: ſed incredibilia affirmat,
vt ad credibilia perueniat. Cùm dicimus, Qui beneficium dedit, obliuiſcatur: hoc di-
cimus, ſimilis ſit oblito: memoria eius non appareat, nec [179] incurrat. Cùm dicimus,
beneficium repeti non oportere, non ex toto repetitionem tollimus: ſæpè enim opus eſt
malis exactore, etiam bonis admonitore. Quid ergo? occaſionem ignoranti non oſten-
dam? neceſſitates illi meas non detegam, quare neſciſſe ſe aut mentiatur, aut [180] doleat?
Interueniat aliquando admonitio, ſed verecunda, quæ non poſcat, nec in ius vocet. C

XXIV. Socrates amicis audientibus: *Emiſſem*, inquit, *pallium, ſi nummos haberem.* Neminem
popoſcit, omnes admonuit. à quo acciperet, [181] ambitus fuit. Quid ni eſſet? Quantu-
lum enim erat, quod Socrates accipiebat? at multum erat, commeruiſſe, à quo Socrates
acciperet. Non illos caſtigare molliùs potuit, Emiſſem, inquit, pallium, ſi nummos ha-
berem. Poſt hæc quiſquis properauerit, ſerò dat. iam Socrati defuit. Propter acerbos
XXV. exactores, repetere prohibemus: non vt numquam fiat, ſed vt parcè. Ariſtippus
aliquando delectatus vnguento: [182] *Malè*, inquit, *iſtis* [183] *effæminatis eueniat, qui rem tam
bellam infamauerunt.* Idem dicendum eſt: Malè iſtis improbis & importunis beneficio-
rum ſuorum [184] quadruplatoribus eueniat, qui tam bellam admonitionem inter amicos
ſuſtu-

175. POENAS A SE.] *Quare pœnas, aut quas? nempe denario vno plus ſoluit, cùm anteà fortaſſe tres daturus eſſet. Itaque velut pro morâ aut dubitatione ſuâ hoc dependit.*

CAP. XXII. 176. ACCVSA.] *Quem? illum, quia malus eſt? vt ſimul & reddas, & ponas admonitione beneficium? An ipſum te? quòd tam diu diſtuleris, nec citiùs reddideris?*

177. VLTRA MODVM.] *Vt ligna curuamus, ſed correcturi.*

178. CIRCVLIS.] *Conuentibus hominum, ſtationibus: quæ ferè circulares ſunt.*

CAP. XXIII. 179. INCVRRAT.] *Vbique ſe ingerat.*

180. DOLEAT.] *Si verè neſciuit.*

CAP. XXIV. 181. AMBITVS.] *Ambitio, deſiderium, pugna.*

CAP. XXV. 182. MALE, INQVIT.] *Hæc dictio eius plenior in Diogene.* Πρὸς Χαρώνδαν εἰ- D
πόντα, Τίς ὁ μεμυελασμένος; Ἐγώ, φησὶν, ὁ κακοδαίμων, κἀμοῦ κακοδαιμονέστερος ὁ Περσῶν βασιλεύς. Ἀλλ' ὅρα μὴ ὡς ἐδὲν τῶν ἄλλων ζώων ὧδε τοῦτο τὸ ἐλαττοῦται, οὕτως οὐδ' ἂν ἄνθρωπος. κακῶς κακοὶ δ' ἀπόλοιντο οἱ κίναιδοι, οἵτινες καλὸν ἡμῶν ἄλειμμα διαβάλλουσιν: Ad Charondam dicentem, Quis hîc vnguentatus? Ego, inquit, miſer, & me miſerior Perſarum rex. Sed vide, ne vt ceteræ animantes propterea nihilo deteriores fiunt, non item homo. Malè autem mali cinædi pereant, qui bellum nobis vnguentum infamarunt.

183. EFFÆMINATIS.] *Cinædis, in Græco. & obliquè perſtrinxit Charondam, opinor, qui rogabat.*

184. QVADRVPLATORIBVS.] *Quadruplatores, accuſatores ſunt lucri cauſſâ, & ſectantes quartam ex lege. Quia ij intenti in prædam, & accuſabant*

A sustulerunt. Ego tamen vtar hoc iure amicitiæ, & beneficium ab eo repetam, [185] à quo petissem: qui alterius beneficij loco accepturus est, potuisse reddere. Numquam, ne querens quidem, dicam:

——— *Eiectum littore egentem*
Excepi, & regni demens in parte locaui.

Non est ista admonitio, non: conuicium est. Hoc est in odium beneficia perducere: hoc & efficere, vt ingratum esse, aut [186] liceat, [187] aut iuuet. Satis, abundeque est, submissis & familiaribus verbis, memoriam reuocare:

Si benè quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum. ———

Ille inuicem dicat: Quid ni meruerís? eiectum littore egentem excepisti. Sed ni- XXVI.
hil, inquit, profecimus: dissimulat, oblitus est. quid facere debeam? Quæris rem maximè necessariam, & in quâ hanc materiam consummari decet, quemadmodum ingrati
B ferendi sint? Placido animo, mansueto, magno. Numquam te tam inhumanus, & immemor, & ingratus, offendat, vt non tamen dedisse delectet. Numquam in has voces iniuria impellat: Vellem non feciſſe. Beneficij tui etiam [188] infelicitas placeat. Semper illum [189] pœnitebit, si te ne nunc quidem pœnitet. Non est, quòd indigneris tamquam aliquid noui acciderit: magis mirari deberes, si non accidisset. Alium labor, alium impensa deterret: alium periculum, alium turpis verecundia, ne dum reddit, fateatur accepisse: alium ignorantia officij, alium pigritia, alium occupatio. Adspice, quemadmodum immensæ hominum cupiditates hient semper, & poscant: non miraberis ibi neminem reddere, vbi nemo satis accipit. Quis est istorum tam firmæ mentis ac solidæ, vt tutò apud eum beneficia deponas? Alius libidine insanit, alius abdomini seruit, alius lucri totus est, cuius summam [190] non vinces: alius inuidiâ laborat, alius cæcâ ambitione, & in gladios ruente. Adiice torporem mentis ac senium, & huic contrariam inquieti pectoris agitationem, tumultusque perpetuos. adiice æstimationem sui nimiam & tu-
C morem, [191] ob quæ contemnendus est, insolentem. Quid contumaciam in peruersa nitentium, quid leuitatem semper aliò transilientem loquar? Huc accedat temeritas præceps, & numquam fidele consilium [192] daturus timor, & mille errores, quibus voluimur: audacia timidissimorum, discordia familiarissimorum, & publicum malum, incertissimis fidere, fastidire possessa, optare [193] quæ consequi posse spes non fuit. Inter XXVII.
affectus inquietissimos, rem [194] quietissimam, fidem quæris? Si tibi vitæ nostræ vera imago succurret, videberis tibi videre [195] captæ cùm maximè ciuitatis faciem, in quâ, omisso,

bant simul & poscebant: vocat argutè beneficiorum quadruplatores, *qui importunè exigunt, & nisi affatim reponis, accusant.*

185. A QVO PETISSEM.] *A viro bono, & amico.*

186. LICEAT.] *Scripti omnes*, libeat. *Tamen illud melius. & diuisim dicit*, aut liceat: *nempe in*
D *exprobrantem, & beneficio suo manus, vt ipse loquitur alibi, afferentem.*

187. AVT IVVET.] *In animo delectet, talem fallere sic inhiantem.*

CAP. XXVI. 188. INFELICITAS.] *Mala & infelix locatio.*

189. PÆNITEBIT.] *Acutè. tua ista benignitas tam firma, in æternum ruborem & pudorem eum dabit.*

190. NON VINCES.] *Quis sensus? non vinces & explebis improbam eius cupidinem? verba non dicunt, aut infirmiter dicunt: imò ipsa infirma & manca sunt. Libri scripti, & meus:* cuius summam non vinces spectat. *Vera lectio*, non vices: *id est, alius totus in lucro est, cuius cumulum aut numerum, non abitionem & redditionem spectat. Vices facere non vult in beneficiis, sed capere tantùm. Quòd si vulgata tenetur (me auctore numquam:) tum oporteat tamen voce auctiùs scribere:* non vinces. peccat alius inuidiâ, laborat alius cæcâ. *Sed sperne.*

191. OB QVÆ CONT.] *In iisipsis insolescentem, & sè mirantem, ob quæ despicere magis ius erat & deæstimare. Nónne in vanis, imò & prauis, plerique se attollant?*

192. DATVRVS.] *Ea vox abest meo libro, & rectè. Argutius breuiusq; est*, Timor, consilium infidele, *siue Consultor infidelis: atque is sensus.*

193. QVÆ CONSEQVI.] *Alibi vitium tangit, fastidij & contemptus in rebus, quas anteà in magnis habuimus, & improbè pænè optabamus. Itaque nihil ego mutem. Quidam tamen libri:* optare quæ consequi, *voce insertâ. At mihi ea lectio friget.*

CAP. XXVII. 194. QVIETISSIMAM.] *Quæ reuera est à constantiâ, & leuitas ei aduersa.*

195. CAPTÆ.] *Pulchra imago. acerba, fateor, sed noster vitiis non palpatur, verum insultat.*

196. VIRES

omisso pudoris rectique respectu, [196] vires in consilio sunt, velut [197] signo ad permiscenda omnia dato. Non igni, non ferro abstinetur: soluta legibus scelera sunt: nec [198] religio quidem, quæ inter arma hostilia supplices texit, vllum impedimentum est ruentium in prædam. Hic ex priuato, hic ex publico, hic ex profano, hic sacro rapit: hic effringit, hic transilit, hic non contentus [199] angusto itinere, ipsa quibus arcetur, [200] euertit, & in lucrum ruinâ venit. Hic [201] sine cæde populatur, hic spolia [202] cruentâ manu gestat. nemo non fert aliquid ex altero. In hac auiditate generis humani, næ tu nimis fortunæ communis oblitus es, qui quæris inter rapientes [203] referentem. Si indignaris ingratos esse: indignare luxuriosos, indignare auaros, indignare impudicos, indignare ægros deformes, senes pallidos. Est istud graue vitium, est intolerabile, & quod dissociet homines, quod concordiam, quâ imbecillitas nostra fulcitur, scindat ac dissipet: A

XXVIII sed vsqueeò vulgare est, vt illud nec qui queritur quidem effugerit. Cogita tecum, an quibuscumque debuisti, gratiam retuleris, an nullum vmquam apud te perierit officium, an omnium te beneficiorum memoria comitetur. Videbis quæ puero data sunt, ante adolescentiam elapsa: quæ in iuuenem collata sunt, non perduraſſe in senectutem. Quædam [204] perdidimus, quædam [205] proiecimus, quædam è conspectu nostro paullatim [206] exierunt: à quibusdam oculos [207] auertimus. Vt excusem tibi imbecillitatem tuam, in primis fragilis est memoria, & rerum turbæ non sufficit. necesse est quantum recipit, emittat, & antiquissima recentissimis obruat. Sic factum est, vt minima apud te nutricis esset auctoritas: quia beneficium eius [208] longius ætas sequens posuit. sic factum est, vt præceptoris tibi non esset vlla veneratio: sic euênit, vt circa consularia occupato comitia, aut [209] sacerdotiorum candidato, quæsturæ [210] suffragator excideret. Fortasse vitium, de quo quereris, si te diligenter excusseris, in sinu inuenies. Iniquè publico irasceris crimini, [211] stultè tuo. vt absoluaris, [212] ignosce. Meliorem illum facies ferendo, vtique peiorem exprobrando. non est, quòd frontem eius indures: sine, si quid est pudoris residui, seruet. Sæpè [213] dubiam verecundiam, vox conuiciantis clarior, [214] rupit. nemo id esse, quod etiam videtur, timet. [215] deprehensus pudor amitti- B C

XXIX. tur. Perdidi beneficium. Numquid quæ [216] consecrauimus, perdidisse nos dicimus? Inter consecrata beneficium est, etiam si malè respondit, benè collocatum. Non est ille, qualem sperauimus. Simus nos quales fuimus, ei dissimiles. damnum tunc factum, D

196. VIRES.] *Quisque, quantum potest, tantum audet & facit.*

197. SIGNO.] *Vt in opido capto, tuba canere solet: & tum ad id signum miles discurrere.*

198. RELIGIO.] *Sacra apud hostes sæpè, & infulæ prælatæ, aut templa occupata, eos sedarunt vel arcuerunt: non ita in ciuili hac prædatione, vbi numen & iusiurandum calcatur.*

199. ANGVSTO ITINERE.] *Per foramen aut fenestram intrandi.*

200. EVERTIT.] *Muros & ædes subuertit.*

201. SINE CÆDE.] *Togati vulturij.*

202. CRVENTA.] *Venefici, sicarij, & id genus.*

203. REFERENTEM.] *Ita legendum. & iam à querelâ ad rem suam redit. Ecce, inquit, vti publica hæc rapina est, & omnes auidi quærere & prædari: quis tu es, qui gratos quæris, id est reportantes? Auferre omnes volunt, non referre.*

CAP. XXVIII. 204. PERDIDIMVS.] *Exciderunt nobis.*

205. PROIECIMVS.] *Vltrò aspernati, & obliti sumus.*

206. EXIERVNT.] *Tempore se subduxerunt.*

207. AVERTIMVS.] *Quasi à grauibus, & fastidientes ea videre.*

208. LONGIVS.] *Remouit à te. progressu ætatis seiunctior es ab eo factus.*

209. SACERDOTIORVM.] *Nec enim vnum vni tantùm; plura cumulabantur.*

210. SVFFRAGATOR.] *Adiutor, qui vocem suam & alienam commodauit, conciliauit.*

211. STVLTE.] *Quis enim se inclamat in publico, aut iurgat?*

212. IGNOSCE.] *Tu aliis, vt alij tibi. dando veniam, merêre.*

213. DVBIAM VER.] *Mediam inter pudere & depudere.*

214. RVPIT.] *Totam in impudentiam vertit. fræna ei laxauit.*

215. DEPREHENSVS.] *Enallage. id est, cùm ij qui pudent, deprehensi sunt. Clarius esset:* Deprehensis. *Iuuenalis in hanc rem:*

—— nihil est audacius illis
Deprensis. iram atque animos à crimine sumunt. *Atque in illo sexu maximè id elucet.*

CAP. XXIX. 216. CONSECRAVIMVS.] *In templo diis suspendimus.*

217. APPA-

Actum, nunc[217] apparuit. Ingratus non sine nostro[218] pudore protrahitur: quoniam quidem querela amissi beneficij, non benè dati signum est. Quantum possumus, caussam eius apud nos agamus: fortasse non potuit, fortasse ignorauit: fortasse facturus est. Quædam nomina bona, lentus ac sapiens creditor fecit, qui sustinuit, ac morâ fouit. Idem nobis faciendum:[219] nutriamus fidem languidam. Perdidi beneficium. XXX.
Stulte, non nosti detrimenti tui tempora. perdidisti, sed cùm dares: nunc palàm factum est. Etiam in his quæ videntur[220] in perdito, moderatio plurimum profuit. Vt corporum, ita animorum molliter vitia tractanda sunt. sæpè quod[221] explicauit mora, pertinaciâ trahentis abruptum est. Quid opus est maledictis? quid querelis? quid insectatione? quare illum liberas? quare dimittis? Si ingratus est, iam nihil debet. Quæ ratio est, exacerbare eum, in quem magna contuleris, vt ex amico dubio fiat non dubius inimicus, & patrocinium sibi nostrâ[222] infamiâ quærat. Nec desit qui dicat: Nescio quid est, quòd eum, cui tantum debuit, ferre non potuit. subest aliquid. Nemo non superio-
B ris dignitatem quærendo, etiam si non inquinauit,[223] aspersit: nec quisquam fingere contentus est leuia, cùm[224] magnitudine mendacij fidem quærat. Quanto illa XXXI.
melior via, quâ seruatur illi[225] species amicitiæ, & si reuerti ad sanitatem velit, etiam amicitia? Vincit malos pertinax bonitas: nec quisquam tam duri infestiqúe aduersus diligenda animi est, vt etiam[226] vi tractus bonos non amet: quibus hoc quoque cœpit debere, quod[227] impunè non soluit. Ad illa itaque cogitationes tuas flecte. Non est mihi relata gratia. quid faciam? quod dij omnium rerum optimi auctores: qui beneficia[228] ignorantibus dare incipiunt,[229] ingratis perseuerant. Alius illis obiicit[230] negligentiam nostri, alius[231] iniquitatem: alius illos[232] extra mundum suum proiicit, & ignauos, hebetesque[233] sine luce, sine vllo opere destituit. Alius solem cui debemus, quòd inter laborem quietemque tempus diuisimus, quòd non tenebris immersi confusionem æternæ noctis effugimus, quòd annum cursu suo temperat, & corpora alit, fata euocat, percoquit fructus,[234] saxum aliquod, aut
C [235] for-

217. APPARVIT.] *Ne nunc indignare. vetus iactura est, etsi iam emersit & se ostendit. Libri tamen scripti confusiùs:* Damnum nunc, tunc factum, apparuit. *Mente eâdem. quæ & mox exprimitur:* Stulte, non nosti detrimenti tui tempora. perdidisti, sed cùm dares.

218. PVDORE.] *Imò honore & clarore, si Plinio fides, in Panegyrico:* Nam liberalitatem iucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit. *Vtrumque verum. & celebratur bonitas, cui malitia imposuit: & tacitus tamen pudor est, in animo decepto.*

219. NVTRIAMVS.] *Benignitate. non exasperemus & abrumpamus ferociâ.*

CAP. XXX. 220. IN PERDITO.] *In caussâ*
D *perditi atque amissi.*

221. EXPLICAVIT.] *A re intricatâ aut illigatâ. quam patientia (in muliercularum filamentis videmus) explicuit & dissoluit: calor aut violenta tractio abrupit.*

222. INFAMIA.] *Quam iracundia aut comitia facient.*

223. ASPERSIT.] *Vt in omni calumniâ, etiamsi vulnus coit, apparet cicatrix.*

224. MAGNITVDINE.] *Atroci aliquo mendacio, quod eoipso fidem habeat, quia vix habet. Quis enim inopinata illa temerè fingeret?*

CAP. XXXI. 225. SPECIES.] *Alij libri,* spes: *sed illud præfero. Tacitus de Mecænate:* Speciem magis in amicitiâ Principis, quàm vim tenuit.

226. VI TRACTVS.] *Vnde hæc lectio, nescio. Muretus fatetur* vitiatus *legi: nec emendationem in promptu sibi esse. Libri scripti,* iniuriatus: *meus,* iniuriatos: *Colonienses editio,* iniuriam. *Ego legerim,* vt etiam in iniuriâ bonos *Sensus. nemo ita prauus, & virtutis hostis, vt non amet eos qui etiam in iniuriâ boni sunt. Nam tale hîc. ecce ingratus sum, lædo, beneficium nec refero nec agnosco: at ille perseuerat benè velle, benè facere. quis non amet talem, non solùm post, sed in iniuriâ, bonum?*

227. IMPVNE.] *Cui etiam hoc noui beneficij accessit, quòd ingratitudo eius toleretur, imò transmittatur.*

228. IGNORANTIBVS.] *In primâ ætate infantiæ aut pueritiæ.*

229. INGRATIS.] *Grandioribus, & cùm iam sensum eorum habemus, aut certè debemus.*

230. NEGLEGENTIAM.] *Quòd res humanas non curent.*

231. INIQVITATEM.] *Quòd mala bonis, bona malis suggerant.*

232. EXTRA MVNDVM.] *Vt Epicurus. suprà libro* IV. *cap.* XIX.

233. SINE LVCE.] *In illo inani, inter mundos.*

234. SAXVM.] *Anaxagoræ delirium, qui μύδρον διάπυρον dicebat esse Solem, καὶ μείζω τῆς Πελοποννήσου:* saxum & globum igneum, & maiorem Peloponneso. *Ita in Diogene vertendum. & benè Suidas:* Οὗτος ὁ φιλόσοφος τὸν ἥλιον μύδρον ἔλεγεν εἶναι διάπυρον, τετέσι, πύρινον λίθον: Iste Philosophus (*Anaxagoras*) dixit solem esse mydrum ignitum, id est lapidem talem. *Plutarchus in Lysandro, statuere*

[235] fortuitorum ignium globum, & quiduis potiùs quàm [236] deum appellat. Nihilominus tamen more optimorum parentum, qui maledictis suorum infantium arrident, non cessant dij beneficia congerere, de beneficiorum auctore dubitantibus: sed æquali tenore bona sua per gentes populosque distribuunt, vnam potentiam sortiti, prodesse. Spargunt opportunis imbribus terras, maria flatu mouent, siderum cursu notant tempora, hiemes æstatesque interuentu lenioris spiritus molliunt: errorem labentium animorum placidi ac propitij ferunt. Imitemur illos. demus, etiam si multa in irritum data sint: demus nihilominus aliis, demus ipsis, apud quos iactura facta est. Neminem ab excitandâ domo ruina deterruit: & cùm penates ignis absumpsit, fundamenta tepente adhuc areâ ponimus, & vrbes [237] haustas sæpiùs eodem solo condimus. Adeò ad bonas spes pertinax animus est. Terrâ marique humana opera cessarent, nisi malè cadentia iterùm tentare libuisset. A

XXXII. Ingratus est. non mihi fecit iniuriam, sed sibi: ego beneficio meo, cùm darem, vsus sum. nec ideò pigriùs dabo, sed diligentiùs. quod in hoc perdidi, ab aliis recipiam. Sed huic ipsi beneficium dabo iterùm, & tamquam bonus agricola, curâ cultuque sterilitatem soli vincam. Periit mihi beneficium: [238] iste omnibus. Non est magni animi, dare & perdere: hoc est magni animi, perdere & dare. B

tuere eum facit τὰ ἄστρα λιθώδη καὶ βαρέα: sidera lapidea & grauia. *Plura ibi vide: nec ius igitur qui μύδρον,* ferrum *hîc vertunt, accede. Ad hanc rem Claudiani versus faciunt, De Consul. Mallij:*

—— hic semper lapsuræ pondera terræ
Conatur rapido cæli fulcire rotatu:
Accenditque diem prærupti turbine saxi.

Ad Anaxagoram. qui diem accendit motu rapido saxi, id est sui Solis.

235. FORTVITORVM.] *Qui ignes assiduè confluunt, & conueniunt. Epicuri sententia, in Lucretio:*

Aut quia conueniunt ignes, & semina multa
Confluere ardoris consuerunt tempore certo,
Quæ faciunt solis noua semper lumina gigni.

Plutarchus II. *de Plac. Phil. ostendit Xenophanis hoc idem fuisse. Quædam ego,* II. *Physiol. Diss.* XII.

236. DEVM.] *Stoicis enim talis, atque omnia sidera. Pythagoræ ipsum vetustum dogma:* ἥλιόν τε καὶ σελήνην, καὶ τοὺς ἄλλους ἀστέρας, εἶναι θεούς: Solem, Lunam, & alia astra, Deos esse. *Quid vetustior eo Trismegistus Hermes?* Ὁ ἥλιος θεὸς μέγιστος τῶν κατ' οὐρανὸν θεῶν, ᾧ πάντες εἴκουσιν οἱ οὐράνιοι θεοὶ, ὡσανεὶ βασιλεῖ τε καὶ δυνάστῃ: Sol Deorum cælestium maximus, cui reliqui Dij cedunt, tamquam regi & principi.

237. HAVSTAS.] *Terræmotu, & comitante hiatu.* C

CAP. XXXII. 238. ISTE OMNIBVS.] *Quia bonæ frugis, imò bonæ spei esse desiit. inter desperatos est.*

DE EPI-

DE EPISTOLIS

L. ANNÆI SENECÆ,

Quare, Quando, & ad Quem scriptæ.

B

EPISTOLAS *has ita scripsit, & inscripsit: non quia vera sint, & assiduè sic missa: non ego arbitror: sed placuit titulus & ratio scribendi libera, in quâ incipias, desinas cùm lubet; inseras, varies, vt lubet; neque adstringeris ad ordinem aut materiem certam. Est velut silua quædam rerum, & miscellanea argumenta: etsi Philosophiæ tamen finibus clausa. Ego censeo Senecam hæc obiter & carptim scripsisse, per interualla, vt quidque meditatus erat, aut incidebat,*
C *inter ambulandum, exercendum, in horto, in domo, in lecto. Quando enim illud ingenium quieuerit? Sunt igitur cottidiani conceptus, siue μελετήματα: sed, ita me Deus, pulchra, vtilia, alti animi atque honesti. Quin tamen & vera quædam Epistolæ interuenerint, haud fortiter eo negatum: sed quædam. Hoc vel argumento temporis adstruas, quo sunt scriptæ. Omnes enim intra biennium, vt facilè ex ipsis colligas: consulatu Memmij Reguli & Virginij Rufi, itémque Lecanij & Licinij: id est, haud longè ante eius mortem. Meminit in epistolâ* XCI. Lugdunensis coloniæ exustæ, *& deplorat: atqui clades ea illis extremis Consulibus incidisse videtur, cùm Tacitus scribat* Neronem solatum cladem
D Lugdunensem quadragies HS, *anno sequenti. Neque enim ista remedia differri diu solent. Sed & ipse Seneca non vno loco ostendit, Epistolas has in senio suo scriptas. Scripsit autem ad Lucilium: & quis ille? Origine humilis, industriâ emersit, & ad equestrem ordinem, tum ad Procurationem Siciliæ peruênit. Disces ex his epistolis, si obseruas. Ingenium illustre fuisse videtur, litteris & poëticæ etiam amicum: iísque dotibus Senecæ carum. Laudat mirificè eum, etsi colore quodam & figuratè, libri* IIII. *Natural. Quæst. initiò, quos ipsos libros ei inscripsit. Ostendit ibi sub Caio potuisse, sub Claudio: fidem eius commendat, inuictum muneribus animum, alia digna lectu, siquis virum nosse cupit. In his etiam*

Epistolis, à iuuentute se ei amicum fuisse significat, & ætatem perseuerasse. A
Alia de viro non possum, nec cognomen quidem eius eruere. Nam quod quidam Iuniorem *appellant; inducti loco Senecæ (epist.* XXVI.*)* Iunior es? quid refert? non dinumerantur anni: *puer videt, quàm sit puerile. Ad ætatem ea, non appellationem spectant. Paullò igitur minor Senecâ fuit, tamen & ipse senex, argumento epistolæ nonagesimæ sextæ. Satis, si addidero, diuidi à quibusdam has Epistolas in libros: & olim sic fuit. Agellius palàm citat* librum XXII. Epistolarum: *& scripti codices diuidunt, sed diuersè. Seneca ipse tangere & ingerere videtur, in epistolâ* XXXIII. Desideras his quoque epistolis, sicut prioribus, adscribi aliquas voces nostrorum. *Diuidit à prioribus:* B
quid nisi à libro priore contentis?



L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ

AD LVCILIVM

EPISTOLÆ.

ARGVMENTVM EPIST. I.

B TEMPORIS *æstimationem & vsum Lucilio commendat: non differri debere, non elabi, non malè poni.*

EPISTOLA PRIMA.

C ITA fac, mi Lucili: [1] vindica te tibi, & tempus quod adhuc aut [2] auferebatur, aut [3] surripiebatur, aut [4] excidebat, collige & serua. Persuade tibi sic esse, vt scribo. quædam tempora [5] eripiuntur nobis, quædam [6] subducuntur, quædam [7] effluunt. Turpissima tamen est iactura, quæ per negligentiam venit: & si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur [8] malè agentibus, maxima [9] nihil agentibus, [10] tota aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æstimet? qui intelligat se quotidie mori? In hoc enim fallimur, quòd mortem prospicimus: magna pars eius iam præteriit. quidquid ætatis retrò est, mors tenet. Fac ergo, mi Lucili, quod facere te scribis, omnes horas complectere: sic fiet, vt minùs [12] ex crastino pendeas, si hodierno manum inieceris. [13] Dum differtur vita, transcurrit. Omnia, mi Lucili, aliena sunt: tempus tantùm nostrum est. In huius rei vnius fugacis ac lubricæ possessio-

COMMENTARIVS.

D VINDICA TE.] *In libertatem. cui? tibi te asserе, nec alijs viue aut serui.*

2. AVFEREBATVR.] *A potentioribus, per officia & cultum.*

3. SVRRIPIEBATVR.] *A nostræ sortis, per blanditias & sermones. Amici, fures temporum.*

4. EXCIDEBAT.] *Tuâ neglegentiâ & omissione. De Vit. beat. cap.* XXXII. Non multum accepit homo temporis, etiamsi illud totum sibi vindicat. cui licet nihil facilitate eripi, nihil neglegentiâ patiatur excidere; tamen ad immortalium cognitionem nimis mortalis est.

5. ERIPIANTVR.] *Respondet τῷ* Auferebatur.

6. SVBDVCVNTVR.] *Idem quod,* Surripiebatur.

7. EFFLVVNT.] *Explicat illud* Excidebat.

8. MALE AGENTIB.] *In luxu, libidine, vitijs.*

9. NIHIL AGENT.] *In otio, ignauiâ: & maximè somno.*

10. TOTA ALIVD.] *Aliud agunt, qui occupati non vbi oporteat. Virtus nos vocabat; externa & vana quærimus, & hoc agimus totâ vitâ.*

11. PROSPICIMVS.] *Quidam libri,* Quasi procul esse conijcimus: *falsò, & ab ignorantiâ acutioris dicti. Mortem quasi instantem & futuram habemus: atqui iam in parte vênit & fuit. Quomodo? à quo die nati sumus, morimur: &, vt ipse epist.* XXIV. non repente in mortem incidimus, sed minutatim procedimus. *Plura ibi vide.*

12. EX CRASTINO.] *Sic De Breu. vit. cap.* IX. Maximum viuendi impedimentum est exspectatio, quæ ex crastino pendet.

13. DVM DIFFERTVR.] *In Epicuro gnome similis, apud Stobæum Serm.* XVII. Γεγόναμεν ἄπαξ· δὶς οὐκ ἔστι γενέσθαι. δεῖ δὲ τὸν ἀιῶνα μηκέτ' εἶναι. σὺ δὲ τῆς ἄυριον οὐκ ὢν κύριος, ἀναβάλλη τὸν καιρόν. Οἱ δὲ πάντων βίος μελλισμῷ παραπόλλυται: Semel nascimur, bis non licet, neque æternum esse. Tu autem cùm nec crastini certus sis, tempus differs. Ita omnis vita differendo intercidit.

sessionem natura nos misit, ex quâ [14] nos expellit quicumque vult. Sed tanta stultitia A
mortalium est, vt quæ minima & vilissima sunt, certè reparabilia, [15] imputari sibi, cùm
impetrauere, patiantur: nemo se iudicet quidquam debere, qui tempus accepit. cùm in-
terim hoc vnum est, quod ne gratus quidem potest reddere. Interrogabis fortasse, quid
ego faciam, qui tibi ista præcipio? Fatebor ingenuè: quod apud luxuriosum, sed dili-
gentem, euenit, ratio mihi constat [16] impensæ. Non possum dicere, me nihil perdere: sed
quid perdam, & quare, & quemadmodum, dicam: causas paupertatis meæ reddam.
Sic euenit mihi, quod plerisque [17] non suo vitio ad inopiam redactis: omnes ignoscunt,
nemo succurrit. Quid ergo est? non puto pauperem, cui quantulumcumque superest,
[18] sat est. Tu tamen malo serues tua, & [19] bono tempore vti incipias. Nam, vt visum
est maioribus nostris: *Sera parsimonia* [20] *in fundo est*. Non enim tantùm minimum in
imo, sed [21] pessimum remanet.

EPIST. II. B

Corporis quietem approbat, sed & animi in vnâ aliquâ re aut studio. Damnat curiosulos, qui per varios auctores & scripta discurrunt: pauca bonaque potiùs legere, & iis immorari suadet. Excerpendum semper aliquid, & animo inferendum: à suo exemplo, qui sensum tunc Epicuri egregium, de Paupertate.

Ex his quæ mihi scribis, & ex his quæ audio, bonam spem de te concipio. non dis-
curris, nec locorum mutationibus inquietaris. Ægri animi ista iactatio est. Pri-
mum argumentum [1] compositæ mentis existimo, posse consistere, & secum morari.
Illud autem vide, ne ista lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum, ha-
beat aliquid vagum & instabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis
aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. [2] Nusquam est, qui vbique est. In pere-
grinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. C
Idem accidat necesse est iis qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cur-
sim & properantes transmittunt. Non prodest [3] cibus, nec corpori accedit, qui statim
sumptus emittitur. Nihil æquè sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio.
Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebrò medicamenta tentantur. Non conuale-
scit

14. Nos expellit.] *Improbè. quis nolentem eo spoliet, vel Falaris, vel Nero? Manuarij libri*, ex quâ expellitur: *quod audio, hoc sensu: Solus ille possessione hac eijcitur, qui vti non vult: qui patitur cripi, surripi, elabi. Nec malè alij*, non expellit: *negando*.

15. Imputari.] *Quasi magna beneficia.*

16. Impensæ.] *Mei*, expensæ. *Sensus. Malè pono tempus, sed scio me malè ponere: sicut laxi patres familias expendunt, sed ratio expensæ etiam sine ratione ijs constat. Medelæ propior sum, quia noui morbum.*

17. Non svo vitio.] *Sed temporum aut fortunæ. Indicat callidè, in Aulâ sibi tempus perire.*

18. Sat est.] *Numquam serò reditur ad bonam mentem.*

19. Bono tempore.] *Aetate bonâ, & validâ.*

20. In fvndo.] *Visum & Hesiodo iam olim:*

— δειλὴ δ' ἐὼς ἐπὶ πυθμένι φειδώ:

— in fundo parcere serum est.

Significat Seneca, vetus Romanum etiam verbum esse.

21. Pessimvm.] *Epist.* cviii. Quem-
admodum ex amphorâ primum, quod est sin-
ceriſſimum, effluit, grauissimum quodque
turbidumque subsidit: sic in ætate nostrâ,
quod est optimum, primum est.

EPIST. II. 1. Compositæ mentis.] Οὐδὲ ἀσεῖος, *ait Philo in Abrahamo*, ἀπράγμονος ζηλωτὴς βίου γεγονὼς, ὑποχωρεῖ, καὶ μόνωσιν ἀγαπᾷ, λανθάνειν τοὺς πολλὰς ἀξιῶν, ἃ διὰ μισανθρωπίαν· φιλάνθρωπος γὰρ, εἰ καί τις ἄλλος· ἀλλὰ διὰ τὸ πεφ-
βεβλῆσθαι κακίαν, ἣν ὁ πολὺς ὄχλος ἀπατάζεται, χαί-
ρων μὲν ἐφ' οἷς σπένειν ἄξιον, λυπούμενος δὲ ἐφ' οἷς γε-
γηθέναι καλόν: Quia vir bonus vitæ quietæ amator, D
secessum quærit & solitudinem, latêre cupiens, non odio hominum: est enim, si quis alius, eorum amans: sed quia fugit & proculcat vitia, quibus vulgus delectatur, gaudere solitum ijs quæ dolenda sunt, & dolere ijs quæ gaudenda.

2. Nvsqvam est.] *Martialis:* Quisquis vbique habitat Næuole, nusquam habitat.

3. Cibvs.] *Tali imagine Epictetus in istos, qui* cùm bucceam dimittere non possint, volumina ementes, inijcere & deuorare conantur. *Arrian. Diss.* I. *cap.* xxvi. *Et Polybius pulcherrimè, lib.* iii. *istos librarios helluones æquiparat* τοῖς λίχνοις τῷ δειπνητῷ: catillonibus & gulosis conuiuis. qui, *inquit*, appositos cibos variè & carptim delibantes, neque in præsentiâ voluptatem solidam, neque fructum aut alimoniam in posterum ferunt.

4. Dis-

A ſcit planta quæ ſæpè transfertur. nihil tam vtile eſt, quod in tranſitu proſit. [4] Diſtrahit animum librorum multitudo. Itaque cùm legere non poſſis quantum habueris, ſat eſt habere quantum legas. Sed modò, inquis, hunc librum euoluere volò, modò illum. Faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare: quæ vbi varia ſunt & diuerſa, inquinant, non alunt. Probatos itaque ſemper lege: & ſi quando ad alios [5] diuertere libuerit, ad priores redi. Aliquid quotidie aduerſus paupertatem, aliquid aduerſus mortem auxilij compara, nec minus aduerſus ceteras peſtes. Et cùm multa percurreris, vnum excerpe, quod illo die [6] concoquas. Hoc ipſe quoque facio: ex pluribus quæ lego, aliquid apprehendo. Hodiernum hoc eſt, quod apud Epicurum nactus ſum: ſoleo enim & in aliena caſtra tranſire, non tamquam transfuga, ſed tamquam explorator. *Honeſta*, inquit, *res eſt, læta paupertas.* Illa verò non eſt paupertas, ſi læta eſt. Cui enim cum paupertate benè conuenit, dives eſt. Non qui parùm habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Quid enim refert, quantum illi in arcâ, quantum in horreis iaceat, quantum paſcat, aut fœneret, ſi
B alieno imminet, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computat? Quis ſit diuitiarum modus, quæris? Primus, habere [7] quod neceſſe eſt; proximus, [8] quod ſat eſt.

EPIST. III.

MALE *& temerè ſæpè Amicos dici, qui re non ſunt. Siquis talis; omnia illi fidendum, & communicandum eſſe, tamquam alteris nobis. Timidi & ſubducti arguuntur; ſed & creduli nimis, atque aperti. Medium optimum.*

EPISTOLAS ad me perferendas tradidiſti, vt ſcribis, amico tuo. Deinde admones me, ne omnia cum eo ad te pertinentia communicem, quia nec ſoleas ipſe quidem hoc facere. Ita eâdem epiſtolâ illum & dixiſti amicum, & negaſti. Itaque ſic priore illo verbo [1] quaſi publico vſus es, & ſic illum amicum vocaſti, quomodo omnes can-
C didatos, [2] bonos viros dicimus; quomodo obuios, ſi nomen non ſuccurrit, [3] dominos ſalutamus. [4] Hoc abierit. Sed ſi aliquem amicum exiſtimas, cui non tantumdem credis quantum tibi, vehementer erras, & non ſatis noſti vim veræ amicitiæ. Tu verò omnia cum amico delibera, ſed [5] de ipſo priùs. Poſt amicitiam credendum eſt, ante amicitiam iudicandum. Iſti verò præpoſterè officia permiſcent, qui contra præcepta [6] Theophraſti, cùm amauerint, iudicant; & non amant, cùm iudicauerint. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit: cùm placuerit fieri, toto illum pectore admitte:

[7] tam

4. DISTRAHIT ANIMVM.] *Quidam mei,* Diſtringit librorum multitudo: *fortaſſe verè. Id eſſet, diſtinet & ligat.*

5. DIVERTERE.] *Aliàs*, tranſire.

6. CONCOQVAS.] *Benè, vt hæreat in re cibi. ſed libri ferè*, excoquas: *vnde ego*, excolas,
D *vellem.*

7. QVOD NECESSE EST.] *Quod natura requirit: & vt viuere poſſis.*

8. QVOD SAT EST.] *Quod humanitas requirit, & vt commodè viuere poſſis. Lucillius in hac re arguitè:*

Nam ſi, quod ſatis eſt homini, id ſatis eſſe potiſſet,
Hoc ſat erat: nunc cùm hoc non eſt, qui credimus porrò
Diuitias vllas animum mî explere potiſſe?
Cui quod ſatis eſt, ſatis non eſt, nihil ei ſatis erit.

EPIST. III. 1. QVASI PVBLICO.] *Senſu & more vulgi. de quo & Plutarchus*, IV. *Quæſt. Conuiual. initio.* Amicum accipere hîc oportet non ſtrictim & Sophiſticè, illum immutabilem & firmum, ſed communi modo, Beniuolum.

2. BONOS VIROS.] *Mos fuit, vt qui in Senatu (vbi ſub Principibus ſuffragia) candidatum produceret*, Bonum *vel* Optimum virum *diceret. Veſtigium eius in Plinij Panegyrico*: Faciebas ergo, cùm diceres Optimos. *Nos odorati ſumus, atque ibi notauimus: vide.*

3. DOMINOS.] *Martialis*:

Cùm te non noſſem, Dominum regemque vocabam.

4. HOC ABIERIT.] *Abſunt ea duo verba optimo meo, & quibuſdam libris. Si retines, valent. hoc miſſum fecerim, ne acriùs inquiram aut carpam. Alij legunt*, Hac abierit: *hac viâ & modo excuſetur.*

5. DE IPSO.] *Sidonius*: Eſt enim conſuetudinis meæ, vt eligam antè, pòſt diligam.

6. THEOPHRASTI.] *Plutarchus, De fraterno amore*: Θεόφραστος ἔλεγεν, ὅτι οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν: Theophraſtus dixit, non amantem iudicare; ſed cùm iudicaueris, amare oportere. *Sic & Sidonius*: Namque vt ſodalis tibi deuinctior fierem, iudicaui.

[7] tam audacter cum illo loquere, quàm tecum. Tu quidem ita viue, vt [8] nihil committas, niſi quod committere etiam inimico poſſis: ſed quia interueniunt quædam, quæ conſuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas miſce. [9] Fidelem ſi putaueris, facies. Nam multi fallere docuerunt, dum timent falli: & aliis peccandi ſuſpicando fecerunt. Quid eſt ergo, quare vlla verba coram amico retraham? quid eſt, quare me coram illo non putem ſolum? Quidam quæ tantùm amicis committenda ſunt, obuiis narrant, & in quaſlibet aures, quidquid illos vrit, exonerant: quidam rurſus etiam cariſſimorum conſcientiam reformidant, &, ſi poſſent, ne ſibi quidem crediturі, interiùs premunt omne ſecretum. Neutrum faciendum eſt. vtrumque enim vitium eſt, & [10] omnibus credere, & nulli: ſed alterum honeſtius dixerim vitium, alterum tutius. Sic vtroſque reprehendas, & eos qui ſemper inquieti ſunt, & eos qui ſemper quieſcunt. Nam illa tumultu gaudens, non eſt induſtria, ſed exagitatæ mentis concurſatio: & hæc non eſt quies, quæ motum omnem moleſtiam iudicat, ſed diſſolutio & languor. Itaque hoc quod apud [11] Pomponium legi, animo tuo mandabitur. *Quidam adeò in latebras refugerunt, vt putent in turbido eſſe quidquid in luce eſt.* Inter ſe iſta miſcenda ſunt, & quieſcenti agendum, & agenti quieſcendum eſt. Cum rerum naturâ delibera. illa dicet tibi, ſe & diem feciſſe & noctem.

EPIST. IIII.

HORTATVR *ad perſeuerandum in Philoſophiâ: à quâ in ſerium & grauem, ac verè virum tranſſcribatur. Ceteros, pueros eſſe: timere non timenda. vt Mortem inprimis. Atqui hanc finem malorum eſſe, & impetu aut deſperatione multos contempſiſſe: cur non ratione? Vitam ergo non amandam, & cottidie cogitandum, quàm ex variis leuibuſque cauſſis mors veniat. Emblema dein ex Epicuro, de veris Diuitiis.*

PERSEVERA vt cœpiſti, & quantum potes propera: quo diutiùs frui emendato animo & compoſito poſſis. Frueris quidem etiam dum emendas, etiam dum componis: alia tamen illa voluptas eſt, quæ percipitur ex contemplatione mentis ab omni labe puræ & ſplendidæ. Tenes vtique memoriâ, quantum ſenſeris gaudium, cùm [1] prætextâ poſitâ, ſumpſiſti virilem togam, & [2] in forum deductus es: maius exſpecta, cùm puerilem animum depoſueris, & te [3] in viros philoſophia tranſſcripſerit. Adhuc enim non pueritia in nobis, ſed, quod eſt grauius, [4] puerilitas remanet: & hoc quidem peius eſt, quòd auctoritatem habemus ſenum, vitia puerorum: nec puerorum tantùm, ſed infantium. Illi leuia, hi falſa formidant: nos vtraque. [5] Profice modò, & intelliges, quædam

7. TAM AVDACTER.] *Hoc negant iſti à ciuili prudentiâ. vt Publius*: Ita crede amico, ne ſit inimico locus. *Vt Sophocles:*

——— ἔς τε τὸν φίλον
Τοσαῦθ' ὑπουργῶν ὠφελεῖν βελήσομαι,
Ὡς αἰὲν ὢ μέλλοντα· τοῖς πολλοῖσι γὰρ
Βεβᾶσι ἄπιστος ἐκ ἑταιρίας λιμήν:
——— amico ego velim
Sic credere atque commodare, vt neutiquam
Semper futuro. nam profectò plurimis
Sodalitatis portus infidus fuit.

8. NIHIL COMMITTAS.] *Libri omnes inſitâ voce*, nihil tibi committas. *Conȳcio fuiſſe*, nihil tibi conſciſcas.

9. FIDELEM.] *Liuius*: Vult ſibi quiſque credi, & habita fides ipſam obligat fidem. *Plutarchus, Præceptis connubialibus*: Ποιεῖ γὰρ καὶ τὸ πιστεύειν δοκεῖν πιστεύεσθαι, καὶ τὸ φιλεῖν φιλεῖσθαι: Fit enim vt ſi fidas, fides tibi redhabeatur; & amere, ſi ames.

10. OMNIBVS CREDERE.] *Heſiodéum eſt*: Πίστις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας: Ipſa fides homines, & diffidentia perdit. *nempe, cum ſine modo. Temperandæ ſunt.*

11. POMPONIVM.] *Poëtam Tragicum hoc nomine ſcio, ſed & alios. At iſta non olent poëtam: eſtq; in meo libro opt.* Pompeium philoſophum.

EPIST. IIII. 1. PRÆTEXTA.] *Quæ puerorum ſcilicet, ad annum pubertatis aut circà.*

2. IN FORVM.] *Tirocinij die, quo parentes & amici ſollenniter eò deducebant, auſpicij cauſſâ, & velut ad res nunc aptum.*

3. IN VIROS.] *Diogenes Cynicus*, præcone in Olympijs proclamante, Dioxippus viros vicit: Imò iſte mancipia, inquit, ego viros. *Laërtius. Ego aliquid Manud.* II. *Diſſ.* I.

4. PVERILITAS.] *Tale De conſt. ſap. cap.* XII.

5. PROFICE MODÒ.] *In ſapientiæ ſtudio, & rerum dilectu. At alij*, proſpice: *nec id malè. Intende aciem, & longiùs vide.*

6. METVS

A dam ideò minùs timenda, quia multum [6] metus afferunt. Nullum [7] magnum malum, quod extremum eſt. Mors ad te venit. timenda erat, ſi tecum eſſe poſſet: neceſſe eſt, aut non perueniat, aut pertranſeat. Difficile eſt, inquis, animum perducere ad contemptum animæ. Non vides, quàm ex friuolis cauſſis contemnatur? Alius ante amicæ fores laqueo pependit; alius ſe præcipitauit à tecto, ne dominum ſtomachantem diutiùs audiret; alius, ne reduceretur è fugâ, ferrum adegit in viſcera. Non putas virtutem hoc effecturam, quod effecit nimia formido? Nulli poteſt ſecura vita contingere, qui de producendâ nimis cogitat: qui inter magna bona multos conſules numerat. Hoc quotidie meditare, vt poſſis æquo animo vitam relinquere: quàm multi ſic complectuntur & tenent, quomodo qui à torrente rapiuntur, ſpinas & aſpera. Plerique inter mortis metum, & vitæ tormenta, miſeri fluctuant: & [8] viuere nolunt, & mori neſciunt. Fac itaque tibi iucundam vitam, omnem pro illâ ſolicitudinem deponendo. Nullum bonum iuuat habentem, niſi ad cuius amiſſionem præparatus eſt animus. Nullius autem rei [9] facilior
B amiſſio eſt, quàm quæ deſiderari amiſſa non poteſt. Ergo aduerſus omnia quæ accidere poſſunt etiam potentiſſimis, adhortare te & indura. De Pompeij capite [10] pupillus & [11] ſpado tulere ſententiam: de Craſſo crudelis & inſolens Parthus. Caius Cæſar iuſſit [12] Lepidum [13] Decimo tribuno præbere ceruicem: ipſe Chæreæ præſtitit. Neminem eò fortuna prouexit, vt non tantum illi minaretur, quantum permiſerat. Noli huic tranquillitati confidere. momento mare vertitur: [14] eodẽ die, vbi [15] luſerunt nauigia, ſorbentur. Cogita poſſe latronem & hoſtem admouere iugulo tuo gladium, vt poteſtas maior abſit, nemo non ſeruus habet in te vitæ neciſque arbitrium. Ita dico, [16] quiſquis vitam ſuam contempſit, tuæ dominus eſt. recognoſce exemplum eorum, qui domeſticis inſidiis perierunt, aut apertâ vi, aut dolo: & intelliges, non pauciores ſeruorum irâ cecidiſſe, quàm regum. Quid ad te itaque, quàm potens ſit quem times, cùm id propter quod times, nemo non poſſit? At ſi fortè in manus hoſtium incideris, victor te duci iubebit, [17] eò nempe quò duceris. Quid te ipſe decipis, & hoc nunc primùm, quod olim
C patiebaris, intelligis? Ita dico, ex quo natus es, duceris. Hæc & huiuſmodi verſanda in animo ſunt, ſi volumus illam vltimam horam placidi expectare: cuius metus omnes alias inquietas facit. Sed vt epiſtolæ finem imponam, accipe quod hodierno die mihi placuit. & hoc quoque ex alienis [18] hortulis ſumptum eſt. *Magnæ diuitiæ ſunt,* [19] *lege naturæ compoſita paupertas.* Lex autem illa naturæ, ſcis quos nobis terminos ſtatuit? Non eſurire, non ſitire, non algere. Vt famem ſitimque depellas, non eſt neceſſe ſuperbis aſſidere liminibus, nec ſupercilium graue, & contumelioſam etiam [20] humanitatem pati: non

6. METVS AFFERVNT.] *Muretus*, auferunt: *ſed ſententiâ, dum planam facere vult, parùm argutâ aut rectâ. Teneo cum libris*, afferunt: *ſenſu. quædam non timeas, quia nimium timeas: id eſt mortem. Nam ita hanc times, vt timorem extremum: ſi autem, nónne metu iam omni vindicat?*

7. MAGNVM MALVM.] *Vox*, malum, *ſcriptis*
D *abeſt, ſententiæ tamen deeſt.*

8. VIVERE NOLVNT.] *Epicteti increpatio:* Θαυμασοὶ ἄνθρωποι, μήτε ζῆν θέλοντες, μήτε ἀποθνήσκειν: Mirifici homines, nec viuere nec mori vultis.

9. FACILIOR AMISSIO.] *Boëtius adſpexit*: Perexile bonum eſt, quod æquo animo feratur amiſſum.

10. PVPILLVS.] *Rex Aegypti, puer & ſub tutelâ.*

11. SPADO.] *Pothinus Eunuchus, regis & rerum potens.*

12. LEPIDVM.] *Illum cognatum ſuum, & Druſillæ ſororis maritum. Coniurationis crimine damnauit, de quo Sueton. Calig. cap.* XXIV. *ego in Comm. ad* XIV. *Annal. Taciti.*

13. DECIMO.] *Scripti*, Dextro. *Parùm de nomine. ſed Tribuni igitur ipſi honeſtiores puniebant, occidebant.*

14. EODEM DIE.] *Quibuſdam*, die, *abeſt: & poſtis ad* momentum *referre.*

15. LVSERVNT.] *In tranquillitate, ſecuræ & vagæ.*

16. QVISQVIS VITAM.] *Tragicus*: Contempſit omnes ille, qui mortem priùs. *Iuſtinus*: Nihil eſt difficile perſuadere, perſuaſis mori.

17. EÒ NEMPE.] *Sunt Senecæ, velut reſpondentis. Ducar, inquis. quid tum, aut quò? huc quò ab ipsâ Naturâ cottidie, id eſt ad mortem. Vt tyrannus non faciat, nónne ipſa? nónne per te illuc ibas?*

18. HORTVLIS.] *Epicuri.*

19. LEGE NATVRÆ.] *Adde De Vit. beat. cap.* XIII.

20. HVMANITATEM.] *In ipſis conuiuijs, aut ſermonibus, aut & donis, ſuperbè ſe gerunt, contemnunt aut illudunt. Quidam libri*, humilitatem. *malè.*

non est necesse maria tentare, nec sequi castra. Parabile est quod natura desiderat, & ex- A
positum: ad superuacua sudatur. Illa sunt quę [21] togam conterũt, quę nos senescere [22] sub tentorio cogunt, quæ in [23] aliena littora impingunt. Ad manum est, quod satis est.

EPIST. V.

ARCET ab ostentatione Philosophiæ, & ne cultu notabilem aut victu se faciat. Non spernere vulgi omnia, sed modicè adhibere, & citra vitium. Sordes abdicat: ad Naturæ legem nos vocat. Clausula est, ex Hecatone, de Spei & Metus coniunctione. Liberum ab altero esse, qui alteram posunt: obnoxium vtrique, qui vni.

QVÒD pertinaciter studes, & omnibus omissis, hoc vnum agis, vt te quotidie me-
liorem facias, & probo & gaudeo: nec tantùm hortor, vt perseueres, sed etiam
rogo. illud autem te admoneo, ne eorum more qui non proficere, sed [1] conspici cupiunt, B
facias aliqua, quæ in [2] habitu tuo, aut [3] genere vitæ notabilia sint. [4] Asperum cultum,
& [5] intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum [6] argento odium, & [7] cu-
bile humi positum, & quidquid aliud ambitionem [8] peruersâ viâ sequitur, deuita. Sa-
tis ipsum nomen philosophiæ, etiam si modestè tractetur, inuidiosum est. Quid si nos
hominum consuetudini cœperimus excerpere? Intus omnia dissimilia sint: [9] frons no-
stra populo conueniat. Non [10] splendeat toga: ne [11] sordeat quidem. non habeamus ar-
gentum, in quod solidi [12] auri cælatura descenderit: sed non putemus frugalitatis indi-
cium auro argentoque caruisse. Id agamus, vt meliorem vitam sequamur quàm vulgus,
non vt contrariam: alioqui quos emendari volumus, fugamus, & à nobis auertimus.
Illud quoque efficimus, vt nihil imitari velint nostri, dum timent ne imitanda sint om-
nia. Hoc primum philosophia promittit, [13] sensum communem, humanitatem & con-
gregationem: [14] à quâ professione [15] dissimilitudo separabit. Videamus ne ista, per quæ
admirationem parare volumus, ridicula & odiosa sint. Nempe propositum nostrum C
est, [16] secundùm naturam viuere. Hoc contra naturam est, torquere corpus suum, &
faciles odisse munditias, & squallorem appetere, & cibis non tantùm vilibus vti, sed tæ-
tris & horridis. Quemadmodum [17] delicatas res desiderare, luxuriæ est: ita vsitatas &
non magno parabiles fugere, dementiæ est. Frugalitatem exigit philosophia, non pœ-
nam:

21. TOGAM CONTERVNT.] *In officijs ciuilibus, salutatione, deductione: vbi clientuli isti semper togati. Vidi, qui* contexunt *legerent, cæculos.*

22. SVB TENTORIO.] *In militiâ, vt rem faciamus.*

23. ALIENA LITTORA.] *Longinquas & trans mare terras, eodem fine. Ad mercatores spectat.*

EPIST. V. 1. CONSPICI CVPIVNT.] *Contra hoc genus multa Epictetus in Dissert. lib.* IV. *cap.* VIII. *multa, inquam, istis gemella.*

2. HABITV.] *Veste, aut corporis cultu.*

3. GENERE VITÆ.] *Ministerio, supellectile, mensâ.*

4. ASPERVM CVLTVM.] *Vestem hirtam aut sordentem.*

5. INTONSVM.] *Philosophorum tunc habitu: idémque in barbâ. quam aut neglegenter, aut nec tondebant.*

6. ARGENTO ODIVM.] *Quod ijdem renuebant, fictilibus contenti.*

7. CVBILE HVMI.] *Siue ipse lectus in terrâ, siue minùs exstructus. Nam diuitum thori alti; aliorum humiles & depressi.*

8. PERVERSA VIA.] *Quâ ad gloriam cunt, non eundo.*

9. FRONS NOSTRA.] *Obuia & exterior omnis ista facies.*

10. SPLENDEAT.] *Nitida, recèns lota, & pexa: vt in elegantibus.*

11. SORDEAT.] *Alba, quod satis sit. Vide De Tranquill. cap.* I.

12. AVRI CÆLATVRA.] *Emblema, siue Latinis* Inserta. D

13. SENSVM COMMVNEM.] *Non in decretis animi, sed in externo rerum vsu.*

14. A QVA PROFESSIONE.] *Id est, ab eo quod Philosophia promittit: iam dictum. Alij,* professionis. *quod sit, A societate & congregatione separat, dissimilis professio.*

15. DISSIMILITVDO.] *Si abimus à* sensu communi, congregatione, *& talibus.*

16. SECVNDVM NATVRAM.] *Commune philosophorum axioma. De Vit. beat. cap.* III. *&* VIII. *item Epist.* XLI. *in fine.*

17. DELICATAS RES.] *Meus liber:* Quemadmodum petere delicatos cibos, luxurioſi est, ita vsitatos & non magno paratos fugere.

18. SVSPI-

A nam: poteſt autem eſſe non incompta frugalitas. Hic mihi modus placet. Temperetur vita inter bonos mores & publicos: [18] ſuſpiciant omnes vitam noſtram, ſed & [19] agnoſcant. Quid ergo? Eadem faciemus, quæ ceteri? nihil inter nos & illos intererit? plurimum. Diſſimiles eſſe nos vulgo, ſciat, qui inſpexerit propiùs. qui domum intrauerit, nos potius miretur, quàm ſupellectilem noſtram. Magnus ille eſt, qui fictilibus ſic vtitur, quemadmodum argento: nec ille minor eſt, qui [20] ſic argento vtitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi animi eſt, pati non poſſe diuitias. Sed vt huius quoque diei lucellum tecum communicem, apud [21] Hecatonem noſtrum inueni, cupiditatum finem, etiam ad timoris remedia proficere. [22] *Deſines*, inquit, *timere, ſi ſperare deſieris*. Dices, quomodo iſta tam diuerſa pariter ſunt? ita eſt, mi Lucili: cùm videantur diſſidere coniuncta ſunt. Quemadmodum eadem catena [23] & cuſtodiam & militem [24] copulat: ſic iſta quæ tam diſſimilia ſunt, pariter incedunt. Spem metus ſequitur. Nec miror iſta ſic ire. vtrumque pendentis animi eſt, vtrumque futuri expectatione ſoliciti. Maxima au-
B tem vtriuſque cauſſa eſt, quòd non ad præſentia aptamur, ſed cogitationes in longinqua præmittimus. Itaque prouidentia, maximum bonum conditionis humanæ, in malum verſa eſt. Feræ pericula quæ vident, fugiunt; cùm effugêre, ſecuræ ſunt: nos & venturo torquemur, & præterito. Multa bona noſtra nobis nocent. timoris enim tormentum memoria reducit, prouidentia anticipat. Nemo tantùm præſentibus miſer eſt.

EPIST. VI.

PROFICERE *ſe in Philoſophiâ; & argumentum eſſe, quòd vitia ſua agnoſcat. Velle ſe cum eo, vt vero amico, omnia communicare, quæ ſint vtilia: idque proprium ſapientis. Conſuetudinem bonorum valdè efficacem, & ſupra ipſa præcepta videri: quod exemplo Philoſophorum aliquot docet.*

C INTELLIGO, Lucili, non emendari me tantùm, ſed [1] transfigurari: nec hoc promitto iam aut ſpero, nihil in me ſupereſſe, quod mutandum ſit. Quídni multa habeam quæ debeant [2] corrigi, quæ [3] extenuari, quæ [4] attolli? Et hoc ipſum argumentum eſt in melius tranſlati animi, quòd vitia ſua, quæ adhuc ignorabat, videt. [5] Quibuſdam ægris gratulatio fit, cùm ſeipſi ægros eſſe ſenſerunt. Cuperem itaque tecum communicare tam ſubitam mei mutationem: tunc amicitiæ noſtræ certiorem fiduciam habere cœpiſſem, [6] illius veræ, quam non ſpes, non timor, [7] non vtilitatis ſuæ cura diuellit: illius, cum quâ homines moriuntur, & pro quâ moriuntur. Multos tibi dabo, qui [8] non amico,

18. SVSPICIANT.] *Taciti venerentur, vt bonam.*

19. AGNOSCANT.] *Vt non aliam prorſus, nec ſupra hominem.*

20. SIC ARGENTO.] *Ariſtippi ea mens. qui increpanti quòd perdicem quinquaginta drachmis emiſſet: &* Tu, *inquit*, iſtam obolo non emeres? *Annuente*, Mihi autem, *ait*, quinquaginta drachmæ ſunt obolus.
D

21. HECATONEM NOSTRVM.] *Stoicum, Panætij diſcipulum, domo Rhodium.*

22. DESINES TIMERE.] *Nam ſuſpenſus hic alter ab altero affectus: Ariſtoteles* II. *Rhet. ad Theod. cap.* V. *In Tragico alibi*: Qui nil poteſt ſperare, deſperet nihil.

23. ET CVSTODIAM.] *Ipſum qui cuſtoditur, reum & in noxâ. Epiſt.* LXX. *&* LXXVIII.

24. COPVLAT.] *Manilius, tales cuſtodes facit qui ſub Andromedâ nati, lib.* V.

Vinctorum dominus, ſociuſq; in parte catenæ,
Interdum pœnis innoxia corpora ſeruat.

Eſt hæc Militaris cuſtodia, & honeſtior: de quâ nos ad Tacit. III. *Annal. plenè.*

EPIST. VI. 1. TRANSFIGVRARI.] *In alium habitum hominemq; ire. Epiſtol.* XCIV. Qui facienda & vitanda percepit, nondum ſapiens eſt, niſi in ea, quæ didicit, animus eius transfiguratus eſt. *Itaque mutatio hæc ſiue μεταχηματισμὸς, animorum eſt hominiſq; interni.*

2. CORRIGI.] *Praua & curua. alij* colligi *è libris quibuſdam eligunt: nempe ſparſa, inquiunt, & diſſoluta.*

3. EXTENVARI.] *Vbi tumidi affectus.*

4. ATTOLLI.] *Vbi viles & depreſsi.*

5. QVIBVSDAM ÆGRIS.] *Vt in lethargo: vt in melancholiâ, vbi inſani maximè ſibi ſani.*

6. ILLIVS VERÆ.] *Noſtræ & Stoicæ.*

7. NON VTILITATIS.] *Quæ eſt Epicuri amicitia.*

8. NON AMICO.] *Vulgari, de quo Epiſt.* III.

9. AMI-

amico, sed [9] amicitiâ caruerunt. Hoc non potest accidere, cùm animos in societatem A
honesta cupiendi par voluntas trahit. Quid ni non possit? Sciunt enim ipsos omnia habere communia, & quidem magis aduersa. Concipere animo non potes, quantum momenti afferre mihi singulos dies videam. Mitte, inquis, & nobis ista, quæ tam efficacia expertus es. Ego verò cupio ista omnia in te transfundere, & in hoc gaudeo aliquid discere, [10] vt doceam: nec me vlla res delectabit, licet eximia sit & salutaris, quam mihi vni sciturus sim. Si cum hac exceptione detur sapientia, vt illam inclusam teneam, nec enunciem, reiiciam. Nullius boni, sine socio, iucunda possessio est. Mittam itaque ipsos tibi libros: & ne multum operæ impendas, dum passim profutura sectaris, imponam [11] notas, vt ad ea ipsa protinus quæ probo & miror, accedas. Plus tamen tibi & viua vox & conuictus, quàm oratio, proderit. in rem præsentem venias oportet. Primùm quia homines ampliùs oculis quàm auribus credunt: deinde quia longum iter est per præcepta, breue & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodò audisset. vitæ eius interfuit, secreta perspexit, obseruauit illum, [12] an ex formulâ B
suâ viueret. Plato & [13] Aristoteles, & omnis [14] in diuersum itura sapientium turba, plus [15] ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit. [16] Metrodorum, & [17] Hermachum, & [18] Polyænum, magnos viros non schola Epicuri, sed contubernium fecit. Nec in hoc te accerso tantùm, vt proficias, sed vt prosis. plurimum enim alter alteri conferemus. Interim quia diurnam tibi mercedulam debeo, quid me hodie apud Hecatonem delectauerit, dicam. *Quæris*, inquit, *quid profecerim? Amicus esse mihi* [19] *cœpi*. Multum profecit. numquam erit solus. [20] Qui sibi amicus est, scito hunc amicum omnibus esse.

9. AMICITIA.] *Fructu ipso qui ex amico capitur, dum castigat, monet, communicat.*

10. VT DOCEAM.] *Stoicus sensus. Ita Cato apud Ciceronem*, III. *De Fin.* Impellimur naturâ vt prodesse velimus, inprimisque docendo, rationibusque prudentiæ tradendis. Itaque non facile est inuenire, qui quod sciat ipse, non tradat alteri.

11. NOTAS.] *Cuiusmodi in margine solent olim & nunc poni, Laudis vel Culpæ.*

12. AN EX FORMVLA.] *Meus & meliores*, vt ex formulâ: *quod esset, ideò obseruauit, vt viuere posset ad eius normam. Nam* suum *sic vsurpari, non nouum. Malim tamen*, vtrùm ex.

13. ARISTOTELES.] *Error aut calor scriptionis est. ille adeò non conuixit Socrati, nec vidit quidem. Nam obiit Socrates primo anno Olympiadis* XCV. *vt plerique omnes tradiderunt. Atquin Aristoteles natus est anno primo Olympiadis* XCIX. *quod præter Laërtium, Dionysius, Agellius, Eusebius, & apud Suidam incertus scriptor: quomodo ergo in conuictu ei fuerit? Scio Ammonium in vitâ Aristotelis tradere de* tribus annis, *quos cum Socrate egerit, & quòd* vigesimo deinde ad Platonem venerit: *sed supino errore, & calculus annorum ipse Ammonij refellit.*

14. IN DIVERSVM.] *Nam plures sectæ, velut aquarum diuortia, ab illo capite factæ.*

15. EX MORIBVS.] *De eâ re ita Xenophon, lib.* IV. *de Socr.* Οὕτω δὲ ὁ Σωκράτης ἦν ἐν παντὶ πράγματι, καὶ πάντα τρόπον, ὠφέλιμος, ὥστε τῷ σκοπουμένῳ τοῦτο, καὶ εἰ μετρίως αἰσθανομένῳ, φανερὸν εἶναι, διότι οὐδὲν ὠφελιμώτερον ἦν τοῦ Σωκράτει συνεῖναι, καὶ μετ' ἐκείνου διατρίβειν ὁπωσοῦν καὶ ἐν ὁτῳοῦν πράγματι C
: Ita autem Socrates erat in omni re, & omnimodis, vtilis, vt attendenti & vel modicè intelligenti liquêret, nihil vtilius fieri posse, quàm illi adesse, cum eo versari, vbicumque, & in re quacumque. *ac plura addit.*

16. METRODORVM.] *Duo fuerunt hoc nomine Epicuri discipuli. prior* Metrodorus Stratonicensis, *qui tamen ab illo ad Carneadem defecit: alter*, Athenienſis, *qui perseuerauit, & libris etiam pluribus disciplinam propagauit. Hunc intellegit.*

17. HERMACHVM.] *Hic est* Hermachus, Agemarchi filius, Mitylenæus, *qui in scholâ & diatribâ Epicuro successit. Diogenes.*

18. POLYÆNVM.] *Athenodori filium, Lampsacenum: item inter discipulos. etsi ante Epicurum obiit, vt ex eius Testamento colligas.* D

19. COEPI.] *Ea vox abest scriptis plerisque.*

20. QVI SIBI AMICVS EST.] *Et hæc verba item desunt: sed desunt. Ex Stoico dogmate manat, qui se amat, id est bonum sapientemq; facit, hunc & alios sic amare,*

Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.

EPIST.

A

EPIST. VII.

PROFICIENTI *turbam vitandam, & vitia ab eâ trahi: vitanda item ſpectacula, & maximè cruenta. Neque publicè recitandum, aut diſſerendum, apud diſsimiles. Pluris ſit, inquit, vnus alterque auditor bonus, aut etiam nullus.*

QVID tibi vitandum præcipuè exiſtimes, quæris? turbam. Nondum enim illi te tutò commiſeris. Ego certè confiteor imbecillitatem meam. Numquam mores quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod compoſui, turbatur: aliquid ex his quæ fugaui, redit. Quod ægris euenit, quos longa imbecillitas vſque eò affecit, vt numquam ſine offensâ proferantur, hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur. Inimica eſt multorum conuerſatio. Nemo non aliquod nobis vitium [1] aut commen-
B dat, aut [2] imprimit, aut neſcientibus [3] allinit. Vtique quò maior eſt populus cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt. Nihil verò eſt tam damnoſum bonis moribus, quàm in aliquo ſpectaculo deſidere. Tunc enim per voluptatem faciliùs vitia ſurrepunt. Quid me exiſtimas dicere? auarior redeo, ambitioſior, luxurioſior? imò verò crudelior & inhumanior, quia inter homines fui. Caſu in [4] meridianum ſpectaculum incidi, luſus exſpectans, & ſales, & aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano [5] cruore acquieſcant. Contrà eſt, quidquid antè pugnatum eſt, miſericordia fuit. Nunc omiſſis nugis, mera homicidia ſunt: [6] nihil habent quo tegantur: ad ictum totis corporibus expoſiti, numquam fruſtrà [7] manum mittunt. Hoc plerique [8] ordinarijs paribus & [9] poſtulaticijs præferunt. Quid ni præferant? non galeâ, non ſcuto repellitur ferrum. Quò munimenta? quò gladij artes? Omnia iſta mortis moræ ſunt. Manè leonibus & vrſis homines, meridie ſpectatoribus ſuis obijciuntur. Interfectores [10] interfecturis iubentur obijci, & victorem in aliam detinent cædem. exitus pugnantium mors eſt: [11] ferro &
C igne res geritur. Hæc fiunt, dum [12] vacat arena. Sed latrocinium fecit aliquis: [13] quid ergo meruit? vt [14] ſuſpendatur. Occidit hominem. qui occidit, ille meruit vt hoc pateretur: tu quid meruiſti miſer, vt hoc ſpectes? Occide, [15] vre, verbera. [16] Quare tam timidè incurrit in ferrum? quare parùm audacter occidit? quare parùm libenter moritur? [17] Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis & obuijs pectoribus excipiunt.

Inter-

EPIST. VII. 1. AVT COMMENDAT.] *Exemplo.*

2. IMPRIMIT.] *Sermone.*

3. ALLINIT.] *Conuerſatione.*

4. MERIDIANVM.] *In arenâ duplex ſpectaculum, Matutinum & Meridianum. Ibi cum beſtijs; nunc, qui reliqui, inter ſe depugnabant. Me vide* II. *Saturnal.*

D 5. CRVORE.] *Qui manè affatim effuſus.*

6. NIHIL HABENT.] *Epiſt.* XCV. Homo ſacra res, homo, iam per luſum & iocum occiditur: & quem eruditi ad accipienda inferendaque vulnera nefas erat, is iam nudus inermisque producitur ſatiſque ſpectaculi in homine mors eſt.

7. MANVM MITTVNT.] *Ad ictum. De manibus gladiatorijs, nos quoque in Saturnalib.*

8. ORDINARIIS.] *Qui legitimo tempore, loco, & apparatu inducuntur. qui propriè & primò gladiatores ſunt. At iſti, velut vicarij quidam & ſubitò ſuffecti, minus artis aut pompæ habebant.*

9. POSTVLATICIIS.] *Plus etiam quàm Ordinarijs. nam iſti ſepoſiti quidam, & velut Principales erant: quos populo poſcenti, per gratiam indulgebant.*

10. INTERFECTVRIS.] *Scripti,* interfectis: *ſed ſententia ita poſcit. A libris Muretus abiuit qui,* inter ſe, *fecit.*

11. FERRO ET IGNE.] *Ferro, quo occidunt: igne, quo in cædem agunt. ſtatim:* Occide, vre.

12. VACAT ARENA.] *A legitimo & ordinario ſpectaculo, matutino. Statim* : Intermiſſum eſt ſpectaculum.

13. QVID ERGO MERVIT?] *Malim,* Quid ergo? meruit, vt.

14. SVSPENDATVR.] *In cruce. nam hoc latronibus deſtinatum ſupplicium. Tamen pro mente hîc magis fortaſſe,* meruit, vt ſicperdatur?

15. VRE, VERBERA.] *Vre facibus, aut candenti ferro; verbera, flagris. Adi epiſt.* XXXVII. *& nos in Saturn.*

16. QVARE TAM TIMIDE.] *Voces & affectus populi. qui ſic in Cicerone:* In gladiatorijs pugnis timidos, & ſupplices, & vt viuere liceat obſecrantes, odiſſe ſolemus. *In noſtro De Irâ* I. Quid gladiatoribus quare populus iraſcitur, & tam iniquè, vt iniuriam putet, quòd non libenter pereunt? Contemni ſe iudicat, & vultu, geſtu, ardore, de ſpectatore in aduerſarium vertitur.

17. PLAGIS.] *Verberibus, vt ſuprà.*

18. MALA

Intermissum est spectaculum? interim iugulantur homines, ne nihil agatur. Age ne hoc A
quidem intelligitis, [18] mala exempla in eos redundare qui faciunt? Agite dijs immortalibus gratias, quòd [19] eum docetis esse crudelem, qui non potest discere. Subducendus populo est tener animus, & parùm tenax recti: facilè transitur ad plures. Socrati, Catoni, & Lælio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset: adeò nemo nostrûm, qui [20] cùm maximè concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest. Vnum exemplum aut luxuriæ, aut auaritiæ, multum mali facit: conuictor delicatus paullatim eneruat & emollit: vicinus diues cupiditatem irritat: malignus comes quamuis candido & simplici, [21] rubiginem suam affricuit: quid tu accidere [22] his credis, in quos publicè factus est impetus? Necesse est aut imiteris, [23] aut oderis. Vtrumque autem deuitandum est: ne vel similis malis fias, quia multi sunt: néve inimicus multis, quia dissimiles sunt. Recede in teipsum quantum potes. cum his versare, qui te meliorem facturi sunt: illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuò ista fiunt, & homines dum docent, discunt. Non est ergo quòd te gloria B
publicandi ingenij producat in medium, vt [24] recitare istis velis, aut disputare: quod facere te vellem, si haberes isti populo [25] idoneam mentem. Neimo est, qui intelligere te possit. Aliquis fortasse vnus aut alter incidet: & hic ipse formandus tibi erit, instituendusque ad intellectum tui. Cui ergo, inquis, ista didici? non est quòd timeas, ne operam perdideris, si tibi didicisti. Sed ne mihi soli hodie didicerim, communicabo tecum quæ occurrerunt mihi egregiè dicta circa eumdem ferè sensum tria: ex quibus vnum hæc epistola in debitum soluet, duo [26] in antecessum accipe. Democritus ait: *Vnus mihi pro populo est, & populus pro vno.* Benè & ille quisquis fuit (ambigitur enim de auctore) cùm quæreretur ab illo, quò tanta diligentia artis spectaret ad pauciſſimos peruenturæ? *Satis sunt*, inquit, *mihi pauci, satis est vnus, satis est nullus.* Egregiè hoc tertium. Epicurus cùm vni ex consortibus studiorum suorum scriberet: *Hæc*, inquit, *ego non multis, sed tibi: satis enim magnum alter alteri theatrum sumus.* Ista, mi Lucili, condenda in animum sunt, vt contemnas voluptatem, ex plurium assensione venientem. Multi te laudant. Ecquid ha- C
bes cur placeas tibi, si is es quem multi intelligunt? introrsus bona tua spectent.

18. MALA EXEMPLA.] *Qui tam libenter occiditis, non timetis à potentiore occidi?*

19. EVM DOCETIS.] *Manifestò hoc ad Neronem. & in eius clementiæ laudem, blandè nec tamen falsò (sub initia quidem imperij) hîc insertum.*

20. CVM MAXIME CONCINNAMVS.] *In viâ & profectu sumus ad bonam mentem, nondum habemus: fingimus & formamus. His talibus quàm vitanda turba, docet & Epicteti Dissertatio, lib. II. cap. XVI.*

21. RVBIGINEM SVAM.] *Quam* Æruginem *Horatius dixit. Epictetus*: Ἀ μήχανον τὸν συναξιβόμβυον τῷ ἠσβολημβύῳ, μὴ καὶ αὐτὸν ἀπολαῦσαι τῆς ἀσβολῆς: Fieri non potest, quin qui versetur & adhæreat fuligine tincto, & ipse fuliginem ab eo participet.

22. HIS CREDIS.] *Libri plerique*, his moribus credis: *non malâ item sententiâ. Quantum periculi ab ijs moribus vitijq; est, in quæ publicè consensum? Sed melior aptiorq; è vulgatâ. Si vnus alterve conuictor corrumpit, aut deijcit: quomodo ij stabunt, qui à toto populo petuntur? quod ijs euenit, qui turbæ se committunt.*

23. AVT ODERIS.] *Quidam liber*, odiaris. *quod verbi non sperno: sed hîc locum non habere sequentia docent.*

24. RECITARE.] *Tua scripta in publico, vt olim solet.*

25. IDONEAM MENTEM.] *Aliqui*, mercem.

26. IN ANTECESSVM.] *Vox à foro & argentarijs. significat inantè solui, & priusquam dies cesſit. Glossæ*: Antecessum: πρόχρειαν. *vult esse, dare vel accipere εἰς πρόχρειαν: quod Latinus*, Prærogare, *vel* Præcipere. *Quinctilianus Declamat.* D
Quod apud mercatores solet, in antecessum dedi. *Florus* III. Marius & Carbo, desperatâ victoriâ, & ne inulti perirent, in antecessum sanguine Senatus sibi parentabant. *Eas enim duas voces, è fido codice, nos Floro redonamus. Vtitur & noster, epist.* CXVIII. *initio; De Benefic.* IIII. *cap.* XXXII.

A

EPIST. VIII.

PENDET *à priore epistolâ, & est velut obiectio. Quid? vitare me vis turbam, & populum? atqui Stoici tui docent rebus accedere, in rebus mori. Respondet, non otium se suadere, sed secessum. à suo exemplo: qui relictis aliis, Sapientiæ vacat, & præcepta eius scriptis propagat. Hoc operum maximum, & pulcherrimum esse. Denique incerta ab Epicuro, Libertatem veram à Philosophiâ dari.*

TV me, inquis, vitare turbam iubes, secedere, & conscientiâ esse contentum: vbi illa præcepta vestra, quæ imperant [1] in actu mori? Quid? ego tibi videor [2] interim sedere? in hoc me recondidi, & fores clausi, vt prodesse pluribus possim. Nullus mihi per otium dies exit: partem noctium studiis vindico: non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigiliâ fatigatos, cadentesque, in opere detineo. Secessi non tantùm ab
B hominibus, sed etiam à rebus, & primùm à meis. Posterorum negotium ago: illis aliqua quæ possint prodesse, conscribo: salutares admonitiones, velut medicamentorum vtilium compositiones, litteris mando, esse illas efficaces in meis vlceribus expertus: quæ etiam si persanata non sunt, serpere desierunt. Rectum iter, quod serò cognoui, & lassus errando, aliis monstro. Clamo, Vitate quæcumque vulgo placent, quæ casus attribuit: ad omne fortuitum bonum, [3] suspicioſi pauidique subsistite. Et fera, & piscis, spe aliquâ oblectante decipitur. Munera ista fortunæ putatis? [4] insidiæ sunt. Quisquis nostrûm tutam agere vitam volet, quantum plurimum potest, ista [5] viscata beneficia deuitet: in quibus hoc quoque miserrimi fallimur, habere nos putamus, [6] habemur. In præcipitia cursus iste deducit: huius eminentis vitæ exitus, cadere est. Deinde ne resistere quidem licet, cùm cœpit transuersos agere felicitas. [7] Aut saltem rectis, aut temet fueris. *Qui hoc faciunt, non euertit fortuna, [8] sed cernulat & allidit. Hanc ergo sa-
C nam & salubrem formam vitæ tenere memento, vt corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Duriùs tractandum est, ne animo malè pareat: cibus famem sedet, potio sitim exstinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit aduersus infesta corpori. Hanc vtrùm cespes erexerit, an [9] varius lapis gentis alienæ, nihil interest:

EPIST. VIII. 1. IN ACTV MORI.] *Noster, in Fragmento quod Vitæ beatæ adhæsit*: Quid agis Seneca? deseris partes. certè Stoici vestri dicunt, Vsque ad vltimum vitæ finem in actu erimus.

2. INTERIM SEDERE.] *Desidere, & otiosus esse. Suum exemplum obycienti reponit. Vis videre etiam in secessu actionem, & in otio negotium esse? en me & studia mea. Libri tamen plerique*: Quod ego tibi videor interim suadere, in hoc.

3. SVSPICIOSI.] *Nequid, specie boni, mali lateat.*

D 4. INSIDIÆ SVNT.] *Martialis lib.* IV. *in captatorem*: Qui potes insidias, dona vocare, tuas.

5. VISCATA BENEFICIA.] *Quæ qui tangit, obhæret. Plinius lib.* IX. *epist.* XXX. Qui ijs potissimùm donant, qui donare maximè possunt. quos ego viscatis hamatisque muneribus non sua promere puto, sed aliena corripere.

6. HABEMVR.] *Noster epist.* CXIX. Sic diuitias habent, quomodo habere dicimur febrem, cùm illa nos habeat. *De Vit. beat. cap.* XXII. Ad postremum, diuitię meæ sunt, tu diuitiarum es. *Valerius*: Proculdubiò hic non possedit diuitias, sed à diuitijs possessus est. *Bionis vetus dictum, in auarum*: Οὐχ ἕτος, ἔφη, τὴν οὐσίαν κέκτηται, ἀλλ' ἡ οὐσία τοῦτον: Non iste bona possidet, sed bona ipsum. *Bona igitur sententia: sed libri tamen nostri*, fallimur: habere nos putamus, hæremus. *& ad viscum atque aues referri possit, quæ dum prædam tenere se putant, tenentur.*

7. AVT RECTIS.] *Muretus vulgauit*, Aut rectus sta, aut semel fuge. qui hoc faciunt, non euertit. *Sed nos scripturam veterem, nostriq; optimi libri præferre maluimus, in loco hercules corrupto, quid si defecto? Quidam scripti, pro* fruêris, *habent* fruere; *alij*, fuere. *Ego non attollo hunc locum, imò depono.*

8. SED CERNVLAT.] *Ergo minus hoc est quàm* Euertere, *quod præiuit: an maius? Sanè qui cernuum se abijcit, præcipitat &, quod hîc addit*, allidit. Cernulat *autem in Glossario explicatur* κυβιστᾷ: *in caput se iacit pronum: &* Cernuus, πεταυιστὴς, *quia ita solẽt per lusum id genus. Solinus, de Tigride*: Notantur frequentissimè, in litore, irritâ rabie, cernuari: *cùm assequi raptores fœtus sui non possunt. Apuleius* I. Corpus exanimatum in flumen pænè cernuat. *Varro apud Nonium*: Pelles bubulas oleo perfusas percurrebant, ibique cernuabant. *Prudentius*:

Cernuat ora senex barbatus, & oscula figit.

Seruius in hoc Virgilij lib. X. incumbit cernuus armo: In eam partem, quâ cernimus, prolapsum *interpretatur.*

9 VARIVS LAPIS.] *Marmor varij coloris.*

tereſt: ſcito hominem tam benè culmo, quàm [10] auro tegi. Contemne omnia, quæ ſu- A
peruacuus labor velut ornamentum ac decus ponit. Cogita in te, præter animum, nihil eſſe mirabile: cui magno nihil magnum eſt. Si hoc mecum, ſi hoc cum poſteris loquor, non videor tibi plus prodeſſe, quàm cùm ad vadimonium aduocatus deſcenderem, aut tabulis teſtamenti annulum imprimerem, aut in ſenatu [11] candidato vocem & manum commodarem? Mihi crede: qui nihil agere videntur, maiora agunt, humana diuinaque ſimul tractant. Sed iam finis faciendus eſt, & aliquid, vt inſtitui, pro hac epiſtolâ dependendum. id de meo non fiet. adhuc Epicurum [12] replicamus, cuius hanc vocem hodierno die legi. *Philoſophiæ ſeruias oportet, vt tibi contingat* [13] *vera libertas.* Non differtur [14] in diem, qui ſe illi ſubiecit & tradidit. [15] ſtatim circumagitur. hoc enim ipſum philoſophiæ ſeruire, libertas eſt. Poteſt fieri, vt me interroges, quare ab Epicuro tam multa benè dicta referam potiùs quàm noſtrorum. quid eſt tamen, quare tu iſtas Epicuri voces putes eſſe, non publicas? Quàm multa poëtæ dicunt, quæ à philoſophis aut dicta ſunt aut dicenda? Non attingam tragicos, aut togatas noſtras: habent enim hæ B
quoque aliquid ſeueritatis, & ſunt inter comœdias & tragœdias mediæ: quantum diſertiſſimorum verſuum inter mimos iacet? quàm multa Publij, non [16] excalceatis, ſed [17] cothurnatis dicenda ſunt? Vnum eius verſum, qui ad philoſophiam pertinet, & ad hanc partem quæ modò fuit in manibus, referam, quo negat fortuita in noſtris habẽda.

Alienum eſt omne, quidquid optando venit.

Hunc verſum à te dici non paullò meliùs, & adſtrictiùs, memini:

Non eſt tuum, fortuna quod fecit tuum.

Illud etiamnum meliùs dictum à te non præteribo:

Dari bonum quod potuit, auferri poteſt.

Hoc non imputo in ſolutum. de tuo tibi.

10. AVRO.] *In laquearibus.*

11. CANDIDATO.] *Hoc eſt, quod in eodem argumento noſter, De Tranquill. cap.* III. *dixit,* Extrahere candidatos. *Verba:* Nec enim is ſolus reip. prodeſt, qui candidatos extrahit, & tuetur reos. *adde cetera. Quia enim quaſi latentes,* voce & manu, *vt hîc ſcribitur, producit & oſtendit*: Extrahere *ibi ſcripſit. Plinius Panegyrico:* Quippe cùm orationi oculos, vocem, manum commodares: *in eâdem re candidatorum. Nam vt idem Plinius fatetur (lib.* III. *epiſt.* XX.) *cùm iam comitia per Principem in Senatu haberentur,* exceſſerant manifeſtis illis apertiſque ſuffragijs licentiam concionum. Non tempus loquendi, non tacendi modeſtia, non denique ſedendi dignitas cuſtodiebatur. Procurrebant omnes cum ſuis candidatis: *& plura, quæ addit.*

12. REPLICAMVS.] *Vt ſolet in vertendo & voluendo libros. Ita meus & meliores: alij* complicamus; *vulgò,* compilamus.

13. VERA LIBERTAS.] *Quæ ea ſit, vide epiſt.* LXXV. *in extremâ.*

14. IN DIEM.] *Vt vulgò ſolet in ſeruis: qui non ſunt liberi, niſi poſt annorum ſeruitutem.* C

15. STATIM CIRCVMAGITVR.] *Ad Romanum ritum. quo manumiſſi, manu capiti impoſita, in orbem vertebantur. Perſius:*

Verterit hunc dominus, momento temporis exit
Marcus Dama.

Horatius:

— quibus vna Quiritem
Vertigo facit.

Ritus, qui ſignificabat liberos iam eſſe, huc illuc ire poſſe, quò vellent.

16. EXCALCEATIS.] *Quod in mimis & comicis, qui ſocco non cothurno vtebantur.*

17. COTHVRNATIS.] *Tragicis, quorum altiores hi calcei, vt magis ſublimes & auguſtæ eſſent regum aut principum illæ perſonæ.* D
Noſter epiſt. LXXVII. Vt cothurnati, ſimul exierunt, excalceantur & redeunt ad ſtaturam ſuam.

EPIST.

A

EPIST. IX.

ITEM *pars aut explicatio priorum. Sapientem non quærere homines, ſeipſo contentum. Quid ergo? non etiam amicum? Imò, ſed poteſt & ſine eo eſſe: poteſt amittere, & amiſſum reparare. In eoipſo fructus & voluptas eſt, dum parat. An ergo ſuâ cauſſâ, vt Epicuréi cenſent? Non, ſed potiùs alterius cui proſit, pro quo periclitetur, pro quo moriatur. Merces virtutis, ipſa eſt. Fuſiùs deinde & ſubtiliùs, Quatenus ſe contentus, quatenus non ſit: & in verbis diſtinctiunculæ Stoicæ.*

AN meritò reprehendat in quadam epiſtolâ Epicurus eos, qui dicunt ſapientem ſe ipſo eſſe contentum, & propter hoc amico non indigere, deſideras ſcire. Hoc obiicitur [1] Stilponi ab Epicuro, & his quibus ſummum bonum viſum eſt [2] animus im-
B patiens. In ambiguitatem incidendum eſt, ſi exprimere ἀπαθείαν vno verbo ſcitè voluerimus, & Impatientiam dicere. Poterit enim contrarium ei, quod ſignificare volumus, intelligi. Nos enim eum volumus dicere, qui reſpuat omnis mali ſenſum: accipietur is, qui nullum poſſit ferre malum. Vide ergo, num ſatius ſit, aut [3] inuulnerabilem animum dicere, aut animum extra omnem patientiam poſitum. Hoc inter nos [4] & illos intereſt. Noſter ſapiens [5] vincit quidem incommodum omne, ſed ſentit: illorum, ne ſentit quidem. Illud nobis cum illis commune eſt, ſapientem [6] ſeipſo eſſe contentum: ſed tamen & amicum habere vult, & vicinum, & contubernalem, quamuis ſibi ipſe ſufficiat. Vide quàm ſit ſe contentus. aliquando ſui parte contentus eſt, ſi illi manum aut morbus, aut hoſtis inciderit. Si quis oculum caſus excuſſerit, reliquiæ illi ſuæ ſatisfacient: & erit imminuto corpore & amputato tam lætus, quàm integro fuit. Quæ ſibi deſunt, non deſiderat: ſed non deeſſe mauult. Ita ſapiens ſe contentus eſt, non vt velit eſſe ſine amico, ſed vt poſſit: & hoc quod dico poſſit, tale eſt. amiſſum æquo animo fert:
C ſine amico quidem numquam erit. in ſuâ poteſtate habet, quàm citò reparet. Quomodo ſi perdiderit Phidias ſtatuam, protinus alteram faciet: ſic & hic faciendarum amicitiarum artifex, ſubſtituet alium in locum amiſſi. Quæris quomodo amicum citò facturus ſit? dicam, ſi illud mihi tecum conuenerit, vt ſtatim tibi ſoluam quod debeo, & quantum ad hanc epiſtolam, [7] paria faciamus. Hecaton ait: *Ego tibi monſtrabo* [8] *amatorium, ſine medicamento, ſine herbâ, ſine vllius veneficæ carmine.* [9] *Si vis amari, ama.* Habet autem non tantùm amicitiæ vſus, veteris & certæ, magnam voluptatem, ſed etiam initium & comparatio nouæ. Quod intereſt inter metentem agricolam, & ſerentem: hoc inter eum qui parauit amicum, & qui parat. [10] Attalus philoſophus dicere ſolebat, *Iucundius eſſe amicum facere, quàm habere*: quomodo artifici iucundius eſt pingere, quàm pinxiſſe. Illa in opere ſuo occupata ſolicitudo, ingens oblectamentum habet in ipſâ occupatione. Non æquè delectatur, qui ab opere perfecto remouit manum. iam fructu artis ſuæ fruitur: ipſâ fruebatur arte, cùm pingeret. Fructuoſior eſt adoleſcentia liberorum, ſed in-
D fantia dulcior. Nunc ad propoſitum reuertamur. Sapiens etiam ſi contentus eſt ſe, tamen habere amicum vult: ſi ob nihil aliud, vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus inceat:

EPIST. IX. 1. STILPONI.] *Cuius Zeno auditor fuit, & quædam ab eo hauſit.*

2. ANIMVS IMPATIENS.] *Quorum ſententia nimis rigida erat, Sapientem medys in rebus neutram in partem moueri, aut inclinare. Id ἀδιαφορίαν vocabant, & in hac Summum bonum eſſe. Vide me diffusè ediſſerentem* III. *Manuduct. Diſſ.* VII.

3. INVVLNERABILEM ANIMVM.] *Parùm ſcitè exprimit, meo quidem ſenſu. Cur non* imperturbabilem animum *potiùs? cur non vno verbo (licet enim fingere)* imperturbationem?

4. ET ILLOS.] *Megaricos, inter quos Stilpo.*

5. VINCIT QVIDEM.] *Senſum nō adimunt Stoici, victoriā donant: vt noſter De Prouid. ca.* II. Nec hoc dico, non ſentit illa, ſed vincit. *Vide me loco dicto.*

6. SEIPSO CONTENTVM.] *Magnificum dogma, & inter inopinata. De quo ego Manud.* III. *Diſſert.* X.

7. PARIA FACIAMVS.] *Nihil reliqui ſit, neu.er in alterius ære.*

8. AMATORIVM.] *Gloſſæ veteres explicant,* φίλτρον. *Idem Latini,* Venenum.

9. SI VIS AMARI.] *Martialis hoc ipſum:*
— Marce vt ameris, ama.

10. ATTALVS.] *E Stoâ, ſub Tiberio, philoſophus. de quo epiſt.* CVIII. *& alibi.*

iaceat: non ob hoc quod [11] Epicurus dicebat in hac ipsâ epistolâ, vt habeat qui sibi ægro A
assideat, succurrat in vincula coniecto vel inopi: sed vt habeat aliquem, cui ipse ægro
assideat, quem ipsum circumuentum hostili custodiâ liberet. Qui se spectat, & propter
hoc ad amicitiam venit, malè cogitat: quemadmodum cœpit, sic desinet. Parauit ami-
cum aduersus vincula laturum opem: cùm primùm crepuerit catena, discedet. Hæ sunt
amicitiæ, [12] quas *Temporarias* populus appellat. Qui caussâ vtilitatis assumptus est,
tamdiu placebit, quamdiu vtilis fuerit. Hac re [13] florentes amicorum turba circumse-
det: circa euersos ingens solitudo est: & inde amici fugiunt, [14] vbi probantur. Hac re
ista tot nefaria exempla sunt, aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentium.
Necesse est initia inter se & exitus congruant. Qui amicus esse cœpit, quia expedit; pla-
cebit ei aliquod pretium contra amicitiam, si vllum in illâ placet pretium præter ipsam.
In quid amicum paro? vt habeam pro quo mori possim, vt habeam quem in exsilium
sequar, cuius me morti opponam & [15] impendam. Ista quam tu describis, [16] negotiatio
est, non amicitia: quæ ad commodū accedit, quæ quid consecutura sit, spectat. Non du- B
biè habet aliquid simile amicitiæ, affectus amantium: possis dicere, illam esse insanam
amicitiam: numquid ergo quisquam amat lucri caussâ? numquid ambitionis aut glo-
riæ? Ipse per se amor, omnium aliarum rerum negligens, animos in cupiditatem for-
mæ, non sine spe mutuæ caritatis, accendit. Quid ergo? ex honestiori caussâ coit turpis
affectus? Non agitur, inquis, nunc hoc, an amicitia propter se, an propter aliud sit expe-
tenda. nam si propter seipsam expetenda est, potest ad illam accedere, qui seipso conten-
tus est. Quomodo ergo ad illam accedit? quomodo ad rem pulcherrimam: non lu-
cro captus, nec varietate fortunæ perterritus. Detrahit amicitiæ maiestatem suam, qui
illam [17] parat ad bonos casus. Se contentus est sapiens. Hoc, mi Lucili, perperam pleri-
que interpretantur: sapientem vndique submouent, & [18] intra cutem suam cogunt. Di-
stinguendum est autem, quid & quatenus vox ista promittat. Se contentus est sapiens,
ad beatè viuendum, non ad viuendum. Ad hoc enim multis illi rebus opus est; ad il-
lud tantùm animo sano, & erecto, & despiciente fortunam. Volo tibi [19] Chrysippi quo- C
que distinctionem indicare. Ait sapientem nullâ re indigere, & tamen multis illi rebus
opus esse: contrà, stulto nullâ re opus est, nullâ enim re scit vti, sed omnibus eget. Sa-
pienti

Nomen quidē, sed rem ipsam amici nō habēt,
Qui sorte tristi, non se amicos exhibent.

14. VBI PROBANTVR.] *Libri prisci*, vnde pro-
bantur. *rectè vtrumuis. Ennius*:

Amicus certus in re incertâ cernitur.

Lucretius:

Quò magis in dubijs homines spectare periclis
Conuenit, aduersisque in rebus noscere qui
sint.

Exactio igitur & probatio Amici, in re tristi.

15. IMPENDAM.] *Ipse moriar. Ab hac caussâ argu-
tè Panegyristes, Theodosio*: Humilis hæc virtus
(Amicitia) dubiumque virtus iudicabatur, nec D
Palatijs digna, sed periculis habebatur.

16. NEGOTIATIO EST.] *Cicero* II. *De Nat. Deorum*: Amicitiam si ad fructum nostrum refe-
remus, non erit ista Amicitia, sed mercatura quæ-
dam vtilitatum suarum.

17. PARAT AD BONOS CASVS.] *Sic libri: & sententia bona, clara. Muretus vocem reiectum iuit, ediditq́ue*: ad casus. *nec malè, si tamen hoc Senecæ.*

18. INTRA CVTEM.] *Intra se. Prouerbiale est: vt in Horatio*,

— quoniam in propriâ non pelle quiessem.

Martialis: — memento
Intra pelliculam cerdo manere tuam.

19. CHRYSIPPI DISTINCTIONEM.] *De quâ ego Manuduct.* III. *Diss.* XI.

20. RESO-

11. EPICVRVS DICEBAT.] *Eius dogma, Amicitiam ob vsum fructumq́ue esse. Verba in Laërtio*: Εἶναι καὶ γίγνεσθαι τὴν φιλίαν, διὰ τὰς χρείας: Esse & contrahi amicitiam, ob vsus. *Plutarchus, De amore in liberos.*

Θαυμάζεται ἐν τοῖς θεάτροις ὁ εἰπών,
Μισθῷ γὰρ ἀνθρώπῳ, τίς ἄνθρωπον φιλεῖ;
κατ' Ἐπίκουρον, ὁ πατὴρ τὸν υἱὸν, μήτηρ τὸ τέκνον, οἱ παῖδες τοὺς τεκόντας:

In theatris admirationi est, qui dicit,

Mercede nam quis hominis, hominem
diligit?

Iuxta Epicurum, pater filium, mater prolem, ipsi liberi parentes. *Stoici contrà. & hanc quoque virtutem, vt omnes, suâ caussâ & pretio colendam. Cicero* III. *de Finib.* Minimè verò probatur huic disci-
plinæ *(Stoicæ)* de quâ loquor, aut Amicitiam, aut Iustitiam, propter vtilitates adscisci, aut probari. *Plura nos in Ethicis: & videsis Manuduct.* III. *Dissert.* XVI.

12. QVAS TEMPORARIAS.] *Temporibus aptas, & cum ijs manentes, abeuntes. Ita in Curtio*, Tem-
poraria ingenia: *quæ consilia & sese pro temporibus mutant.*

13. FLORENTES AMICORVM TVRBA.] *Communis locus. sed isti nomine amici, non re au-
diunt. Euripides*:

Ὄνομα γὰρ, ἔργον δ' οὐκ ἔχουσιν οἱ φίλοι,
Οἱ μὴ πὶ ταῖσι συμφοραῖς ὄντες φίλοι:

A pienti & manibus, & oculis, & multis ad quotidianum vſum neceſſariis opus eſt, ſed eget nullâ re: egere enim, neceſſitatis eſt: nihil autem neceſſe ſapienti eſt. Ergo quamuis ſeipſo contentus ſit, amicis illi opus eſt. hos cupit habere quàm plurimos, non vt beatè viuat: viuet enim etiam ſine amicis beatè. Summum bonum extrinſecus inſtrumenta non quærit, domi colitur: ex ſe totũ eſt. incipit fortunæ eſſe ſubiectum, ſi quam partem ſui foris quærit. Qualis tamen futura eſt vita ſapientis, ſi ſine amicis relinquatur in cuſtodiam coniectus, vel in aliquâ gente alienâ deſtitutus, vel in nauigatione longâ retentus, aut in deſertum littus eiectus? qualis eſt Iouis, cùm [20] reſoluto mundo, & diis in vnum confuſis, paullìſper ceſſante naturâ, [21] acquieſcit ſibi, cogitationibus ſuis traditus. Tale quiddam ſapiens facit. in ſe reconditur, ſecum eſt: quamdiu quidem illi licet ſuo arbitrio res ſuas ordinare, ſe contentus eſt: & ducit vxorem, ſe contentus eſt: & liberos tollit, ſe contentus eſt: & tamen non viuet, ſi fuerit ſine homine victurus. Ad amicitiam fert illum nulla vtilitas ſua, ſed naturalis irritatio. nam vt aliarum nobis rerum innata
B dulcedo eſt, ſic amicitiæ. Quomodo ſolitudo in odio eſt, ſic in dulcedine appetitio ſocietatis. Quomodo hominem homini natura conciliat, ſic ineſt huic quoque rei ſtimulus, qui nos amicitiarum appetentes faciat. Nihilominus cùm ſit amicorum amantiſſimus, cùm illos ſibi comparet, ſæpè præferat: omne intra ſe bonum terminabit, & dicet quod Stilpon ille dixit, Stilpon quem Epicuri epiſtola inſequitur. Hic enim captâ patriâ, amiſſis liberis, amiſsâ vxore, cùm ex incendio publico ſolus, & tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, cui cognomen ab exitio vrbiũ Poliorcetes fuit, *Numquid perdidiſſet? Omnia*, inquit, *bona mea mecum ſunt*. Ecce vir fortis ac ſtrenuus. ipſam hoſtis ſui victoriam vicit. Nihil, inquit, perdidi. dubitare illum coëgit, an viciſſet. Omnia mea mecum ſunt. Iuſtitia, virtus, temperantia, prudentia, hoc ipſum, nihil bonum putare quod eripi poſſit. Miramur animalia quædam, quæ per medios ignes ſine noxâ corporum tranſeunt: quanto hic mirabilior vir, qui per ferrum & ruinas & ignes, illæſus & indemnis euaſit? Vides quanto facilius ſit totam gentem, quàm vnum virum vincere? Hæc vox illi eſt
C communis cum Stoico. æquè & hic intacta bona per concrematas vrbes fert. Se enim ipſo contentus eſt, hoc felicitatem ſuam fine deſignat. Ne exiſtimes nos ſolos generoſa verba iactare: & ipſe Stilponis obiurgator Epicurus, ſimilem illi vocem emiſit, quam tu boni conſule, etiam ſi hunc diem iam expunxi. *Si cui*, inquit, *ſua non videntur ampliſſima, licet totius mundi dominus ſit, tamen miſer eſt.* Vel ſi hoc modo tibi melius enunciari videtur: id enim agendum, vt non verbis ſeruiamus, ſed ſenſibus: *Miſer eſt, qui ſe non beatiſſimum iudicat, licet imperet mundo.* Vt ſcias autem hos ſenſus communes eſſe, naturâ ſcilicet dictante, apud poëtam comicum inuenies.

[22] *Non eſt beatus, eſſe ſe qui non putat.*

Quid enim refert qualis ſtatus tuus ſit, ſi tibi videtur malus? Quid ergo? inquis, ſi beatum ſe dixerit ille turpiter diues, & ille multorum dominus, ſed plurium ſeruus: beatus ſuâ ſententiâ fiet? Non quid dicat, ſed quid ſentiat, refert: nec quid vno die ſentiat, ſed quid aſſiduè. Non eſt autem quòd verearis, ne ad indignum res tanta perueniat. Niſi
D ſapienti ſua non placent. omnis ſtultitia laborat faſtidio ſui.

20. RESOLVTO MVNDO.] *Per conflagrationem ſiue ἐκπύρωσιν Stoicam.*

21. ACQVIESCIT SIBI.] *Chryſippus aiebat*, Solum Iouem manere, omnium Deorum, poſt conflagrationem: ipſum autem recedere in Prouidentiã, atque vnà manere ambos in ſolâ Ætheris ſiue Ignis eſſentiâ. *Volebat nempe Iouem, cum Prouidentiâ, diſponere futura, & Mundum componere: nec ineptè. Videme* II. *Phyſiol. Diſſ.* XXII.

22. NON EST BEATVS.] *Aliquid ego* II. *Manuduct. Diſſert.* XVII.

Hactenus produxi, & vno tenore per viam iui: vereor vt deinceps ſic poſsim, æquabili induſtriâ & diſquiſitione. Quid vereor? imò non poſſum: ita aſsidui languores, & iamnuper acre illud morbi abiecerunt & abiiciunt, vt ægrè ad hæc talia adſurgam. Confeſſio exprimitur: EIA VALETVDO CEDO, EN MANVM TOLLO.

A

EPIST. X.

SOLITVDINEM *bonam, ſed bonis aut progreſſis, eſſe: aliis aliam. Nam mali aut ſtulti maximè in eâ peccant, remoto arbitro, & ſibi relicti. Obiter præceptiuncula de Votis: & nihil concipere, niſi quod palàm poßis nuncupare.*

SIC eſt, non muto ſententiam, fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam vnum. Non habeo cum quo te communicatum velim, & vide quò iudicium meum abeat: audeo te tibi credere. Crates, vt aiunt, huius ipſius [1] Stilponis auditor, cuius mentionem priori epiſtolâ feci, cùm vidiſſet adoleſcentulum ſecretò ambulantem, interrogauit, *Quid illic ſolus faceret? Mecum*, inquit, *loquor*. cui Crates: *Caue*, inquit, *rogo & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris.* Lugentem timentemque cuſtodire ſolemus, ne ſolitudine malè vtatur: nemo eſt [2] ex imprudentibus, qui relinqui ſibi debeat. Tunc B
mala conſilia agitant: tunc aut aliis, aut ipſis futura pericula ſtruunt. Tunc cupiditates improbas ordinant: tunc quidquid aut metu, aut pudore celabat, animus expromit: tunc audaciam acuit, libidinem irritat, iracundiam inſtigat. Denique, quod vnum ſolitudo habet commodum, nihil vlli committere, non timere indicem, perit ſtulto: ipſe ſe prodit. Vide itaque quid de te ſperem, imò quid ſpondeam mihi. ſpes enim incerti boni nomen eſt. non inuenio cum quo te malim eſſe, quàm tecum. Repeto memoriâ, quàm magno animo quędam verba proieceris, quàm roboris plena. gratulatus ſum protinus mihi, & dixi: [3] Non à ſummis labris iſta venerunt: habent hæ voces fundamentum. iſte homo non eſt vnus è populo, ad ſalutem ſpectat. Sic loquere, ſic viue: vide ne te vlla res deprimat. Votorum tuorum veterum licet diis [4] gratiam facias: alia de integro ſuſcipe: [5] roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. Quid ni tu iſta vota ſępè facias? audacter Deum roga, nil illum de alieno rogaturus. Sed vt more meo cum aliquo munuſculo epiſtolam mittam, verum eſt, quod apud [6] Athenodo- C
rum inueni: *Tunc ſcito te eſſe omnibus cupiditatibus ſolutum, cùm eò perueneris, vt nihil Deum roges, niſi quod* [7] *rogare poßis palàm.* Nunc enim quanta dementia eſt hominum? [8] tur-

EPIST. X. *Et tamen iterùm poſt interuallum admoneo: ſed, vt prædixi, non ſic aßiduam & intentam. Homini homo ignoſce.*

1. STILPONIS AVDITOR.] *Auditor, ſed non aſſecla aut ſectarius: nam Diogenis Cynici fuit. Sed tanta Stilponis Venus in dicendo, vt pleroſque ſtudioſorum Megarâ ad ſe traxerit: inter eos Cratetem hunc, & Zenonem noſtrum. Laërtius in Stilpone.*

2. EX IMPRVDENTIBVS.] *Nam* vt mali tragœdi, *ait Epictetus*, ſoli canere non poſſunt, ſed cum pluribus: ſic quidam ſoli deambulare non poſſunt. *At bonus poteſt, & bonis cogitationibus meliorem ſe reddere. Ideò Antiſthenes interrogatus*, Quid ex philoſophiâ feciſſet lucri? Τὸ δύνασθαι, ἔφην, ἑαυτῷ ὁμιλεῖν: poſſe mecum loqui & verſari, *inquit.*

3. NON A SVMMIS LABRIS.] *Sed à pectore & intimo ſenſu. Illud autem prius conuenit in eos, qui, vt Lucianus loquitur*, ἀπ' ἄκρου χείλους φιλοσοφοῦσι: à ſummo labio philoſophantur: *ſiue vt Fauorinus dicebat*, μέχρι τοῦ λέγειν, ἀνδ τοῦ πράττειν: verborum tenus, factorum expertes. *Pulchrè Epictetus, apud Arrianum*, III. *Diſſert.* XVI. *hos tales increpat*: Et quare, *inquit*, indocti in ſermonibus & perſuaſione efficaciores ſæpè, quàm vos ſunt, ô philoſophi? Ὅτι ἐκεῖνοι μὲν τὰ σαπρὰ ταῦτα ἀπὸ δογμάτων λαλοῦσιν, ὑμεῖς δὲ τὰ κόμψα ἀπὸ τοῦ χειλῶν. διὰ τοῦτο ἀτονάεσι, καὶ νεκρά: Quoniam illi ſordentia ſua ex decreto, & animi ſenſu, proferunt; vos autem iſta elegantia à labris. idcoque infirma ſunt, & mortua. *Nota opponi iſta*, ἀπὸ δογμάτων, καὶ ἀπὸ χειλῶν.

4. GRATIAM FACIAS.] *Remittas, non exigas. Epiſtolâ* XX. Hoc opta, omnia alia vota Deo remiſſurus.

5. ROGA BONAM MENTEM.] *Id eſt, Stoicè*, Rectam, *ſiue* Perfectam *Rationem: Mentem benè eruditam & factam, iudicij ſanam. Ita Perſius, inter publica vota:*

Mens bona, Fama, Fides. hæc clarè, & vt audiat hoſpes.

Petronius: At ne Bonam quidem Mentem, aut D
valetudinem petunt.
Iuuenalis:
Orandum eſt, vt ſit Mens ſana, in corpore ſano.
Propertius:
Mens Bona, ſiqua dea es, tua me in ſacraria condo.

6. ATHENODORVM.] *De quo ego Manuduct.* I. *Diſſert.* XII.

7. ROGARE POSSIS PALAM.] *Pulcherrimus hic locus. Mala, nocitura, aut infamia non pudet à Dijs petere; coram hominibus, pudet. Idem noſter, De Benef.* VI. *cap.* XXXVIII. Quàm multa ſunt vota, quę etiam ſibi fateri pudet? quàm pauca, quæ facere coram teſte poſſimus? *Idem De Benef.* II. *cap.* I.

Vota

A [8] turpissima vota diis insusurrant: si quis admouerit aurem, conticescent, & quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Vide ergo ne hoc præcipi salubriter possit: Sic viue cum hominibus, tamquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant.

EPIST. XI.

Bene sperare se de amico Lucilij, in quo plurimus pudor & rubor. Hunc aliquando à naturâ esse, nec vllis præceptis excuti: ac sequi etiam sapientem. Comparere item in malis interdum, & mali notam. Monitum deinde salutare Epicuri: semper virum bonum repræsentare nobis, qui coërceat vt pædagogus. Velut illo præsente facere omnia, & loqui.

B Locvtvs est mecum amicus tuus bonæ indolis: in quo quantum esset animi, quantum ingenij, quantum iam etiam profectus, sermo primus ostendit. Dedit enim nobis gustum, ad quem respondebit: non enim ex præparato locutus est, sed subitò deprehensus. Vbi se collegit, verecundiam, [1] bonum in adolescente signum, vix potuit excutere: adeò illi ex alto [2] suffusus est robur. Hic illum, quantum suspicor, etiam cùm se confirmauerit, & omnibus vitiis exuerit, sapientem quoque sequetur. Nullâ enim sapientiâ, naturalia corporis aut animi vitia ponuntur: quidquid infixum & ingenitum est, lenitur arte, non vincitur. Quibusdam etiam constantissimis in conspectu populi sudor erumpit, non aliter quàm fatigatis & æstuantibus solet: quibusdam tremunt genua dicturis: quorumdam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt. Hæc nec disciplina, nec vsus vnquam excutit: sed natura vim suam exercet, & illos [3] vitij sui etiam robustissimos admonet. Inter hæc & ruborem esse scio, qui grauissimis

Vota homines parciùs facerent, si palàm facienda essent. adeò etiam Deos, quibus honestissimè
C supplicamus, tacitè malumus & intra nos precari. *Catullus:*

— tacito suspendit vota labello.

At contrà vir sapiens,

— recti custos, imitator honesti,
Et nihil arcano qui roget ore Deos:

vt Martialis de illo appositè, lib. 1. *Adde & Horatium lib.* 1. *epist.* XVI.

8. Tvrpissima vota.] *Persius Sat.* 11.

At bona pars procerum tacitâ libabit acerrâ.
Haud cuiuis promptum est, murmurque, humilesque susurros
Tollere de templis, & aperto viuere voto.

Vulgus, atque adeò primi, tacitis votis sacrificant, & intra se precati. quæ? turpia, Moriatur ille, potiar illâ, & quæ palàm non audent. Plutarchus, de Defe-
D *ctu oraculorum:* Apollinem alij de Thesauris, aut Hereditatibus, aut incestis Nuptijs consulunt: vt planè refellatur Pythagoras, qui dixit, Homines, quando Deos adeunt, fieri meliores. Illi verò, quos animi morbos, coram viro grauiore aut ætate maturo, recondere & abnegare decebat; hos detectos & apertos ad Deum deferunt. *Opportunè de Pythagorâ: cuius etiam hoc fuit,* μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι: Oportere clarè & vocaliter precari. *Clemens Alexandrinus* IV. *Strom.* Τὶ τοίνυν οἱ Πυθαγόρειοι βελόμενοι, μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι κελεύουσιν; Ἐμοὶ δοκεῖν, ἐχ ὅτιτὸ θεῖον ὤοντο μὴ δύνασθαι τῇ ἠσυχῇ φθεγγομένων ἐπαΐειν, ἀλλ' ὅτι δικαίας ἐβούλοντο εἶ τὰς εὐχὰς, ἃς οὐκ ἄντις αἰδεσθείη ποιεῖσθαι, πολλῶν συνειδότων: Quid igitur Pythagorei volunt, clarâ voce precari iubentes? Meo iudicio, non quia Numen non posset audire tacitè aut submissè precantes: sed quia censebant iustas debere esse preces, & quas nemo vereretur palàm concipere, multisque conscijs. *Adspicit huc Macrobius* 1. *Saturn.* Præceptum est Philosophiæ: Sic loquendum esse cum hominibus, tamquam Dij audiant; sic cum Dijs, tanquam homines audiant.

EPIST. XI. 1. Bonvm in adolescente.] *Et mihi semper laudatum.*

Αἰδομένων δ' ἀνδρῶν πλέονες σοοὶ ἢὲ πέφανται:
Queis pudor est, plures sunt salui, quàm perierunt.

ait Sapientiæ fons Homerus. Et Symmachus: Quorum mens honesta est, eorum imbecilla frons est.

2. Svffvsvs est rvbor.] *Signum & index Virtutis. Diogenes Cynicus olim,* ἰδών ποτε μειράκιον ἐρυθριῶν, Θάῤῥει, ἔφη. τοιοῦτόν ἐστι τῆς ἀρετῆς τὸ χρῶμα: cernens adolescentulum erubescentem, Confide, inquit: talis Virtutis est color. *Menander:*

Πᾶς ἐρυθριῶν γε χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ:
Quisquis erubescit, censeo hunc ego probum.

Catonis etiam dictum (in Plutarcho:) Τῶν νέων μᾶλλον ἀγαπᾶν τοὺς ἐρυθριῶντας, ἢ τοὺς ὠχριῶντας: Adolescentium magis se amare erubescentes, quàm expallescentes.

3. Vitii svi.] *Nam tale etiam nimius pudor, siue δυσωπία. Stoici igitur & verbis distinguebant, vt solent. Plutarchus, De nimiâ verecundiâ:* Οἱ Στωϊκοὶ καὶ τῷ ῥήματι τὸ αἰσχύνεσθαι καὶ δυσωπεῖσθαι τὴν αἰδοῦς διέχρησαν: Stoici & verbo ipso Pudere, ab eo quod est Verecundari, distinxerunt. *Ergo illud in vitio, hoc laude: etsi Latinis vix tale discrimen.*

simis quoque viris subitus offunditur. Magis quidem in iuuenibus apparet, quibus & A
plus caloris est, & tenera frons: nihilominus veteranos & senes tangit. Quidam numquam magis, [4] quàm cùm erubuerint, timendi sunt: quasi omnem verecundiam effuderint. Sulla tunc erat violentissimus, cùm faciem eius sanguis inuaserat. [5] Nihil erat mollius ore Pompeij. numquam non coram pluribus erubuit: vtique in concionibus. [6] Fabianum, cùm in senatum testis esset inductus, erubuisse [7] memini: & hîc mirè illum pudor decuit. Non accidit hoc ab infirmitate mentis, sed à nouitate rei: quæ inexercitatos etsi non concutit, mouet, naturali in hoc facilitate corporis pronos. Nam vt quidam boni sanguinis sunt, ita quidam incitati & mobilis, & citò in os prodeuntis. Hæc, vt dixi, nulla sapientia abigit: alioquin haberet rerum naturam sub imperio, si omnia eraderet vitia. Quæcumque attribuit conditio nascendi, & corporis temperatura, cùm multum se diuque animus composuerit, hærebunt. Nihil horum vitari potest, non magis quàm accersi. [8] Artifices scænici, qui imitantur affectus, qui metum & trepidationem exprimunt, qui tristitiam repræsentant, hoc indicio imitantur verecũdiam: B
deiiciunt vultum, verba submittunt, figunt in terram oculos & deprimunt, ruborem sibi exprimere non possunt. nec prohibetur hic, nec adducitur. Nihil aduersus hæc sapientia promittit, nihil proficit: sui iuris sunt, iniussa veniunt, iniussa discedunt. [9] Iam clausulam epistola poscit: accipe, & quidem vtilem & salutarem, quam te affigere animo volo. *Aliquis* [10] *vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tamquam illo spectante viuamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus*. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit: custodem nobis & pædagogum dedit: nec immeritò. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis adsistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui [11] non adspectus tantùm, sed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui sic aliquem vereri potest, vt ad memoriam quoque eius se componat, atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, citò erit verendus. Elige itaque Catonem: si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virum Lælium: elige eum, cuius tibi placuit, & vita, & oratio, & C
[12] ipsius animum ante te ferens & vultus, illum semper tibi ostende, vel custodem vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant. Nisi ad regulam, praua non corriges.

4. QVAM CVM ERVBVERINT.] *Sicut in Domitiano notatur à Tacito*, sæuus ille vultus, & rubor, à quo se contra pudorem muniebat. *De eodem Plinius:* Pallor in corpore, in ore impudentia, multo rubore suffusa. *Et hunc tacita aut aperta ira sæpè facit: ideoq; scitè disparat Sidonius, in suo Theoderico:* Lactea cutis iuuenili rubore suffunditur. namque hunc illi crebrò colorem, non ira, sed verecundia facit.

5. NIHIL MOLLIVS ORE POMPEII.] *De quo tamen Sallustius*: Oris probi, animo inuerecundo: *indignante Lenæo liberto, & scriptis vindicante.*

6. FABIANVM.] *Philosophum & Rhetorem. vide epist.* C.

7. MEMINI.] *Vixit enim floruitq;, adolescente Senecâ, sub Tiberio.*

8. ARTIFICES SCÆNICI.] Τεχνίται Διονύσου *Græcis: histriones, & id genus. Vide* VII. *de Benef. cap.* XX.

9. IAM CLAVSVLAM.] *Meus bonus liber*, clausam. *quidni esset, vt Summa, Summulas?*

10. VIR BONVS ELIGENDVS.] *Sub quo velut custode viuas. Nimis salutare monitum: de quo in epist.* XXV. *& ego in Manud.* III. *Diss. vltimâ.*

11. NON ASPECTVS TANTVM.] *Benè ad sententiam, non ad libros; qui omnes*, non actus: *quod esset, non actiones tantùm, sed cogitationes. Pro priore illâ mente scriberem*, tactus: *quod notat scilicet præsentem. Etsi quidam monent, in suis libris*, non præsens tantùm, *legi. Sed de ipsâ re, Plutarchus habet inter signa Profectus:* Si magnorum virorum memoria, in affectu aut perturbatione, statim se repræsentet, & immotos nos conseruet. *Xenophon Socrati hoc tribuit, lib.* IV. *Dict. & Factor.* ὅτι καὶ τὸ μεμνῆσθαι μὴ παρόντος, ὡ μικρὰ ὠφελεῖ τοὺς εἰωθότας τε αὐτῷ συνεῖναι, καὶ δι' ὅπου ἐχομένους αὐτόν: quòd etiam memoria absentis plurimum iuuabat eos, D
qui versari cum illo soliti, & sermones eius accipere. *Euripidem huc ducas:*

Ἀλλ' ἔν' ἔχει τι χρῆμα, κἀν ἄπωθεν ἦν
Ἀνὴρ ὁ χρηστὸς, δυσχοοῦντας ὠφελεῖν:
Speciem hoc habet, quòd dissitus quoque vir bonus,
Iuuare miseros, & prodesse possiet.

12. IPSIVS ANIMVM.] *Variant libri. Modius volebat*: ipsus ante se ferens animum vultus. *Ego probem, cum meo & quibusdam*, ipsius animo ante te ferens vultus: *id est, eius vultus & imaginem animo præferens, ac proponens, quasi præsentis. Alij tamen libri:* ipse animum ante se ferens vultus: *id est, qui robur & virtutem vultu prætulit.*

EPIST.

A

EPIST. XII.

FACETE *de senectute suâ narrat, & in villâ se eius admonitum. Admonitum autem sine tristitiâ; nec tristem eam, imò iucundam esse, & vitiis minùs opportunam. Omnem vitam breuem: sed qualemcumque, vsu faciendam nostram, & manum illi iniiciendam. Cottidie dicamus, & censeamus*, Vixi.

QVOCVMQVE me verto, argumenta senectutis meæ video. Veneram in suburbanum meum, & querebar de impensis ædificij dilabentis: ait villicus, non esse negligentiæ suæ vitium: omnia se facere, sed villam veterem esse. Hæc villa inter manus meas creuit. Quid mihi futurum est, si iam putria sunt ætatis meæ saxa? Iratus illi, proximam occasionem stomachandi arripio. Apparet, inquam, has platanos negligi.
B nullas habent frondes. quàm nodosi sunt, & retorridi rami? quàm tristes & squallidi trunci? Hoc non accideret, si quis has circumfoderet, si irrigaret. Iurat[1] per Genium meum, se omnia facere, in nullâ re cessare curam suam: sed illas vetulas esse. Quod inter nos sit, ego illas posueram, ego illarum primum videram folium. Conuersus ad ianuam: Quis est, inquam, iste decrepitus, & meritò[2] ad ostium admotus? foras enim spectat. Vnde istunc nactus es? quid te delectauit, alienum mortuum tollere? At ille: Non cognoscis me? inquit. ego sum Felicio, cui solebas[3] sigillaria afferre: ego sum Philositi villici filius, deliciolum tuum.[4] Profectò, inquam, iste delirat.[5] Pupulus, etiam deliciolum meum factus est. Prorsus potest fieri.[6] dentes illi cummaximè cadunt. Debeo hoc suburbano meo, quòd mihi[7] senectus mea, quocumque aduerteram, apparuit. Complectamur illam, & amemus: plena est voluptatis, si illâ scias vti. Gratissima sunt poma,[8] cùm fugiunt: pueritiæ maximus in exitu decor est: deditos vino potatio extrema delectat, illa quæ mergit, quæ ebrietati summam manum imponit. Quòd in se iu-
C cundissimum omnis voluptas habet, in finem sui differt. iucundissima est ætas deuexa iam, non tamen præceps: & illam quoque in[9] extremâ tegulâ stantem, iudico habere suas voluptates: aut hoc ipsum succedit in locum voluptatum, nullis egere. Quàm dulce est,

EPIST. XII. 1. PER GENIVM MEVM.] *Libri ferè*, Genium suum: *nec damnes. Vulgatum iurare, vel adiurare, per Salutem suam & Genium: quem interpretatur Charisius*, τὴν ἑκάστου τύχην, cuiusque Fortunam. *In Apuleio*: Per fortunas Genioſque vestros. *Sed & per alterius Genium, præsertim Principis, aut Domini sui: vt in Propertio*,

Exuitur, Geniumq; meum prostratus adorat.

Et plura exempla alijs iam notata.

2. AD OSTIVM ADMOTVS.] *Allusio ad ritum collocandi cadaueris. quod solet ad ostium deponi, pe-*
D *dibus & facie foras versis. Itaque ludit, & ait: Meritò iste ianitor est, & ostium seruat: nam mox ita locandus, & efferendus. Virgilius adspexit, lib.* VIII.

—— recipitque ad limina gressum,
Corpus vbi exanimi positum Pallantis.

Plura ego I. *Elect. cap.* VI.

3. SIGILLARIA ADFERRE.] *Dies post Saturnalia, itemq; ipsa munera (quia sigillis olim constabant) quæ pueris sollenne offerre*, Sigillaria *dicta. Suetonius Claudij cap.* V. Quadraginta aureos in Saturnalia & Sigillaria misisse: *atque ibi interpretes. Solent autem maiores minoribus ferè mittere, & amatores amatis.*

4. PROFECTO INQVAM.] *Diuinabam*, perfectè.

5. PVPVLVS ETIAM.] *Est puer, siue paruus pupus: & conuenit hic, quia faciebat se in delicijs lusibusq; Senecæ fuisse. Tamen veteres*, vetulus: *alij*, populus. *Lego autem*, & iam, *diuulsim.*

6. DENTES ILLI.] *Iocus iterùm. nam & pueris septuennibus dentes cadunt, itemq; senibus. Noster epist.* LXXXIII. *hac ipsâ re ludens*: Earinus puer ait nos eamdem crisim habere: quia vtrique dentes cadunt.

7. SENECTVS MEA.] *Non tam grauis, quàm* ὑπερόχως *facit. Vitam vide.*

8. CVM FVGIVNT.] *Iam cedentia ætati, & abeuntia. vt* Vinum fugiens.

9. EXTREMA TEGVLA.] *Quasi lapsui vicinam. Nam instabile ibi & suspensum vestigium, in extremis dico tectis. Alij ad guttam adspectum putant, quæ casura adhuc ibi pendet. Sed ego veterem lectionem præferam, quæ est* regulâ. *Interpretor* lineam extremam, *quæ in Stadijs solita duci, cursui finis. Seneca noster epist.* XLIX. Admoueri lineas sentio: *atque ibi vide. Sanè has tales lineas Græci etiam* κανόνας, *& Latini* Regulas *dicebant. Statius:*

Vt ruit, atque æquum summisit regula limen.

Etiam Cassiodorus III. *Variarum. Ait autem hîc Seneca*, Stantem in extremâ regulâ: *sicut de Irâ* I. *cap.* XI. Imperium in extremo stabat. *Et alibi*: In vltimo gradu positus.

10. Fv-

ce est, cupiditates [10] fugasse ac reliquisse ? Molestum est, inquis, mortem ante oculos ha- A
bere. Primùm ista tam iuueni ante oculos debet esse, quàm seni : non enim citamur
[11] ex censu: deinde nemo tam senex est, [12] vt improbè vnum diem speret. Vnus autem
dies, gradus est vitæ. tota ætas partibus constat, & orbes habet circumductos maiores
minoribus. Est aliquis, qui omnes complectatur & cingat : hic pertinet à natali ad diem
extremũ. est alter, qui annos adolescentiæ excludit. est qui totam pueritiam ambitu suo
adstringit. est deinde ipse annus, in se omnia continens tempora, quorum multiplicatio-
ne vita componitur. Mensis arctiore præcingitur circulo: angustissimum habet dies gy-
rum: sed & hîc ab initio ad exitum venit, ab ortu ad occasum. Ideò Heracletus, cui cog-
nomen Scotinon fecit orationis obscuritas : *Vnus*, inquit, *dies par omni est*. Hoc alius ali-
ter accepit : dixit enim parem esse horis: nec mentitur. Nam si dies tempus est viginti-
quattuor horarum, necesse est omnes inter se dies pares esse : quia nox habet, quod dies
perdidit. Alius ait, parem esse vnum diem omnibus similitudine : nihil enim habet
longissimi temporis spatium, quod non in vno die inuenias, lucem & noctem, & alter- B
nas mundi vices. [13] Planiora facit ista nox aliàs contractior, aliàs productior. Itaque
[14] sic ordinandus est dies omnis, tamquam [15] cogat agmen, & consummet atque expleat
vitam. [16] Pacuuius qui Syriam [17] vsu suam fecit, cùm vino & illis funereis epulis [18] sibi
parentauerat, sic in cubiculum ferebatur à cœnâ, vt inter plausus exoletorum hoc ad
symphoniam caneretur: [19] βεβίωκε, βεβίωκε. nullo non se die extulit. Hoc quod ille ex
malâ conscientiâ faciebat, nos ex bonâ faciamus, & in somnum ituri, læti, hilaresque
dicamus, *Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi.*
Crastinum si adiecerit Deus, læti recipiamus. Ille beatissimus est & securus sui posses-
sor, qui crastinum sine sollicitudine exspectat. Quisquis dixit, Vixi, quotidie ad lu-
crum surgit. Sed iam debeo epistolam cludere. Sic, inquis, sine vllo ad me peculio ve-
niet ? Noli timere : aliquid secum feret. quare aliquid dixi ? multum. Quid enim hac
voce præclarius, quam illi trado ad te perferendam ? *Malum est in necessitate viuere. sed*
in necessitate viuere, necessitas nulla est. Quid ni nulla sit ? patent vndique ad libertatem C
viæ

10. FVGASSE AC.] *Mei & Gruteriani*, fatigasse. *Omnino ita fuit: in cursu scilicet manet: & senex in extremâ lineâ, reliquit à tergo voluptates ac fatigauit.*

11. EX CENSV.] *E tabulis censualibus, in quibus iuniores seniores q̃, notati, & cuiusque adeò ætuum. Talis autem citatio in Militiâ & Dilectu obtinebat: at non, inquit, in morte.*

12. VT IMPROBE.] *Alij cum negatione*, vt non improbè. *Vulgatum eligam: & quisque senex, saluâ fronte vnum diem speret: quid si annum cum Catone ? Ita enim ille apud Ciceronem:* Nemo est tam senex, qui se annum non putet posse viuere.

13. PLANIORA.] *Quidam* Planeta: *at scripti ferè*, plura; *itemq;* non, *vbi*, nox *scribitur. Ego concinnem*, Plura facit ista non alia, aliàs contractior, aliàs productior. *Plures sunt, inquit, dies, at non diuersi: etiamsi spatio dissident.*

14. SIC ORDINANDVS DIES.] *Horatij præceptum:*

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Musonius: Οὐκ ἔστι τὴν ἐνεστηκυῖαν ἡμέραν καλῶς βιῶναι, μὴ προθέμενον αὐτὴν ὡς ἐσχάτην βιῶσαι: Non est præsentem diem benè transigere, nisi qui proponit velut vltimam illam transigere.

15. COGAT AGMEN.] *Benè, à militiâ. nam vltimi sunt agminis coactores. Tamen bonus ille meus*, cogat alium.

16. PACVVIVS.] *Quis iste, quæro. Proprætórne Syriæ fuit ? appâret, & quidem annos plures, sub Tiberio: cui hoc proprium, continuare imperia. At nullum ego* Pacuuium *sub eo Syriæ Præsidem, sed* Pomponium, *cognomine* Flaccum *reperio. qui videtur statim à Germanici morte Syriæ præfectus, tenuitque annos circiter tredecim. Nam obyit anno vrbis* DCCLXXXVI. *cepit, vt videtur,* DCCLXXIII. *Alium equidem illis annis non obseruare memini, qui eam rexerit. At de morte huius, Tacitus* VI. *Annali:* Flacco Pomponio Syriæ proprætore defuncto, recitantur Cæsaris litteræ. *De electione, Suetonius Tiberij cap.* XLII. *Huic autem successit mox L. Vitellius, & tenuit ad Caium: vt nec esse quidem alius potuerit, Tiberij principatu, plures illos annos, quàm* D
Pomponius: *quem tamen non ausim in Senecâ substituere. An si fortè* Pacuuius *ille, non Præses, sed Procurator Cæsaris, ibi fuit ?*

17. VSV SVAM FECERAT.] *Ob diuturnum ibi imperium, vt dixi, & moram.*

18. SIBI PARENTAVERAT.] *Alludit ad conuiuia funerum. sicut ab eodem epist.* CXXII. Non conuiuantur, sed iusta sibi faciunt. *Et de Vitâ beatâ, cap.* XI. Locus, in quo luxuriæ parentatur.

19. Βεβίωκε.] *E quibusdam libris, βεβίωται. Cicero ad Atticum:* Homini non recta, sed voluptaria quærenti, nónne βεβίωται ? *id est*, Vita acta est ?

20. NEMO

A viæ multæ, breues, faciles. Agamus Deo gratias, quòd [20] nemo in vitâ teneri poteſt. calcare ipſas neceſſitates licet. Epicurus, inquis, dixit: quid tibi cum alieno? [21] Quod verum eſt, meum eſt. perſeuerabo Epicurum tibi ingerere: vt iſti qui in verba iurant, nec quid dicatur æſtimant, ſed à quo, ſciant, quæ optima ſunt, eſſe communia.

EPIST. XIII.

FORMAT *pulchrè aduerſus fortuita, & robur donat. Maximè autem, ne futurorum metu angamur: incerta ea eſſe, & poſſe non euenire. Spe igitur omnem metum temperandum. Deinde illud robuſtius: Fac & præcipe ventura: à Deo ſunt, & in bonum.*

MVLTVM tibi eſſe animi ſcio. nam etiam antequam [1] inſtruerem te præceptis ſalutaribus, & dura vincentibus, ſatis aduerſus fortunam placebas tibi: & mul-
B to magis, poſtquam cum illâ conſeruiſti manum, vireſque expertus es tuas. quæ numquam certam dare fiduciam ſui poſſunt, niſi cùm multę difficultates hinc & illinc apparuerint, aliquando verò & propiùs acceſſerint. Sic verus ille animus, & in alienum non venturus arbitrium, probatur: hæc eius [2] obruſſa eſt. Non poteſt athleta magnos ſpiritus ad certamen adferre, qui numquam [3] ſugillatus eſt. Ille [4] qui fudit ſanguinem ſuum, cuius dentes crepuerunt ſub pugno, ille qui ſupplantatus aduerſarium toto tulit corpore, nec proiecit animum proiectus, qui quoties cecidit contumacior reſurrexit, cum magnâ ſpe deſcendit ad pugnam. Ergo, vt ſimilitudinem iſtam proſequar, ſæpè iam fortuna ſupra te fuit: nec tamen tradidiſti te, ſed ſubſiliiſti, & acrior reſtitiſti. [5] multum enim adiicit ſibi virtus laceſſita. Tamen ſi tibi videtur, accipe à me auxilia quibus munire te poſſis. Plura ſunt, Lucili, quæ nos terrent, quàm quæ premunt: & ſæpiùs opi-
nione, quàm re laboramus. Non loquor tecum Stoicâ linguâ, ſed hac ſubmiſſiore. Nos enim dicimus, omnia iſta quę gemitus mugituſque exprimunt, leuia eſſe, & contemnen-
C da. Omittamus hæc magna verba, ſed, dij boni, vera! illud tibi præcipio, ne ſis miſer ante tempus: cùm illa quæ velut imminentia expauiſti, fortaſſe numquam ventura ſint, certè nondum venerint. Quædam ergo nos magis torquent, quàm debeant: quædam antè torquent, quàm debeant: quædam torquent, cùm omnino non debeant. Aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præcipimus. Primum illud, quia res in controuerſiâ eſt, & [6] litem conteſtatam habemus, in præſentiâ differatur. Quod ego leue dixero, tu grauiſſimum eſſe contendes, ſcio alios inter flagella ridere, alios gemere ſub colapho. Poſteà videbimus, vtrùm iſta ſuis viribus valeant, an imbecillitate noſtrâ: illud præſta mihi, vt quoties circumſteterint, qui tibi te miſerum eſſe perſuadeant, non quid audias, ſed quid ſentias cogites. & cum patientiâ tuâ deliberes, ac te ipſe interroges, qui tua optimè noſti: Quid eſt quare iſti me complorent? quid eſt quòd trepident, quòd contagium quoque mei timeant, quaſi tranſilire calamitas poſſit? Eſt aliquid iſtîc mali? an res iſta magis infamis eſt quàm mala? Ipſe te interroga: Numquid ſine cauſsâ crucior,
D &

20. NEMO IN VITA TENERI.] *Tragicus:*
Eripere vitam nemo non homini poteſt,
At nemo mortem.

21. QVOD VERVM EST.] *Meus ille liber,* Quod ſecurum.

EPIST. XIII. 1. INSTRVEREM TE.] *Alij libri* inſtrueres te. *Velim,* inſtruerêre.

2. OBRVSSA EST.] *Quidam libri,* Hæc eius probatio obtruſa eſt: *è quo poſſis,* probatio & obruſſa eſt. *Sed prius illud interpretatio videtur. neque enim aliud* Obruſſa *(Monetæ verbum) quàm auri per ignem examen, & depurgatio. Suetonius Nerone, cap.* XLIV. *ibi Scholiaſtæ.*

3. SVGILLATVS EST.] *Gloſſæ veteres:* Υπωπιασθείς, Sugillatus. *Iterumq.:* Sugillat, πλήσσει, ὑπωπίαια ποιεῖ: percutit, vibices facit. *Nam ὑπωπίαια propriè ſub oculis, & in genis,* ἐκχυμώματα: *quæ pugilibus crebra ab ictu.*

4. QVI FVDIT SANGVINEM.] *Priſci libri,* qui vidit: *rectè. Noſter De Prouid. cap.* IV. Veteranus cruorem ſuum ſpectat, qui ſcit ſe ſæpè viciſſe poſt ſanguinem.

5. MVLTVM ADIICIT SIBI.] *Creſcit, & vt vetus poëta,*
— vireſcit vulnere virtus.

6. LITEM CONTESTATAM.] *Nos Stoici cum Epicuréis, alijſq. quibus Dolor eſt malum: at nobis Indifferens.*

7. QVÆ

& mæreo, & quod non eſt malum facio? Quomodo,inquis,intelligam, vana ſint, an A
vera, quibus angor? Accipe huius rei regulam. Aut præſentibus torquemur, aut futuris,aut vtriſque. De præſentibus, facile eſt iudicium. ſi corpus tuum liberum eſt, ſanum eſt,nec vllus ex iniuriâ dolor eſt: videbimus quid futurum ſit, hodie nihil negotij habet. At enim futurum eſt. Primum diſpice, an certa argumenta ſint venturi mali. plerumque enim ſuſpicionibus laboramus, & illudit nobis illa, [7] quæ conficere bellum ſolet,fama: multo autem magis ſingulos conficit. Ita eſt,mi Lucili. citò [8] accedimus opinioni: non coarguimus illa, quæ nos in metum adducunt: nec excutimus, ſed trepidamus: & ſic vertimus terga, quemadmodum illi,quos puluis motus fugâ pecorum,exuit caſtris, aut quos aliqua fabula ſine auctore ſparſa conterruit. Neſcio quomodo magis vana perturbant. vera enim modum ſuum habent: quidquid ex incerto venit,coniecturæ & licentiæ pauentis animi traditur. Nulli itaque tam pernicioſi, tam irreuocabiles, quàm lymphatici metus ſunt. ceteri enim ſine ratione, hi ſine mente ſunt. Inquiramus itaque in rem diligenter. Veriſimile eſt,aliquid futurum mali? non ſtatim verum eſt. B
Quàm multa non expectata venerunt, quàm multa exſpectata numquam comparuerunt? Etiam ſi futurum eſt, quid iuuat dolori ſuo occurrere? ſatis citò dolebis, cùm venerit: interim tibi meliora promitte. Quid facies lucri? tempus. Multa interuenient, quibus vicinum periculum vel propè admotum, aut ſubſiſtat, aut deſinat, aut in alienum caput tranſeat. Incendium ad fugam patuit: quoſdam molliter ruina depoſuit: aliquando gladius ab ipsâ ceruice reuocatus eſt: aliquis carnifici ſuo ſuperſtes fuit. Habet etiam mala fortuna leuitatem. fortaſſe erit, fortaſſe non erit: interim dum non eſt, meliora propone. Nonnumquam nullis apparentibus ſignis, quæ mali aliquid pronuncient,animus ſibi falſas imagines fingit, aut verbum aliquod dubiæ ſignificationis detorquet in peius,aut maiorem ſibi offenſam proponit alicuius quàm eſt, & cogitat non quantum iratus ille ſit,ſed quantum liceat irato. Nulla autem cauſſa vitæ eſt,nullus miſeriarum modus, ſi timetur quantum poteſt. Hîc prudentia proſit, hîc robore animi euidentem quoque metum reſpue: ſi minus, vitio vitium repelle, [9] ſpe metum tempera. C
Nihil tam certum eſt ex his quæ timentur, vt non certius ſit, & formidata ſubſidere, & ſperata decipere. Ergo & ſpem ac metum examina: & quoties incerta erunt omnia, tibi faue, crede quod mauis. ſi plures habebis ſententias metus; nihilominus in hanc partem potiùs inclina, & perturbare te deſine. Ac ſubinde hoc in animo volue, maiorem partem mortalium, cùm illi nec ſit quidquam mali, nec pro certo futurum ſit, æſtuare ac diſcurrere. Nemo enim reſiſtit ſibi, cùm cœperit impelli,nec timorem ſuum redigit ad verum. Nemo dicit, Vanus auctor eſt,vanus: aut finxit, aut credidit. Damus nos referentibus, expaueſcimus dubia pro certis,non ſeruamus modum rerum, ſtatim in timorem venit ſcrupulus. Pudet me ſic tecum loqui, & tam leuibus remediis te focillare. Alius dicat, Fortaſſe hoc non veniet: tu dic, Quid porrò ſi veniet? videbimus [10] vtrùm veniet: fortaſſe pro me veniet, & mors iſta vitam honeſtabit. Cicuta magnum [11] Socratem fecit: Catoni gladium aſſertorem libertatis extorque, magnam partem detraxe-

7. QVÆ CONFICERE BELLVM.] *Ad Liuij hæc verba dicas adſpectum, libro* XXVII. Fama bellum conficit,& parua momenta in ſpem metúmve impellunt animos.

8. ACCEDIMVS OPINIONI.] *Atque ita mala præcipimus, malè. Bis térque enim ita miſeri: quod pulchrè Diogenes,in Stobæo*: Πάντα μᾶλλον τὰ δεινὰ πέφυκε προσδέχομένους, ἢ λυπεῖν τοὺς προσδεχομένους. ὁ δὲ φόβος οὕτω χαλεπός ἐστιν, ὥστε πολλὰ ἤδη προέλαβον τὸ ἔργον: Omnia grauia magis percellere ſolent eos qui futura præcipiunt, quàm qui iam patiuntur. Metus enim adeò improbus eſt, vt multi quod venturum videtur, anticipent. *Euripides pariter:*

Ἥ τοι τὸ μέλλον ἐκφοβεῖ καθ' ἡμέραν,
Ὡς τῷ γε πάσχειν τ' ἐπιὸν μεῖζον κακόν:

Quod eſt futurum,cotidie metus mouet, D
Vt plus mali exſpectando, quàm patiendo, ſit.

9. SPE METVM TEMPERA.] *Alterum alteri miſcendum eſt, vt præcipit ipſe epiſt.* CIV. *Sed & notabile*, Philoſophos fuiſſe, qui Elpiſtici Græcis ſunt appellati, qui vitam potiſſimùm Spe contineri affirmabant: eaque abſciſsâ, & oblectatione,quæ ex eâ oritur,vitam non poſſe tolerari. *Videntur iſti Summum bonum in Spe poſuiſſe. Plutarchus hæc de ijs, Quæſt. Conuiual.* IV. *cap.* IV.

10. VTRVM VENIET.] *Quidam libri*, vter vincat: *alij*,vtrùm vincat. *Tum ego legerem*, vtrùm vincet: *me ſcilicet, qui obſtabo.*

11. SOCRATEM FECIT.] *Libri ferè*: confecit. *An fortè rogando*, non fecit?

12. ET

A traxeris gloriæ. Nimiùm diu te cohortor, cùm tibi admonitione magis, quàm exhortatione opus sit. Non in diuersum te à naturâ tuâ ducimus : natus es ad ista quæ dicimus. Eò magis bonum tuum auge, & exorna. Sed iam finem epistolæ faciam, si illi signum suum impressero : id est, aliquam magnificam vocem perferendam ad te mandauero. *Inter cetera mala, hoc quoque habet stultitia proprium, semper incipit viuere.* Considera quid vox ista significet, Lucili virorum optime : & intelliges quàm fœda sit hominum leuitas, quotidie noua vitæ fundamenta ponentium, nouas spes etiam in exitu inchoantium. Circumspice tecum singulos. occurrent tibi senes, qui se cummaximè ad ambitionem, ad peregrinationes, ad negotiandum parent. Quid est autem turpius, quàm senex viuere incipiens? Non adiicerem auctorem huic voci, nisi esset secretior, nec inter vulgata Epicuri dicta, quæ mihi [12] & laudare, & adoptare permisi.

EPIST. XIV.

B

PRVDENTISSIMA *epistola. Monet corporis vitæque curam habendam, sed non nimiam. Timeri autem corpori tria, Pauperiem, Morbos, Violentiam : maximè hanc vltimam, quæ à potentibus est, aut tyrannis. Vt non timeas, tria vitentur : Odium, Inuidia, Contemptus. Quomodo autem, Sapientia dicet : & breuiter ipse.*

FATEOR insitam esse nobis corporis nostri caritatem : fateor nos huius gerere tutelam : nec nego indulgendum illi, [1] seruiendum nego. Multis enim seruiet, qui corpori seruit, qui pro illo nimiùm timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tamquam propter corpus viuere debeamus, sed tamquam non possimus sine corpore. Huius nos nimius amor timoribus inquietat, solicitudinibus onerat, contumeliis obiicit. Honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est. Agatur eius [2] diligentissimè cura : ita tamen, vt cùm exiget ratio, cùm dignitas, cùm fides, mittendum in
C ignem sit. Nihilominus, quantum possumus, euitemus incommoda quoque, non tantùm pericula : & in tutum nos reducamus, excogitantes subinde, quibus possint timenda depelli. quorum tria, ni fallor, genera sunt. Timetur inopia, timentur morbi, timentur quæ per vim potentioris eueniunt. Ex his omnibus nihil magis nos concutit, quàm quod ex alienâ potentiâ impendet. Magno enim strepitu & tumultu venit. Naturalia mala quæ retuli inopiæ atque morbi, silentio subeunt, nec oculis nec auribus quidquam terroris incutiunt : ingens alterius mali pompa est, ferrum circa se & ignes habet, & catenas, & [3] turbam ferarum, quam in viscera immittat humana. Cogita hoc loco carcerem, & cruces, & eculeos, & vncum; & adactum per medium hominem, qui [4] per os emergat, stipitem; & distracta in diuersum [5] actis curribus membra; illam [6] tunicam, alimen-

12. ET LAVDARE.] *Meus*, adlaudare : *probè.*

EPIST. XIV. 1. SERVIENDM NEGO.] *Nam vt Sallustius*, Animi imperio, corporis seruitio magis vtimur. *Chrysippus autem (in Claudiano, De statu Animæ, lib.* 11. *cap.* IX.) ab ipso pænè principio sui operis, Animo dominandi ius tribuit, corpori legem seruitutis imponit. *Scilicet hoc inter fundamenta Sapientiæ (Simplicius in Epictetum)* vt corpori mens imperet, & super id sese efferat : eoque non vt parte, sed instrumento vtatur. Qui aliter; ὁ πολὺς ἄνθρωπος, vulgaris homo est, ac verbo potiùs Homo, quàm reipsâ.

2. DILIGENTISSIME CVRA.] *Nam, ait Epictetus Dissert.* XI. *lib.* IV. si equum Natura tibi credidisset, non prorsus eum neglexisses. Ergo nunc etiam puta, corpus tibi tamquam equum esse traditum. Laua id, absterge, facito nequis auersetur, nequis abhorreat. *Et in summâ, artifex es? vtile tibi redde, & serua hoc instrumentum.*

3. TVRBAM FERARVM.] *Prisco ritu, quo homines bestijs obijciebant in Amphitheatris.*

4. PER OS EMERGAT.] *Quod Græci* σκολοπίζειν *dicunt, siue* Palo infigere : *familiare supplicium hodie Asiaticis. Scripsi in de Cruce, lib.* I.

5. ACTIS CVRRIBVS.] *Non malè. nam ad Quadrigas aut currus alligare noxios etiam solent, & in diuersum actis equis distrahere. De Metio notum. Tamen scripti ferè,* cruribus. *Id quoque rectè. cùm homines arboribus curuatis innexos brachijs pedibusq;, tum in rectum ijs dimissis, discerpunt. Scinis passim vsurpauit, atque etiam Alexander in Darij interfectore.*

6. TVNICAM ALIMENTIS.] *Hanc describit Isidorus, etsi malè* Culleum *appellet. Ait* tunicam fuisse ex sparto, in modum cruminæ factam, & solitam liniri pice & bitumine. *Hanc miseros illos induebant, & in eâ sic vstulabant.* Molestam

alimentis ignium & illitam & intextam; quidquid aliud, præter hæc, commenta ſæuitia eſt. Non eſt itaque mirum, ſi maximus huius rei timor eſt, cuius & varietas magna, & apparatus terribilis eſt. Nam quemadmodum plus agit tortor, quò plura inſtrumenta doloris expoſuit (ſpecie enim vincuntur, qui patientiâ reſtitiſſent:) ita ex his, quæ animos noſtros ſubigunt & domant, plus proficiunt, quæ habent quod oſtendant. Illæ peſtes non minùs graues ſunt, famem dico & ſitim, & præcordiorum [7] ſuppurationes, & febrem viſcera ipſa torrentem: ſed latent. nihil habent quod intentent, quod præferant: hæc, vt magna bella, adſpectu paratuque vicerunt. Demus itaque operam, abſtineamus offenſis. Interdum populus eſt, quem timere debeamus; interdum, ſi ea ciuitatis diſciplina eſt, vt plurima per ſenatum tranſigantur, gratioſi in eo viri, interdum ſinguli, quibus poteſtas populi, & in populum data eſt. Hos omnes amicos habere, operoſum eſt: ſatis eſt inimicos non habere. Itaque ſapiens numquam potentium iras prouocabit: imò declinabit, non aliter quàm in nauigando procellam. Cùm peteres Siciliam, traieciſti fretum. temerarius gubernator contempſit [8] auſtri minas. ille eſt enim, qui Siculum pelagus exaſperet, & [9] in vertices cogat. [10] non ſiniſtrum petit littus, ſed id, [11] quo propior Charybdis maria conuoluit. At ille cautior, peritos locorum rogat, qui æſtus ſit, quæ ſigna dent nubes, & longè ab illâ regione verticibus infami curſum tenet. Idem facit ſapiens: nocituram potentiam vitat, hoc primùm cauens, ne vitare videatur. Pars enim ſecuritatis & in hoc eſt, non ex profeſſo [12] eam petere: quia quæ quis fugit, damnat. Circumſpiciendum nobis eſt ergo, quomodo à vulgo tuti eſſe poſſimus. Primùm [13] nihil inde concupiſcamus, vnde rixa eſt inter competitores: deinde nihil habeamus, quod cum magno emolumento inſidiantis eripi poſſit. quàm minimum ſit in corpore tuo ſpoliorum. Nemo ad humanum ſanguinem propter ipſum venit, aut admodum pauci: [14] plures computant, quàm oderunt. Nudum latro tranſmittit: etiam in obſeſsâ viâ pauperi pax eſt. [15] Tria deinde ex præceptione veteri præſtãda ſunt, vt vitentur: Odium, Inui-

tunicam *vulgò appellabant. vt Martialis, lib.* X.

Nam cùm dicatur, tunicâ præſente moleſtâ,
Vre manum: plus eſt dicere, Non facio.

Et Iuuenalis:

Auſi, quod liceat tunicâ punire moleſtâ.

Quidni moleſtâ, *in quâ lento igne ſic ardebant? Tertullianus ad Martyres:* Iam & ad ignes quidã ſe auctorauerũt, vt certum ſpatium in tunicâ ardente conficerent. *Sæuiter ludebãt hac talia, & ſæpè cum argumento: vt ſiquis Herculẽ Oetæum repræſentaret. Idẽ Afer, in Apologetico:* Et qui viuus ardebat. Herculem induerat. *Alia etiã vſtulandi ratio in Amphitheatris, & cathedrâ ferreâ ignitâ, in quâ collocabãtur. O ingenia ſæuitiæ! Euſebius Cæſariẽſis, de Attalo martyre, lib.* V. *cap.* I. Ἐπὶ τῆς σιδηρᾶς ἐπετέθη καθέδρας, καὶ περιεκαίετο: In ferreâ locatus eſt cathedrâ, & amburebatur. *Mox hoc inſtrumentum, aut ſimile,* τήγανον *appellat, quaſi ad* frigendum & torrẽdum.

7. SVPPVRATIONES.] *Plures libri,* ſuſpirationes. *An non* Aſthma *dictum volunt: quod ipſe epiſt.* LIV. Suſpirium *interpretatur? Et tentatum ſe eo genere morbi oſtendit; & nihil moleſtius adfirmat. Itaque poteſt hîc teneri, & intelligi: etſi* Suppurationes *etiam notæ, & Græcorum* φθίσεις.

8. AVSTRI MINAS.] *Vide Conſol. ad Marc. cap.* XVII.

9. IN VERTICES COGAT.] *Ea natura eius loci,* & Charybdim mare verticoſum *Plinius appellat. Vide infrà epiſt.* LXXIX.

10. NON SINISTRVM.] *Vbi Scylla eſt, verſus Pelorum. Virgilius:*

Dextrũ Scylla latus, læuũ implacata Charybdis
Obſidet.

Quod ita eſt, Siciliæ reſpectu: & ſiquis ex eâ ſoluat. At qui ex Italiâ, læuam *Scyllam habent,* dextram *Charybdim: ſi media vtriuſque, vt ſolent, nautæ tenent.*

11. QVO PROPIOR CHARYBDIS.] *Obſerua de* temerario gubernatore *hæc dici, & qui* Auſtri minas, *ipſamq; Charybdim contemnit. Itaque propiùs etiam ad eam ſe admouet: & quaſi prouocat pericula, vt quidam* potentium iras. *At cautior ille, inquit, minimè: & quæ ſequuntur.*

12. EAM PETERE.] *Libros ſecutus ſum potiùs, quàm Muretum, qui* eam fugere *vulgauit. Sententia ex illo eadem elicitur. non petendam palàm ſecuritatem: quia ſic videmur fugere potentes (ſubducendo nos, & remouendo:) quod eſt tacitè eos damnare.*

13. NIHIL INDE CONCVPISCAMVS.] *Libri plerique,* nihil inde concupiſcamus. Rixa eſt inter competitores. *Tolerabilius, quàm quod vulgò, fateor: ſed quid tamen illud,* inde, *erit? Meus liber optimè,* nihil idem. *Dele mox,* vnde.

14. PLVRES COMPVTANT.] *Id eſt, lucrum ex eo facinore euenturum proponunt: & ideò magis, quàm odij ergô, ſuſcipiunt. Seneca De Benef.* V. Quotuſquiſque vxoris optimæ mortem timet, vt non computet? *Arguitè. Vt non ſimul etiam de lucello, ab eius morte cogitet.*

15. TRIA DEINDE.] *Inter præcepta Metrodori lego:* Ἐν πόλει μήτε ὡς λέων ἀνατρέφε, μήτε ὡς κώνωψ. τὸ μὲν γὰρ ἐκπατεῖται, τὸ δὲ καιροφυλακεῖται: In ciuitate neque vt leo, neque vt culex educare. Hic enim calcatur, illi inſidiæ parantur. *Duo dixit, Odium & Contemptum: medium omiſit.*

15. CAL-

A Inuidia, Contemptus. Quomodo hoc fiat, ſapientia ſola monſtrabit. Difficile enim temperamentum eſt, verendumque, ne in contemptum nos inuidiæ timor transferat: ne dum [16] calcari nolumus, videamur poſſe calcari. Multis timendi attulit cauſſas, timeri poſſe. Vndique nos reducamus, non minùs contemni quàm ſuſpici nocet. Ad philoſophiam ergo confugiendum eſt. hæ litteræ non dico apud bonos ſed apud mediocriter malos, [17] infularum loco ſunt. Nam forenſis eloquentia, & quæcumque alia populum mouent, aduerſarium habent: hæc quieta, & ſui negotij, contemni non poteſt: cui ab omnibus artibus, etiam apud peſſimos honor eſt. Numquam in tantum conualeſcet nequitia, numquam ſic contra virtutes coniurabitur, vt non philoſophiæ nomen venerabile & ſacrum maneat: Ceterùm philoſophia ipſa tranquillè modeſteque tractanda eſt. Quid ergo, inquis? videbitur tibi M. Cato modeſtè philoſophari, qui bellum ciuile ſententiâ ſuâ reprimit? qui furentium principum armis medius interuenit? qui aliis Pompeium offendentibus, aliis Cæſarem, ſimul laceſſit duos? Poteſt aliquis
B diſputare, an illo tempore capeſſenda fuerit ſapienti reſpublica. Quid tibi vis M. Cato? iam non agitur de libertate, olim peſſundata eſt: quæritur vtrùm Cæſar, an Pompeius poſſideat rempublicam. Quid tibi cum iſtâ contentione? nullæ partes tuæ ſunt: dominus eligitur. [18] Quid tuâ, vter vincat? melior vincere non poteſt: poteſt eſſe peior, qui victus fuerit; non poteſt melior, qui vicerit. Vltimas partes attigi Catonis: ſed ne priores quidem anni fuerunt, qui ſapientem in illam [19] rapinam reipublicæ admitterent. Quid aliud quàm vociferatus eſt Cato, & miſit irritas voces, cùm modò per populi leuatus manus, & obrutus ſputis, [20] & portandus extra forum traheretur, modò è ſenatu in carcerem duceretur? Sed poſteà videbimus, an ſapienti opera perdenda ſit: interim ad hos te voco, qui à republicâ excluſi, ſeceſſerunt ad colendam vitam, & humano generi iura condenda, ſine vllâ potentioris offensâ. Non conturbabit ſapiens publicos mores, nec populum in ſe vitæ nouitate conuertet. Quid ergo? vtique erit tutus, qui hoc propoſitum ſequetur? Promittere tibi hoc non magis poſſum, quàm in homine tempe-
C rante bonam valetudinem: & tamen facit temperantia bonam valetudinem. Perit aliqua nauis in portu: ſed tu quid accidere in medio maris credis? Quanto huic periculum paratius foret, multa agenti, molientique, cui ne otium quidem tutum eſt? Pereunt aliquando innocentes: quis negat? nocentes tamen ſæpiùs. Ars ei conſtat, qui [21] per ornamenta percuſſus eſt. Denique conſilium omnium rerum ſapiens, non exitum ſpectat. Initia in poteſtate noſtrâ ſunt: de euentu fortuna iudicat, cui de me [22] ſententiam non do. At aliquid vexationis affert, aliquid aduerſi. [23] non damnatur latro, cùm occidit.

Nunc

16. CALCARI NOLVMVS.] *Aſſentior Modio*, calcare. *Timemus inuidiam, & magni eſſe ad opprimendum: ita ipſi mox opprimi opportuni.*

17. INFVLARVM LOCO.] *Dignitatum & honorum: Vide ad Heluiam, cap.* XIII.

18. QVID TVA, VTER.] *Variè hic locus ſcribitur*, D *atque interpolatur, vt ſolent acuta. Vera lectio mihi iſta*: Quid tuâ vter vincat? poteſt melior vincere, non poteſt non peior eſſe qui vicerit. *Ecce, inquit, duo ſunt, & vterque de imperio & potentiâ ſuâ certat, alio titulo. Poteſt ex his duobus melior videri (Pompeius ſcilicet) dum vincit, non poteſt dum vicit. Nam victor animum reſerabit, & ſucceſſus malitiam eliciet, adhuc repreſſam. Planè idem in Lucano Brutus, ad ipſum hunc Catonem, vbi diſſuadet pariter bello intereſſe:*

* —— quòd ſi pro legibus arma
Ferre iuuat patrijs, libertatemque tueri:
Nunc neque Pompeij Brutum, neque Cæſaris hoſtem,
Poſt bellum VICTORIS habes.

Libertatẽ & leges tueri, vterq; præfert: ſed alter opprimet, qui vincet. Victor igitur tyrānus, & illi ego hoſtis.

19. RAPINAM REI P.] *Verè. nam hinc Cæſar, hinc Pompeius, Vatinius, Curio, alij diſtrahebant, diripiebant. Muretus tamen*, ruinam, *maluit, præter libros.*

20. ET PORTANDVS.] *Conſenſu ita libri, nec mutem. Traheretur, inquit, ſed portandus: vt violenta magis vis oſtendatur. Seneca De Conſtant. Sapientis, cap.* I. Quòd Catoni diſſuaſuro legem toga in foro eſſet erepta, quodque à roſtris vſque ad arcum Fabianum per ſeditioſæ factionis manus tractus, voces improbas, & ſputa, & omnes alias contumelias pertuliſſet. *Illa & me vide.*

21. PER ORNAMENTA.] *A gladiatoribus eſt: quorum arma ſic dicta. Ego in Saturnalibus*, II. *cap.* XVII.

22. SENTENTIAM NON DO.] *Non permitto vt* * Lib. II. *de me iudicet, ſed Ratio.*

23. NON DAMNATVR.] *Quò hæc ſpectent, non video. Imò nec vera ſunt, & omnino damnatur latro cùm occidit. Putarim ſic hæc cum prioribus legenda.* At aliquid vexationis afferet, aliquid aduerſi. Non damnatur latro, cùm occidet. *Futuri verbo*

Nunc ad quotidianam ſtipem manum porrigis. aureâ te ſtipe implebo. Et quia facta A
eſt auri mentio, accipe quemadmodum vſus fructuſque eius tibi eſſe gratior poſſit. *Is maximè diuitiis fruitur, qui minimè diuitiis indiget.* Ede, inquis, auctorem. Vt ſcias quàm benigni ſimus, propoſitum eſt aliena laudare: Epicuri eſt, aut Metrodori, aut alicuius ex illâ officinâ. Et quid intereſt, quis dixerit? omnibus dixit. Qui eget diuitiis, timet pro illis: nemo autem ſolicito bono fruitur. Adiicere illis aliquid ſtudet, dum de incremento cogitat: oblitus eſt vſus, rationes accipit, forum conterit, [24] kalendarium verſat, fit ex domino procurator.

EPIST. XV.

AD curam etiam corporis Exercitatio ſpectat: ſed hæc laborioſa, aut occupata non eſto. Facilis & breuis ſufficit: vt curſus, ſaltus, geſtatio, vocis intentio. Clauſula ab Epicuro, Ne vita in futurum feratur: præſentibus acquieſce. B

[1] MOS antiquis fuit, vſque ad meam ſeruatus ætatem, primis epiſtolæ verbis adiicere: *Si vales, benè eſt.* Rectè [2] & nos dicimus: *Si philoſopharis, benè eſt.* Valere enim hoc demum eſt: ſine hoc, æger eſt animus. Corpus quoque etiam ſi magnas habet vires, non aliter quàm furioſi aut phrenetici, validum eſt. Ergo hanc valetudinem præcipuè cura, deinde & illam ſecundam: quæ non magno tibi conſtabit, ſi volueris benè valere. Stulta eſt enim, mi Lucili, & minimè conueniens litterato viro, occupatio exercendi lacertos, & dilatandi ceruicem, ac latera firmandi. Cùm tibi feliciter [3] ſagina ceſſerit, & tori creuerint: nec vires vmquam opimi bouis, nec pondus æquabis. Adiice nunc, quòd maiore corporis ſarcinâ animus eliditur, & minùs agilis eſt. Itaque, quantum potes, circumſcribe corpus tuum, & animo locum laxa. multa ſequuntur incommoda huic deditos curæ. Primùm exercitationes, quarum labor ſpiritum exhaurit, & inhabilem intentioni ac ſtudiis acrioribus reddit: deinde, copiâ ciborum, [4] ſubtilitas C
animi impeditur. Accedunt peſſimæ notæ [5] mancipia in magiſterium recepta, homines [6] inter oleum & vinum occupati: quibus ad votum dies eſt actus, ſi benè deſudauerunt, ſi in locum eius quod effluxit, multum potionis alterius, [7] ieiuno gutture ingeſſerunt. Bibere & ſudare, [8] vita cardiaci eſt. Sunt exercitationes & faciles & breues, quæ

corpus

legendum, Afferet: *& hoc pro priore ſenſu. Fortaſſe aliquid aduerſi: ſed ne occupa aut damna, niſi cùm factum. In meo libro erat*: Nam damnatur. *Siquis melius, donet.*

23. KALENDARIVM.] *Librum pecuniæ fœnebris, quæ per Kalendas exigebatur, ſoluebatúrque. Vide epiſt.* LXXXVII.

EPIST. XV. 1. MOS ANTIQVIS.] *Plinius lib.* I. *epiſt.* XI. Vel ſolum illud ſcribe, vnde priores incipere ſolebant: Si vales, benè eſt, ego valeo.

2. ET NOS DICIMVS.] *Malim*, dicemus.

3. SAGINA CESSERIT.] *Nam athletæ certo victu vtebantur, corpori viribuſq; augendis. De quo Hier. Mercurialis, medicus & amicus mihi inter primos adfatim lib.* I. *de Arte Gymnaſticâ, itemq; Budæus ad Pandectas, & in Agoniſtico* III. *Petrus Faber.*

4. SVBTILITAS ANIMI.] *Veriſimè. & Ariſton ſcitè Athletas aſſimilabat* τοῖς ἐν γυμνασίῳ κίοσιν, ὁμοίως λιπαροὺς καὶ λιθίνους: columnis quæ ſunt in gymnaſio, pariter nitidos & ſaxeos: *id eſt ſine ſenſu. Magis etiam Diogenes Cynicus, qui* ἐρωτηθεὶς διὰ τί οἱ ἀθληταὶ ἀναίσθητοί εἰσιν, ἔφη, ὅτι κρέασιν

υείοις καὶ βοείοις ἀνωκοδόμουνται: interrogatus, quare Athletę ferè ſine ſenſu aut mente eſſent? Quia, inquit, ex ſuillis & bouillis carnibus conſtant: *acutè ad ſtuporem animalium alludens, & ijs aptans, qui veſcebantur. Galenus etiam de Athletarum ſaginâ, & ab eâ ſtupore, idem fatetur: additq;,* καὶ τοῦτο πρὸς ἁπάντων ἤδη τῶν ἀνθρώπων ᾄδεται, ὡς γαστὴρ ἡ παχεῖα τὸν νοῦν ἀμβλύτερον τίκτει: Hoc ab omnibus hominibus ferè decantatur, quòd venter pinguis mentem non gignit tenuem. *Verſum indicat prouerbialem:* D

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν ἀμβλὺ τίκτει νόον.

5. MANCIPIA IN MAGISTERIVM.] *Aliquot libri*, magiſtratum: *eodem ſenſu. Indicat Græculos magiſtros.*

6. INTER OLEVM ET VINVM.] *Vnguntur, & bibunt.*

7. IEIVNO GVTTVRE INGESSERVNT.] *E ſuis quidam:* multum potionis altius in ieiunum guttur regeſſerunt. *Nihil equidem muto. ſententiam autem vide & hauri, ex epiſt.* CXXII. *&* LXXXVIII.

8. VITA CARDIACI EST.] *Notum* καρδιαλγίαν *dici, in ore ſtomachi vitium, ab humore acri vellicante*

A corpus & [9] ſine morâ laxent, & tempori parcant: cuius præcipua ratio habenda eſt. Curſus, & [10] cum aliquo pondere manus motæ, & ſaltus, vel ille qui corpus in altum leuat, vel ille qui in longum mittit, vel ille (vt ita dicam) [11] ſaliaris, aut (vt contumelioſiùs dicam) fullonius. Quodlibet ex his elige, [12] vſu fit facile. Quidquid facies, citò redi à corpore ad animum, illum diebus ac noctibus exerce. labore modico alitur ille. Hanc exercitationem non frigus, non æſtus impedit, ne ſenectus quidem. Id bonum cura, quod vetuſtate fit melius. Neque ego te iubeo ſemper imminere libro, aut pugillaribus. dandum & aliquod interuallum animo: ita tamen vt non reſoluatur, ſed remittatur. [13] Geſtatio & corpus concutit, & ſtudio non officit: poſſis legere, poſſis dictare, poſſis loqui, poſſis audire: quorum nihil nec ambulatio quidem vetat fieri. Nec tu intentionem vocis contempſeris: quam veto te [14] per gradus & certos modos attollere, deinde deprimere. Quòd ſi velis deinde quemadmodum ambules diſcere, admittes iſtos, quos noua artificia [15] docuit fames: erit qui gradus tuos temperet, & buccas edentis obſeruet,
B & intantum procedet, inquantum eius audaciam [16] patientiæ lenitate produxeris. Quid ergo? à clamore protinus & à ſummâ contentione vox tua incipiet? Vſque adeò naturale eſt, paullatim incitari, vt litigantes quoque à ſermone incipiant, ad vociferationem tranſeant. nemo ſtatim *Quiritium fidem* implorat. Ergo vtcumque tibi impetus animi ſuaſerit, modò vehementius fac vitiis conuicium, modò lentius, prout vox quoque te hortabitur & latus. [17] Modeſta, cùm receperis illam reuocariſque, deſcendat, non decidat: moderatoris ſui temperamentum habeat, nec indocto & ruſtico [18] more deſæuiat. Non enim id agitur, vt exerceatur vox, ſed vt exerceat. Detraxi tibi non puſillum negotium: [19] mercedula, & munus gratum, ad hæc beneficia accedet. Ecce inſigne præceptum. *Stulti vita ingrata eſt, trepida eſt, tota in futurum fertur.* Quis hæc, inquis, dicit? Idem qui ſuprà. Quam tu nunc vitam dici exiſtimas ſtultam? [20] Babæ & Ixionis? Non ita eſt. noſtra dicitur: quos cæca cupiditas in nocitura, certè numquam ſatiatura, præcipitat: quibus ſi quid ſatis eſſe poſſet, fuiſſet: qui non cogitamus quàm iucundum ſit nihil poſce-

C

licante & rodente. Itaque Dioſcorides id dixit στομάχου δηγμούς, *& Plinius interpretatus*, Stomachi roſiones. *Celſus* Cardiacum morbum *deſcribit, libro* III. *cap.* XIX. nimiam imbecillitatem corporis, quod ſtomacho languente, immodico ſudore digeritur. *En tibi, de* ſudore. *De* potu, *in eodem*: imbecillitati iacentis vino cibo-que ſuccurrendum, *& id ſæpiùs. Spectat eò & Iuuenalis, Sat.* V.

Ipſe capillato diffuſum Conſule potat,
Cardiaco numquâ cyathum miſſurus amico.

Cardiaco, *cui medicina ſcilicet à tali vino.*

9. SINE MORA LAXENT.] *Alij libri*, laſſent.

10. CVM ALIQVO PONDERE.] *Quo fine Halterum etiam vſus in exercitijs. Vide epiſt.* LVI.

D 11. SALIARIS.] *Sublatis pedibus, & alternantibus, idemtidem repetitus. quem Salij ſacerdotes in pompâ & geſtatione Ancilium vſurpabant: eumdemq; ferè fullones.*

12. VSV FIT FACILE.] *Pinciani lectio vetus:* Quemlibet ex his elige, vſu rudem, facilem. *Quemlibet, nempe ſaltum: nec arte eum compone. Meus liber & quidam,* Quodlibet *retinent; & tum,* vſum facilem rudem. *Dubites an non*, vſu facile reddes: *etſi Pinciano magis adhæream.*

13. GESTATIO.] *In eſſedo. de quo exercitij genere, & fructu, ſcripſi in epiſtolâ quâdam (Centuriâ Miſcellaneâ) ad Abrah. Ortelium.*

14. PER GRADVS ET CERTOS MODOS.] *Vt phonaſci ſcilicet præſcribebant: quibus non alligat nos Seneca.* Gradus *autem in voce, adſcenſus deſcenſusq;* *ſiue elatio, demiſſio. Fabius*: Ab imâ ad ſummam vocem multi ſunt gradus. *At* Modi, *qualitatem magis ſpectant.*

15. DOCVIT FAMES.] *Satyricus hoc ipſum:*

Græculus eſuriens, in cælum, iuſſeris, ibit.

16. PATIENTIÆ LENITATE.] *Meus & quidam,* patientiæ crudelitate. *Verum erit,* patientiâ & credulitate.

17. MODESTA CVM RECEPERIS.] *Vox*, modeſta, *abeſt optimo libro: & ego expungam.*

18. MORE DESÆVIAT.] *Idem,* deſeruiet. *An fortè,* deferuiat?

19. MERCEDVLA ET MVNVS.] *Mira hîc varietas. Alij libri*, mercedula & vnum Græcum. *Alij*, mercedulæ & vnus græcus. *Meus*, mercedula & minis gratus. *Putarim equidem iunctim hæc legenda:* Detraxi tibi non puſillum negotium mercedulæ, & vnius Græci. *Vel ex meo*, mercedulæ, & magiſtratus. Ad hæc beneficia accedet ecce inſigne præceptum. *De ſententiâ mihi pænè liquet ſic eſſe. En, inquit, diſſertatiunculâ iſta commodaui tibi, & moleſtiam detraxi. quam? Mercedis, & Græculi magiſtri. Docui te ſine magiſtro, ſine ſtipendio exerceri. Aliter ſolebant. vt Plinij Panegyrico*: Cùm exercitationibus noſtris non veteranorum aliquis, ſed Græculus magiſter adſiſtit. Ij Progymnaſtæ *dicebantur, vt in Epiſt.* LXXXIII. Exercitores *Plauto.*

20. BABÆ ET IXIONIS?] *Meus*, Habæ & Iſionis? *Notæ fatuitatis homines ab illo æuo fuiſſe, eſt ſuſpicari.*

poſcere, quàm magnificum ſit plenum eſſe, nec ex fortunâ pendêre. Subinde itaque, A Lucili, quàm multa ſis conſecutus, recordare: cùm adſpexeris quot te antecedant, [21] cogita quot ſequantur. Si vis gratus eſſe aduerſus deos, & aduerſus vitam tuam, cogita quàm multos anteceſſeris. Quid tibi cum ceteris? [22] te ipſe anteceſſiſti. finem conſtitue, quem tranſire ne poſſis quidem, ſi velis: diſcedent aliquando iſta inſidioſa bona, & ſperantibus meliora, quàm aſſecutis. Si quid in illis eſſet ſolidi, aliquando & implerent: nunc haurientium ſitim concitant, [23] & inuitant ſpecioſi apparatus. Quod futuri temporis incerta [24] ſors voluit, quare potiùs à fortunâ impetrem, vt det, quàm à me, ne petam? Quare autem petam, oblitus fragilitatis humanæ? Congeram? in quid? laborem? ecce hic vltimus dies. vt non ſit, propè ab vltimo eſt.

EPIST. XVI.

PHILOSOPHIAM *vitæ neceſſariam, ſed illam veram, eſſe: quæ in factis ſit, & profectu.* B *Diſponi ab eâ actiones & conſilia. Non obſtare, ſi Fatum ſit, aut Fortuna ſit: nam & illa docebit Deo parêre, & Fortunam ac fortuita adſpernari. Clauſula item ab Epicuro: Secundùm naturam qui viuit, diues: ſperne opinionem.*

LIQVERE tibi hoc ſcio, Lucili, neminem poſſe beatè viuere, ne tolerabiliter quidem, ſine ſapientiæ ſtudio: & beatam vitam [1] perfectâ ſapientiâ effici, ceterùm tolerabilem etiam inchoatâ. Sed hoc, quod liquet, firmandum, & altiùs quotidianâ meditatione figendum eſt. Plus operis eſt in eo, vt propoſita cuſtodias, quàm vt honeſta proponas. Perſeuerandum eſt, & aſſiduo ſtudio robur addendum, donec [2] bona mens ſit, quod bona voluntas eſt. Itaque tibi apud me pluribus [3] verbis opus non eſt, aut affirmatis, aut tam longis: intelligo te multum profeciſſe. Quæ ſcribis, vnde veniant ſcio: non ſunt ficta, nec colorata. Dicam tamen quid ſentiam, iam de te ſpem habeo, nondum fiduciam. Tu quoque idem facias volo. non eſt quod tibi citò & facilè credas: ex- C cute te, & variè ſcrutare, & obſerua. Illud ante omnia vide, vtrùm in philoſophiâ, an in ipſâ vitâ profeceris. Non eſt philoſophia populare artificium, nec oſtentationi paratum: [4] non in verbis, ſed in rebus eſt. Nec in hoc adhibetur, vt aliquâ oblectatione conſumatur dies, vt dematur otio nauſea: animum format & fabricat, vitam diſponit, actiones regit, agenda & omittenda demonſtrat, [5] ſedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit curſum. ſine hac nemo ſecurus eſt. Innumerabilia accidunt ſingulis horis, quæ conſilium exigunt, quod ab hac petendum eſt. Dicet aliquis: Quid mihi prodeſt

21. COGITA QVOT SEQVANTVR.] *Sapiens, & cottidiani vſus, monitum. Non proſpice tantùm, ſed reſpice. Phauorinus benè:* Τὸν εὐθυμεῖσθαι θέλοντα, χρὴ ἐν μὲν τοῖς ἀγαθοῖς ἀφορᾶν εἰς τοὺς ἐλάττω κεκτημένους· ἐν δὲ τοῖς κακοῖς, εἰς τοὺς μᾶλλον δυσχοῦντας: Eum qui tranquillè volet agere, oportet in bonis quidem rebus adſpicere ad eos qui minora aſſecuti ſunt; in malis, ad eos qui maiora. *Aliter plebeium ingenium!*

Nec quod habet, numerat, tantùm quod non habet, optat: *vt ait Manilius.*

22. TEIPSE ANTECESSISTI.] *Ex humili enim ſurrexiſti, è plebe eques factus, & nunc Cæſaris Procurator.*

23. ET INVITANT SPECIOSI.] *Aliquot libri*, imitantur ſpecioſos. *Neſcio an*, irritantur ſpecioſo apparatu. *Irritantur, nempe qui amant.*

24. SORS VOLVIT.] *Libri plerique*, ſors induit: *lego* inducit, *vel*, includit.

EPIST. XVI. 1. PERFECTA SAPIENTIA.] *Optandâ magis, quàm aſſequenda. Formant Stoici, non oſtendunt. Vide me ſuper his gradibus, Manud. II. Diſſert. VIII. & IX.*

2. BONA MENS SIT.] *Qua firma eſt, & fiduciam ſui habet: voluntas bona quidem Stoicis, ſed mutabilis. Itaque Bona Mens eſt, velle, ſcire, tenere Bona.* D

3. VERBIS OPVS NON EST.] *Commoda ſententia, ſed ab Eraſmo, qui verba iſta infarſit. Nam libri*: verbis haud affirmatis, nec tamen longis. *Meus*, verbis audax ſummatis, nec tamen longis. *Quidam*: verbis haud aſſumatis. *Quid lateat, me latet.*

4. NON IN VERBIS.] *Non hercules. &* mendacium incongruens, atque ineptum eſt, non in pectore, ſed in labijs habere bonitatem, *ait Lactantius. Ne ergo* — virtutem verba putes, vt Lucum ligna: *nec oblectationem ex philoſophiâ, ſed fructum para.*

5. SEDET AD GVBERNACVLVM.] *Ex meo libro*, Sed & gubernaculum eſt: *etſi illud non muto.*

6. SI

A prodeſt philoſophia,[6] ſi fatum eſt? quid prodeſt, ſi Deus rector eſt? quid prodeſt,[7] ſi caſus imperat? Nam & mutari certa non poſſunt, & nihil præparari poteſt aduerſus incerta: ſi aut conſilium meum Deus occupauit, decreuitque quid facerem, aut conſilio meo nil fortuna permittit. Quidquid eſt ex his, Lucili, vel ſi omnia hæc ſunt, philoſophandum eſt: ſiue nos inexorabili lege fata conſtringunt, ſiue arbiter Deus vniuerſi cuncta diſponit, ſiue caſus res humanas ſine ordine impellit & iactat, philoſophia nos tueri debet. Hæc adhortabitur, vt Deo libenter pareamus, vt fortunæ contumaciter, reſiſtamus: hæc docebit vt Deum ſequaris, feras caſum. Sed non eſt nunc in hanc diſputationem tranſeundum, quid ſit iuris noſtri, ſi prouidentia in imperio eſt, aut ſi fatorum ſeries illigatos trahit, aut ſi repentina, aut ſubita dominantur: illò nunc reuertor, vt te moneam & exhorter, ne patiaris animum tuum delabi & refrigeſcere. Conſtitue illum, & contine, vt habitus fiat quod eſt impetus. Iam ab initio, ſi benè te noui circumſpexiſti ecquid hæc epiſtola munuſculi attulerit? excute illam, & inuenies. Non eſt
B quod mireris animum meum: adhuc de alieno liberalis ſum. Quare autem alienum dixi? quidquid benè dictum eſt ab vllo, meum eſt. Sic quoque quod ab Epicuro dictum eſt: *Si ad naturam viues, numquam eris pauper: ſi ad opinionem, numquam diues. Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum.* Congeratur in te, quidquid multi locupletes poſſederunt: vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te prouehat, auro tegat, purpurâ veſtiat, & eò deliciarum opumque perducat, vt terram marmoribus abſcondas, & non tantùm habere tibi liceat, ſed calcare diuitias: accedant ſtatuæ & picturæ, & quidquid ars vlla luxuriæ laborauit: maiora cupere ab his diſces. Naturalia deſideria finita ſunt: ex falsâ opinione naſcentia, vbi deſinant, non habent. nullus enim terminus falſo eſt. Viâ eunti aliquid extremum eſt: error immenſus eſt. Retrahe te à vanis: & cùm voles ſcire, quod petis, vtrùm naturalem habeat, an[8] cæcam cupiditatem, conſidera an poſſit alicubi conſiſtere. Si longè progreſſo, ſemper aliquid longius reſtat; ſcito id naturale non eſſe.

C

EPIST. XVII.

PHILOSOPHIAM *autem non differendam, amplectendam omiſſis rebus. At pauper ero. Quid ſi hoc expetendum? expeditiùs philoſophaberis. Iam Natura pauca deſiderat: atque ea non deerunt. Clauſula, Cui paupertas grauis, etiam opes erunt: nam vitium eſt in animo.*

PROIICE omnia iſta, ſi ſapis, imò vt ſapias: & ad bonam mentem magno curſu, ac totis viribus, tende. Si quid eſt quo teneris, aut expedi, aut incide. Moratur, inquis, me res familiaris. ſic illam diſponere volo, vt[1] ſufficere nihil agenti poſſit: ne aut paupertas mihi oneri ſit, aut ego alicui. Cùm hæc dicis, non videris vim ac potentiam eius de quo cogitas boni noſſe: & ſummam quidem rei peruides, quantum philoſophia proſit; partes autem nondum ſatis ſubtiliter diſpicis. necdum ſcis, quantum vbique
D nos adiuuet: quemadmodum & in maximis (vt[2] Ciceronis vtar verbis) opituletur, & in minima deſcendat. Mihi crede, aduoca illam in concilium: ſuadebit tibi, ne[3] ad calculos ſedeas. Nempe hoc quæris, & hoc iſtâ dilatione vis conſequi, ne tibi paupertas timenda ſit. Quid ſi appetenda eſt? multis ad philoſophandum obſtitere diuitiæ: pau-

6. SI FATVM EST?] *Vt Stoici cenſebant.*

7. SI CASVS IMPERAT?] *Vt Epicurei.*

8. CÆCAM CVPIDITATEM.] *Cui tria adiuncta, aiebat Ariſtoxenus Pythagoricus:* Ἀχημοσύνην, ἀσυμμετρίαν, ἀκαιρίαν: Indecorum, Immodicum, Intempeſtiuum. *Adde iſtis Conſol. ad Helu. cap.* XI.

EPIST. XVII. 1. SVFFICERE NIHIL AGENTI.] *Quid? ergo philoſophia nihil agit? Sola aliquid, & plurimum: niſi ad externam tamen actionem hæc refers. At libri ferè,* ſufficere in hoc agenti. *ex quo rectè Gruterus,* vnum hoc agenti.

2. VT CICERONIS VTAR VERBIS.] *Vbi hoc ille? haud nunc commemini. An in Hortenſio, vbi ex profeſſo laudauit?*

3. AD CALCVLOS.] *Ne computes, & victus potiùs, quàm vitæ rationes diſponas.*

paupertas expedita est, secura est. [4] Cùm classicum cecinit, scit non se peti: cùm A
[5] aliqua conclamatio est, quomodo exeat, non quid efferat, quærit. Si nauigandum est, non perstrepunt portus, nec vnius comitatu inquieta sunt littora; non circumstat illam turba seruorum, ad quos pascendos transmarinarum regionum est optanda fertilitas. Facile est pascere paucos ventres, & benè institutos, & nihil aliud desiderantes, quàm impleri. Paruo fames constat, magno fastidium. Paupertas contenta est desideriis instantibus satisfacere. Quid est ergo, quare tu hanc recuses contubernalem, cuius mores sanus dives imitatur? Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis curâ: frugalitas autem, paupertas voluntaria est. Tolle itaque istas excusationes: Quantum sat est, nondum habeo: si ad illam summam peruenero, tunc me totum philosophiæ dabo. Atqui nihil priùs quàm hoc parandum est: quod tu differs, & post cetera paras, ab hoc incipiendum est. Parare, inquis, vnde viuam, volo. [6] Simul & parare disce. Si quid te vetat benè viuere, benè mori non vetat. Non est quòd paupertas nos à philosophiâ reuocet, ne egestas quidem: tole- B
randa est enim ad hoc properantibus vel fames, quam tolerauere quidam in obsidionibus. Et quod aliud erat illius patientiæ præmium, quàm in arbitrium non cadere victoris? quanto hoc maius est, quo promittitur perpetua libertas, nullius nec hominis, nec Dei timor? Et quidem vel esurienti ad ista veniendum est. Perpessi sunt exercitus inopiam omnium rerum, vixerunt herbarum radicibus, & [7] dictu fœdam tulerunt famem. hæc omnia passi sunt pro regno (quò magis mireris) alieno: [8] dubitabit aliquis ferre paupertatem, vt animum furoribus liberet? Non est ergo priùs acquirendum. licet ad philosophiam etiam sine viatico peruenire. Ita est, cùm omnia habueris, tunc & sapientiam habere voles. Hæc erit vltimum vitæ instrumentum, & (vt ita dicam) additamentum. Tu verò, siue aliquid habes, iam philosophare: vnde enim scis, an iam nimis habeas? siue nihil, hoc priùs quære, quàm quidquam. At necessaria deerunt. Primùm deesse non poterunt, quia natura minimum petit: naturæ autem se sapiens accommodat. Sed si necessitates vltimæ inciderint, iamdudum [9] exsiliet è vitâ, & molestus C
sibi esse desinet. Si verò exiguum fuerit & angustum, quo possit vita produci: id boni consulet, nec vltra necessaria solicitus aut anxius, ventri & scapulis suum reddet, & occupationes diuitum, concursationesque ad diuitias euntium, securus lætusque ridebit, ac dicet: Quid in longum ipse te differs? exspectabísne fœnoris quæstum, aut ex merce compendium, aut tabulas beati senis, cùm fieri possis statim dives? Repræsentat opes sapientia: quas cuicumque fecit superuacuas, dedit. Hæc ad alios pertinent: tu locupletibus propior es. [10] Sæculum muta, nimis habes. Inest omni sæculo, quod sat est. Poteram hoc loco epistolam claudere, nisi te malè instituissem. [11] Reges Parthos non potest

Quid cælo dabimus? quantum est, quo væneat omne?
Impendendus homo est, Deus esse vt possit in ipso.

Pulchra, inquam, hæc magis, an pia? D

4. CVM CLASSICVM CECINIT.] *Retuli ad morem, quo rei citabantur classico, ad* II. *Annalem Taciti. Nunc magis est vt Grutero meo subscribam, ad Classicum militare aptanti. Petronius:*

Cùm cecinêre tubæ, iugulo stat diuite ferrum:
paupertas non petitur, & à se tuta est.

5. ALIQVA CONCLAMATIO.] *Vt in igne, ruinâ, periculo. Quidã libri*, cùm aliquò conclamatum est.

6. SIMVL ET PARARE DISCE.] *Vis parare? rationem parandi etiam disce. Quæ est? vt viuere promptus sis, & mori. Sic affecto nihil deerit: si enim desit, ecce ianua, exi.*

7. DICTV FOEDAM.] *Alijs placet*, fœdis. *nam libri ferè*, fœdius. *Alimenta autem fœda dictu, à quibus abhorremus, vt fœtida, vt cadauera etiam humana.*

8. DVBITABIT ALIQVIS.] *Pro toto hoc argumento, pulchrè Manilius:*

Quęremus lucrum naui, mortemq; sequemur
In prædas. pudeat tanto bona velle caduca.

9. EXSILIET E VITA.] *Morte sponte sumptâ, vt Stoici quidem docebant. De quo ego Manud.* III. *Differt.* XXII.

10. SÆCVLVM MVTA.] *Id est, antiqua exemplæ respice, luxui propior es.* Quoniam quidem *(vt ipse ad Heluiam cap.* XXII. *ait)* eò temporum prolapsa luxuria est, vt maius viaticum exsulum sit, quàm olim patrimonium principum fuit. *Benè ergo de* Sæculo: *ex quo qui* Sacculum *consuerunt, inconcinni mihi sartores.*

11. REGES PARTHOS.] *Vide Aelianum* I. *Var. Hist. cap.* I. *Et exempla in Oriente plura sunt. inter ea & Magorum, in nostris Sacris: qui Christum adoraturi, munera obtulerunt.*

EPIST.

A teſt quiſquam ſalutare ſine munere, tibi valedicere non licet gratis. Quid iſtuc? ab Epicuro mutuum ſumam. *Multis paraſſe diuitias, non finis miſeriarum fuit, ſed mutatio.* Non hoc miror. non eſt enim in rebus vitium, ſed in ipſo animo. Illud quod pauper-tatem grauem fecerat, & diuitias graues fecit. Quemadmodum nihil differt, vtrùm ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces: quocumque illum tranſtuleris, morbum ſuum ſecum transfert, ſic nihil refert, vtrùm animus æger in diuitiis, an in paupertate ponatur. malum ſuum, illum ſequitur.

EPIST. XVIII.

SAPIENTEM, *in publicâ laſciuiâ, temperanter ſe gerere: & aut nihil aut parùm ex moribus libare. Quomodocumque; vtile eſſe, certis diebus abſtinere, parcere, pauperes adſimilare. Præexercitatio eſt ad veram inopiam, ſi ea venit. Clauſula ab Epicuro: Ira inſaniæ aſſidet.*

B

[1] DECEMBER eſt menſis, cùm maximè ciuitas deſudat. Ius luxuriæ publicæ datum eſt: ingenti apparatu ſonant omnia: tamquam quidquam inter Saturnalia interſit, & dies rerum agendarum. Adeò nihil intereſt, vt non videatur mihi erraſſe, qui dixit, [2] *olim menſem Decembrem fuiſſe, nunc annum.* Si te hîc haberem, libenter tecum conferrem quid exiſtimares eſſe faciendum, vttùm nihil ex quotidianâ conſuetudine mouendum; an, ne diſſidere videremur cum publicis moribus, & hilariùs cænandum & exuendam togam. Nam quod fieri niſi [3] in tumultu & triſti tempore ciuitatis non ſolebat, voluptatis cauſsâ ac feſtorum dierum veſtem mutauimus. Si te benè noui, arbitri partibus functus, nec per omnia nos ſimiles eſſe [4] pilleatæ turbæ voluiſſes, nec per omnia diſſimiles: niſi fortè his maximè diebus animo imperandum eſt, vt tunc voluptatibus ſolus abſtineat, cùm in illas omnis turba procubuit. Certiſſimum argumentum infirmitatis ſuæ capit, ſi ad blanda & in luxuriam trahentia [5] nec it, [6] nec abducitur. Hoc
C multo fortius eſt, ebrio ac vomitante populo, ſiccum ac ſobrium eſſe: illud temperatius, non excerpere ſe, nec inſigniri, nec miſceri omnibus: & eadem, ſed non eodem modo, facere. Licet enim ſine luxuriâ agere feſtum diem. Ceterùm adeò mihi placet tentare animi tui firmitatem, vt ex præcepto magnorum virorum tibi quoque præcipiam: interponas aliquot dies, quibus contentus minimo ac viliſſimo cibo, durâ atque horridâ veſte, dicas tibi: *Hoc eſt quod timebatur?* In ipsâ ſecuritate animus ad difficilia ſe præparet, & contra iniurias fortunæ, inter beneficia firmetur. Miles in mediâ pace [7] decurrit ſine vllo hoſte, [8] vallum iacit, & ſuperuacuo labore laſſatur, vt ſufficere neceſſario poſſit. Quem in ipsâ re trepidare nolueris, ante rem exerce. Hoc ſecuti ſunt, qui omnibus menſibus paupertatem imitati, propè ad inopiam acceſſerunt, ne vmquã expaueſcerent, quod ſæpè didiciſſent. Non eſt nunc quòd exiſtimes me ducere te [9] ad modicas

EPIST. XVIII. 1. DECEMBER EST.] D *Saturnalia tunc, Sigillaria, & ludi. Ego in Saturnalib.*

2. OLIM MENSEM.] *Quiſquis ille, acutè dixit: & pro luxu eius æui. Toto anno Saturnalia.*

3. IN TVMVLTV.] *Olim, cùm ad Saga ibatur. Vide me 1. Saturn. cap. 11.*

4. PILLEATÆ TVRBÆ.] *Teneamus. nam pilleos Saturnalibus ſumebant. Ibidem docui. Quod alij,* Pullatæ turbæ, *non habet hîc locum, & contra libros eſt.*

5. NEC IT.] *Sponte.*

6. NEC ABDVCITVR.] *Ab alijs, aut à turbâ.*

7. DECVRRIT.] *In armis per aliquot milliaria, exercitij genus. Vide Militiam noſtram lib. v.*

8. VALLVM IACIT.] *Et fert quoque, vt ibidem doctum.*

9. AD MODICAS CÆNAS.] *A Mureto eſt: at ego maluiſſem,* ad medicas cænas, *ſobrias, & ſanitati factas. Sed non ita libri præeunt, qui* admoueas cænas, *aut,* dicere moneas cænas, *ferè habent. Itaque ingeniosè (quomodo ille aliter?) Ioſephus Scaliger, vt accepi:* ad monas cænas *diuinabat, id eſt* μόνας κοινὰς: *vt alluſio ſit & argutatio in nominibus, cùm* cæna *Latinis dicta, quaſi* κοινὴ, *communis cibatio: &* μόνη *opponatur, cùm ſoli & ſeorſim dapem ſumunt. Sed nec Turnebi improbum,* ad Timonéas cænas. *De Timone notum, qui homines fugiebat & oderat, & ſolitarius agebat victitabatq;. Igitur in prouerbio* Timonéæ cænæ, *ſine conuiuio conuiuium. Vide Turnebum lib.* XXIIII. *Aduerſar. cap.* XXXIII.

10. PAV-

dicas cænas &[10] pauperum cellas, & quidquid aliud est, per quod luxuria diuitiarum A tædio ludit.[11] Grabatus ille verus sit, & sagum, &[12] panis durus ac sordidus. Hoc triduo & quatriduo fer, interdum pluribus diebus: vt non lusus sit, sed experimentum. Tunc mihi crede, Lucili, exsultabis,[14] dupondio satur, & intelliges ad saturitatem non opus esse fortunâ: hoc enim quod necessitati sat est, debet etiam irata. Non est tamen quare tu multum tibi facere videaris: facies enim quod multa milia seruorum, multa milia pauperum faciunt. Illo nomine te suspice, quòd facies non coactus. Tam facile erit tibi illud pati semper, quàm aliquando experiri. Exerceamur[15] ad palum: & ne imparatos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securiùs diuites erimus, si scierimus quàm non sit graue pauperes esse. Certos habebat dies ille magister voluptatis Epicurus, quibus malignè famem exstingueret: visurus an aliquid deesset ex plenâ & consummatâ voluptate, vel quantum deesset, & an dignum, quod quis magno labore pensaret. hoc certè in his epistolis ait, quas scripsit,[16] Charino magistratu, ad Polyænum. Et quidem gloriatur,[17] non toto asse se pasci: Metrodorum, qui nondum tantum B profecerit, toto. In hoc tu victu saturitatem non putas esse? Et voluptas est. Voluptas autem, non illa leuis & fugax, & subinde reficienda, sed stabilis & certa. Non enim iucunda res est[18] aqua & polenta, aut frustum hordeacei panis: sed summa voluptas est, posse capere etiam ex his voluptatem, & ad id se reduxisse, quod eripere nulla fortunæ iniquitas possit. Liberaliora sunt[19] alimenta carceris: sepositos ad capitale supplicium, non tam angustè qui occisurus est, pascit. Quanta est animi magnitudo, ad id suâ sponte descendere, quod[20] nec ad extrema quidem redactis timendum sit? hoc est præoccupare tela fortunæ. Incipe ergo, mi Lucili, sequi horum consuetudinem, & aliquos dies

10. PAVPERVM CELLAS.] *Apparet igitur tunc quoque cænaculis aut diætis abstinuisse, & in seruili aliquâ & angustâ cellâ cænasse. Horatius tangere videtur:*

Mundæque, paruo sub lare PAVPERVM,
Cænæ, sine aulæis & ostro,
Sollicitam explicuere frontem.

Etsi ad alienas hoc ædes, & verè pauperum, magis sit referre. De isto autem diuitum ritu, Seneca ad Heluiam cap. XII. *vide.*

11. GRABATVS ILLE VERVS.] *Alij* ferus. *Tereamus editum: sit verè* grabatus, *id est vilis & viliorum lectus:* σκιμπόδιον.

12. PANIS DVRVS.] *Non recens, sed siccus aut mucidus.*

13. SED EXPERIMENTVM.] *Præceptum toti huic rei in Epicteto simile,* III. *Dissert.* XIII. Μελέτησόν ποτε διαγωγὴν ὡς ἄῤῥωστος, ἵνα ποθ' ὡς ὑγιαίνων διαγάγῃς. ἀσίτησον, ὑδροποτήσον, ἀπέχου ποτε παντάπασιν ὀρέξεως, ἵνα ποτὲ καὶ εὐλόγως ὀρεχθῇς: Meditare aliquando & vsurpa vitæ rationem, tamquam infirmus, vt rectè valere etiam possis. Abstine à cibis, aquam pota, aliquando omnem appetitum cohibe, vt mox etiam rectè & rationabiliter possis appetere.

14. DVPONDIO SATVR.] *Duobus assibus. Rectè ita Erasmus, cùm anteà in scriptis,* dispendio.

15. AD PALVM.] *Quod genus* palaria *dictum: nos in Militiâ, lib.* V. *Hoc quoque Erasmo inscribatur: nam in libris, ad* paululum.

16. CHARINO MAGISTRATV.] *More Græco,* Χαρίνου ἄρχοντος. *Ita enim annum & tempus illi notabant, vt Romani per Consules. Hoc Muretus. At libri plures,* magistratui. *Tum esset, scriptam epistolam nomine* Charini magistratus, *ad Polyænum.*

17. NON TOTO ASSE SE.] *Atqui* Timocrates ei obiecit, quòd minam cottidie in cibos sumeret: *scriptum Laërtio, Epicuri amatori, & reiectum. Nam alij plures,* vilissimis & simplicissimis cibis vixisse. *Inuenio hæc eius verba in Stobæo:* Βρυάζω πρὸς κρέα τὸ C σωμάτιον ἡδεῖ, ὕδατι καὶ ἄρτῳ χρώμενος. Καὶ παρασπείσωταῖς ἐκ πολυτελείας ἡδοναῖς, ἃ δι' αὐτὰς, ἀλλὰ διὰ τὰ ἀκολουθοῦντα αὐταῖς δυσχερῆ: Plenus sum & diffluo voluptate corpusculi, idque Aquâ & Pane vtens. Despuo autem sumptuosas voluptates, non ob ipsas, sed incommoda quæ comitantur.

18. AQVA ET POLENTA.] *Ipsa Epicuri verba, in epistolâ ad Menæceum:* Καὶ μάζα καὶ ὕδωρ τὴν ἀκροτάτην ἀποδίδωσιν ἡδονήν, ὅταπερ ἂν ἐνδέων τις αὐτὰ παρεισενέγκηται: Polenta & Aqua summam voluptatem præbent, siquis illa indigens sumit. *Adde infrà Epistolam* CX.

19. ALIMENTA CARCERIS.] *Nam certus modicusq; cibus captiuis, vti & seruis: idq;, quia in dies finitus,* Diarium *dicebant. In Controuersiis Senecæ, lib.* IX. Cùm introductus esset ex carcere in Senatum, postulaturus vt diaria acciperet. *Sallustius in oratione Lepidi:* Quinis modijs libertatem omnium æstimauêre: qui profectò non ampliùs possunt alimentis carceris. Namque vt illis exiguitate mors prohibetur, senescunt vires: sic neque absolui curâ familiari tam paruâ re possis, & ignauissimi quique tenui istâ spe frustrantur. *Vides exigua fuisse hæc alimenta, & lege* XII. *tabul.* libram farris, in dies singulos.

20. NEC AD EXTREMA QVIDEM REDACTIS.] *Liber meus & meliores,* nec extremis quidem decretis. *Et germana hæc scriptio: valetq;, cùm extrema decreta sunt.*

21. DELE-

A dies destina, quibus secedas à tuis rebus, minimoque te facias familiarem. Incipe cum paupertate habere commercium.

Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo. ——

Nemo alius est Deo dignus, quàm qui opes contempsit. quarum possessione tibi non interdico: sed efficere volo, vt illas intrepidè possideas. quod vno consequêris modo, si te etiam sine illis beatè victurum persuaseris tibi; si illas tamquam exituras semper adspexeris. Sed iam incipiamus epistolam complicare. Priùs, inquis, redde quod debes. [21] Delegabo tibi Epicurum. ab illo fiet numeratio. [22] *Immodica ira gignit insaniam*. Hoc quàm verum sit, necesse est scias, cùm habueris [23] & seruum, & inimicum. In omnes personas hic exardescit affectus: tàm ex amore nascitur, quàm ex odio: non minùs inter seria, quàm inter lusus & iocos. Nec interest, ex quàm magnâ caussâ nascatur, sed in qualem perueniat animum. Sic ignis non refert quàm magnus, sed quò incidat. nam
B etiam maximum solida non receperunt: rursus arida, & corripi facilia, scintillam quoque fouent vsque in incendium. Ita est, mi Lucili, ingentis iræ exitus, furor est: & ideò ira vitanda est, non moderationis caussâ, sed sanitatis.

EPIST. XIX.

OMITTENDAS *aut abiiciendas occupationes, & otium captandum: sed otium, non latebras. Monet ab aulâ, & splendore abire: quæ tumultus & fluctus suos habent. Clausula ab eodem magistro: Vide quibuscum mensâ communices.*

EXSVLTO quotiens epistolas tuas accipio. implent enim me bonâ spe: iam non promittunt de te, sed spondent. Ita fac, oro atque obsecro: quid enim habeo melius, quod amicum rogem, quàm quod [1] prò ipso rogaturus sum? si potes, subduc te istis
C occupationibus: si minùs, eripe. Satis multum temporis sparsimus, incipiamus in senectute [2] vasa colligere. Numquid inuidiosum est? [3] in freto viximus, moriamur in portu. Neque ego suaserim tibi nomen ex otio petere, quod nec iactare debes, nec abscondere. Numquam enim vsque eò te abigam, generis humani [4] furore damnato: vt latebram tibi aliquam parari & obliuionem velim. id age, vt otium tuum non emineat, sed appareat. Deinde videbunt de isto, quibus integra sunt [5] & propria consilia: an velint vitam per obscurum transmittere. tibi liberum non est. In medium te protulit ingenij vigor, scriptorum elegantia, claræ & nobiles amicitiæ. Tanta notitia te inuasit, vt si in extrema mergaris, ac penitus condaris, tamen priora te monstrabunt. tenebras habere non potes: sequetur pristinæ lucis multum, quocumque fugeris. Quietem potes vindicare, sine vllius odio, sine desiderio, aut morsu animi tui. Quid enim relinques, quod inuitus relictum à te possis cogitare? clientes? quorum nemo teipsum sequitur, sed aliquid

D

21. DELEGABO TIBI EPICVRVM.] *Scripti ferè*, Delegabo te ad Epicurum. *Vtrouis modo, ad* Delegationem *adspectum, fori verbum: cùm alium pro nobis debitorem, & vicarium, substituimus. Vide De Benef.* VI. *cap.* V.

22. IMMODICA IRA.] *Imò* quidam è Sapientibus iram dixerunt breuem insaniam. *Vide De Irâ* I. *cap.* I.

23. ET SERVVM, ET INIMICVM.] *Suspecta hæc Muretus habet: non ego. Sententia sub Tiberio aliquo, aut tyrannis, vera & prompta. Serui accusabant, calumniabantur in occulto: & credebatur. Hoc iniquissimum, & legibus vetitum, tamen illi admittebant: cum iustâ & magnâ indignatione eorum, quibus eueniebat. Exempla in Tacito sunt: & hîc apparet, Lucilio idem eueniisse, qui* inimicum *habuit, & quidem* seruum.

EPIST. XIX. 1. PRO IPSO ROGATVRVS.] *Deos scilicet, in eius bonum.*

2. VASA COLLIGERE.] *Quod milites discessuri, & castra mutaturi, faciunt.*

3. IN FRETO.] *Cui nomen à feruore:* quòd in fretum, *ait Varro,* sæpè concurrat æstus, atque efferuescat.

4. FVRORE DAMNATO.] *Vt Timon ille Misanthropus, & plures fecêre.*

5. ET PROPRIA CONSILIA.] *Benè in meo,* & prima. *qui nondum scilicet genus vitæ ingressi, quibus omnia libera.*

6. DONEC

quid ex te. Amicos? olim amicitia petebatur: nunc præda. Mutabunt teſtamenta de- A
ſtituti ſenes? migrabit ad aliud limen ſalutator? non poteſt paruo res magna conſtare.
Æſtima vtrùm te relinquere, an aliquid ex tuis malis. Vtinam tibi quidem ſeneſcere
contigiſſet intra natalium tuorum modum, nec te in altum fortuna miſiſſet! Tulit te
longè à conſpectu vitæ ſalubris rapida felicitas, prouincia & procuratio, & quidquid ab
iſtis promittitur: maiora deinde officia te excipient, & ex aliis alia. Quis exitus erit?
quid exſpectas, [6] donec deſinas? habere, quod cupias? Numquam erit tempus. Qualem
dicimus eſſe ſeriem cauſſarum, ex quibus nectitur fatum, talem & cupiditatum: altera
ex fine alterius naſcitur. In eam demiſſus es vitam, quæ numquam tibi miſeriarum ter-
minum ac ſeruitutis ipſa factura ſit. Subduc ceruicem iugo tritam. ſemel illam incidi,
quàm ſemper premi, ſatius eſt. Si te ad priuata retuleris, minora erunt omnia, ſed affa-
tim implebunt: at nunc plurima & vndique ingeſta non ſatiant. Vtrùm autem mauis,
ex inopiâ ſaturitatem, an in copiâ famem? Et auida felicitas eſt, & alienæ auiditati ex-
poſita. Quamdiu tibi ſatis nihil fuerit, [7] ipſe aliis non eris. Quomodo, inquis, exibo? B
vtcumque. Cogita quàm multa temerè pro pecuniâ, quàm multa laboriosè pro honore
tentaueris: aliquid & pro otio audendum eſt, aut in iſtâ ſolicitudine procurationum, &
deinde vrbanorum officiorum, ſeneſcendum in tumultu, ac ſemper nouis fluctibus,
quos effugere nullâ modeſtiâ, nullâ vitæ quiete contingit. Quid enim ad rem pertinet,
an tu quieſcere velis? fortuna tua non vult. Quid ſi illi etiam nunc permiſeris creſcere?
quantum [8] ad ſucceſſum acceſſerit, accedet ad metum. Volo tibi hoc loco referre dictum
Mecænatis. [9] vera in ipſo eculeo docuit. *Ipſa enim altitudo* [10] *attonat ſumma*. Si quæris, in
quo libro dixerit, in eo qui Prometheus inſcribitur. hoc voluit dicere, attonita habet
ſumma. Eſt ergo tanti vlla potentia, vt ſit tibi [11] tam ebrius ſermo? Ingenioſus vir ille
fuit, magnum exemplum Romanæ eloquentiæ daturus, niſi illum [12] eneruaſſet felici-
tas, imò caſtraſſet. Hic te exitus manet, niſi iam contrahas vela, niſi (quod ille [13] ſerò
voluit) terram leges. Poteram tecum & hac Mecænatis ſententiâ parem facere rationem:
ſed mouebis mihi controuerſiam, ſi te noui, nec voles quod debeo, [14] in aſpero & probo C
accipere. Vt ſe res habet, ab Epicuro verſura facienda eſt. *Antè*, inquit, *circumſpicien-
dum eſt, cum quibus edas & bibas, quàm quid edas & bibas. Nam* [15] *ſine amico viſceratio,
leonis ac lupi vita eſt*. Hoc non continget tibi, niſi receſſeris: alioquin habebis conuiuas,

quos

6. DONEC DESINAS? HABERE.] *Iuncta malim legi*, deſinas habere, quod cupias? *Ita plenus opum honorúmque ſis, vt non habeas vltrà quod cupias.*

7. IPSE ALIIS NON ERIS.] *Non ſufficies alijs. tu petes, & à te alij aſſiduè petent: quod ſemper in iſtis potentibus.*

8. AD SVCCESSVM.] *Ambigat aliquis, an non* ſuggeſtum. *nam præiuit*, creſcere.

9. VERA IN IPSO ECVLEO.] *Placeat quorumdam librorum ſcriptio*: Mecænatis, vera in ipſo eculeo elocuti. *Quomodo autem in* eculeo? *id eſt, dignitate & Aulâ, vbi aſſidua tormenta. Omnia potuit apud Auguſtum: nihil ei defuit, præter hoc, quieſcere & ſecurum eſſe.*

10. ATTONAT SVMMA.] *Percutit, & velut tonitru quatit. Ouidius:*

——— Fauniſque bicornes
Numine contactas attonuere ſuo.

11. TAM EBRIVS SERMO.] *Non hîc nimis, meo iudicio, ſed & alibi Mecænatem huius culpæ arguit, & calamiſtrati vt ſic dicam, ſermonis. Vide epiſt.* CXIV.

12. ENERVASSET FELICITAS.] *In epiſtolâ* XCII. *Habuit (Mecænas)* grande & virile ingenium, niſi ipſe illud diſcinxiſſet.

13. SERÒ VOLVIT.] *Cùm in frigore apud Auguſtum eſſet: cùm vxor eius Terentia ſupra ipſum amata.*

14. IN ASPERO ET PROBO.] *Muretus ſic edidit, & interpretatur: Aſperos nummos, recentes eſſe: veteres enim longo vſu ſolere deteri. Vrbanè igitur dictum Mecænatis, quaſi talem nummum eſſe ait: quem tamen non ſperat fore, vt Lucilius in ſolutum accipiat, ſed vetuſtiorẽ poſcat. Ego Hadriano Turnebo, imò ante eum Eraſmo, ſubſcripſerim legentibus:* Nec voles quod debeo, niſi in aſpero & probo accipere. *Voles, inquit, probam aſperamq́ philoſophiæ aliquam ſententiam, non mollem & fugientem hanc Mecænatis. De aſpero nummo multi dixerunt, capiuntq́ nouum, non detritum. Ego vel de veteri magis acceperim (ý enim probiores) ſed in theſauris aſſeruato & integro; vel de puri candidiq́ argenti nummo, & cui minima mixtura æris aut plumbi, exq́ eo decoloratio. Certè in Gloſsis priſcis, δηνάριον λευκὸν,* Aſperum *interpretatur: id eſt*, Nummus albus. *Iterúmque*, Aſpritudo, candor. *Ita apud Nicetam, ἀσπρίζειν, eſt το λευκαίνεσθαι: & hodieq́ apud Turcas*, Aſpri, *nummuli ex argento.* D

15. SINE AMICO VISCERATIO.] *Viſceratio, epulum cum carne. Vide epiſt.* LXXIII. *Damnat igitur μονοφαγίαν*, ſolitariam vitam & victum, *quam & Græci pro conuicio obiiciebant. Alexis:*

Ἔρρ' ἐς κόρακας μονοφάγε καὶ τοιχωρύχε:
Abi in malam rem ſoli-epulo, & effractarie.

Pulcherrimè autem ille, quiſquis fuit, apud Romanos:

qui

A quos [16] ex turbâ ſalutantium nomenclator digeſſerit. Errat autem qui [17] amicum in atrio quærit, in conuiuio probat. Nullum habet maius malum occupatus homo, & [18] bonis ſuis obſeſſus, quàm quòd amicos ſibi putat, quibus ipſe non eſt: quòd beneficia ſua efficacia iudicat ad conciliandos amicos, cùm quidam, quò plus debent, magis oderint. Leue æs alienum debitorem facit; [19] graue inimicum. Quid ergo? beneficia non parant amicitias? parant, ſi accepturos licuit eligere; [20] ſi collata, non ſparſa ſunt. Itaque dum incipis eſſe mentis tuæ, interim hoc conſilio ſapientum vtere, vt magis ad rem exiſtimes pertinere, [21] quis, quàm quid acceperit.

EPIST. XX.

PHILOSOPHIAM *in factis, non verbis eſſe: itaque ad illa eundum. Et conſtanter* B *eundum. nam Sapientia, eſt conuenientia, & tenor vnus voluntatum, ac vitæ. Paupertas etiam non timenda: & diuitiæ, ſi aſſint, non amandæ. Iterùm monitio, pauperem certis diebus agere, & imitari.*

SI vales, & te dignum putas qui aliquando fias tuus, gaudeo. mea enim gloria erit, ſi te iſtinc vbi ſine ſpe exeundi fluctuaris, extraxero. Illud autem, mi Lucili, te rogo atque hortor, vt philoſophiam in præcordia ima demittas, & experimentum tui profectus capias, non oratione, nec ſcripto: ſed animi firmitate, & cupiditatum deminutione. Verba rebus proba. Aliud propoſitum eſt declamantibus, & aſſenſionem coronæ captantibus, aliud his qui iuuenum & otioſorum aures diſputatione variâ aut volubili detinent. [1] Facere docet philoſophia, non dicere: & hoc exigit, vt ad legem ſuam quiſque viuat, ne orationi vita diſſentiat, vt ipſa inter ſe vita vnius, ſine actionum diſſenſione, coloris ſit. Maximum hoc eſt & officium ſapientiæ, & indicium, vt verbis opera C concordent, vt & ipſe vbique par ſibi idemque ſit. Quis hoc præſtabit? pauci, aliqui tamen. Eſt difficile hoc: nec dico ſapientem ſemper vno iturum gradu, ſed vnâ viâ. Obſerua itaque, numquid veſtis tua domuſque diſſentiant: numquid in te liberalis ſis, in tuos ſordidus: numquid cænes frugaliter, ædifices luxuriosè. Vnam ſemel, ad quam viuas, regulam prende, & ad hanc omnem vitam tuam exæqua. Quidam ſe domi contrahunt, dilatant foris & extendunt. Vitium eſt hæc diuerſitas, & ſignum vacillantis animi, ac nondum habentis tenorem ſuum. Etiamnum dicam vnde ſit iſta inconſtantia, & diſſimilitudo rerum conſiliorumque. Nemo proponit ſibi quid velit, nec ſi propoſuit, perſeuerat in eo, ſed tranſilit: nec tantùm mutat, ſed redit, & in ea quæ deſeruit ac dam-

qui quo die ſolus cænaſſet, dixit, Βεβρωκέναι, μὴ δεδειπνηκέναι. ὡς τὸ δεῖπνου κοινωνίαν καὶ φιλοφροσύνην ἐφηδύνουσαν ἀεὶ ποθοῦντος: Ediſſe ſe, non cænaſſe. tamquam cæna communionem ſemper D & oblectantem requirat familiaritatem. *Hæc Plutarchus Quæſtion. Conuiual.* VII. *in proloquio. Et res ita eſt, optimèque Latinis* conuiuium: *ijſdemq; cæna, quaſi κοινή.*

16. EX TVRBA SALVTANTIVM.] *Quibus cæna, officiorum velut merces. Apparet autem à Nomenclatore, qui obſeruabat, electos & Vocatori indicatos vel officioſos maximè, vel quorum ordo iam eſſet.*

17. AMICVM IN ATRIO.] *Vbi ſalutationes. Adde pro ſententiâ, De Benef.* VI. *cap.* XXXIV.

18. BONIS SVIS OBSESSVS.] *Quæ non habet, ſed à quibus habetur, & velut cingitur clauditurq;.*

19. GRAVE INIMICVM.] *Et idem in beneficijs*, quæ vſque eò læta ſunt, donec exſolui poſſe videantur; ſupra, odium pro gratiâ redditur. *Tacitus alibi, & Seneca.*

20. SI COLLATA.] *Iudicio donata. etſi quidam libri*, collocata: *benè etiam pro hoc ſenſu.*

21. QVIS, QVAM QVID.] *Non quantum, ſed cui dones.*

EPIST. XX. 1. FACERE DOCET PHILOSOPHIA.] *In totam hanc rem præclara Epictetus* III. *Diſſert. cap.* XXI. Sicut ij, *inquit*, qui à ſtomacho laborant, cibum ſtatim eijciunt: ſic qui præcepta nuda acceperunt, ſermone effundunt. At concoque potiùs, in ſuccum verte, & mutationem in mente factam oſtende. Ecce faber, qui peritus artis eſt, non obambulat clamitans, Audite me diſſerentem de re fabrili: ſed tacitus domum & tabernam conducit, inſtruit, & operibus oſtendit ſe peritum. Tale tu fac. ede, bibe, vt decet: matrimonium contrahe, liberos gigne, rempublicam gere, conuicium tolera, ſer patrem, fratrem, vicinum iniquum: & talia nobis oſtende, vt verè te philoſophum cognoſcamus. *Vide pluria.*

ac damnauit, reuoluitur. Itaque vt relinquam definitiones ſapientiæ veteres, & totum A
complectar humanæ vitæ modum, hac poſſum contentus eſſe: Quid eſt ſapientia? Semper [2] idem velle atque idem nolle. Licet illam exceptiunculam non adiicias, vt rectum ſit quod velis. Non poteſt cuiquam ſemper idem placere, niſi rectum. Neſciunt ergo homines quid velint, niſi illo momento, quo volunt. in totum, nulli velle, aut nolle decretum eſt. Variatur quotidie iudicium, & in contrarium vertitur: ac pleriſque agitur vita per luſum. Preme ergo quod cœpiſti: & fortaſſe perducêris aut ad ſummum, aut eò quod ſummum nondum eſſe [3] ſolus intelligas. Quid fiet, inquis, huic turbæ familiarium? Turba iſta cùm à te paſci deſierit, ipſa ſe paſcet: aut quod tu beneficio tuo non potes ſcire, paupertatis ſcies. Illa veros certoſque amicos retinebit: diſcedet quiſquis non te, ſed aliud ſequebatur. Non eſt autem vel ob hoc vnum amanda paupertas, quòd à quibus ameris, oſtendit? O quando ille veniet dies, quo nemo in honorem tuum mentiatur? Huc ergo cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remiſſurus, vt contentus ſis temetipſo & ex te naſcentibus bonis. Quæ po- B
teſt eſſe felicitas Deo propior? Redige te ad paruà, ex quibus cadere non poſſis: idque vt libentiùs facias, ad hoc pertinebit tributum epiſtolæ huius, quod ſtatim conferam. Inuideas licet: etiam nunc libenter pro me dependet Epicurus. [4] *Magnificentior (mihi crede) ſermo tuus in grabato videbitur & in panno. non enim dicentur tantùm illa, ſed probabuntur.* Ego certè aliter audio quæ dicit [5] Demetrius noſter, cùm illum vidi nudum, [6] quanto minùs quàm ſtramentis incubantem? tunc enim non præceptor veri, ſed teſtis eſt. Quid ergo? non licet diuitias [7] in ſinu poſitas contemnere? Quid ni liceat? & ille ingentis animi eſt, qui illas circumfuſas ſibi multum diuque miratus, [8] quòd ad ſe venerint, ridet, ſuaſque audit magis eſſe quàm ſentit. Multum eſt, non corrumpi diuitiarum contubernio. Magnus eſt ille qui in diuitiis pauper eſt: ſed ſecurior, qui caret diuitiis. Neſcio, inquis, quomodo iſte paupertatem laturus ſit, ſi in illam inciderit. Nec ego [9] Epicuri angelus ſcio, an pauper iſte contempturus ſit diuitias, ſi in illas inciderit. Itaque in vtroque mens æſtimanda eſt, inſpiciendumque, an ille paupertati indul- C
geat, an hic diuitiis non indulgeat. Alioquin leue argumentum eſt bonæ voluntatis grabatus, aut pannus, niſi apparuit aliquem illa non neceſſitate pati, ſed malle. Ceterùm magnæ indolis eſt, ad iſta non properare tamquam ad meliora, ſed præparare tamquam ad facilia. Et ſunt, Lucili, facilia. cùm verò multo antè meditatus acceſſeris, iucunda quoque. Ineſt enim illis, ſine quâ nihil eſt iucundum, ſecuritas. Neceſſarium ergo iudico id quod tibi ſcripſi magnos viros ſæpè feciſſe, aliquos dies interponere, quibus nos imaginariâ paupertate exerceamus ad veram: quod eò magis faciendum eſt, quòd deliciis permaduimus, & omnia dura ac difficilia iudicamus. [10] Potiùs excitandus è ſomno, & vel-

2. IDEM VELLE ATQVE.] *Hæc eſt Zenonis* ὁμολογία, *ſiue* conuenientia, *finis pholoſophiæ. De quâ ego vbertim* 11. *Manud. Diſſert.* XV.

3. SOLVS INTELLIGAS.] *Qui ſolus te noſti, & veram Sapientiam iam noſti.*

4. MAGNIFICENTIOR, MIHI CREDE.] *An hæc igitur verba Epicuri ſunt? debent, niſi defectus aliquis ſit: quod mihi videtur. Atque hæc Senecæ magis ſunt, poſt illa Epicuri, quæ deſiunt.*

5. DEMETRIVS NOSTER.] *Ille nobilis tunc Cynicus, de quo alibi noſter, & de hac eius paupertate, De Vit. beat. cap.* XVIII.

6. QVANTO MINVS QVAM STRAMENTIS.] *Significat tomento Circenſi incubuiſſe, fracto, & ſtramento diffluente. Plinius lib.* XVIII. *de veteribus Romanis*: Quies ſomnuſque in ſtramentis erat. *Lib.* XXX. Tomenta Galliarum inuentum. Italiæ quidem mos etiamnunc durat in appellatione ſtramenti. *Gloſſæ*: Stramentum, σιβάδες, χορτόστρωμα.

7. IN SINV POSITAS.] *In quem aurum recipi ſolet, & condi. Poteſt & prouerbialiter intelligi, domi & in occulto poſitas.* D

8. QVÒD AD SE VENERINT.] *Non cupientem, non æſtimantem. At meo eſt*, venerit. *ex quo legi poſſit*, cùm ad ſe venerit. *Aliquis etiam, inquit, diu eas in pretio habuit: ſed bonæ iam mentis & ſanus, ridet & ſpernit.*

9. EPICVRI ANGELVS.] *Alij libri*, angulus, *quidam* æmulus. *Sed quocumque verba ea verſo; nec bona video, nec facio. Aſſentior Pinciano è ſuis legenti*: Neſcio, inquit Epicurus, an pauper. *Tu ais, neſcire quomodo diues ille paupertatem ferat? nec ego, ait Epicurus, quomodo pauper tuus diuitias, ſi obueniant. Mens eſt, quæ de vtroque decernat.*

10. POTIVS EXCITANDVS.] *Placeret*, ociùs.

11. LACTE

A & vellicandus est animus, admonenduſque naturam nobis minimum constituisse. Nemo nascitur diues. quisquis exit in lucem, iussus est [11] lacte & panno esse contentus. ab his initiis nos regna non capiunt.

EPIST. XXI.

Verum splendorem à Philosophiâ, non ab honoribus aut titulis esse. Dare illam nomen mansurum & famam, habenti, & adhærenti quoque. Emblema ab Epicuro: Vt diuitias augeas, cupiditates minue.

Cvm istis negotium tibi esse iudicas, de quibus scripseras? maximum negotium tecum habes: tu tibi molestus es. Quid velis, nescis: meliùs probas honesta, quàm
B sequeris. vides vbi sit posita felicitas, sed ad illam peruenire non audes. Quid sit autem quod te impediat, quia parùm ipse dispicis, dicam. Magna hæc esse existimas, quæ relicturus es: & cùm proposuisti tibi illam securitatem, ad quam transiturus es, retinet te huius vitæ, à quâ recessurus es, fulgor, tamquam in sordida & obscura casurum. Erras Lucili: ex hac vitâ ad illam ascenditur. Quod interest inter splendorem & lucem, cùm hæc certam originem habeat ac suam, ille niteat alieno: hoc inter hanc vitam, & illam. Hæc, quia fulgore extrinsecus veniente percussa est, crassam illi statim vmbram faciet quisquis obstiterit: illa verò suo lumine illustris est. Studia te tua clarum & nobilem efficient. Exemplum Epicuri referam. cùm [1] Idomeneo scriberet, & illum à vitâ speciosâ ad fidelem stabilemque gloriam reuocaret, [2] rigidæ tunc potentiæ ministrum, & magna tractantem: *Si gloriâ*, inquit, *tangeris, notiorem te epistolæ meæ facient, quàm omnia ista quæ colis, & propter quæ coleris*. Numquid ergo mentitus est? quis Idomenea nosset, nisi Epicurus illum suis litteris [3] incidisset? Omnes illos [4] megistanas & satrapas, & regem
C ipsum, ex quo Idomenei titulus petebatur, obliuio alta suppressit. Nomen Attici perire Ciceronis epistolæ non sinunt. nihil illi profuisset [5] gener Agrippa, & [6] Tiberius progener, & [7] Drusus Cæsar pronepos: inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero illum [8] applicuisset. Profunda supra nos altitudo temporis veniet, pauca ingenia caput exserent, & in idem quandoque silentium abitura obliuioni resistent, ac se diu vindicabunt. Quod Epicurus amico suo potuit promittere, hoc tibi promitto, Lucili. Habebo apud posteros gratiam, [9] possum mecum duratura nomina educere. Virgilius noster duobus memoriam æternam promisit, & præstat:

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vmquam memori vos eximet æuo:
Dum domus Æneæ Capitolî immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

Quos-

11. LACTE ET PANNO.] *Simplici cibo, simplici*
D *tegmine. Nec* pane *tamen spreuerim, de grandiori iam ætate.*

EPIST. XXI. 1. IDOMENEO SCRIBERET.] *Cui adulatum etiam esse, &* identidem per epistolas laudasse, *obijcitur apud Laërtium, in vitâ Epicuri, initio. Idem in Athenæi lib.* VII. ὅτι τῆς γαστρὸς ἕνεκεν ἐκολάκευε καὶ Ἰδομενέα καὶ Μητρόδωρον: quòd ventris causâ bonus vir ille (*Epicurus*) adulatus sit & Idomeneum & Metrodorum.

2. RIGIDÆ TVNC POTENTIÆ.] *Iam olim emendabam,* regiæ: *& teneo. Fuit minister vel Lysimachi, vel alterius tunc regis. Sic noster iterùm loquitur, De Benef.* II. *cap.* V. Quales regiæ potentiæ ministri sunt.

3. INCIDISSET?] *Tamquam in adamante aut ære. At libri plerique,* indidisset: *verius.*

4. MEGISTANAS.] *Magnates. Suidas:* Μεγιστᾶνες, οἱ τῷ βασιλέως περίβλεπτοι ὑπ' ἐξουσίᾳ: Megistanes, conspicui apud Regem, ob potentiam. *At Satrapæ, propriè regionum Præfecti.*

5. GENER AGRIPPA.] *Qui Pomponiam eius filiam duxit.*

6. TIBERIVS PROGENER.] *Qui Agrippinam, eius neptem. Cornelius Nepos in vitâ Attici, & Suetonius in Tiberio, cap.* VII.

7. DRVSVS CÆSAR PRONEPOS.] *Nempe Tiberij filius. Ibidem Suetonius.*

8. APPLICVISSET.] *Sibi & famæ suæ iunxisset, inseruisset. Muretus, præter omnes libros,* aperuisset: *temerè.*

9. POSSVM MECVM.] *Potes ô noster, & Fama tua ac tuorum, quamdiu Romanæ litteræ, manebit.*

Quoſcumque in medium fortuna protulit, quicumque membra ac partes alienæ poten- A
tiæ fuerant, horum gratia viguit, domus frequentata eſt, dum ipſi ſteterunt: poſt ipſos
citò memoria defecit. Ingeniorum creſcit dignatio: nec ipſis tantùm [10] habetur, ſed quid-
quid illorum memoriæ adhæſit, excipitur. Ne gratis Idomeneus in epiſtolam meam ve-
nerit, ipſe eam de ſuo redimet. Ad hunc Epicurus illam nobilem ſententiam ſcripſit, quâ
hortatur vt Pythoclea locupletem non publicâ, nec ancipiti viâ faciat. [11] *Si vis*, inquit,
Pythoclea diuitem facere, non pecuniæ adiiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum eſt. Et aper-
tior iſta ſententia eſt, quàm vt interpretanda ſit, & diſertior quàm vt adiuuanda. Hoc
vnum te admoneo, ne iſtud tantùm exiſtimes de diuitiis dictum: quocumque tranſtu-
leris, idem poterit. Si vis Pythoclea honeſtum facere, non honoribus adiiciendum eſt,
ſed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea eſſe in perpetuâ voluptate, non volu-
ptatibus adiiciendum eſt, ſed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea ſenem face-
re, & implere vitam, non annis adiiciendum eſt, ſed cupiditatibus detrahendum. Has
voces non eſt quòd Epicuri eſſe iudices, publicæ ſunt. Quod fieri in ſenatu ſolet, facien- B
dum ego in philoſophiâ quoque exiſtimo. cùm cenſuit aliquis, quod ex parte mihi pla-
ceat: iubeo illum [12] diuidere ſententiam, [13] & ſequor. Eò libentiùs Epicuri egregia di-
cta commemoro, vt iſtis qui ad illa confugient, ſpe malâ inducti, qui [14] velamentum
ſeipſos ſuorum vitiorum habituros exiſtimant, probem, quocumque ierint, honeſtè eſſe
viuendum. Cùm adierint hos hortulos, & inſcriptum hortulis, *Hoſpes hîc benè manebis,
hîc ſummum bonum voluptas eſt:* paratus erit iſtius domicilij cuſtos, hoſpitalis, humanus,
& te polentâ excipiet, & aquam quoque largè adminiſtrabit. & dicet: *Ecquid benè acce-
ptus es?* Non irritant, inquam, hi hortuli famem, ſed extinguunt: nec maiorem ipſis po-
tionibus ſitim faciunt, ſed naturali & gratuito remedio ſedant. In hac voluptate conſe-
nui. de his tecum deſideriis loquor, quæ [15] conſolationem non recipiunt, quibus dan-
dum eſt aliquid vt deſinant. Nam de illis extraordinariis quæ licet differre, licet caſti-
gare & opprimere, hoc vnum commonefaciam, Iſta voluptas [16] non naturalis eſt, non
neceſſaria: huic nihil debes. ſi quid impendis, voluntarium eſt. Venter [17] præcepta non C
audit,

10. HABETVR.] *Lego*, fauetur.

11. SI VIS PYTHOCLEA.] *Verba ipſa in Stobæi Serm.* XVII. *ſic exſtant.* Εἰ βούλει πλούσιόν τινα ποιῆσαι, μὴ χρημάτων προσίθει, τῆς δὲ ἐπιθυμίας ἀφαίρει: Si vis diuitem aliquem facere, non pecuniæ adijce, ſed cupiditatibus detrahe. *Mutauit Stobæus dictiunculam*, & τινὰ *ſcripſit, pro* Πυθοκλέα. *Fuit iſte Pythocles formoſus adoleſcens, & in quo malè Epicurus audiuit. quod præter Laërtium, tangit Plutarchus aduerſus Colotem. Damnat enim Epicurum, qui* adoleſcentem octodecim annos natum, ita eximie laudauerit, vt ſcriberet, Οὐκ εἶ φύσιν ἐν ὅλῃ τῇ Ἑλλάδι ἀμείνω: Non eſſe indolem in totâ Græciâ meliorem. *Sed quod ad ſententiam, aurea eſt. quam Plato ſibi velit inſcribi, ſi verè Stobæus Ser.* X. Πλάτων πρὸς τὸν ἀεὶ ζητοῦντα χρηματίζεσθαι. ὦ πονηρὲ, εἶπε, μὴ πείρῳ τὴν κτῆσιν αὔξειν, ἀλλὰ τὴν ἐπιθυμίαν μειῶσαι: Plato cuidam rei augendę ſemper cupido, O improbe, inquit, ne ſtude poſſeſſiones augere, ſed cupiditates minuere. *Neque diſſonat illud Socratis: qui interrogatus,* πῶς ἂν γένοιτό τις πλούσιος; εἰ τοὺς ἐπιθυμιῶν, ἔφη, πένης: Quomodo quis diues fieret? ſi cupidinum, inquit, inops. *Quod alibi tamen Cleanthi video adſcriptum.*

12. DIVIDERE SENTENTIAM.] *De Vitâ beatâ, cap.* III.

13. ET SEQVOR.] *Nempe ſic diuiſam, vnam eius partem.*

14. VELAMENTVM SEIPSOS.] *Meus & quidam,* velamenta ipſa: *rectè. aut clariùs,* velamentum ipſa: *nempe illa,* dicta.

15. CONSOLATIONEM.] *Id eſt, quæ verbis non lenias. qualia ſunt, naturalia & neceſſaria deſideria: quæ re explere debeas, ſed facili & paratâ.*

16. NON NATVRALIS EST.] *Abeſt negatio à ſcriptis: & poteſt, aut fortaſſe debet. Nam Epicurus* diuidebat Cupiditatum genera, *(ait Cicero* v. *Tuſc.)* non nimis fortaſſe ſubtiliter, vtiliter tamen. partim eſſe Naturales, & Neceſſarias; partim Naturales, & non Neceſſarias; partim Neutrum. Naturales, ſatiari pænè nihilo; nec ſecundùm genus, difficile ad potiendum; tertias, planè inanes, & eijciendas funditus putauit. *Eadem diuiſio in Nemeſio, De Animâ, cap.* XVIII. *qui* Voluptates D
triplices *ita facit*. Naturales ac Neceſſarias eſſe, ſine quibus vita non conſtat: vt alimenta, & veſtes. Naturales autem non Neceſſarias, quæ naturâ & lege honeſtæ ſunt, ſed carere ijs licet. vt eſt coniugalis Concubitus: poſſum enim caſtus permanere. Neque Neceſſarias, neque Naturales: vt Ebrietas, Petulantia, Luxus. *Addit vir ille ſanctus*: Qui conuenienter Deo vult viuere, primas ſolas perſequetur: qui in ſecundâ claſſe, poteſt & alteras, ſed modo & tempore: tertiæ autem omnino omnibus fugiendæ ſunt. *Iſta hîc & alibi Senecæ lucem donent.*

17. PRÆCEPTA NON AVDIT.] *Cato apud Agellium:* Arduum ad ventrem verba facere, qui careat auribus.

18. Pos-

A audit, [18] poſcit, appellat. non eſt tamen moleſtus creditor, parùo dimittitur: ſi modò das illi [19] quod debes; non [20] quod potes.

EPIST. XXII.

FORTITER *exeundum eſſe ab occupationibus, & ſoluendos laqueos aut rumpendos. Sed tamen opportunitas & Καιρὸς exſpectetur: nec elabatur. Spernit deinde & abiicit ſplendores iſtos falſos. Tum ab Epicuro ſententia: Omnes exire pueros è vitâ: id eſt, veræ eius ignaros.*

IAM intelligas educendum eſſe te ex iſtis occupationibus, ſpecioſis & malis: ſed quomodo id conſequi poſſis, quæris. Quædam non niſi à præſente monſtrantur. Non poteſt medicus per epiſtolas cibi, aut balnei, tempus eligere: vena tangenda eſt. Vetus prouerbium eſt, *Gladiatorem in arenâ capere conſilium*. Aliquid aduerſarij vultus, aliquid
B manus mota, aliquid ipſa inclinatio corporis, intuentem monet. Quid fieri ſoleat, quid oporteat, in vniuerſum & mandari poteſt, & ſcribi: tale conſilium non tantùm abſentibus, ſed etiam poſteris datur. illud alterum quando fieri debeat, aut quemadmodum, ex longinquo nemo ſuadebit: cum rebus ipſis deliberandum eſt. Non tantùm præſentis, ſed vigilantis eſt, occaſionem obſeruare properantem. Itaque hanc circumſpice: hanc ſi videris, prende: & toto impetu, totis viribus id age, vt te iſtis officiis exuas. Et quidem quam ſententiam feram, attende. Cenſeo aut ex iſtâ vitâ tibi, aut è vitâ exeundum. Sed illud idem exiſtimo, leni eundum viâ: vt quod malè implicuiſti, ſoluas potiùs quàm abrumpas. dummodò, ſi alia ſoluendi ratio non erit, vel abrumpas. Nemo tam timidus eſt, vt malit ſemper pendêre, quàm ſemel cadere. Interim, quod primum eſt, impedire te noli, contentus eſto negotiis, in quæ deſcendiſti, [1] vel quod videri mauis, incidiſti. Non eſt quòd ad vlteriora nitaris. aut perdes excuſationem, & apparebit te non incidiſſe. Iſta enim quæ dici ſolent, falſa ſunt: *Non potui aliter. Quid ſi nollem? neceſſe erat.* Nulli neceſſe eſt, felicitatem curſu ſequi: eſt aliquid, etiam ſi non repugnare,
C ſubſiſtere, nec inſtare [2] fortunæ ferenti. Numquid offenderis, ſi in conſilium non venio tantùm, ſed aduoco? & quidem prudentiores quàm ipſe ſum, ad quos ſoleo referre, ſi quid delibero. Epicuri epiſtolam ad hanc rem pertinentẽ legi, Idomeneo quæ ſcribitur. quem rogat, vt quantum poteſt fugiat & properet, antequam aliqua vis maior interueniat, & auferat libertatem recedendi. Idem tamen ſubiicit, nihil eſſe tentandum, niſi cùm aptè poterit tempeſtiueque tentari: ſed cùm illud tempus diu captatum venerit, exſiliendum ait. Dormitare de fugâ cogitantem vetat, & ſperat etiam ex difficillimis ſalutarem exitum: ſi nec properemus ante tempus, nec ceſſemus in tempore. Puto nunc & Stoicam ſententiam quæris. non eſt quòd quiſquam illos apud te temeritatis infamet: cautiores quàm fortiores ſunt. Exſpectas forſitan, vt tibi hæc dicantur? Turpe eſt cedere oneri: luctare cum officio, quod ſemel recepiſti. Non eſt vir fortis & ſtrenuus, qui laborem fugit: verùm ibi creſcit illi animus, ipsâ rerum difficultate. Dicentur tibi
D iſta, ſi operæpretium habebit perſeuerantia, ſi nihil indignum bono viro faciendum patiendúmve erit: alioquin ſordido ſe & contumelioſo labore non conteret, nec in negotiis erit negotij cauſsâ. Ne illud quidem, quod exiſtimas eum facturum, faciet, vt ambi-

18. POSCIT, APPELLAT.] *Impudens & moleſtus creditor. Homerus:*

Οὐ γάρ τι φυγερὴ ὅτι γαστέρι κύντερον ἄλλο
Ἔπλετο, ἥτ' ἐκέλευσεν ἔο μνήσασθαι ἀνάγκη.
Non eſt improbior res altera ventre moleſto,
Quique ſui inuitos etiam memores iubet eſſe.

19. QVOD DEBES.] *Simplex aliquid.*
20. QVOD POTES.] *Lautum aut affluens, ſi tuipſe talis.*

EPIST. XXII. 1. SEMPER PENDERE.] *Tale in Homero Aiax profatur, vbi ſuos hortatur ad robur, Iliad. o. verſ.* DXI.

Βέλτερον ἢ ἀπολέσθαι ἕνα χρόνον, ἠὲ βιῶναι,
Ἢ δηθὰ φρεύγεσθαι ἐν ἀνῇ δῃοτῆτι:
Nam melius ſemel eſt vel viuere, ſiue perire,
Quã ſemper pẽdêre graui in diſcrimine Martis.

2. VEL QVOD VIDERI MAVIS.] *Olim memini, vulgò contaminata, emendare: & ſic meus optimus liber, niſi quod ſcribit,* vel quia.

2. FORTVNÆ FERENTI.] *A vento ſecundante metaphora: & ſimillima in Statio,* 11. *Thebaid.*

—— Quantumque ferentem
Fortunam virtute domas.

Vterque vult, modum etiam fauenti & efferenti for-

ambitioſis rebus implicitus, earum ſemper æſtus ferat. Sed cùm viderit breuia in qui- A
bus volutatur, incerta, ancipitia: repetet pedem, nec vertet terga, ſed ſenſim recedet in tutum. Facile eſt autem, mi Lucili, occupationes euadere, ſi occupationum pretia contempſeris. illa ſunt, quæ nos morantur & detinent. Quid ergo? tam longas ſpes relinquam? ab ipsâ meſſe diſcedam? nudum erit latus? incomitata lectica? atrium vacuum? Ab his ergo inuiti homines recedunt, & mercedem miſeriarum amant, ipſas execrantur. Sic de ambitione, quomodo de amicâ queruntur: id eſt, ſi verum affectum eorum inſpicias, non oderunt, ſed litigant. Excute iſtos, qui quæ cupiere, deplorant, & de earum rerum loquuntur fugâ, quibus carere non poſſunt: videbis voluntariam eſſe illis in eo moram, quòd ægrè ferre ipſos & miſerè, loquuntur. Ita eſt, mi Lucili, paucos ſeruitus, plures ſeruitutem tenent. Sed ſi deponere illam in animo eſt, & libertas bonâ fide placuit: in hoc autem vnum [4] aduocationem petis, vt ſine perpetuâ ſolicitudine id tibi facere contingat: quid ni te tota cohors Stoicorum probatura ſit? Omnes Zenones & Chryſippi moderata, & honeſta, & vera ſuadebunt. Sed ſi propter hoc tergiuerſaris, vt B
circumſpicias, quantum feras tecum, & quàm magnâ pecuniâ inſtruas otium: numquam exitum inuenies. Nemo cum ſarcinis enatat. Emerge ad meliorem vitam, propitiis diis. ſed non ſic, quo modo iſtis propitij ſunt, quibus bono ac benigno vultu mala magnifica tribuerunt: [5] hoc vno excuſati, quòd iſta quæ vrunt, quæ excruciant, optantibus data ſunt. Iam imprimebam epiſtolæ ſignum: reſoluenda eſt, vt cum ſollenni ad te munuſculo veniat, & aliquam magnificam vocem ſecum ferat. & ecce occurrit mihi neſcio vtrùm verior, an eloquentior. cuius? inquis. Epicuri. adhuc enim [6] alienas ſarcinas adorno. *Nemo non ita exit è vitâ, tamquam modò intrauerit.* Quemcumque vis occupa, adoleſcentem, ſenem, medium: inuenies æquè timidum mortis, æquè inſcium vitæ. nemo quidquam habet facti. in futurum enim noſtra diſtulimus. Nihil me magis in iſtâ voce delectat, quàm quòd exprobratur ſenibus infantia. Nemo, inquit, aliter, quàm quomodo natus eſt, exit è vitâ. Falſum eſt, peiores morimur, quàm naſcimur. Noſtrum iſtud, non naturæ vitium eſt. illa de nobis conqueri debet, & dicere: Quid hoc eſt? C
ſine cupiditatibus vos genui, ſine timoribus, ſine ſuperſtitione, ſine perfidiâ, ceteriſque peſtibus. quales intraſtis, exite. Percepit ſapientiam, ſi quis tam ſecurus moritur, quàm naſcitur. Nunc verò trepidamus, cùm periculum acceſſit: non animus nobis, non color conſtat: lacrimæ nihil profuturæ cadunt. Quid eſt turpius, quàm in ipſo limine ſecuritatis eſſe ſolicitum? Cauſſa autem hæc eſt, quòd inanes omnium bonorum ſumus, [7] quorum in fine vitæ deſiderio laboramus. Non enim apud nos pars eius vlla ſubſedit. tranſmiſſa eſt, & effluxit. Nemo quàm benè viuat, ſed quàm diu, curat: cùm omnibus poſſit contingere, vt benè viuant; vt diu, nulli.

EPIST. XXIII.

MONET *verum gaudium quærere. quod illud? ſeuerum, & ex vero Bono natum. Reliqua fallacia & fugacia ſunt, hoc ſolidum, & firmum: quia in ſolido ſitum, & animo, optimâ noſtri parte. Vno verbo, poſitum eſt in Conſcientiâ. Epicuri deinde dictum: Turpe & moleſtum, vitam ſemper incohare: & inconſtantes damnantur.* D

PVTAS me tibi ſcripturum, quàm humanè nobiſcum hiems egerit, quæ & remiſſa fuit, & breuis: quàm malignum ver ſit, quàm præpoſterum frigus, & alias ineptias verba quærentium. Ego verò aliquid, quod & mihi & tibi prodeſſe poſſit, ſcribam. Quid

tunæ poni: & contrahi vela, dum ventus à puppi implet. Vide De Vit. beat. cap. XXII.

4. ADVOCATIONEM PETIS.] *Moram interponis. Vide ad Marciam, cap.* X.

5. HOC VNO EXCVSATI.] *Veteres omnes*, ad hoc vnum. *Si mutamus, velim* ab hoc vno.

6. ALIENAS SARCINAS.] *Dubito an* alienis. *Meas ſarcinas inſtruo, rebus alienis. vt epiſt.* XVI. Adhuc de alieno liberalis ſum.

7. QVORVM IN FINE.] *Membranæ meliores*: cùm in fine. *Legam*: quòd in fine vitæ, vitæ deſiderijs laboramus: *voce repetitâ.*

EPIST.

A Quid autem id erit, nisi vt te exhorter ad bonam mentem? Huius fundamentum quod sit, quæris? ne gaudeas vanis. Fundamentum hoc esse dixi: [1] culmen est. Ad summa peruênit, qui scit quo gaudeat, qui felicitatem suam in alienâ potestate non posuit. Sollicitus est, & incertus sui, quem spes aliqua proritat: licet ad manum sit, licet non ex difficili petatur, licet illum numquam sperata deceperint. Hoc ante omnia fac, mi Lucili, [2] disce gaudere. Existimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita submoueo, qui spes, dulcissima oblectamenta, deuitandas existimo? imò contrà. nolo tibi vmquam deesse lætitiam. volo illam tibi domi nasci: nascetur, si modò intra teipsum sit. Ceteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leues sunt: nisi fortè tu iudicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer & fidens, & super omnia erectus. Mihi crede, res seuera est verum gaudium. An tu existimas quemquam soluto vultu, &, vt isti delicati loquuntur, [3] hilari oculo mortem contemnere? paupertati domum aperire? voluptates tenere sub fræno? meditari dolorum patientiam? Hæc qui
B apud se versat, in magno gaudio est, sed parum blando. In huius gaudij possessione esse te volo. numquam deficiet, cùm semel vnde petatur inueneris. Leuium metallorum fructus in summo est: illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena, assiduè pleniùs responsura fodienti. Hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac [4] perfusoriam voluptatem: & quodcumque inuecticium gaudium est, fundamento caret. Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, solidum est, & quod plus pateat introrsus. Fac oro te, Lucili carissime, quod vnum potest te præstare felicem. disiice & conculca ista quæ extrinsecus splendent, quæ tibi promittuntur ab alio: ad verum bonum specta, & de tuo gaude. Quid est autem hoc? de te ipso, & tui optimâ parte. Corpusculum quoque, etiam si nihil fieri sine illo potest, magis necessariam rem crede, quàm magnam. Vanas suggerit voluptates, breues, pœnitendas, ac nisi magnâ moderatione temperentur, in contrarium abituras. Ita dico, in præcipiti est voluptas, ad dolorem vergit, nisi modum teneat. modum autem tenere in eo difficile est, quod bonum esse credideris. Veri boni
C auiditas, tuta est. Quid sit istud, interrogas, aut vnde subeat? dicam. Ex bonâ conscientiâ, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam. Nam illi qui ex aliis propositis in alia transiliunt, aut ne transiliunt quidem, sed casu quodam transmittuntur, quomodo habere quidquam certum mansurúmve possunt, suspensi & vagi? Pauci sunt, qui consilio se suaque disponant: ceteri eorum more [5] quæ fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur. Ex quibus alia lenior vnda detinuit, ac molliùs vexit; alia vehementior rapuit; alia [6] proximè ripam, cursu languescente deposuit; alia torrens impetus eiecit in mare. Ideò constituendum est, quid velimus, & in eo perseuerandum. Hic est locus soluendi æris alieni. Possum enim vocem tibi [7] Epicuri tui reddere, & hanc epistolam liberare. *Molestum est, semper vitam inchoare.* aut si hoc modo magis sensus potest exprimi: *Malè viuunt qui semper viuere incipiunt.* Quare, inquis? desiderat enim explanationem ista vox. Quia semper illis imperfecta vita est. non potest autem stare paratus ad mortem, qui modò
D incipit viuere. Id agendum est, vt satis vixerimus: nemo hoc putat, qui orditur cum-

maxi-

EPIST. XXIII. 1. CVLMEN EST.] *Nascitur enim ex Sapientiâ, & est eius velut fructus.*

2. DISCE GAVDERE.] *De vero Gaudio, in quo semper est Sapiens, vide quæ huc faciunt, Manuduct.* III. *Dissert.* V.

3. HILARI OCVLO.] *Quidam libri*, hilariculo. *quod sanè verbi pro delicatis istis & mollicellis videatur.*

4. PERFVSORIAM.] *Non penetrantem, sed exteriùs adspergentem. Ita* perfusoriè dicere, *apud Ictos leuiter, & sine attentione aut curâ.* perfusoriæ assertiones, *in Suetonij Domitiano, cap.* VIII. *Sic noster epist.* CX. Si illâ se non perfuderit, sed infecerit. *Meus hic & quidam libri*, superfusoriam: *nec malè.*

5. QVÆ FLVMINIBVS.] *Ita Epictetus, apud Stobæum*: Vita, *inquit*, quæ à Fortunâ pendet, rapido flumini similis est, turbulenta, cænosa, impura. *Sed noster dilatat pulcherrimè, & adaptat.*

6. PROXIME RIPAM.] *Meus & scripti*, proximæ ripæ. *Teneam: aut*, proximâ ripâ.

7. EPICVRI TVI.] *Ergo in ijs castris Lucilius? apparet: nec aliâ causâ fortasse toties huius dicta inculcat.*

maximè vitam. Non est quòd exiſtimes, paucos esse hos. propemodum omnes sunt. A Quidam viuere tunc incipiunt, cùm desinendum est. si hoc iudicas mirum, adiiciam quod magis admireris: quidam antè viuere defecerunt, quàm inciperent.

EPIST. XXIIII.

EPISTOLA *inter bonas, pulchrasque. Hortatur non timere ventura, etsi minentur: imò proponere ventura, & sic se formare, examinando aut eleuando. Quid enim omnes isti metus sunt? vltimus eorum mors est: & ratione contemne. Magni viri fecerunt, è plebe & seruitiis fecerunt: cur tu non adspires? Deme personam rebus. quod times, dolor est: quem muliercula in puerperio tulit. Denique in hæc natus es, iactari, dolere, mori: agnosce sortem. Tamen (Epicuri præcepto) nec opta mortem, nec time.*

SOLLICITVM te esse scribis de iudicij euentu, quod tibi furor inimici denunciat, B & exiſtimas me suasurum vt meliora tibiipsi proponas, & acquiescas spei blandæ. Quid enim necesse est mala accersere, & satis citò patienda cùm venerint, præsumere, ac præsens tempus futuri metu perdere? [1] Est sine dubio stultum, quia quandoque sis futurus miser, esse iam miserum: sed ego [2] aliâ te ad securitatem viâ ducam. Si vis omnem solicitudinem exuere, quidquid vereris ne eueniat, euenturum vtique propone: & quodcumque illud est malum, tecum ipse metire, ac [3] timorem tuum taxa. intelliges profectò aut [4] non magnum, aut non longum esse, quod metuis. nec diu exempla, quibus confirmeris, colligenda sunt: omnis illa ætas tulit. In quamcumque partem rerum, [5] vel ciuilium, vel externarum, memoriam miseris; occurrent tibi ingenia, aut [6] profectus, aut impetus magni. Numquid accidere tibi, si damneris, potest durius, quàm vt mittaris in exsilium? vt ducaris in carcerem? numquid vltrà quidquam timendum est vlli, quàm vt vratur? quàm [7] vt pereat? Singula ista constitue, & contemptores eo- C rum cita, qui non quærendi, sed eligendi sunt. Damnationem suam Rutilius sic tulit, tamquam nihil illi molestum esset aliud, quàm quòd malè iudicaretur. Exsilium [8] Metellus fortiter tulit, Rutilius etiam libenter. alter, vt rediret, Reipub. præstitit: alter reditum suum [9] Sullæ negauit, cui nihil tunc negabatur. In carcere Socrates disputauit, & exire (cùm essent [10] qui promitterent fugam) noluit: remansitque, vt duarum rerum grauis-

EPIST. XXIIII. 1. EST SINE DVBIO STVLTVM.] *Similia de Timore non præcipiendo, epist.* XIII. & LXXIV. *atque alibi.*

2. ALIA VIA.] *Planè contraria, vt omnia timeas. Hocipsum in epist.* LXXVIII. Omnem Fortunæ licentiam in oculis habe, tamquam quidquid potest facere, factura sit. Quidquid exspectatum est diu, leuiùs accidit. *Verè sapientis vsurpatio & remedium: de quo ego in occasione, Manuduct.* II. *Dissert.* I.

3. TIMOREM TAXA.] *Iudicio, quanti sit, æstima.*

4. NON MAGNVM.] *Epicuri decantatum in dolore solatium. Infrà statim:* Leuis est, si ferre possum; breuis est, si ferre non possum. *Aeschylus:*

Θάρσει. πόνος γὰρ ἄκρον οὐκ ἔχει χρόνον:
Confide. tempus non habet summus dolor.

5. VEL CIVILIVM.] *Nostrarum & Romanarum. quæ ad tuos ciues.*

6. PROFECTVS.] *In Sapientiâ. Reperies, inquit, aut qui iudicio & ratione, Sapientiæ nempe alumni, hæc contempserint, vt Cato: aut qui impetu & nobilitate animi, vt Scipio.*

7. VT PEREAT?] *Muretus vellet, (nescio an ex libris) vt pendeat? Non ego. decrescat enim oratio: & minùs* pendêre, *quàm* vri. *Quod editum etiam est, libri nostri manuarij omnes habent.*

8. METELLVS.] *Est Q. Metellus Numidicus, victo Iugurthâ dictus. qui Censor, & clarissimus vir, cùm iurare in leges Apuleij Saturnini Tr. pl. nollet, in exsilium missus, fortiter tulit; donec occiso illo, precibus lacrimisq; filij præsertim, qui ob id* Pij *cognomen meruit, restitutus est. Cicero varijs locis, Florus, Appianus, alij.* D

9. SVLLÆ NEGAVIT.] *Noster De Prouid. cap.* III. Rutilius Sullæ Dictatori solus aliquid negauit, & reuocatus non tantùm retrò cessit, sed longiùs fugit. *Ouidius:*

Et graue magnanimi robur mirare RutilI,
Non vsi reditus conditione dati.

10. QVI PROMITTERENT FVGAM.] *Xenophon in Apologiâ:* Ἔτι τε τῶν ἑταίρων ἐκκλέψαι βουλομένων αὐτὸν, οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ καὶ ὑπισχνεῖται ἐδόκει, ἐρόμενος, Εἴπου εἰδείη τι χωρίον ἔξω τῆς Ἀττικῆς, ἔνθα καὶ ἀποσταῖτον θανάτου; Amicis furtim eripere illum volentibus, non paruit, imò & illusit interrogans, An alibi extra Atticam, regionem nossent, quò mors non aspiraret?

11. VTCVM-

A grauiſſimarum hominibus metum demeret, mortis & carceris. Mucius ignibus manum impoſuit. Acerbum eſt vri: quanto acerbius ſi id te faciente patiaris? Vides hominem non eruditum, nec vllis præceptis contra mortem aut dolorem ſubornatum, militari tantùm robore inſtructum, pœnas à ſe irriti conatus exigentem. ſpectator diſtillantis in hoſtili foculo dextræ ſtetit, nec antè remouit nudis oſſibus fluentem manũ, quàm ignis illi ab hoſte ſubductus eſt. Facere aliquid in illis caſtris feliciùs potuit, nihil fortiùs. Vide quanto acrior ſit ad occupanda pericula virtus, quàm crudelitas ad irroganda. Faciliùs Porſena Mucio ignouit, quòd voluerat occidere; quàm ſibi Mucius, quòd non occiderit. Decantatæ, inquis, in omnibus ſcholis fabulæ iſtæ ſunt. iam mihi, cùm ad contemnendam mortem ventum fuerit, Catonem narrabis. Quid ni ego narrem, vltimâ illa nocte Platonis librum legentem, poſito ad caput gladio? duo hæc in rebus extremis inſtrumenta proſpexerat, alterum vt vellet mori, alterum vt poſſet. Compoſitis ergo rebus, [11] vtcumque componi fractæ atque vltimæ poterant, id agendum exiſtimauit,
B ne cui Catonem aut occidere liceret, aut ſeruare contingeret. & ſtricto gladio, quem vſque in illum diem ab omni cæde purum ſeruauerat: Nihil, inquit, egiſti fortuna omnibus conatibus meis obſtando. non pro meâ adhuc, ſed pro patriæ libertate pugnaui: nec agebam tantâ pertinaciâ, vt liber, ſed vt inter liberos viuerem: nunc quoniam deploratæ ſunt res generis humani, Cato deducatur in tutum. Impreſſit deinde mortiferum corpori vulnus: quo obligato à medicis, cùm minus ſanguinis haberet, minus virium, animi idem, iam non tantùm Cæſari, ſed ſibi iratus, nudas in vulnus manus egit, & generoſum illum contemptoremque omnis potentiæ ſpiritum non emiſit, ſed eiecit. Non in hoc exempla hæc nunc congero, vt ingenium exerceam, ſed vt te aduerſus id quod maximè terribile videtur, exhorter. Faciliùs autem exhortabor, ſi oſtendero, non tantùm fortes viros hoc momentum efflandæ animæ contempſiſſe: ſed quoſdam ad alia ignauos, in hac re exæquaſſe animum fortiſſimorum. ſicut illum Cn. Pompeij ſocerum Scipionem, qui contrario in Africam vento relatus, cùm teneri nauem ſuam videret ab ho-
C ſtibus, ferro ſe tranſuerberauit, & quærentibus vbi Imperator eſſet: *Imperator*, inquit, *benè ſe habet*. Vox hæc illum parem maioribus fecit, & fatalem Scipionibus in Africâ gloriam non eſt interrumpi paſſa. Multum fuit Carthaginem vincere, ſed amplius mortem. Imperator, inquit, benè ſe habet. An aliter debebat Imperator, [12] & quidem Catonis, mori? Non reuoco te ad hiſtorias, nec ex omnibus ſæculis contemptores mortis, qui ſunt plurimi, colligo: reſpice ad hæc noſtra tempora, de quorum languore ac deliciis querimur. omnis ordinis homines ſuccurrent, omnis fortunæ, omnis ætatis, qui mala ſuâ morte præciderunt. Mihi crede, Lucili, adeò mors timenda non eſt, vt beneficio eius [13] nihil anteferendum ſit. Securus itaque inimici minas audi: & quamuis conſcientia tua tibi fiduciam faciat, tamen quia multa extra cauſſam valent, & quod æquiſſimum eſt ſpera, & ad id te quod eſt iniquiſſimum, compara. Illud ante omnia memento, demere rebus tumultum, ac videre quid in quaque re ſit: ſcies nihil eſſe in iſtis terribile, niſi ipſum timorem. Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque maiuſculis pueris
D euenit. illi quos amant, quibus aſſueuerunt, cum quibus ludunt, ſi perſonatos vident, expaueſcunt: non hominibus tantùm, ſed & rebus perſona demenda eſt, & reddenda facies ſua. Quid mihi gladios & ignes oſtendis, & turbam carnificum circa te frementium? Tolle iſtam pompam ſub quâ lates, & ſtultos territas. mors es, quam nuper ſeruus meus, quam ancilla contemp ſit. Quid tu rurſus mihi flagella & eculeos magno apparatu explicas? quid ſingulis articulis ſingula machinamenta, quibus extorqueantur, aptata, & mille alia inſtrumenta excarnificandi particulatim hominis? Pone iſta, quæ

nos

11. VTCVMQVE COMPONI.] *Meus liber*, vt tunc componi. *In tali ſcilicet ſtatu.*

12. ET QVIDEM CATONIS.] *Fortis illius viri Imperator, an non ipſe fortis? Nam toti exercitui Scipio præerat: Catone inter Legatos.*

13. NIHIL ANTEFERENDVM SIT.] *Dilutior ſententia, ſi attendis. Quid, quòd libri conſenſu damnant, & verba inſerunt*, anteferendum timendúmve ſit? *Omnes, inquam, olim editi & ſcripti. Scalpellum hoc Muretus adhibuit: præſtabat medicinam. A me ea ſit*: nihil à te verendum timendúmve ſit. *Adeò, mi Lucili, mors tibi non timenda; vt illi, nihil vereri aut timere, debeas. Mala aut metus ſola tollit.*

14. VLLIVS

nos obstupefaciunt: iube conticescere gemitus & exclamationes, & vocum inter lace- A
rationem elisarum acerbitatem. Nempe dolor est, quem podagricus ille contemnit, quem stomachicus ille in ipsis deliciis perfert, quem in puerperio puella perpetitur. Leuis est, si ferre possum: breuis est, si ferre non possum. Hæc in animo voluta, quæ sæpè audisti, sæpè dixisti: sed an verè audieris, an verè dixeris, effectu proba. hoc enim turpissimum est, quod nobis obiici solet, verba nos philosophiæ, non opera tractare. Quid tu? nunc primùm tibi mortem imminere scisti, nunc exsilium, nunc dolorem? in hæc natus es. Quidquid fieri potest, quasi futurum cogitemus. Quod facere te moneo, scio certè fecisse. Nunc admoneo, vt animum tuum non mergas in istam solicitudinem. hebetabitur enim, & minus habebit vigoris, cùm exsurgendum erit. Abduc illum à priuatâ caussâ ad publicam: dic mortale tibi & fragile corpusculum esse, cui non ex iniuriâ tantùm aut ex potentioris viribus denuntiabitur dolor, sed ipsæ voluptates in tormenta vertuntur. Epulæ cruditatem afferunt, ebrietates neruorum torporem tremoremque: libidines pedum, manuum, articulorum omnium deprauationes. Pauper fiam? inter B
plures ero. Exsul fiam? ibi me natum putabo, quò mittar. Alligabor? quid enim? nunc solutus sum? ad hoc me natura graue corporis mei pondus adstrinxit. Moriar? hoc dicis, desinam ægrotare posse, desinam alligari posse, desinam mori posse. Non sum tam ineptus, vt Epicuréam cantilenam hoc loco persequar, & dicam vanos esse inferorum metus, nec Ixionem rotâ volui, nec saxum humero Sisiphi trudi in aduersum, nec [14] vllius viscera & renasci posse quotidie, & carpi. Nemo tam puer est, vt Cerberum timeat & tenebras, & [15] larualem habitum nudis ossibus cohærentium. Mors nos aut consumit, [16] aut emittit. Emissis meliora restant, onere detracto: consumptis nihil restat. bona pariter malaque submota sunt. Permitte mihi referre hoc loco tuum versum, si priùs admonuero, vt te iudices non aliis scripsisse ista, sed etiam tibi. Turpe est aliud loqui, aliud sentire: quanto turpius, aliud scribere, aliud sentire? Memini te illum locum aliquando tractasse, non repentè nos in mortem incidere, sed minutatim procedere. [17] Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoque cùm C
crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam: vsque ad hesternum, quidquid transiit temporis, periit. hunc ipsum quem agimus diem, cum morte diuidimus. Quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid antè defluxit: sic vltima hora, quâ esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Tunc ad illam peruenimus, sed diu venimus. Hæc cùm descripsisses, quo soles ore, semper quidem magnus, numquam tamen acrior, quàm vbi veritati commodas verba, dixisti:

[18] *Mors non vltima venit, quæ rapit vltima, mors est.*

Malo te legas, quàm epistolam meam. apparebit enim tibi, hanc quam timemus mortem extremam esse, non solam. Video quò spectes. quæris quid huic epistolæ infulserim, quod dictum alicuius animosum, quod præceptum vtile? Ex hac ipsâ materiâ quæ in manibus fuit, mittetur aliquid. Obiurgat Epicurus non minùs eos qui mortem concupiscunt, quàm eos qui timent, & ait: *Ridiculum est, currere ad mortem tædio vitæ, cum ge-* D
nere

14. VLLIVS VISCERA.] *De Tityo poëtæ. & inter alios Lucretius, qui hæc talia abiecit, & ad moralem sensum aliquē aptat, pro Epicuri doctrinâ, lib.* III.

15. LARVALEM.] *Ita scripti libri: editi,* Laruarum. *Sed illud ad ipsos mortuos refer, qui pallentes, tenues, & laruales quædā vmbræ, vt Sidonius dixit.*

16. AVT EMITTIT.] *Plures libri,* exuit. *nempe corpore isto, & velamento. Vtrouis autem modo, Mors nihil, aut nihili est. Si enim emittit, viuimus. quo sensu Lucanus lib.* III.

Aut nihil est sensus animis à morte relictum,
Aut mors ipsa nihil.

Si consumit, cum illâ perimus. atq; ita Senecæ Tragici valeat, Post mortem nihil est, ipsaq; mors nihil.

17. COTTIDIE MORIMVR.] *Seneca hoc sæpè tractat & inculcat: etiam Plutarchus, prorsus vt noster, suggerente Mureto. In libro, De Ei in Delphis.* Nos, *inquit*, vnam mortem ridiculè timemus, toties iam mortui, & morientes. Non enim solum, vt Heraclitus ait, Ignis mors Aëris est generatio; & huius mors, Aquæ: sed idipsum clariùs in homine videas. Perit Virilis ætas Senio accedente, perit Iuuentus Virili ætate, Pueritia Iuuentute, Infantia per Pueritiam. Quin & hesternus dies in hodiernum occidit, & hodiernus crastino morietur.

18. MORS NON VLTIMA.] *Ita omnes libri, ad Mure-*

A *genere vitæ, vt currendum esset ad mortem, effeceris*. Item alio loco dicit: Quid tam ridiculum, quàm appetere mortem, cùm vitam tibi inquietam feceris metu mortis? His adiicias & illud eiusdem notæ licet, tantam hominum imprudentiam esse, imò dementiam, vt quidam [19] timore mortis cogantur ad mortem. Quidquid horum tractaueris, confirmabis animum, vel ad mortis, vel ad vitæ patientiam. In vtrumque monendi ac firmandi sumus: & ne nimis amemus vitam, & [20] ne nimis oderimus. [21] etiam cùm ratio suadet finire, non temerè, nec cum procursu [22] capiendus est impetus. Vir fortis ac sapiens non fugere debet è vitâ, sed exire. Et ante omnia ille quoque vitetur affectus, qui multos occupauit, libido moriendi. Est enim, mi Lucili, vt ad alia, sic etiam ad moriendum inconsulta animi inclinatio: quæ sæpè generosos atque acerrimæ indolis viros corripit, sæpè ignauos iacentesque. illi contemnunt vitam, hi grauantur. Quosdam subit eadem faciendi videndique satietas, & vitæ non odium, sed fastidium: in quod prolabimur, ipsâ [23] impellente philosophiâ, dum dicimus: [24] *Quousque eadem*? Nempe exper-
B giscar, dormiam, satiabor, esuriam, algebo, æstuabo: nullius rei finis est, sed in orbem nexa sunt omnia: fugiunt ac sequuntur. Diem nox premit, dies noctem: æstas in autumnum desinit, autumno hiems instat, quæ vere compescitur: omnia transeunt, vt reuertantur. nihil noui video, nihil noui facio. Fit aliquando & huius rei nausea. Multi sunt qui non acerbum iudicent viuere, sed superfluum.

EPIST. XXV.

PRAESCRIBIT *de duobus amicis, iuuene & sene, aliter atque aliter cum vtroque agendum: cum illo fortiùs; cum hoc remissiùs, ne desperet. Ipsum Lucilium hortatur ad mediocritatem, aut pauperiem: deinde (Epicuri voce) vt sumat sibi Pædagogum. Fac omnia, tamquam aliquis spectet.*

C QVOD ad duos amicos nostros pertinet, diuersâ viâ eundum est. alterius enim vitia emendanda, alterius frangenda sunt. Vtar libertate totâ: non amo illum, nisi offendero. Quid ergo? inquis. quadragenarium pupillum cogitas sub tutelâ tuâ continere? Respice ætatem eius iam duram & intractabilem. non potest reformari. tenera finguntur. An profecturus sim nescio: malo successum mihi, quàm fidem deesse. Nec desperaueris, etiam diutinos ægros posse sanari, si contra intemperantiam steteris, si multa

Muretum: qui edidit, Mors non vna venit, sed quæ, *versu, inquit, & sententiâ postulante. Ego contrà postulem, vetera teneri: deletâ modò particulâ*, sed, *quæ versum, an versus, turbat. Potest enim Heroicus ita esse; possunt & bini Anapæstici.*

Mors non vltima vênit,
Quæ rapit vltima, mors est. *Non quæ vênit,*
D *& iam præteriit, Mors est: sed illa propriè, quæ rapit vltima, & nos aufert.*

19. TIMORE MORTIS.] *Simile epist.* LXX. Stultitia est, timore mortis mori. *Ibi me vide.*

20. NE NIMIS ODERIMVS.] *Curtius lib.* V. Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quàm odisse vitam. Sæpè tædio laboris, ad vilitatem sui compelluntur ignaui. At virtus nihil inexpertum omittit. Vltimum omnium mors est: ad quam non pigrè ire, satis est.

21. ETIAM CVM RATIO.] *Quod Stoici volebant, & causas esse sumendæ interim mortis. De quo decreto ego Manuduct.* III. *Differt.* XXII. & XXIII.

22. CAPIENDVS EST IMPETVS.] *Plinius pariter, lib.* I. *epist.* XXII. Impetu quodam & instinctu currere ad mortem, commune cum multis: deliberare verò, & causas eius expendere, vtque suaserit ratio, vitæ mortisque consilium suscipere vel ponere, ingentis est animi. *Adde Senecam epist.* XXX. & LV.

23. IMPELLENTE PHILOSOPHIA.] *Quæ reuera non magni facit totum hoc viuere, & in eadem circulari. Lucretius lib.* III. *Naturam ipsam rerum loquentem facit:*

Nam tibi præterea, quod machiner inueniamque,
Quod placeat, nihil est: eadem sunt omnia semper.
Si tibi non annis corpus iam marcet, & artus
Confecti languent; eadem tamen omnia restant,
Omnia si pergas viuendo vincere sæcla.

24. QVOVSQVE EADEM?] *De Tranquill. cap.* II. Fastidio illis cœpit esse vita, & subit illud rabidarum deliciarum, Quousque eadem? *Vox vulgi fuit, & iterùm exprimit epist.* LXXXIX.

EPIST.

multa inuitos & facere coëgeris & pati. Nec de altero quidem satis fiduciæ habeo: ex- A
cepto eo, quòd adhuc peccare erubescit. nutriendus est hic pudor: qui quamdiu in animo eius durauerit, aliquis erit bonæ spei locus. Cum hoc veterano, parciùs agendum puto, ne in desperationem sui veniat: nec vllum tempus aggrediendi [1] melius fuit, quàm hoc, dum interquiescit, dum emendato similis est. Aliis hæc intermissio eius imposuit. mihi verba non dat: exspecto cum magno fænore vitia reditura, quæ nunc scio cessare, [2] non deesse. Impendam huic rei dies: & vtrùm possit aliquid agi, an non possit, experiar. Tu nobis te, vt facis, fortem præsta, & sarcinas contrahe. Nihil ex his quæ habemus, necessarium est. Ad legem naturæ reuertamur: diuitiæ paratæ sunt. Aut gratuitum est quo egemus, aut vile. [3] Panem & aquam natura desiderat. nemo ad hæc pauper est. intra quæ quisquis desiderium suum clusit, [4] cum ipso Ioue de felicitate contendat, vt ait Epicurus: cuius aliquam vocem huic epistolæ inuoluam. *Sic fac*, inquit, *omnia*, [5] *tamquam spectet aliquis.* Prodest sine dubio, custodem sibi imposuisse, & habere quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis iudices. Hoc quidem longè ma- B
gnificentius est, sic viuere tamquam sub alicuius boni viri, ac semper præsentis, oculis: sed ego etiam hoc contentus sum, vt sic facias quæcumque facies, tamquàm spectet aliquis. Omnia nobis mala solitudo persuadet. Cùm iam profeceris tantum, vt sit tibi etiam tui reuerentia, licebit dimittas pædagogum: interim te aliquorum auctoritate custodi. Aut Cato ille sit, aut Scipio, aut Lælius, aut cuius interuentu perditi quoque homines vitia supprimerent; dum te efficis eum, coram quo peccare non audeas. Cùm hæc effeceris, & aliqua cœperit apud te tui esse dignatio, incipiam tibi permittere: quod idem suadet Epicurus. Tunc præcipuè in te ipse secede, cùm esse cogêris in turbâ. Dissimilem te fieri multis oportet. dum tibi tutum non est à te recedere: circumspice singulos. Nemo est, cui non satius sit cum quolibet esse, quàm secum. Tunc præcipuè in te ipse secede, cùm esse cogêris in turbâ, si bonus vir, si quietus, si temperans es: alioquin in turbam tibi à te recedendum est. Istic enim malo viro [6] propius es.

C

EPIST. XXVI.

SENEM *se esse, & tamen animo vigere. Fortiter de morte loquitur: quæ sola, inquit, iudicat an aliquid sit facti. Reliqua, verba sunt: robur & virtus apparebit, cùm animam ages. Ab Epicuro clausula: Disce mortem meditari.*

[1] MODO dicebam tibi, in conspectu esse me senectutis: iam vereor, ne senectutem post me reliquerim. Aliud iam his annis, [2] certè huic corpori vocabulum conuenit: quoniam quidem Senectus, lassæ ætatis, non fractæ nomen est. Inter decrepitos me

EPIST. XXV. 1. MELIVS FVIT.] *Grutero assentior*, fuerit.

2. NON DEESSE.] *Malim*, desisse.

3. PANEM ET AQVAM.] *Lucanus, poëta prorsum philosophus*:

Discite quàm paruo liceat producere vitam,
Et quantum Natura petat.

— satis est populis fluuiusque, Cereique.

Euripides:

Ἐ ωεὶ τὶ δεῖ βροτοῖσι, πλὴν δυοῖν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς, πώματος θ' ὑδρηχόου;

Nam quid opus est mortalibus, nisi hæc duo,
Cereris que fruges, poculumque puræ aquæ?

4. CVM IPSO IOVE.] *Adi epistolam* CX. *vbi hæc Epicuri vox expressa.*

5. TAMQVAM SPECTET ALIQVIS.] *Meus & plures scripti*, Spectet Epicurus: *& scito germanum esse. Sunt ipsa Epicuri verba, ad aliquem è suis. quem iubet cupitq;, velut se teste & spectatore, viuere. At post ternas lineas non mutabis, & rectè ibi*, tamquam spectet aliquis. *Vide suprà, epist.* XI. D

6. PROPIVS ES.] *Quidam*, propior: *& sententia est illa. quam & ex vulgatâ efficias, litterâ additâ*, Istic enim à malo viro propiùs abes. *Propè abesse ab aliquo, & Cicero & Seneca vsurpant, pro Vicinum esse. Ipsa autem res est, quæ suprà epist* X. Mecum loquor. Caue, inquit Crates, ne cum homine malo loquaris.

EPIST. XXVI. 1. MODO DICEBAM TIBI.] *Quando, aut vbi? Epistolâ* XII. *in simili ætatis argumento, & augmento.*

2. CERTE HVIC CORPORI.] *Abest vulgatis vocula*, certè: *at necessaria est, & quasi corrigit & mitigat de prægrandi ætate, & potiùs valetudine ac corpore fracto senem se esse.*

3. VIGET

A me numera, & extrema tangentes. Gratias tamen mihi apud te ago: non ſentio in animo ætatis iniuriam, cùm ſentiam in corpore. tantùm vitia, & vitiorum miniſteria ſenuerunt.[3] Viget animus, & gaudet non multum ſibi eſſe cum corpore: magnam oneris partem ſui depoſuit, exſultat, & mihi facit controuerſiam de ſenectute. hunc ait eſſe florem ſuum. Credamus illi, bono ſuo vtatur. Ire in cogitationem iuuat, & diſpicere, quid ex hac tranquillitate & modeſtiâ morum ſapientiæ debeam, quid ætati: & diligenter excutere, quæ non poſſim facere,[4] quæ nolim: poſſim ne aliquid, quod nolim. Nam ſi quid non poſſum, non poſſe me gaudeo. Quæ enim querela eſt, quod incommodum, ſi quod debet deſinere, defecit? Incommodum ſummum eſt, inquis, minui & deperire, &, vt propriè dicam, liqueſcere. Non enim ſubitò impulſi ac proſtrati ſumus: carpimur. ſinguli dies aliquid ſubtrahunt viribus. Et quis exitus eſt melior, quàm in finem ſuum, naturâ ſoluente, dilabi? Non quia aliquid mali eſt[5] ictus, & è vitâ repentinus exceſſus: ſed quia lenis hæc via eſt,[6] ſubduci. Ego certè, velut appropinquet experimentum, &
B ille laturus ſententiam de omnibus annis meis dies venerit, ita me obſeruo & alloquor: Nihil eſt, inquam, adhuc, quod aut rebus aut verbis exhibuimus. leuia ſunt iſta & fallacia pignora animi, multisque inuoluta lenociniis: quid profecerim, morti crediturus ſum. Non timidè itaque componor ad illum diem, quo remotis ſtrophis ac fucis, de me iudicaturus ſum, vtrùm loquar fortia, an ſentiam: numquid ſimulatio fuerit & mimus, quidquid contra fortunam iactaui verborum contumacium. Remoue exiſtimationem hominum: dubia ſemper eſt, & in partem vtramque diuiditur. Remoue ſtudia totam vitam tractata: mors de te pronuntiatura eſt. Ita dico, diſputationes & litterata colloquia, & ex præceptis ſapientium verba collecta, & eruditus ſermo, non oſtendunt verum robur animi. eſt enim oratio etiam timidiſſimis audax. quid egeris, tunc apparebit, cùm animam ages. [7] Accipio conditionem, non reformido iudicium. Hæc mecum loquor: ſed tecum quoque me locutum puta. Iunior es? quid refert? non dinumerantur anni. Incertum eſt, quo te loco mors exſpectet: itaque tu illam omni loco ex-
C ſpecta. Finire iam volebam, & manus ſpectabat ad clauſulam: ſed [8] conficienda ſunt ſacra: & huic epiſtolæ viaticum dandum eſt. Puta me non dicere, vnde ſumpturus ſim mutuum: ſcis cuius arcâ vtar. Exſpecta puſillum, & [9] de domo fiet numeratio: interim commodabit Epicurus, qui ait: *Meditare vtrùm commodius ſit, vel mortem tranſire ad nos, vel nos ad eam.* Hic patet ſenſus. Egregia res eſt, mortem condiſcere. Superuacuum forſitan putas id diſcere, quo ſemel vtendum eſt? hoc eſt ipſum, quare meditari debeamus. ſemper diſcendum eſt, quod an ſciamus, experiri non poſſumus. Meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem iubet. qui mori didicit, ſeruire dedidicit: ſupra omnem potentiam eſt, certè extra omnem. Quid ad illum carcer, & cuſtodia, & clau-

3. VIGET ANIMVS.] *Scriptis oſtendis, quibus nihil robuſtius. & ſimul illud Menandri affirmas:*

D Εἴτ' ἄλλ' ἀφαιρεῖν ὁ πολὺς εἴωθε χρόνος
Ἡμῶν, τό γε φρονεῖν ἀσφαλέστερον ποιεῖ:
Vt alia longus auferat nobis dies,
At ſapere & intelligere firmius facit.

4. QVÆ NOLIM.] *Tricæ hîc in libris, vix extricandæ. Meus*: quæ nolim perdere nec habituro aliquid ſi nolim quidquid non poſſe me gaudeo. *Eliciat aliquis*: quæ nolim. proderítne abituro aliquid, ſi nolim quidquid non poſſum, & gaudeo. *Iuuat quærere, inquit, quid Sapientiæ, quid Ætati adſcribam. Sunt quæ facere non poſſum: Aetatis eſt. ſunt quæ etiam nolo: Sapientiæ eſt. Proderítne autem mox abituro & morituro, ſi nolim quod non poſſum, & non poſſe gaudeo? Proderit. nam in Virtutem ita abit. Exempli gratiâ. à Venere ætas arcet: ſunt qui indignantur, & velint: ſtultitia eſt. ſunt qui quod non poſſunt item nolint, & cum Sophocle gaudeant rabidam canem effugiſſe: Sapientia & Virtus eſt. Qui meliora à ſe aut libris habet, porrigat.*

5. ICTVS, ET E VITA.] *Quidam*, citus, &.

6. SVBDVCI.] *Quod fit in ſenili morte, cùm vt Sol aut lumen, paullatim ſubtrahimur exſtinguimúrque. Epiſt.* XXX. Senectus leniter emittit, non repentè auulſum vitæ, ſed minutatim ſubductum.

7. ACCIPIO CONDITIONEM.] *Præſtitiſti magnanime ſenex: & conſtans hoc robur prætuliſti, etſi in ſubitâ & indictâ morte.*

8. CONFICIENDA SVNT SACRA.] *Interpretor, Sollennia omnia adhibenda: nihil omittendum, velut in ſacris. Prouerbij vicem habet. At Mureti lectio*, conficienda ſunt ſagmata, *Mureti eſt: nec veſtigium in libris.*

9. DE DOMO FIET.] *A me ipſo, & meis copiis, non ab alio. Nunc etiam mutuor, parùm adhuc ipſe abundans aut inſtructus.*

& clauſtra? [10] liberum oſtium habet. Vna eſt catena quæ nos alligatos tenet, amor vitæ: A
qui vt non eſt abiiciendus, ita minuendus eſt: vt ſi quando res exiget, nihil nos detineat,
nec impediat, quò minùs parati ſimus, quod quandoque faciendum eſt, ſtatim facere.

EPIST. XXVII.

MONET, *& excuſat. Quid enim? ipſe iam bonus, iam ſanus? Non ſum, inquit: ſed inter ægros, de communi malo, & remedio, tecum diſſero. Voluptates nocent, aut falsò iuuant: Virtus ſola ſolidum gaudium parit. Sed hanc tu adſume & habe: per alium non potes. Hiſtoriola de Caluiſio faceta. Epicuri dictum, Diuitiæ ſunt, naturalis paupertas.*

TV me, inquis, mones: iam enim te ipſe monuiſti, iam correxiſti? ideò aliorum emendationi vacas? Non ſum tam improbus, vt curationes æger obeam: ſed B
tamquam in eodem [1] valetudinario iaceam, de communi malo tecum colloquor, remedia communico. Sic itaque me audi, tamquam mecum loquar. in ſecretum te meum admitto; & te adhibito, [2] mecum exigo. Clamo mihi ipſe, Numera annos tuos: & pudebit eadem velle, quæ volueras puer, eadem parare. Hoc denique tibi [3] citra diem mortis præſta: moriantur ante te vitia. Dimitte iſtas voluptates turbidas, magno luendas. non venturæ tantùm, ſed præteritæ nocent. Quemadmodum ſcelera etiam ſi non ſint deprehenſa cùm fierent, ſolicitudo non cum ipſis abit: ita improbarum voluptatum, etiam poſt ipſas, pœnitentia eſt. Non ſunt ſolidæ, non ſunt fideles. etiam ſi non nocent, fugiunt. Aliquod potiùs bonum manſurum circumſpice. nullum autem eſt, niſi quod animus ex ſe ſibi inuenit. Sola virtus [4] præſtat gaudium perpetuũ, ſecurum: etiam ſi quid obſtat, nubium modo interuenit, quæ infra feruntur, nec vmquam diem vincunt. Quando ad hoc gaudium peruenire continget? non quidem ceſſatur adhuc, C
ſed [5] non feſtinatur. Multum reſtat operis, in quod ipſe neceſſe eſt vigiliam, ipſe laborem tuum impendas, ſi effici cupis. [6] Delegationem res iſta non recipit. Aliud litterarum genus adiutorium admittit. [7] Caluiſius Sabinus memoriâ noſtrâ fuit diues: & [8] patrimonium habebat libertini, & ingenium. Numquam vidi hominem [9] beatum inde-

10. LIBERVM OSTIVM.] *Sermo Stoicus. & identidem, vbi de morte ſubeundâ vel ſumendâ: Η'νοικται ἡ θύρα:* Aperta eſt ianua. *Exi, ſodes. Arrianus* I. *Diſſert.* IX. *& alibi.*

EPIST. XXVII. 1. VALETVDINARIO.] *Gloſſæ priſcæ,* Valetudinarium, *ὑγιαστήριον, διαιτητήριον: malè valentium, & ſe curantium locus. Nominat auctor libelli De cauſsis corruptæ eloquentiæ, item Columella aliquoties. Videtur in ædibus diuitum fuiſſe, vbi numeroſa familia, talis locus. Adde noſtrum De Irâ lib.* I. *cap.* XVI.

2. MECVM EXIGO.] *Expoſtulo. De Breuitate vitæ, cap.* I. Ariſtoteli cum rerum naturâ exigenti.

3. CITRA DIEM.] *Plerique libri,* circa: *nec malè.*

4. PRÆSTAT GAVDIVM.] *De quo ego Manud.* III. *Diſſert.* V.

5. NON FESTINATVR.] *Negationem Muretus adhibuit ſententiæ formandæ, ſed præter libros. Ego legam:* Non quidem ceſſaturo adhuc, ſed feſtinaturo multum reſtat operis: in quod ipſe, *& clauſula reliqua. Quæris, quando peruenies? Multum operis reſtat, etiam feſtinaturo, quid ceſſaturo?*

6. DELEGATIONEM.] *A re nummariâ. Aes hoc alienum alteri non delegabis ſoluendum, aut tranſcribes: à te facienda numeratio.*

7. CALVISIVS SABINVS.] *Eſtne ille, qui in Tacito* VI. *Annalium, ſub Tiberio accuſatus?* Aceruatim ex eo Annius Pollio, Appius Silanus, Scauro Mamerco ſimul, ac Sabino Caluiſio maieſtatis poſtulantur. *Sed demiſſum oſtendit:* & Celſus vrbanæ cohortis Tribunus Appium ac Caluiſium diſcrimini exemit. *Tunc igitur dimiſſus, ſed à Caio Caligulâ, pòſt aliquot annis, reprehenſus: de quo Dio, libro* LIX. Caluiſius Sabinus inter primos Senatores, cùm recèns à Pannoniæ adminiſtratione rediiſſet, poſtulatus, morte ſpontaneâ damnationem anteuenit. *An hic iſte ſit, neſcio. ætas conuenit: fortaſſe obſtet, quòd libertinus fuit, vt mox dicitur: etſi id quoque genus ſub Principibus ad ſummos honores euecti.* D

8. PATRIMONIVM HABEBAT LIBERTINI.] *Ita hæc edenda, aut certè* libertinum. *quod magis probem: vt ſignificet, non ipſum talem, ſed è talibus eſſe. Libri pro nobis. Sententia arguta, nec ſine ſcommate, quò Seneca inclinat. Habebat, inquit, opes magnas, vt ſolent nunc libertini: ſed & ingenium tale, id eſt humile, terreum, & quod ſaperet ſtirpem.*

9. BEATVM INDECENTIVS.] *Vulgi, non ſapientum iudicio beatum: quod eſt diuitem. Nam illi, ait noſter,*

A indecentius. Huic memoria tam mala erat, vt illi modò nomen Vlixis excideret, modò Achillis, modò Priami: quos tam benè nouerat, [10] quàm pædagogos noſtros nouimus. Nemo vetulus nomenclator, qui nomina non reddit, ſed imponit, [11] tam perperam tribus, quàm ille Troianos & Achiuos perſalutabat. Nihilominus [12] eruditus volebat videri. Hanc itaque compendiariam excogitauit. magnâ ſummâ emit ſeruos, vnum [13] qui Homerum teneret, alterum qui Heſiodum: nouem præterea Lyricis ſingulos aſſignauit. Magno emiſſe illum non eſt quòd mireris. non inuenerat: faciendos locauit. Poſtquam hæc familia illi comparata eſt, cœpit conuiuas ſuos inquietare. Habebat [14] ad pedes hos, à quibus ſubinde cùm peteret verſus, quos referret, ſæpè in [15] medio verſu excidebat. Suaſit illi Satellius quadratus, ſtultorum diuitum [16] arroſor, & quod ſequitur, arriſor, & quod duobus his adiunctum eſt, deriſor, vt Grammaticos haberet [17] analectas. Cùm dixiſſet Sabinus, centenis milibus ſibi conſtare ſingulos ſeruos: *Minoris*, inquit, [18] *totidem ſcrinia emiſſes*. Ille tamen in eâ opinione erat, vt putaret ſe ſcire, quod
B quiſquam in domo ſuâ ſciret. Idem Satellius illum hortari cœpit, vt luctaretur, hominem ægrum, pallidum, gracilem. Cùm Sabinus reſpondiſſet, *Et quomodo poſſum? vix viuo. Noli, obſecro te*, inquit, *iſtud dicere. non vides quàm multos* [19] *ſeruos valentiſſimos habeas?* Bona mens [20] nec commendatur, nec emitur: & puto, ſi venalis eſſet, non haberet emptorem. at mala quotidie emitur. Sed accipe iam quod debeo, & vale. *Diuitiæ ſunt, ad legem naturæ compoſita paupertas*. Hoc ſæpè dicit Epicurus, aliter atque aliter. Sed numquam nimis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur. Quibuſdam remedia monſtranda, quibuſdam inculcanda ſunt.

noſter, Beatum appellant, ad quem pecunia magna confluxit: *epiſt.* XLV. *Indecenter igitur beatus, quia parùm decorè aut eleganter opibus vti poterat, bardus, blennus, frutex.*

C 10. QVAM PÆDAGOGOS.] *Muretus adiſta:* Nos nempe, qui iam ſenes ſumus, quibus omnis pædagogorum memoria excidit. *Neſcio, an ſic Seneca. Quis enim tam madidâ memoriâ, cui pædagogus, tot annorum indiuiduus comes, exciderit? Meum tunc magis librum audiam:* quàm pædagogos noſtros nouos nouimus. *Eam enim vocem inſerit: & certum, nouitios ignotos etiam eſſe. At mihi ſedebat:* modò Priami: & quos tam benè. *Ille, inquit, obliuiſcebatur omnium: etiam quos nouerat, vt pædagogos ſolemus.*

11. TAM PERPERAM TRIBVS.] *Macte Pinciane. tibi, an tuis libris, debemus. Acutum eſt: & nomenclator tribules ſalutabat, aut reſalutabat, nomine Domini: vetulus aliquis prauè, & pro Titio Seium. Noſtri codices:* tam properanter quàm. *quod illuc ſanè ducas, ſi diducas.*

D 12. ERVDITVS VOLEBAT VIDERI.] *Et obtinebat: quidni? Veriſimè Euripides in Herculidis:*

——— οἰόμεσθα γὰρ
Τὸν εὐτυχοῦντα παντ' ἐπίστασθαι σαφῶς:
——— nam cenſemus hoc,
Qui diues eſt felixque, ſcire hunc omnia.

13. QVI HOMERVM.] *Saltem hoc bono iudicio, aut ſuggeſtione, quòd primas huic primo daret.*

14. AD PEDES.] *Ad lecti fulcra, cùm cænaret: quos adſpicere, & innuere poſſet.*

15. MEDIO VERSV.] *Facetius, &, credo, verius eſt*, medio verbo: *quod priſci libri referunt. Tam infida memoria, vt deſtitueret in verbo, & totum non efferret.*

16. ARROSOR.] *Meus*, abraſor: *quod eódem vadit.*

17. ANALECTAS.] *Scitè, & nimis argutè.* Analecta *in conuiuiis, Græco verbo, reliquiæ, & quæ ſubleguntur aut colliguntur ſparſa. Suadebat igitur, habere Grammaticos ab hoc officio; qui reliqua eius, & quæ excideret ei, & velut ab ore aut orbe decideret; colligerent & collecta redderent, atque ita explerent. Non poteſt venuſtius. Habes Grammaticos & litteratores, qui ſuggerunt velut cibum & ingerunt: ecce adde* Sublegulos, *qui elapſa tibi reponant.*

18. TOTIDEM SCRINIA.] *In quibus reponi libri & ſcripta ſolent. Id quoque igitur argutè: Hi tibi, tamquam armaria & ſcrinia ſunt, à quibus auctores petas: cur non ipſa emiſti, minoris quidem, & quæ fideliùs etiam aſſeruaſſent?*

19. SERVOS VALENTISSIMOS.] *Nam ſicut doctrinam ſeruorum, ſuam putabat: cur non item robur?*

20. NEC COMMENDATVR.] *Verius*, commodatur: *nec vſu, nec mancipio datur.*

EPIST. XXVIII.

LOCA *mutata, animum non mutant. ipse te debes. Tolle internam ægrimoniam, omnis locus bonus iucundusque erit. Eligam tamen, si possum, quietissimum & minùs turbis aut vitiis opportunum. Clausula: Peccata tua nosce, iam es saluus.*

HOC tibi soli putas accidisse, & admiraris quasi rem nouam: quòd peregrinatione tam longâ, & tot locorum varietatibus, non discussisti tristitiam grauitatemq. mentis. Animum debes mutare, non cælum. Licet vastum traieceris mare, licet (vt ait Virgilius noster) *terræque vrbesque recedant*: sequentur te, quocumque perueneris, vitia. Hoc idem cuidam querenti Socrates ait: *Quid miraris, nihil tibi* [1] *peregrinationes prodesse, cùm te circumferas?* Premit te eadem causa quæ expulit. Quid terrarum iuuare nouitas potest? quid cognitio vrbium, aut locorum? in irritum cedit ista iactatio. Quæris quare te fuga ista non adiuuet? tecum fugis. Onus animi deponendum est: [2] non antè tibi vllus placebit locus. Talem nunc esse habitum tuum cogita, qualem Virgilius noster vatis inducit, iam concitatæ & instigatæ, multumque habentis in se spiritus non sui: B

Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum. ——

Vadis huc & illuc, vt excutias insidens pondus, quod ipsâ iactatione incommodius fit. sicut in naui onera immota minùs vrgent: inæqualiter conuoluta, citiùs eam partem in quam incubuere demergunt. Quidquid facis, contra te facis, & motu ipso noces tibi. ægrum enim concutis. At cùm istud exemeris malum, omnis mutatio loci iucunda fiet. In vltimas expellaris terras licebit, in quolibet barbariæ angulo colloceris: hospitalis tibi illa qualiscumque sedes erit. Magis quis veneris, quàm quò, interest: & ideò nulli loco addicere debemus animum. Cum hac persuasione viuendum est: Non sum vni angulo natus: patria mea totus hic est mundus. Quod si liqueret tibi, non admirareris, nil adiuuari te regionum varietatibus, in quas subinde priorum tædio migras. Prima enim quæque placuisset, si omnem tuam crederes. Non peregrinaris, sed erras & ageris, ac locum ex loco mutas: cùm illud quod quæris, [3] Benè viuere, omni loco positum sit. Num quid tam turbidum fieri potest, quàm forum? ibi quoque licet quietè viuere, si necesse sit. Sed si liceat disponere se, conspectum quoque & viciniam fori procul fugiam. nam vt loca grauia, etiam firmissimam valetudinem tentant: ita bonæ quoque menti, necdum adhuc perfectæ, & conualescenti, sunt aliqua parùm salubria. [4] Dissentio ab his qui in fluctus medios eunt, & tumultuosam probantes vitam, quotidie cum difficultatibus rerum, [5] magno animo colluctantur. Sapiens feret ista, non eliget: & malet in pace esse, quàm in pugnâ. Non enim multum prodest vitia sua proiecisse, si cum alienis rixandum est. Triginta, inquis, tyranni Socratem circumsteterunt, nec potuerunt animum eius infringere. Quid interest, quot domini sint? seruitus vna est. Hanc qui contempsit, in quantalibet turbâ dominantium liber est. Tempus est desinere, sed si priùs portorium soluero. [6] *Initium est salutis, notitia peccati.* Egregiè mihi hoc dixisse videtur Epicurus. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. deprehendas te oportet, antequam emendes. Quidam vitiis gloriantur. Tu existimas aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numerant? Ideò quantum potes, teipse coargue. inquire in te: accu- C D

EPIST. XXVIII. 1. PEREGRINATIONES PRODESSE.] *Meus*, prosunt. *Fuisse potuit*, si prosunt.

2. NON ANTE TIBI.] *Idem*, non aliter tibi.

3. BENE VIVERE.] *Horatius*:

—— nauibus atque
Quadrigis petimus benè viuere. quod petis, hîc est,
Est Vlubris: animus si te non deficit æquus.

4. DISSENTIO AB HIS.] *Cuiusmodi Cynici.*

5. MAGNO ANIMO.] *Meus*, magno opere.

6. INITIVM EST SALVTIS.] *Ita Tertullianus*, Pœnitentiam (*hæc ex Notitiâ peccati, & adhæret*) humanæ salutis quasi Pharum *esse. Epictetus*: Εἰ βέλει ἀγαθὸς εἶναι, πρῶτον πίστευσον ὅτι κακὸς εἶ: Si vis bonus esse, primùm scito quòd malus es.

7. DEPRE-

A accusatoris primùm partibus fungere, deinde iudicis, nouissimè [7] deprecatoris. [8] aliquando te offende.

EPIST. XXIX.

MARCELLINVM *difficilem corrigi. Adspernatur enim, & illudit: tamen non deseram, & fortasse vel sic peruincam. Sententia Epicuri, Ne studе populo placere: id est, multis.*

DE Marcellino nostro quæris, & vis scire quid agat. Rarò ad nos venit, nullâ aliâ ex caussâ, quàm quia audire verum timet: à quo periculo iam abest. nulli enim nisi audituro dicendum est. Ideò de Diogene, nec minùs de aliis Cynicis, qui libertate promiscuâ vsi sunt, & obuios quosque monuerunt, dubitari solet, an hoc facere debuerint. Quid enim si quis surdos obiurget, aut naturâ morbóve mutos? Quare, inquis,
B verbis parcam? gratuita sunt. Non possum scire an ei profuturus sim, quem admoneo: illud scio, alicui me profuturum, si multos admonuero. Spargenda est manus: non potest fieri, vt non aliquando succedat, multa tentanti. Hoc, mi Lucili, non existimo faciendum magno viro. diluitur eius auctoritas, nec habet apud eos satis ponderis, quos posset minùs obsolefacta corrigere. Sagittarius non aliquando ferire debet, sed aliquando deerrare. Non est ars, quæ ad effectum casu venit. Sapientia ars est. certum petat: eligat profecturos: ab his quos desperauit, recedat: non tamen citò relinquat, sed in ipsâ desperatione extrema remedia tentet. Marcellinum nostrum ego nondum despero. etiamnum seruari potest: sed si citò illi manus porrigitur. Est quidem periculum, ne porrigentem trahat. magna in illo ingenij vis est; sed iam tendentis in prauum. Nihilominus adibo hoc periculum, & audebo illi mala sua ostendere. Faciet quod solet, aduocabit illas facetias, quæ risum euocare lugentibus possunt: & in se primùm, deinde in nos iocabitur: omnia quæ dicturus sum, occupabit. Scrutabitur scholas nostras, & obiiciet
C philosophis congiaria, amicas, gulam: ostendet mihi alium in adulterio, alium in popinâ, alium in aulâ: ostendet mihi lepidum philosophum [1] Aristonem, qui [2] in gestatione differebat. hoc enim [3] ad edendas operas tempus acceperat. De cuius sectâ cùm quæreretur, Scaurus ait: *Vtique* [4] *Peripateticus non est.* De eodem cùm consuleretur [5] Iulius Græcinus, vir egregius, quid sentiret: *Non possum*, inquit, *tibi dicere. nescio enim quid* [6] *de gradu faciat.* tamquam de essedario interrogaretur. Hos mihi [7] circulatores, qui philosophiam honestiùs neglexissent, quàm vendunt, in faciem ingeret. Constitui tamen contumelias perpeti. moueat ille mihi risum: ego fortasse illi lacrimas mouebo: aut, si ride-

7. DEPRECATORIS.] *Veniam à te petet, emendaturus.*

8. ALIQVANDO TE OFFENDE.] *Malim*, & offende. *Deprecare, inquit, & impetra: aliquando*
D *& pœnam, nec pœnitentiam tantùm habet. A quo? ab ipso te, qui iudicium hoc exerces. Spectant ista ad Examen sui, de quo ego aliquid Manuduct.* III. *Differt. vlt.*

EPIST. XXIX. 1. ARISTONEM.] *Plures hoc nomine fuerunt, & quidam Stoicus, Zenonis auditor: quem noster aliquoties citat:* Chium *etiam patriâ facit. Valdè alius iste, degener nominis & professionis.*

2. IN GESTATIONE.] *In essedo.*

3. AD EDENDAS OPERAS.] *Quasi de scænico, aut arenario loqueretur.*

4. PERIPAPETICVS NON EST.] *Sedebat enim, non ambulalabat.*

5. IVLIVS GRÆCINVS.] *Quem eodem, quo hîc elogio afficit, De Benefic.* II. *cap.* XXI. Si exemplo magni animi opus est, vtemur Græcini Iulij, viri egregij, quem C. Cæsar occidit. *Est ille Iulij Agricolæ pater*, studio eloquentiæ sapientiæque notus, *vt ait Tacitus: Agricolæ, qui socer Taciti ipsius fuit.*

6. DE GRADV FACIAT.] *Suspicatus olim* (II. *Saturn. cap.* XII.) degradus *legendum, vt* retrogradus *item formamus: & sanè quidam libri* degradu, *vnicâ dictione referunt. Seruemus tamen, & dictum Arenæ censeamus, vt illud* De genu pugnare: *in eodem Senecâ, De Prouid. cap.* II. *Quin & Liuius lib.* XXXIV. De gradu conari. *Sententiam hîc puto, Essedarios solitos etiam pedites pugnare, de curru subitò delapsos. Nescio igitur, aiebat, cuiusmodi hîc Essedarius (ad Gestationem eius alludsum) quem numquam de gradu & incessu pugnantem vidi.*

7. CIRCVLATORES.] *Vox additur meo libro,* Circulatores sophistas. *Porrò illi dicti, qui circulos & coronas populi cogunt, vernacula aut scurrilia dicta proferunt, præstigias exhibent, aut alia plebeculæ miranda: Græcis ἀγύρται, pari caussâ.*

ridere perſeuerabit, gaudebo, tamquam in malis, quòd illi genus [8] inſaniæ hilare contigerit. Sed non eſt illa hilaritas longa. obſerua. videbis eoſdem intra exiguum tempus acerrimè ridere, & [9] acerrimè rabere. Propoſitum eſt aggredi illum, & oſtendere quanto pluris fuerit, cùm multis [10] minoris videretur. Vitia eius etiam ſi non excidero, inhibebo. non deſinent, ſed intermittent: fortaſſe autem & deſinent, ſi intermittendi conſuetudinem fecerint. Non eſt hoc ipſum faſtidiendum. quoniam quidem grauiter affectis, ſanitatis loco eſt bona remiſſio. Dum me illi paro, tu interim qui potes, qui intelligis vnde quò euaſeris, & ex eo ſuſpicaris, [11] quouſque ſis euaſurus, compone mores tuos, attolle animum, aduerſus formidata conſiſte, numerare eos noli, qui tibi metum faciunt. Nónne videatur ſtultus, ſi quis multitudinem timeat eo loco, per quem tranſitus ſingulis eſt? æquè ad tuam mortem multis aditus non eſt, licet illam multi minentur. Sic iſtud natura diſpoſuit. ſpiritum tibi tam vnus eripiet, quàm vnus dedit. Si putarem haberes, vltimam mihi penſionem remiſiſſes. Sed ne ego quidem me ſordidè geram [12] in fœnore æris alieni, & tibi quod debeo impingam. *Numquam volui populo placere. nam quæ ego ſcio, non probat populus; quæ probat populus, ego neſcio.* Quis hoc? inquis: tamquam neſcias cui imperem. Epicurus. Sed idem hoc omnes tibi ex omni domo conclamabunt, Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici. Quis enim [13] placere poteſt populo, cui placet virtus? malis artibus popularis fauor quæritur: ſimilem te illis facias oportet. non probabunt, niſi agnouerint. Multo autem ad rem magis pertinet, qualis tibi videaris, quàm qualis aliis. Conciliari niſi turpi ratione amor turpium non poteſt. Quid ergo illa laudata, & omnibus præferenda artibus rebuſque philoſophia præſtabit? ſcilicet vt malis tibi placere, quàm populo: vt æſtimes iudicia, non numeres: vt ſine metu deorum hominumque viuas: vt aut vincas mala, [14] aut finias. Ceterùm ſi te videro celebrem ſecundis vocibus vulgi, ſi intrante te clamor, plauſus, & [15] pantomimica ornamenta obſtrepuerint, ſi totâ ciuitate feminæ te puerique laudauerint: quid ni ego tui miſerear, cùm ſciam [16] quæ via ad iſtum fauorem ferat?

8. INSANIÆ HILARE.] *Ab Eraſmo aut Agricolâ eſt: optimè. nam libri*, inſaniæ euitare. *Noſter De vit. beat. cap.* XII. Pleriſque contingit hilarem inſaniam inſanire, ac per riſum furere. *Neque igitur malè*, hilaræ, *hîc legatur.*

9. ACERRIME RABERE.] *Irâ & rabie agitari. Varro*: Quid blateras, quid rabis, quid vis tibi? *apud Ciceronem poëta vetus:*

Sed quid oculis rabere viſa eſt derepente ardentibus?

Bonum igitur hoc verbi: nec ineptè tamen Eraſmus, rudere: *Quia & libri quidam*, rubere.

10. MINORIS VIDERETVR.] *Ergo olim ſapientiæ & modeſtiæ deditus, poſteà ad vana, & vulgo maiora, iuit: ſi tamen hæc vera lectio. Nam meus, & quidam*, videbitur. *Quod ad futuram Sapientiam trahas. Docebo quàm hæc parua, illa magna.*

11. QVOVSQVE SIS EVASVRVS.] *Ad ſumma (ſi licitum) Sapientiæ: nunc in viâ & profectu es.*

12. IN FÆNORE ÆRIS.] *Meus & plures*, in fine. *quod veriſimum habeo, & adprobant priora illa*, vltimam penſionem. *Quare autem* finis æris alieni? *quia ſcilicet finis libri: & videtur ſanè per libros diſtinxiſſe, vt initio dixi.*

13. PLACERE POTEST POPVLO.] *Locus in philoſophiâ magnus, & magni vſus: nihil velle, quod velit vulgus. Ita Diogenes Cynicus, cùm aliquando theatrum iniret, aduerſus & obnitens exeuntibus, rogatus* Quid faceret? Quod in omni vitâ, *inquit, ſtudeo: nempe aduerſus & diuerſus vobis eſſe. Atque idem (apud Stobæum, Serm.* III.) *dicentibus*, Διογένην ἀνόητον εἶναι, Ἀνόητος μὲν οὐκ εἰμὶ, ἔφη, τὸν δὲ αὐτὸν ὑμῖν νοῦν οὐκ ἔχω: Diogenem amentem eſſe. Amens, inquit, non ſum, ſed eamdem vobis mentem non habeo. *Caput ſapientiæ eſt, aliter affici, & iudicia vulgi iuſta non habere. Itaque iterùm magnus Diogenes*, πρὸς τὸν εἰπόντα, οἱ πλείους σε καταγελῶσι· κ' ἀκείνων τυχὸν, εἶπεν, οἱ ὄνοι. ἀλλ' ἔτ' ἐκεῖνοι τοῖς ὄνων ὄπισθε φέρονται, ἔτε ἐγὼ ἐκείνων: ad eum qui diceret, Vulgus te irridet: Fortaſſe & illos aſini, inquit. Sed neque ipſi aſinos curant aut attendunt, neque ego illos. *Scitiſſimè. deteriores de melioribus non iudicant, ſed garriunt & præſumunt: non aliter quàm beſtiæ de nobis, nos de Diuis. Cum Pythagorâ ſtatuendum:* Φαῦλος κριτὴς πάντος καλοῦ πράγματος ὄχλος. διόπερ ὧν ἂν τοῖς ἐπαίνων καταφρονῆς, καὶ τοῦ ψόγων καταφρόνει: Malus iudex omnis honeſti populus. Quorum igitur laudes haud æſtimes, contemne etiam vituperationes. *Quò ſpectat hoc eius monitum*, Per viam publicam non ire. *Non vt inceſſu vitemus, ſed vt ſenſu, & vitâ.*

14. AVT FINIAS.] *Stoicum illud, Exi, ianua patet.*

15. PANTOMIMICA ORNAMENTA.] *Quibus Pantomimi in theatris affici ornariq; ſolent. Nam fauor & plauſus illis, à vulgo quidem.*

16. QVÆ VIA.] *Illa popularis, & vanarum malarumq; artium.*

A

EPIST. XXX.

MORTI parari nos debere, & robur in eam ſumere, ab exemplo Aufidij Baſſi: qui ſenex libenter audit de eâ, & loquitur, & rationibus adſtruit, non timendam. Obiter iſtæ aliquæ.

[1] BASSVM Aufidium, virum optimum, vidi quaſſum, ætati obluctantem. Sed iam plus illum degrauat, quàm quod poſſit attolli. Magno ſenectus & vniuerſo pondere incubuit. Scis illum ſemper infirmi corporis & exhauſti fuiſſe: diu illud continuit, & vt veriùs dicam, [2] concinnauit. ſubitò defecit. Quemadmodum in naue quæ ſentinam trahit, vni rimæ aut alteri obſiſtitur: vbi plurimis locis laxari cœpit & cedere, ſuccurri non poteſt nauigio dehiſcenti: ita in ſenili corpore aliquatenus imbecillitas ſuſtineri & fulciri poteſt. vbi tamquam in putri ædificio omnis iunctura diducitur, & dum alia excipitur, alia diſcinditur: circumſpiciendum eſt, quomodo exeas. Baſſus tamen noſter alacer animo eſt: [3] hoc philoſophia præſtat. in quocumque corporis habitu fortem, in conſpectu mortis hilarem lætumque, nec deficientem, [4] quamuis deficiat. Magnus gubernator & ſciſſo nauigat velo, & [5] ſi exarmauit, tamen reliquias nauigij aptat ad curſum. Hoc facit Baſſus noſter: & eo animo vultuque finem ſuum ſpectat, quo alienum ſpectare, nimis ſecuri eſſe putares. Magna res eſt hæc, Lucili, & diu diſcenda, cùm aduentat hora illa ineuitabilis, æquo animo abire. Alia genera mortis, ſpei mixta ſunt. Deſinit morbus, incendium exſtinguitur, ruina quos videbatur oppreſſura [6] depoſuit; mare quos hauſerat, eâdem vi quâ ſorbebat, eiecit incolumes; gladium miles ab ipsâ perituri ceruice reuocauit: nihil habet quod ſperet, quem ſenectus ducit ad mortem. huic vni intercedi non poteſt. Nullo genere homines molliùs moriuntur, ſed nec diutiùs.

B

C Baſſus noſter videtur mihi [7] proſequi ſe, & [8] componere, & viuere tamquam ſuperſtes ſibi, & ſapienter ferre [9] diſcidium ſui. Nam de morte multa loquitur, & id agit ſedulò, vt nobis perſuadeat, ſi quid incommodi aut metus in hoc negotio eſt, morientis vitium eſſe, non mortis: nec magis in ipsâ quidquam eſſe moleſtiæ, quàm poſt ipſam. Tam demens autem eſt qui timet quod non eſt paſſurus, quàm qui timet quod non eſt ſenſurus. An quiſquam hoc futurũ credit, vt per quam nihil ſentitur, ea ſentiatur? Ergo, inquit, mors adeò extra omne malum eſt, vt ſit extra omnem malorum metum. Hęc egò ſcio & ſæpè dicta, & ſæpè dicenda. ſed neq. cùm legerem, æquè mihi profuerunt: neque cùm audirem, his dicentibus, qui negabant timenda à quorum metu aberant. Hic verò pluri-

EPIST. XXX. 1. BASSVM AVFIDIVM.] *Illum, opinor, qui Hiſtorias ſcripſit, & quidem belli Ciuilis. Colligas ex Suaſoriâ* VI. *apud Senecam. vbi eius de morte Ciceronis fragmentũ. Sed &* belli Germanici *ſcripſiſſe, & in iis* Salluſtij velocitatem expreſſiſſe, *Fabius tradit. Plinius item minor nominat, & auunculum addit ſuum ſcripſiſſe* A fine Aufidij Baſſi *(vbi ille deſit)* libros trigintavnum: *lib.* III. *epiſt.* V. *De icto igitur, an magis de filio eius, iam noſter.*

2. CONCINNAVIT.] *Quaſi conſtruxit, & diffluens iunxit. In Plauto ea ſignificatio, & Gloſſis:* Συνσκευάζομαι, Concinno.

3. HOC PHILOSOPHIA.] *Meus liber*, hunc philoſophia. *Nempe animum: & tunc continuando legeris*, præſtat in quocumque.

4. QVAMVIS DEFICIAT.] *Scripti*, deficiatur. *Fortaſſe:* deficiat. Vt magnus.

5. SI EXARMAVIT.] *Abſolutè ſic dictum: nec temerè mutem. Tamen libri vacillant, & quidam* exarmatur, *aut* exarmetur: *meorum vnus, vt & Eraſmi*, ſi exarmauerit eum tempeſtas. *Vulgatum ſi tenemus, patiendi tamen ſignificatione capiemus. vt in Conſol. ad Heluiam, cap. vlt.* Exarmata naui, naufragium ſuum ſpectantem. *Hoc eſt, amiſſis fractiſve rudentibus, anchoris, velis: quæ ſunt nauium armamenta.*

D

6. DEPOSVIT.] *Sine noxâ, & velut manu collocauit. Simile in epiſt.* XIII. Incendium ad fugam patuit, quoſdam molliter ruina depoſuit.

7. PROSEQVI SE.] *Tamquam in funere.*

8. COMPONERE.] *In lectulo, aut rogo. Horatius:* Omnes compoſui felices.

9. DISCIDIVM SVI.] *A Mureto eſt, nec diſpliceat. Libri tamen omnes*, deſiderium. *quod item in mortuis valet, quos ſuperſtites ſcilicet deſiderant. Omnis autem hic ſermo, tamquam Baſſus poſt Baſſum viuat.*

plurimum auctoritatis habuit, cùm loqueretur de morte vicinâ. Dicam enim quid sen- A
tiam. Puto etiam[10] fortiorem eum esse, qui in ipsâ morte est, quàm qui circa mortem est. [11] Mors enim admota, etiam imperitis animum dedit, non vitandi inevitabilia. Sic gladiator totâ pugnâ timidissimus [12] iugulum aduersario præstat, & errantem gladium sibi attemperat. At illa quæ in propinquo est, vtique ventura, desiderat lentam animi firmitatem: quæ est rarior, nec potest nisi à sapiente præstari. Libentissimè itaque illum audiebam, quasi ferentem de morte sententiam, & qualis esset eius natura, velut propiùs inspectæ, indicantem. Plus, vt puto, fidei haberet apud te, plus ponderis, si quis reuixisset, & in morte nihil mali esse narraret expertus. Accessus mortis quam perturbationem afferat, optimè hi tibi dicent, qui secundùm illam steterunt, qui venientem & viderunt, [13] & receperunt. Inter hos Bassum licet numeres, qui nos decipi noluit. is ait, tam stultum esse qui mortem timeat, quàm qui senectutem. Nam quemadmodum senectus [14] adolescentiam sequitur, ita mors senectutem. Viuere noluit, qui mori non vult. Vita enim cum exceptione mortis data est: ad hanc itur. quam ideò timere dementis B
est; quia certa exspectantur, dubia metuuntur. Mors necessitatem habet, æquam & inuictam. Quis queri potest, in eâ conditione se esse, in quâ nemo non est? prima enim pars æquitatis, est æqualitas. Sed nunc superuacuum est, naturæ caussam agere: quæ non aliam voluit legem nostram esse, quàm suam. quidquid composuit, resoluit: & quidquid resoluit, componit iterùm. Iam verò si cui contigit, vt illum senectus leniter emitteret, non repentè auulsum vitæ, sed [15] minutatim subductum, næ ille gratias agere diis omnibus debet, quòd satiatus ad requiem homini necessariam, lasso gratam, perductus est. Vides quosdam optantes mortem, & quidem magis quàm rogari solet vita. Nescio vtros existimem maiorem nobis animum dare: qui deposcunt mortem, an qui hilares eam quietique opperiuntur. quoniam illud ex rabie interdum, ac repentinâ indignatione fit; hæc ex iudicio certo tranquillitas est. Venit aliquis ad mortem iratus morti: venientem nemo hilaris excipit, nisi qui se ad illam diu composuerat. Fateor ergo, ad hominem mihi carum, ex pluribus me caussis frequentiùs venisse, vt scirem an C
illum toties eumdem inuenirem: numquid cum corporis viribus minueretur animi vigor. qui sic crescebat illi, quomodo manifestior notari solet agitatorum lætitia, cùm [16] septimo spatio palmæ appropinquant. Dicebat quidem ille Epicuri præceptis obsequens, primùm sperare se, nullum dolorem esse in illo extremo anhelitu: si tamen esset, habere aliquantulum in ipsâ breuitate solatij. Nullum enim dolorem longum esse, qui magnus est. Ceterùm succursurum sibi etiam in ipsâ distractione animæ corporisque, si cum cruciatu id fieret, post illum dolorem se dolere non posse. Non dubitare autem se, quin

10. FORTIOREM EVM.] *Id est, animo magis constare, faciliùs ferre & subire posse. Aliàs, videatur negatio requiri, pro sententiâ sequente.*

11. MORS ENIM ADMOTA.] *Pulcher hic locus. quem interpretetur & firmet simillimus Panegyrici, Theodosio dicti:* Magno quidem, fateor, pectoribus humanis, atque adeò maximo, lux amori, interitus horrori est: sed quatenus aut ista optari potest, aut ille vitari. At si vltima supra caput steterit hora, & venerit dies numquam reuersurus, ac se confessa mors fuerit; non timentur extrema, cùm certa sunt. Hinc reorum vsque ad damnationem metus: posteà attonitus stupor, & ex desperatione securitas, & ad locum supplicij, carnifice non trahente, properatio. *Sunt diserta, & cum his Annæi certantia.*

12. IVGVLVM ADVERSARIO.] *De hoc ritu nos in Saturnalibus lib.* II.

13. ET RECEPERVNT.] *Si receperunt, quomodo narrabunt, & dicent? Imò, credo, vult eos qui proximi fuerunt, & tamen* se receperunt, *nobis de eâ loqui. Itaque sic legam. Meus liber,* & reperunt: *possis igitur,* & repulerunt, *aut* reiecerunt. *Sed cùm recogito, quid si vult mortem* receptam, *etsi non totam? animo etiam & fide receptam, ad eámque paratos esse?*

14. ADOLESCENTIAM SEQVITVR.] *Latè, pro virili etiam ætate: vt sæpè.*

15. MINVTATIM SVBDVCTVM.] *Suprà hoc verbi, in eâdem re, epist.* XXVI. *Pro sensu,* Alexis D
poëta comicus, cùm quidam senem eum vidisset, & ægrè incedentem, Quid agis? interrogauit. Ille autem, Κατὰ σχολὴν ἀποθνήσκω: Otiosè morior: *id est, paullatim illuc eo. Stobæus Serm.* CXV.

16. SEPTIMO SPATIO.] *Notum in circo toties cucurrisse, & metam ambiuisse. Comparat autem & Iuncus (apud Stobæum, De Senectute) pulchrè vitam cum Cursu aut Nauigatione.* Senex enim emensus hoc grande pelagus, iussu gubernatoris ad portum appellit, & naui exit: aut in Stadio alibi peracto certamine, & coronam adeptus, Agonibus valedicit. At Iuuenis in medio velut mari non assecutus nauigationis terminum, quem votis toties destinarat, obiit: aut in Stadio adhuc currens, lapsus est, & sine coronâ eductus.

17. NEC

A ſe, quin ſenilis anima in primis labris eſſet, [17] nec magnâ vi diſtraheretur à corpore. Ignis qui valentem materiam occupauit, aquâ, & interdum ruinâ exſtinguendus eſt: ille qui alimentis deficitur, ſuâ ſponte ſubſidit. Libenter hæc, mi Lucili, audio, non tamquam noua, ſed tamquam in rem præſentem perductus. Quid ergo? non multos ſpectaui abrumpentes vitam? ego verò vidi: ſed plus momenti apud me habent, qui ad mortem veniunt ſine odio vitæ; & admittunt illam, non attrahunt. Illud quidem aiebat tormentum noſtrâ nos ſentire operâ, quod tunc trepidamus, cùm propè à nobis eſſe credimus mortem. A quo enim non eſt, parata omnibus locis, omnibuſque momentis? Sed conſideremus, inquit, tunc cùm aliqua cauſſa moriendi videtur accedere, quanto aliæ propiores ſint quæ non timentur. Hoſtis alicui mortem minabatur: hanc cruditas occupauit. Si diſtinguere voluerimus cauſſas metus noſtri, inueniemus alias eſſe, alias videri. Non mortem timemus, ſed cogitationem mortis: ab ipsâ enim ſemper tantumdem abſumus. Ita ſi timenda mors eſt, ſemper timenda eſt. quod enim tempus morti
B exemptum eſt? Sed vereri debeo, ne tam longas epiſtolas, peius quàm mortem, oderis: itaque finem facio. Tu tamen mortem, vt numquam timeas, ſemper cogita.

EPIST. XXXI.

Et vota, & iudicia vulgi, ſpernendum: ad verum bonum eundum eſt. id autem, Scientia rerum, per quam vera & falſa noſcas; peritura & manſura. Exemplis illuſtrat.

C AGNOSCO Lucilium meum, incipit quem promiſerat exhibere. ſequere illum impetum animi, quo ad optima quæque, calcatis popularibus bonis, ibas. Non deſidero maiorem melioremque te fieri, quàm moliebaris. Fundamenta tua multum loci occupauerunt. tantum effice, quantum conatus es: & illa quæ tecum in animo tuliſti, tracta. Ad ſummam, ſapiens eris, ſi clauſeris aures. quibus ceram parum eſt obdere: firmiori ſpiſſamento opus eſt, quàm vſum in ſociis Vlixem ferunt. Illa vox quæ timebatur, erat blanda, non tamen publica: at hæc quæ timenda eſt, non ex vno ſcopulo, ſed ex omni terrarum parte circumſonat. Præteruehere itaque non vnum locum inſidioſâ voluptate ſuſpectum, ſed omnes vrbes: ſurdum te amantiſſimis tui præſta. Bono animo malè precantur. & ſi vis eſſe felix, deos ora, ne quid tibi ex his quæ optantur eueniat. Non ſunt iſta bona, quæ in te iſti volunt congeri: vnum bonum eſt, quod beatæ vitæ cauſſa & firmamentum eſt, [1] ſibi fidere. Hoc autem contingere non poteſt, niſi contemptus eſt labor, & in eorum numero habitus, quæ neque bona ſunt, neque mala. Fieri enim non poteſt, vt vna res modò mala ſit, modò bona: modò leuis & perferenda, modò expaueſcenda. Labor bonum non eſt. quid ergo eſt bonum? laboris [2] contemptio.
D Itaque in vanum operoſos culpauerim: rurſus ad honeſta nitentes, quanto magis incubuerint, minuſque ſibi [3] vinci ac ſtrigare permiſerint, admirabor & clamabo, [4] Tanto melior

17. NEC MAGNA VI.] *Non hercules. ac cum Sophocle,*

Σμικρᾷ παλαιὰ σώματ' ἐυνάζει ῥοπῇ·

Pulſu leui cadunt vetuſta corpora.

Sicut matura poma ſponte cadunt, cruda auelluntur: ſic in iuuene, aut ſene.

EPIST. XXXI. 1. SIBI FIDERE.] *A ſe pendere, & ex ſe naſcentibus bonis: externa omnia contemptui habere.*

2. CONTEMPTIO.] *Subiungit meus liber:* id eſt, non curare, cùm oportet laborem ſubire. *Gloſſographi, an Senecæ ſint, ambigo: illius magis.*

3. VINCI AC STRIGARE.] *Puto germanum eſſe, etſi libri ferè, vitia conſurgere. Quidam tamen ad illud præeunt, Guilielmo Peliſſerio erutum & adſcribendum. Eſt autem* Strigare, *militare verbum, de equis, qui in Strigâ caſtrorum conſiſtunt, & quieſcunt. Inde longiùs ductum, & quotics vel in viâ interquieſcunt, Strigare eos dicunt.*

4. TANTO MELIOR.] *Exclamandi laudandiq; formula, vt epiſt.* LXXI. Tanto melior, tanto felicior.

5. Et

melior ſurge [5] & reſpira : & cliuum iſtum vno, ſi potes, ſpiritu exſupera. Generoſos A
animos labor nutrit. Non eſt ergo quòd ex illo veteri voto parentum tuorum eligas, quid contingere tibi velis, quid optes : & [6] in totum, iam per maxima acto viro turpe eſt, etiamnum deos fatigare. Quid votis opus eſt ? fac te ipſe felicem. facies autem, ſi intellexeris bona eſſe, quibus admixta eſt virtus : turpia, quibus malitia coniuncta eſt. Quemadmodum ſine mixturâ lucis nihil ſplendidum eſt : nihil atrum, niſi quod tenebras habet, aut aliquid in ſe traxit obſcuri : quemadmodum ſine adiutorio ignis, nihil calidum eſt, nihil ſine [7] aëre frigidum : ita honeſta & turpia virtutis & malitiæ ſocietas efficit. Quid ergo eſt bonum : [8] rerum ſcientia. Quid malum eſt ? rerum imperitia. Ille prudens atque artifex, pro tempore, quæque [9] repellet aut eliget. Sed nec quæ repellit timet, nec miratur quæ eligit : ſi modò magnus illi & inuictus animus eſt. Submitti te ac deprimi veto. laborem ſi non recuſes, parùm eſt : poſce. Quis ergo, inquis, labor friuolus & ſuperuacuus eſt ? in quem humiles cauſſæ vocauerint. non eſt malus, non magis quàm ille qui pulchris rebus impenditur : quoniam animi eſt ipſa tolerantia, quæ ſe ad B
dura & aſpera hortatur, & dicit : Quid ceſſas ? non eſt viri, timere ſudorem. Huc & illud accedat, vt perfecta virtus ſit, æqualitas ac tenor vitæ per omnia [10] conſonans ſibi : quod non poteſt eſſe, niſi rerum ſcientia contingat, & ars, per quam diuina & humana noſcantur. Hoc eſt ſummum bonum : quod ſi occupas, incipis deorum eſſe [11] ſocius, non ſupplex. Quomodo, inquis, iſtò peruenitur ? non per [12] Peninum Graiúmve montem, nec per [13] deſerta Candauiæ : nec Syrtes tibi, nec Scylla aut Charybdis, adeundæ ſunt : [14] quæ tamen omnia tranſiſti procuratiunculæ pretio. Tutum iter eſt, iucundum eſt, ad quod natura te inſtruxit. Dedit tibi illa, quæ ſi non deſerueris, par Deo ſurges. Parem autem Deo pecunia non faciet : Deus nihil habet. [15] Prætexta non faciet : Deus nudus eſt. Fama non faciet, nec oſtentatio tui, & in populos nominis dimiſſa notitia ? nemo nouit Deum. multi de illo malè exiſtimant, & impunè. Non turba ſeruorum, lectică tuam per itinera vrbana ac peregrina portantium : Deus ille maximus potentiſſimuſque ipſe C
[16] vehit omnia. Ne forma quidem & vires beatum te facere poſſunt : nihil horum [17] non pati-

5. ET RESPIRA.] *Meus, & plures ſcripti*, inſpira : *at Ioſ. Scaliger*, reſtriga, *vellet : vt aduerſum ſit illi* Striga.

6. IN TOTVM IAM.] *Variant libri. meus:* in totum per maximè apto. *Melius illo vulgato non occurrit.*

7. AERE FRIGIDVM.] *Stoicum dogma, Aërem primò frigidum eſſe. Vide me* II. *Phyſ. Diſſert.* XV.

8. RERVM SCIENTIA.] *Socraticum eſt.* ὃς ἔλεγε καὶ ἓν μόνον ἀγαθὸν εἶναι, τὴν ἐπιστήμην· καὶ ἓν μόνον κακὸν, τὴν ἀμαθίαν : qui dicebat, & vnicũ Bonum eſſe, Scientiam : & vnicum Malum, Inſcitiam : *Laërtius in Socrate : & huc omnino à Senecâ adſpectum. Stoici retinebant dogma, qui vniuersè definiebant*, Εἶναι μὲν ἀνοίας τὰς κακίας, ὧν αἱ ἀρεταὶ ἐπιστῆμαι : Eſſe Vitia ignorantias illarum rerum, quarum ſcientiæ Virtutes ſint. *Inde* Docti & Rudes, *pro Bonis Maliſque, nos* II. *Manuduct. Diſſertat.* I. *Plura etiam in Ethicis.*

9. REPELLET, AVT ELIGET.] *Nec enim ſtultam* ἀδιαφορίαν *cum Ariſtone inducunt Stoici, ſed ipſa Media diſcrimen ſuum habent, vt malis etiam quæ non velis. Ego diffusè, Manud.* II. *Diſſert.* XXII.

10. CONSONANS SIBI.] *Alluſum ad Zenonis* ὁμολογίαν, *ſiue* Conuenientiam, *quam finem ſtatuebant. Vide Manuduct.* II. *Diſſ.* XV.

11. SOCIVS, NON SVPPLEX.] *Nam ſapiens ſcilicet par Deo : & quæ talia ſuperbè ac vanè Porticenſes. Ponimus & refutamus, Manud.* III. *Diſſ.* XIV.

12. PENINVM GRAIVMVE.] *Ad Annibalis & Herculis tranſitus reſpexit.*

13. DESERTA CANDAVIÆ.] *Montana pars Macedoniæ, quæ à Dyrrachio incipit,* Candauia *dicitur : eaq; ſaltuoſa, & deſerta. Plinius*, Candauiæ montes *dixit libro* III. *cap.* XXIII. *& Strabo* ὄρος Καυδαυΐας, montem Candauiæ : *Lucanus*, Candauiæ ſaltus. *In Ptolomæi tabulis videbis : & ſunt qui diuidunt Macedoniam ab Illyrico. Strabo etiam ab aliâ cauſâ ea loca vaſta ac deſerta oſtendit, libro* VII. quòd bellis & rebellionibus opida pleraque & habitationes diruta ſint, nec ad id æui reſtituta. D

14. QVÆ TAMEN OMNIA.] *Ergo & in prioribus locis alibi Procurator ? id eſt, in Galliâ aut Macedoniâ ? dicas ſi conſilio* omnia *noſter ſcripſit.*

15. PRÆTEXTA NON FACIET.] *Honos aut magiſtratus, ad quem adſpiras. Nam de ambitioſis aut auaris eſt ſermo.*

16. VEHIT OMNIA.] *Muretus notat Sacris noſtris conuenire :* Portans omnia verbo virtutis ſuæ. *Et ſanè ipſe Auriga, ipſe Currus, vt ita dicam, eſt, quo machina hæc mundi vehitur, ac ſuſtentatur.*

17. NON PATITVR VETVSTATEM.] *Rectè. tempore pereunt, aut flacceſcunt. Sed & alio ſenſu libri quidam rectè :* nihil horum patitur vetuſtatem, *ſine negatione : quod eſſet, nihil horum fert ævum aut ſubſiſtit.*

18. QVOD

A patitur vetuſtatem. Quærendum eſt ergo [18] quod non fiat in dies deterius, cui non poſſit obſtari. Quid hoc eſt? animus: ſed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quàm [19] Deum in humano corpore hoſpitantem? Hic animus tam in equitem Romanum, quàm in libertinum, quàm in ſeruum, poteſt cadere. Quid eſt eques Romanus, aut libertinus, aut ſeruus? Nomina [20] ex ambitione, aut [21] ex iniuriâ nata. Subſilire in cælum ex angulo licet: exſurge modò, & *te quoque dignum Finge Deo*. Finges autem non auro, non argento: non poteſt ex hac materiâ [22] imago Deo exprimi ſimilis. Cogita illos, [23] cùm propitij eſſent, fictiles fuiſſe.

EPIST. XXXII.

B *Lavdat Lucilij ſolitudinem, & ſubductionem. Porrò hortatur, nequis tempus eripiat, illud tam breue & fugax. Contemnat etiam vulgaria vota.*

Inqviro in te, & ab omnibus ſciſcitor, qui ex iſtâ regione veniunt, quid agas, vbi & cum quibus moreris. Verba dare non potes. tecum ſum. Sic viue, tamquam quid facias auditurus ſim: imò tamquam viſurus. Quæris, quid me maximè ex his quæ de te audio, delectet? quòd nihil audio: quòd plerique, ex his quos interrogo, neſciunt quid agas. Hoc eſt ſalutare, non conuerſari diſſimilibus, & diuerſa cupientibus. Habeo quidem fiduciam non poſſe [1] te torqueri, manſurumque in propoſito, etiam ſi ſolicitantium turba circumeat. Quid ergo eſt? non timeo ne immutent te, timeo ne impediant. Multum autem nocet & qui moratur, vtique in tantâ breuitate vitæ: quam breuiorem inconſtantiâ facimus, aliud eius ſubinde atque aliud facientes initium. Diducimus illam in particulas ac lancinamus. Propera ergo Lucili cariſſime, & cogita, quantum celeritati additurus fueris, ſi à tergo hoſtis inſtaret, ſi equitem aduentare ſuſpicareC ris, ac fugientium premere veſtigia. Fit hoc, premeris: accelera, & euade. perduc te in tutum, & ſubinde conſidera, quàm pulchra res ſit conſummare vitam ante mortem, deinde exſpectare ſecurum reliquam temporis ſui partem: in poſſeſſione beatæ [2] vitæ poſitum: quæ beatior non fit, ſi longior. O quando videbis illud tempus, quo ſcies tempus ad te non pertinere, quo tranquillus placiduſque eris, & craſtini negligens, & in ſummâ tui ſatietate! Vis ſcire, quid ſit quod faciat homines auidos futuri? [3] Nemo ſibi contigit. Optauerunt vtique tibi alia parentes tui: ſed ego tibi contrà, omnium eorum contemptum opto, quorum illi copiam. Vota illorum multos compilant, vt te locupletent. quidquid ad te transferunt, alicui detrahendum eſt. Opto tibi tui facultatem, vt vagis

18. Qvod non fiat in dies.] *Perplexitas hîc librorum. Meus, & quidam:* quod non fiat in dies, cui non proſit obſtari. *Alij*, in dies eius quo non poſſit obſtari. *Alij*, eique non poſſit obſtari. D *Certum, vulgatam interpolatam eſſe: an ſic concinnandam?* quod non fiat indigens eius, quod non proſit optari. *Vel*, quo non fias indigens eius. *Significaret, interna & vera bona quærenda, ad quæ Votis non opus, ſed Voluntate, & ſunt in nobis. Sanè initio epiſtolæ contra Vota dictum: & omnino tale hîc fuit.*

19. Devm in hvmano.] *De hac locutione & ſenſu, ego vbertim Manuduct.* II. *Diſſertat.* XIX. *item Phyſiol.* III. *Diſſert.* VIII.

20. Ex ambitione.] *Vt Eques, aut Senator.*

21. Ex iniuria.] *Vt libertinus aut ſeruus. Nam ab oppreſſione æqualium, ſeruitus.*

22. Imago deo similis.] *Atqui nos ſumus ſcilicet: nónne & hoc Chriſtiani dogmatis?*

23. Cvm propitii essent.] *Vetere imperio, & paupertate: cùm Roma moribus armis q. floreret. Nunc irati Dij videntur, & nos peßimi peſſum paullatim imus.*

Epist. XXXII. 1. Te torqveri.] *A recto in prauum.*

2. Vitæ positvm.] *Quidam ſcripti*, vitæ ponit: *è quo velim*, ponentem. *Sententia eſt, Nec ſapientem quidem vitam longam cupere, & diu eſſe in poſſeßione Virtutis: quia Beatitudo tempore non creſcit. Eſt inter Stoica paradoxa, & explicaui Manuduct.* III. *Diſſert.* III.

3. Nemo sibi contigit.] *Eraſmus in Adagiis cenſet, Senecam reſpicere ad illud tritum Platonus*, Neminem ſibi naſci. *Dij boni, quàm diuertit à noſtri mente! quæ eſt, Homines diſtrahi, varia & vana agitare, optare: neminem apud ſe eſſe, & ſe contentum. Hoc autem facit Sapiens, qui ſibi ſufficit. Eo ſenſu, melius in ſcriptis:* nemo ſibi contingit: *præſenti tempore. Eſt autem ſimile, quod mox ſequitur:* Opto tibi tui facultatem: *vt tibi contingas, non alij & alia diripiunt, ac potiantur.*

4. Simvl

vagis cogitationibus agitata mens, tandem resistat, & certa sit: vt placeat sibi, & intel- A
lectis veris bonis, quæ [4] simul intellecta sunt, possidentur, ætatis adiectione non egeat. Ille demùm necessitates supergressus est, & exauctoratus ac liber, qui viuit vitâ peractâ.

EPIST. XXXIII.

NEGAT *sententias aut chrias è Stoicis excerpendas. Primùm, quia omnia plena talibus & densa sunt: deinde quia turpe, cum auctore semper loqui. Nostra faciamus, & vitâ præferamus.*

DESIDERAS his quoque epistolis, [1] sicut prioribus, adscribi aliquas voces [2] nostrorum procerum. Non fuerunt circa flosculos occupati: totus contextus illorum virilis est. inæqualitatem scias esse, vbi quæ eminent, notabilia sunt. Non est admi- B
rationi vna arbor, vbi in eamdem altitudinem tota silua surrexit. Eiusmodi vocibus referta sunt carmina, refertæ historiæ. Itaque nolo Epicuri illas esse existimes: publicæ sunt, & maximè nostræ. Sed in illo magis annotantur, quia raræ interueniunt, quia [3] insperatæ, quia mirum est aliquid fortiter dici ab homine mollitiam professo. Ita enim plerique iudicant. apud me verò Epicurus est & fortis, licet [4] manuleatus sit. Fortitudo, & industria, & ad bellum prompta mens, [5] tam in Persas quàm in [6] altè cinctos cadit. Non est ergo quòd exigas [7] excerpta, & repetita: continuum est apud nostros, quidquid apud alios excerpitur. Non habemus itaque [8] ista odorifera, nec emptorem decipimus, nihil inuenturum cùm intrauerit, præter illa quæ in fronte suspensa sunt. Ipsis permittimus, vnde velint sumere exemplar. Puta nos velle singulares sententias ex turbâ separare: cui illas adsignabimus? Zenoni, an Cleanthi, an Chrysippo, an Panætio, an Posidonio? Non sumus sub rege: sibi quisque se vindicat. apud istos quidquid dicit [9] Hermachus, quidquid [10] Metrodorus, [11] ad vnum refertur. Omnia quæ quisquam C
in

4. SIMVL INTELLECTA SVNT.] *Nam in iudicio & habitu optimæ Mentis est Beatitudo: qui momento contingit, purgatâ & perfectâ Ratione. Vide aliquid eâdem Differi. III. in fine.*

EPIST. XXXIII. 1. SICVT PRIORIBVS.] *Ergo abiunctæ sunt, & disparatæ? apparet: & velut ex interuallo scriptas, aut libris potius diuisas. Dixi in Præloquio.*

2. NOSTRORVM PROCERVM.] *Stoicorum, sicut anteà Epicuri ferè.*

3. INSPERATÆ.] *Veteres*, inspectæ, *aut* inspectatæ. *Legerem* inaspectatæ.

4. MANVLEATVS SIT.] *Notum tunicas chirodotas, siue manicatas, mulierum aut mollium fuisse. Viri brachiis nudis incedebant. Virgilius itaq; obiicit.*

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitras.

Agellium lib. VII. cap. XII. vide. Simile in De Vit. beat. cap. XIII. Hoc est tale, quale vir fortis stolâ indutus. *Tale vel asperius de Epicuro & assectis, Arcesilaus. qui interrogatus*, Cur ex aliis sectis ad Epicuream transirent multi, nemo ex illis ad alias? Nam, inquit, ex viris Galli fiunt *(euirati)* ex Gallis viri numquam.

5. TAM IN PERSAS.] *Qui fluxâ & solutâ veste: sed iidem militares. Ammianus XXIII.* Adeò autem dissoluti sunt, & artuum laxitate, vagoque incessu iactitantes se, vt effæminatos existimes, cùm sint acerrimi bellatores.

6. ALTE CINCTOS.] *Quod militum Romæ, item strenuorum aut actuosorum erat. Vtrumque habitum Horatius tangit:*

Malthinus tunicis demissis ambulat: est qui
Inguen ad obscænum subductis vsq; facetus.

Alibi noster, de Mecænate: Putes altè cinctum dixisse.

7. EXCERPTA ET REPETITA.] *Intelligítne* Repetita, *laudabilia & quæ solent lectione iterari; an quia etiam inter legendum ad ea dici solet*, Repete? *Hoc puto: etsi* Repertita, *quasi diuisa & in locos suos partita, possis legere.*

8. ISTA ODORIFERA.] *Licebat, & decebat, in textu poni vocem libris aliquot assertam*, oculiferia, *siue* ocliferia: *nam veritas ita est, & sententia poscit. Non habemus nos, inquit, vt in tabernis, exposita quædam cum titulis, aut per se splendentia, quæ oculos feriunt, & transeuntes ad emendum alliciunt: non habemus: sed pariter vbique decor & bonitas est. Vox autem aptè facta, quia talibus, vt ipse loquitur (epist. LXXXVIII.)* imperitorum feriuntur oculi: *iterumq; alibi:* Splendore imperitorum verberant oculos. D

9. HERMACHVS.] *Successor Epicuri in scholâ.*

10. METRODORVS.] *Inter nobiles eiusdem amicos & discipulos.*

11. AD VNVM.] *Epicurum.*

12. DVM-

A in illo contubernio locutus est, vnius ductu & auspiciis dicta sunt. Non possumus, inquam, licet tentemus, ex tantâ rerum æqualium copiâ, aliquid educere.

Pauperis est numerare pecus.

Quocumque miseris oculum, id tibi occurrit quod eminere posset, nisi inter paria legeretur. Quare depone istam spem, posse te summatim degustare ingenia maximorum virorum: tota tibi inspicienda sunt, tota tractanda. Res geritur, & per lineamenta sui ingenij opus nectitur, ex quo nihil subduci sine ruinâ potest. Nec recuso, quo minùs singula membra, [12] dummodo in ipso homine, consideres. Non est formosa, cuius crus laudatur aut brachium, sed illa cuius vniuersa facies admirationem singulis partibus abstulit. Si tamen exegeris; non tam mendicè tecum agam, sed plenâ manu fiet. Ingens eorum turba est passim iacentium: sumenda erunt, non colligenda. Non enim excidunt, sed fluunt perpetua, & inter se connexa sunt. Nec dubito, quin multum conferant rudibus adhuc, & [13] extrinsecus auscultantibus. Faciliùs enim singula insidunt
B circumscripta, & carminis modo inclusa. Ideò pueris & sententias ediscendas damus, & has quas Græci [14] Chrias vocant: quia complecti eas puerilis animus potest: quia plus adhuc non capit certi profectus. Viro captare flosculos turpe est, & fulcire se notissimis & paucissimis vocibus, & memoriâ stare. Sibi iam innitatur. dicat ista, non teneat. Turpe est enim seni aut prospicienti senectutem, ex commentario sapere. Hoc Zeno dixit. tu quid? Hoc Cleanthes. tu quid? quousque [15] sub alio moueris? & impera, & dic, quod memoriæ tradatur: aliquid & de tuo profer. Omnes itaque istos numquam auctores, semper interpretes, sub alienâ vmbrâ latentes, nihil puto habere generosi, numquam ausos aliquando facere, quod diu didicerant. Memoriam in alienis exercuerunt. Aliud est, meminisse: aliud, scire. Meminisse, est rem commissam memoriæ custodire: at contrà scire, est & sua facere quæque, nec ab exemplari pendêre, & toties ad magistrum respicere. Hoc dicit Zeno, [16] hoc Cleanthes. Aliquid interfit inter te, & librum. quousque discis? iam & præcipe. Quid est, quare audiam, quod legere possum?
C Multum, inquit, viua vox facit. non quidem hæc, quæ alienis verbis commodatur, & [17] actuarij vice fungitur. Adiice nunc, quòd isti qui [18] numquam tutelæ suæ fiunt, primùm in eâ re sequuntur priores, in quâ nemo non à priore desciuit: deinde in eâ re sequuntur, quæ adhuc quæritur. numquam autem inuenietur, si contenti fuerimus inuentis. Præterea qui alium sequitur, nihil inuenit, imò nec quærit. Quid ergo? non ibo per priorum vestigia? ego verò vtar viâ veteri: sed si propiorem planioremque inuenero, hanc muniam. Qui ante nos ista mouerunt, non domini nostri, sed duces sunt. Patet omnibus veritas, nondum est occupata: multum ex illâ etiam futuris relictum est.

12. DVMMODO IN IPSO.] *Putarem*, quomodo.

13. EXTRINSECVS AVSCVLTANTIBVS.] *Qui ad penetralia nondum admissi: alluſumq; ad libros & auditores ἐξωτερικούς.*

D 14. CHRIAS VOCANT.] *Concinna aliqua Dicta, aut Facta. Vt*, Crates dixit, Caue cum homine malo loquare. *Facti, vt:* Crates cùm indoctum puerum vidisset, pædagogum eius percussit. *Vide Fabium lib.* I. *cap.* XV.

15. SVB ALIO MOVERIS?] *Alieno nutu iussúque regeris?*

16. HOC CLEANTHES.] *Prorsus his gemina Epictetus apud Arrian. lib.* II. *Dissert.* XIX. Diodorus illa dixit, & Cleanthes, & Chrysippus: tu verò quid? Non in eo elaborasti, vt Decretum aliquod tuum faceres: atque ita nihil à Grammatico differs. Quis fuit Hectoris pater? Priamus. Qui fratres? Alexander, & Deiphobus. Quæ mater? Hecuba. Historiam hanc accepi: à quo? ab Homero. Similis tu, qui conuiuas, cùm vanissimus sis, enumerandis scriptoribus, attonitos reddis. *Deinde etiam addit:* Age, Stoicum aliquis mihi ostendat, si habetis. Vbi is est? Nam qui Stoicos sermunculos edisserat, mille dabitis: sed volo Stoicum. Quis ergo is est? vt Phidiacam statuam dicimus, ad artem Phidiæ exactè factam: ita illum mihi ostendite, ad ea quæ profitemini dogmata expressum.

17. ACTVARII VICE.] *Ita dicuntur, qui Acta excipiunt & scribunt. Vide me ad Annalem Taciti* V. *si lubet.*

18. NVMQVAM TVTELÆ SVÆ.] *Alieni semper arbitrij, vt pupilli.*

EPIST. XXXIV.

GAVDERE *se in profectu Lucilij, quia ab ipso est: & ipse eum formauit. Hortatur porrò pergere, & ad summum.*

CRESCO & exsulto, & discussâ senectute recalesco, quoties ex his quæ agis & scribis, intelligo quantum te ipse (nam [1] turbam olim reliqueras) supergrederis. Si agricolam [2] arbor ad fructum perducta delectat, si pastor ex fœtu gregis sui capit voluptatem, si alumnum suum nemo aliter intuetur quàm vt adolescentiam illius suam iudicet: quid euenire credis his, qui ingenia educauerunt, & quæ tenera formauerunt, adulta subitò vident? Assero te mihi meum opus es. Ego cùm vidissem indolem tuam, inieci manum, exhortatus sum, addidi stimulos, nec lentè ire passus sum, sed subinde incitaui: & nunc idem facio. Sed iam currentem hortor, & inuicem hortantem. Quid, aliud, inquis, [3] adhuc volo? in hoc plurimum est. [4] Non sic quomodo principia totius [5] operis dimidium occupare dicuntur, ita res animo constat: pars magna bonitatis est, velle fieri bonum. Scis quem dicam bonum? perfectum, absolutum, quem malum facere nulla vis, nulla necessitas possit. Hunc in te prospicio, si perseueraueris & incubueris, & id egeris, vt omnia facta dictaque tua inter se congruant ac respondeant sibi, & vnâ formâ percussa sint. Non est huiusmodi animus in recto, cuius [6] acta discordant. B

EPIST. XXXV.

AMICVM *illum sibi optat, id est virum bonum. aliter enim amicus nemo est, etiamsi amat. Hoc ergo faciat, & inprimis discat* CONVENIENTER *viuere, id est constanter, id est sapienter.* C

CVM te tam obnixè rogo [1] vt studeas, meum negotium ago. habere amicum volo: quod contingere mihi (nisi pergas excolere te, vt cœpisti) [2] non potest. Nunc enim amas me, amicus non es. Quid ergo? hæc inter se diuersa sunt? imò dissimilia. Qui amicus est, amat: qui amat, non vtique amicus est. Itaque amicitia [3] semper prodest: amor etiam aliquando nocet. Si nihil aliud, ob hoc profice, vt amare discas. Festina ergo, dum mihi proficis, ne istuc alteri didiceris. Ego quidem percipio iam fructum, cùm mihi fingo vno nos animo futuros, & quidquid ætati meæ vigoris abscessit, id ad me ex tuâ,

EPIST. XXXIV. 1. TVRBAM OLIM.] *Libri scripti*, turbam quam olim. *Lego*, turbam quidem olim.

2. ARBOR AD FRVCTVM.] *Meus*, arbor fructum productura: *& benè.*

3. ADHVC VOLO?] *Vide ne distinctiunculâ magis expedias:* Quid aliud, inquis, adhuc? volo. *Vt hæc Lucilij sint: & quid vltrà hortêre, mi Seneca? iam volo. Et subdit:* Multum hoc quidem esse, *non tamen omnia.*

4. NON SIC QVOMODO.] *Quidam libri,* Nam sic: *& melius.*

5. OPERIS DIMIDIVM.] *Notum adagium, & Horatio, in hac ipsâ re expressum:* Dimidium facti qui cœpit, habet: sapere aude. *Velis, & tenta sapere: dimidium rei erit. Nec enim totum: neque sola voluntas sufficit: sed videndum vt recta ea sit, quod sine Scientiâ non assequitur. Itaque Seneca gradationem hanc facit:* Actio recta non erit, nisi Voluntas sit recta: ab hac enim est actio. Rursus voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit: ab hoc enim est voluntas. Habitus porrò animi non erit, sine Scientiâ: *quæ Bona scilicet & Mala distinguit. Vide epist.* XCV. D

6. ACTA DISCORDANT.] *Nam Sapientis nota, semper idem velle & nolle. Itaque nihil opus addere,* cuius dictis acta: *etsi quidam hoc libri. nam pertinet ad ὁμολογίαν, de quâ sæpè.*

EPIST. XXXV. 1. VT STVDEAS.] *Stoico sensu, Studeas: id est, philosophiæ operam naues. Vide Manuduct.* II. *Dissert.* I.

2. NON POTEST.] *Neque enim inter malos, aut inter dissimiles, Amicitia.*

3. SEMPER PRODEST.] *Amicitia Bonum est: Boni autem Stoica definitio,* id quod prodest. *Manuduct.* II. *Dissert.* XXI.

4. NON

A tuâ, quamquam [4]non multum abeſt, rediturum: ſed tamen re quoque ipsâ lætus eſſe volo. Venit ad nos ex his quos amamus, etiam abſentibus, gaudium: ſed id leue & euanidum. Conſpectus, & præſentia, & conuerſatio aliquid habet viuæ voluptatis: vtique ſi non tantùm quem velis, ſed qualem velis videas. Affer itaque te mihi, [5]ingens munus: & quò magis inſtes, cogita me ſenem eſſe, te mortalem. Propera ad me, ſed ad te priùs. profice, & ante omnia hoc cura, vt conſtes tibi. Quoties experiri voles, an aliquid actum ſit, obſerua an eadem velis hodie quæ heri. Mutatio voluntatis indicat animum natare aliubi, atque [6]aliubi apparere, prout tulit ventus. Non vagatur, quod eſt fixum & fundatum. Iſtud ſapienti perfectè contingit, aliquatenus & [7]proficienti proiectoque. Quid ergo intereſt? hic commouetur quidem, non tamen tranſit, ſed ſuo loco nutat: ille nec commouetur quidem.

B

EPIST. XXXVI.

LAVDAT *quemdam qui otio ſe admouit, à republicâ amouit: & vt contemnat vulgi voces Pergat bonus eſſe, aut magis fieri; pergat & mortem aſpernari, idque ratione.*

AMICVM tuum hortare, vt iſtos magno animo contemnat, qui illum obiurgant, quòd vmbram & otium petierit, quòd dignitatem ſuam deſtituerit, & cùm plus conſequi poſſet, prætulerit quietem omnibus. Quàm vtiliter negotium ſuum geſſerit, quotidie illis oſtendet. Hi quibus inuidetur, [1]non deſinent tranſire. alij elidentur, alij cadent. Res eſt inquieta, felicitas: ipſa ſe exagitat, mouet cerebrum, non vno genere. Alios in aliud irritat: [2]hos in potentiam, illos in luxuriam: hos inflat, illos mollit, & totos reſoluit. [3] At benè aliquis illam fert: ſic, quomodo vinum. Itaque non eſt quòd tibi iſti perſuadeant, eum eſſe felicem, qui [4]à multis obſidetur. ſic ad illum, quemadmodum
C ad lacum, concurritur: quem [5]qui exhauriunt, & turbant. Nugatorium & [6]inertem vocant. Scis quoſdam peruersè loqui, & [7]ſignare contraria. [8]Felicem vocabant. quid ergo? erat? Ne illud quidem curo, quod quibuſdam nimis horridi animi videtur & tætrici. Ariſton aiebat, malle ſe adoleſcentem triſtem, quàm hilarem & amabilem turbæ. [9]Vinum enim fieri bonum, quod recens durum & aſperum viſum eſt: non pati ætatem, quod

4. NON MVLTVM ABEST.] *Ergo & Lucilius inter ſenes, aut ſeneſcentes.*

5. INGENS MVNVS.] *Ad vocem factúmque Aeſchinis, qui ſeipſe munus Socrati obtulit, vt gratus eſſet. Noſter* I. *de Benef. cap.* VIII.

6. ALIVBI APPARERE.] *Siue vt ij qui in naui, arbitrio ventorum, feruntur: ſiue vt inſulæ quædam in aquis vagantes: vt noſter Gruterus*
D *notat.*

7. PROFICIENTI.] *De quibus gradibus ego in Manuduct.* II. *Diſſert.* IX.

EPIST. XXXVI. 1. NON DESINENT TRANSIRE.] *Ab vno propoſito in aliud, mutare vitam & ſtatum. Sic fine epiſtolæ prioris*: Hic commouetur quidem, non tamen tranſit.

2. HOS IN POTENTIAM.] *Malim*, in impotentiam.

3. AT BENE ALIQVIS.] *Hæc clauſula obiectionem habet: Atqui ſunt etiam felices, qui temperant, nec abuntur. Ita, inquit: ſed qui vt vino eâ vtuntur, id eſt modico nec abundanti. Hoc dicere videtur: ſed plura fortaſſe dixiſſe. nec integra hæc aut plena.*

4. A MVLTIS OBSIDETVR.] *Clientibus, ſalutatoribúſque.*

5. QVI EXHAVRIVNT.] *Aptiſſimè. Reuera omnes illi officioſi aliquid petunt à potentibus, aut ſumunt: gratiam, pecuniam, alia quibus egent. Itaque exhauriunt: ſed & turbant, quia aſſiduè inquietant.*

6. INERTEM VOCANT.] *Illum amicum, philoſophiæ deditum. Vetus & hodiernum conuicium, in Bonæ Menti operatos.*

7. SIGNARE CONTRARIA.] *Meus & quidam*, ſignificatione contrariâ: *quod item probum.*

8. FELICEM VOCABANT.] *Ad hunc noſtrum, cùm in ambitione & ſplendore erat? an Cornelium Sullam intelligit?*

9. VINVM FIERI BONVM.] *Homines cum vino comparauit etiam Alexis Comicus:*

Οἱ μοιότατον ἄνθρωπος οἴνῳ τὴν φύσιν,
Τρόπον τιν' ἐςί. τὸν γὰρ οἶνόν τὸν νέον
Πολλὴ γ' ἀνάγκη, καὶ τὸν ἄνδρ' ἀποζέσαι
Πρώτιςον, ἀφυβρίσαι τ', ἀποινήσανταδὲ
Σκληρὸν γενέσθ, καὶ κατας ῆναι πάλιν,
Ἡδὺν δ' ἅπασι τελέως διατελεῖν:

quod [10] in dolio placuit. Sine eum triſtem appellent, & inimicum proceſſibus ſuis. be- A
nè ſe dabit in vetuſtate ipſa triſtitia: perſeueret modò colere virtutem, perhibere libera-
lia ſtudia, non illa [11] quibus perfundi ſatis eſt, ſed hæc [12] quibus tingendus eſt animus.
hoc eſt diſcendi tempus. Quid ergo? aliquod eſt, quo non ſit diſcendum? minimè. ſed
quemadmodum omnibus annis ſtudere honeſtum eſt: ita [13] non omnibus inſtitui. Tur-
pis & ridicula res eſt, [14] elementarius ſenex. Iuueni parandum, ſeni vtendum eſt. Facies
ergo rem vtiliſſimam tibi, ſi illum quàm optimum feceris. Hæc aiunt beneficia eſſe ex-
petenda tribuendaque, non dubiè primæ ſortis, quæ tam prodeſt dare quàm accipere.
Denique nihil illi iam liberi eſt: ſpopondit. minùs autem turpe eſt creditori, quàm ſpei
bonæ decoquere. Ad illud æs alienum ſoluendum, opus eſt negotianti nauigatione pro-
ſperâ, agrum colenti vbertate eius quam colit terræ, & cæli fauore: ille quod debet, ſolâ
poteſt voluntate perſoluere. In mores fortuna ius non habet. Hos diſponat: vt quàm
tranquilliſſimus ille animus ad perfectum veniat. qui nec ablatum ſibi quidquam ſen-
tit, nec adiectum, ſed in eodem habitu eſt, quocumque res cadunt. Cui ſiue aggeruntur B
vulgaria bona, ſupra res ſuas eminet: ſiue aliquid ex iſtis vel omnia caſus excuſſit, minor
non fit. Si in Parthiâ natus eſſet, arcum infans ſtatim tenderet: ſi in Germaniâ, protinus
puer [15] tenerum haſtile vibraret: ſi auorum noſtrorum temporibus fuiſſet, [16] equitare,
& hoſtem cominus percutere didiciſſet. Hæc ſingulis diſciplina gentis ſuæ ſuadet, &
imperat. Quid ergo huic meditandum eſt? quod aduerſus omnia tela, quod aduerſus
omne hoſtium genus benè facit, mortem contemnere: quę quin habeat in ſe aliquid ter-
ribile, vt & animos noſtros (quos in amorem ſui natura formauit) offendat, nemo dubi-
tat: nec eum neceſſe eſſet in id comparari & acui, in quod inſtinctu quodam voluntario
iremus, ſicut feruntur omnes ad conſeruationem ſui. Nemo diſcit, vt, ſi neceſſe fuerit,
æquo animo in roſâ iaceat: ſed in hoc duratur, vt tormentis non ſubmittat fidem: vt, ſi
neceſſe fuerit, ſtans etiam aliquando ſaucius, pro vallo peruigilet, & ne pilo quidem in-
cumbat. quia ſolet obrepere interim ſomnus in aliquod adminiculum reclinatis. Mors
nullum habet incommodum. Eſſe enim debet aliquid, cuius ſit incommodum. Quòd C
ſi tanta cupiditas longioris æui te tenet, cogita nihil eorum quæ ab oculis abeunt, & [17] in
rerum naturam, ex quâ prodierunt, ac mox proceſſura ſunt, reconduntur, conſumi. De-
ſinunt iſta, non pereunt. Et mors, quam pertimeſcimus ac recuſamus, intermittit vitam,
non eripit. [18] veniet iterùm, qui nos in lucem reponat dies, quem multi recuſarent, niſi
oblitos

Similis Vir eſt Vino, indole atque moribus.
Nam muſteum illud & nouum cùm cõditur,
Deferueat primùm eſt opus: ſic & Virum,
Cùm iuuenis eſt, exæſtuare; hinc ſobrium
Mox effici, & ſeueritate præditum:
Mitem inde fieri, & eſſe in æui relliquum.

At quod hîc de Vino, ad Poma tranſtulit Attius, in Agellio XIII. *cap.* II. *Nam cùm Pacuuius dixiſſet,* videri ſibi carmina eius duriora paullùm & acerbiora. Ita eſt, inquit Attius: neque id ſanè me pœnitet. Nam quod in pomis eſt, itidem aiunt eſſe in ingeniis. quæ dura & acerba naſcuntur, pòſt fiunt mitia & iucunda: ſed quæ gignuntur ſtatim vieta & mollia, non matura mox fiunt, ſed putria.

10. IN DOLIO PLACVIT.] *Ex more veteri, qui vinum nouellum dolis condebant: ſed mox vbi paullùm defæcaſſet, defundebant in amphoras & cados. Proculus Ic.tus l.* XV. *Tritic. vino & ol. leg.* In Dolia vina eâ mente coniicimus, vt ex his poſteà in Amphoras & Cados defundamus. *Quia igitur id nouellum aut turbidum, elegantiores fugiebant bibere. & Cicero hac mente, in Bruto:* Num igitur, qui hoc ſentiat, ſi is potare velit, de Dolio ſibi hauriendum putet? *Obiicit & Piſoni, vt ſordido:* Panis & Vinum à propalâ, & de cupâ. *quod idem eſt illi,* de Dolio.

11. QVIBVS PERFVNDI.] *Vt ſunt amœniora iſta, vulgò Liberalia dicta.*

12. QVIBVS TINGENDVS.] *Vt eſt Philoſophia: quæ ſola verè Liberale ſtudium: epiſt.* LXXXVIII.

13. NON OMNIBVS INSTITVI.] *Pergere in Sapientiæ ſtudiis, omni ætate decet; non item incipere, & in rudimentis eſſe.* D

14. ELEMENTARIVS SENEX.] *Qui inter pueros elementa diſcit.*

15. TENERVM HASTILE.] *Illorum verbo, Frameam.*

16. EQVITARE.] *Non quòd omnes olim hoc Romani, ſed nobiliores, aut ſtirpe equeſtri: inter quos ſcilicet hic amicus Lucilij. Nam ceteri ad pedeſtrem militiam deſtinabantur.*

17. IN RERVM NATVRAM.] *De Benef.* V. *cap.* VIII Rerum natura nihil dicitur perdere, quia quidquid illi auellitur, ad illam redit: nec perire quidquam poteſt, quod quò excidat non habet, ſed eódem reuoluitur vnde diſcedit.

18. VENIET ITERVM.] *Hæc eſt non illa Pythago-*

A oblitos reduceret. [19] Sed posteà diligentiùs docebo, omnia quæ videntur perire, mutari. Æquo animo debet rediturus exire. Obserua orbem rerum in se remeantium: videbis in hoc mundo nihil exstingui, sed vicibus descendere ac resurgere. Æstas abit, sed alter annus illam adducit: [20] hiems cecidit, referent illam sui menses: solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget. Stellarum iste decursus, quidquid præterierit, repetit: pars cæli leuatur assiduè, pars mergitur. Denique finem faciam, si hoc vnum adiecero, nec infantes, nec pueros, nec mente lapsos, timere mortem: & esse turpissimum, si eam securitatem nobis ratio non præstat, ad quam stultitia perducit.

EPIST. XXXVII.

PRSEVERANDVM *in vitâ & militiâ Sapientiæ esse. Ab hac salutem, felicitatem, libertatem pendêre. Perueniri, & vinci, Ratione duce.*

B QVOD maximum vinculum est ad bonam mentem, promisisti virum bonum. Sacramento rogatus es. Deridebit, si quis tibi dixerit, mollem esse militiam & facilem. nolo te decipi. Eadem honestissimi huius, & illius [1] turpissimi auctoramenti, verba sunt, [2] *vri, vinciri, ferroque necari.* Ab illis qui manus arenæ locant, & [3] edunt ac bibunt, quæ per sanguinem reddant, cauetur vt ista vel inuiti patiantur: à te, vt volens libensque patiaris. Illis licet [4] arma submittere, misericordiam populi tentare: tu neque submittes, nec vitam rogabis. recto tibi inuictoque moriendum est. Quid porrò prodest, paucos dies aut annos lucrifacere? sine missione nascimur. Quomodo ergo, inquis, me expediam? effugere non potes necessitates: potes vincere. [6] Fiat viâ: & hanc tibi viam dabit philosophia. ad hanc te confer, si vis saluus esse, si securus, si beatus: denique si vis esse, quod est maximum, liber. Hoc contingere aliter non potest. Humilis
C res est stultitia, abiecta, sordida, seruilis, multis affectibus & sæuissimis subiecta. Hos tam graues dominos, interdum alternis imperantes, interdum pariter, dimittit à te sapientia, quæ sola libertas est. [7] Vna ad hanc fert via, & quidem recta. non aberrabis: vade certo gradu. Si vis tibi omnia subiicere, te subiice rationi. multos reges, si ratio te rexerit. Ab illâ disces, quid & quemadmodum aggredi debeas: non incides rebus. Neminem mihi dabis, qui sciat quomodo quod vult cœperit velle. non consilio adductus vllo, sed impetu impactus est. Non minùs sæpè fortuna in nos incurrit, quàm nos in illam. Turpe est non ire, sed ferri: & subitò in medio turbine rerum stupentem quærere: Huc ego quemadmodum veni?

thagorica, sed Stoica quædam παλιγγενεσία, siue (ita loquamur) Renascentia: *cùm post orbis Deflagrationem, & sollennem ἐκπύρωσιν, iterùm alius orbis & διακόσμησις, atque eadem & iidem reponen-*
D *tur. Vide me Physiol.* II. *Dissert.* XXII. *Tangit & Lucretius hoc dogma, lib.* III.

Nec si materiam nostram collegerit ætas
Post obitum, rursumque redegerit, vt SITA NVNC EST
Atque iterùm nobis fuerint data lumina vitæ:
Pertineat quidquam tamen ad nos id quoque factum.

19. SED POSTEA.] *Vbi? nescio: non in his libris ex professo.*

20. HIEMS CECIDIT.] *An potiùs,* cedit.

EPIST. XXXVII. 1. TVRPISSIMI AVCTORAMENTI.] *Gladiatorij. quo in verba Editoris aut Lanistæ iurabant. Vide me* II. *Saturn. cap.* V.

2. VRI, VINCIRI,] *Ita libri, nec mutem. Petronius:* In verba Eumolpi sacramentum iurauimus, vri, vinciri, verberari, ferroque necari, tamquam legitimi gladiatores. *Ipsus Seneca, epist.* LXXI. Quid miraris, si vri, occidi, alligari iuuat? *Si lubet, dicto loco me vide.*

3. EDVNT AC BIBVNT.] *In saginâ sunt, sed cuius exitus cruentus. Eò alludit.*

4. ARMA SVBMITTERE.] *Nos hoc & alia explicamus, Satur.* II. *cap.* XXIII.

5. SINE MISSIONE.] *Id quoque à gladiatorio ritu. Aliquando mittebantur, aut eâ spe pugnabant: aliquando, sine eâ, & ferro absumendi. Nos diffusè,* II. *Saturn. cap.* XXII.

6. FIAT VIA.] *Quidam,* Fit viâ. *id esset, ratione quadam & methodo. At Gruterus,* Fit via vi: *Virgiliano hemistichio.*

7. VNA AD HANC VIA.] *Nempe rectæ Rationis ductu, vt subiicit, per Sapientiam.*

A

EPIST. XXXVIII.

PRAECEPTA *vtilia ad Sapientiam, magis quàm Dissertationes sæpè esse. Illa irrepere in animum, & seminis modo fructificare & diffundi.*

MERITÒ exigis, vt hoc inter nos epistolarum commercium frequentemus. Plurimùm proficit sermo, qui minutatim irrepserit animo. Disputationes præparatæ, & effusæ audiente populo, plus habent strepitus, minus familiaritatis. Philosophia bonum consilium est: consilium nemo [1] clamore dat. Aliquando vtendum est & illis, vt ita dicam, concionibus; vbi qui dubitat, impellendus est: vbi verò non hoc agendum est, vt velit discere, sed vt discat, ad hæc submissiora verba veniendum est. Faciliùs intrant, sed & hærent. nec enim multis opus est, sed efficacibus. Seminis modo spargenda sunt. quod quamuis sit exiguum, cùm occupauit idoneum locum, vires suas explicat, & ex minimo in maximos auctus diffunditur. Idem facit oratio. non latè patet, si aspicias: in opere crescit. Pauca sunt quæ dicuntur: sed si illa animus benè exceperit, conualescunt & exsurgunt. Eadem est, inquam, præceptorum conditio, quæ seminum. multum efficiunt, & si angusta sunt: tantùm, vt dixi, idonea mens rapiat illa, & in se trahat. Multa inuicem & ipsa generabit, & plus reddet, quàm acceperit. B

EPIST. XXXIX.

VARIE, *& varios, in philosophiâ scripsisse: excitari nos debere, & ardorem capere ab exemplo. Naturam eò ducere, quæ ad excelsa vocat: in quibus non est plebeia Felicitas, non item voluptas, quia aut fragilia sunt, aut nocent.* C

[1] COMMENTARIOS quos desideras, [2] diligenter ornatos, & in angustum coactos, ego verò componam: sed vide ne plus profectura sit [3] oratio ordinaria, quàm hæc quæ nunc [4] vulgò Breuiarium dicitur, olim cùm Latinè loqueremur, Summarium vocabatur. [5] Illa res discenti magis necessaria est: [6] hæc scienti. illa enim docet, hæc admonet. Sed vtriusque rei tibi [7] copiam faciam. Tu à me, non est quòd [8] illum aut illum exigas. qui [9] notorem dat, ignotus est. Scribam ego quod vis, sed meo more. Interim multos habes, quorum scripta nescio an [10] satis ordinent. Sume in manus indicem philosophorum: hæc ipsa res [11] expergisci te coget, si videris quàm multi tibi laborauerint; concupisces & ipse ex illis vnus esse. Habet enim hoc optimum in se generosus animus, quòd concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenij virum humilia

EPIST. XXXVIII. 1. CLAMORE DAT.] *Non malè Muretus: tamen Muretus. Nam libri omnes,* clarè dat: *quod esset, clarâ & elatâ voce. Sanè mox exponit,* submissiora verba.

EPIST. XXXIX. 1. COMMENTARIOS.] *Philosophicos, vt coniicio: sed breues, & summam continentes.*

2. DILIGENTER ORNATOS.] *Meliores libri,* ordinatos: *quos audio. Ordine & methodo scriptos, memoriæ & disciplinæ adiuuandæ.*

3. ORATIO ORDINARIA.] *Longa & tractata, quæ disserendi speciem habet: quæq; philosophis vulgò in vsu.*

4. VVLGO BREVIARIVM.] *Vox bis ter in Suetonio, Plinio, aliis æui medij.*

5. ILLA RES.] *Ordinaria oratio.*

6. HÆC SCIENTI.] *Breuiarium.*

7. COPIAM FACIAM.] *Feciſtine? vtinam habeamus.* D

8. ILLVM AVT ILLVM.] *Auctorem scilicet, quem laudem identidem atque aduocem, fidei causâ.*

9. NOTOREM DAT.] *Noster in ludo, de morte Claudij:* Siquis à me notorem petisset, te fui nominaturus, qui me optimè nosti. *Xenophon γνωσῆα dixit: & adhiberi solet, vbi de statu aut qualitate cuiuspiam dubitatur. Dicit igitur Seneca, Mihi fidere & credere debebis: alium notorem siue cognitorem (vt Cicero) non dabo.*

10. SATIS ORDINENT.] *Id est,* ordinata sint, *& materiam disponant. An vult dicere, animum disponant atque ordinent?*

11. EXPERGISCI TE COGET.] *Me certè, cùm vel Chrysippi tantùm, vel Aristotelis librorum indices video.*

12. ANIMVS

A lia delectant & sordida: magnarum rerum species ad se vocat & extollit. Quemadmodum flamma surgit in rectum, iacere ac deprimi non potest, non magis quàm quiescere: ita noster [12] animus in motu est, eò mobilior & actuosior, quò vehementior fuerit. Sed felix qui ad meliora hunc impetum dedit! ponet se extra ius ditionemque fortunæ. secunda temperabit, aduersa comminuet, & aliis admiranda despiciet. Magni animi est, magna contemnere, ac mediocria malle, quàm nimia. Illa enim vtilia [13] vitaliaque sunt: at hæc, eò quòd superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit vbertas: sic rami onere franguntur: sic ad maturitatem non peruenit nimia fecunditas. Idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit: quâ non tantùm in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vtuntur. Quis hostis in quemquam tam contumelioſus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ sunt? quorum impotentiæ atque insanæ libidini ob hoc vnum possis ignoscere, quòd quæ fecere, patiuntur. Nec immeritò hic illos furor vexat. necesse est in immensum exeat cupiditas, quæ naturalem modum transiliit. Illa enim habet
B suum finem: inania, & ex libidine orta, sine termino sunt. Necessaria metitur vtilitas. superuacua quò redigis? Voluptatibus itaque se mergunt, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt: & ob hoc miserrimi sunt, quòd eò perueniunt, vt illis quæ superuacua fuerant, facta sint necessaria. seruiunt itaque voluptatibus, non fruuntur: & mala sua, quod malorum vltimum est, amant. Tunc autem consummata est infelicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed etiam placent: & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant [14] vitia, mores sunt.

EPIST. XL.

HORTATVR *scribere, quia ibi imago mentis. tum de Serapione, prompti & profusi sermonis: quod negat Philosophum decere. Grauis & tarda oratio magis intrat & descendit.*

C

QVÒD frequenter mihi scribis, gratias ago. nam quo vno modo potes, te mihi ostendis. Numquam epistolam tuam accipio, vt non protinus vnà simus. Si imagines nobis amicorum absentium iucundæ sunt, quæ memoriam renouant, & desiderium absentiæ falso atque inani solatio leuant: quanto iucundiores sunt litteræ, quæ vera amici absentis vestigia, veras notas afferunt? Nam quod in conspectu [1] dulcissimum est, id amici manus epistolæ impressa præstat, agnoscere. Audisse te scribis, [2] Serapionem philosophum, [3] cùm istuc applicuisset, solere magno cursu verba [4] conuoluere, quæ non effundit vnà, sed premit & vrget. plura enim veniunt, quàm quibus vox vna sufficiat. Hoc non probo in philosopho, cuius pronuntiatio quoque, sicut vita, debet esse composita. nihil autem ordinatum est, quod præcipitatur & properat. Itaque oratio illa [5] apud Homerum concitata, & sine intermissione in morem niuis superueniens, oratori

D

12. ANIMVS IN MOTV EST.] *Vide Consol. ad Heluiam, cap.* VI.

13. VITALIAQVE SVNT.] *Mansura, vitam & æuum ferre possunt.*

14. VITIA, MORES SVNT.] *Tacitus in Germaniâ:* Nec corrumpere & corrumpi, Sæculum vocatur. *Ita enim prætexunt vulgò, Mores sunt, Sic viuitur, Sæculum est.*

EPIST. XL. 1. DVLCISSIMVM EST.] *Nempe, Agnoscere. Itaque distinctione ego iuuat. Sicut oculis præsentem agnoscimus, sic absentem ex impressâ manu.*

2. SERAPIONEM.] *Quis philosophaster iste fuerit, nescio: nisi quòd illo & sequenti æuo tales fuci multi.*

3. CVM ISTVC APPLIC.] *In Siciliam, opinor. Itaque legam & distinguam:* Audisse te scribis Serapionem philosophum, cùm isthuc applicuisset: & solere magno. *Nunciarat enim Senecæ, & iudicium quæsierat super homine, quem audierat. Quòd si vulgata tenes, sententia esset, Audisse Lucilium, quòd Serapio Romæ solitus esset verba ita facere.*

4. CONVOLVERE.] *Aptum est. quid tamen, quod libri consensu,* conuellere? *An fortè* conuerrere? *an,* compellere?

5. APVD HOMERVM.] *De Vlysse, cui donat*

—ἐπεὶ τά γε νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν:

—sermonem niuibus hibernis adsimilantem. *quod de copiâ benè interpretatur Seneca, & densè verba cecidisse, vt niues.*

oratori data est: at lenis & melle dulcior [6] seni profluit. Sic itaque habe, istam vim di- A
cendi rapidam atque abundantem, aptiorem esse [7] circulanti, quàm agenti rem magnam ac seriam, docentique. æquè stillare illam nolo, quàm currere. nec [8] extendat aures, nec obruat. Nam illa quoque inopia & exilitas, minùs intentum auditorem habet, tædio interruptæ tarditatis: faciliùs tamen insidit quod exspectatur, quàm quod præterfluolat. Denique tradere homines [9] discipulis præcepta dicuntur: non traditur, quod fugit. Adiice nunc, quòd quæ veritati operam dat oratio, incomposita debet esse & simplex. Hæc popularis nihil habet veri. mouere vult turbam, & inconsultas aures impetu rapere: tractandam se non præbet, aufertur. Quomodo autem regere potest, quæ regi non potest? Quid quòd hæc oratio, quæ sanandis mentibus adhibetur, descendere in nos debet? remedia non prosunt, nisi immorentur. Multum præterea habet inanitatis, & vani: plus sonat, quàm valet. Lenienda sunt quæ me exterrent, compescenda quæ irritant, discutienda quæ fallunt: inhibenda luxuria, corripienda auaritia. Quid horum raptim potest fieri? quis medicus ægros in transitu curat? Quid, quòd ne voluptatem B
quidem vllam habet, talis verborum sine delectu ruentium strepitus? sed vt pleraque quæ fieri posse non crederes, cognouisse satis est: sic istos, qui verba exercuerunt, abundè est semel audisse. Quid enim quis discere, quid imitari velit? quid de eorum animo iudicet, quorum oratio perturbata & [10] admissa est, nec potest reprimi? Quemadmodum per procliue currentium, non vbi visum est, gradus sistitur, sed incitato corporis pondere se rapit, ac longiùs quàm voluit effertur: sic ista dicendi celeritas nec in suâ potestate est, nec satis decora philosophiæ. quæ ponere debet verba, non proiicere, & pedetentim procedere. Quid ergo? non aliquando & insurget? Quídni? sed saluâ dignitate morum: quam violenta ista [11] & nimia vis exuit. Habeat vires magnas, moderatas tamen: perennis sit vnda, non torrens. Vix oratori permiserim talem dicendi velocitatem, irreuocabilem, ac sine lege vadentem. Quemadmodum enim iudex subsequi poterit, aliquando etiam imperitus ac rudis: tum quoque cùm illum aut ostentatio abstulerit, aut [12] affectus impotens sui? tantum festinet atque ingerat, quantum aures [13] pati possunt. Re- C
ctè ergo facies, si non videris istos, qui quantum dicant, non quemadmodum, quærunt: & ipse malueris aliquando si necesse est, vel [14] iuxta P. Vinicium dicere. qui, cùm quæreretur, quomodo diceret, Asellius ait, *Tractim.* Nam [15] Geminus Varius ait: *Quomodo istum disertum dicatis, nescio: tria verba non potest iungere.* Quid ni malis tu sic dicere, quomodo Vinicius? Aliquis tam insulsus interuenerit, quàm qui illi singula verba vellenti, tamquam dictaret, non diceret, ait: *Dic, vel numquam dicas.* [16] Nam Q. Haterij cursum suis temporibus oratoris celeberrimi, longè abesse ab homine sano volo. Numquam dubitauit, numquam intermisit: semel incipiebat, semel desinebat. Quædam tamen & nationibus puto magis aut minùs conuenire. In Græcis hanc licentiam tuleris: nos etiam cùm scribimus, [17] interpungere consueuimus. Cicero quoque noster, à quo Romana

6. SENI PROFLVIT.] *Nestori, apud eumdem.*

7. CIRCVLANTI.] *Circulos facienti, & captanti: circulatori. Epist.* LXXXVIII. Appion, qui totâ circulatus est Græciâ. *Et epist.* LII. Communes locos voluunt, & in priuato circulantur.

8. EXTENDAT AVRES.] *Quæ pendent & quasi trahuntur à diu tracto verbo, aut sensu.*

9. DISCIPVLIS.] *Meus*, disciplinis: *nec malè.*

10. ADMISSA EST.] *Vt equi admitti solent. Tamen scripti*, immissa: *pari sensu.*

11. ET NIMIA VIS.] *Quidam libri*, inimica vis: *possis*, mimica.

12. AFFECTVS IMPOTENS.] *Scripti ferè*, effectus impetus sui. *quod esset, ablatus impetu suo, & calore insito.*

13. PATI POSSVNT.] *Imò verò*, pati non possunt: *quod meus etiam liber.*

14. IVXTA P. VINICIVM.] *Scriptis abest*, iuxta: *& fatetur Erasmus addidisse. Legerim ergo ad li-* D
bros: velut P. Vinicius dicere.

15. GEMINVS VARIVS.] *Declamator etiam illo æuo notus.*

16. NAM Q. HATERII.] *Sic olim emendauimus. Canorus & profluens orator fuit, impetu non curâ valuit: ideóque eloquentia eius simul cum ipso exstincta. Tacitus lib.* IV. *& Seneca pater in controuersiis. Hieronymus aduers. errores Ioan. Hierosol. emendetur*: Q. Ateius (*imò* Haterius) qui ingenium in numerato habebat, vt sine monitore tacere non posset: de quo egregiè Cæsar Augustus, Quintus, inquit, noster sufflaminandus est. *Quod dictum, rapidum cursum orationis eius bellè respexit.*

17. INTERPVNGERE CONSVEVIMVS.] *Notis post singula verba positis. Neque enim alia adhuc interpun-*

A mana [18] eloquentia exſtitit, [19] gradarius fuit. Romanus ſermo magis ſe circumſpicit, & æſtimat, & præbet æſtimandum. Fabianus vir egregius & vitâ & ſcientiâ, & quod poſt iſta eſt, eloquentiâ quoque, diſputabat expeditè magis, quàm concitatè: vt poſſes dicere, facilitatem eſſe illam, non celeritatem. Hanc ego in viro ſapiente recipio. non exigo, vt oratio eius ſine impedimento exeat: proferatur tamen malo, quàm profluat. Eò autem magis te deterreo ab iſto morbo, quòd non poteſt tibi iſta res contingere aliter, quàm [20] ſi te pudere deſierit. perfrices frontem oportet, & ipſe te non audias. Multa enim inobſeruatus ille curſus feret, quæ reprehendere velis. Non poteſt, inquam, tibi contingere res iſta, ſaluâ verecundiâ. Præterea exercitatione opus eſt quotidianâ, & à rebus ſtudium transferendum eſt ad verba. Hæc autem etiam ſi aderunt, & poterunt ſine vllo tuo labore decurrere, tamen temperanda ſunt. nam quemadmodum ſapienti viro inceſſus moleſtior conuenit? ita oratio preſſa, non audax. Summa ergo ſummarum hæc erit: tardiloquum te eſſe iubeo.

B

EPIST. XLI.

OPVLCHRAM, *altamque epiſtolam! Deum in nobis habitare, & bonum virum ſine eo nullum eſſe. Colamus ipſum, & animum, qui ab illo deſcendit. In eo propria noſtra bona ſunt: alia omnia aliena. Bonum autem, recta Ratio.*

FACIS rem optimam, & tibi ſalutarem, ſi, vt ſcribis, perſeueras ire ad bonam mentem: quàm ſtultum eſt optare, cùm poſſis [1] à te impetrare. Non ſunt ad cælum eleuandæ manus, nec exorandus ædituus, vt nos ad aures ſimulacri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat: propè eſt à te Deus, tecum eſt, intus eſt. Ita dico, Lucili, [2] ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſeruator & cuſtos:
C hic prout à nobis tractatus eſt, [3] ita nos ipſe tractat. Bonus vir ſine Deo nemo eſt. An poteſt aliquis ſupra fortunam, niſi ab illo adiutus, exſurgere? ille dat conſilia magnifica, & erecta. In vnoquoque virorum bonorum ([4] *Quis Deus incertum eſt*) *habitat Deus.* Si tibi occurrit vetuſtis arboribus & ſolitam altitudinem egreſſis [5] frequens lucus, & conſpectum cęli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmouens: illa proceritas ſiluæ, & ſecretum loci, & admiratio vmbræ, in aperto tam denſæ atque continuæ, fidem tibi numinis facit. Et [6] ſiquis ſpecus ſaxis penitus exeſis montem ſuſpenderit, non manufactus, ſed naturalibus cauſſis in tantam laxitatem excauatus: animum tuum quadam religionis ſuſpicione percutiet. Magnorum [7] fluminum capita veneramur: ſubita & ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet. coluntur aquarum calentium fontes: & ſtagna quædam, vel opacitas vel immenſa altitudo ſacrauit. Si hominem videris interritum

D *terpunctio vſurpata antiquis. Tractaui in epiſtolâ quadam ad Audeiantium.*

18. ELOQVENTIA EXSTITIT.] *Libri*, exiliit, *vel*, exiluit. *Tenere poſſis, vel ſcribere*, exiuit.

19. GRADARIVS FVIT.] *Non curſor: gradu iuit. De equis etiam dicitur, Lucilius*: Ipſe equus non formoſus, gradarius, optimus vector.

20. SI TE PVDERE DESIERIT.] *Mallem*, ſi pudere deſieris.

EPIST. XLI. 1. A TE IMPETRARE.] *A voluntate tuâ pendet. Velis eſſe bonus, eris: vt Stoici quidem cenſebant. Ita & Horatius:*

Hæc ſatis eſt orare Iouem, quę donat & aufert;
Det vitam, det opes, æquum mî animum ipſe parabo.

2. SACER INTRA NOS.] *Animus ille ab æthere auulſus, pars Animæ mundi, id eſt Dei, & ipſe Deus. Vide Manuduct. II. Diſſert. XIX. & Phyſiol. III.*

3. ITA NOS IPSE TRACTAT.] *Si benè honeſtéque habuimus, habet: ſi æſtimauimus, ſuſtulimus, attollit. Negligit etiam, neglectus.*

4. QVIS DEVS.] *Ouidij in Metamorphoſi verſus.*

5. FREQVENS LVCVS.] *Plinius XII. cap. 1.* Lucos, atque in iis ſilentia ipſa, adoramus. *Plura ipſe ibi, & ego ad Germaniam Taciti.*

6. SIQVIS SPECVS.] *Tamquam & ibi ſedes numinum. Apuleius I. Florid. inter adorata viatoribus.* Speluncam frondibus obumbratam.

7. FLVMINVM CAPITA.] *Notaui & exemplis firmaui, ad Annalem Taciti XIV.*

8. Ex

ritum periculis, intactum cupiditatibus, inter aduersa felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, [8] ex æquo deos: non subibit te veneratio eius? non dices: ista res maior est altiorque, quàm vt credi similis huic, in quo est, corpusculo possit? Vis istuc diuina descendit. animum excellentem, moderatum, omnia tamquam minora transeuntem, quidquid timemus optamusque ridentem, cælestis potentia agitat. non potest res tanta sine adminiculo numinis stare. Itaque maiore sui parte illic est, vnde descendit. Quemadmodum radij solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt vnde mittuntur: sic animus magnus & sacer, & in hoc demissus vt propiùs diuina nossemus, conuersatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ. Illinc pendet: illuc spectat ac nititur: nostris tamquam melior interest. Quis est ergo hic? animus qui nullo bono nisi suo nititur. Quid enim est stultius, quàm in homine aliena laudare? quid eo dementius, qui ea miratur, quæ in alium protinus transferri possint? Non faciunt meliorem equum aurei fræni. Aliter leo auratâ iubâ [9] demittitur, dum contractatur, & ad patientiam recipiendi [10] ornamenta cogitur fatigatus: aliter incultus, integri spiritus. Hic scilicet impetu acer, qualem illum esse natura voluit, speciosus ex horrido, cuius hic decor est, non sine timore adspici, præfertur illi languido, & bracteato. Nemo gloriari nisi suo debet. Vitem laudamus, si fructu palmites onerat, si ipsa ad terram, pondere eorum quæ tulit, adminicula deducit. Num quis huic illam præferet vitem, cui aureæ vuæ, aurea folia dependent? Propria virtus est in vite, fertilitas: in homine quoque id laudandum est, quod ipsius est. Familiam formosam habet, & domum pulchram: multum serit, multum fœnerat. nihil horum in ipso est, sed circa ipsum. Lauda in ipso, quod nec eripi potest, nec dari: quod proprium est hominis. Quæris quid sit? animus, & ratio in animo perfecta. Rationale enim animal est homo. consummatur itaque eius bonum, si id adimpleuit cui nascitur. Quid est autem quod ab illo ratio hæc exigit? rem facillimam. [11] secundùm naturam suam viuere: sed hanc difficilem facit communis insania. In vitia alter alterum trudimus. quomodo autem ad salutem reuocari possunt, quos nemo retinet, populus impellit?

EPIST. XLII.

NON citò credendum de viro bono: rem magnam esse.[1] Quosdam præferre, aut simulare; malos futuros, si sit occasio. Exemplo cuiusdam docet. Tum non laborandum in externis; quæ incommoda, aut falsa commoda, habent.

IAM tibi iste persuasit, se virum bonum esse. Atqui vir bonus tam citò nec fieri potest, nec intelligi. Scis quem nunc virum bonum dicam? huius [1] secundæ notæ. nam ille alter fortasse, [2] tamquam phœnix, semel anno quingentesimo nascitur: nec est mirum, [3] ex interuallo magna generari. Mediocria & in turbam nascentia, sæpè fortuna producit: eximia verò, ipsâ raritate commendat. Sed iste multum adhuc abest ab eo, quod profitetur? & si sciret quid esset vir bonus, nondum se esse crederet: fortasse etiam fieri posse desperaret. At malè existimat de malis. Hoc etiam mali faciunt. nec vlla maior pœna nequitiæ est, quàm quòd sibi ac suis displicet. At odit eos qui subitâ & magnâ potentiâ impotenter vtuntur. Idem faciet, cùm idem poterit. multorum, quia imbecilla sunt,

8. EX ÆQVO DEOS.] *Id est, qui homines superat, Deos æquat. Gloriatio hæc Stoicorum crebra.*

9. DEMITTITVR.] *Meus & plures scripti ita referunt, & rectum habeo. Demittitur autem, quia subiicit se & animos deprimit, mox ornandus.*

10. ORNAMENTA.] *Quæ illa? monilia, aurum iubis inspersum, & siquid tale.*

11. SECVNDVM NATVRAM.] *Explicaui Manuduct.* II. *Dissert.* XVII.

EPIST. XLII. 1. SECVNDÆ NOTÆ.] *Proficientem, & nondum in summo.*

2. TAMQVAM PHOENIX.] *Rara hæc auis veri Sapientis, aut nulla. Vide nos Manuduct.* II. *Dissert.* VIII.

3. EX INTERVALLO.] *De Constant. sap. cap.* VII. Rarò forsitan, magnisque ætatum interuallis inuenitur *ille Sapiens.*

A ſunt, latent vitia: non minus auſura, cùm illis vires ſuæ placuerint, quàm illa quæ iam felicitas aperuit. Inſtrumenta illis explicandæ nequitiæ deſunt. Sic tutò ſerpens etiam peſtifera tractatur, dum riget frigore. non deſunt tunc illi venena, ſed torpent. Multorum crudelitas, & ambitio, & luxuria, vt paria peſſimis audeat, fortunæ fauore deficitur. eadem velle eos cognoſces: da poſſe, quantum volunt. Meminiſti, cùm quemdam affirmares eſſe in tuâ poteſtate, dixiſſe me, volaticum eſſe ac leuem, & te non pedem eius tenere, ſed pennam. Mentitus ſum: [4] plumâ tenebatur, quam remiſit & fugit. Scis [5] quos poſteà exhibuerit tibi ludos, quàm multa in caput ſuum caſura tentauerit. Non videbat, ſe per aliorum pericula in ſuum ruere: non cogitabat, quàm oneroſa eſſent quæ petebat, etiam ſi ſuperuacua non eſſent. Hoc itaque in his quæ affectamus, ad quæ labore magno contendimus, inſpicere debemus, aut nihil in illis commodi eſſe, aut plus incommodi. Quædam ſuperuacua ſunt, quædam tanti non ſunt. Sed hæc non prouidemus: & gratuita nobis videntur, quæ cariſſimè conſtant. Ex eo licet ſtupor noſter appareat,
B quòd ea ſola putamus emi, pro quibus pecuniam ſoluimus: & gratuita vocamus, pro quibus noſipſos impendimus. Quæ emere nollemus, ſi domus nobis noſtra pro illis eſſet danda, ſi amœnum aliquod fructuoſúmve prædium: ad ea paratiſſimi ſumus peruenire cum ſolicitudine, cum periculo, cum iacturâ pudoris, & libertatis, & temporis. Adeò nihil eſt cuique ſe vilius. Idem itaque in omnibus conſiliis rebusque faciamus, quod ſolemus facere, quoties ad inſtitorem alicuius mercis acceſſimus: videamus, hoc quod concupiſcimus, quanti deferatur. Sæpè [6] maximum pretium eſt, pro quo nullum datur. Multa poſſum tibi oſtendere, quæ acquiſita acceptaque, libertatem nobis extorſerunt. noſtri eſſemus, ſi iſta noſtra non eſſent. Hæc ergo tecum ipſe verſa, non ſolùm vbi de incremento agetur, ſed etiam vbi de iacturâ. Hoc periturum eſt? nempe aduenticium fuit. tàm facilè ſine iſto viues, quàm vixiſti. Si diu illud habuiſti, perdis poſtquam ſatiatus es: ſi non diu, perdis antequam aſſueſcas. Pecuniam minorem habebis? nempe & moleſtiam. gratiam minorem? nempe & inuidiam. Circumſpice iſta, quæ
C nos agunt in inſaniam, quæ cum plurimis lacrymis amittimus: ſcies non damnum in his moleſtum eſſe, ſed opinionem damni. Nemo illa periſſe ſentit, [7] ſed cogitat. [8] Qui ſe habet, nihil perdidit. ſed quoto cuique habere ſe contigit?

EPIST. XLIII.

NON *latère, quæ faciat: rumorem omnia perferre. Ergo viue, inquit, vt in publico. Quid ſi etiam lateas? animus tuus ſcit & videt.*

QVOMODO hoc ad me peruenerit, quæris: quis mihi id te cogitare narrauerit, quod tu nulli narraueras. Is qui ſcit plurimum, rumor. Quid ergo, inquis, tantus ſum, vt poſſim excitare rumorem? non eſt quòd te [1] ad hunc locum reſpiciens metiaris:
D ad iſtum reſpice, in quo moraris. Quidqui id inter vicina eminet, magnum eſt illîc, vbi eminet. Nam magnitudo non habet certum modum: comparatio illam aut tollit, aut deprimit. Nauis quæ in flumine magna eſt, in mari paruula eſt: gubernaculum quod naui alteri magnum, alteri exiguum eſt. Tu nunc in prouinciâ, licet contemnas ipſe te, magnus es: quid agas, quemadmodum cæn es, quemadmodum dormias, quæritur, ſcitur.

4. PLVMA TENEBATVR.] *Argutè. nam pluma etiam minùs, quàm penna. Hæc in alis, & firmior: illa in toto corpore ſparſa, & leui niſu euellenda.*

5. QVOS POSTEA EXHIBVERIT.] *Inimicus ille, opinor, de quo epiſt. XXIV. qui iudicium intentauit.*

6. MAXIMVM PRETIVM EST.] *Nempe eius, quod affectamus. Tamen libri quidam*, maximi pretij: *apertius, meliúſque. Poſſis etiam*, maximum pretio.

7. SED COGITAT.] *Re carere poſſumus, opinio moleſtiam adfert.*

8. QVI SE HABET.] *In poteſtate: qui non eſt affectuum, aut opinionum.*

EPIST. XLIII. 1. AD HVNC LOCVM.] *Romam. vbi, foris aut in prouinciis magni, parui obſcuriq; erant, in tanto lumine.*

2. TIBI

scitur. Eò [2] tibi diligentiùs viuendum est. Tunc felicem te esse iudica, cùm poteris in A
publico viuere, cùm te parietes tui tegent, non abscondent: quos plerumque circumdatos nobis iudicamus, non vt tutiùs viuamus, sed vt peccemus occultiùs. Rem dicam, ex quâ mores æstimes nostros, vix quemquam inuenies, qui possit aperto ostio viuere. Ianitores conscientia nostra, non superbia oppositi. Sic viuimus, vt deprehendi sit, subitò adspici. Quid autem prodest recondere se, & oculos hominum auresque vitare? Bona conscientia turbam aduocat, mala etiam [3] in solitudine anxia atque solicita est. Si honesta sunt quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cùm tu scias? O te miserum, si contemnis [4] hunc testem.

EPIST. XLIV.

PVLCRA *epistola. Nemo se à stirpe contemnat, si ad Sapientiam, id est Virtutem, venit.* B
Hæc sola nobilitat.

ITERVM tu mihi te pusillum facis, & dicis, maligniùs tecum egisse naturam priùs, deinde fortunam? cùm possis te eximere vulgo, & ad felicitatem omnium maximam emergere. Si quid aliud est in philosophiâ boni, hoc est, quòd stemma non inspicit. Omnes si ad primam originem reuocentur, [1] à diis sunt. Eques Romanus es, & ad hunc ordinem tua te [2] perduxit industria: at mehercules multis [3] quattuordecim sunt clausi. Non omnes curia admittit: castra quoque, quos ad laborem & periculum recipiunt, [4] fastidiosè legunt. Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles. nec reiicit quemquam philosophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit: Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus: Platonem [5] non accepit nobilem philosophia, sed fecit. Quid est quare desperes his te posse fieri parem? omnes C
hi [6] maiores tui sunt, si te illis geris dignum. Geres autem, si hoc protinus tibi persuaseris, à nullo te nobilitate superari. Omnibus nobis totidem ante nos sunt. nullius non origo vltra memoriam iacet. [7] Plato ait: *Neminem regem non ex seruis esse oriundum, neminem non seruum ex regibus.* Omnia ista longa varietas miscuit, & sursum deorsum fortuna versauit. Quis ergo generosus? ad virtutem benè à naturâ compositus. Hoc vnum est intuendum. alioqui si ad vetera reuocas, nemo non inde est, [8] ante quod nihil est.

A pri-

2. TIBI DILIGENTIVS.] *Scripti vocem inserunt*, tibi dic diligentiùs. *Lego*, tibi dein diligentiùs: *aut*, tibi, dico, diligentiùs.

3. IN SOLITVDINE ANXIA.] *Tertullianus:* Nullum maleficium sine formidine est, quia nec sine conscientiâ sui.

4. HVNC TESTEM.] *Nam vt Polybius in fragmentis:* Οὐδεὶς ἕτως ἔστε μάρτυς ἐστὶ φοβερὸς, οὔτε κατηγόρος δεινὸς, ὡς ἡ σύνεσις, ἡ κατοικοῦσα ταῖς ἑκάστων ψυχαῖς: Nullus neque TESTIS tam formidabilis, neque iudex tam grauis, quàm Conscientia, quæ mentibus cuiusque insidet & inhabitat.

EPIST. XLIV. 1. A DIIS SVNT.] *Decerpti ab æthere, sapiùs dictum & dicendum.*

2. PERDVXIT INDVSTRIA.] *Non natus es Eques, sed factus. Censum industriâ quæsisti, & ex eo dignitatem.*

3. QVATTVORDECIM.] *Gradus in theatris, propriy & sepositi equitibus.*

4. FASTIDIOSE LEGVNT.] *Nam ætatem, genus, mores, censum etiam (olim quidem) inspiciebant. Nos in Militiâ, lib.* 1.

5. NON ACCEPIT NOBILEM.] *Alij contrà, & assensu traditum, Platonem nobilem vtrimque fuisse. Apuleius De Dogmate Plat.* Aristo ei fuisse pater dictus est: ceterùm Perictione Glauci filia mater fuit. Et de vtroque nobilitas satis clara. Nam Aristo pater, per Codrum, ab ipso Neptuno originem duxit: ab Solone sapientissimo maternus deriuatus est sanguis. *Hæc ipsa Laërtius, atque alij,* D
tradiderunt: & puer adeò, aurum nobilitatis insigne in auriculâ gestauit, *scriptum eidem Apuleio. Quomodo non ergo nobilem accepit? sed cape & adiuua, non sic nobilem celebremq;.*

6. MAIORES TVI SVNT.] *At libris negatio additur*, non sunt: *rectè, si interrogando effers.*

7. PLATO AIT.] *Vbi, alius dicet. Ego contrà in eo legi:* Reges ex regibus oriundos, donec ad Iouem origo reuocetur: *Alcibiade primo. Vera tamen illa dictio: & periodos æui fortunæq; si vides, eunt hæc in orbem.*

8. ANTE QVOD NIHIL EST.] *An quia è cælo & astris sumus, quæ prima in rebus? An verius, è primis principiis omnes, Deo & Materiâ?*

9. ATRIVM

A A primo mundi ortu, vsque in hoc tempus, perduxit nos ex splendidis sordidisque alternata series. Non facit nobilem [9] atrium plenum fumosis imaginibus. nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. [10] Animus facit nobilem: cui ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere. Puta itaque te non esse equitem Romanum, sed libertinum: potes hoc consequi, vt solus sis liber inter ingenuos. Quomodo? inquis. si mala bonaque non populo auctore distinxeris. Intuendum est, non vnde veniant, [11] sed quò eant. Si quid est quod beatam vitam potest facere, id bonum est suo iure: deprauari enim in malum non potest. Quid est ergo, in quo erratur? cùm omnes beatam vitam optent, quòd instrumenta eius pro ipsâ habent, & illam dum petunt, fugiunt. Nam cùm summa beatæ vitæ sit solida securitas, & eius [12] inconcussa fiducia, sollicitudinis colligunt causas, & per insidiosum iter vitæ non tantùm ferunt sarcinas, sed trahunt. Ita longiùs ab effectu eius quod petunt, semper abscedunt, & quò plus operæ impendunt, hoc se magis impediunt, & feruntur retrò. Quod euenit in la-
B byrintho properantibus, ipsa illos velocitas implicat.

EPIST. XLV.

Non multis libris, sed bonis, ad Sapientiam opus. Veteres superflua quædam, aut arguta, frustrà scripsisse. Tum contra cauillos, & vocum captiones. Res, res, & earum discrimina quærenda: quis Beatus, & quod verè Bonum?

LIBRORVM istîc inopiam esse quereris. Non refert quàm multos, sed quàm bonos habeas. lectio certa prodest, varia delectat. Qui quò destinauit peruenire vult, vnam sequatur viam, non per multas vagetur. non ire istud, sed errare est. Vellem, inquis, magis libros mihi quàm consilium dares. Ego verò [1] quoscumque habeo mittere
C paratus sum, & totum horreum excutere: me quoque istò si possem, transferrem, & nisi maturè te finem officij sperarem impetraturum, hanc senilem expeditionem indixissem mihi: nec me Charybdis, & Scylla, & [2] fabulosum istud fretum deterrere potuisset. Transnatassem ista, non solùm traiecissem, dummodò te complecti possem, & præsens æstimare quantum animo creuisses. Ceterùm quòd libros meos tibi mitti desideras, non magis ideò me disertum puto, quàm [3] formosum putarem, si imaginem meam peteres. Indulgentiæ scio istud esse, non iudicij: & si modò iudicij est, indulgentia tibi imposuit. Sed qualescumque sunt, tu illos sic lege, tamquam verum quæram adhuc, non sciam, & contumaciter quæram. Non enim me cuiquam mancipaui, nullius nomen fero: multum magnorum virorum iudicio credo, aliquid & meo vindico. Nam illi quoque non inuenta, sed quærenda nobis reliquerunt: & inuenissent forsitan necessaria, nisi & [4] superflua quæsissent. Multum illis temporis verborum cauillatio eripuit, & captiosæ dispu-

D 9. ATRIVM PLENVM.] *Romanus propriè mos, collocandi in tabulariis per atria imagines maiorum: atque ex iis nobilitas æstimata.* Aperui & asserui I. *Elect. cap.* XXIX.

10. ANIMVS FACIT NOBILEM.] *Ita verò, ille alius, bonus, hanc laudem & titulum habet: vel Euripide iudice.*

——τὰς γὰρ ἀνδρείας φύσιν
Καὶ τὰς δικαίας, τὴν κενῶν δοξασμάτων,
Κἂν ὦσι δούλων, εὐγενεστέρας λέγω:
——namque ab animo strennuos,
Iustosq;, quamuis orti & è seruis sient,
Stirpe anteire vulgò nobiles puto.

11. SED QVÒ EANT.] *Bionis hoc tale ad Antigonum:* O rex, sagittariis si opus habes, non Vnde sint interrogas, sed scopum proponis, & qui tangunt, eligis: sic & alios explora, non Vnde, sed Quales sint.

12. INCONCVSSA FIDVCIÂ.] *Inter alta Stoicorum, & nimis:* Sapientem sibi fidere, securum sui esse.

EPIST. XLV. 1. QVOSCVMQVE HABEO.] *Meos præsertim, & illos Lucilius petebat.*

2. FABVLOSVM.] *Non falsum, sed fabulis auctum. Sic* Hydaspes fabulosus, *in Horatio: de quo fama & fabulæ.*

3. FORMOSVM PVTAREM.] *Non ergo videtur fuisse, in corpore quidem. nam animo, quid pulchrius?*

4. SVPERFLVA QVÆSISSENT.] *Cacoëthes philosophantium olim, nuper, hodie. Ipsi Stoici in hac culpâ, ante omnes Chrysippus.*

disputationes, quæ acumen irritum exercent. Nectimus nodos, & ambiguam significationem verbis alligamus, deinde dissoluimus. Tantum nobis vacat? iam viuere, iam mori scimus? Totâ illò mente pergendum est, vbi prouideri debet, ne res nos, non verba, decipiant. Quid mihi vocum similitudines distinguis, quibus nemo vmquam nisi dum disputat, captus est? res fallunt. illas discerne. Pro bonis mala amplectimur: optamus contra id quod optauimus: pugnant vota nostra cum votis, consilia cum consiliis. Adulatio quàm similis est amicitiæ? Non imitatur tantùm illam, [5] sed vincit, & præterit: apertis & propitiis auribus recipitur, & in præcordia ima descendit, eo ipso gratiosa quo lædit. Doce quemadmodum hanc similitudinem dignoscere possim. venit ad me pro amico blandus inimicus: vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt: temeritas sub titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignauia: pro cauto timidus accipitur. In his magno periculo erratur: his certas notas imprime. Ceterùm qui interrogatur, [6] an cornua habeat, non est tam stultus, [7] vt frontem suam tentet: nec rursus tam ineptus aut hebes, vt non habere se nesciat, quod tu illi subtilissimâ collectione persuaseris. Sic ista [8] sine noxâ decipiunt, quomodo [9] præstigiatorum acetabula & calculi, in quibus fallacia ipsa delectat. Effice, vt quomodo fiat intelligam: [10] perdidi vsum. Idem de istis captionibus dico: quo enim nomine potiùs sophismata appellem? nec ignoranti nocent, nec scientem iuuant. Si vis vtique verborum ambiguitates diducere; hoc nos doce, beatum non eum esse, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit: sed illum, cui bonum omne in animo est, erectum, & excelsum, & mirabilia calcantem. qui neminem videt, cum quo se commutatum velit: qui hominem eâ solâ parte æstimat, quâ homo est: qui naturâ magistrâ vtitur, ad illius leges componitur, sic viuit, quomodo illa præscripsit: cui bona sua nulla vis excutit: qui mala in bonum vertit, certus iudicij, inconcussus, intrepidus: quem aliqua vis mouet, nulla perturbat: quem fortuna, cùm in eum quod habuit telum nocentissimum, vi maximâ intorsit, pungit, non vulnerat, & hoc rarò. Nam ceterà eius tela, quibus genus humanum debellatur, grandinis more dissultant: quæ incussa tectis, sine vllo habitatoris incommodo crepitat, ac soluitur. Quid me detines in eo, quem tu ipse [11] Pseudomenon appellas, de quo [12] tantum librorum compositum est? Ecce tota mihi vita mentitur: hanc coargue, hanc ad verum, si acutus es, redige. Necessaria iudicat, quorum magna pars superuacua est: etiam quæ non est superuacua, nihil in se momẽti habet in hoc, vt possit fortunatum beatumq; præstare. Non enim statim bonum est, si quid necessarium est. Ac proiicimus bonum, si hoc nomen pani aut polentæ damus, & ceteris sine quibus vita non ducitur. Quod bonum

5. SED VINCIT.] *Plinius Panegyrico:* Ingeniosior est enim ad excogitãdum simulatio veritate.

Vt qui conducti plorant in funere, dicunt
Ac faciunt propè plura dolentibus ex animo:
ait Horatius.

6. AN CORNVA HABEAT.] *Est quem κεράτινον λόγον vocabant, quasi* Cornutum sermonem: *diciturq; inuenisse primus Eubulides Dialecticus, aut Diodorus.*

7. VT FRONTEM SVAM TENTET.] *Imò verò fecit Diogenes Cynicus facetissimè. nam* ratiocinatori tali, concludenti ipsum cornua habere, manu frontem tangens, Equidẽ, inquit, illa non video.

8. SINE NOXA DECIPIVNT.] *Vt in omni alio cauillo. Itaque Aristippus egregiè, ad subtiliter differentem, & vincentem:* Ego, inquit, victus abeo, iucundiùs quàm tu victor dormiturus.

9. PRÆSTIGIATORVM ACETABVLA.] *Ludus est, vel manuum agilitas, hodieq; in vsu, & pueris aut plebi in admiratione. Calculos siue nummos in mensâ ponunt: deinde acetabulis (vasculis aut pyxidibus) opertos tam dextrè loco mouent, & transferunt, vt cùm hic esse censeas, alibi compareant: & arte magicâ fieri arbitrêre. Græci vocant ψηφοπαίκτας, quia ludunt calculis: vel & ψηφοκλήπτας, quia velut eos furantur. Glossæ:* Præstigiator, ψηφοπαίκτης. *Suidas & ψηφολόγους dictos ostendit, quem eâ voce vide. At opportunè notat Muretus, hanc comparationem ab Arcesilao esse, de quo Stobæus Serm.* LXXX. Ἀρκεσίλαος ὁ φιλόσοφος ἔφη, τὰς διαλεκτικὰς ἐοικέναι τοῖς ψηφοπαίκταις, οἵτινες χαριέντως ἀναλογίζονται: Arcesilaus philosophus aiebat, Dialecticos similes præstigiatoribus calcularijs, qui iucundè decipiunt.

10. PERDIDI VSVM.] *Neque enim delectant, iam nota.*

11. PSEVDOMENON.] *Mentientem Cicero vertit.*

12. TANTVM LIBRORVM.] *Fortasse & ab aliis, sed certè à Chrysippo. Is solus scripsit,* περὶ τῆς εἰς τὸν ψεῦδόμενον εἰσαγωγῆς, α. περὶ τοῦ ψευδομένου, ε. περὶ τῆς τοῦ ψεύδομένου λύσεως, γ. πρὸς τοὺς φάσκοντας τὰ λήμματα ἔχειν ψεύδη τὸν ψεῦδόμενον λόγον, α. *Sunt vndecim libri vnius Chrysippi: & an falsò Seneca,* tantum librorum? *Nam & alij, non ambigo, scripsêre.*

13. NON

A bonum est, vtique necessarium est: quod autem necessarium est, non statim bonum est: quoniam quædam necessaria sunt, eadem vilissima. Nemo vsque eò dignitatem boni ignorat, vt illud ad hæc in diem vtilia demittat. Quid ergo? non eò potiùs curam transferes, vt ostendas omnibus, magno temporis impendio quæri superuacua: & multos transisse vitam, dum vitæ instrumenta conquirunt? Recognosce singulos, considera vniuersos: nullius non vita spectat in crastinum. Quid in hoc sit mali, quæris? infinitum. non enim viuunt, sed victuri sunt: omnia differunt. Etiam si attenderemus, tamen nos vita præcurreret: nunc verò cunctantes quasi aliena transcurrit, & vltimo die finitur, omni perit. Sed ne epistolæ modum excedam, quæ non debet sinistram manum legentis implere: in alium diem hanc litem cum dialecticis differam, nimiùm subtilibus, & hoc solum curantibus, [13] non & hoc.

B

EPIST. XLVI.

De *libro Lucilij iudicat, & laudat.*

Librvm tuum quem mihi promiseras, accepi, & tamquam lecturus [1] ex commodo adaperui, ac tantùm degustare volui. Deinde blanditus est ipse, vt procederem longiùs: qui quàm disertus fuerit, ex hoc intelligas licet. breuis mihi visus est, cùm esset nec mei, nec [2] tui temporis, sed qui primo adspectu [3] aut T. Liuij, [4] aut Epicuri posset videri. tantâ autem dulcedine me tenuit & traxit, vt illum sine vllâ dilatione perlegerem. [5] Sol me inuitabat, [6] fames admonebat, [7] nubes minabantur: tamen exhausi totum. Non tantùm delectatus, sed gauisus sum. Quid ingenij iste habuit? quid animi? dicerem, quid impetus? si interquieuisset, si inæruallo surrexisset. Nunc non fuit impetus, sed tenor, compositio [8] virilis & sancta. Nihilominus interueniebat dulce il-
C lud, & loco lene. Grandis & rectus es. hoc te volo tenere, sic ire. Fecit aliquid & materia. ideò eligenda est fertilis, quæ capiat ingenium, quæ excitet. De libro tuo plura scribam, cùm illum retractauero: nunc verò parùm mihi sedet iudicium, tamquam audierim illa, non legerim. Sine me & inquirere. Non est quòd verearis, verum audies. O te hominem felicem, quòd nihil habes, propter quod quisquam tibi [9] tam longè mentiatur! nisi quòd etiam vbi caussa sublata est, mentimur & consuetudinis caussâ.

13. Non et hoc.] *Muretus accipit, Nihil aliud quàm spinosos Syllogismos ex repugnantibus curantes: qui ferè sic conformari solent:* Non & hoc, & illud. Hoc autem est: non illud igitur. *Ego verò aliter, Damnat, qui solam Dialecticam curant, non grauiora: & hanc vt ἔργον habent, non παέργον. Debebant, inquit, non hanc curare tantùm, sed & hanc: id est, in additamento, non in principali ha-*
D *bere.*

EPIST. XLVI. 1. Ex commodo.] *Vbi commodum esset.*

2. Tvi temporis.] *Scripti ferè*, corporis: *sed illud teneam: Qui esset grandior, quàm aut tuum aut meum tempus ferret scribere, siue legere.*

3. Avt T. Livii.] *Multa enim scripsit abolita, etiam philosophica. Et certè libri Historiarum nec ex quadrante exstant.*

4. Avt Epicvri.] *Qui omnes philosophos copiâ librorum vicit, etiam Chrysippum: Laërtius.*

5. Sol me invitabat.] *Vt posito libro inambularem, ac me insolarem, vngerémque.*

6. Fames admonebat.] *Item ponere, & cibum sumere.*

7. Nvbes minabantvr.] *Posteà inducta. & suadebant exercere corpus, ante pluuiam.*

8. Virilis et sancta.] *An etiam*, sana.

9. Tam longe.] *In tuâ prouinciâ aliquid potes, hîc Romæ nihil.*

EPIST. XLVII.

FAMILIARITER *cum ſeruis agendum, viuendumque. Peccatum in eo ſui ævi, ex faſtu & faſtidio. Iudicio tamen, liberiùs aut ſeveriùs, hos illoſque (pro indole & virtute cuiuſque) habendos.*

LIBENTER ex his qui à te veniunt cognoui, familiariter te cum ſeruis tuis viuere. hoc prudentiam tuam, hoc [1] eruditionem decet. Serui ſunt? imò homines. Serui ſunt? imò contubernales. Serui ſunt? imò humiles amici. Serui ſunt? imò conſerui, ſi cogitaueris tantumdem in vtroſque licere fortunæ. Itaque rideo iſtos qui turpe exiſtimant cum ſeruo ſuo cænare: quare? niſi quia ſuperbiſſima conſuetudo cænanti domino ſtantium ſeruorum turbam circumdedit. Eſt ille plus quàm capit, & ingenti auiditate onerat diſtentum ventrem, ac deſuetum iam ventris officio, vt maiore operâ omnia egerat, quàm ingeſſit: at infelicibus ſeruis [2] mouere labra, ne in hoc quidem, vt loquantur, licet. [3] virgâ murmur omne compeſcitur: & ne fortuita quidem verberibus excepta ſunt, [4] tuſſis, ſternutamentum, ſingultus: magno malo vllâ voce [5] interpellatum ſilentium luitur: nocte totâ ieiuni, mutique perſtant. Sic fit, vt iſti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet. At illi quibus non tantùm coram dominis, ſed cum ipſis erat ſermo, quorum os non conſuebatur, parati erant pro domino porrigere ceruicem, periculum imminens in caput ſuum auertere. In conuiuiis loquebantur, ſed in tormentis tacebant. Deinde eiuſdem arrogantiæ prouerbium iactatur: [6] *Totidem eſſe hoſtes, quot ſeruos.* Non habemus illos hoſtes, ſed facimus. Alia interim crudelia & inhumana prætereo, quòd nec tamquam hominibus quidem, ſed tamquam iumentis abutimur: quòd cùm ad cænandum diſcubuimus, alius [7] ſputa detergit, alius [8] reliquias temulentorum ſubditus colligit, alius pretioſas aues ſcindit: [9] pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, [10] in fruſta excutit. Infelix qui huic vni rei viuit, vt altilia decenter ſecet. niſi quòd miſerior eſt, qui hoc voluptatis cauſsâ docet, quàm qui neceſſitatis, diſcit. Alius vini miniſter in [11] muliebrem modum ornatus, cum ætate luctatur. Non poteſt effugere pueritiam, ſed retrahitur. iamque [12] militari habitu

EPIST. XLVII. 1. ERVDITIONEM DECET.] *Nam Eruditio Stoicis dicitur, Sapientia. Notaui Manud. II. Diſſert. I.*

2. MOVERE LABRA.] *Idem notat, & carpit, De Irâ III. cap. XXXV.* Quid flagella mediâ cænâ petis, quòd ſerui loquuntur? quòd non eodem loco & turba concionis eſt, & ſilentium ſolitudinis? *Apud Perſas ſimile, Ammianus libro XXIII.* Nec miniſtranti apud eos famulo, menſæque adſtanti hiſcere vel loqui licet, vel ſpuere. ita proſtratis pellibus labra omnium vinciuntur.

3. VIRGÂ MVRMVR.] *Et videtur fuiſſe officij genus, qui intenderent, & loquentes coërcerent. Quo exemplo poſteà apud Principes* Silentiarij, *qui hanc reuerentiam ei præſtarent.*

4. TVSSIS, STERNVTAMENTVM.] *De Irâ II. cap. XXV.* Quid eſt cur tuſſis alicuius, aut ſternutamentum, nos in rabiem agat?

5. INTERPELLATVM.] *Quidam libri*, interpolatum, *item rectè.*

6. TOTIDEM HOSTES.] *Iſta ſublegit Macrobius I. Saturn. cap. X. De ipſo autem adagio Feſtus, in* Quot ſerui.

7. SPVTA DETERGIT.] *De Breuit. vit. cap. XII.* Quàm curiosè infelices pueruli ebriorum ſputa detergant.

8. RELIQVIAS TEMVLENTORVM.] *Analecta è cibis.*

9. PECTVS ET CLVNES.] *Nam hæ duæ partes in auibus expetitæ. Non diſpliceat tamen quorumdam librorum lectio:* Per pectus & culnes certis ductibus circumferens eruditam manum, fruſta excutit.

10. IN FRVSTA EXCVTIT.] *De Breuit. vit. cap. XII.* Quantâ arte ſcindantur aues in fruſta non enormia. *Atque hæc ſcilicet, ne manu tangerent, in orbem aut lancem ſubiectam excutiebant.*

11. MVLIEBREM MODVM.] *Comatos, & in veſte longâ: eoſdemq; calamiſtratos & comptulos. Apuleius:* Scitulè miniſtrantes pueri calamiſtrati, pulchrè intuſiati. *Ambroſius lib. IV. Epiſt. ad Irenæum:* Torquatos & calamiſtratos habent in miniſterio, ipſi promiſsâ barbâ, illos remiſsâ comâ. *Atqui iſti ferè erant à cyathis.*

12. MILITARI HABITV.] *Formâ tali, & ætate robuſtâ: an & veſtem notat? Nam iſti pueri in ruſâ eſſe ſolent, vt & milites, alibi à me notatum.*

13. DESTRI-

A habitu glaber, [13] destrictis pilis, [14] aut penitus euulsis, totâ nocte peruigilat: quam [15] inter ebrietatem domini ac libidinem diuidit, & in cubiculo vir, & in conuiuio puer est. Alius cui conuiuarum [16] censura permissa est, perstat infelix, & exspectat, quos adulatio, & intemperantia aut gulæ, aut linguæ, [17] reuocet in crastinum. Adiice obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est: qui sciunt, cuius rei illum sapor excitet, cuius delectet aspectus, cuius nouitate nauseabundus erigi possit, quid iam ipsâ satietate fastidiat, quid illo die esuriat. Cum his cænare non sustinet, & maiestatis suę diminutionem putat, ad eamdem mensam cum seruo suo accedere. Dij melius, quòd ex istis dominos habent. [18] Stare ante limen [19] Callisti dominum suum vidi, & eum qui illi [20] impegerat titulum, qui inter [21] reiicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi. Retulit illi gratiam seruus, ille [22] in primam decuriam coniectus, in quâ [23] vocem præco experitur, & ipse illum inuicem [24] apologauit, & ipse non iudicauit domo suâ dignum. Dominus Callistum vendidit: sed [25] domino quàm multa Callistus? Vis tu cogitare
B istum quem seruum tuum vocas, [26] ex iisdem seminibus ortum, eodem frui cælo, æquè spirare, æquè viuere, æquè mori? Tam tu illum ingenuum videre potes, quàm ille te seruum.

13. DESTRICTIS PILIS.] *Psilothro aut resinâ, opinor. Tunc enim facile eos fricando & manu admotâ, destringere. At libris tamen nostris nulla ea vox est, sed* retritis, *aut* tritis. *quod ego teneam, aut certè,* detritis: *ac significat forcipe aut rasorio potiùs cultro pilos recisos minutósque. Quod solent & adustione præstare. Confirmat quod sequitur.*

14. AVT PENITVS EVVLSIS.] *Nónne enim & psilothro destricti penitus euelluntur? æquè sanè ac vellis, quas ipsas adhibebant. Ceterùm radi aut velli, mollibus isti in assiduo vsu, vt læues semper essent. Suetonius de Othone,* corpore vulso fuisse, & faciem
C cottidie rasitasse. *Lucilij versus:*

Rador, subuellor, desquamor, pumicor, ornor:

à me quidem sic legendus.

15. INTER EBRIETATEM.] *Dicit totam noctem vigilare, sed partitis ministeriis. Priorem partem in conuiuio esse, ebrio domino cyathissantem: alteram in lecto, virum illi agentem. Vah pudor, non vltrà explico. Et tales nempe grandes isti pueri, quos Achilles vocitabant, & in vtramque Venerem habebant.*

16. CENSVRA PERMISSA EST.] *Vocator.*

17. REVOCET IN CRASTINVM.] *De Adulatione, liquet: ea caussa iusta reuocandi: sed idémne in Linguæ aut Gulæ intemperantiâ? contrà dicas, tales non reuocatos. Nisi fortè Vitiosos istos ipsa Vitia capiebant. Dubitaui legere:* reuocet non reuocet
D in crastinum. *Adulatio reuocet, non reuocent duo dicta.*

18. STARE ANTE LIMEN.] *Vt clientulum, egressus exspectantem. Simillimum de* Felicione *quedam sui æui Epictetus* 1. *Dissert.* XIX. Sutorem quemdam habuit Epaphroditus, quem vt nullius vsus aut frugis vendidit. At istum, bono suo dæmone, Cæsarianus aliquis emit, & Cæsaris sutor est factus. Vidisses statim, vt eum coluerit Epaphroditus. Quid agit optimus Felicio? Amo te. Deinde siquis nostrùm interrogaretur, Quid agit Epaphroditus? dicebatur, cum Felicione super re quapiam deliberare.

19. CALLISTI DOMINVM.] *Hic præpotens libertus Claudianus fuit, & è Tacito, Suetonio, Dione notus.*

20. IMPEGERAT TITVLVM.] *Vænales serui cum titulo ad pectus, qui, qualesq; essent: ex Aedilicio edicto. Dicit autem* Impactum titulum, *quasi per contemptum, & notis fortasse insignem. Nam addit, inter* reiicula mancipia *productum: vt prauum, & titulo non allaudante.*

21. REIICVLA MANCIPIA.] *Probamus: & libri tamen* ridicula *constanter scribunt. Nec malè, quia risu & iocis excipi solent, ab ipsis etiam præconibus: vt in Apuleij* VIII. *disces.*

22. IN PRIMAM DECVRIAM.] *Plures vnà vænales: & videntur serie, ac per decurias (quidam libri* curias *vellent) producti. Vltimi autem, optimi reseruati; vilissimi in primo agmine expositi. Martialis idem ostendit, sed & tasulis aut cellis à mangone distinctos. lib.* IX.

Inspexit molles pueros, oculisq; comedit,
Non hos, quos primæ prostituere casæ,
Sed quos arcanæ seruant tabulata catastæ:
Et quos non populus, nec mea turba videt.

23. VOCEM PRÆCO EXPERITVR.] *Identidem clamando, nec emptorem reperiendo. Quod Apuleius sibi euenisse, reiiculo item & subcisiuo, memorat lib.* VIII. Tunc præco diruptis faucibus, & raucâ voce saucius, in meas fortunas ridiculos construebat iocos.

24. APOLOGAVIT.] *Displicet Henrico Stephano, & vellet,* ablegauit. *At libri omnes ingerunt: & quidam explicant* conuicio affecit, *vel* notauit. *Ego putem vulgi verbum, sed Græcanici fontis esse,* ἀπολέγειν: *quod valet illis,* reiicere, repudiare. *Ipsa vox retenta, sed aliter paullò flexa. Ita dixerunt* Catamidiare, Aporiari, *& id genus alia.*

25. DOMINO QVAM MVLTA.] *Ipsi domino aliquid à Cæsare petenti Callistus impetrauit, sed non sine pretio aut dono. Non displiceret etiam,* domini quàm multa: *vt notet vniuersè potentiam Callisti, & fecordiam Claudij, sub quo mancipia ista omnia pro arbitrio ferebant, agebant.*

26. EX IISDEM SEMINIBVS.] *Ipsa hæc Epictetus* 1. *Dissert.* XIII. Non recordaberis, qui sis, & quibus imperes? nónne cognatis? nónne naturâ fratribus? nónne à Ioue oriundis?

seruum. [27] Marianâ clade quàm multos splendidissimè natos, [28] senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depressit? alium ex illis [29] pastorem, alium custodem casæ fecit. Contemne nunc eius fortunæ hominem, in quam transire, dum contemnis, potes. Nolo in ingentem me locum immittere, & de vsu seruorum disputare, in quos superbissimi, crudelissimi, & contumeliosissimi sumus. Hæc tamen præcepti mei summa est: Sic cum inferiore viuas, quemadmodum tecum superiorem velles viuere. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in seruum liceat: veniat in mentem, tantumdem in te domino tuo licere. At ego, inquis, nullum habeo dominum. [30] Bona ætas est. forsitan habebis. nescis quâ ætate Hecuba seruire cœperit, quâ Crœsus, quâ Darij mater, [31] quâ Plato, quâ Diogenes? Viue cum seruo clementer. [32] comiter quoque & in sermonem admitte, & in consilium, & in conuictum. Hoc loco acclamabit mihi tota manus delicatorum: Nihil hac re humilius, nihil turpius. Hos ego eosdem deprehendam, alienorum seruorum [33] osculantes manum. Ne illud quidem videtis, quàm omnem inuidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam seruis detraxerint? Dominum, [34] patrem familiæ appellauerunt: seruos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares. Instituerunt diem festum, [35] quo non solùm cum seruis domini vescerentur, sed quo vtique honores illis in domo gerere, [36] ius dicere permiserunt, & domum pusillam rempublicam esse iudicauerunt. Quid ergo? omnes seruos admouebo mensæ meæ? non magis quàm omnes liberos. Erras, si existimas me quosdam quasi sordidioris operæ reiecturum, vt puta illum mulionem, & illum bubulcum: non ministeriis illos æstimabo, sed moribus. Sibi quisque dat mores: ministeria casus assignat. Quidam cænent tecum, quia digni sunt; quidam, vt sint. Si quid enim in illis ex sordidâ conuersatione seruile est, honestiorum conuictus excutiet. Non est, mi Lucili, quòd amicum tantùm in foro & in curiâ quæras: si diligenter attenderis, & domi inuenies. Sæpè bona materia cessat sine artifice. tenta, & experire. Quemadmodum stultus est, qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum eius ac frænos: sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex condicione, quæ vestis modo nobis circumdata est, æstimat. Seruus est? sed fortasse liber animo. Seruus est? hoc illi nocebit? ostende quis non sit. Alius libidini seruit, alius auaritiæ, alius ambitioni; omnes timori. Dabo consularem, [37] aniculæ seruien-

27. MARIANA CLADE.] *Liquet mihi legendum*, Varianâ. *Nam neque Marius tulit cladem à barbaris, sed dedit. Nec ad ipsos Germanos referre potes, factos ab eo seruos: nam addit* Senatorium gradum auspicatos, *quod certè Romanorum est; non Germanorum. Cape igitur de Quinctilij Vari clade, cum tribus legionibus ab Arminio cæsi: atque in eâ multi honesti aut nobiles facti serui.*

28. SENATORIVM PER MILITIAM.] *Dixi in Militiâ lib.* II. *cap.* IX. *Tribunos Laticlauios fuisse, & primum hunc velut aditum in curiam. Adde Epicteti locum lib.* III. *Dissert.* XXVI. Si militauero, inquit, liberabor malis omnibus. Militat igitur, fert ea quæ seruus aliquis verbero: ac nihilo seciùs alteram tertiamq; militiam postulat. Deinde cùm ipsum Colophonem imposuerit, & factus fuerit Ordinis Senatorij, tunc incipit seruus esse: cùm in curiam ingreditur, pulcherrimam seruitutem seruit. *Disce tres militias sic militasse, id est ter Tribunos, siue per tres annos an semestria fuisse, & tum Senatores habitos, ex instituto Augusti.*

29. PASTOREM.] *Quis enim alius seruorum vsus inter barbaros? & de iis agit: spectatq; eòdem de casâ, quod adiungit. Non enim Palatia illic, nec mediastinis opus, aut atrientibus.*

30. BONA ÆTAS EST.] *Iuuentus: vt Mala ætas, Senectus.*

31. QVA PLATO.] *Quem Dionysius, libertate eius offensus, Polidi Lacedæmonio vendendum tradidit. quod fecit, & adductum in Aeginam, Anniceri Cyrenaico viginti minis vendidit: qui illicò tamen Athenas ad amicos liberum eum remisit.*

32. COMITER QVOQVE.] *Quidam libri*, inter quoque.

33. OSCVLANTES MANVM.] *Quod ipsum seruorum erga dominos erat. Videsis me* II. *Elect. cap.* VI.

34. PATREMFAMILIÆ.] *Tertullianus:* Gratius est nomen pietatis, quàm potestatis: etiam familiæ magis patres, quàm domini vocantur.

35. QVO NON SOLVM.] *Quidam libri*, non quo solo: *& ita sententia melior. Nam & aliàs cænabant cum Dominis; sed tunc de more, & ipsi velut Domini. Vide Saturnalia nostra* I. *cap.* II.

36. IVS DICERE.] *Quod etiam aliàs inter ipsos vsurpabant. Certè Plutarchus de Catone Censorio scribit:* Serui siqui capitalem fraudem admisisse videbantur, de iis, si in iudicio conseruorum capitis damnati fuissent, supplicium sumebat.

37. ANICVLÆ SERVIENTEM.] *Quam captat, & heredipeta est.*

38. ANCIL-

A uientem; dabo [38] ancillulæ diuitem: ostendam nobilissimos iuuenes [39] mancipia Pantomimorum. Nulla seruitus turpior est, quàm voluntaria. Quare non est quòd fastidiosi te deterreant, quò minùs seruis tuis hilarem te præstes, & non superbè superiorem. [40] Colant potiùs te, quàm timeant. Dicet nunc aliquis, me vocare [41] ad pileum seruos, & dominos de fastigio suo deiicere: quod dixi, colant potiùs dominum, quàm timeant. Ita ne, inquit, prorsus colant tamquam clientes, tamquam salutatores? Hoc qui dixerit, obliuiscetur, id dominis parum esse, quod Deo satis est, qui colitur & amatur. Non potest amor cum timore misceri. Rectissimè ergo te facere iudico, quòd timeri à seruis tuis non vis, quòd verborum castigatione vteris. Verberibus [42] multa admonentur. non quidquid nos offendit, & lædit. Sed ad rabiem cogunt venire deliciæ, vt quidquid non ex voluntate respondit, iram prouocet. [43] Regum nobis induimus animos. nam illi quoque obliti & virium suarum, & imbecillitatis alienæ, sic excandescunt, sic sæuiunt, quasi iniuriam acceperint: à cuius rei periculo illos fortunæ suæ magnitudo tu-
B tissimos præstat. Nec hoc ignorant, sed occasionem nocendi [44] captant, querendo. acceperunt iniuriam, vt facerent. Diutiùs te morari nolo. non est enim tibi exhortatione opus. Hoc habent inter cetera boni mores: placent sibi, & permanent. leuis est malitia, sæpè mutatur: non in melius, sed in aliud.

EPIST. XLVIII.

AMICIS *eadem expedire, & alterum alteri vtilem esse. Tum contra captiunculas, & spinosas ineptias. Quid facitis? quid luditis? de vitâ agitur: succurre, & forma. De fortunâ: contra eam da arma.*

C AD epistolam quam mihi ex itinere misisti, tam longam, quàm ipsum iter fuit, posteà rescribam. Seducere me debeo, & quid suadeam, circumspicere. Nam tu quoque qui consulis, diu an consuleres cogitasti: quanto magis hoc mihi faciendum est, cùm longiore morâ opus sit, vt soluas quæstionem, quàm vt proponas? Vtique cùm [1] aliud tibi expediat, aliud mihi: iterùm ego [2] tamquam Epicurus loquor. Mihi verò idem expedit, quod tibi: aut non sum amicus, nisi quidquid agitur [3] ad te pertinens, meum est. Consortium rerum omnium inter nos facit amicitia: nec secundi quidquam singulis est, nec aduersi. [4] in commune viuitur. Nec potest quisquam beatè degere, qui se tantùm intuetur, qui omnia ad vtilitates suas conuertit: alteri viuas oportet, si vis tibi viuere. Hæc societas diligenter & sanctè obseruanda est, quæ nos omnes omnibus miscet, & iudicat aliquod esse commune ius generis humani. plurimùm ad illam quoque (de quâ loquebar) interiorem societatem amicitiæ colendam proficit. Omnia enim cum amico

38. ANCILLVLÆ DIVITEM.] *Amore eius*
D *corruptum.*

39. MANCIPIA PANTOMIMORVM.] *Vide Quæst. Nat. VII. cap. vlt.*

40. COLANT POTIVS TE.] *Poëta vetus dixit:* Malo vereri, quàm timeri me à meis.

41. AD PILEVM.] *Ad libertatem.*

42. MVLTA ADMONENTVR.] *Puto*, muta: *& quæ sermonis vsum sensumq; non habent.*

43. REGVM NOBIS INDVIMVS.] *De Irâ II. cap. XXXI.* Regis quisque intra se habet animum, vt licentiam sibi dari in alterum velit, in se nolit. *Musonius*: Τί προβαλλόμεθα τυράννους, μακρῷ χείρονες ἀυτῶν καθεζῶτες; τὰς δὲ ὁμοίας ἀυτοῖς ἔχομεν ὁρμὰς, ἐν ταῖς ἀχ' ὁμοίαις τύχαις: Cur tyrannos abiicimus & damnamus, ipsi longè iis deteriores? nam impetus affectusque eosdem habemus, etsi in dissimili fortunâ.

44. CAPTANT, QVERENDO.] *Querelas struunt iaciuntq;, vt læsi: atque hoc ideò, vt lædant.*

EPIST. XLVIII. 1. ALIVD TIBI EXPEDIAT.] *Videtur de mansione in prouinciâ fuisse consultatio: at Seneca maluisset redire, & adesse.*

2. TAMQVAM EPICVRVS.] *Pro eius sensu & dogmate. qui vtilitatibus amicitias metitur: atque ea aly aliæ. Adi epist. IX.*

3. AD TE PERTINENS.] *Quidam scripti*, à te, protinus.

4. IN COMMVNE VIVITVR.] *Quod pulchrè ita Aristoteles*, interrogatus Quid esset Amicus? μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα: Vna anima duobus corporibus inhabitans.

amico communia habebit, qui multa cum homine. Hoc, Lucili virorum optime, mihi A
ab istis subtilibus præcipi malo, quid amico præstare debeam, quid homini, quàm quot
modis Amicus dicatur, & Homo quàm multa significet. In diuersum ecce sapientia &
stultitia discedunt. cui accedo? in vtram ire partem iubes? [5] Illi homo pro amico est,
[6] huic amicus non est pro homine: ille amicum sibi parat, hic se amico. Tu mihi verba
distorques, & syllabas digeris. Scilicet nisi interrogationes vaferrimas struxero, & con-
clusione falsâ à vero nascens mendacium adstrinxero, non potero à fugiendis petenda
secernere. Pudet me. in re tam seriâ senes ludimus. Mus syllaba est: mus autem caseum
rodit: syllaba ergo caseum rodit. Puta nunc me istud non posse soluere: quod mihi [7] ex
istâ sententiâ periculum imminet? quod incommodum? Sine dubio verendum est, ne
quando in muscipulâ syllabas capiam, aut ne quando si negligentior fuero, caseum liber
comedat. Nisi fortè acutior est illa collectio: Mus syllaba est: syllaba autem caseum
non rodit: mus ergo caseum non rodit. O pueriles ineptias! in hoc supercilia subduxi-
mus? in hoc barbam demisimus? hoc est quod tristes docemus & pallidi? Vis scire, quid B
philosophia promittat generi humano? consilium. Alium mors vocat, alium paupertas
vrit, alium diuitiæ [8] vel alienæ torquent, [9] vel suæ: ille malam fortunam horret, hic se
felicitati suæ [10] subducere cupit: hunc [11] homines malè habent, [12] illum dij. Quid
mihi [13] lusoria ista proponis? non est iocandi locus. ad miseros aduocatus es. Opem te
laturum naufragis, captis, ægris, egentibus, intentæ securi subiectum præstantibus ca-
put, pollicitus es: quò diuerteris? quid agis? hic cum quo ludis, timet. [14] Succurre, quis-
quis eloquentior es, pereuntium pœnis. Omnes vndique ad te manus tendunt, perditæ
vitæ, perituræque auxilium aliquod implorant, in te [15] spes opesque sunt. Rogant vt ex
tantâ illos volutatione extrahas, vt disiectis & errantibus clarum [16] veritatis lumen
ostendas. Dic quid natura necessarium fecerit, quid superuacuum, quàm faciles leges
posuerit; quàm iucunda sit vita, quàm expedita, illas sequentibus; quàm acerba & im-
plicita eorum, qui opinioni plus quàm naturæ crediderunt. Quid istorum cupiditates
demit? quid temperat? Vtinam tantùm non prodessent! nocent. Hoc tibi, cùm voles, C
manifestissimũ faciam, & comminui & debilitari generosam indolem, in istas argutias
coniectam. Pudet dicere contra fortunam militaturis, quæ porrigãt tela, quemadmodum
illos subornent. Hac ad summum bonum itur? per istud philosophiæ sunt nigræ, &
turpes, infamesque etiam [17] ad album sedentibus, exceptiones. Quid enim aliud agitis,
cùm eum quem interrogatis, scientes in fraudem inducitis, quàm vt [18] formulâ cecidisse
videatur? Sed quemadmodum illum prætor, sic hos philosophia in integrum restituit.
Quid disceditis ab ingentibus promissis, & grandia locuti, affecturos vos, vt non magis
auri

5. ILLI HOMO.] *Stoico illi.*

6. HVIC AMICVS.] *Epicuréo. qui nec ius aliquod commune se habere censet, sed ad se vnum omnia refert.*

7. EX ISTA SENTENTIA.] *Meus liber*, scientiâ. *Putarem*, inscientiâ.

8. VEL ALIENÆ TORQVENT.] *Inuidiâ.*

9. VEL SVÆ.] *Quas non disponit benè, aut dispensat. Item torquent, metu amittendi.*

10. SVBDVCERE CVPIT.] *Ferendæ impar.*

11. HOMINES MALE HABENT.] *Irascitur iis, vt læsus.*

12. ILLVM DII.] *Qui cælestes incusat.*

13. LVSORIA ISTA.] *Arma batuentium.*

14. SVCCVRRE, QVISQVIS ELOQVENTIOR.] *Fide Erasmi, ex vno codice recepta lectio: sed nec ipsi proba. Scripti valdè abeunt: è quibus noster & plures:* succurrere. Quidquid laqueati respondent in pœnis. *Quidam*, succurre. quid est quod laqueati. *Concinnabam ego*: hic cum quo ludis, timet. succurre. Quidquid illaqueatorum pendet in pœnis, omnes vndique ad te manus tendunt. *Ecce, tu laqueos verborum iocosè nectis: at isti miseri verè illaqueati pendent in suis quisque pœnis. hi omnes te spectant auxiliarem, & liberatorem.* D

15. SPES OPESQVE SVNT.] *Sallustianum est, de Mario:* Spes atque opes ciuitatis in illo sitæ.

16. VERITATIS LVMEN.] *Hoc promittunt philosophi, & præstant. Lucretius:*

——quique per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantisq; tenebris,
In tam tranquillo, & tam clarâ luce locarunt.

Vtramque imaginem ibi habes, & Volutationis, & Luminis.

17. AD ALBVM SEDENTIBVS.] *Leguleijs. circa album Prætoris, & formulas occupatis.*

18. FORMVLA CECIDISSE.] *Quod fit, cùm actio aliter, apud alium, alio tempore, quàm oportuit præscriptumq; est, instituitur. Iurisconsulti ista: & nos aliquid De Clem. II. cap. III.*

19. OMNES

A auri fulgor, quàm gladij perſtringat oculos meos, vt ingenti conſtantiâ, & quod [19] omnes optant, & quod [20] omnes timent, calcem, ad Grammaticorum elementa deſcenditis? Quid dicitis? ſic itur ad aſtra? hoc enim eſt quod philoſophia mihi promittit, vt me parem Deo faciat: ad hoc inuitatus ſum, ad hoc veni. fidem præſta. Quantum potes ergo, mi Lucili, reduc te ab iſtis exceptionibus [21] & præſcriptionibus philoſophorum. Aperta decent & ſimplicia bonitatem. Etiam ſi multum ſupereſſet ætatis, parcè iam diſpenſandum erat, vt ſufficeret neceſſariis: nunc quæ dementia eſt, ſuperuacua diſcere in tantâ temporis egeſtate?

EPIST. XLIX.

B *POMPEIORVM adſpectu, memoriam ſibi Lucilij renouatam. De breuitate & curſu Temporis: nihil longum aut vetus in eo eſſe. Obiter contra Dialecticos: & totum id genus proſpiciendos tantùm.*

EST quidem, mi Lucili, ſupinus & negligens, qui in amici memoriam ab aliquâ regione admonitus reducitur: tamen repoſitum in animo noſtro deſiderium loca interdum familiaria euocant, nec exſtinctam memoriam reddunt, ſed quieſcentem irritant. ſicut dolorem lugentium, etiam ſi mitigatus eſt tempore, aut ſeruuli [1] familiaris admiſſio, aut veſtis, aut domus renouat. Ecce Campania, & maximè Neapolis, ad [2] Pompeiorum tuorum conſpectum, incredibile eſt, quàm recens deſiderium tui fecerit. Totus mihi in oculis es, cùm maximè à te diſcedo: video lacrimas combibentem, & affectibus tuis inter ipſam coërcitionem exeuntibus non ſatis reſiſtentem. [3] modò amiſiſſe te videor. Quid enim non modò eſt, ſi recorderis? Modò [4] apud Sotionem philoſophum puer ſedi, modò cauſſas agere cœpi, modò deſij velle agere, modò deſij poſſe.
C Infinita eſt velocitas temporis, quæ magis apparet reſpicientibus. Nam ad præſentia intentos fallit: adeò præcipitis fugæ tranſitus leuis eſt. Cauſſam huius rei quæris? quidquid temporis tranſiit, eodem loco eſt: pariter aſpicitur, vnà iacet: omnia inde in profundum cadunt. & alioquin non poſſunt longa interualla eſſe in eâ re, quæ tota breuis eſt. Punctum eſt quod viuimus, & adhuc puncto minus: ſed hoc minimum ſpecie quadam longioris ſpatij natura diuiſit. Aliud ex hoc infantiam fecit, aliud pueritiam, aliud adoleſcentiam, aliud inclinationem quamdam ab adoleſcentiâ ad ſenectutem, aliud ipſam ſenectutem. In quàm anguſto, quot gradus poſuit? Modò te proſecutus ſum: & tamen hoc modò, ætatis noſtræ bona portio eſt: cuius breuitatem [5] aliquando futuram cogitemus. Non ſolebat mihi tam velox tempus videri. nunc incredibilis curſus appareret: ſiue quia [6] admoueri lineas ſentio, ſiue quia attendere cœpi & computare damnum meum.

D 19. OMNES OPTANT.] *Bona externa.*

20. OMNES TIMENT.] *Mala eadem.*

21. ET PRÆSCRIPTIONIBVS.] *Ita & exceptiones dicuntur, quibus reus agentem repellit. Talia autem in Sophiſmatis, & ſcita quædam legesq;, ad reiiciendum & ſoluendum.*

EPIST. XLIX. 1. FAMILIARIS ADMISSIO.] *Qui illius ſcilicet fuit, quem luges. Eo admiſſo & viſo, recrudeſcit dolor. Alij tamen libri,* admonitio.

2. POMPEIORVM TVORVM.] *Villam, opinor, in Pompeiano habebat. Vide initio epiſt.* LXX.

3. MODÒ AMISISSE TE.] *Ex eo loco in Siciliam euntem, Senecâ proſequente. Ita enim infrà:* Modò te proſecutus ſum.

4. APVD SOTIONEM.] *Aliquoties* Sotion *quidam citatur* De ſucceſſione philoſophorum, *à Laërtio, Græcè* Σωτίων: *non iſte, opinor. Citatur & Agellio, lib.* I. *cap.* VIII. è Peripateticâ diſciplinâ: *etſi malè ibi libri quidam* Phocion. *Sed noſter iſte magis Pythagoricus fuiſſe videtur, ex epiſtolâ* CVIII. *De quo etiam Euſebius Chronico, extremis Auguſti annis:* Sotio philoſophus Alexandrinus, præceptor Senecæ, clarus habetur.

5. ALIQVANDO FVTVRAM.] *In ſenio, & ſub exitum.*

6. ADMOVERI LINEAS.] *Vt in ſtadio, vbi curritur ad lineam, & iam tangimus. Duplex enim ibi linea, & à quâ, & ad quam currebant:* κανόνα *aut* γραμμὴν *Græci dixerunt. Varij meminerunt: & Euripides alluſit Antigonâ:*

——ἐσ' ἀκρὰν ἥκομεν γραμμὴν κακῶν:

Deuenimus ſummam ad malorum lineam.

Iterúmque

meum. Eò magis vtique indignor, aliquos ex hoc tempore(quod sufficere nec ad necessaria quidem potest, etiam si custoditum diligentissimè fuerit) in superuacua maiorem partem erogare. Negat Cicero, si duplicetur sibi ætas, habiturum se tempus quo legat Lyricos, eodem modo Dialecticos. Tristiùs inepti sunt. illi ex professo lasciuiunt: hi agere seipsos aliquid existimant. Nec ego nego prospicienda ista: sed prospicienda tantùm, & à limine salutanda, in hoc vnum, ne verba nobis dentur, & aliquid esse in illis magni ac secreti boni iudicemus. Quid te torques & maceras in eâ quæstione, quam subtilius est contempsisse, quàm soluere? Securi est, & ex commodo migrantis, minuta conquirere. Cùm hostis instat à tergo, & [7] mouere iussus est miles, excutit necessitas [8] quidquid pax otiosa collegerat. Non vacat mihi verba dubiè cadentia consectari, & vafritiam in illis meam experiri. A

Adspice qui coëant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis.

Magno mihi animo strepitus iste belli circumsonantis exaudiendus est. Demens omnibus meritò viderer, si cùm saxa in munimentum murorum senes fæminæque congererent; cùm iuuentus intra portas armata signum eruptionis exspectaret, aut poscceret; cùm hostilia in portis tela vibrarent, & ipsum solum suffossionibus & cuniculis tremeret; sederem otiosus, & eiusmodi quæstiunculas ponens: Quod non perdidisti, habes: cornua autem non perdidisti: cornua ergo habes: aliaque ad exemplum huius acutæ deliratiocinnata. Atqui æquè licet demens tibi videar, si istis impendero operam. & nunc obsideor. Tunc tamen periculum mihi obsesso externum immineret, murus me ab hoste secerneret: nunc mortifera mecum sunt. Non vaco ad istas ineptias. ingens negotium in manibus est. Quid agam? mors me sequitur, fugit vita: aduersus hæc me doce aliquid. effice ne ego mortem fugiam, vita [9] me non effugiat. Exhortare aduersus difficilia, de æquanimitate: aduersus ineuitabilia, angustias temporis mei laxa: doce non esse positum bonum vitæ in spatio eius, sed in vsu: posse fieri, imò sæpè fieri, vt qui diu vixit, parùm vixerit. Dic mihi dormituro, Potes non expergisci: dic experrecto, Potes non dormire ampliùs. Dic exeunti, Potes non reuerti: dic redeunti, Potes non exire. Erras, si in nauigatione tantùm existimas minimum esse, quo à morte vita diducitur: in omni loco æquè tenue interuallum est. Non vbique se mors tam propè ostendit: vbique tam propè est. Has tenebras discute: & faciliùs ea trades, ad quæ præparatus sum. Dociles natura nos edidit, & rationem dedit imperfectam, sed quæ perfici posset. De iustitiâ mihi, de pietate disputa, de frugalitate, de pudicitiâ vtrâque, & illâ cui alieni corporis abstinentia est, & hac cui sui cura. Si me nolueris per deuia ducere, faciliùs ad id quò tendo, perueniam. Nam (vt ille [11] ait Tragicus) *Veritatis simplex oratio est.* Ideoque illam implicare non oportet. nec enim quidquam minùs conuenit, quàm subdola ista calliditas, animis conantibus magna. B C

Iterúmque in Electrâ:

Μή μοι, τὸ πρῶτον βῆμ' ἐὰν ἁρά μὴ καλῶς,
Νικᾷν δ' ὀκείτω τὴν δίκην, πρὶν ἂν πέλας
Γραμμῆς ἵκηται, κἀτέλος κάμψῃ βίου.

Ne mihi, licet primum cucurrerit benè
Cursum, æstimetur victor, antè lineam
Quàm tangat, atque compleat vitæ modum.

Sed & Pindarus in Pythiis, γραμμὴν vocat, quod anteà τέρμα. Hoc ipso adspectu Horatius:

—— mors vltima linea rerum est.

Aly (vt Muretus) ad ludum calculorum referunt, vbi lineæ, & vltimam ἱερὰν siue Sacram volunt dictam. Eò cùm alter calculos promouerat, ludus finiebatur. Fuerunt & in Circo lineæ: sed ad illas Stadiales mihi verius referri. Quod autem est, Admoueri lineas: *tale epist.* XXVI. Decrepitos, & extrema tangentes. *Etiam in Valerio, lib.* I. *cap.* VII. Propioribus lineis admoueri. D

7. MOVERE IVSSVS.] *Quidam libri*, induere: *quod de armis capias.*

8. QVIDQVID PAX.] *Spolia & sarcinulas.*

9. ME NON EFFVGIAT.] *Si tempus aliud aut malè agens perdo, effugit vita: si benè & vtiliter pono, nihil mihi perit.*

10. MINIMVM ESSE.] *Tabulam vnam;*

—— digitis à morte remotam
Quattuor.

11. AIT TRAGICVS.] *Euripides in Phœnissis:*

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ:

Est veritati sermo simplex condecens.

EPIST.

A

EPIST. L.

CAECOS *nos in vitiis esse, aut velamenta iis quærere. Agnoscenda autem, & remedia quærenda. Vnde alioqui animi sanitas? quæ etiam contingere vel inueteratis vitiis potest: quia ille facilis est flecti, & Natura ad bonum volat.*

EPISTOLAM tuam accepi post multos menses, quàm miseras. superuacuum itaq. putaui, ab eo qui afferebat, quid ageres, quærere. Valdè enim bonæ memoriæ est, si meminit: & tamen spero te sic iam viuere, vt vbicumque eris, sciam quid agas. Quid enim aliud agas, quàm vt meliorem te ipse quotidie facias, vt aliquid ex erroribus ponas, vt intelligas tua vitia esse, quæ putas rerum? Quædam enim locis & temporibus adscribimus: at illa, quocumque transierimus, secutura sunt. [1] Harpasten, vxoris meæ fatuam, scis [2] hereditarium onus in domo meâ remansisse. Ipse enim auersissimus ab
B istis prodigiis sum. siquando fatuo delectari volo, non est mihi longè quærendus: me rideo. Hæc fatua subitò desiit videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram. nescit esse se cæcam: subinde pædagogum suum rogat, vt migret: ait domum tenebrosam esse. Hoc quod in illâ ridemus, omnibus nobis accidere, liqueat tibi. nemo se auarum esse intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt: nos sine duce erramus, & dicimus: Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest viuere. Non ego sumptuosus sum, sed vrbs ipsa magnas impensas exigit. Non est meum vitium quòd iracundus sum, quòd nondum constitui certum genus vitæ: adolescentia hæc facit. Quid nos decipimus? non est extrinsecus malum nostrum: intra nos est, in visceribus ipsis sedet. Et ideò difficulter ad sanitatem peruenimus, quia nos [3] ægrotare nescimus. Si curari cœperimus, quando tot morbos, tantásve ægritudines discutiemus? Nunc verò
C ne quærimus quidem medicum: qui minus negotij haberet, si adhiberetur ad recens vitium. sequerentur teneri & rudes animi, recta monstrantem. nemo difficulter ad naturam reducitur, nisi qui ab illâ defecit. Erubescimus discere bonam mentem. at mehercules, turpe est magistrum [4] huius rei quærere. Illud desperandum est, posse nobis casu tantum bonum influere: laborandum est: &, vt verum dicam, ne labor quidem magnus est: si modò, vt dixi, antè animum nostrum formare incipimus, & recorrigere, quàm indurescat prauitas eius. Sed nec indurata despero. Nihil est quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura. Robora in rectum, quamuis flexa, reuocabis: curuatas trabes [5] calor explicat; & aliter natæ, in id finguntur, quod vsus noster exigit: quanto faciliùs animus accipit formam, flexibilis, & [6] omni humore obsequentior? [7] quid enim aliud est animus, quàm [8] quodammodo se habens spiritus? vides autem tanto spiritum esse faciliorem omni aliâ materiâ, quanto tenuior est. Illud, mi Lucili, non est quòd te impediat, quò minùs de nobis benè speres, quòd malitia iam nos tenet, quòd diu in possessione nostri est. Ad neminem antè bona mens venit, quàm mala. omnes præoccupati sumus, virtutes discere, vitia dediscere: sed eò maiore animo ad
D emendationem nostri debemus accedere, quòd semel traditi boni perpetua possessio est.

[9] Non

EPIST. I. 1. HARPASTEN.] *Est ἁρπαστὴ, benè ominatum nomen: quasi bellula futura, & rapienda ab omnibus. vt ἁρπαστὸν, pilæ genus, eâ re dixerunt.*

2. HEREDITARIVM ONVS.] *Hereditate, cum reliquis famulis, transmissam.*

3. ÆGROTARE NESCIMVS.] *Pythagoras apud Stobæum:* Ὥσπερ σωματικὸν πάθος ὁ κρυπτόμενον, ὁδὲ ἐπαινέμενον, ὑγιάζεται, ἕτως ὁδὲ ψυχὴ κακῶς φρεσμένη ἢ συναγορευομένη θεραπεύεται: Sicut corporis morbus abscóditus, aut laudatus, nõ sanatur; sic nec anima, cui malè patrocineris aut defendas.

4. HVIVS REI QVÆRERE.] *Negatio excidit, atque ex sententiâ repono:* huius rei non quærere. *Pudet discere: pudere debebat non discere.* Nemo enim *(ait epist.* LII.*)* per se satis valet, vt emergat: oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat. *Doctrinâ enim quæritur Virtus: illa sine magistro non est. Stoicum dogma: de quo nos Manud.* II. *Disser.* X.

5. CALOR EXPLICAT.] *Ligno scisso, & ponderibus aliorsum ducto, subditus. Vascularij & nautæ cottidie faciunt.*

6. OMNI HVMORE.] *Non trabe aut robore tantùm, sed aëre, aut aquâ, quibus nil flexibilius.*

7. QVID ENIM ALIVD.] *Quia de* humore *præmisit: ecce ipse Animus, inquit, est Aër: & ergo ductilis.*

8. QVODAMMODO SE HABENS.] *Spiritus nempe talis: & vt Stoici,* πνεῦμα θερμόν, calidus spiritus. *Vide me Physiol.* III. *Dissert.* IX.

9. NON

[9] Non dediſcitur virtus. Contraria enim mala in alieno hærent: ideò expelli & exturbari A
poſſunt: fideliter ſedent, quæ in locum ſuum veniunt. [10] Virtus ſecundùm naturam eſt: vitia inimica & infeſta ſunt. Sed quemadmodum virtutes receptæ exire non poſſunt, facilisque earum tutela eſt: ita initium ad illas eundi arduum. quia hoc primum imbecillæ mentis atque ægræ eſt, formidare inexperta. Itaque cogenda eſt mens, vt incipiat. Deinde non eſt acerba medicina: protinus enim delectat, dum ſanat. Aliorum remediorum poſt ſanitatem voluptas eſt: philoſophia pariter & ſalutaris & dulcis eſt.

EPIST. LI.

De Ætnâ aliquid, vberiùs de Baïjs: & hac occaſione, in molles & luxui deditos. Hunc pellendum, & militandum eſſe: in quos? in voluptatem, in dolorem, alia. Hoc agentem, bonum in locis ſeriis ſanctisque agere; vitare laſciua, aut peramœna. B

QVOMODO quiſque poteſt, mi Lucili: tu iſtîc habes Ætnam, illum nobiliſſimum Siciliæ montem: quem quare dixerit Meſſalla vnicum, ſiue Valgius (apud vtrumque enim legi) non reperio. cùm plurima loca euomant ignem, non tantùm edita, quod crebriùs euenit, videlicet quia ignis in altiſſimum effertur, ſed etiam iacentia. Nos vtcumque poſſumus, contenti ſumus Baiis: quas poſtero die, quàm attigeram, reliqui. locum ob hoc deuitandum, cùm habeat quaſdam naturales dotes, quia ſibi illum celebrandum luxuria deſumpſit. Quid ergo? vlli loco indicendum eſt odium? minimè. ſed quemadmodum aliqua veſtis ſapienti ac probo viro magis conuenit quàm alia, nec vllum colorem ille odit, ſed aliquem putat parùm aptum eſſe frugalitatem profeſſo: ſic regio quoque eſt, quam ſapiens vir, aut ad ſapientiam tendens, declinet, tamquam alienam bonis moribus. Itaque de ſeceſſu cogitans, numquam [1] Canopum eliget, quamuis neminem Canopus eſſe frugi vetet. Ne Baias quidem. diuerſorium vitiorum eſſe cœpe- C
runt. Illîc ſibi plurimum luxuria permittit: illîc tamquam aliqua licentia debeatur loco, magis ſoluitur. Non tantùm corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere debemus. Quemadmodum inter tortores habitare nolim, ſic nec inter popinas quidem. Videre ebrios per littora errantes, & comeſſationes nauigantium, & ſymphoniarum cantibus perſtrepentes lacus, & alia quæ velut ſoluta legibus luxuria, non tantùm peccat, ſed publicat, quid neceſſe eſt? Id agere debemus, vt irritamenta vitiorum quàm longiſſimè profugiamus. Indurandus eſt animus, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendus. [2] Vna Hannibalem hiberna ſoluerunt: & indomitum illum niuibus atque Alpibus virum eneruauerunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus eſt. [3] Nobis quoque militandum eſt: & quidem genere militiæ, quo numquam quies, numquam otium datur. Debellandæ ſunt in primis voluptates: quæ ([4] vt vides) ſæua quoque ad ſe ingenia rapuerunt. Si quis ſibi propoſuerit, quantum operis aggreſſus ſit, ſciet nihil delicatè, nihil molliter eſſe faciendum. Quid mihi cum iſtis calentibus ſtagnis? D
[5] quid

9. NON DEDISCITVR.] *Stoicum eſt, Sapientem ſummè & ſemper beatum eſſe. Stabile illud Bonum non vi, non caſu excuti, aut minui: ſed nec creſcere. Videſis* III. *Manuduct. Diſſert.* III.

10. VIRTVS SECVNDVM NATVRAM.] *Vide iterùm Manuduct.* II. *Diſſert.* X.

EPIST. LI. 1. CANOPVM.] *Duodecim milliaribus ab Alexandriâ diſtantem*, impendio locum fanis, & LÆTIS DIVERSORIIS exſtructum, *vt Ammianus loquitur. Sed & aëris ibi mira temperies & ſalubritas: Serapidis etiam celebre fanum. Ab his cauſsis delicati, religionis etiam ſpecie, celebrabant. & vt Strabo ait*, ſuper omnia memorabilis eſt turba eorum, qui ad feſtiuos illic dies, per foſſam, Alexandriâ nauigant. Quæ foſſa diebus ac noctibus nauicularum plena eſt, viros pariter ac mulieres vectantium, qui cantant ac tripudiant, cum extremâ laſciuiâ atque impudentiâ. *Eſt & in prouerbio* Canopéa luxuria: *neque iniuriâ inter infames Seneca habet.*

2. VNA HANNIBALEM.] *Sic legendum. Sola vna hiberna: adeò periculoſum tale contubernium.*

3. NOBIS QVOQVE MILITANDVM.] *Epictetus* III. *Diſſertat.* XXIV. Στρατεία τίς ἐστιν ὁ βίος ἑκάστου, καὶ αὕτη μακρὰ καὶ ποικίλη: Militia eſt vita cuiuſque, atque ea longa ac varia.

4. VT VIDES.] *In Annibale, iam dicto.*

5. QVID

A [5] quid cum ſudatoriis, in quæ ſiccus vapor [6] corpora exhauſturus includitur? Omnis ſudor per laborem exeat. Si faceremus, quod fecit Hannibal, vt interrupto curſu rerum, omiſſoque bello, fouendis corporibus operam daremus: nemo non intempeſtiuam deſidiam, victori quoque, nedum vincenti periculoſam, meritò reprehenderet. Minus nobis, quàm illis Punica ſigna ſequentibus, licet: plus periculi reſtat cedentibus, plus operis etiam perſeuerantibus. Fortuna mecum bella gerit: non ſum imperata facturus. iugum non recipio, imò quod maiore virtute faciendum eſt, excutio: non eſt emolliendus animus. Si voluptati ceſſero, cedendum eſt dolori, cedendum labori, cedendum eſt paupertati: idem ſibi in me iuris eſſe volet & ambitio, & ira? inter tot affectus diſtrahar, imò diſcerpar. [7] Libertas propoſita eſt: ad hoc præmium laboratur. Quæ ſit libertas, quæris? nulli rei ſeruire, nulli neceſſitati, nullis caſibus: fortunam [8] in æquum deducere. quo die intellexero [9] illam plus poſſe, nil poterit. Ego illam feram, cùm in manu mors ſit? His cogitationibus intentum, loca ſeria ſanctaque eligere oportet. Effeminat animos
B amœnitas nimia: nec dubiè aliquid ad corrumpendum vigorem poteſt regio. Quamlibet viam iumenta patiuntur, quorum durata in aſpero vngula eſt: in molli paluſtrique paſcuo ſaginata, citò ſubteruntur. Et fortior miles [10] ex confragoſo venit: ſegnis eſt vrbanus [11] & verna. Nullum laborem recuſant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur: in primo deficit puluere ille vnctus & nitidus. Seuerior loci diſciplina firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit. Literni honeſtiùs Scipio, quàm Baiis exſulabat. ruina eius non eſt tam molliter collocanda. Illi quoque, ad quos primos fortuna Romani populi publicas opes tranſtulit, C. Marius, & Cn. Pompeius, [12] & Cæſar, exſtruxerunt quidem villas in regione Baianâ, ſed illas impoſuerunt ſummis iugis montium. Videbatur hoc magis militare, ex edito ſpeculari latè longeque ſubiecta. Adſpice quam poſitionem elegerunt, quibus ædificia excitauerunt locis, & qualia: ſcias non villas eſſe, ſed caſtra. Habitaturum tu putas vmquam fuiſſe [13] in Vticâ Catonem, vt præternauigantes adulteras dinumeraret, & adſpiceret tot genera cymbarum variis colori-
C bus picta, & fluitantem toto lacu roſam, vt audiret canentium nocturna conuitia? nónne manere ille intra vallum maluiſſet, quod in vnam noctem [14] manu ſuâ duxiſſet? Quid ni malit, quiſquis vir eſt, ſomnum ſuum claſſico, quàm ſymphoniâ rumpi? Sed ſatis

5. QVID CVM SVDATORIIS.] *Quæ Laconica vocant.*

6. CORPORA EXHAVSTVRVS.] *Epiſt.* CVIII. Decoquere corpus, atque exinanire ſudoribus, inutile ſimul delicatumque credimus.

7. LIBERTAS PROPOSITA.] *Is enim inter fines fructusq; philoſophiæ. Et quæ libertas ea ſit, Epictetus cùm alibi, tum toto Capite* I. *libri* IV. *Adde Senecam, epiſt.* LXXV. *in fine.*

8. IN ÆQVVM DEDVCERE.] *Ne ſupra me ſtet, imperétque.*

D 9. ILLAM PLVS POSSE.] *Ineptè, aut falsò. ſi plus poteſt, quomodo nihil poteſt? Quin tu lege:* illâ me plus poſſe. *Simul, inquit, is mihi ſenſus & mens, vt ſciam me plus poſſe (velim modò) quàm fortunam: tunc exarmata eſt, nihil poteſt.*

10. EX CONFRAGOSO.] *E ſaltibus & montanus, locis aſperis.*

11. ET VERNA.] *Domi & in vrbe natus, educatúſque.*

12. ET CÆSAR.] *De cuius villâ Baianâ Tacitus* XIV. *Annal.* Viam Miſeni propter & villam Cæſaris, quæ ſubiectos ſinus EDITISSIMA proſpectat.

13. IN VTICA.] *Certum eſt, hoc malè edi. Nam de Vticæ delicijs nec fama eſt, nec hîc iis locus, vbi de Baiis ſermo. Modius volebat,* In Vatiæ: *nempe villâ, quæ in his ſanè locis. Sed ſcripta lectio omnis* inimica, *aut* in unica, *aut* mimiaca, *aut deniq;*, in numma. *at meus habet*, in ijma. *Quid ſit, neſcio: niſi locum aliquem delicatum Baÿs, & laſciuiæ factum. Dubitaui*, in micâ, *legere: quod certè cum ſcripturâ conuenit: & videntur ſic appellaſſe loca cænationum minuta, ſed elegantiæ & lautitiæ facta. Martialis:*

Mica vocor. quid ſim cernis, cænatio parua:
Ex me Cæſareum proſpicis ecce tholum.
Frange toros, pete vina, roſas cape, tingere nardo:
Ipſe iubet mortis dememini ſſe Deus.

Mica aurea *illa in Cælimontio fuit, (vt P. Victor locat:) vnde proſpectus in vicinum* Diui Claudij templum. *Itaque ait, viuendum genialiter eſſe: quoniam & Dij (Imperatores) moriantur: quídni homines? Si tamen* Mica *illa in Domitiani palatio, vt volunt (neque abnuo plures eo nomine fuiſſe:) tunc Flauiæ geniis templum magis accipiemus. Sed ait igitur* cænationem paruam *eſſe: vnde & nomen à Græco μικχὸς, quod Dores ita pro μικρός. Nunc ad Senecam, talis famoſa* Mica *Baiis fuerit: quo exemplo aliæ ſic ſtructæ, & dictæ. Sanè lectio* Vtica, *eſt ex ipsâ* Mica *formata: ſi diuidis litteram primorem.*

14. MANV SVA.] *Non ſolus quidem: ſed Imperatores & ipſi olim manum operi admouebant. quod hîc adſignificat.*

ſatis diu cum Baiis litigauimus, numquam ſatis cum vitiis: quæ oro te, mi Lucili, perſequere ſine modo, ſine fine. nam illis quoque nec finis eſt, nec modus. Proiice quæcumque cor tuum laniant: quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis reuellendum erat. Voluptates præcipuè exturba, & inuiſiſſimas habe, latronum more,[15] quos Philetas Ægyptij vocant. in hoc[16] nos amplectuntur, vt ſtrangulent. A

EPIST. LII.

VACILLARE *nos in rectis: opus eſſe adiutorio, & directione. Alios autem aliis faciliùs duci formarique, vt natura eſt. Sed vt formeris, elige è priſcis, & è præſentibus. fuge tamen verboſos, ambitioſos, plauſum captantes.*

QVID eſt hoc, Lucili, quod nos aliò tendentes, aliò trahit, & eò vnde recedere cupimus, impellit? quid colluctatur cum animo noſtro, nec permittit nobis quidquam ſemel velle? Fluctuamus inter varia conſilia: nihil liberè volumus, nihil abſolutè, nihil ſemper. Stultitia, inquis, eſt: cui nihil conſtat, nihil diu placet. Sed quomodo, aut quando nos ab illâ reuellemus? Nemo per ſe ſatis valet, vt emergat: oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat. Quoſdam ait Epicurus ad veritatem ſine vllius adiutorio contendere,[1] ex iis ſe feciſſe ſibi ipſum viam. hos maximè laudat. quibus ex ſe impetus fuit, qui ſeipſos protulerunt. quoſdam indigere ope alienâ, non ituros ſi nemo præceſſerit, ſed benè ſecuturos. ex his Metrodorum ait eſſe. Egregium hoc quoque, ſed ſecundæ ſortis ingenium. Nos ex illâ primâ notâ non ſumus: benè nobiſcum agitur, ſi in hanc ſecundam recipimur. Nec hunc quidem contempſeris hominem, qui alieno beneficio eſſe ſaluus poteſt: & hoc multum eſt, velle ſeruari. Præter hæc adhuc inuenies aliud genus hominum, ne ipſum quidem faſtidiendum, eorum qui cogi ad rectum compellique poſſunt: quibus non duce tantùm opus ſit, ſed adiutore, &, vt ita dicam, coactore. Hic tertius color eſt. Si quæris huius exemplar, Hermachum ait Epicurus talem fuiſſe. Itaque[2] alteri magis gratulatur,[3] alterum magis ſuſpicit. Quamuis enim ad eumdem finem vterque peruenerit: tamen maior eſt laus, idem effeciſſe in difficiliore materiâ. Puta enim duo ædificia excitata eſſe, ambo paria, æquè excelſa, æquè magnifica: alterum dura area accepit, illic protinus opus creuit: alterius fundamenta laſſarunt, in mollem ac fluidam demiſſa humum: multumque laboris exhauſtum eſt, dum peruenitur ad ſolidum. Apparet in altero, quidquid factum eſt: alterius, magna pars & difficilior latet. Quædam ingenia facilia & expedita: quædam[4] manu (quod aiunt) facienda ſunt, & in fundamentis ſuis occupanda. Itaque ego illum feliciorem dixerim, qui nihil negotij ſecum habuit: hunc quidem de ſe meliùs meruiſſe, qui malignitatem naturæ ſuæ vicit, & ad ſapientiam ſe non perduxit, ſed extraxit. Hoc durum & laborio- B C D

15. QVOS PHILETAS ÆGYPTII.] *Qui tunc Græcè loquebantur, & cœperunt ab imperio Macedonum. Nam talis ſanè vox eſt, & priſcis vſurpata. vt Heſiodo in Operibus:*

Ὅς δὲ γυναικὶ πέποιθε, πέποιθ' ὅγε φιλήτῃσι:
Quiſquis feminæ habet fidem, habet fidem & ille latroni.

Archilocho:

Φιλήτᾳ νύκτωρ περὶ πόλιν πολυμυθέῳ:
Furi & latroni, qui per vrbem it noctibus.

Heſychius: φιλήτης, κλέπτης, λῃστής: Philetas, fur, latro. *Feſtus:* Pilare & Compilare, ſunt qui Græcæ originis putent. Græci enim fures, Piletas. *Aeolicè nempe* πιλήτας. *Adde, ſi vis, Euſtathium in Odyſſ. γ. & Iliad. β.*

16. NOS AMPLECTVNTVR.] *Alludit ad etymon Græcæ vocis. nam* φιλεῖν *etiam oſculari eſt, & amplecti: quod quia latrones ſubdolè faciunt, hinc nomen. Etſi alij ab* ὑφελεῖν *deriuent, à* Suſtollendo, *quaſi eſſet* ὑφελήτης. *Vide Euſtathium.*

EPIST. LII. 1. EX IIS SE.] *Eſt à Pinciano quidem, ſed libri palàm eo ducunt. Se autem Epicurus ponit inter* αὐτοδιδάκτους. *Cicero* 1. *de Nat. Deor.* Gloriabatur, vt videmus in ſcriptis, ſe magiſtrum habuiſſe nullum. *Idem ex Laërtio: etſi quidam, audiſſe Xenocratem.*

2. ALTERI MAGIS GRATVLATVR.] *Metrodoro, qui benignam naturam ſortitus.*

3. ALTERVM MAGIS.] *Hermachum.*

4. MANV FACIENDA.] *Labore & opere. Vide Conſol. ad Marc. cap.* XIX.

5. CIRCV-

A borioſum ingenium nobis datum, ſcias licet. imus per obſtantia. Itaque pugnemus, aliquorum inuocemus auxilium. Quem, inquis, inuocabo, hunc, aut illum? Tu verò etiam ad priores reuertere, qui vacant. adiuuare nos poſſunt, non tantùm qui ſunt, ſed & qui fuerunt. Ex iis autem qui ſunt, eligamus non eos, qui verba magnâ celeritate præcipitant, & communes locos voluunt, & in priuato [5] circulantur: ſed eos qui vitâ docent, qui cùm dixerint quid faciendum ſit, probant faciendo: qui docent quid vitandum ſit, nec vmquam in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur. Eum elige adiutorem, quem magis admireris cùm videris, quàm cùm audieris. Nec ideò te prohibuerim hos quoque audire, quibus conſuetudo eſt admittere populum, ac diſſerere: ſi modò hoc propoſito in turbam prodeunt, vt meliores fiant faciantque meliores: ſi non ambitionis hoc cauſsâ exercent. Quid enim turpius philoſophiâ captante clamores? Numquid æger laudat [6] medicum ſecantem? tacete, fauete, & præbete vos curationi. etiam ſi exclamaueritis, non aliter audiam, quàm ſi ad tactum vitiorum veſtrorum ingemiſcatis.

B Teſtari vultis attendere vos, mouerique rerum magnitudine? ſanè liceat. vt quidem iudicetis, & feratis de meliore ſuffragium, quid ni non permittam? [7] Apud Pythagoram diſcipulis quinque annis tacendum erat. numquid ergo exiſtimas, ſtatim illis & loqui & laudare licuiſſe? Quanta autem dementia eius eſt, quem clamores imperitorum hilarem ex auditorio dimittunt? Quid lætaris, quòd hominibus iis laudaris, quos non potes ipſe laudare? Diſſerebat populo Fabianus: ſed audiebatur modeſtè. Erumpebat interdum magnus clamor laudantium: ſed quem magnitudo rerum euocauerat, non ſonus inoffenſæ ac molliter lapſæ orationis. Interſit aliquid inter clamorem theatri, & ſcholæ. eſt aliqua & laudandi licentia. Omnia rerum omnium, ſi obſeruentur, indicia ſunt: & argumentum morum ex minimis quoque licet capere. Impudicum & inceſſus oſtendit, & [8] manus mota, & vnum interdum reſponſum, & [9] relatus ad caput digitus, & flexus oculorum. Improbum riſus, inſanum vultus habitusque demonſtrat. Illa enim in apertum per notas exeunt. Qualis quiſque ſit, ſcies, ſi quemadmodum laudetur, adſpexeris.

C Hinc atque illinc philoſopho [10] manus auditor intentat, & [11] ſuper ipſum caput mirantium turba conſiſtit. non laudatur ille nunc, ſi intelligas, ſed conclamatur. Relinquantur

5. CIRCVLANTVR.] *Circulos faciunt, aut quærunt.*

6. MEDICVM SECANTEM?] *De totâ hac re Epictetus Diſſert.* III. *cap.* XXIII. Solitus eſt dicere Rufus (*Muſonius:*) Si tantum habetis otij vt me laudetis, ego verò non dico. Itaque ſic dicebat, vt quiſque noſtrûm qui aſſideret, putaret ſe ab aliquo illi delatum. Sic reprehendebat facta, ſic ob oculos cuiuſque mala ponebat. O viri, taberna modica eſt, philoſophi ſchola. Non oportet gaudentes exire, ſed mærentes. *Ipſa hæc, paullò diffuſiùs in Agellio, ſed eidem Muſonio refert accepta.* Muſonium, *inquit*, philoſophum ſolitum dicere accepimus: Cùm philoſophus hortatur, monet, ſuadet, obiurgat, tum qui audiunt, ſi de ſummo & ſoluto pectore obuias vulgata ſque laudes effutiunt, ſi clamitant etiam, ſi geſtiunt, ſi vocum eius feſtiuitatibus, ſi modulis orationis mouentur, exagitantur & geſtiunt: tum ſcias, & qui dicit, & qui audit, fruſtrà eſſe: neque illic philoſophum loqui, ſed tibicinem canere. Animus, inquit, audientis philoſophum, ſi quæ dicuntur vtilia ac ſalubria ſunt, quæque errorum atque vitiorum medicinas ferunt, laxamentum atq. otium prolixè laudandi non habet. *Plutarchus etiam talia, De audiendo*: Voces, *inquit*, laudum non promiſcuè vſurpandæ: & Epicurus in amicorum epiſtolis dum plauſus & fauores fieri ſibi prædicat, ſtomachum nobis facit. Sicut & illi, qui genere laudum offendunt: cum philoſopho acclamant, Acutè, ſeni Scitè vel Floridè. Hi enim theatrales aut declamatorias voces ad philoſophos transferunt, & orationi caſtæ accommodant laudationem meretricis. Itaque qui foris ſunt ambigunt, tibicinis, an citharœdi, an ſaltatoris alicuius ea ſit laudatio. *Hæc vberiùs rettuli, quia ſequentibus fidem aut lucem addunt.*

7. APVD PYTHAGORAM.] *Quem Hieronymus in* III. *cap. Eccleſ.* traxiſſe originè ſui decreti *vult* ab eo Salomonis, Tempus tacẽdi, tempus loquendi.

8. MANVS MOTA.] *In obſcænam figuram, aut nimis alioqui molliter.*

9. RELATVS AD CAPVT DIGITVS.] *Quo argumento Caluus Pompeium, vt mollem, perſtrinxit:*

Faſciolâ qui crura ligat, digito caput vno
Scalpit, quid credas hunc ſibi velle? virum.

Sumpſit ex eo Iuuenalis Sat. IX. Qui digito ſcalpunt vno caput. *Pompeium autem hoc* genuino quodam more feciſſe, *Ammianus excuſat, libro* XVII. *Lucianus etiam effæminati hominis notam ponit,* τῷ δακτύλῳ ἀκρῷ τὴν κεφαλὴν νυᾶζε: ſummo digitulo caput ſcabere.

10. MANVS AVDITOR INTENTAT.] *Quas admirans tollit, & plaudit.*

10. SVPER IPSVM CAPVT.] *Surgunt enim, vt ſui impotes, & manus ſuper eum ſedentem efferunt.*

tur istæ voces illis artibus, quæ propositum habent placere populo: philosophia ad- A
oretur. Permittendum erit aliquando iuuenibus, sequi impetum animi. tunc autem hoc ex impetu facient, cùm silentium sibi imperare non poterunt. Talis laudatio aliquid exhortationis affert ipsis audientibus, & animos adolescentium exstimulat. Ad rem commoueantur, non ad verba composita. alioqui nocet illis eloquentia, si non rerum cupiditatem facit, sed sui. Differam hoc in præsenti. desiderat enim propriam & longam exsecutionem, quemadmodum populo disserendum, quid sibi apud populum permittendum sit, quid populo apud se. Damnum quidem feciſſe philosophiam, non erit dubium, postquam [12] prostituta est: sed potest [13] in penetralibus suis ostendi, si modò non [14] institorem, sed antistitem nacta est.

EPIST. LIII.

NAVIGATIONEM *suam describit, & iactationem in mari. Per occasionem, in vitâ nos* B
iactari, sed vitia sua paucos scire, aut fateri. Philosophia docebit, excitabit: demus nos, pares Deo faciet.

QVID non potest mihi persuaderi, cui persuasum est vt nauigarem? Solui mari languido. erat sine dubio cælum graue sordidis nubibus, quæ ferè aut in aquam, aut in ventum resoluuntur: sed putaui tam pauca millia à [1] Parthenope tuâ vsque Puteolos surripi posse, quamuis dubio & impendente cælo. Itaque quò celeriùs euaderem, protinus per altum [2] ad Nesida direxi, [3] præcisurus omnes sinus. Cùm iam eò processissem, vt meâ nihil interesset, vtrùm irem, an redirem: primùm [4] æqualitas illa, quæ [5] me corruperat, periit. nondum erat tempestas, sed iam inclinatio maris, ac subinde crebrior fluctus. Cœpi gubernatorem rogare, vt me in aliquo littore exponeret. Aiebat ille, aspera esse & importuosa, nec quidquam se æquè in tempestate timere, quàm tertam. Peiùs autem vexabar, quàm vt periculum mihi succurreret. Nausea enim me, se- C
gnis hæc & [6] sine exitu, torquebat: quæ bilem mouet, nec effundit. Instiri itaque gubernatori, & illum vellet nollet coëgi vt peteret littus. Cuius vt viciniam attigimus, non exspecto vt quidquam ex præceptis Virgilij fiat, *Obuertant pelago proras*, —— aut anchora de prorâ iaciatur: sed memor [7] artificij mei veteris, mitto me in mare, quomodo [8] psychrolutam decet, [9] gausapatus. Quæ putas me passum, dum [10] per aspera erepo, dum viam quæro, dum facio? Intellexi, non immeritò nautis terram timeri. Incredibilia sunt, quæ tulerim: cùm [11] me ferre non possem. Illud scito, Vlixem non fuisse tam

[12] irato

12. PROSTITVTA EST.] *In publicum sic producta. cùm omnibus locis, viis, foris, philosophi differant.*

13. IN PENETRALIBVS.] *Scholis, aut & domibus.*

14. INSTITOREM.] *Qui vænalem eam habet.*

EPIST. LIII. 1. PARTHENOPE TVA.] *Dicas ergo illinc oriundum Lucilium.*

2. AD NESIDA.] *Quæ insula est Campaniæ à Plinio adscripta, inter Pausilypum & Puteolos. Meminit Cicero ad Atticum, Statius, aliíq;.*

3. PRÆCISVRVS.] *Compendium nauigandi facturus, & rectà Puteolos petiturus, curuaturâ omni sinuum omissâ. Itaque procul à terrâ, magis alto me commisi.*

4. ÆQVALITAS ILLA.] *Dubij cæli, neutrò adhuc inclinati.*

5. ME CORRVPERAT.] *Induxerat nauigare. deiecerat de veteri proposito: quod commune mihi cum M. Catone erat*, Mari non ire, quò terrâ posſem.

6. SINE EXITV.] *Quam vomitus non releuaret.*

7. ARTIFICII MEI VETERIS.] *Ita epist.* LXXXIII. Ille tantus Psychrolutes, qui Kalendis Ianuariis in Euripum saltabam. *Ibi vide.*

8. PSYCHROLVTAM DECET.] *Lauatorem* D
in frigidâ.

9. GAVSAPATVS.] *Qui in gymnasiis exercebantur, itemq; balneis, ij ferè lodiculâ, aut gausapinâ leuiter obuoluti erant, & circa verendas maximè partes. Sic Petronij Trimalcio, post balneum lecticæ imponitur*, coccineâ gausapâ inuolutus. *Sic Augustus, Suetonij cap.* LXXXIII. *deambulabat* segestrio vel lodiculâ inuolutus. *Gausapa autem hîc ad manum, quia & nautis eorum vsus.*

10. PER ASPERA EREPO.] *Scripti*, eripior: *& potest ad seruos nautasq; referri, qui senem adiutabant, & exportabant.*

11. ME FERRE NON POSSEM.] *Refer quò iam dixi, dum exportatur: vel ad nauseam, caussam huius incommodi. quam si ferre potuisset, hæc vitabat.*

12. IRATO

A [12] irato mari natum, vt vbique naufragia faceret. nauſeator erat. at ego quocumque nauigare debuero,[13] viceſimo anno perueniam. Vt primùm ſtomachum ([14] ſcis non cum mari nauſeam effugere) collegi, vt corpus [15] vnctione recreaui, occœpi mecum cogitare, quanta nos vitiorum noſtrorum ſequeretur obliuio, etiam corporalium, quæ ſubinde admonent ſui, nedum illorum quæ eò magis latent, quò maiora ſunt. Leuis aliquem motiuncula decipit: ſed cùm creuerit, & vera febris exarſerit, etiam duro & [16] perpeſſitio [17] confeſſionem accepit. Pedes dolent, articuli punctiunculas ſentiunt: [18] adhuc diſſimulamus, & aut talum extorſiſſe nos dicimus, aut in exercitatione aliquâ laboraſſe. Dubio & incipiente morbo, quæritur nomen: qui [19] talaria cœpit intendere, [20] & vtroſque pedes dextros fecit, neceſſe eſt podagram fateri. Contrà euenit in iis morbis, quibus afficiuntur animi: quò quis peiùs ſe habet, minùs ſentit. Non eſt quòd mireris, Lucili cariſſime. Nam qui leuiter dormit, & ſpecies ſecundùm quietem capit, aliquando dormire ſe dormiens cogitat: grauis ſomnus etiam ſomnia exſtinguit, animumque altiùs
B mergit, quàm vt vti vllo intellectu ſinat. Quare vitia ſua nemo confitetur? quia etiam nunc in illis eſt. Somnium narrare, vigilantis eſt: & vitia ſua confiteri, ſanitatis indicium eſt. Expergiſcamur ergo, vt errores noſtros coarguere poſſimus. ſola autem nos philoſophia excitabit, ſola ſomnum excutiet grauem. Illi te totum dedica: dignus illâ es; illa te digna eſt. ite in complexum alter alterius: omnibus aliis rebus te nega, fortiter, apertè. Non eſt quòd precariò philoſopheris. Si æger eſſes, curam intermiſiſſes rei familiaris, & forenſia tibi negotia excidiſſent: nec quemquam tanti putares, cui [21] aduocatus in cauſſam deſcenderes: toto animo id ageres, vt quàm primùm morbo liberareris. Quid ergo? non & nunc idem facies? Omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti. nemo ad illam peruenit occupatus. Exercet philoſophia regnum ſuum: dat tempus, non accipit. [22] Non eſt res ſubſiciua: ordinaria eſt, domina eſt: adeſt, & iubet. Alexander [23] cuidam ciuitati, partem agrorum, & dimidium rerum omnium, promittenti: *Eo*, inquit,

C 12. IRATO MARI.] *Benè. vbique habuit Neptunum infenſum, inter omnes Deos. Quid ita? Homeri figmentum commodum, quia Prudentia omnibus fcrè, excepto mari, moderatur aut imperat. Illic Vlyſſes impar.*

13. VICESIMO ANNO.] *Tanto ergo infelicior. nam ille non niſi Decennium iactatus.*

14. SCIS NON CVM MARI.] *Grutero adſentior, delendam negationem: aut quod malim, mutandam:* ſcis enim cum mari. *Res ita habet. mari relicto, illa deſerit.*

15. VNCTIONE RECREAVI.] *In ſole.*

16. PERPESSITIO.] πάθητος, πολυτλήμονι. *Epiſt.* CIV. Socratem perpeſſitium ſenem, per omnia aſpera iactatum.

D 17. CONFESSIONEM ACCEPIT.] *Libri plerique,* excipit: *nullus,* extorquet: *quod licenter Muretus ingeſſerat. Legam cum Agricolâ,* exprimit: *aut potiùs in prioribus additâ litterulâ,* etiam à duro & perp. confeſſionem accipit. *Ludit in vocalis* Decipit, *quod præiuit, &* Accipit.

18. ADHVC DISSIMVLAMVS.] *Vera ſunt, & in amicis quibuſdam vidi. Lucianus eadē in Ocypode:*

Ἅπαντας δὲ αὐτὸν βουκολεῖ ψεύδοσομοῦν,
Ὡς ἐνσεσεικὼς, ἢ προκύψας τοι βάσιν,
Λέγει φίλοισι, μὴ φράσας τὴν αἰτίαν.
Nam quiſque ſeſe paſcit his mendaciis,
Quaſi alibi læſus aut curuatus ſit gradus:
Et ſic amicis dictitans, cauſſam premit.

19. TALARIA COEPIT INTENDERE.] *Tumoribus augere, quos ſollenniter podagra gignit. Talaria autem, partes circa talos.*

20. ET VTROSQVE PEDES.] *In lectione perplexitas, non in ſenſu. Nam iſte quidem eſt: At ſimul vterque iam pes intumuit, abeunt mendacia, & podagram fatemur eſſe. Lucianus hoc ipſum:*

Ἐ'παὶν δὲ καὶ τὸν ἕτερον ἀλγήσῃς πόδα,
Στενῶν δ' ἀκρύεις. ἢν δέ σοι φράσαι θέλω,
Τοῦτ' ἔς' ἐκεῖνο, κἂν θέλῃς, κἂν μὴ θέλῃς:
Vbi verò & alterum dolebis iam pedem,
Flens ingemiſcis. at ego hoc vnum dixero,
Hoc illud eſt, hoc podagra, nolis an velis.

Senſus igitur liquet, de vtroque pede: *ſed quomodo* vterque pes dexter fit? *Quidam libri,* deſtros: *& quidam tranſpoſitis verbis,* vtroſque pedes fecit dextros. *Equidem nihil extrico. niſi placet diſiunctas malè voces, & concinnari:* vtroſque pedes diſtorſerit: *vel,* detorſerit.

21. ADVOCATVS IN CAVSSAM.] *Libri ſcripti,* aduocatus in remiſſione deſcenderes. *Quid? in remiſſione morbi? imò tunc poſſet. Legam,* aduocatus in rem ipſe deſcenderes. *Aduocati vel abſentes ſcripto aderant, vel in ipsâ re præſentes. Hoc, inquit, iſtud æger non feceris.*

22. NON EST RES SVBSICIVA.] *Non in ſecundis curis habenda: eſt res* ordinaria, *prima & ſollenniter facienda. Sicut* Ordinarius Conſul, *opponitur ac præponitur ſecundo illi, &* Suffecto.

23. CVIDAM CIVITATI.] *Ipſi Dario hoc reſponſum lego, in Curtij libro* IV. *Qui cùm obtuliſſet* Lydiam, Ioniam, Æolidem: *reſpondit,* Se cùm tranſiret mare, nō tanti belli exiguam hanc mercedem, ſed Perſepolim caput regni, vltimique Orientis oram imperio deſtinaſſe.

inquit, *propositò veni in Asiam, non vt id acciperem quod dedissetis; sed vt id haberetis, quod reliquissem.* Itidem philosophia rebus omnibus: Non sum id tempus acceptura, quod vobis superfuerit: sed id habebitis, [24] quod ipsa erogauero. Totam huc conuerte mentem, huic asside, hanc cole: ingens interuallum inter te & ceteros fiat. Omnes mortales multo antecedes, non multo te dij antecedent. [25] Quid inter te & illos interfuturum sit, quæris? diutiùs erunt. At mehercule magni artificis est, clausisse totum in exiguo. Tantum sapienti sua, quantum Deo omnis ætas patet. Est aliquid, quo sapiens antecedat Deum. ille [26] naturæ beneficio, non suo sapiens est: ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei. Incredibilis vis philosophiæ est, ad omnem fortuitam vim retundendam. Nullum telum in corpore eius sedet: munita est solidaque. quædam defatigat, & velut leuia tela laxo [27] sinu eludit, quædam discutit, & in eum vsque qui miserat respuit.

EPIST. LIV.

SVSPIRIO *se laborasse: atque ita de morte cogitasse. Non timendam, quia idem post eam, quod antequam eramus, erit. Præparemur.*

LONGVM mihi [1] commeatum dederat mala valetudo: repentè me inuasit. Quo genere? inquis. prorsus meritò interrogas: adeò nullum mihi ignotum est. Vni tamen morbo quasi assignatus sum: quem quare [2] Græco nomine appellem, nescio. satis enim aptè dici suspirium potest. Breuis autem valdè, & procellæ similis, impetus est: intra horam ferè desinit. Quis enim diu exspirat? Omnia corporis aut incommoda, aut pericula, per me transierunt: nullum mihi videtur molestius. Quid ni? aliud enim quidquid est, ægrotare est: hoc, est animam agere. Itaque medici, hanc meditationem mortis vocant. [3] Facit aliquando spiritus ille, quod sæpè conatus est. Hilarem me putas hæc tibi scribere, quia effugi? si hoc fine, quasi bonâ valetudine delector: tam ridiculè facio, quàm ille, quisquis se vicisse putat, cùm vadimonium distulit. Ego verò & in ipsâ suffocatione non desij cogitationibus lætis ac fortibus acquiescere. Quid hoc est? inquam. tam sæpè mors experitur me? faciat. at ego illam diu expertus sum. Quando, inquis? antequam nascerer. Mors est, non esse id quod antè fuit, sed quale sit, iam scio: [4] hoc erit post me, quod ante me fuit. Si quid in hac re tormenti est, necesse est, & fuisse antequam prodiremus in lucem: atqui nullam sensimus tunc vexationem. Rogo non stultissimum dicas, si quis existimet lucernæ peius esse cùm exstincta est, quàm antequam accenderetur? nos quoque & accendimur, & exstinguimur: medio illo tempore aliquid patimur. Vtrimque verò alta securitas est. In hoc enim, mi Lucili, nisi fallor, erramus, quòd mortẽ iudicamus sequi: cùm illa & præcesserit, & secutura sit. Quidquid ante

24. QVOD IPSA EROGAVERO.] *Erasmi editio*, quod ipsa redegero, erogauero. *Quidam scripti*, quod ipsa re egero, id est erogauero. *Non displiceat*, quod ipsa reiecero. *reliquis deletis.*

25. QVID INTER TE ET ILLOS.] *Tales vaniloquentias Stoicorum notamus, & verè notamus, Manuduct.* III. *Dissert.* XIV.

26. NATVRÆ BENEFICIO, NON SVO.] *A se Sapiens, tu ab industriâ.*

27. SINV ELVDIT.] *De leuibus telis prouerbiale fuit, Veste repelli. Catullus:*

Quare nos tela ista tua euitamus amictu,
At fixus nostris tu dabis supplicium.

EPIST. LIV. 1. COMMEATVM DEDERAT.] *Olim sic emendaui, cùm libri*, comitatum. *Diu, inquit, dimiserat me morbus, repentè est adortus & retraxit. Est sumptum à re militari, in quâ commeatus datur militi, id est venia commeandi, priuatæ rei, aut valetudinis caussâ. Noster de Irâ* I. *cap.* XVI. Duci iussit eum, qui ex commeatu sine commilitone redierat.

2. GRÆCO NOMINE.] *Vtrùm* Ἄσθμα, *an* Ὀρθόπνοιαν *vult dictam? Nam plus aliquid quàm Asthma, siue spirandi difficultas, in hoc impetu est: & minus quàm Orthopnœa, in breuitate. Vide apud veterem amicum nostrum, doctissimum Mercurialem, Variar.* VI. *cap.* XVI.

3. FACIT ENIM.] *Malim*, faciet.

4. HOC ERIT POST ME.] *Aliquoties hæc talia in Senecâ, quasi mors omnia tollat. Quo autem sensu, vide me Physiol.* III. *Diss.* XI.

5. CVM

A ante annos fuit, mors est. Quid enim refert, vtrùm non incipias, an desinas? vtriusque rei hic est effectus, non esse. His & huiusmodi exhortationibus tacitis (nam verbis locus non erat) alloqui me non desij: deinde paullatim suspirium illud, quod esse iam anhelitus cœperat, interualla maiora fecit, & retardatum est, ac remansit. Nec adhuc, quamuis desierit, ex naturâ fluit spiritus. sentio hæsitationem quandam eius, & moram. Quomodo volet, dum modò non ex animo suspirem. hoc tibi de me recipe: non trepidabo ad extrema: iam præparatus sum: nihil cogito de die. Illum lauda & imitare, quem non piget mori, [5] cùm iuuat viuere. Quæ enim virtus est, cùm eiiciaris, exire? tamen est & hîc virtus. Eiicior quidem, sed tamquam exeam. Et ideò numquam eiicitur sapiens: quia eiici, est inde expelli, vnde inuitus recedas. Nihil inuitus facit sapiens. necessitatem effugit: quia vult quod ipsa coactura est.

B

EPIST. LV.

De Vatiæ villâ, & de ipso Vatiâ: tum de bono maloque otio. Item amicos animo adesse posse, & debere.

A GESTATIONE cùm maximè venio, non minùs fatigatus, quàm si tantum ambulassem, quantum sedi. labor est enim, & diu ferri; ac nescio an eò maior, quia contra naturam est: quæ pedes dedit, vt per nos ambularemus; oculos, vt per nos videremus. Debilitatem nobis indixere deliciæ: & quod diu noluimus, posse desiuimus. Mihi tamen necessarium erat concutere corpus, vt siue bilis insiderat faucibus, discuteretur; siue ipse ex aliquâ causâ spiritus densior erat, extenuaret illum iactatio. quam profuisse mihi sensi. Ideò diutiùs vehi perseueraui, inuitante ipso littore, quod inter Cumas & Seruilij Vatiæ villam curuatur. & hinc mari, [2] illinc lacu, velut angustum iter claditC tur. Erat enim [3] à recenti tempestate spissius. Fluctus autem illud (vt scis) frequens & concitatus exæquat: longior tranquillitas soluit, cùm arenis, quæ humore alligantur, succus abscessit. Ex consuetudine tamen meâ circumspicere cœpi, an aliquid illîc inuenirem, quod mihi bono posset esse: & direxi oculos in villam, quæ aliquando Vatiæ fuit. In hac ille prætorius dives, nulla aliâ re quàm otio notus, consenuit, & ob hoc vnum felix habebatur. Nam quoties aliquos amicitia [4] Asinij Galli, quoties [5] Seiani odium, [6] deinde amor merserat, (æquè enim offendisse illum, quàm amasse, periculosum fuit) exclamabant homines: *O Vatia [7] solus scis viuere.* At ille latere sciebat, non viuere. multum autem interest, vtrùm vita tua otiosa sit, an ignaua. Numquam aliter hanc villam Vatiâ viuo præteribam, quàm vt dicerem: *Vatia hîc situs est.* Sed adeò, mi Lucili, philosophia sacrum quiddam est, & venerabile, vt etiam si quid illi simile est, mendacio placeat. Otiosum enim hominem, seductum existimat vulgus, & securum, & se contentum, sibique viuentem: quorum nihil vlli contingere, nisi sapienti, potest. Ille quidem D nullâ re sollicitus scit sibi viuere. ille enim (quod est primum) scit viuere. Nam qui res & homines fugit, quem cupiditatum suarum infelicitas relegauit, qui alios feliciores videre non potuit, qui velut timidum atque iners animal, metu oblituit, ille sibi non viuit,

5. CVM IVVAT VIVERE.] *In iuuentute, aut bonâ ætate: at ego iam senex sum.*

EPIST. LV. 1. A GESTATIONE.] *Quâ in essedo vehi moris: & explicaui in epistolâ quadam ad Ortelium, Centur. Miscell. epist.* XI.

2. ILLINC LACV.] *Lucrino.*

3. A RECENTI TEMPESTATE SPISSIVS.] *Ita ex melioribus libris. Firmius autem spissiusq; à tempestate: quia recenter aquæ arenas ligauerant. quod aliter in siccis, & diffluunt.*

4. ASINII GALLI.] *Cui Tiberius offensus, & diu in custodiâ habitum inopiâ cibi interemit. Tacitus* VI. *Annalium.*

5. SEIANI ODIVM.] *Qui omnia apud Tiberium aliquamdiu potuit: euexit, depressit, oppressit, quos voluit.*

6. DEINDE AMOR.] *Quia illo iam inuiso & occiso, quoscumque amicos habuerat Tiberius ferè sustulit.*

7. SOLVS SCIS VIVERE.] *Procul scilicet à Ioue & fulmine.*

viuit, ſed (quod eſt turpiſſimum) ventri, ſomno, libidini. Non continuò ſibi viuit, qui nemini. Adeò tamen magna res eſt conſtantia, & in propoſito ſuo perſeuerantia, vt habeat auctoritatem inertia quoque pertinax. De ipsâ villâ nihil poſſum tibi certi ſcribere: frontem enim eius tantùm noui, & expoſita: quæ oſtendit etiam tranſeuntibus. Speluncæ ſunt duæ magni operis, laxo atrio [8] pares, manufactæ: quarum altera ſolem non recipit, altera vſque in occidentem tenet. [9] Platanona medius riuus, & à mari & ab Acheruſio lacu receptus, [10] Euripi modo diuidit, alendis piſcibus (etiam ſi aſſiduò exhauritur) ſufficiens. Sed illi, cùm mare patet, parcitur: cùm tempeſtas piſcatoribus dedit ferias, manus ad parata porrigitur. Hoc tamen eſt commodiſſimum in villâ, quod Baijas [11] trans parietem habet: incommodis illarum caret, voluptatibus fruitur. Has laudes eius ipſe noui: eſſe villam totius anni credo. Occurrit enim Fauonio, & illum adeò excipit, vt Baijs neget. Non ſtultè videtur elegiſſe hunc locum Vatia, in quem otium ſuum pigrum iam & ſenile conferret. Sed non multum ad tranquillitatem locus confert: animus eſt, qui commendat omnia. Vidi ego in villâ hilari & amœnâ mæſtos, vidi in mediâ ſolitudine occupatis ſimiles. Quare non eſt quòd exiſtimes, ideò parùm benè compoſitum eſſe te, quòd in Campaniâ non es. quare autem non es? hucuſque cogitationes tuas mitte. Conuerſari cum amicis abſentibus licet: & quidem quoties velis, quamdiu velis. magis hac voluptate, quæ maxima eſt, fruimur, dum abſumus. Præſentia enim nos delicatos facit: & quia aliquando vnà loquimur, ambulamus, cùm conſidemus, cùm diducti ſumus, nihil de his quos modò vidimus, cogitamus. & ideò æquo animo ferre debemus abſentiam, quia nemo non multum etiam præſentibus abeſt. Pone hîc primùm noctes ſeparatas: deinde occupationes vtrinque diuerſas, deinde ſtudia ſecreta, ſuburbanas profectiones: videbis non multum eſſe, quod nobis peregrinatio eripiat. Amicus animo poſſidendus eſt. hic autem numquam abeſt: quemcumque vult, quotidie videt. Itaque mecum ſtude, mecum cœna, mecum ambula. In anguſto viueremus, ſi quidquam eſſet cogitationibus clauſum. Video te, mi Lucili, cùm maximè audio: adeò tecum ſum, vt dubitem, an incipiam non epiſtolas, [12] ſed codicillos tibi ſcribere.

EPIST. LVI.

MENTEM compoſitam, vacare ſibi & ſtudiis, etiam in turbâ. Suo exemplo docet. Magis optandum internum ſilentium, & pacem. Inertia porrò mala, & ea cupidinum mater.

PEREAM, ſi eſt tam neceſſarium, quàm videtur, ſilentium in ſtudia ſepoſito. Ecce varius clamor vndique me circumſonat: [1] ſupra ipſum balneum habito. Propone nunc tibi omnia genera vocùm, quæ in odium poſſunt aures adducere: cùm fortiores exercentur, & [2] manus plumbo graues iactant, cùm aut laborant, aut laborantem imitantur, gemitus audio: quoties retentum ſpiritum remiſerunt, ſibilos, & acerbiſſimas

8. PARES, MANVFACTÆ.] *Ita Muretus. At libri ſcripti:* magni operis, cuius laxo atrio paries manufactus. *Legam*, cuiuis laxo atrio pares, manufactæ. *Sunt, inquit, magni* operis: *ergo non natiuæ, vt olim cenſui: deinde in modum magni atrij factæ, & cuiuis illi pares, etſi ſic manu cauatæ & factæ.*

9. PLATANONA.] *Solent enim ſiluæ id genus arborum habere, vmbræ tantùm cauſſâ. Martialis:*

Daphnonas, Platanonas, & aërios cypariſſos.

10. EVRIPI MODO.] *Quos ipſos in hortis & villis habebant manufactos.*

11. TRANS PARIETEM.] *Qui villam cingit.*

12. SED CODICILLOS.] *Mitti ſolitos ad præſentes. Dixi in Epiſtolicâ inſtitutione.*

EPIST. LVI. 1. SVPRA IPSVM BALNEVM.] *Baiis, non Romæ. Nam hîc ei laxior & aptior domus. Ibi, in diuerſorio.*

2. MANVS PLVMBO GRAVES.] *Halteres notat, quibus & ad ſaltandum vſi, ſeq; velut librandum; & iiſdem, ſed grauioribus ad exercendum, & ſine magno motu ſudorem euocandum, ſublatis depreſſisq; manibus, aut huc illuc iactatis. Erant autem iſtæ maſſæ plumbeæ, in circuli dimidiati, aut & aliam formam: ἅλτῆρες Græcis, à primo vſu dicti, ὡϑῶ τὸ ἅλλεσϑαι,* à ſaltando. *Iuuenalis, Sat. VI.*

Cùm laſſata graui ceciderunt brachia maſsâ.

Scho-

A mas respirationes: cùm in [3] alipten inertem, & hac plebeiâ vnctione contentum incidi, audio crepitum illisæ manus humeris: quæ prout plana peruenit, aut concaua, ita sonum mutat. Si verò [4] pilicrepus superuenerit, & [5] numerare cœperit [6] pilas, actum est. Adiice nunc [7] scordalum, & furem deprehensum, & illum cui [8] vox sua in balneo placet. Adiice nunc eos, qui in piscinam cum ingenti impulsæ aquæ sono saliunt. Præter istos, quorum si nihil aliud, [9] rectæ voces sunt, [10] alipilum cogita, tenuem & stridulam vocem, quò sit notabilior, subinde exprimentem, nec vmquam tacentem, nisi dum vellit alas, & [11] alium pro se clamare cogit. Iam [12] libarij varias exclamationes, & [13] botularium, & [14] crustularium, & omnes popinarum institores, mercem suâ quadam & insignitâ modulatione vendentes. O te, inquis, ferreum, aut surdum, cui mens inter

Scholiastes ibi: Halteras dicit, quibus vtuntur athletæ cùm exercent. quasi plumbeis ponderibus exerceatur. *Martialis:*

B Quid pereunt stulto fortes haltêre lacerti?
Exercet meliùs vinea fossa viros.

3. ALIPTEN.] *Vnctorem.*

4. PILICREPVS.] *Glossæ Isidori:* Pilicrepus, qui pilâ ludit. *In veteri lapide:* Ego sum, ouantes conuenite pilicrepi. *Et mox:* Vrsumque canite voce concordi senem, Hilarem, iocosum, pilicrepum, scholasticum. *Ergo ad pilas lusorias hoc referendum: non cum Cælio, aliisq;, ad pilas fornacarias, id est glomos quosdam pice illitos, quos in hypocausta coniiciebant, igni alendo. Certum autem, pilas crepare ac sonitum edere, cùm datatim luditur, & decidunt: maximè in tabulatis, quibus tunc ludebant. Statius:*

Quid nunc strata solo referam tabulata, crepantes
C Auditura pilas? vbi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem voluunt hypocausta vaporem.

Neque enim ad Pilas illas fornacarias hæc eunt: sed tantùm ostendit, vbi Tabulata illa fuerint, nempe adsita hypocausto. Plinius lib. v. *in suâ villâ*, Apodyterio superponit sphæristerium. *At bella etiam interpretatio (quid aliter ab optimo, & doctissimo, elegantissimo viro? quẽ ego inter amicos vnicè amo æstimoq;) Marci Velseri, qui ex lapide iam dicto obseruat,* pilâ vitreâ *Romanos lusitasse: quæ certè lapsæ crepabant, & dissiliebant. Initium lapidis:*

VRSVS TOGATVS VITREA QVI PRIMVS PILA
LVSI DECENTER CVM MEIS LVSORIBVS
LAVDANTE POPVLO MAXIMIS CLAMORIBVS
D THERMIS TRAIANI THERMIS AGRIPPÆ ET TITI.]

Sed an ad Senecam nunc ista, hæreo: quia Vrsus primum *se lusisse dicit: & quidem in thermis* Traiani. *Ergo post Senecæ æuum hæc inuentio, & inter nouitias fuit. Obserua tamen inibi, thermis & balneis (vt hîc) lusisse.*

5. NVMERARE COEPERIT.] *Id est, tot pilarum, sine casu, iactus: quod & hodie fit in* pilâ, *vt Petronius appellat,* sparsiuâ. *Etsi Petronius ostendit, etiam deciduas numerasse adstantes, sed id nouo more & per delicias Trimalcionis. De illo enim:* Notauimus etiam res nouas. nam duo spadones in diuersâ parte circuli stabant, quorum alter matellam tenebat, argenteam; alter numerabat pilas, non has quidem, quæ inter manus lusu expellente vibrabant, sed eas quæ in terram decidebant. *Viri ibi docti putant, hunc numeratorem* Pilicrepum *dictum: quod non tam Seneca, quàm lapis & Isidorus refellunt.*

6. PILAS.] *Explicaui. sed Turnebus*, plus *mallet, cum quibusdam libris: & tunc scilicet: cùm plures, quàm essent, manus aut vices numeraret, magnos excitatos clamores. Non audio. nec nostrum quidem Hadrianum Iunium, qui* Pilos *legit, item cum suffragio aliquot librorum: & explicat* Pilicrepum, *qui pilos cum forficularum crepitu (quod & hodie) truncat, & adnumerat.*

7. SCORDALVM.] *Plures libri*, Sordalum. *sed illa vox in Isidoro, & explicatur*: Scordalus, ferox: *est & in Petronio*, Redditaque scordalo vice. *Noster iterùm vtitur epist.* LXXXIII. Tullius Cimber & nimius erat in vino, & scordalus. *Quod assidet interpretationi Isidori, significatq;, hominem in vino feroculum & liberioris linguæ fuisse. Plebeia vox, & inter vulgi conuicia: cui originem à Græco σκὼρ (quod* oletum *aut* merdam *notat) aliqui petunt; alij à σκορόδῳ siue* allio, *quasi fœtidum dicas.*

8. VOX SVA IN BALNEO.] *Cantillabant illîc, recitabant etiam. Nam, vt Horatius:*

Suaue locus voci resonat conclusus.

9. RECTÆ VOCES.] *Non factæ, aut fractæ.*

10. ALIPILVM.] *Inscriptio vetus*: M. OCTAVIVS. PRIMIGENIVS. ALIPILVS. A. TRITONE. *Glossæ*: Alipilarius ἀποπαιστής. *Nempe ille, qui aut dropace (vnguento è pice) pilos alarum euellit, aut & volsellis. Iuuenalis, de puero verè puero:*

—nec vellendas iam præbuit alas.

11. ALIVM PRO SE CLAMARE.] *Eum, cui alas immodestè vellit: ideoq; dolorem excitat. Hoc ad Volsellas magis spectat.*

12. LIBARII.] *Qui liba vænui proclamat.*

13. BOTVLARIVM.] *Qui botulos aut botellos, quorum duo genera: vel ex ouis, & nucleis, cepâ ac porro, & pluribus apud Apicium lib.* II. *cap.* V. *vel ex sanguinis, viscerumq; infarctis, in Tertulliano & Festo. Græcis à distentione, id genus est* φύσκος.

14. CRVSTVLARIVM.] *Seneca epist.* XCIX. Solamur crustulo pueros. *Horatius:*

—— pueris dant crustula blandi
Doctores.

Frustum panis benè cocti, leuiter melliti. Video testamentis aliquoties iussum dari. vt in lapide prisco quidam: NATALI. SVO. PERPETVO. DARI. MVNICIPIB. ET. INCOL. ET MVLIERIB. NVPTIS.

CRVSTVL.

inter clamores tam varios, tam dissonos, constat! cùm [15] Chrysippum nostrum assidua A
salutatio perducat ad mortem. At mehercules, ego istum fremitum non magis curo, quàm fluctum aut deiectum aquæ. Quamuis audiam [16] cuidam genti hanc vnam fuisse caussam, vrbem suam transferendi, quia fragorem Nili cadentis ferre non potuit. Magis mihi vox auocare videtur, quàm crepitus. Illa enim animum abducit, hic tantùm aures implet, ac verberat. In iis quæ me sine auocatione circumstrepunt, [17] essedas transcurrentes pono, & fabrum inquilinum, & serrarium vicinum, aut hunc qui [18] ad metam sudantem [19] tabulas experitur & tibias, nec cantat, sed exclamat. Etiam molestior est mihi sonus, qui intermittitur subinde, quàm qui continuatur. Sed iam me sic ad omnia ista duraui, vt audire [20] vel pausarium possim, voce acerbissimâ remigibus modos dantem. Animum enim cogo sibi intentum esse, nec auocari ad externa. omnia licet foris resonent; dum intus nihil tumultus sit, dum inter se non rixentur cupiditas & timor, dum auaritia luxuriaque non dissideant, nec altera alteram vexet. Nam quid prodest totius regionis silentium, si affectus fremunt? B

[21] *Omnia noctis erant, placidâ composta quiete.*

Falsum est. nulla placida quies est, nisi quam ratio composuit. nox exhibet molestiam, non tollit, & solicitudines mutat. Nam dormientium quoque insomnia tam turbulenta sunt, quàm dies. [22] Illa tranquillitas vera est, in quam bona mens explicatur. Adspice illum, cui somnus laxæ domus silentio quæritur: cuius aures ne quis agitet sonus, omnis seruorum turba conticuit, & suspensum, accedentium propiùs, vestigium ponitur. Huc nempe versatur atque illuc, somnum inter ægritudines leuem captans: quæ non audit, audisse se queritur. Quid in caussâ putas esse? animus illi obstrepit: hic placandus est, huius compescenda est seditio: quem non est quod existimes placidum, si iacet corpus. Interdum quies inquieta est. Et ideò ad rerum actus excitandi, ac tractatione bonarum artium occupandi sumus, quoties nos malè habet inertia sui impatiens. Magni imperatores cùm malè parere militem vident, aliquo labore compescunt, & expeditionibus detinent. numquam vacat lasciuire districtis: nihilque tam certum est quàm otij vitia negotio discuti. Sæpè videmur tædio rerum ciuilium, & infelicis atque ingratæ [23] stationis C
pæni-

CRVSTVL. P. I. MVLSI. HEMIN. *id est*, crustuli pondo vnum, mulsi heminam. *In alio:* VT. EX. EO. VECTIGALE. QVOTANNIS. COLONIS. MVLSVM. ET. CRVSTVM. NATALI. CÆSARIS. AVGVSTI. DARETVR.

15. CHRYSIPPVM NOSTRVM.] *Quem? illum nobilem Græcum? atqui salutationum ille mos non sic sollennis Græcis. Neque* nostrum *dixisset sic familiariter, præsertim cùm Lucilius in aliis castris. Meus liber,* Crisipum: *neque dubito legere* Crispum, *magnum Senecæ amicum: ad quem & Epigramma scriptum. Apparet hunc offensum salutatoribus, & ab iis obsessum, tale aliquid dixisse, an scripsisse.*

16. CVIDAM GENTI.] *Vide Quæst. Nat.* IIII. *cap.* II.

17. ESSEDAS.] *Nam & sic efferebant. Iornandes:* Curribus falcatis, quos more vulgari Essedas vocant. *Glossæ:* Esseda, bastarna. *Si displicet, possis,* essedis, *legere.*

18. AD METAM SVDANTEM.] *Fuit quidem hoc cognomento in regione Vrbis quartâ, apud Victorem & Notitiam imperij: sed & Baiis fuisse oportet, vbi hæc scripta. Dio tradidit lib.* XLVIII. simulacrum Calypsus ibi sudasse, cũ portus ab Agrippâ strueretur: *an id Metæ tali impositum, & inde cognomen?*

19. TABVLAS EXPERITVR.] *Sic scripti libri: quid tamen velit ea vox, nescio; neque aptè cum* Tibiis *dicas iungi. An fortasse,* fabulâ se experitur & tibiâ? *id esset, experimentum sui capit in fabulâ agendâ ad tibiam. Itaque sequitur,* non cantat, *sed exclamat: quod sanè ad ipsum virum, non instrumenta referas. At Muretus edidit,* tubas experitur: *sed è merâ Pinciani coniecturâ. quam etiam lectionem verba ea dicta damnant. Quod si tamen de Tubâ fuit, legam* ὑποκορισικῶς: tubulâ se experitur. *Nam & nobiles viri tubæ & tibiæ operam dabant; atq; etiam, vt apparet, cum cantu. Vidi adnotatum, in vetere codice legi,* scapulas: *tum conarer,* scabillo se experitur: *quod genus instrumenti cum Tibiâ etiam Suetonius iungit, Calig. cap.* LV.

20. VEL PAVSARIVM.] Portisculus *vel* Hortator *(Græcis* κελευστὴς*) dictus: quia & pergendi, &* D
pausandi, *modos remigibus daret. Ouidius:*

— & qui REQVIEMQVE, modumque
Voce dabat nautis, animorum HORTATOR
Epopeus.

21. OMNIA NOCTIS.] *Versus Varronis. quem cum altero habes apud Senecam patrem, lib.* VII. *Controu.* I.

22. ILLA TRANQVILLITAS.] *Zeno (apud Plutarchum, Quomodo cognoscas te profeciſſe) ait,* ex insomniis suum quemque processum posse sentire: si videlicet non turbida aut turpia ea sint, sed altâ tranquillitate composita, imagines & animi motus hilariores habeant. *Sunt ipsa hæc, & priora, Senecæ.*

23. STATIONIS.] *Officij & muneris. à militiâ ductum.*

24. Ex

A pænitentiâ, ſeceſſiſſe: tamen in illâ latebrâ, in quam nos timor & laſſitudo coniecit, interdum recrudeſcit ambitio. Non enim exciſa deſiit, ſed fatigata, aut etiam abiecta, rebus parùm ſibi cedentibus. Idem de luxuriâ dico, quæ videtur aliquando ceſſiſſe: deinde frugalitatem profeſſos ſollicitat, atque in mediâ parſimoniâ voluptates non damnatas, ſed relictas petit: & quidem eò vehementiùs, quo occultiùs. Omnia enim vitia in aperto leuiora ſunt: morbi quoque tunc ad ſanitatem inclinant, cùm ex abdito erumpunt, ac vim ſuam proferunt. Et auaritiam itaque, & ambitionem, & cetera mala mentis humanæ, tunc pernicioſiſſima ſcias eſſe, cùm ſimulatâ ſanitate ſubſidunt. Otioſi videmur, & non ſumus. Nam ſi bonâ fide ſumus, ſi receptui cecinimus, ſi ſpecioſa contempſimus, vt paulò antè dicebam, nulla res nos auocabit, nullus hominum auiumque concentus interrumpet cogitationes bonas, ſolidasque & iam certas. Leue illud ingenium, nec ſe adhuc reduxit introrſus, quod ad vocem [24] ex accidenti erigitur. Habet intus aliquid ſolicitudinis, & concepti pauoris, quod illum curioſum facit, vt ait Vir-
B gilius noſter:

Et me, quem dudum non vlla iniecta mouebant
Tela, nec aduerſo glomerati ex agmine Graij,
Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis
Suſpenſum, & pariter comitique onerique timentem.

Prior ille ſapiens eſt, quem non tela vibrantia, non arietata inter ſe arma agminis denſi, non vrbis impulſæ fragor territat: hic alter imperitus eſt, rebus ſuis timet, ad omnem crepitum expaueſcens, quem vna quælibet vox pro fremitu accepta deiecit, quem motus leuiſſimi exanimant. Timidum illum ſarcinæ faciunt. Quemcumque ex iſtis felicibus elegeris, multa trahentibus, multa portantibus, videbis illum *comitique onerique timentem.* Tunc ergo te ſcito eſſe compoſitum, cùm ad te nullus clamor pertinebit: cùm te nulla vox tibi excutiet: non ſi blandietur, non ſi minabitur, non ſi inani ſono [25] varia circumſtrepet. Quid ergo? non aliquando commodius eſt, carere conuicio? fateor.
C Itaque ègo ex hoc loco migrabo: experiri & exercere me volui. Quid neceſſe eſt diutiùs torqueri: cùm tam facile remedium Vlixes ſociis etiam aduerſus Sirenas dederit, & inuenerit?

EPIST. LVII.

De Cryptâ Neapolitanâ, & ibi horrore. tum primos motus in poteſtate non eſſe. Aliquid de animi tenuitate, & celeritate.

Cvm Baiis deberem Neapolim repetere, facilè credidi tempeſtatem eſſe, ne [1] iterùm nauem experirer. ſed tantum luti totâ viâ fuit, vt poſſem videri [2] nihilominus nauigaſſe. Totum [3] athletarum fatum mihi illo die perpetiendum fuit. aceromate
D nos haphe excepit, in [4] Cryptâ Neapolitanâ. Nihil illo carcere longius, [5] nihil illis faucibus

24. Ex accidenti.] *Plures libri*, & accidentia.

25. Varia circvmstrepet.] *Aliàs*, vana.

EPIST. LVII. 1. Itervm navem experirer.] *Tam infeliciter, quàm ſuprà, epiſt.* LIII.

2. Nihilominvs navigasse.] *In eſſedo videlicet: viâ madidâ & inæquali, mutante identidem illo, ac quaſi natante. Simili metaphorâ, de hac ipsâ viâ, Statius Siluarum* IV.

Nutabat cruce pendulâ viator,
Rodebatque rotas maligna tellus,
Et plebs in mediis Latina campis
Horrebat mala navigationis.

Emenda ibidem ex meo libro, Sorbebatque rotas.

3. Athletarvm fatvm.] *Quorum eſt* ceromate *perfundi, &* haphe *deinde inſpergi. Mihi ſimile: qui in viâ primâ luto & liquore, velut craſſo ceromate, delibutus ſum: deinde in cryptâ, arenis & puluere, vt haphe perſperſus.*

4. Crypta Neapolitana.] *Quæ perfoſſo monte Pauſilypo (incertum, quo magni operis auctore) rectà Neapolim ducit:* multorum ſtadiorum longitudine, *ait Strabo, atque vt hodie dimenſio eſt*, paſſuum circiter mille. *Alioqui ſuper ipſum montem eundum ſit, ambitu magno, & viâ arduâ.*

5. Nihil favcibvs obscvrivs.] *Fauces, anguſti tranſitus etiam vocabantur: nequis de aditu capiat,*

ribus obscurius, quæ nobis præstant, non vt per tenebras videamus, sed vt ipsas. Cete- A
cùm etiam si locus haberet lucem, puluis auferet, in aperto quoque res grauis & molesta:
quid illîc, vbi in se volutatur, & cùm sine vllo spiramento sit inclusus, in ipsos à quibus
excitatus est recidit? Duo incommoda inter se contraria simul pertulimus. eâdem viâ,
eodem die, & luto & puluere laborauimus. Aliquid tamen mihi illa obscuritas, quod
cogitarem dedit. sensi quemdam ictum animi, & sine metu mutationem, quam inso-
litæ rei nouitas simul ac fœditas fecerat. Non de me nunc tecum loquor, qui multum ab
homine tolerabili, ne dum à perfecto absum, sed de illo in quem ius fortuna perdidit:
huius quoque ferietur animus, [6] mutabitur color. Quædam enim, mi Lucili, nulla vir-
tus effugere potest: admonet illam natura mortalitatis suæ. Itaque & vultum adducet
ad tristitiam, & inhorrescet ad subita, & caligabit, si vastam altitudinem in crepidine
eius constitutus despexerit. Non est hic timor, sed naturalis affectio inexpugnabilis ra-
tioni. Itaque fortes quidam, & paratissimi fundere suum sanguinem, alienum videre
non possunt: quidam ad vulneris noui, quidam ad veteris & purulenti tractationem in- B
spectationemque concidunt, & linquuntur animo: alij gladium facilius recipiunt, quàm
vident. Sensi ergo (vt dicebam) quamdam non quidem perturbationem, sed mutatio-
nem: rursus, ad primum conspectum redditæ lucis, alacritas incogitata rediit & iniussa.
Illud deinde mecum loqui cœpi, quàm ineptè quędam magis ac minùs timeremus, cùm
omnium idem finis esset. Quid enim interest, vtrùm supra aliquem [7] vigiliarium ruat,
an mons? nil inuenies. Erunt tamen qui hanc ruinam magis timeant, quamuis vtraque
mortifera æquè sit. Adeò non effectus, sed efficientia timor spectat. Nunc me putas de
Stoicis dicere, qui existimant [8] animam hominis magno pondere extriti [9] permeare non
posse, & statim spargi, quia non fuerit illi exitus liber: ego verò non facio. qui hoc di-
cunt, videntur mihi errare. Quemadmodum flamma non potest opprimi: nam circa
id diffugit, quo vrgetur: quemadmodum aër verbere aut ictu non læditur, nec scindi-
tur quidem, sed circa id cui cessit refunditur: sic animus qui ex tenuissimo constat, de-
prehendi non potest, nec [10] intra corpus affligi: sed beneficio subtilitatis suæ, per ipsa C
quibus premitur, erumpit. Quomodo fulmini, etiam cùm latissimè percussit ac fulsit,
per exiguum foramen est reditus: sic animo, qui adhuc tenuior est igne, per omne cor-
pus fuga est. Itaque de illo quærendum est, an possit immortalis esse? hoc quidem cer-
tum habe, si superstes est corpori, propter hoc illum nullo genere posse perire, [11] pro-
pter quod non perit: quoniam nulla immortalitas cum exceptione est, nec quidquam
noxium æterno est.

capiat, qui certè illustris. Obscuritas autem hîc, tempore Senecæ, & densæ tenebræ, vt ostendit: non æquè Strabonis, id est Tiberij. qui disertim scribit, τὰ φῶτα ἐκ τῆς ὑπαφανείας τῆ ὄρυς, πολλαχόθεν ἐκκοπεισῶν θυρίδων, διὰ βάθους πολλοῦ κατάγεσθαι: lumen è superficie montis, plurifariàm feneſtellis incisis, per multam altitudinem demitti. *Oportuit hæc luminaria obstructa æuo aut neglectu fuisse, si tam densæ tunc tenebræ. Quod idem fuit ad tempora Alphonsi primi Aragonum regis: qui prouinciâ eâ subditâ, viam istam & fauces aperuit, complanauit, duas fenestras incîdit, quæ lumen in mediam speluncam obliquum funderent: vt hodieq; comparent.*

6. MVTABITVR COLOR.] *De totâ hac re, pulchrè Stoiculus quispiam apud Agellium lib.* XIX. *ca.* I. *& nos Manuduct.* III. *Diss.* VII.

7. VIGILIARIVM RVAT.] *Locus & specula, in quâ Vigiles; vt Valetudinarium, Spoliarium, Viuarium. Sed super lectione ambigo, & meus liber*, Iugularium *præfert. Suspicabar aliquando*, Tigillarium. *an*, vigilem atrium.

8. ANIMAM HOMINIS.] *De hoc Stoico sensu scripsi Physiol.* III. *Diss.* XI.

9. PERMEARE NON POSSE.] *Est Pinciani coniectura, sed bella & blandiens. Libris scribitur*, permanere: *neque damnes. aut si; in* permanare, *aptissimè mutes.* D

10. INTRA CORPVS AFFLIGI.] *Velim*, effligi.

11. PROPTER QVOD NON PERIT.] *Vni meorum abest vox*, propter: *& relegem libenter, aut mutem in* propterea. *Non displiceat etiam:* per quod hoc perit. *Hoc, id est corpus.*

EPIST.

A

EPIST. LVIII.

VERBA quædam nupera, desita nunc esse. transit ad Physica, & quotuplex τὸ ὄν, ex Platone. Aptat ad Ethica, & nihil hîc idem, aut firmum, esse. Tum subtilitates, quem vsum habere possint? & hunc ex omni re captandum. Adnectit de senectute, & morte: neutram optandam, aut recusandam.

QVANTA verborum nobis [1] paupertas, imò egestas sit, numquam magis quàm hodierno die intellexi. Mille res inciderunt, cùm fortè de Platone loqueremur, quæ nomina desiderarent, nec haberent: quædam verò cùm habuissent, fastidio nostro perdidissent. Quis autem ferat in egestate fastidium? Hunc quem Græci œstrum vocant, pecora peragentem, & totis saltibus dissipantem, asilum nostri vocabant. hoc
B Virgilio licet credas:

Et lucum Silari iuxtà ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
Romanum est, œstrum Græci vertere vocantes,
Asper, acerba sonans, quo tota exterrita siluis
Diffugiunt armenta. ——

[2] Puto intelligi istud verbum interisse. Ne te longè differam, quædam simplicia in vsu erant, sicut *cernere ferro* inter se dicebant. Idem Virgilius hoc probabit tibi:

——— *Stupet ipse Latinus,*
Ingentis, genitos diuersis partibus orbis,
Inter se coïsse viros, & cernere ferro.

quod nunc decernere dicimus: simplicis illius verbi vsus amissus est. Dicebant antiqui, *si iusso*, id est, si iussero. Hoc nolo mihi credas: [3] sed fide Virgilio:

C *Cetera quà iusso, mecum manus inferat arma.*

Non id ego nunc hac diligentiâ, vt ostendam quantum tempus apud grammaticum perdiderim: sed vt ex hoc intelligas, quantum apud Ennium & Attium, verborum situs occupauerit: cùm apud hunc quoque, qui quotidie excutitur, aliqua nobis subducta sint. Quid, inquis, sibi ista vult præparatio? quò spectat? Non celabo te. cupio, si fieri potest propitiis auribus tuis, [4] Essentiam dicere: sin minùs, dicam & iratis. [5] Ciceronem auctorem huius verbi habeo, puto locupletem. si recentiorem quæris; [6] Fabianum, disertum & elegantem, orationis, etiam ad nostrum fastidium, nitidæ. Quid enim fiet, mi Lucili? quomodo dicetur οὐσία res necessaria, [7] naturam continens, fundamentum omnium? Rogo itaque permittas mihi hoc verbo vti. nihilominus dabo operam, vt ius à te datum parcissimè exerceam: fortasse contentus ero mihi licere. Quid proderit facilitas tua, cùm ecce id nullo modo Latinè exprimere possim, propter quod linguæ nostræ conuicium feci? Magis damnabis angustias Romanas, si scieris vnam syllabam esse,
D quam mutare non possim. Quæ hæc sit, quæris? τὸ ὄν. Duri tibi videbor ingenij: in medio positum, posse sic transferri, vt dicam, Quod est. Sed multum interesse video. cogor verbum pro vocabulo ponere: sed id si necesse est, ponam. Quod est, Sex modis hoc à Platone dici, amicus noster homo eruditissimus hodierno die dicebat. Omnes tibi expo-

EPIST. LVIII. 1. PAVPERTAS, IMÒ EGESTAS.] *Plus igitur hoc est: & Pauperies esse rei potest, quâ non egeas. Plinius lib.* IV. *epist.* Inopiâ, ac potiùs vt Lucretius ait, hac egestate patrij sermonis. *Noster epist.* XVII. Non est quòd paupertas nos à philosophiâ reuocet, nec egestas quidem.

2. PVTO INTELLIGI.] *Siue*, intelligis.

3. SED FIDE.] *Alij*, fidei: *fortasse*, fido.

4. ESSENTIAM DICERE.] *Optimè ita Muretus, cùm in libris esset*, quid sentiam.

5. CICERONEM AVCTOREM.] *Sidonius*: Lecturus es hîc nouum verbum Essentiam: sed scias hoc ipsum dixisse Ciceronem.

6. FABIANVM.] *Quem intelligit Fabius*: Vsiam, quam Flauius Essentiam vocat. *Nomen ei fuit*, Ser. Flauius Papirius Fabianus.

7. NATVRAM CONTINENS.] *Omnia enim ex Vsiâ: quæ est propriè Stoicis, Deus & Materia.*

exponam, si antè indicauero, esse aliquod genus, esse & speciem. Nunc enim primum A
illud genus quærimus, ex quo ceteræ species suspensæ sunt, à quo nascitur omnis diuisio, quo vniuersa comprehensa sunt. Inuenietur autem, si cœperimus singula retrò legere. sic enim perducemur ad primum. Homo species est, vt Aristoteles ait: equus species est, canis species. ergo commune aliquod quærendum est his omnibus vinculum, quod illa complectatur, & sub se habeat. Hoc quid est? animal. Ergo genus esse cœpit omnium horum quæ modò retuli, hominis, equi, canis, animal. Sed sunt quædam, quæ animam habent, nec sunt animalia. placet enim satis & arbustis animam inesse. itaque & viuere illa, & mori dicimus. Ergo animantia superiorem tenebunt locum, quia animalia in hac formâ sunt, & sata. Quædam animâ carent, vt saxa. itaque aliquid erit animantibus antiquius, scilicet corpus. hoc sic diuidam, vt dicam corpora omnia aut animata esse, aut inanimantia. Etiamnum est aliquid superius, quàm corpus. Dicimus enim quædam corporalia esse, quædam incorporalia. Quid ergo erit ex quo hæc diducantur? illud cui nomen modò parùm proprium imposuimus, Quod est. Sic enim in species se- B
cabitur, vt dicamus: Quod est, aut corporale est, aut incorporale. Hoc ergo genus est primum & antiquissimum, &, vt ita dicam, generale: cetera genera quidem sunt, sed specialia, tamquam [8] homo genus est. Habet enim in se nationum species, Græcos, Romanos, Parthos; colorum, albos, nigros, flauos: habet singulos, Catonem, Ciceronem, Lucretium. Itaque quâ multa continet, in genus cadit: quâ sub alio est, in speciem. Illud genus, Quod est, generale, supra se nihil habet. Initium rerum est. omnia sub illo sunt. Stoici volunt superponere huic etiam aliud genus magis principale: de quo statim dicam, si priùs illud genus, de quo locutus sum, meritò primum poni docuero, cùm sit rerum omnium capax. Quod est, in has species diuido, vt sint corporalia, aut incorporalia. Nihil tertium est. Corpus quomodo diuido? vt dicam, aut animantia sunt, aut inanimantia. Rursus animantia quemadmodum diuido? vt dicam, quædam animum habent, quædam tantùm animam: aut sic: quædam impetum habent, incedunt, transeunt: quædam solo affixa, radicibus aluntur & crescunt. Rursus animalia in quas species C
seco? aut mortalia sunt, aut immortalia. Primum genus Stoicis quibusdam [9] videtur, Quid: sed quare videatur, subiiciam. In rerum (inquiunt) naturâ quædam sunt, quædam non sunt. Et hæc autem quæ non sunt, rerum natura complectitur, quæ animo succurrunt, tamquam Centauri, Gigantes, & quidquid aliud falsâ cogitatione formatum, habere aliquam imaginem cœpit, quamuis non habeat substantiam. Nunc ad id quod tibi promisi, reuertor, quomodo quæcumque sunt, [10] in sex modos Plato partiatur. Primum illud Quod est, nec visu, nec tactu, nec vllo sensu comprehenditur: cogitabile est. quod generaliter est: tamquam homo generalis sub oculos non venit, sed specialis venit, vt Cicero & Cato. Animal non videtur, sed cogitatur: videtur autem species eius, equus & canis. Secundum ex his quæ sunt, ponit Plato, quod eminet & exsuperat omnia. Hoc ait per excellentiam esse. vt poëta communiter dicitur. omnibus enim versus facientibus hoc nomen est. sed iam apud Græcos in vnius notam cessit. Homerum intel- D

8. HOMO GENVS EST.] *Atqui suprà Species erat, sed ex Aristotele: hîc Logicam Chrysipi sequi eum probabile est, hodie ridendam.*

9. VIDETVR, QVID.] *Ita lego, cùm libris sit ambiguè* Quid, *vel* Quod: *sed illud præfero. Muretus in vno etiam repperisse ait*, Quiddam. *Græcè dixerunt indubiè*, τὸ τί. *Pincianus sententiam loci primus peruidit, & breuiter posuit: Stoicis aliud aliquod genus* Ente *superius esse, nempe* Quod: *ita enim ipse legit. Id igitur ijs diuiditur, in verè* Ens, *&* Non ens. *Verè, vt omnia quæ in rerum naturâ sunt*: Non ens, *vt sunt Centauri, Chimeræ, & quæ in mente solâ subsistunt.*

10. IN SEX MODOS PLATO.] *Primò quidem in duos: atque ita in Timæo, & Sophistâ* τὸ ὄν *diuidit. Apuleius ex illo*, τὰς οὐσίας, quas Essentias dicimus, duas esse ait: per quas cuncta gignantur, Mundusque ipse. Quarum vna cogitatione solâ concipitur; altera sensibus subijci potest. Prior illa verè esse memoratur: hanc verò non esse possumus dicere. Et primæ quidem Essentiæ primùm Deum esse, & Mentem, Formasque rerum & Animam: secundæ, omnia quæ informantur, quæque gignuntur, & quæ ab Substantiæ superioris exemplo originem ducunt. *Hæc ita vniuersè in Platone: sed distinctiùs noster in sex modos partitur. Primum est*, Ens νοητὸν, intelligibile: *vt Animal. Secundum, excellentissimum Ens, & caussa Entium*, Deus. *Tertium*, Idea. *Quartum ipsa* Εἶδη *siue* Species. *Quintum, quæ sensibus subiecta, id est* corpora. *Sextum, quæ* quasi sunt, *vt Inane, Tempus.*

A intelligas, cùm audieris poëtam. Quid ergo hoc eſt? Deus, ſcilicet maior ac potentior cunctis. Tertium genus eſt eorum, quæ propriè ſunt: innumerabilia hæc ſunt, ſed extra noſtrum poſita conſpectum. Quæ ſunt, interrogas? propria Platonis ſupellex eſt. [11] Ideas vocat, ex quibus omnia, quæcumque videmus, fiunt: & ad quas cuncta formantur. Hæ immortales, immutabiles, inuiolabiles ſunt. Quid ſit Idea, id eſt, quid Platoni eſſe videatur, audi. Idea eſt eorum, quæ naturâ fiunt, exemplar æternum. Adiiciam definitioni interpretationem, quò tibi res apertior fiat. Volo imaginem tuam facere. exemplar picturæ te habeo, ex quo capit aliquem habitum mens, quem operi ſuo imponat. Ita illa quæ me docet & inſtruit facies, à quâ petitur imitatio, Idea eſt. Talia ergo exemplaria infinita habet natura rerum, hominum, piſcium, arborum: ad quæ, quodcumque fieri ab illa debet, exprimitur. Quartum locum habet εἶδος. Quid ſit hoc εἶδος, attendas oportet: & Platoni imputes, non mihi, hanc rerum difficultatem. nulla eſt autem ſine difficultate ſubtilitas. Paullò antè pictoris imagine vtebar. ille cùm reddere
B Virgilium coloribus vellet, ipſum intuebatur: Idea erat Virgilij facies, futuri operis exemplar: ex hac quod artifex trahit, & operi ſuo impoſuit, εἶδος eſt. Quid interſit, quæris? alterum exemplar eſt, alterum forma ab exemplari ſumpta, & operi impoſita. alteram artifex imitatur, alteram facit. Habet aliquam faciem ſtatua: hæc eſt Idos. habet aliquam faciem exemplar ipſum, quod intuens opifex, ſtatuam figurauit: hæc Idea eſt. Etiamnum aliam deſideras diſtinctionem? Idos in opere eſt: Idea extra opus: nec tantùm extra opus eſt, ſed ante opus. Quintum genus eſt eorum, quæ communiter ſunt. hæc incipiunt ad nos pertinere: hîc ſunt omnia, homines, pecora, res. Sextum genus eorum eſt, quæ quaſi ſunt, tamquam inane, tamquam tempus. Quæcumque videmus ac tangimus, Plato in illis non numerat, quæ eſſe propriè putat. Fluunt enim, & aſſiduâ diminutione atque adiectione ſunt. Nemo noſtrûm idem eſt in ſenectute, qui fuit iuuenis. nemo eſt manè, qui fuit pridie. Corpora noſtra rapiuntur fluminum more. quidquid vides, currit cum tempore, nihil ex his quæ videmus, manet. Ego ipſe dum loquor
C mutari iſta, mutatus ſum. Hoc eſt [12] quod ait Heraclitus: *In idem flumen bis non deſcendimus.* Manet idem fluminis nomen, aqua tranſmiſſa eſt. Hoc in amne manifeſtius eſt, quàm in homine. ſed nos quoque non minùs velox curſus præteruehit: & ideò admiror dementiam noſtram, quòd tantopere amamus rem fugaciſſimam, corpus, timemuſque ne quando moriamur: cùm omne momentum, mors prioris habitus ſit. Vis tu timere, ne ſemel fiat quod quotidie fit? De homine dixi, fluidâ materiâ & caducâ, & omnibus obnoxiâ caſibus: mundus quoque, æterna res & inuicta, mutatur, nec idem manet. Quamuis enim omnia in ſe habeat quæ habuit, aliter habet quàm habuit, ordinem mutat. Quid, inquis, iſta ſubtilitas mihi proderit? ſi me interrogas, nihil. Sed quemadmodum ille cælator oculos diu intentos ac fatigatos remittit atque auocat, &, vt dici ſolet, paſcit: ſic nos animum aliquando debemus relaxare, & quibuſdam oblectamentis reficere. ſed ipſa oblectamenta opera ſint: ex his quoque, ſi obſeruaueris, ſumes quod poſſit fieri ſalutare. Hoc ego, mi Lucili, ſoleo facere: [13] ex omni natione, etiam ſi à phi-
D loſophiâ longiſſimè auerſa eſt, eruere aliquid conor, & vtile efficere. Quid de iſtis capiam, quæ modò tractauimus, remotis à reformatione morum? quomodo meliorem me facere Ideæ Platonicæ poſſunt? quid ex iſtis traham, quod cupiditates meas comprimat? Vel hoc ipſum, quòd omnia iſta quæ ſenſibus ſeruiunt, quæ nos accendunt & irritant, negat Plato ex iis eſſe quæ verè ſint. Igitur iſta imaginaria ſunt, & ad tempus aliquam faciem ferunt: nihil horum ſtabile, nec ſolidum eſt. & nos tamen cupimus tamquam

11. IDEAS VOCAT.] *De his ego aliquid Phyſiol.* II. *Diſſert.* III.

12. QVOD AIT HERACLITVS.] *Plato in Cratylo:* Λέγει που Ἡράκλειτος, ὅτι πάντα ῥεῖ, καὶ οὐδὲν μένει. καὶ ποταμοῦ ῥοῇ ἀπεικάζων τὰ ὄντα, λέγει, ὡς δὶς ἐς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἂν ἐμβαίης: Ait Heraclitus, omnia fluere, nec quidquam manere. & cum fluuij curſu iſta quæ ſunt comparans, addit, quòd nec in idem flumen bis poſſis ingredi. *Idem in Empirico legas,* III. *Hypotheſeon.*

13. EX OMNI NATIONE.] *Sic libri, & interpreteris, ex omni genere hominum aut ſectâ. Muretus mallet,* tractatione: *eſt in orâ quorumdam librorum,* oratione, *quod mihi præplaceat.*

quam aut ſemper futura, aut ſemper habituri. Imbecilli fluidiq́ue per interualla conſi- A
ſtimus: mittamus animum ad illa, quæ æterna ſunt. miremur in ſublimi volitantes re-
rum omnium formas: Deumq́; inter illa verſantem, & prouidentem, quemadmodum
quæ immortalia facere non potuit, quia materia prohibebat, defendat à morte, ac ratio-
ne vitium corporis vincat. Manent enim cuncta, non quia æterna ſunt, ſed quia defen-
duntur curâ regentis. Immortalia tutore non egent: hæc conſeruat artifex, fragilitatem
materiæ vi ſuâ vincens. Contemnamus omnia, quæ adeò pretioſa non ſunt, vt an ſint
omnino, dubium ſit. Illud ſimul cogitemus, ſi mundum ipſum non minùs mortalem,
quàm nos ſumus, prouidentia periculis eximit, poſſe tamen aliquatenus noſtrâ quoque
prouidentiâ longiorem prorogari huic corpuſculo moram, ſi voluptates, quibus pars
maior perit, potuerimus regere & coërcere. Plato ipſe ad ſenectutem ſe diligentiâ per-
tulit. Erat quidem corpus validum ac forte ſortitus, & illi nomen [14] latitudo pectoris fe-
cerat: ſed nauigationes ac pericula multum detraxerunt viribus: parſimonia tamen, & B
earum quæ auiditatem euocant modus, & diligens ſui tutela, perduxit illum ad ſenectu-
tem, multis prohibentibus cauſſis. Nam hoc ſcis, puto, Platoni diligentiæ ſuæ beneficio
contigiſſe, quod [15] natali ſuo deceſſit, & [16] annum vnum atque octogeſimum imple-
uit, [17] ſine vllâ deductione. Ideò Magi, qui fortè Athenis erant, immolauerunt defun-
cto, amplioris fuiſſe ſortis quàm humanæ rati, quia conſummaſſet perfectiſſimum nu-
merum, quem nouem nouies multiplicata componunt. Non dubito, quin paratus eſſet
paucos dies ex iſtâ ſummâ, & ſacrificium, remittere. Poteſt frugalitas producere ſene-
ctutem: quam vt non puto concupiſcendam, ita ne recuſandam quidem. Iucundum
eſt eſſe ſecum quàm diutiſſimè, cùm quis ſe dignum quo frueretur, effecit. Itaque de iſto
[18] feremus ſententiam, an oporteat faſtidire ſenectutis extrema, & finem non opperiri,
ſed manu facere. Propè eſt à timente, qui fatum ſegnis exſpectat: ſicut ille vltrà mo-
dum deditus vino eſt, qui amphoram exſiccat, & fæcem quoque exſorbet. De hoc tamen
quæremus, pars ſumma vitæ, [19] vtrùm fæx vitæ hæc ſit, an liquidiſſimum ac puriſſi-
mum quiddam: ſi modò mens ſine iniuriâ eſt, & integri ſenſus animum iuuant, nec C
defectum & præmortuum corpus eſt. Plurimum enim refert, vitam aliquis extendat,
[20] an mortem. At ſi inutile miniſteriis eſt corpus, quid ni oporteat educere animum la-
borantem? & fortaſſe paullò antè quàm debet, faciendum eſt, ne cùm fieri debeat, face-
re non poſſis: & cùm maius periculum ſit malè viuendi, quàm citò moriendi, ſtultus eſt
qui non exigui temporis mercede, magnæ rei aleam redimit. Paucos longiſſima ſene-
ctus ad mortem ſine iniuriâ pertulit. multis iners vita ſine vſu iacuit ſui. [21] Quanto de-
inde crudelius iudicas, aliquid ex vitâ perdidiſſe, quamuis finiendâ? Noli me inuitus au-
dire, tamquam ad te iam pertineat iſta ſententia: ſed quid dicam æſtima. Non relin-
quam ſenectutem, ſi me totum mihi reſeruabit: totum autem ab illâ parte meliore. At
ſi cœperit concutere mentem, ſi partes eius conuellere, ſi mihi non vitam reliquerit, ſed
ani-

14. LATITVDO PECTORIS.] *Apuleius*: Platoni habitudo corporis cognomentum dedit. namque Ariſtocles priùs nominatus. πλατὺς *Græcis*, latus.

15. NATALI SVO.] *Qui fuit menſis Thargelionis ſeptimus dies, Plutarcho auctore Quæſt. Conuiual.* VIII. *Quæſt.* I. *& Laërtio.*

16. ANNVM VNVM ATQVE OCTOGESIMVM IMPLEVIT.] *Conuenit cum Athenæo, qui ad* annum LXXXII. peruenisse *prodidit, libro* V. *Item Cenſorino, qui ait* Magnos viros non priùs vitâ exceſſiſſe, quàm ad annum illum octogeſimum & vnum peruenerint: in quo Plato finem vitæ & legitimum eſſe exiſtimauit, & habuit. *Idem Suidas: at Neanthes apud Laërtium annos* LXXXIIII. *adſcribit.*

17. SINE VLLA DEDVCTIONE.] *Iuſto calculo. quippe obijt ipſo natali ſuo: ergo expleuit, nec plus minus fuit. Formularis ſermo eſt in ratiocinijs. Vide* D *De Benef.* II. *cap.* IV.

18. FEREMVS SENTENTIAM.] *Quid hîc Stoici aut Seneca, ediſſerui Manuduct.* III. *Diſſert.* XXII.

19. VTRVM FÆX VITÆ HÆC SIT.] *Ita poëta ille Comicus apud Stobæum:*

Σφόδρα τ' ἔστιν ὁ βίος ἡμῶν οἴνῳ προσφερής,
Ὅταν ἡ τὸ λοιπὸν μικρὸν, ὄξος γίνεται:
Hæc vita vino ſimilis admodum cluet,
Cùm paullulum ſuperſit, eſt fæx atque acor.

20. AN MORTEM.] *Quia vita ſcilicet non eſt, in miſerijs maliſq́;, ſine ſpe, agere.*

21. QVANTO DEINDE CRVDELIVS.] *Verba aduerſæ ſententiæ, non debere finiri.*

22. Ex

A animam: profiliam [22] ex ædificio putrido ac ruenti. Morbum morte non fugiam, dumtaxat sanabilem, nec officientem animo: non afferam mihi manus propter dolorem. sic mori, vinci est. Hunc tamen si sciero perpetuò mihi esse patiendum: exibo non propter ipsum, sed quia impedimento mihi futurus est ad omne, propter quod viuitur. Imbecillus est & ignauus, qui propter dolorem moritur: stultus, qui doloris caussâ viuit. Sed in longum exeo. est præterea materia [23] quæ ducere diem possit. Et quomodo finem vitæ imponere poterit, qui epistolæ non potest? Vale ergo: quod libentiùs quàm [24] mortes meras lecturus es.

EPIST. LIX.

VOLVPTATIS & Gaudij discrimen: atque hoc honestum verbum esse. Laudat deinde stilum Lucilij, & philosopho verba item non negligenda; amandas etiam parabolas atque imagines. Seriò autem, non obiter philosophandum esse: nec nobis ipsis citò placendum. quæ adulatio nos perdit.

B MAGNAM ex epistolâ tuâ percepi voluptatem. permitte enim mihi vti verbis publicis; nec illa ad significationem Stoicam reuoca. Vitium esse voluptatem credimus. Sit sanè: ponere tamen illam solemus, ad demonstrandam animi hilarem affectionem. Scio, inquam, & voluptatem (si [1] ad nostrum album verba dirigimus) rem infamem esse, & gaudium [2] nisi sapienti non contingere. Est enim animi elatio, [3] suis bonis viribusque fidentis. vulgò tamen sic loquimur, vt dicamus, magnum gaudium nos ex illius consulatu, aut ex nuptiis, aut ex partu vxoris percepisse: quæ adeò non sunt gaudia, vt sæpè initia futuræ tristitiæ sint. Gaudio autem iunctum est, non desinere, nec in contraria verti. Itaque cùm dicit Virgilius noster: *Et mala mentis Gaudia*; disertè quidem dicit, sed parùm propriè: nullum enim malum gaudium est. Voluptatibus hoc C nomen imposuit, & quod voluit, expressit: significauit enim homines, [4] malo suo lætos. tamen ego non immeritò dixeram, cepisse me magnam ex epistolâ tuâ voluptatem. quamuis enim [5] ex iustâ caussâ imperitus homo gaudeat, tamen affectum eius impotentem, & in diuersa statim inclinaturum, voluptatem voco, opinione falsi boni motam, immoderatam & immodicam. Sed vt ad propositum reuertar, audi quid me in epistolâ tuâ delectauerit. habes verba in potestate: non effert te oratio, ne longiùs quàm destinasti, trahit. Multi sunt, qui ad id quod non proposuerant scribere, alicuius verbi decore placentis vocentur; quod tibi non euenit. pressa sunt omnia, & rei aptata. Loqueris quantum vis, & plus significas quàm loqueris. Hoc maioris rei indicium est. apparet ani-

22. EX ÆDIFICIO PVTRIDO.] *Stobæus Serm.* CXVIII. *Gorgiæ Leontino hoc adscribit.* qui senex interrogatus, ecquid libens moreretur? D Μάλιστα, εἶπεν. ὥσπερ γὰρ ἐκ σαπροῦ καὶ ῥέοντος οἰκιδίου ἀσμένως ἀπαλλάττομαι: Maximè, inquit. nam, vt ex putri & diffluente domunculâ, non inuitus abeo.

23. QVÆ DVCERE DIEM.] *Id est, vber hæc materies & disputatio, & vel diem traxerit. Alij explicant,* materiam in nobis esse, quę mortem differre possit: *subtiliter magis, quàm verè.*

24. MORTES MERAS.] *Quas epistola hæc vltima habet, & sonat. Ingratum verbum desino, & in illud Valetudinis muto. Olim sic ego: mutant quidam,* & mortis moras *probant. mihi improbè.*

EPIST. LIX. 1. AD NOSTRVM ALBVM.] *Stoicum. vt in nostro foro & tribunali super ijs arbitramur.*

2. NISI SAPIENTI.] *Super totâ hac re ego vbertim Manuduct.* III. *Dissert.* V.

3. SVIS BONIS VIRIBVSQVE.] *In vno libro repperi,* suis bonis verisque: *& valdè placeat. Nam Gaudium omne Stoicis ex solâ virtute oritur, & consequitur summum illud bonum, etsi boni pars non est. Si tamen* vires *retines, ad firmum fundatumq; in virtute animi statum referes.*

4. MALO SVO LÆTOS.] *Nam & lætitia inter mala, & apud malos est. Cicero Tuscul.* IV. *Stoicè:* Atque vt confidere decet, timere non decet; sic quidem gaudere decet, lætari non decet: quoniam docendi caussâ à Gaudio Lætitiam distinguimus. *Muretus appositum Afranij versum adducit,*

Gaudebit sapiens, lætabuntur ceteri:

Afranij, an suum?

5. EX IVSTA CAVSSA.] *Turbent aliquem scripti, qui,* ex homine istâ caussâ. *Sed fuit scilicet,* ex honestâ caussâ.

animum quoque nihil habere ſuperuacui, nihil tumidi. Inuenio tamen tranſlationes A
verborum, vt non temerarias, ita quæ periculum ſui fecerint. Inuenio imagines: quibus ſi quis non vti vetat,& poëtis illas ſolis iudicat eſſe conceſſas,neminem mihi videtur ex antiquis legiſſe, apud quos nondum captabatur plauſibilis oratio. Illi qui ſimpliciter, & demonſtrandæ rei cauſsâ eloquebantur,parabolis referti ſunt: quas exiſtimo neceſſarias, non ex eâdem cauſsâ quâ poëtis, ſed vt imbecillitatis noſtræ adminicula ſint, & vt diſcentem & audientem in rem præſentem adducant. [6] Sextium ecce cummaximè lego,virum acrem, [7] Græcis verbis, Romanis moribus philoſophantem. mouit me imago ab illo poſita: ire [8] quadrato agmine exercitum, vbi hoſtis ab omni parte ſuſpectus eſt, pugnæ paratum. Idem, inquit, ſapiens facere debet: omnes virtutes ſuas vndique expandat,vt vbicumque infeſti aliquid oritur, illic parata præſidia ſint,& ad nutum regentis ſine tumultu reſpondeant. Quod in exercitibus his quos imperatores magni ordinant,fieri videmus, vt imperium ducis ſimul omnes copiæ ſentiant, ſic diſpoſitæ, vt [9] ſignum ab vno datum,peditem ſimul equitemque percurrat: hoc aliquanto magis ne- B
ceſſarium eſſe nobis,Sextius ait. Illi enim ſæpè hoſtem timuere ſine cauſsâ, tutiſſimumque illis iter, quod ſuſpectiſſimum fuit: nil ſtultitia pacatum habet. tam ſupernè illi metus eſt, quàm infra. vtrumque trepidat latus. Sequuntur pericula & occurrunt, ad omnia pauet:imparata eſt,& ipſis terretur auxiliis. Sapiens autem,ad omnem incurſum munitus & intentus,non ſi paupertas, non ſi luctus, non ſi ignominia, non ſi dolor impetum faciat, pedem referet. Interritus & contra illa ibit, & inter illa. Nos multa alligant, multa debilitant: diu in iſtis vitiis iacuimus. elui difficile eſt. non enim inquinati ſumus,ſed infecti. [10] Ne ab aliâ imagine ad aliam tranſeamus, hoc quærã,quod mecum ſæpè diſpicio, quid ita nos ſtultitia tam pertinaciter teneat? Primò quia non fortiter illam repellimus, nec toto ad ſalutem impetu nitimur: deinde, quia illa quæ à ſapientibus viris reperta ſunt, non ſatis credimus, nec apertis pectoribus haurimus, leuiterque tam magnæ rei inſiſtimus. Quemadmodum autem poteſt aliquis, quantum ſatis ſit, aduerſus vitia diſcere, qui [11] quantum à vitiis vacat,diſcit? Nemo noſtrûm in altum de- C
ſcendit. ſumma tantùm decerpſimus: & exiguum temporis impendiſſe philoſophiæ, ſatis abundeque occupatis fuit. Illud præcipuè impedit, quòd citò nobis placemus: ſi inuenimus qui nos bonos viros dicat, qui prudentes,qui ſanctos, agnoſcimus. Nec ſumus modicâ laudatione contenti: quidquid in nos adulatio ſine pudore congeſſit,tamquam debitum prendimus: optimos nos eſſe, ſapientiſſimos affirmantibus aſſentimur, cùm ſciamus [12] illos ſæpè mentiri. Adeoque indulgemus nobis, vt laudari velimus in id, cui contraria cummaximè facimus. Mitiſſimum ille ſe in ipſis ſuppliciis audit, in rapinis

6. SEXTIVM ECCE.] *Q. Sextius fuêre pater & filius, vterque philoſophiæ ſtudijs ſcriptiſq; noti. Nominat & laudat ſæpè noſter: itemq; Suetonius in vitâ Craſſitij*: Dimiſſâ repentè ſcholâ tranſijt ad Q.Sextij ſectam. *Sectam enim & ipſe fecit, aut potiùs illam Pythagoræ renouauit: atque inter aſſeclas etiam Flauianum illum habuit (Seneca pater lib.* III. *Controu. in Præfat.) de quo ſuprà dixi. Meminit eius Plinius, laudabili facto, & quale olim Democriti, in præuis â olei caritate omne illud præſtinãtis.* Hoc poſteà *(inquit Plinius lib.* XVIII. *cap.* XXVIII.) Sextius è Romanis ſapientiæ aſſectatoribus Athenis fecit, eadem ratione. *Plutarchus de illo aliud memorabile habet, libello Quomodo ſentias te proficere*: Quidam, *inquit*, relictâ republicâ & negotijs, in medio philoſophiæ curſu hærent, aut corruunt, vt Romanus ille Sextius. quem memorant relictis honoribus & magiſtratibus, cauſsâ philoſophiæ, cùm rurſus angeretur & in principio ipſa doctrina offenderet,pænè ex naui in mare ſe præcipitaſſe deſperabundum. *Ad honores natum vides: quod noſter item Seneca, epiſt.* XCVIII. Honores reppulit pater Sextius, qui ita natus vt remp. deberet capeſſere, latum clauum, Diuo Iulio dante, non recepit. *Vide etiam Manud.* I. *Diſſert.* VI.

7. GRÆCIS VERBIS.] *Nam vides Athenis multum egiſſe: ſed mores, inquit, Romanos habuit, graues, conſtantes. Citat tamen Latina quædam Claudianus Mamertus* II. *De Animâ, cap.* IX. *ſed ab ipſo fortaſſe verſa.* D

8. QVADRATO AGMINE.] *Explicaui De Militiâ, libro* V.

9. SIGNVM AB VNO.] *In teſſerâ, aut verbo. Hæc quoque explicata in Militiâ.*

10. NE AB ALIA IMAGINE.] *Manet in illâ militari, vbi capti* alligantur, tenentur.

11. QVANTVM A VITIIS VACAT.] *Sapientiæ ſtudium inter ſubſiciua habet.*

12. ILLOS SÆPE MENTIRI.] *Dilutum eſt, & velim,* illos ſpei mentiri. *quod eſſet, cùm ſciamus hæc dari ſpei, quâ à nobis aliquid captant.*

13. OBSI-

A rapinis liberaliſſimum, in ebrietatibus ac libidinibus temperatiſſimum. Sequitur itaque, vt ideò mutari nolimus, quia nos optimos eſſe credimus. Alexander cùm iam in Indiâ vagaretur, & gentes, ne finitimis quidem ſatis notas, bello vaſtaret, in [13] obſidione cuiuſdam vrbis dum circuit muros, & dum imbecilliſſima mœnium quærit, ſagittâ ictus, [14] diu perſedere, & incœpta agere perſeuerauit. Deinde cùm, repreſſo ſanguine, ſicci vulneris dolor creſceret, & crus equo ſuſpenſum paullatim obtorpuiſſet, coactus abſiſtere, [15] *Omnes*, inquit, *iurant me Iouis eſſe filium, ſed vulnus hoc hominem eſſe me clamat*. Idem nos faciamus: cùm pro ſuâ quemque portione adulatio infatuat, dicamus: Vos quidem me dicitis prudentem eſſe: ego autem video quàm multa inutilia concupiſcam, nocitura optem. ne hoc quidem intelligo, quod animalibus ſatietas monſtrat, quis cibo debeat eſſe, quis potioni modus: quantum capiam, adhuc neſcio. Iam docebo, quemadmodum intelligas te non eſse ſapientem? Sapiens ille eſt, qui plenus gaudio, hilaris & placidus, inconcuſſus, [16] cum diis ex pari viuit. Nunc ipſe te conſule: ſi num-
B quam mæſtus es, nulla ſpes animum tuum futuri exſpectatione ſollicitat, ſi per dies hocteſque par & æqualis animi tenor erecti & placentis ſibi eſt: peruenisti ad humani boni ſummam. Sed ſi appetis voluptates, & vndique, & omnes: ſcito tantum tibi ex ſapientiâ, quantum ex gaudio, deeſſe. Ad hoc cupis peruenire, ſed erras, qui inter diuitias illuc venturum eſſe te ſperas. Inter honores gaudium, id eſt, inter ſolicitudines quæris? iſta quæ ſic petis, tanquam datura lætitiam ac voluptatem, cauſſæ dolorum ſunt. Omnes, inquam, illi tendunt ad gaudium: ſed vnde ſtabile magnumque conſequantur, ignorant. Ille ex conuiuiis & luxuriâ: ille ex ambitione, & circumfuſâ clientium turbâ: ille ex amicâ: alius ex ſtudiorum liberalium vanâ oſtentatione, & nihil ſanantibus litteris. Omnes iſtos oblectamenta fallacia & breuia decipiunt: ſicut ebrietas, quæ vnius horæ hilarem inſaniam, longi temporis tædio penſat. ſicut plauſus & acclamationis ſecundæ fauor, qui magnâ ſolicitudine & partus eſt, & expiandus. Hoc ergo cogita, hunc eſſe ſapientiæ effectum, gaudij æqualitatem. Talis eſt ſapientis animus, [17] qualis mun-
C di ſtatus ſuper Lunam. ſemper illic ſerenum eſt. Habes ergo, quare velis ſapiens eſse: quia numquam ſine gaudio eſt. Gaudium hoc non naſcitur, niſi ex virtutum conſcientiâ. Non poteſt gaudere, niſi fortis, niſi iuſtus, niſi temperans. Quid ergo, inquis? ſtulti ac mali non gaudent? non magis, quàm prædam nacti leones. Cùm fatigauerunt ſe vino & libidinibus, cùm illos nox [18] inter vina defecit, cùm voluptates anguſto corpori vltrà quàm capiebat ingeſtæ ſuppurare cœperunt, tunc exclamant miſeri Virgilianum illum verſum: *Namque vt ſupremam falſa inter gaudia noctem Egerimus, noſti.*

Omnem luxurioſi noctem inter falſa gaudia, & quidem tamquam ſupremam, agunt. Illud gaudium, quod deos deorumque æmulos ſequitur, non interrumpitur, non deſinit: deſineret, ſi ſumptum eſset aliunde. Sed quia non eſt alieni muneris, nec arbitrij quidem alieni Quod non dedit fortuna, non eripit.

D 13. OBSIDIONE CVIVSDAM VRBIS.] *Vrbis* Mazagarum, *vt Curtius lib.* VIII. *appellat, & factum hoc denarrat. Idem lib.* IV. *Arrianus, qui* Maſſagas *dicit, &* leuiter Alexandrum in malleolo pedis percuſſum. *At Curtius* in ſurâ, *& grauius vulnus facit.*

14. DIV PERSEDERE.] *Sic ferè ſcripti: ſed meus,* diu perdere: *ex quo ego,* pergere, *velim. Nam* perſedere *vix conuenit. quia pedes ibat, vt narrat Curtius, & læſus demum iuſſit equum admoueri. Alij quidam,* diu perſtitit ire: *ſed ex interpolatione.*

15. OMNES, INQVIT, IVRANT.] *Curtius effert*: Se quidem Iouis filium dici, ſed corporis ægri vitia ſentire.

16. CVM DIIS EX PARI.] *Id eſt, pariter & æqualiter viuit. Stoicum* γαυρίαμα, *de quo ſæpè iam monui, & reieci in Manud.* III. *Diſſert.* XIV.

17. QVALIS MVNDI STATVS.] *Meliores libri,* Qualis mundus ſuper Lunam: *& credo interpolatum ab ijs, qui neſciebant Cælum ipſum Mundum dici. De re, vide De Irâ* III. *cap.* VI. *Scripſit & poëta, de ſapiente*:

Perpetuum nullâ temeratus nube ſerenum.

18. INTER VINA DEFECIT.] *Alius,* inter vitia: *& præferam.*

A

EPIST. LX.

VOTA *vulgi spernenda. Naturam audiendam esse.*

QVEROR, litigo, irascor. Etiamnum optas quod tibi optauit nutrix tua, aut pædagogus, aut mater? Nondum intelligis, quantum mali optauerint? O quàm inimica nobis sunt vota nostrorum! eò quidem inimiciora, quo cessere feliciùs. Iam non admiror, si omnia nos à primâ pueritiâ mala sequuntur: inter exsecrationes parentum creuimus. Exaudiant quoque dij nostram pro votis [1] vocem gratuitam. Quousque poscemus aliquid deos, quasi nondum ipsi alere nos possimus? Quàm diu sationibus implebimus [2] magnarum vrbium campos? quàm diu nobis [3] populus metet? quàm diu [4] vnius mensę frumentum multa nauigia, & quidem non ex vno mari, subuehent? Taurus pauciſſimorum iugerum pascuis impletur: vna silua elephantis pluribus sufficit: homo & terrâ pascitur, & mari. Quid ergo? tam insatiabilem nobis natura aluum dedit, cùm tam modica corpora dedisset, vt vastissimorum edaciſſimorumque animalium auiditatem vinceremus? minimè. Quantulum est enim quod naturæ datur? paruo illa dimittitur. Non fames nobis ventris nostri magno constat, sed ambitio. Hos itaque (vt ait Sallustius) *ventri obedientes* animalium loco numeremus, non hominum: quosdam verò ne animalium quidem, sed mortuorum. Viuit is, qui se vtitur: qui verò latitant & torpent, sic in domo sunt, tamquam [5] in conditiuo. Horum licet in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam anteceſſerunt.

B

EPIST. LXI.

EMENDARI *& immutari studeamus: mortem cogitemus, vt semper imminentem, & vtique venturam.*

C

DESINAMVS quod voluimus velle. Ego certè id ago senex, non eadem velle, quæ puer volui. In hoc vnum eunt dies, in hoc noctes: hoc opus meum est, hæc cogitatio, imponere veteribus malis finem. Id ago, vt mihi instar totius vitæ, sit dies. Nec me hercules [1] tamquam vltimum rapio, sed sic illum adspicio, tamquam esse vel vltimus possit. Hoc animo tibi hanc epistolam scribo, tamquam cummaximè scribentem mors euocatura sit. Paratus exire sum, & ideò [2] fruor vitâ: quia quàm diu futurum hoc sit, [3] non nimis pendeo. Ante senectutem curaui, vt benè viuerem: in senectute, vt benè moriar. Benè autem mori, est libenter mori. Da operam, ne quid vmquam inuitus facias.

EPIST. LX. 1. VOCEM GRATVITAM.] *Quæ mercedem non trahat, externa non poscat.*

2. MAGNARVM VRBIVM CAMPOS.] *Notat latifundia, quæ priuati illi diuites tenebant, vel vrbibus suffectura.*

3. POPVLVS METET.] *Tota natio aut prouincia aliqua messem nobis faciet.*

4. VNIVS MENSÆ FRVMENTVM.] *Interpretor, vnius domini & domus, quæ familiam tantam habet. Legiones enim illæ seruorũ, vt Plinius appellat, multum frumentũ requirebant: & adde cottidianam hospitalem mensam. Hæc autem frumenta* non ex vno mari (*supero, inferoq;*) *aduehebantur, nec ex vnâ regione. Seneca epist.* XXCIX. Amnes, magnarum gentium termini, vsque ad ostium à fonte, vestri sunt. Latifundijs vestris maria cinxistis, trans Hadrianum, & Ionium, Ægeumq; vester villicus regnat. *Qui autẽ hîc* instrumentum, *aut* strumentũ *eodem sensu, pro* frumento *substituunt, & ad mensæ apparatum referunt; falluntur, veterum moris opumq; ignari.*

5. IN CONDITIVO.] *Sepulchro, vbi condimur: quod* Conditorium *Suetonio, & vtrique Plinio.*

6. NOMEN MARMORI.] *Ritu sepulchrorum,* Talis hîc situs est.

D

EPIST. LXI. 1. TAMQVAM VLTIMVM RAPIO.] *Nec more vulgi voluptatibus me perfundo: sed quod addit, crastinum mihi non spondeo. Sophocles in Trachinijs, eâ mente:*

—— ὥς' εἴ τις δύο
Εἰ καὶ πλείας τὰς ἡμέρας λογίζεται,
Μάταιός ἐστιν· οὐ γάρ ἐσθ' ἥ γ' αὔριον,
Πρὶν εὖ πάθῃ τις τὴν παροῦσαν ἡμέραν:

—— ideò qui duos
Pluresve destinare sibi velit dies
Is stultus est. nec certò erit vel crastinus,
Nisi huncce, qui nunc agitur, egeris benè.

2. FRVOR VITA.] *Securus & lætus.*

3. NON NIMIS PENDEO.] *Sic veteres ferè, nec muto. Non anxius sum, neque animi pendeo.*

4. SED

A cias. quidquid neceſſe eſt, futurum eſt. Repugnanti, non volenti neceſſitas eſt: in volente neceſſitas non eſt. Ita dico, qui imperia libens excipit, partem acerbiſſimam ſeruitutis effugit, facere quod nolit. Non qui iuſſus aliquid facit, miſer eſt: ſed qui inuitus facit. Itaque ſic animum componamus, vt quidquid res exiget, id velimus: & in primis finem noſtri ſine triſtitiâ cogitemus. antè ad mortem, quàm ad vitam, pręparandi ſumus. Satis inſtructa vita eſt: ſed nos inſtrumentorum eius auidi ſumus. Deeſſe nobis aliquid videtur, & ſemper videbitur. Vt ſatis vixerimus, nec anni nec dies facient, ſed animus. Vixi, Lucili cariſſime, quantum ſatis erat: mortem plenus exſpecto.

EPIST. LXII.

HOMINES *aut negotia non obſtare Bonæ menti. Laus Demetrij.*

B MENTIVNTVR, qui ſibi obſtare ad ſtudia liberalia turbam negotiorum videri volunt: ſimulant occupationes, & augent, & ipſi ſe occupant. Vaco, mi Lucili, vaco: & vbicumque ſum, meus ſum. Rebus enim non me trado, [2] ſed commodo: nec conſector perdendi temporis cauſſas: quocumque conſtiti loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid in animo ſalutare verſo. Cùm me amicis dedi, non tamen mihi abduco: nec cum illis moror, quibus me tempus aliquod congregauit, aut cauſſa [3] ex officio nata ciuili, ſed cum optimo quoque ſum: ad illos, in quocumque loco, in quocumque ſæculo fuerint, animum meum mitto. Demetrium, virorum optimum, [4] mecum circumfero, & relictis [5] conchyliatis, cum illo ſeminudo loquor, illum admiror. Quid ni admirer? vidi nihil ei deeſſe. Contemnere omnia aliquis poteſt: omnia habere nemo poteſt. Breuiſſima ad diuitias, per contemptum diuitiarum, via eſt. Demetrius autem noſter ſic viuit, non tamquam contempſerit omnia, ſed tamquam
C aliis [6] habenda permiſerit.

EPIST. LXIII.

CONSOLATORIA *ſuper morte amici, ſapiens & perpulchra.*

GRAVITER fers deceſſiſſe Flaccum, amicum tuum: plus tamen æquo dolere te nolo. Illud, vt non doleas, vix audebo exigere: & eſſe melius ſcio. Sed cui iſtà firmitas animi continget, niſi iam multùm ſupra fortunam elato? Illum quoque iſta res vellicabit, ſed tantùm vellicabit. Nobis autem ignoſci poteſt, prolapſis ad lacrimas: ſi non nimiæ decurrerent, ſi ipſi illas repreſſimus. Nec ſicci ſint oculi amiſſo amico, nec fluant, lacrimandum eſt, non plorandum. Duram tibi legem videor ponere? cùm poëtarum Gręcorum maximus, ius flendi dederit [1] in vnum dumtaxat diem: [2] cùm dixerit, etiam
D

4. SED NOS INSTRVMENTORVM EIVS.] *Scripti*, inſtrumento eius. *Vellem*, inſtruendæ eius.

EPIST. LXII. 1. *Breuicula & hæc eſt, vt priores: nec tamen, cum Mureto, habeo pro lacinÿs aut fragmentis. Sunt cogitationes & μελετήματα Senecæ, quæ voluit* EPISTOLARVM *titulo venire in lucem.*

2. SED COMMODO.] *Vſum mei, non mancipium, dono.*

3. EX OFFICIO NATA CIVILI.] *Quod inter ciues, de more, vſurpatur. vt ire ad Nuptias, ad Togam virilem, ad Funera, ad Salutationes.*

4. MECVM CIRCVMFERO.] *Pectore geſto.*

5. CONCHYLIATIS.] *Qui in lacernis purpureis, aut togis purpuratis.*

6. HABENDA PERMISERIT.] *Ipſe rex, & eorum dominus: ſed vſum alÿs indulget.*

EPIST. LXIII. 1. IN VNVM DVMTAXAT DIEM.] *Homerum intelligi certum eſt, & huc aduocari. Vbi autem hoc ille? vt puto in Iliad. τ. vbi Vlyſſes Achillem à nimio luctu abſterret: atque inter alia dicit,*

Ἀλλὰ χρὴ τὸν μὲν κατὰ θάπτειν ὅς κε θάνῃσι,
Νηλέα θυμὸν ἔχοντας, ἐπὶ ἤματι δακρύσαντας:
Sed ſepelire decet defunctum, pectore forti
Conſtantes, vnamque diem fletu indulgentes.

2. CVM DIXERIT, ETIAM NIOBEN.] *Hoc non indidem, ſed ex Iliade vltimâ eſt. in quâ Achilles ita Priamo lugenti:*

— τοῦ

etiam Nioben de cibo cogitasse. Quæris vnde sint lamentationes, vnde immodici fle- A
tus? per lacrimas argumenta desiderij quærimus: & dolorem non sequimur, sed ostentamus. [3] Nemo tristis sibi est. O infelicem stultitiam! est aliqua & doloris ambitio. Quid ergo? inquis. obliuiscar amici? Breuem illi apud te memoriam promittis, si cum dolore mensura est. Iam istam frontem ad risum quælibet fortuita res transferet. Non differo in longius tempus, quo desiderium omne mulcetur, quo etiam acerrimi luctus residunt: cùm primùm te obseruare desieris, imago ista tristitiæ discedet. Nunc ipse [4] custodis dolorem tuum, sed custodienti quoque elabitur: eoque citiùs, quò est acrior, desinit. Id agamus, vt iucunda fiat nobis amissorum recordatio. nemo libenter ad id redit, quod non sine tormento cogitaturus est. Si tamen istud fieri necesse est, vt cum aliquo nobis morsu, amissorum quos amauimus nomen occurrat: hic quoque morsus habet suam voluptatem. Nam, vt dicere solebat [5] Attalus noster; Sic amicorum defunctorum memoria iucunda est, quomodo poma quædam sunt suauiter aspera: quomodo in vino nimis veteri [6] ipsa nos amaritudo delectat: cùm verò interuenit spatium, B
omne quod angebat extinguitur, & pura ad nos voluptas venit. Si illi credimus, amicos incolumes cogitare, melle ac placentâ frui est: eorum qui fuerunt retractatio, non sine acerbitate quadam iuuat. Quis autem negauerit, hæc acria quoque, & habentia austeritatis aliquid, stomachum excitare? Ego non idem sentio. mihi amicorum defunctorum cogitatio, dulcis ac blanda est. habui enim illos, tamquam amissurus: amisi, [7] tamquam habeam. Fac ergo mi Lucili, quod tuam æquitatem decet. Desine [8] beneficium Fortunæ malè interpretari. abstulit, sed dedit. Ideò amicis auidè fruamur, quia quamdiu contingere hoc possit, incertum est. Cogitemus quàm sæpè illos reliquerimus, in aliquam peregrinationem longinquam exituri: quàm sæpè eodem morantes loco, non viderimus: intelligemus, plus nos temporis perdidisse in viuis. Feras autem hos, qui cùm negligentissimè amicos habeant, miserrimè lugent: nec amant quemquam, nisi cùm perdiderunt? Ideoque tunc effusiùs mærent, quia verentur, ne dubium sit an amauerint: sera iudicia [9] affectus sui quærunt. Si alios habemus amicos, malè de his & mere- C
mur, & existimamus: quia parùm valent in vnius elati solatium. si non habemus, maiorem ipsi nobis iniuriam fecimus, quàm à fortunâ accepimus. Illa vnum abstulit: nos quemquam non fecimus. Deinde [10] ne vnum quidem amauit, qui plus quàm vnum amare non potuit. Si quis despoliatus, amissâ vnicâ tunicâ, complorare se malit, quàm circumspicere quomodo frigus effugiat, & aliquid inueniat quo tegat scapulas, nónne tibi videatur stultissimus? Quem amabas, extulisti: quære, quem ames. Satius est amicum

— νῦν δὲ μνησώμεθα δόρπου.
Καὶ γάρ τ' ἠύκομος Νιόβη ἐμνήσατο σίτου,
Τῆπερ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροισιν ὄλοντο:
— nunc cænæ nos quoque demus.
Namque & pulchricomam Nioben cænasse putandum est,
Etsi bis senos, lugeret funera, natos.

3. NEMO TRISTIS SIBI.] *Tale, quod Martialis de Gelliâ:*

Amissum non flet, cùm sola est Gellia, patrem:
Siquis adest, iussæ prosiliunt lacrimæ.
Non dolet hic, quisquis laudari, Gellia, quærit,
Ille dolet verè, qui sine teste dolet.

Sed ipsa hæc verba noster iterat, epist. XCIX. Plus ostentatio doloris exigit, quàm dolor. Quotusquisque sibi tristis est? *& plura addit in hunc scænicum dolorem.*

4. CVSTODIS DOLOREM TVVM.] *Idem ad Marciam, cap.* VIII. Quoties aliud egeris, animus relaxabitur: nunc te ipsa custodis.

5. ATTALVS NOSTER.] *Sæpè nominat, laudátque: & audisse eum alibi fatetur. Sed & hoc tribuit,* quòd Etruscorum doctrinam Græcâ subtilitate miscuerit: 11. *Quæst. Nat. cap.* L. *Quid Seneca pater? magis virum notificat:* Attalus, *inquit,* Stoicus, qui solum vertit à Seiano circumscriptus, magnæ vir eloquentiæ, ex philosophis, quos nostra ætas vidit, longè & subtilissimus, & facundissimus: *Suasoriâ* II.

6. IPSA NOS AMARITVDO.] *Catullus*: Ingere mî calices amariores. *Et est primò in vino veterascente* πρωμύτης *quædam, vt Galenus appellat, id est* acritudo; *denique postremò* πικρότης, amaritudo. D

7. TAMQVAM HABEAM.] *Cogitatione enim fruor, & mihi repræsento.*

8. BENEFICIVM FORTVNÆ.] *Nam & amici inter res externas sunt: etsi non amicitia. Fortuna in illos ius habet. Itaque malè hîc* Naturæ *substituunt, præter libros.*

9. AFFECTVS SVI QVÆRVNT.] *Ita & meus: tamen aliquot scripti auctiùs*, affectus sui relinquunt, & quærunt. *Vacare alterum verbi videtur: nisi rescribas,* relinquere quærunt.

10. NE VNVM QVIDEM AMAVIT.] *Quare? quia amicitia sociabilis virtus est: nec, vt lasciuus ille amor, in vnum fertur.*

11. ANNVM

A cum reparare, quàm flere. Scio pertritum iam hoc esse, quod adiecturus sum: non tamen ideò prętermittam, quia ab omnibus dictum est. Finem dolendi etiam qui consilio non fecerat, tempore inuênit: turpissimum autem est in homine prudente remedium mæroris; lassitudo mærendi. Malo relinquas dolorem, quàm ab illo relinquaris. quamprimùm id facere desiste, quod, etiamsi voles, diu facere non poteris. [11] Annum fœminis ad lugendum constituêre maiores, non vt tam diu lugerent, sed ne diutiùs: viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum. Quam tamen mihi ex illis mulierculis dabis, vix retractis à rogo, vix à cadauere reuulsis, cui lacrimæ in totum mensem durauerint? Nulla res citiùs in odium venit, quàm dolor: qui recens, consolatorem inuenit, & aliquos ad se adducit: inueteratus verò deridetur. nec immeritò: aut enim simulatus, aut stultus est. Hæc tibi scribo, is qui [12] Annæum Serenum, carissimum mihi, tam immodicè fleui, vt (quod minimè velim) inter exempla sim eorum quos dolor vicit. hodie tamen factum meum damno, & intelligo maximam mihi caussam sic lu-
B gendi fuisse, quòd numquam cogitaueram, mori eum ante me posse. Hoc vnum mihi occurrebat, minorem esse, & multo minorem: tamquam ordinem fata seruarent. Itaque assiduè cogitemus, tam de nostrâ quàm omnium quos diligimus, mortalitate. Tunc ego dicere debui: Minor est Serenus meus: quid ad rem pertinet? post me mori debet, sed ante me potest. quia non feci, imparatum subitò fortuna percussit. Nunc cogito omnia & mortalia esse, & incertâ lege mortalia. Hodie fieri potest, quidquid vmquam potest. Cogitemus ergo, Lucili carissime, citò nos eò peruenturos, quò illum peruenisse mæremus. Et fortasse ([13] si modò sapientum vera fama est, recipitq; nos locus aliquis) quem putamus perisse, præmissus est.

EPIST. LXIV.

C Q. Sextii *laudatio, & ipsius deinde Sapientiæ. Veteres eius auctores venerandos, & nos tamen posse adiicere.*

Fvisti heri nobiscum. Potes queri, si heri tantùm: ideò adieci, nobiscum: mecum enim semper es. Interuenerant quidam amici, propter quos maior fumus fieret: non hic qui erumpere ex lautorum culinis, & [1] terrere vigiles solet: sed hic modicus, qui hospites veniisse significaret. Varius nobis sermo fuit, vt in conuiuio, nullam rem vsque ad exitum adducens, sed aliunde aliò transiliens. lectus est deinde liber Q. Sextij patris, magni, si quid mihi credis, viri, &, [2] licet negent, Stoici. [3] Quantum in illo, dij boni, vigoris est, quantum animi? hoc non in omnibus philosophis inuenies. Quorumdam scripta clarum habent tantùm nomen: cetera exsanguia sunt. Instituunt, disputant, cauillantur: non faciunt animum, quia non habent. Cùm legeris Sextium, dices: Viuit, viget, liber est, supra hominem est, dimittit me plenum ingentis fiduciæ. In quæcumque positione mentis sim, cùm lego hunc (fatebor tibi) libet omnes casus pro-
D uocare, libet exclamare: Quid cessas fortuna? congredere. paratum vides. Illius animum

11. Annvm fœminis.] *Ita. annum in quocumque alio luctu, annum, dico, communem: at illum Romuli decem mensium, in luctu viri. Dixi aliquid Consol. ad Helu. cap.* xv.

12. Annævm Serenvm.] *Cui de Tranquillitate inscripsit. Obijt autem præcipiti fato, de quo Plinius lib.* xxii. Fungi familias nuper interemêre, & conuiuia tota. Annæum Serenum, Præfectum Neronis Vigilum, & Tribunos, & Centuriones.

13. Si modò sapientvm.] *Dubiè & trepidè super immortalitate, vt aliàs. Vide me Physiol.* iii. *Dissert.* xi. *&* xiv.

EPIST. LXIV. 1. Terrere vigiles.] *Tertullianus Apolog. cap.* xxxviii. Ad fumum cœnæ Serapicæ sparteoli excitabuntur: *id est, Vigiles, qui scilicet incendijs curabant. Intelligit vterque cohortes Vigilum, hoc fine ab Augusto institutas.*

2. Licet negent, Stoici.] *Quidam libri,* neget. *Ipse aut alij negabant, & Pythagoricum inscribebant: sed sententijs decretisq; Stoicus erat. Vide Manuduct.* i. *Dissert.* vi.

3. Qvantvm in illo.] *Hæc omnia de nostro si accipis, eleganter & iustè facis: nec potuit veriùs se describisse.*

4. Ritv

mum induo, qui quærit vbi se experiatur, vbi virtutem suam ostendat, A

Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

Libet aliquid habere quod vincam, cuius patientiâ exercear. Nam hoc quoque egregium Sextius habet, quòd & ostendet tibi beatæ vitæ magnitudinem, & desperationem eius non faciet. Scies illam esse in excelso, sed volenti penetrabilem. hoc quidem virtus tibi ipsa præstabit, vt illam admireris, & tamen speres. Mihi certè temporis multum auferre solet contemplatio ipsa sapientiæ. non aliter illam intueor obstupefactus, quàm ipsum interim mundum, quem sæpè tamquam spectator nouus video. Veneror itaque inuenta sapientiæ, inuentoresque: adire tamquam multorum hereditatem iuuat. Mihi ista acquisita, mihi laborata sunt. Sed agamus bonum patrem familiæ: faciamus ampliora, quæ accepimus. maior ista hereditas à me ad posteros transeat. Multum adhuc restat operis, multumque restabit: nec vlli nato post mille sæcula præcludetur occasio, aliquid adhuc adiiciendi. Sed etiam si omnia à veteribus inuenta sunt: hoc semper nouum erit, vsus, & inuentorum ab aliis scientia & dispositio. Puta relicta nobis medicamenta, quibus sanarentur oculi. non opus est mihi alia quærere: hæc tantùm morbis & temporibus aptanda sunt. Hoc asperitas oculorum conleuatur. hoc palpebrarum crassitudo tenuatur. hoc vis subita & humor auertitur. hoc acuitur visus. Teras ista oportet, & eligas tempus, adhibeas singulis modum. Animi remedia inuenta sunt ab antiquis: quomodo autem admoueantur, aut quando, nostri operis est quærere. Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt: suspiciendi tamen sunt, & [4] ritu deorum colendi. Quid ni ego magnorum virorum & imagines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem? Quid ni illos honoris caussâ semper appellem? Quam venerationem præceptoribus meis debeo, eamdem illis præceptoribus generis humani, à quibus tanti boni initia fluxerunt. Si consulem videro aut prætorem, omnia quibus honor haberi solet, faciam: [5] equo desiliam, [6] caput adaperiam, semitâ cedam. Quid ergo? Marcum Catonem vtrumque, & Lælium Sapientem, & Socratem cum Platone, & Zenonem, Cleanthemque, in animum meum sine dignatione summâ recipiam? Ego verò illos veneror, & tantis nominibus semper assurgo. B C

EPIST. LXV.

PHYSIOLOGICA *tractat, de Caussâ & Materiâ. Quatenus vtilia sint, docet: si cum modo tractentur, & bono fine, id est vitæ. Attolli per hæc animum ad Deum, & Honestum.*

HESTERNVM diem diuisi cum malâ valetudine. antemeridianum illa sibi vindicauit: postmeridiano mihi cessit. Itaque lectione primùm tentaui animum. deinde cùm hanc recepisset, plus illi imperare ausus sum, imò permittere. Aliquid scripsi, & quidem intentiùs, quàm soleo, dum cum materiâ difficili contendo, & vinci nolo: donec interuenerunt amici, qui mihi vim afferrent, & tamquam ægrum intemperantem coërcerent. In locum stili sermo successit: ex quo eam partem ad te perferam, quæ in lite est. te [1] arbitrum adegimus: plus negotij habes quàm existimas. [2] Triplex caussa est. Dicunt, vt scis, Stoici nostri, duo esse in rerum naturâ, ex quibus omnia fiant: D

4. RITV DEORVM COLENDI.] *Lucretius:*

—— nónne decebit
Hos homines numero diuûm dignarier esse?

5. EQVO DESILIAM.] *De hoc ritu dixi Elector. I. cap.* XXI.

6. CAPVT ADAPERIAM.] *Petaso detracto, si habeam: vel vestis lacinià, vt solent caput etiam tegere. Nam in vrbe pilleos non gestabant. Fusè dixi in libello extremo, De Amphitheatro.*

EPIST. LXV. 1. ARBITRVM ADEGIMVS.] *Prisci libri*, adduximus. *vnde verius fortasse*, addiximus. *Brissonium in Formulis vide.*

2. TRIPLEX CAVSSA EST.] *Lis triplex est: siue in triplici caussâ captus es addictusque iudex.*

3. CAVS-

A fiant: [3] cauſſam & materiam. Materia iacet iners, res ad omnia parata, ceſſatura, ſi nemo moueat. Cauſſa autem, [4] id eſt ratio, materiam format, & quocumque vult verſat: ex illâ varia opera producit. Eſſe debet ergo vnde aliquid fiat, deinde à quo fiat: hoc cauſſa eſt, illud materia. Omnis ars imitatio eſt naturæ: itaque quod de vniuerſo dicebam, ad hæc transfer, quæ ab homine facienda ſunt. Statua & materiam habuit, quæ pateretur artificium: & artificem, qui materiæ daret faciem. Ergo in ſtatuâ materia æs fuit, cauſſa artifex. Eadem condicio rerum omnium eſt. ex eo conſtant quod fit, & ex eo quod facit. Stoicis placet [5] vnam cauſſam eſſe, id quod facit. [6] Cauſſam Ariſtoteles putat tribus modis dici. Prima, inquit, cauſſa eſt ipſa materia; ſine quâ nihil poteſt effici. Secunda opifex. Tertia forma, quæ vnicuique operi imponitur, tamquam ſtatuæ. nam hanc Ariſtoteles Idos vocat. Quarta quoque, inquit, his accedit, propoſitum totius operis. Quid ſit hoc aperiam. Æs prima ſtatuæ cauſſa eſt: numquam enim facta eſſet, niſi fuiſſet id ex quo ea funderetur, duceretúrve. Secunda cauſſa artifex eſt: non potuiſſet
B enim æs illud in habitum ſtatuæ figurari, niſi acceſſiſſent peritæ manus. Tertia cauſſa eſt forma: neque enim ſtatua iſta Doryphoros aut Diadumenos vocaretur, niſi hæc illi eſſet impreſſa facies. Quarta cauſſa eſt; faciendi propoſitum: nam niſi hoc fuiſſet, facta non eſſet. Quid eſt propoſitum? quod inuitauit artificem, quod ille ſecutus fecit. Vel pecunia eſt hoc, ſi venditurus fabricauit: vel gloria, ſi laborauit in nomen: vel religio, ſi donum templo parauit. Ergo & hæc cauſſa eſt, propter quam fit. An non putas inter cauſſas facti operis numerandum, quo remoto factum non eſſet? His quintam Plato adiicit exemplar, quam [7] ipſe Ideam vocat: hoc eſt enim ad quod reſpiciens artifex, id quod deſtinabat, efficit. Nihil autem ad rem pertinet, vtrùm foris habeat exemplar, ad quod referat oculos; an intus, quod ſibi ipſe concepit & poſuit. Hæc exemplaria rerum omnium Deus intra ſe hábet, numeroſque vniuerſorum quæ agenda ſunt, & modos mente complexus eſt. plenus his figuris eſt, quas Plato Ideas appellat, immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt: ipſa autem humanitas ad
C quam homo effingitur, permanet; & hominibus laborantibus, intereuntibus, illa nil patitur. [8] Quinque ergo cauſſæ ſunt, vt Plato dicit: Id ex quo, id à quo, id quo, id ad quod, id propter quod. nouiſſimè id quod ex his eſt. Tamquam in ſtatuâ (quia de hac loqui cœpimus) id ex quo, æs eſt: Id à quo, artifex eſt: Id quo, forma eſt, quæ aptatur illi: Id ad quod, exemplar eſt, quod imitatur is qui facit: Id propter quod, facientis propoſitum eſt. Id quod exiſtis eſt, ipſa ſtatua. Hæc omnia mundus quoque (vt ait Plato) habet. Faciens, hic Deus eſt: Ex quo fit, hæc materia eſt: Forma, hæc eſt habitus, & ordo mundi quem videmus: Exemplar, ſcilicet ad quod Deus hanc magnitudinem operis pulcherrimi fecit: Propoſitum, propter quod fecit. Quæris, quid ſit propoſitum Deo? Bonitas, ita certè Plato ait. Quæ Deo faciendi mundum cauſſa fuit? bonus eſt, bono nulla cuiuſquam boni inuidia eſt. Fecit itaque quàm optimum potuit. Fer ergo iudex ſententiam, & pronuncia, quis tibi veriſimillimum videatur dicere, non quis verum dicat. id enim tam ſupra nos eſt, quàm ipſa veritas. Hæc quæ ab Ariſtotele & Platone po-
D nitur turba cauſſarum, aut nimium multa, aut nimium pauca comprehendit. Nam ſi quocumque remoto quid effici non poteſt, id cauſſam iudicant eſſe faciendi, pauca dixerunt.

3. CAVSSAM ET MATERIAM.] *Explicaui partim Phyſiol.* I. *Diſſert.* IV. *partim lib.* II. *Diſſ.* II.

4. ID EST RATIO.] *Sic Stoici loqui amant: quia velut Ratione Deus per Materiam diſcurrit, & operatur. Vide Conſol. ad Helu. cap.* VIII. *De Vit. beat. cap.* XXXII.

5. VNAM CAVSSAM ESSE.] *Deum, qui efficit: nam Materia patitur.*

6. CAVSSAM ARISTOTELES.] *Quattuor genera facit* I. *Poſtphyſic. cap.* III. *&* II. *Phyſic. cap.* III. *Efficientem, Formalem, Materialem, Finalem.*

7. IPSE IDEAM VOCAT.] *Dixi Phyſiol.* II. *Diſſert.* III.

8. QVINQVE ERGO CAVSSÆ, VT PLATO.] *Plutarchus tamen breuiùs ex eius mente diuidit*: Platoni, *inquit*, τριχῶς τὸ αἴτιον λέγεται· ὑφ' ὃ, ἐξ ὃ, πρὸς ὅ. κυριώτερον δὲ ἡγεῖται τὸ ὑφ' ὃ. τὸ δὲ εἶδος τὸ ποιοῦν, ὅ ἐστινοῦς: tripliciter cauſſa dicitur, A quo, Ex quo, Ad quod. Propriè verò dici maximè cenſet eam, A quo: quæ eſt Efficiens, id eſt Mens. *Cùm ſic diuidit, intelligit* Efficientem, Materialem, Finalem. *Tum autem* Exemplaris, & Formalis, *in* Efficiente *intelliguntur incluſæ.*

runt. Ponant inter cauſſas tempus. nihil ſine tempore poteſt fieri. Ponant locum. ſi non A
fuerit vbi fiat aliquid, ne fiet quidem. Ponant motum. nil ſine hoc nec fit nec perit: nulla ſine motu ars, nulla mutatio eſt. Sed nos nunc primam & generalem cauſſam quærimus. hæc ſimplex eſſe debet. nam & materia ſimplex eſt. Quærimus, quid ſit cauſſa: Ratio faciens, id eſt, Deus. Ita enim quæ nunc retuli, non ſunt multæ & ſingulæ cauſſæ, ſed ex vnâ pendent, ex eâ quæ facit. Formam dicis cauſſam eſſe: hanc imponit artifex operi. pars eſt, non cauſſa. Exemplar quoque non eſt cauſſa, ſed inſtrumentum cauſſæ neceſſarium. Sic neceſſarium eſt exemplar artifici, quomodo ſcalprum, quomodo lima. ſine his procedere ars non poteſt. non partes tamen hæc artis, aut cauſſæ ſunt. Propoſitum, inquit, artificis, propter quod ad faciendum aliquid accedit, cauſſa eſt. vt ſit cauſſa, non eſt efficiens cauſſa, ſed ſuperueniens. Hæ autem innumerabiles ſunt: nos de cauſsâ quærimus generali. Illud verò non pro ſolitâ ipſis ſubtilitate dixerunt, totum mundum & conſummatum opus, cauſſam eſſe. multum enim intereſt inter opus, & cauſſam operis. Aut fer ſententiam: aut (quod facilius in eiuſmodi rebus eſt) [9] nega tibi liquere, & B
nos reuerti iube. Quid te, inquis, delectat tempus inter iſta conterere, quæ tibi nullum affectum eripiunt, nullam cupiditatem abigunt? Ego quidem priora illa ago ac tracto, quibus pacatur animus, & me priùs ſcrutor: deinde hunc mundum. Ne hoc quidem tempus, vt exiſtimas, perdo. Iſta enim omnia ſi non concidantur, nec in hanc ſubtilitatem inutilem diſtrahantur, attollunt & leuant animum, qui graui ſarcinâ preſſus, explicari cupit, & reuerti ad illa quorum fuit. Nam corpus hoc, animi pondus ac pœna eſt: premente illo vrgetur, [10] in vinculis eſt, niſi acceſſit philoſophia: & illum reſpirare rerum naturæ ſpectaculo iuſſit, & à terrenis dimiſit ad diuina. Hæc libertas eius eſt, hæc euagatio: ſubducit interim ſe cuſtodiæ in quâ tenetur, & cælo reficitur. Quemadmodum artifices ex alicuius rei ſubtilioris intentione, quæ oculos defatigat, ſi malignum & [11] precarium lumen habent, in publicũ prodeunt, & in aliquâ regione ad populi otium dedicatâ oculos liberâ luce delectant: ſic animus in hoc triſti & obſcuro domicilio cluſus, quoties poteſt, apertum petit, & in rerum naturæ contemplatione requieſcit. Sapiens C
aſſectatorque ſapientiæ adhæret quidem in corpore ſuo, ſed optimâ ſui parte abeſt, & cogitationes ſuas ad ſublimia intendit, & [12] velut ſacramento rogatus, hoc quod viuit ſtipendium putat: & ita formatus eſt, vt illi nec amor vitæ, nec odium ſit, patiturque mortalia, quamuis ſciat ampliora ſupereſſe. Interdices mihi inſpectione rerum naturæ, ac toto abductum rediges in partem? Ego non quæram, quæ ſint initia vniuerſorum, quis rerum formator, quis omnia in vnâ maſsâ & materiâ inerti conuoluta diſcreuerit? Non quæram, quis ſit artifex huius mundi? quâ ratione tanta magnitudo in legem & ordinem venerit? quis ſparſa collegerit, confuſa diſtinxerit, [13] in vnâ deformitate latentibus faciem diuiſerit? [14] vnde lux tanta fundatur? ignis ſit, an aliquid igne lucidius? Ego iſta non quæram? ego neſciam vnde deſcenderim? [15] ſemel hæc mihi videnda ſint, an ſæpè? Neſciam quò hinc iturus ſim? [16] quæ ſedes exſpectet animam, ſolutam legibus ſeruitutis humanæ? Vetas me cælo intereſſe, id eſt, iubes me viuere capite demiſſo? Maior ſum, & ad maiora genitus, quàm vt mancipium ſim mei corporis: quod equi- D
dem non aliter adſpicio, quàm vinculum aliquod libertati meæ circumdatum. Hoc

itaque

9. NEGA TIBI LIQVERE.] *A Romano ritu, in re ambiguâ*, Non liquet *pronunciantium*.

10. IN VINCVLIS EST.] *Ideò Græci corpus hoc δέσμας vocant, ὡς δεδεμένης ὑπ' αὐτῆ τ ψυχῆς ἐνταῦθα ὥσθ' φύσιν*: tamquam ligatâ hîc ab ipſo animâ, præter naturam.

11. PRECARIVM LVMEN.] *Variè corruptum in libris: ſed hoc rectum eſt. Precarium autem lumen, modicum non iuſtum, & vt ſolent quæ precibus impetrantur.*

12. VELVT SACRAMENTO ROGATVS.] *Ita ſuprà dictum*, Vitam militiam eſſe.

13. IN VNA DEFORMITATE.] *In chao.*

14. VNDE LVX TANTA.] *A Sole nimirum.*

15. SEMEL HÆC MIHI.] *Ad παλιγγενεσίαν Stoicam ſpectat, de quâ ego Phyſiol.* II. *Diſſert.* XXI. *Fortaſſe & ad Pythagoricam, de quâ item ego Phyſiol.* III. *Diſſert.* XII.

16. QVÆ SEDES EXSPECTET.] *Aliqua ſublunaris, vt Stoici cenſent: ac vide me Phyſiol.* III. *Diſſert.* XIV.

17. EX

A itaque oppono fortunæ, in quo reſiſtat; nec per illud ad me vllum tranſire vulnus ſino. Quidquid in me poteſt iniuriam pati, hoc eſt in hoc obnoxio domicilio: animus liber habitat. numquam me caro iſta compellet ad metum, numquam ad indignam bono ſimulationem, numquam in honorem huius corpuſculi mentiar. Cùm viſum fuerit, diſtraham cum illo ſocietatem: & nunc tamen dum hæremus, non erimus æquis partibus ſocij: animus ad ſe omne ius ducet. Contemptus corporis ſui, certa libertas eſt. Vt ad propoſitum reuertar, huic libertati multum conferet & illa, de quâ modò loquebamur, inſpectio. Nempe vniuerſa [17] ex materiâ & ex Deo conſtant: Deus iſta temperat, quæ circumfuſa rectorem ſequuntur, & ducem. Potentius autem eſt quod facit, quod eſt Deus, quàm materia patiens Dei. Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus: quod eſt illîc materia, id nobis corpus eſt. Seruiant ergo deteriora melioribus: fortes ſimus aduerſus fortuita: non contremiſcamus iniurias, non vulnera, non vincula, non egeſtatem. Mors quid eſt? aut finis eſt, aut tranſitus. nec
B deſinere timeo; idem eſt enim quod non cœpiſſe: nec tranſire; quia nuſquam tam anguſtè ero.

EPIST. LXVI.

CLARANVM *ſenem, ſed alacrem eſſe: eumdem corpore deformem, animo honeſtum. Non refert de casâ, in quâ is habitet. Diſcrimen Bonorum Stoicis: & omnia paria eſſe. Quid ergo? idem Gaudium, & Patientia? idem, quod ad Virtutem: non ad Materiam. Externa etiam, non dare Boni augmentum. Hæc diffusè, diſtinctè, pulchrè. O legamus, & aptemus!*

CLARANVM condiſcipulum meum vidi, poſt multos annos [1] non puto exſpectas, vt adiiciam ſenem: ſed mehercules viridem animo ac vigentem, & cum corpuſculo ſuo colluctantem. Iniquè enim ſe natura geſſit, & talem animum [2] malè
C collocauit: aut fortaſſe voluit hoc ipſum nobis oſtendere, poſſe ingenium fortiſſimum ac beatiſſimum ſub qualibet cute latere. Vicit tamen omnia impedimenta: & ad cetera contemnenda à contemptu ſui venit. Errare mihi viſus eſt qui dixit:

Gratior eſt pulchro veniens è corpore, virtus.

nullo enim honeſtamento eget: ipſa & magnum ſui decus eſt, & corpus ſuum conſecrat. Certè Claranum noſtrum cœpi intueri: [4] formoſus mihi videtur, & tam rectus corpore, quàm eſt animo. Poteſt ex casâ vir magnus exire: poteſt & ex deformi humiliſque corpuſculo, formoſus animus ac magnus. Quoſdam itaque videtur mihi in hoc natura tales generare, vt approbet virtutem omni loco naſci. Si poſſet per ſe nudos edere animos, feciſſet. nunc quod amplius eſt, facit: quoſdam enim edit corporibus impeditos, ſed nihilominus perrumpentes obſtantia. Claranus mihi videtur in exemplar editus: vt ſcire poſſemus, non deformitate corporis fœdari animum; ſed pulchritudine animi corpus ornari. Quamuis autem pauciſſimos vnà egerimus dies, tamen multi no-
D bis ſermones fuerunt, quos ſubinde egeram, & ad te mittam. Hoc primo die quæſitum eſt, quomodo poſſint paria bona eſſe, ſi [5] triplex eorum conditio eſt. Quædam (vt noſtris videtur) prima bona ſunt: tamquam gaudium, pax, ſalus patriæ. Quædam ſecunda, in materiâ infelici expreſſa: tamquam tormentorum patientia, & in morbo graui tempe-

17. EX MATERIA ET EX DEO.] *Non ſolùm à Deo, ſed ex Deo: & ſæpè ſic loquuntur. Quid ita? quia omnibus caloris & ignis aliquid inſitum, qui eſt ipſe Stoicis Deus, & omnia permanat.*

EPIST. LXVI. 1. NON PVTO EXSPECTAS.] *Vel quia ipſe ſcis; vel quia præmiſi*, condiſcipulum. *Ergo ſenis ſenem.*

2. MALE COLLOCAVIT.] *Simile ille*, Ingenium Galbæ malè habitat.

3. CORPVS SVVM CONSECRAT.] *Quod eſt velut parui eius Dei templum.*

4. FORMOSVS MIHI VIDETVR.] *Itaque Platonici tales animo pulchros amabant.* Nec enim, *ait Apuleius*, deformitas corporis talem poterit abigere appetitum: ſed cùm ipſa anima complacita eſt, homo totus adamatur.

5. TRIPLEX EORVM CONDITIO.] *Vide, ſi lubet, Manuduct. III. Diſſert. VI.*

temperantia. Illa bona directò optamus nobis: hæc, si necesse erit. Sunt adhuc tertia: A tamquam modestus incessus, & compositus, ac probus vultus, & conueniens prudenti viro gestus. Quomodo ista inter se paria esse possunt, cùm alia optanda sint, alia auersanda? Si volumus ista distinguere, ad primum reuertamur, & consideremus id quale sit. Animus intuens vera, peritus fugiendorum ac petendorum, non ex opinione, [6] sed ex naturâ pretia rebus imponens, toti se inferens mundo, & in omnes eius actus contemplationem suam mittens, cogitationibus actionibusque intentus, ex æquo magnus ac vehemens, asperis blandisque pariter inuictus, neutri se fortunæ submittens, supra omnia quæ contingunt acciduntque eminens, pulcherrimus cum decore, cum viribus sanus ac siccus, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem nec attollant fortuita, nec deprimant. Talis animi virtus est, hæc eius facies, si sub vnum veniat adspectum, & semel tota se ostendat. Ceterùm multæ eius species sunt, quæ pro vitæ varietate & pro actionibus explicantur: nec minor fit aut maior ipsa. [7] Decrescere enim summum bonum non potest, nec virtuti ire retrò licet: sed in alias atque alias qualitates B conuertitur, ad rerum quas actura est habitum figurata. Quidquid attigit, in similitudinem sui adducit & tingit: actiones, amicitias, interdum domos totas, quas intrauit disposuitque, condecorat: quidquid tractauit, id amabile, conspicuum, mirabile facit. Itaque vis eius & magnitudo vltrà non potest surgere, quando incrementum maximo non est. Nihil inuenies rectius recto, non magis quàm verius vero, quàm temperato temperatius. omnis in modo est virtus: modus certa mensura est. Constantia non habet quò procedat, non magis quàm fiducia, aut veritas, aut fides. Quid accedere perfecto potest? nihil. aut perfectum non erat, cui accessit: ergo ne virtuti quidem, cui si quid adiici potest, defuit. Honestum quoque nullam accessionem recipit: honestum est enim propter illa quæ retuli. Quid porrò decorum & iustum, & legitimum? non eiusdem esse formæ putas, certis terminis comprehensum? Crescere posse, imperfectæ rei signum est: bonum omne in easdem cadit leges: iuncta est priuata & publica vtilitas, tam mehercules, quàm inseparabile est, laudandum petendumque. Ergo virtutes inter se pares sunt, & opera C virtutum, & omnes homines quibus illa contigêre. Satorum verò animaliumque virtutes, cùm mortales sint, fragiles, caducæque, & incertæ, exsiliunt residuntque: & ideò non eodem pretio æstimantur. Vna inducitur humanis virtutibus regula: vna enim est ratio recta, simplexque. Nihil est diuino diuinius, cælesti cælestius. Mortalia eminent, cadunt, deteruntur, crescunt, exhauriuntur, implentur: itaque illis in tam incertâ sorte inæqualitas est: diuinorum vna natura est. Ratio autem nihil aliud est, quàm in corpus humanum pars diuini spiritus mersa. Si ratio diuina est, nullum autem bonum sine ratione est, bonum omne diuinum est: nullum porrò inter diuina discrimen est, ergo nec inter bona. Paria itaque sunt gaudium, & fortis atque obstinata tormentorum perpessio. in vtroque enim eadem est animi magnitudo: sed in altero remissa, & laxa; in altero pugnax, & intenta. Quid? tu non putas, parem esse virtutem eius qui fortiter hostium mœnia expugnat, & eius qui obsidionem patientissimè sustinet? Et magnus Scipio, qui Numantiam claudit & comprimit, cogitque inuictas manus in exitium ipsas D sui verti: & magnus ille obsessorum animus, qui scit nihil esse clausum, cui mors aperta est, & in complexu libertatis exspirat. Æquè reliqua quoque inter se paria sunt, tranquillitas, simplicitas, liberalitas, constantia, æquanimitas, tolerantia: omnibus enim istis vna virtus subest, quæ animum rectum & indeclinabilem præstat. Quid ergo? nihil interest inter gaudium, & dolorum inflexibilem patientiam? nihil, quantum ad ipsas virtutes: plurimum, quantum ad illa, in quibus virtus vtraque ostenditur. In altero namque naturalis animi remissio ac laxitas: in altero, contra naturam dolor. Itaque media sunt hæc, quæ plurimum interualli recipiunt. Virtus in vtraque par est: virtutem materia non mutat: nec peiorem facit dura & difficilis, nec meliorem hilaris & læta. Neces-

6. SED EX NATVRA.] *Id est, rectâ ratione.*

7. DECRESCERE SVMMVM BONVM NON POTEST.] *Nos aliquid Manud.* III. *Dissert.* IV. *itémque* III: *& quod sequitur, de* paritate virtutum, *ibi ex professo.*

A Necesse est ergo æqualia sint bona vtraque: quia nec hic potest se melius in hoc gaudio gerere, nec ille melius in illis cruciatibus. duo verò, quibus nihil fieri melius potest, paria sunt. Nam si quæ extra virtutem posita sunt, aut minuere illam, aut augere possunt; desinit vnum bonum esse, quod honestum est. Si hoc concesseris, omne honestum perit. Quare? dicam: quia nihil honestum est, quod ab inuito, quod à coacto fit. omne honestum voluntarium est. Admisce illi pigritiam, querelam, tergiuersationem, metum: quod habet in se optimum, perdidit, sibi placere. Non potest honestum esse, quod non est liberum. nam quod timet, seruit. Honestum omne securum est, tranquillum est. si recusat aliquid, si complorat, si malum iudicat, perturbationem recipit, & in magnâ discordiâ volutatur. Hinc enim species recti vocat, illinc suspicio mali retrahit. Itaque qui honestè aliquid facturus est, quidquid opponitur, id etiam si incommodum putat, malum non putat: velut libens faciet. Omne honestum iniussum, incoactumque est, sincerum, & nullo malo mixtum. Scio quid mihi hoc loco responderi possit. Hoc nobis
B persuadere conaris, nihil interesse, vtrùm aliquis in gaudio sit, an [8] in equuleo iaceat, & tortorem suum lasset. Poteram respondere [9] quod Epicurus ait, *Sapientem, si in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dulce est, & ad me nil pertinet.* Quid miraris, si ego paria bona dico, vnius in conuiuio iacentis, alterius inter tormenta fortissimè stantis: cùm (quod incredibilius est) dicat Epicurus, dulce esse torqueri? Et hîc respondeo, plurimum interesse inter gaudium & dolorem. Si quæratur electio, [10] alterum petam, alterum vitabo. illud secundùm naturam est, hoc contra. Quamdiu sic æstimantur, magno inter se dissident spatio: cùm verò ad virtutem ventum est, vtraque par est, & quæ per læta procedit, & quæ per tristia. Nullum habent momentum vexatio & dolor, & quidquid aliud incommodi est: virtute enim obruitur. Quemadmodum minora lumina claritas solis obscurat: sic dolores, molestias, iniurias, virtus magnitudine suâ elidit atque opprimit; & quocumque affulsit, ibi quidquid sine illâ apparet, exstinguitur: nec magis vllam portionem habent incommoda, cùm in virtutem inciderint, quàm in
C mari nimbus. Hoc vt scias ita esse, ad omne pulchrum vir bonus sine vllâ cunctatione procurret. stet illîc licet carnifex, stet tortor atque ignis, perseuerabit: nec quid passurus, sed quid facturus sit, adspiciet: & se honestæ rei tamquam bono viro credet. vtilem illam sibi iudicabit, tutam, prosperam. Eumdem ergo locum habebit apud illum honesta res, sed tristis atque aspera, quem vir bonus, pauper, aut exsul, ac pallidus. Agedum pone ex aliâ parte virum bonum, diuitiis abundantem, ex alterâ nihil habentem, sed in se omnia: vterque æquè bonus vir erit, etiam si fortunâ dispari vtetur. Idem (vt dixi) in rebus iudicium est, quod in hominibus. æquè laudabilis est virtus in corpore valido ac libero posita, quàm in morbido ac vincto. Ergo tua quoque virtus non magis laudabilis, si corpus illæsum tibi & integrum fortuna præstiterit, quàm si ex aliquâ parte mutilatum. alioqui hoc erit, ex seruorum habitu dominum æstimare. Omnia enim ista, in quæ dominium casus exercet, seruilia sunt, pecunia, & corpus, & honores: imbecilla, fluida, mortalia, possessionis incertæ. Illa rursus libera & inuicta opera virtutis, quæ non
D ideò magis appetenda sunt, si benigniùs à fortunâ tractantur; nec minùs, si aliquâ rerum iniquitate premuntur. Quod amicitia in hominibus est, hoc in rebus appetitio est. Non, puto, magis amares virum bonum locupletem, quàm pauperem: nec robustum & lacertosum, quàm gracilem, & languidi corporis: ergo ne rem quidem magis appetes hilarem ac pacatam, quàm distractam & operosam. Et si hoc est, magis diliges ex duobus æquè bonis viris, nitidum & vnctum; quàm puluerulentum & horrentem. deinde hucusque

8. IN EQVVLEO IACEAT.] *Cicero* v. *De Finibus*: Sit vir bonus cęcus, debilis, morbo grauissimo affectus, exsul, orbus, torqueatur in eculeo: quem hunc appellas Zeno? Beatum, inquit. Etiam beatissimum? Quippe, inquiet, cùm tam docuerim gradus istam rem non habere, quàm virtutem, in quâ sit ipsum Beatum.

9. QVOD EPICVRVS AIT.] *Cicero* v. *Tuscul.* Epicuro dicere licebit, Nullum sapienti esse tempus, etsi vratur, torqueatur, secetur, quin possit exclamare, Quàm pro nihilo puto? *denique etiam*, Beatam vitam in Phalaridis taurum descensuram.

10. ALTERVM PETAM.] *Quod Stoicum in verbis discrimen est, inter adiaphora. Vide me Manud.* II. *Dissert.* XXII.

usque peruenies, vt magis diligas integrum omnibus membris & illæsum, quàm debi- A
lem aut luscum. Paullatim fastidium tuum illò vsque procedet, vt ex duobus æquè iu-
stis ac prudentibus, comatum & crispulum malis, quàm recaluastrum. Vbi par est in
vtroque virtus, non comparet aliarum rerum inæqualitas: omnia enim alia non partes,
sed accessiones sunt. Nam quis tam iniquam censuram inter suos agit, vt filium sanum
quàm ægrum magis diligat? procerúmve & excelsum, quàm breuem & modicum? Fœ-
tus suos non distinguunt feræ, & se in alimentum pariter omniũ sternunt. aues ex æquo
partiuntur cibos. Vlixes ad Ithacæ suæ saxa sic properat, quemadmodum Agamemnon
ad Mycenarum nobiles muros. Nemo enim patriam, quia magna est, amat, sed quia sua.
Quorsum hæc pertinent? vt scias, virtutem omnia opera sua, velut fœtus suos, iisdem
oculis intueri, æquè indulgere omnibus: & quidem impensiùs, laborantibus. Quoniam
quidem etiam parentum amor, magis [11] in ea quorum miseretur, inclinat. Virtus quo-
que opera sua quæ videt affici & premi, non magis amat, sed parentum bonorum more,
magis complectitur ac fouet. Quare non est vllum bonum altero maius? quia non est B
quidquam apto aptius, quia plano nihil est planius. Non potes dicere, Hoc magis par
est alicui quàm illud: ergo nec honesto honestius quidquam est. Quòd si par omnium
virtutum natura est, tria genera bonorum in æquo sunt. Ita dico, in æquo est moderatè
gaudere, & moderatè dolere: Lætitia illa non vincit hanc animi firmitatem, sub tortore
gemitus deuorantem. Illa bona optabilia sunt, hæc mirabilia. vtraque nihilominus pa-
ria: quia quidquid incommodi est, velamento maioris boni tegitur. Quisquis hæc im-
paria iudicat, ab ipsis virtutibus auertit oculos, & exteriora circumspicit. Bona vera idem
pendunt, idem patent: falsa multum habent vani. Itaque speciosa & magna contrà vi-
sentibus, cùm ad pondus reuocata sunt, fallunt. Ita est, mi Lucili, quidquid vera ratio
commendat, solidum & æternum est, firmat animum, attollitque, semper futurum in
excelso: illa quæ temerè laudantur, & vulgi sententiâ bona sunt, inflant inanibus lætos.
Rursus ea quæ timentur tamquam mala, iniiciunt formidinem mentibus, & illas non
aliter, quàm animalia species periculi, agitant. Vtraque res ergo sine caussâ animum & C
diffundit, & mordet: nec illa gaudio, nec hæc metu digna est: sola ratio immutabilis &
iudicij tenax est. non enim seruit, sed imperat sensibus. Ratio rationi par est, sicut re-
ctum recto: ergo & virtus, quæ non aliud est quàm recta ratio. Omnes virtutes ratio-
nes rectæ sunt: si rectæ sunt, & pares sunt. Qualis ratio est, tales & actiones sunt: ergo
omnes pares sunt. Nam cùm similes rationi sint, similes & inter se sunt: pares autem
actiones inter se esse dico, quà rectæ sunt, & honestæ. Ceterùm magna habebunt dis-
crimina, variante materiâ: quæ modò latior est, modò angustior; modò illustris, modò
ignobilis; modò ad multos pertinens, modò ad paucos. In omnibus tamen istis, id quod
optimum est, par est: tamquam [12] viri boni, omnes pares sunt, quà boni sunt: sed ha-
bent differentias ætatis: alius senior, alius iunior. habent corporis: alius formosus, alius
deformis est. habent fortunæ: ille diues, hic pauper est; ille gratiosus, potens, vrbibus
notus & populis, ignotus hic plerisque, & obscurus. Sed per illud quòd boni sunt, pa-
res sunt. De bonis ac malis sensus non iudicat: quid vtile, scit; quid inutile, ignorat. Non D
potest ferre sententiam, nisi in rem præsentem perductus est: nec futuri prouidus est, nec
præteriti memor: quid sit consequens nescit. Ex hoc autem rerum ordo seriesque con-
texitur, & vnitas vitæ in perfectum itura. Ratio ergo arbitra est bonorum ac malorum:
aliena & externa pro vilibus habet: & ea quæ neque bona sunt, neque mala, accessiones
minimas ac leuissimas iudicat. omne illi bonum in animo est. Ceterùm quædam prima
existi-

11. IN EA QVORVM MISERETVR.] *Auctor Thebaidis*:

Quò caussa melior, sorsque deterior trahit,
Inclinat animus, semper infirmo fauens.
Miseros magis Fortuna conciliat suis.

Hæc ibi ipsa Iocasta mater, inclinata in miserum Polynicem. Noster Consol. ad Helu. cap. vlt. Necesse est, cùm omnia feceris, mater, cogitationes tuas subinde ad me recurrere, nec quemquam ex liberis frequentiùs tibi obuersari: non quia alij minùs cari sint, sed quia naturale est manum sæpiùs referre ad id quod doleat.

12. VIRI BONI OMNES PARES.] *Id quoque inter Paradoxa Stoica, Sapientes inter se pares. Explanaui Manud.* III. *Diss.* III.

13. QVID

A exiſtimat, ad quæ ex propoſito venit, tamquam victoriam, bonos liberos, patriæ ſalutem: quædam ſecunda, quæ non apparent niſi in rebus aduerſis: tamquam æquo animo pati morbum magnum, exſilium: quædam media, quæ nihilo magis ſecundùm naturam ſunt, quàm contra naturam: tamquam prudenter ambulare, compoſitè ſedere. Non enim minùs ſecundùm naturam eſt, ſedere, quàm aut ſtare, aut ambulare. Duo illa ſuperiora diuerſa ſunt. prima enim ſecundùm naturam ſunt, gaudere liberorum pietate, patriæ incolumitate: ſecunda contra naturam ſunt, fortiter obſtare tormentis, & ſitim perpeti, morbo vrente præcordia. Quid ergo? aliquid contra naturam bonum eſt? minimè. ſed illud aliquando contra naturam eſt, in quo bonum illud exſiſtit. vulnerari enim, & ſubiecto igne tabeſcere, & aduersâ valetudine affligi, contra naturam eſt: ſed inter iſta ſeruare animum infatigabilem, ſecundùm naturam eſt. Et vt, quod volo, exprimam breuiter, materia boni aliquando contra naturam: at bonum numquam. quoniam bonum ſine ratione nullum eſt: ſequitur autem ratio naturam. [13] Quid eſt ergo
B ratio? naturæ imitatio. Quid eſt ſummum hominis bonum? ex naturæ voluntate ſe gerere. Non eſt, inquit, dubium, quin felicior pax ſit numquam laceſſita, quàm multo reparata ſanguine. Non eſt dubium, inquit, quin felicior ſit inconcuſſa valetudo, quàm ex grauibus morbis & extrema minitantibus in tutum vi quadam & patientiâ educta. Eodem modo non erit dubium, quin maius bonum ſit gaudium, quàm obnoxius animus ad perpetiendos cruciatus vulnerum aut ignium. Minimè: illa enim quæ fortuita ſunt, plurimum diſcriminis recipiunt: æſtimantur enim vtilitate ſumentium. Bonorum vnum propoſitum eſt, conſentire naturæ: hoc in omnibus par eſt. Cùm alicuius in ſenatu ſententiam ſequimur, non poteſt dici: Ille magis aſſentitur, quàm ille: ab omnibus in eamdem ſententiam itur. idem de virtutibus dico: omnes naturæ aſſentiuntur. idem de bonis dico: omnia naturæ aſſentiuntur. Alter adoleſcens deceſſit, alter ſenex, aliquis præter hos infans, cui nihil amplius contigit, quàm proſpicere vitam: omnes hi æquè fuere mortales, etiam ſi mors aliorum longiùs vitam paſſa eſt procedere, aliorum in me-
C dio flore præcidit, aliorum interrupit principia. Alius inter cænandum ſolutus eſt, alterius continuata mors ſomno eſt, aliquem concubitus exſtinxit. his oppone ferro tranſfoſſos, aut exanimatos ſerpentum morſu, aut fractos ruinâ, aut per longam neruorum contractionem extortos minutatim. aliquorum melior dici, aliquorum peior poteſt exitus: mors quidem omnium par eſt. per quæ venit, diuerſa ſunt; id in quod deſinunt, vnum eſt. mors nulla maior aut minor eſt: habet enim eumdem in omnibus modum, finiſſe vitam. Idem tibi de bonis dico. hoc bonum inter meras voluptates eſt, hoc inter triſtia & acerba; illud fortunæ indulgentiam rexit, hoc violentiam domuit; vtrumque æquè bonum eſt, quamuis illud plana emolliuerit, hoc aſpera. Idem finis omnium eſt. bona ſunt, laudanda ſunt, virtutem rationemque comitantur: virtus æquat inter ſe, quidquid agnoſcit. Nec eſt quòd hoc inter noſtra placita mireris. apud Epicurum duo bona ſunt, ex quibus ſummum illud beatumque componitur: vt corpus ſine dolore ſit, animus ſine perturbatione. Hæc bona non creſcunt, ſi plena ſunt. quo enim creſcet,
D quod plenum eſt? Dolore corpus caret: quid ad hanc accedere indolentiam poteſt? Animus conſtat ſibi, & placidus eſt: quid accedere ad hanc tranquillitatem poteſt? Quemadmodum ſerenitas cæli non recipit maiorem adhuc claritatem, in ſinceriſſimum nitorem repurgata: ſic hominis corpus animumque curantis, & bonum ſuum ex vtroque nectentis, perfectus eſt ſtatus, & ſummam voti ſui inuenit, ſi nec æſtus animo eſt, nec dolor corpori. Si qua extrà blandimenta contingunt, non augent ſummum bonum, ſed, vt ita dicam, condiunt & oblectant: abſolutum enim illud humanæ naturæ bonum, corporis & animi pace contentum eſt. Dabo apud Epicurum tibi etiamnum ſimillimam huic noſtræ diuiſionem bonorum. Alia enim ſunt apud illum, quæ malit contingere ſibi: vt corporis quietem, ab omni incommodo liberam, & animi remiſſionem, bonorum ſuorum contemplatione gaudentis. Alia ſunt, quæ quamuis nolit accidere, nihilo-

13. QVID EST ERGO RATIO?] *Hæc valdè notanda, pro ſenſu præcipui dogmatis Stoicorum,* Naturam ſequi. *Quod equidem explicaui aliquot Diſſertationibus, Manuduct.* III.

nihilominus & laudat & comprobat: tamquam illam, quam paulloantè dicebam, ma- A
læ valetudinis, & dolorum grauiſſimorum perpeſſionem. in quâ Epicurus fuit illo ſummo ac fortunatiſſimo die ſuo:[14] ait enim ſe veſicæ & exulcerati ventris tormenta tolerare, vlteriorem doloris acceſſionem non recipientia: eſſe nihilominus ſibi illum beatum diem, beatum autem agere, niſi qui eſt in ſummo bono, non poteſt. Ergo & apud Epicurum ſunt hæc bona, quæ malles non experiri: ſed quia ita res tulit, & amplexanda & laudanda & exæquanda ſummis ſunt. Non poteſt dici, hoc non eſſe par maximis bonum, quod beatæ vitæ clauſulam impoſuit, cui Epicurus extremâ voce gratias egit. Permitte mihi, mi Lucili virorum optime, aliquid audacius dicere. ſi vlla bona maiora eſſe aliis poſſent: hæc ego quæ triſtia videntur, mollibus illis & delicatis prætuliſſem. Maius eſt enim perfringere difficilia, quàm læta moderari. Eadem ratione fit, ſcio, vt aliquis felicitatem benè, & calamitatem fortiter ferat. Æquè fortis eſſe poteſt, qui pro vallo ſecurus excubuit, nullis hoſtibus caſtra tentantibus: & qui ſucciſis poplitibus in genua ſe excepit, nec arma dimiſit. Macte virtute eſto, ſanguinolentis & ex acie redeuntibus di- B
citur. Itaque hæc magis laudauerim bona exercitata & fortia, & cum fortunâ rixata. Ego dubitem, quin magis laudem truncam illam & retorridam manum Mucij, quàm cuiuſlibet fortiſſimi ſaluam? Stetit hoſtium flammarumque contemptor, & manum ſuam in hoſtili foculo diſtillantem perſpectauit, donec Porſenna, cuius pœnæ fauebat, gloriæ inuidit: & ignem inuito eripi iuſſit. Hoc bonum quídni inter prima numerem: tantoque maius putem, quàm illa ſecura & intentata fortunæ, quanto rarius eſt hoſtem amiſsâ manu viciſſe, quàm armatâ? Quid ergo? inquis, hoc bonum tibi optabis? Quid ni? hoc enim, niſi qui poteſt & optare, non poteſt facere. An potiùs optem, vt[15] malaciſſandos articulos exoletis meis porrigam? vt muliercula, aut aliquis in mulierculam ex viro verſus, digitulos meos ducat? Quid ni ego feliciorē putem Mucium, qui ſic tractauit ignem,[16] quaſi illam manum[17] tractatori præſtitiſſet? In integrum reſtituit, quidquid errauerat. confecit bellum inermis ac mancus, & illâ manu truncâ[18] reges duos vicit.

C

14. AIT ENIM SE VESICÆ.] *Ipſa verba eius apud Laërtium, ex epiſtolâ ad Idomeneum, hæc ſunt:* Cùm ageremus vitæ beatum, & eumdem ſupremum diem, ſcribebamus hæc. Aderat autem veſicæ morbus & vrinæ mittendæ difficultas, & viſcerum affectiones tantæ, quæ magnitudinem vltrà non reciperent. Obſtabat tamen & repellebat hæc omnia animi in nobis gaudium, memoriâ rationum inuentorumque noſtrorum. *Adde epiſt.* XCII.

15. MALACISSANDOS ARTICVLOS.] *Quidam libri*, malaxandos. *Vtrumuis rectum, & Græcienſe, imò Græcum. Dicunt enim* μαλαχίζειν, *&* μαλάσσειν, emollire, lenire. *Plautus illud prius* malaciſſare *vſurpauit.*

16. QVASI ILLAM MANVM.] *Legerem*, quam ſi.

17. TRACTATORI PRÆSTITISSET.] *Ita dicti, quos in prioribus lineis deſcripſit: qui manu artifice membra, & plurimum manus digitoſq; ducebant & leniter trahebant. Martialis libro* III.

Percurrit agili corpus arte tractatrix.

Deſcribit pulchrè Clearchus apud Athenæum, lib. VI. *in delicijs & mollitie Paphij cuiuſdam adoleſcentis.* Iacebat quidem ille, *inquit*, in lectulo: ſed ad pedes lecti ſedebat quiſpiam, qui eius pedes genibus ſuis impoſitos tenui panniculo confoueret. Quid autem prætereà fecerit, vel ſilente me non obſcurum. Deinde alius ad ipſum lectum ſedens, *καὶ τῶ νεανίσκου τὴν χεῖρα παρεικότος, ἐκκρεμάμβυος ταύτῃ καὶ θεραπεπλωκὼς κατέψηχέ τε, καὶ τῶν δακτύλων ἕκαστον ἐν μέρει διαλαμβάνων, εἶλκέ δε καὶ ἐξέτεινεν, ὥς τε τὸν πρῶτον αὐτὸν ἐπονομάζοντα Σικυᾶν εὐστόχως εἰρηκέναι δοκεῖν:* cùm adoleſcens manum ſuam velut languidam remiſiſſet, ille appronans ſe & huic accidens, demulcebat eam & contrectabat, digitorum ſingulos trahens & extendens per vices. ita vt qui primus illum Cucurbitam vocauit, ingeniosè & feliciter dixiſſe videatur. *Ecce verum Tractatorem: & quare Cucurbitam? quòd vt illa trahit cutem & extendit, & tumentem leuiter reddit, ſic iſte. Vetus aliquis ſcriptor, aut certè ex veteri Ioannes Sarisberiēſis, hæc ſic narrat, vt ex Clearcho tranſlata dicas, lib.* III. *Polycratici, cap.* XIII. Cùm laſciuientis diuitis luxus libidini vota ſua D
præcingit, recumbentis pedes calamiſtratus comatulus excipit: & in aliorum conſpectu pedes, & ne plus dicam, teneris manibus tibias tractat. Chirotecatus enim inceſſit diutiùs, vt manus Soli ſubtractas emolliret, ad diuitis vſum. Deinde licentiâ paullùm procedente totum corpus impudico tactu oberrans pruriginem ſcalpit, quam fecit, & ignes Veneris languentibus inflammat. *Finem hîc etiam fœdæ tractationis habes: denique & manus Tractatoris mollicellas, chirotecarum vſu à ſole defenſas.*

18. REGES DVOS VICIT.] *Tarquinium exſulem, & Porſennam, quos ab obſidione remouit.*

EPIST.

A

EPIST. LXVII.

POST Præfatiunculam Quæstio, An omne bonum optabile? Ait, esse: etiam cuius materia in malis. Vt, fortiter vri, ægrotare, flagellari. Non ipsa vstio, morbus, flagella; sed illud, fortiter & patienter, inquit, est optabile. Deinde, Virtutes nexas esse: & vti vna, omnes. Sunt & hæc pulchra, fortis, germani Stoici.

VT à communibus initium faciam, ver aperire se cœpit: sed iam inclinatum in æstatem, quo tempore calere debebat, intepuit: nec adhuc illi fides est. sæpè enim in hiemem reuoluitur. Vis scire quàm dubium adhuc sit? nondum me[1] committo frigidæ: adhuc[2] rigorem eius infringo. Hoc est, inquis, nec calidum, nec frigidum pati. Ita est, mi Lucili. iam ætas mea contenta est suo frigore: vix mediâ regelatur æstate. Itaque maior pars[3] in vestimentis degitur. Ago gratias senectuti, quòd me[4] lectulo affixit. Quid ni gratias illi hoc nomine agam? quidquid[5] debebam nolle, non possum. Cum libellis mihi plurimus sermo est. si quando interueniunt epistolæ tuæ, tecum esse mihi videor: & sic afficior animo, tamquam tibi non rescribam, [6] sed respondeam. Itaque & de hoc quod quæris, quasi colloquar tecum: quale sit, vnà scrutabimur. Quæris an omne bonum optabile sit. Si bonum est, inquis, fortiter torqueri, & magno animo vri, & patienter ægrotare, sequitur vt ista optabilia sint. nihil autem video ex istis voto dignum. Neminem certè adhuc scio eo nomine votum soluisse, quòd flagellis cæsus esset, aut podagrâ distortus, aut equuleo longior factus. [7] Distingue, mi Lucili ista: & intelliges esse in his aliquid optandum. Tormenta abesse à me velim: sed si sustinenda fuerint, vt me in illis fortiter, honestè, animosè geram, optabo. Quídni ego malim non incidere bellum? sed si inciderit, vt vulnera, vt famem, & omnia quæ bellorum necessitas fert, generosè feram, optabo. Non sum tam demens, vt ægrotare cupiam: sed si
B
C ægrotandum fuerit, vt nihil intemperanter, nihil effeminatè faciam, optabo. Ita non incommoda optabilia sunt, sed virtus quâ perferuntur incommoda. Quidam ex nostris existimant, omnino asperorum fortem tolerantiam non esse optabilem, sed nec abominandam quidem: quia voto purum bonum peti debet, & tranquillum, & extra molestiam positum. Ego dissentio. Quare? primùm quia fieri non potest, vt aliqua res bona quidem sit, sed optabilis non sit: deinde si virtus optabilis est, nullum autem sine virtute bonum, & omne bonum optabile. Deinde etiam, si tormentorum fortis patientia optabilis non est: etiamnum interrogo, Nónne fortitudo optabilis est? atqui pericula con-

EPIST. LXVII. 1. COMMITTO FRIGIDÆ.] *Sic libri suadent legere, & monuit in paucis bonus doctusq; vir Nic. Faber. Significat, se frigidâ planè non vti, ad lauandum, vt solet: idq; ob æris adhuc intemperiem. Sed, inquit,* rigorem eius infringo. *quomodo? vel*
D *Sole admisso, vel tepidâ infusâ. Spectat totum eò, quòd balneis & lotione calidâ numquam vti solet, semper Psychrolutes. Adi epist.* LXXXIII. *quæ ipsa hæc interpretatur.*

2. RIGOREM EIVS INFRINGO.] *Sic aliquot libri: ex quibus Pincianus malebat,* rigore eius infringor. *Possit aliquis:* ad hunc rigorem eius infringor.

3. IN VESTIMENTIS DEGITVR.] *Volebat & hîc Pincianus,* in stramentis, *aduersantibus libris: nec audimus. Vestimenta, ipsius lecti sunt. vt in Propertio:*

Nunc queror in toto non sidere pallia lecto.

& Terentio:

Huc est intrò latus lectus, vestimentis stratus est.

vt in ipso Senecâ, epist. LXXVIII. Est virtuti etiam in lectulo locus. non tantùm arma & acies dant argumenta alacris animi; & in vestimentis vir fortis apparet.

4. LECTVLO AFFIXIT.] *Lucubratorio illi, non dormitorio. nam & hos veteres habebant: atque homines quieti, aut litteris operati, ferè semper in lecto. Iuuenalis, de ijs:*

Est genus ignauum, quod lecto gaudet & vmbrâ.

Seneca epist. LXXII. Quædam sunt, quæ possis & in cisio scribere, quædam lectum & otium desiderant.

5. DEBEBAM NOLLE.] *Discurrere, salutare, tempus terere.*

6. SED RESPONDEAM.] *Ore videlicet, vt si coràm videam.*

7. DISTINGVE MI LVCILI ISTA.] *Notat Muretus ex Aristotele, ista secundæ notæ, dici ἐξ ὑποθέσεως ἐυκτὰ, sub conditione optanda: vt, si ægrotes, sanari: & talia.*

8. REGV-

la contemnit & prouocat. Pulcherrima pars eius, maximeque mirabilis illa est, non A
cedere ignibus, obuiàm ire vulneribus: interdum tela ne vitare quidem, sed pectore excipere. Si fortitudo optabilis est; & tormenta patienter ferre optabile est. hoc enim, fortitudinis pars est: sed separa ista, vt dixi, nihil erit quod tibi faciat errorem. Non enim pati tormenta optabile est, sed pati fortiter. Illud opto fortiter, quod est virtus. Quis tamen vmquam hoc sibi optauit? Quædam vota aperta & professa sunt, cùm particulatim fiunt: quædam latent, cùm vno voto multa comprehensa sunt. Tamquam opto mihi vitam honestam: vita autem honesta actionibus variis constat. In hac est [8] Reguli arca, Catonis scissum manu suâ vulnus, Rutilij exsilium, calix venenatus qui Socratem transtulit è carcere in cælum. Ita cùm optaui mihi vitam honestam, & hæc optaui, sine quibus interdum honesta non potest esse.

—— O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum, Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere! B

Quid interest, optes hoc alicui, an optabile fuisse fatearis? Decius se pro Rep. deuouit, & in medios hostes concitato equo mortem petens irruit. Alter post hunc paternæ virtutis æmulus, [9] conceptis sollennibus, [10] ac iam familiaribus verbis, in aciem confertissimam incurrit, de hoc solicitus tantùm [11] vt litaret, optabilem rem putans bonam mortem. Dubitas ergo, an optimum sit memorabilem mori, & in aliquo opere virtutis? Cùm aliquis tormenta fortiter patitur, [12] omnibus virtutibus vtitur fortasse, cùm vna in promptu sit, & maximè appareat, patientia. ceterùm illîc est fortitudo: cuius patientia & perpessio, & tolerantia, rami sunt. illîc est prudentia, sine quâ nullum initur consilium: quæ suadet, quod effugere non possis, quàm fortissimè ferre. illîc est constantia: quæ deiici loco non potest, & propositum nullâ vi extorquente dimittit. illîc est indiuiduus ille comitatus virtutum. Quidquid honestè fit, vna virtus facit, sed [13] de consilij sententiâ: quod autem ab omnibus virtutibus comprobatur, etiam si ab vnâ fieri videtur, optabile est. Quid? tu existimas ea tantùm optabilia esse, quæ per voluptatem & C
otium veniunt? quæ excipiuntur [14] foribus ornatis? Sunt quædam tristes voluptates, sunt quædam vota, quæ non gratulantium cœtu, sed adorantium venerantiumque celebrantur. Ita tu non putas Regulum optasse, vt ad Pœnos perueniret? Indue magni viri animum, & ab opinionibus vulgi secede paullisper: cape quantam debes virtutis pulcherrimæ ac magnificentissimæ speciem, quæ nobis non sertis, sed sudore & sanguine colenda est. Adspice M. Catonem, sacro illi pectori purissimas manus admouentem, & vulnera parùm demissa laxantem. Vtrùm illi tandem dicturus es, [15] *Vellem quæ velles*, &, *Molestè ferò*? an, [16] *Feliciter, quod agis?* Hoc loco mihi Demetrius noster occurrit, qui vitam securam, & sine vllis fortunæ incursionibus *mare mortuum* vocat. Nihil habere ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denunciatione & incursu firmitatem animi tui tentes: sed in otio inconcusso iacere, non est tranquillitas, [17] malacia est. Attalus Stoicus

8. REGVLI ARCA.] *In quâ clauis confixus stetit. De Prouid. cap.* III.

9. CONCEPTIS SOLLENNIBVS.] *Formula enim deuouendi erat, Pontifice præeunte, quæ est in Liuij libro* VIII.

10. AC IAM FAMILIARIBVS.] *Non ignotis: itémque velut proprijs huic familiæ, quia pater vsurpauerat.*

11. VT LITARET.] *Non sacrificaret se tantùm, sed Deos propitiaret. Mori certus, sed ex salute publicâ mori optans. Nonius Marcellus*: Sacrificare, est veniam petere: litare est propitiare, & votum impetrare.

12. OMNIBVS VIRTVTIBVS VTITVR.] *Nam Stoico scito, nexæ eæ inter se sunt. Vide me Manuduct.* III. *Differt.* IV.

13. DE CONSILII SENTENTIA.] *Ex forensi* D
formulâ. Nam Prætor aut Quæsitor pronunciat, de consilij sententiâ.

14. FORIBVS ORNATIS.] *Quæ in re lætâ, lauru & lucernis solent obduci. Multa olim super hoc ritu ego* I. *Elector. cap.* III.

15. VELLEM QVÆ VELLES.] *Ita in Plauto*, Velim vt velles Tranio: *in consolatione, & cum affectu magis, quàm effectu.*

16. FELICITER QVOD AGIS.] *Formula approbandi, & in re lætâ gratandi. Suetonius Claudij cap.* VII. *Domitiani* XIII.

17. MALACIA EST.] *Quæ in mari dicitur, cùm stat sine ventis & ferè motu. Alludit autem ad mollitiem obiter, & languorem animi effeminati.*

18. MOL-

A Stoicus dicere ſolebat: *Malo me fortuna in caſtris ſuis, quàm in deliciis habeat.* torqueor, ſed fortiter: benè eſt. occidor, ſed fortiter: benè eſt. Audi Epicurum, dicet, *Et dulce eſt*. Ego tam honeſtæ rei ac ſeueræ numquam [18] molle nomen imponam. Vror, ſed inuictus. Quid ni optabile ſit, non quòd vrit me ignis, ſed quòd non vincit? Nihil eſt virtute præſtantius, nihil pulchrius: & bonum eſt, & optabile, quidquid ex huius geritur imperio.

EPIST. LXVIII.

SVADET *otium, ſed cum Philoſophiâ iunctum. Idipſum non iactandum eſſe. Et in eo de ſe, apud ſe, agendum: id eſt, vt in vitia inquiramus, emendemus. Denique hoc otium, ſuper aliorum negotia eſſe: quod magnæ reip. ſeruit.*

B CONSILIO tuo accedo: abſconde te in otio, ſed & otium tuum abſconde. Hoc te facturum, Stoicorum [1] etiamſi non præcepto, at exemplo licet ſcias: ſed ex præcepto quoque facies: id tibi, cùm voles, approbabo. [2] Nec ad omnem Remp. mittimus, [3] nec ſemper, [4] nec ſine vllo fine. Præterea, cùm ſapienti [5] Remp. ipſo dignam dedimus, id eſt, mundum: non eſt extra Remp. etiamſi receſſerit. imò fortaſſe relicto vno angulo, in maiora atque ampliora tranſit, & cælo impoſitus, intelligit [6] cùm ſellam aut tribunal aſcenderat, [7] quàm humili loco ſederit. Depono hoc apud te: numquam plus agere ſapientem, quàm cùm in conſpectum eius diuina atque humana venerunt. Nunc ad illud reuertor, quod ſuadere tibi cœperam, vt otium tuũ ignotum ſit. Non eſt [8] quòd inſcribas tibi philoſophiam. atque etiam aliud propoſito tuo nomen impone: valetudinem, & imbecillitatem vocato, & deſidiam. Gloriari otio, iners ambitio eſt. Animalia quædam, ne inueniri poſſint, veſtigia ſua circa cubile ipſum confundunt: idem tibi faciendum eſt, alioqui non deerunt qui perſequantur. Multi aperta tranſeunt, condita & obſtruſa rimantur. furem ſignata ſollicitant. vile videtur, quidquid patet: aperta [9] effra-
C ctarius præterit. Hos mores habet populus, hos imperitiſſimus quiſque: in ſecreta irrumpere cupit. Optimum itaque eſt, non iactare otium ſuum. iactandi autem genus eſt, nimis latere, & à conſpectu hominum ſecedere. Ille Tarentum ſe abdidit, ille Neapoli incluſus eſt: ille multis annis non tranſit domus ſuæ limen. Conuocat turbam, quiſquis otio ſuo aliquam fabulam impoſuit. Cùm receſſeris, non eſt agendum hoc, vt de te homines

18. MOLLE NOMEN.] *Vt eſt illud* Dulce *Epicuri.*

EPIST. LXVIII. 1. ETIAMSI NON PRÆCEPTO.] *Ita De Vit. beat. cap.* XXVIII. Non quò miſerint me illi, ſed quò duxerint, ibo: *in hac ipſâ re.*

2. NEC AD OMNEM REMP.] *De Vit. beat. cap. vlt.* Negant noſtri ad quamlibet remp. acceſ-
D ſurum ſapientem.

3. NEC SEMPER.] *Nec omni tempore, & vt non aliud agat.*

4. NEC SINE VLLO FINE.] *Pauſa & quies in ſenectute eſto. Cùm diu reip. id eſt alijs, etiam tibi vaces.*

5. REMP. IPSO DIGNAM.] *Totum hoc argumentũ ex profeſſo tractauit libello, qui cum Vitâ Beatâ coiuit, & cum eâ legitur. Vide cap.* XXIX. XXX. *& ſequentia.*

6. CVM SELLAM.] *Curulem, in Magiſtratu.*

7. QVAM HVMILI LOCO.] *Reſpectu curæ, quam cælo & mundo impendit. Muretus opportunè profert Themiſtij in hanc rem Epigrammation:*

Ἄντυγος αἰθερίης ὑπερήμυος, εἰς πόδον ἦλθες
Λάντυγος ἀργυρέης. αἶχος ἀπειρέσιον.
Ἦδα κάτω κρείσσων. ἀναβὰς δ' ἐγένυ μέγα χείρων,
Δεῦρ' ἀνάβηθι κάτω. νῦν γὰρ ἄνω κατέβης.

Quod ſubitò vertimus:

Æthereâ in ſellâ poſitum te cura ſubiuit — * *Nam tũc vehebantur in carpento argenteo.*
* Sellæ argentatæ. prô pudor & macula!
Maior eras, humilis; minor es nũc, ſublimatus.
Deſcende, vt poſſis ſcandere nunc iterùm.

Seſe alloquitur Themiſtius, à Iuliano Cæſare ad Conſulatum euectus, & à Sapientiæ ſtudio abductus.

8. QVOD INSCRIBAS TIBI PHILOSOPHIAM.] *Non debet. modeſtè & ſine oſtentatione tractanda eſt. Ideò Socrates olim Antiſtheni, qui* pallium tritum & ſciſſum obuertebat, atq; oſtendebat: Ὀρῶ σε, ἔφη, διὰ τῦ τρίβωνος τὴν κενοδοξίαν: Video, inquit, per pallium tuam vanitatem. *Adde ſimilis argumenti in epiſt.* V. *&* XIV. *&* XVIII. *&* CIII.

9. EFFRACTARIVS.] *Qui obſerata frangunt & reſerant. Sidonius* Effractorem *vocat*: Scrinia tua manus effractorum arguta populabitur. *Iſidorus:* Apertularius, effractor. *Illud, quia operta aperit. Gloſſæ*: Apertularius, θυρεωανοίκτης.

10. CAVS-

mines loquantur, ſed vt ipſe tecum loquaris. Quid autem tecum loquaris? quod homi- A
nes de aliis libentiſſimè faciunt, de te apud te malè exiſtima. Aſſuefce & dicere verum, & audire. Id autem maximè tracta, quod in te eſſe infirmiſſimum ſenties. Nota habet quiſque ſui corporis vitia. itaque alius vomitu leuat ſtomachum, alius frequenti cibo fulcit, alius interpoſito ieiunio corpus exhaurit & purgat. Hi quorum pedes dolor repetit, aut vino aut balneo abſtinent: in cetera negligentes, huic, à quo ſæpè infeſtantur, occurrunt. Sic in animo noſtro ſunt quaſi [10] cauſſariæ partes, quibus adhibenda curatio eſt. Quid in otio facio? vlcus meum curo. Si oſtenderem tibi pedem turgidum, liuidam manum, aut contracti cruris aridos neruos, permitteres mihi vno loco iacere, & fouere morbum meum: maius malum eſt hoc, quod non poſſum tibi oſtendere. In pectore collectio & vomica eſt. Nolo laudes, nolo dicas: O magnum virum! contempſit omnia, & damnatis humanæ vitæ furoribus fugit. Nihil damnaui, niſi me: non eſt, quòd proficiendi cauſsâ venire ad me velis. Erras, qui hinc aliquid auxilij ſperas. non medicus, ſed æger hîc habitat. Malo illa, cùm diſceſſeris, dicas: ego iſtum beatum hominem pu- B
tabam, & eruditum: erexeram aures. deſtitutus ſum, nihil vidi, nihil audiui, quod concupiſcerem, ad quod reuerterer. Si hoc ſentis, ſi hoc loqueris, aliquid profectum eſt. Malo ignoſcas otio meo, quàm inuideas. Otium, inquis, Seneca mihi commendas? ad Epicureas voces dilaberis. Otium tibi commendo, in quo maiora agas & pulchriora, quàm quæ reliquiſti. Pulſare ſuperbas potentiorum fores, [11] digerere in litteram ſenes orbos, plurimum in foro poſſe, inuidioſa potentia ac breuis eſt, &, ſi verum æſtimes, ſordida. Ille me gratiâ forenſi longè antecedit. ille ſtipendiis militaribus [12] & quæſitâ per hoc dignitate. ille clientum turbâ. huius turbæ par eſſe non poſſum, huius gratiæ. Tanti eſt ab hominibus vinci, dum à me fortuna vincatur. Vtinam quidem hoc propoſitum ſequi olim fuiſſet animus tibi! vtinam de vitâ beatâ non in conſpectu mortis ageremus! ſed nunc quoque non moremur. Multa enim, quæ ſuperuacua eſſe & inimica, crediturí fuimus rationi, nunc experientiæ credimus. Quod facere ſolent qui ſeriùs exeunt, & volunt tempus celeritate reparare, calcar addamus. hæc ætas optimè facit ad C
hæc ſtudia: iam deſpumauit, iam vitia primo feruore adoleſcentiæ indomita laſſauit: non multum ſupereſt, vt exſtinguat. Et quando, inquis, tibi proderit iſtud, quod in exitu diſcis, aut in quam rem? in hanc, [12] vt exeam melior. Non eſt tamen quòd exiſtimes, vllam ætatem aptiorem eſſe ad bonam mentem, quàm quæ ſe multis experimentis, longâ ac frequenti rerum patientiâ domuit: quæ ad ſalutaria, mitigatis affectibus, venit. Hoc eſt huius boni tempus. quiſquis ſenex ad ſapientiam peruenit, [14] annis peruenit.

10. CAVSSARIÆ PARTES.] *Cauſſariÿ in militiâ, qui cauſſam commeatus aut vacationis, valetudinem allegant. Inde Cauſſariÿ, pro ægris aut affectis: itemq;*, in cauſsâ *eſſe, pro morbo. Nos in Militiâ, & Mercurialis lib.* VI. *Variar. cap.* I. *Reſtitui Senecæ hanc vocem, Conſol. ad Marciam cap.* XI. *vide.*

11. DIGERERE IN LITTERAM SENES.] *Salutandi cauſsâ, pugillares aut libros habebant, vbi litterarum ordine ſcripti potentes, diuites, orbi, quorum gratiam aut opes captabant. De Benefic.* VI. *cap.* XXXIII. Quid tu iſtos libros, quos vix nomenclatorum aut memoria aut manus complectitur, amicorum exiſtimas eſſe? Non ſunt iſti amici, qui magno agmine ianuam pulſant. *Quamquam illi libri propriè de Clientibus ſunt: ſed ſimile ſuadent in Patronis aut Regibus iſtis fuiſſe.* Digeruntur *igitur* in litteram, *non* lineam (*vt quidam volunt:*) *quia quiſque in ſuâ tali legitur*, Annæus, Burrhus, Canius. *Quibuſdam libris*, in litteraturam: *ſenſu pari.* D

12. ET QVÆSITA PER HOC DIGNITATE.] *Vel Equeſtri, vel Senatoriâ. Nam & qui Primum pilum duxerant, Equites fiebant; & qui Tribunatu militum functi, Senatores. Suprà, epiſt.* XLVII.

13. VT EXEAM MELIOR.] *Ad vocem Solonis, qui moriturus audire aliquid cupidus, &* Quo fine, *interrogatus:* Vt doctior, *inquit*, moriar.

14. ANNIS PERVENIT.] *Id eſt, beneficio annorum peruenit. ætati hoc debet.*

EPIST.

A

EPIST. LXIX.

LOCA *non mutanda, sed magis quiescendum corpore, vt & animus posśit. Hunc in salutari studio defigendum, & quæ auocent vitanda.*

MVTARE te loca, & in alium de alio [1] transilire, nolo. Primùm, quia tam frequens migratio, instabilis animi est. [2] coalescere otio non potes, nisi desinas circumspicere & errare. Vt animum possis continere, priùs corporis tui fugam siste. Deinde, plurimum remedia continuata proficiunt. interrumpenda non est quies, & vitæ prioris obliuio. Sine dediscere oculos tuos: sine aures assuescere sanioribus verbis. quoties processeris, in ipso transitu aliqua quæ renouent cupiditates tuas, tibi occurrent. Quemadmodum ei, qui amorem exurere conatur, euitanda est omnis admonitio dilecti
B corporis: nihil enim faciliùs quàm amor recrudescit: ita qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagrauit, & oculos & aures ab his quæ reliquit, auertat. Citò rebellat affectus. quocumque se verterit, pretium aliquod præsens occupationis suæ adspiciet. Nullum [3] sine auctoramento malum est. Auaritia pecuniam promittit: luxuria multas ac varias voluptates: ambitio purpuram & plausum, & ex hoc potentiam, & quidquid potentia potest. Mercede te vitia solicitant: hîc tibi gratis viuendum est. Vix effici toto sæculo potest, vt vitia tam longâ licentiâ tumida subigantur, & iugum accipiant: nedum, si tam breue tempus interuallo discindimus. Vnam quamlibet rem vix ad perfectum adducit assidua vigilia & intentio. Si me quidem velis audire, hoc meditare. exerce te, vt mortem & excipias, & si ita res suadebit, accersas. interest nihil, an illa ad nos veniat, an ad illam nos. Illud imperitissimi cuiusque verbum, falsum esse ipse tibi persuade: *Bellá res est, [4] mori suâ morte.* Illud præterea tecum licet cogites: Nemo [5] nisi suo die moritur. Nihil perdis ex tuo tempore. nam quod relinquis,
C alienum est.

EPIST. LXX.

POMPEIIS *se fuisse, & præteriti temporis admonitu, sensisse eius fugam. Mortem instare, portum nempe iactationum. neque timendam, neque appetendam, aut sumendam: nisi interdum. & quando? cùm ratio, non impetus suadebit. Pluria & perpulchra in hunc sensum.*

POST longum interuallum Pompeios tuos vidi. in conspectum adolescentiæ meæ reductus sum. quidquid illîc iuuenis feceram, videbar mihi facere adhuc posse, & paullò antè feciśe. Prænauigamus, mi Lucili, vitam: & quemadmodum in mari, vt ait Virgilius noster,

——*Terræque vrbesque recedunt:*

D sic in hoc cursu rapidissimi temporis, primùm pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam, deinde quidquid est illud inter iuuenem & senem medium, in vtriusque confinio positum, deinde ipsius senectutis optimos annos. nouissimè incipit ostendi publicus finis generis humani. Scopulum esse illum putamus, dementissimi? [1] portus est, aliquando

EPIST. LXIX. 1. TRANSILIRE NOLO.] *Meus & aliquot scripti*, transire.

2. COALESCERE OTIO NON POTES.] *Vt enim ipse alibi*: Non coalescit planta, quæ sæpè transfertur.

3. SINE AVCTORAMENTO.] *Sine mercede &* pretio, *quod antè dixit.*

4. MORI SVA MORTE.] *Ita Suetonius, de Iulianis percussoribus*: nemo amplius triennio superuixit, neque suâ morte defunctus est. *Suâ, id est, ex naturæ communi lege, quam manu non facis. Opponitur mors* βιοθάνατος, violenta.

5. NISI SVO DIE.] *Verissimum est. nostro ratiocinio præmorimur; fati decreto morimur.*

EPIST. LXX. 1. PORTVS EST.] *Vitam cum mari conferri, & in eo agitatione, crebrum. Quies autem & portus, in morte. Vide Consol. ad Polyb. cap.* XXVIII.

quando petendus, numquam recuſandus. In quem ſi quis intra primos annos delatus A
eſt, non magis queri debet, quàm qui citò nauigauit. Alium enim, vt ſcis, venti ſegnes
ludunt ac detinent, & tranquillitatis lentiſſimo tædio laſſant: alium pertinax flatus ce-
lerrimè perfert. Idem euenire nobis puta. alios vita velociſſimè adduxit, quò venien-
dum erat etiam cunctantibus: alios macerauit & coxit. quæ, vt ſcis, non ſemper reti-
nenda eſt. [2] Non enim viuere bonum eſt, ſed benè viuere. Itaque ſapiens viuit, quan-
tum debet, non quantum poteſt. Videbit vbi victurus ſit, cum quibus, quomodo, quid
acturus. cogitat ſemper, qualis vita, non quanta ſit. Si multa occurrunt moleſta, & tran-
quillitatem turbantia, [3] emittit ſe: nec hoc tantùm in neceſſitate vltimâ facit, ſed cùm
primùm illi cœperit ſuſpecta eſſe fortuna, diligenter circumſpicit, numquid illo die de-
ſinendum ſit. Nihil exiſtimat ſuâ referre, faciat finem, an accipiat: tardiùs fiat, an ci-
tiùs. non tamquam de magno detrimento timet. [4] Nemo multum ex ſtillicidio poteſt
perdere. Citiùs mori, vel tardiùs, ad rem non pertinet: benè mori, aut malè, ad rem per-
tinet. benè autem mori, eſt effugere malè viuendi periculum. Itaque effæminatiſſimam B
vocem [5] illius Rhodij exiſtimo, qui cùm in caueam coniectus eſſet à tyranno, & tam-
quam ferum aliquod animal aleretur, ſuadenti cuidam vt abſtineret cibo: *Omnia*, in-
quit, *homini, dum viuit, ſperanda ſunt*. Vt ſit hoc verum, non omni pretio vita emenda
eſt. Quædam, licet magna, licet certa ſint, tamen ad illa turpi infirmitatis confeſſione
non veniam. Ego cogitem, in eo qui viuit omnia poſſe fortunam, potiùs quàm cogitem
in eo qui ſcit mori, nihil poſſe fortunam? Aliquando tamen, etiam ſi certa mors inſtabit,
& deſtinatum ſibi ſupplicium ſciet, non commodabit pœnæ ſuæ manum. Stultitia eſt,
[6] timore mortis mori. venit qui occidat. Exſpecta. quid occupas? quare ſuſcipis alienæ
crudelitatis procurationem? vtrùm [7] inuides carnifici tuo, [8] an parcis? Socrates potuit
abſtinentiâ finire vitam, & inediâ potiùs quàm veneno mori. [9] triginta tamen dies in
carcere, & in exſpectatione mortis exegit: non hoc animo, tamquam omnia fieri poſſent,
tamquam multas ſpes tam longum tempus reciperet, ſed vt præberet ſe legibus, vt fruen-
dum amicis extremum Socratem daret. Quid erat ſtultius, quàm mortem contemnere, C
venenum timere? [10] Scribonia grauis fæmina, amita [11] Druſi Libonis fuit, adoleſcen-
tis

2. NON ENIM VIVERE BONVM.] *Plutarchus Conſol. ad Apollon.* Modus enim vitæ, honeſtum; non temporis longinquitas eſt. *Itemq; anteà*: Non eſſe longiſſimam vitam, optimam; ſed honeſtiſſimam. Neque enim qui plurimum citharâ cecinit, aut orauit, aut nauem gubernauit, ſed qui optimè, commendatur. *Adde epiſt.* XCIII.

3. EMITTIT SE.] *Ex Stoico decreto. quibus probatur illa ἐξαγωγὴ & eductio è vitâ, ſi cauſſa non ſit vitæ. Diximus in Manud.* III. *Diſſert.* XXII.

4. NEMO MVLTVM EX STILLICIDIO.] *Aptiſſima imago. Vita velut guttatim per horas & dies fluit: & mox deſinit: quid mali, inquit, ſi paullò citiùs?*

5. ILLIVS RHODII.] *Teleſphori, qui à Lyſimacho in caueam coniectus. Vide De Irâ lib.* III. *cap.* XVII.

6. TIMORE MORTIS MORI.] *Suprà, epiſt.* XXIV. Tantam hominum imprudentiam eſſe, vt quidam timore mortis cogantur ad mortem. *Lucretius:*

Et ſæpè vſque adeò, mortis formidine, vitæ
Percipit humanos odium lucíſque videndæ,
Vt ſibi conſciſcant mœrenti pectore letum.

Arceſilaus, apud Plutarchum Conſol. ad Apollonium: Πολλοὶ διὰ τὴν ἀθένειαν, καὶ τὴν πρὸς τὸν θανατὸν διαβολὴν, ἀποθνήσκουσιν ἵνα μὴ ἀποθάνωσι: Multi ob vilitatem ingenij, & criminationes mortis, moriuntur ne moriantur. *Nimirum, vt Diogenes aiebat,* ὁ φόβος ἔτω χαλεπὸς, ὥςε πολλοὶ ἤδη περίλαβον τὸ ἔργον· οἱ μὲν ἐν νηὶ χειμαζόμενοι, ἐπειμένιαντες καταδῦναι τὴν ναῦν, ἀλλὰ πρότερον αὐτοὺς ἀποσφάξαντες: adeò difficilis & mala res metus eſt, vt multi anteceperint ipſum factum, id eſt id quod timebatur. Vt qui in naui tempeſtate iactantur & periclitantur, non exſpectato dum ea mergatur, ſeſe interficiunt. *Lucanius his conſonat:*

—— multos in ſumma pericula miſit
Venturi timor ipſe mali.

7. INVIDES CARNIFICI.] *Ne gloriam tui interfecti habeat.*

8. AN PARCIS?] *Ne interficiendi moleſtiam.* D

9. TRIGINTA DIES.] *Poſt ipſam damnationem, quia* Delia feſta, *vt Xenophon ait*, interuenerunt. Ἀνάγκη, *inquit*, ἐγένετο ὡιτῷ μετὰ τὴ κρίσιν τριάκοντα ἡμέρας βιῶναι, διὰ τᾶ Δήλια μὴ ἐπείνου τᾶ μηνὸς ἔδῃ. τὸν δὲ νόμον μηδένα ἐᾶν δημοσίᾳ ἀποθνήσκειν, ἕως ἂν ἡ θεωρία ἐκ Δήλου ἐπανέλθῃ: Neceſſe illi fuit triginta dies, poſt ſententiam, viuere, quia Delia feſta illo menſe erant. Lex autem non ſinebat publicè quemquam tollere, niſi pompa è Delo redijſſet. *Simile Romanis, non funeſtare dies feſtos & lætos ſupplicijs.*

10. SCRIBONIA GRAVIS FÆMINA.] *Quondam Auguſti coniux: Tacitus* II. *Annal.*

11. DRVSI LIBONIS.] *Cuius criminatio & mors,*

A tis tam ſtolidi, quàm nobilis, [12] maiora ſperantis, quàm aut [13] illo ſæculo quiſquam ſperare poterat, [14] aut ipſe vllo. cùm ægerà ſenatu in lecticâ relatus eſſet, non ſanè [15] frequentibus exſequiis, (omnes enim neceſſarij [16] deſeruerant impiè, iam non reum, ſed funus) habere cœpit conſilium, vtrùm conſciſceret ſibi mortem, an exſpectaret. Cui Scribonia: *Quid te*, inquit, *delectat* [17] *alienum negotium agere*? [18] Non perſuaſit. manus ſibi attulit, nec ſine cauſsâ. Nam poſt diem tertium aut quartum inimici moriturus arbitrio, ſi viuit, alienum negotium agit. Non poſſis itaque [19] de re in vniuerſum pronunciare, cùm mortem vis externa denunciat, occupanda ſit, an exſpectanda. Multa enim ſunt, quæ in vtramque partem trahere poſſunt. Si altera mors cum tormento, altera ſimplex & facilis eſt, quid ni huic iniicienda ſit manus? Quemadmodum nauim eligam nauigaturus, & domum habitaturus, ita mortem vtique quâ ſum exiturus è vitâ. Prætereà, quemadmodum non vtique melior eſt longior vita, ſic peior vtique mors longior. In nullâ re magis, quàm in morte, morem animo gerere debemus. exeat quà impe-
B tum cepit: ſiue ferrum appetit, ſiue laqueum, ſiue aliquam potionem venas occupantem, pergat, & vincula ſeruitutis abrumpat. Vitam & aliis approbare quiſque debet, mortem ſibi. optima eſt, quæ placet. Stultè hæc cogitantur: Aliquis dicet me parùm fortiter feciſſe, aliquis nimis temerè, aliquis fuiſſe aliquod genus mortis animoſius. Vis tu cogitare id in manibus eſſe conſilium, [20] ad quod fama non pertinet? hoc vnum intuere, vt te fortunæ quàm celerrimè eripias. Alioqui aderunt qui de facto tuo malè exiſtiment. Inuenies etiam [21] profeſſos ſapientiam, qui vim afferendam vitæ ſuæ negent, & nefas iudicent ipſum interemptorem ſui fieri. exſpectandum eſſe exitum, quem natura decreuit. Hoc qui dicit, non videt ſe libertati viam claudere. [22] Nil melius æterna lex fecit, quàm quòd vnum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos. Ego exſpectem vel morbi crudelitatem, vel hominis, cùm poſſim per media exire tormenta, & aduerſa diſcutere? Hoc eſt vnum, cur de vitâ non poſſimus queri: neminem tenet. Bono loco
C res humanæ ſunt, quòd nemo niſi vitio ſuo miſer eſt. Placet? viue. non placet? licet eò reuerti vnde veniſti. Vt dolorem capitis leuares, ſanguinem ſæpè emiſiſti: ad extenuandum corpus vena percutitur: non opus eſt vaſto vulnere diuidere præcordia. [23] ſcalpello aperitur ad illam magnam libertatem via: & puncto ſecuritas conſtat. Quid ergo eſt, quod nos facit pigros, inerteſque? Nemo noſtrûm cogitat, quandoque ſibi ex hoc domicilio exeundum. Sic veteres inquilinos indulgentia loci & conſuetudo, etiam inter iniurias detinet. Vis aduerſus hoc corpus liber eſſe? tamquam migraturus habita: propone tibi quandoque hoc contubernio carendum. fortior eris ad neceſſitatem exeundi. Sed quemadmodum ſuus finis veniet in mentem, omnia ſine fine concupiſcentibus? Nullius

mors, in eodem ſcriptore ibidem: at non hoc de Scriboniâ hîc narratum.

12. MAIORA SPERANTIS.] *Imperium & res ſummas.*

13. ILLO SÆCVLO.] *Tiberiano. cùm ipſe Prin-*
D *ceps intentus, & potentiæ ſuæ anxius.*

14. AVT IPSE VLLO.] *Ne laxo quidem & libero. quia non illi ingenium ad eminendum.*

15. FREQVENTIBVS EXSEQVIIS.] *Cur hoc mutant? appellat enim ſtatim* funus: *& vt iam mortuus deducebatur. Volunt tamen*, obſequijs, *etiam docti.*

16. DESERVERANT IMPIE.] *Non video cur illi impietatis ſic accuſentur, in iuſto à Principe metu, & ne fauiſſe viderentur. Malim*, impium.

17. ALIENVM NEGOTIVM.] *Carnificis, cui deſtinaris.*

18. NON PERSVASIT.] *Sic libri omnes, nec muto. Videtur enim mens Scriboniæ fuiſſe, ne mori præuerteret, & occuparet quod alius erat facturus. Etſi aliorſum id vertit mox Seneca, & Druſi factum ſoï-*
nῶς probans, ait alienum *etiam* negotium agere, *qui alteri viuunt, & animam in manu eius poſitam trahunt. Alij tamen ediderunt ſublatâ negatione*, Perſuaſit: *moti, opinor, ſequentibus verbis.*

19. DE RE IN VNIVERSVM PRONVNCIARE.] *Lege noſtra, ſodes, ſuper eâ totâ, in Manud.* III. *Diſſert.* XXII.

20. AD QVOD FAMA NON PERTINET.] *Nec enim ipſe eam auditurus es. atque eo ſenſu, non pertinet: pertinet tamen, ſi poſt te etiam de eâ curas.*

21. PROFESSOS SAPIENTIAM.] *Peripateticos.*

22. NIL MELIVS ÆTERNA LEX.] *Haud diſſimile illud Tragici, in diuinâ Thebaide:*

Vbique mors eſt. optimè hoc cauit Deus:
Eripere vitam nemo non homini poteſt,
At nemo mortem.

23. SCALPELLO APERITVR.] *Sectâ nimirum venâ. quæ crebra via mortis Senecæ æuo, & ipſius Senecæ fuit.*

lius rei meditatio tam neceſſaria eſt. Alia enim exercentur fortaſſe in ſuperuacuum. ad- A
uerſus paupertatem præparatus eſt animus? permanſere diuitiæ. ad contemptum nos
doloris armauimus? numquam à nobis exiget huius virtutis experimentum integri ac
ſani felicitas corporis. vt fortiter amiſſorum deſideria pateremur, præcepimus nobis?
omnes quos amabamus, ſuperſtites fortuna ſeruauit. Huius vnius rei vſum qui exigat
dies, veniet. Non eſt quòd exiſtimes, magnis tantùm viris hoc robur fuiſſe, quo ſeruitu-
tis humanæ clauſtra perrumperent. non eſt quòd iudices, hoc fieri niſi à Catone non
poſſe, qui quam ferro non emiſerat animam, [24] manu extraxit: cùm viliſſimæ ſortis
homines ingenti impetu in tutum euaſerint, cumque [25] commodò mori non licuiſſet,
nec ad arbitrium ſuum inſtrumenta mortis eligere: obuia quæque rapuerunt, & quæ
naturâ non erant noxia, vi ſuâ tela fecerunt. Nuper in ludo [26] beſtiariorum, vnus è Ger-
manis, cùm ad [27] matutina ſpectacula pararetur, ſeceſſit ad exonerandam corpus. nul-
lum aliud illi dabatur ſine cuſtode ſecretum. ibi lignum id, quod ad emundanda obſcœ-
na adhærente ſpongiâ poſitum eſt, totum in gulam farſit, & vi præcluſis faucibus ſpiri- B
tum eliſit. Hoc fuit morti contumeliam facere. ita prorſus. Parùm mundè, & parùm
decenter. Quid eſt ſtultius, quàm faſtidioſè mori? O virum fortem! ô dignum, cui fati
daretur electio! quàm fortiter ille gladio vſus eſſet! quàm animosè in profundam ſe alti-
tudinem maris, aut abſciſſæ rupis, immiſiſſet! Vndique deſtitutus inuênit, quemadmo-
dum & mortem ſibi deberet, & telum: vt ſcias ad moriendum nihil aliud in morâ eſſe,
quàm velle. Exiſtimetur de facto hominis acerrimi, vt cuique viſum erit, dum hoc con-
ſtet, præferendam eſſe ſpurciſſimam mortem ſeruituti mundiſſimæ. Quoniam cœpi
ſordidis exemplis vti; perſeuerabo. plus enim à ſe quiſque exiget, ſi viderit hanc rem
etiam à contemptiſſimis poſſe contemni. Catones, Scipioneſque, & alios, quos audire
cum admiratione conſueuimus, ſupra imitationem poſitos putamus: iam ego iſtam vir-
tutem habere tam multa exempla in ludo beſtiario, quàm in ducibus belli ciuilis oſten-
dam. Cùm adueheretur nuper inter cuſtodias quidam ad matutinum [28] ſpectaculum
miſſus, tamquam ſomno premente nutaret, caput vſque eò demiſit, donec radiis inſere- C
ret, & tamdiu ſe in ſedili ſuo tenuit, donec ceruicem circumactu rotæ frangeret. eodem
vehiculo quo ad pœnam ferebatur, pœnam effugit. Nihil obſtat, erumpere & exire cu-
pienti. [29] In aperto nos natura cuſtodit. Cui permittit neceſſitas ſua, circumſpiciat exi-
tum mollem. cui ad manum plura ſunt, per quæ ſeſe aſſerat, is delectum agat, & quà po-
tiſſimùm liberetur conſideret: cui difficilis occaſio eſt, is proximam quamque pro opti-
mâ arripiat, ſit licet inaudita, ſit noua. Non deerit ad mortem ingenium, cui non de-
fuerit animus. Vides quemadmodum extrema quoque mancipia, vbi illis ſtimulos ad-
egit dolor, excitentur, & intentiſſimas cuſtodias fallant? Ille vir magnus eſt, qui mor-
tem ſibi non tantùm imperauit, ſed inuenit. Ex eodem tibi munere plura exempla pro-
miſi. [30] Secundo Naumachiæ ſpectaculo, vnus è barbaris lanceam, quam in aduerſa-
rios acceperat, totam iugulo ſuo immerſit. Quare, inquit, non omne tormentum, om-
ne ludibrium iam dudum effugio? quare ego mortem armatus exſpecto? Tanto hoc
ſpecioſius ſpectaculum fuit, quanto honeſtius mori diſcunt homines, quàm occidere.
Quid ergo? quod animi perditi noxioſique habebunt, non habebunt illi, quos aduerſus D
hos caſus inſtruxit longa meditatio, & magiſtra rerum omnium ratio? Illa nos docet,
fati

24. MANV EXTRAXIT.] *De Prouid. cap.* 11. Animam, indignam quæ ferro contaminaretur, manu educit.

25. COMMODÒ MORI.] *Alij*, cumque ſuo modo mori: *mihi non placitum. Certè non licuit ijs commodè mori, qui aſſeruabantur, inter cuſtodias, & incluſi.*

26. BESTIARIORVM.] *Qui ad beſtias damnati, vel auctorati.*

27. MATVTINA SPECTACVLA.] *Suprà, epiſtolâ* VII. *Similia autem exempla habes & in Symmacho lib.* II. *epiſt.* XLVI.

28. SPECTACVLVM MISSVS.] *Miſſus aliunde, à Præſide prouinciæ. Suſpicabar aliquando*, Myſus: *vt ſuprà*, Germanus.

29. IN APERTO NOS NATVRA CVSTODIT.] *Quaſi dicat. liberi ſumus, & natura in aperto, non in clauſo nos habet. Vitæ alligauit, ſed vinculis quæ, cùm voles, & vt voles, rumpas.*

30. SECVNDO NAVMACHIÆ SPECTACVLO.] *Naumachiam bis Nero dedit: alteram intelligit. Poſſis & ad diem ſpectaculi alterum referre.*

31. QVOD

A fati varios esse accessus, finem eumdem. nihil autem interesse, vnde incipiat [31] quod venit. Eadem illa ratio monet, vt, si licet, moriaris sine dolore: sin autem non potest, fac quemadmodum potes, & quidquid obuenerit ad vim adferendam tibi, inuadas. Iniurioſum est rapto viuere: at contrà pulcherrimum, mori rapto.

EPIST. LXXI.

SVMMVM *Bonum in oculis habendum, eò singula consilia vel actiones referendas. Quod igitur illud? Vnum Honestum. Adulterant, qui Externa miscent: quia in solo animo hæret. Deinde, Bona paria esse: & Contemptum à Claritate non differre, si vtrumque ex Honesto. Catonem dat exemplum, & (ô pulchrè!) dilatat. Mortem honestam à vitâ tali, non item dif-*
B *ferre: contra Academicos, qui gradus faciunt Beatitatis. Non esse, nec illam, nec Honestum intendi. Itaque in eculeo, Beatissimo esse licere. Itáne? non pallebit, tremet, dolebit? Imò (à naturâ enim ista:) sed hæc omnia animi robore vincet. Nec tamen statim omnes. discrimina sunt inter Sapientes, aut Studiosos. Lege sodes, attende, mirare.*

SVBINDE me de rebus singulis consulis, oblitus vasto nos mari diuidi. cùm magna pars consilij sit in tempore, necesse est euenire, vt de quibusdam rebus tunc ad te perferatur sententia mea, cùm iam contraria potior est. Consilia enim rebus aptantur: res nostræ feruntur, imò voluuntur. Ergo consilium sub die nasci debet: & hoc quoque tardum est nimis: [1] sub manu, quòd aiunt, sub manu nascatur. Quemadmodum autem inueniatur, ostendam. Quoties quid fugiendum sit, aut quid petendum, voles scire: ad summum bonum, & propositum totius vitæ respice. Illi enim consentire debet quidquid agimus. non disponet singula, nisi cui iam vitæ suæ summa proposita est. Nemo,
C quamuis paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi iam constet quid velit pingere. Ideò peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de totâ nemo deliberat. Scire debet quid petat ille, [2] qui sagittam vult mittere: & tunc dirigere, & moderari manu telum. errant consilia nostra, quia non habent quò dirigantur. Ignoranti quem portum petat, nullus suus ventus est. Necesse est multum in vitâ nostrâ casus possit, quia viuimus casu. Quibusdam autem euenit, vt quædam scire se nesciant: quemadmodum quærimus sæpè eos, cum quibus stamus: ita plerumque finem summi boni ignoramus appositum. nec multis verbis, nec circuitu longo, quid sit summum bonum colliges: digito, vt ita dicam, demonstrandum est, nec in multa spargendum. Quid enim ad rem pertinet, in particulas illud diducere, cùm possis dicere: Summum bonum est, quod honestum est? & quod magis admireris, [3] Vnum bonum est, quod honestum est: cetera falsa & adulterina bona sunt. Hæc si persuaseris tibi, & virtutem adamaueris (amare enim parùm est) quidquid illa contigerit, id tibi, qualecumque aliis
D videbitur, faustum felixque erit: & torqueri, si modò iacueris ipso torquente securior: & ægrotare, si non maledixeris fortunæ, si non cesseris morbo. Omnia denique quæ ceteris videntur mala, & mansuescent, & in bonum abibunt, si super illa eminueris. Hoc liqueat, nihil esse bonum, nisi honestum: & omnia incommoda suo iure bona vocabuntur, quæ modò virtus honestauerit. Multis videmur maiora promittere, quàm recipit humana conditio. non immeritò. ad corpus enim respiciunt. reuertantur ad animum: iam hominem Deo metientur. Erige te, Lucili virorum optime, & relinque istum

31. QVOD VENIT.] *Vide an non argutius, quod finit: etsi alterum nec damno, & accipio, Nihil interesse vnde veniat, quod omnino venit.*

EPIST. LXXI. 1. SVB MANV, QVOD AIVNT.] *Suetonius Augusto:* Quò celeriùs ac sub manu annunciari posset.

2. QVI SAGITTAM VVLT.] *Similis imago apud Aristotelem in hac ipsâ re. 1. Ethic. Nicom. cap. 11. Vide me in Manud. 11. cap. XIII.*

3. VNVM BONVM, QVOD HONESTVM.] *Capitale Stoicum dogma, & fons reliquorum. Ego Manuduct. 11. Dissert. XX.*

istum [4] ludum litterarium philosophorum, quorum magnificentissimam ad syllabas A
vocant, qui animum minuta docendo demittunt & conterunt: fies similis illis, [5] qui
inuenerunt ista, non qui docent, & id agunt vt philosophia potiùs difficilis, quàm magna
videatur. Sequere illos, si quid apud te habeo auctoritatis. Socrates, qui totam philoso-
phiam reuocauit ad mores, & hanc summam dixit esse sapientiam, bona malaq; distin-
guere: *Vt sis beatus*, inquit, *& te alicui stultum videri sine*. Quisquis volet, tibi contume-
liam faciat, & iniuriam: tu tamen nihil patieris, si modò tecum erit virtus. Si vis, inquit,
beatus esse, si fide bonâ vir bonus, sine contemnat te aliquis. Hoc nemo præstabit, nisi
qui [6] omnia bona exæquauerit: quia nec bonum sine honesto est, & honestum in om-
nibus par est. Quid ergo? nihil interest inter præturam Catonis, & repulsam? nihil in-
teresť vtrùm Pharsalicâ acie Cato vincatur, an vincat? hoc eius bonum, quo victis par-
tibus non potest vinci, par erat illi bono, quo victor rediret in patriam, & componeret
pacem? Quid ni par sit? eadem enim virtute & mala fortuna vincitur, & ordinatur bo-
na. virtus autem non potest maior aut minor fieri. Vnius staturæ est. Sed Cn. Pompeius B
amittit exercitum: sed illud pulcherrimum reip. [7] prætextum, optimates, & prima acies
Pompeianarum partium, senatus ferens arma, vno prælio profligabuntur: & tam magni
ruina imperij, in totum dissiliet orbem. aliqua pars eius in Ægypto, aliqua in Africâ,
aliqua in Hispaniâ cadet. ne hoc quidem miseræ reip. continget, semel ruere. Omnia li-
cet fiant. Iubam in regno suo, non locorum notitia adiuuet, non popularium pro rege
suo virtus obstinatissima: Vticensium quoque fides [8] malis fracta deficiat, & Scipionem
in Africâ nominis sui fortuna destituat: olim prouisum est, ne quid Cato detrimenti ca-
piat. Victus est tamen. Et hoc numera inter repulsas Catonis. tam magno animo feret,
aliquid sibi ad victoriam, quàm ad præturam obstitisse. Quo die [9] repulsus est, lusit:
quâ nocte periturus fuit, legit. eodem loco habuit, præturâ & [10] vitâ excedere. omnia
quæ acciderent, ferenda esse persuaserat sibi. Quid ni ille mutationem Reip. forti &
æquo pateretur animo? Quid enim mutationis periculo exceptum? non terra, non cæ-
lum, non totus hic rerum omnium contextus, quamuis Deo agente ducatur. [11] non sem- C
per tenebit hunc ordinem: sed illum ex hoc cursu aliquis dies deiiciet. Certis eunt cun-
cta temporibus: nasci debent, crescere, exstingui. Quæcumque vides supra nos currere,
& hæc quibus innixi atque impositi sumus veluti solidissimis, carpentur ac desinent.
nulli non senectus sua est. inæqualibus ista spatiis eódem natura demittit. quidquid est,
non erit, nec peribit, [12] sed resoluetur. Nobis solui, perire est. Proxima enim intuemur:
ad vlteriora non prospicit mens hebes, & quæ se corpori addixerit: alioqui fortiùs finem
sui suorumque pateretur, si speraret omnia illa sic in vitam mortemque per vices ire, &
composita dissolui, dissoluta componi. in hoc opere æternam artem cuncta temperantis
Dei verti. Itaque Cato cùm ævum animo percurrerit, dicet: Omne humanum genus,
quod-

4. LVDVM LITERARIVM PHILOSOPHORVM.] *Faber ex codice scripto*, litterariorum: *at mihi ex meo placeat*, litteralium. *Philosophi scilicet qui litteras curant, & Philosophiam Philologiam reddunt.*

5. QVI INVENERVNT.] *Socrati, Zenoni, talibus, vitâ philosophis.*

6. OMNIA BONA EXÆQVAVERIT.] *In lætâ aut tristi materie ea sint. Suprà, epist.* LXVI. *diffusè.*

7. PRÆTEXTVM, OPTIMATES.] *Suetonius Iulij cap.* XXX. Et prætextum quidem illi ciuilium armorum hoc fuit. *Pompeius autem Optimatum & reip. causſam agere videbatur, atque id ambitioni suæ prætexebat. Possis etiam accipere, Senatum velut prætextum vestis & purpuram, in reliquo reip. corpore esse. Ita Epictetus* Virum bonum, purpuram in veste *facit.*

8. MALIS FRACTA DEFICIAT.] *Meus & quidam*, malis passa & fracta desinat. *Fortè*, malis pressa: *vel vt Gruterus noster*, quassa. D

9. REPVLSVS EST, LVSIT.] *Pilâ quidem, & in publico. adeò nec puduit, nec doluit. Adde epist.* CIIII.

10. VITA EXCEDERE.] *Quia de Præturâ etiam, mallem* excidere.

11. NON SEMPER TENEBIT.] *Refert Muretus ad id, quod Plato etiam scribit in Politico*, Solem & sidera non eodem semper motu, sed aliò aliàs ferri: atque adeò vbi nunc occidit Sol, inde ortum olim esse. *Non refuto. simplicius tamen arbitror, ad Stoicam ἐκπύρωσιν, sive* conflagrationem *referre, cùm omnia confusa peribunt. Similis sententiæ sunt, quæ Consol. ad Polyb. cap* XXI. *legas.*

12. SED RESOLVETVR.] *In prima principia, Ignem & Materiam.*

13. QVÆ-

A quodque est, quodque erit, morte damnatum est. omnes quæ vsquam rerum potiuntur vrbes,[13] quæque alienorum imperiorum magna sunt decora, vbi fuerint, aliquando quæretur,& vario exitij genere tollentur. alias destruent bella, alias desidia, paxque ad inertiam versa consumet, & magnis opibus exitiosa res luxus. Omnes hos fertiles campos[14] repentina maris inundatio abscondet, aut in subitam cauernam considentis soli lapsus abducet. Quid est ergo, quare indigner, aut doleam, si exiguo momento publica fata præcedo? magnus animus Deo pareat: & quidquid lex vniuersi iubet, sine cunctatione patiatur. Aut in meliorem emittitur vitam, lucidiùs tranquilliusque[15] inter diuina mansurus: aut certè sine vllo futurus incommodo,[16] naturæ suæ remiscebitur, & reuertetur in totum. Non est ergo M. Catonis maius bonum honesta vita, quàm mors honesta: quoniam[17] non intenditur virtus.[18] Idem esse dicebat Socrates veritatem & virtutem: quomodo illa non crescit, sic nec virtus quidem. habet numeros suos, plena est. Non est itaque quòd mireris paria esse bona, & quæ ex proposito sumenda sunt,
B & quæ[19] subita res tulit. nam si hanc inæqualitatem receperis, vt fortiter torqueri in minoribus bonis numeres, numerabis etiam in malis: & infelicem Socratem dices in carcere, infelicem Catonem vulnera sua animosiùs quàm fecerat, retractantē: calamitosissimum omnium Regulum, fidei pœnas etiam hostibus seruatæ pendentem. Atqui nemo hoc dicere, ne ex mollissimis quidem, ausus est. negant enim illum esse beatum, sed tamen negant miserum. Academici veteres beatum quidem esse etiam inter hos cruciatus fatentur,[20] sed non ad perfectum, nec ad plenum: quod nullo modo potest recipi. Nisi beatus est, in summo bono non est. Quod summum bonum est, supra se gradum non habet: si modò illi virtus inest, si illam aduersa non minuunt, si manet etiam comminuto corpore incolumis. manet autem. Virtutem enim intelligo animosam & excelsam: quam incitat, quidquid infestat. Hunc animum quem sæpè induunt generosæ indolis iuuenes, quos alicuius honestæ rei pulchritudo percussit, vt omnia fortuita contemnant, profectò sapientia infundet, & tradet: persuadebit vnum bonum esse quod
C honestum. Hoc nec remitti nec intendi posse, non magis quàm regulam, quâ rectum probari solet. quam si flectes, quidquid ex illâ mutaueris, iniuria est recti. Idem ergo de virtute dicemus: & hæc recta est. flexuram non recipit. rigida est: ampliùs intendi non potest. Hæc de omnibus rebus iudicat, de hac nulla. Si rectior ipsa non potest fieri, nec quæ ab illâ quidem fiunt, alia aliis rectiora sunt. huic enim necesse est respondeant. ita paria sunt. Quid ergo? inquis. iacere in conuiuio, & torqueri, paria sunt? Hoc mirum videtur tibi? illud licet magis admireris. Iacere in conuiuio, malum est: torqueri in equuleo, bonum est: si illud turpiter, hoc honestè fit. bona ista aut mala, non efficit materia, sed virtus. hæc vbicumque apparuit, omnia eiusdem mensuræ ac pretij sunt. In oculos nunc mihi manus intentat ille, qui omnium animum æstimat ex suo, quòd dicam paria bona esse aduersa fortiter portantis, & prospera honestè iudicantis: quòd dicam

13. QVÆQVE ALIENORVM IMPERIORVM.] *Tota sententia est. tam vrbes quæ imperant, vt Roma*
D *aliqua, aut Carthago: & quæ imperantur, vt Corinthus, Syracusæ, Athenæ; quæ tamen illis ipsis imperantibus decus & lumen afferunt. Nam clarum & magnificum est scilicet, tam magnis imperare. Sunt igitur decora alieni imperij.*

14. REPENTINA MARIS INVNDATIO.] *Id quoque Stoicum, Cataclysmo mundi partes perire, aut inuerti. Vide Physiol. lib.* II. *Dissert.* XX.

15. INTER DIVINA MANSVRVS.] *Inter aut iuxta sidera. In Physiol.* III. *Dissert.* XI.

16. NATVRÆ SVÆ REMISCEBITVR.] *Sæpè sic ambiguè de Animâ, vtrùm maneat, an statim ad originem sui, id est sidera recurrat. Nos loco dicto.*

17. NON INTENDITVR VIRTVS.] *Stoicam dogma, Non crescit, non minuitur. Vide Manud.* III. *Dissert.* IV.

18. IDEM ESSE VERITATEM ET VIRTVTEM.] *Eo sensu, quòd Virtus sit Scientia: omnis autem Scientia veritas. Plato non ipsum quidem Summum Bonum Veritatem esse, sed ei adhærere: sicut Soli lucem. Esse igitur ἀγαθοειδῆ, non ipsum ἀγαθόν: de Republ.* VI. *& antea,* εἰδὲν οἰκειότερον σοφίᾳ τὶ ἀληθείας ἕξῃ: nihil affinius familiariusque Sapientiæ, quàm Veritatem esse. *Denique* ἡγουμένης τῆς ἀληθείας, οὐκ ἂν ποτε χορὸν ἄωτῃ κακῶν ἀκολουθῆσαι: præeunte Veritate, numquam chorum Vitiorum subsecuturum. *Plura talia elogia, quæ huc spectant.*

19. SVBITA RES TVLIT.] *Casus, non consilium.*

20. SED NON AD PERFECTVM.] *Diximus in Manud.* III. *Dissert.* VI.

cam paria bona esse eius qui triumphat, & eius qui ante currum vehitur, inuictus ani- A
mo. Non putant enim fieri, quidquid facere non possunt: ex infirmitate suâ de virtute
ferunt sententiam. Quid miraris, si vri, vulnerari, occidi, alligari iuuat? aliquando etiam
libet. Luxurioso frugalitas pœna est, pigro supplicij loco labor est, [21] delicatus misere-
tur industrij, desidioso studere torqueri est. Eodem modo hæc, ad quæ omnes imbecilli
sumus, dura atque intoleranda credimus, obliti quàm multis tormentum sit vino carere,
aut primâ luce excitari. Non ista difficilia sunt naturâ, sed nos fluidi & enerues. Magno
animo de rebus magnis iudicandum est: alioqui videbitur illarum vitium esse, quod
nostrum est. Sic quædam rectissima, cùm in aquam demissa sunt, speciem curui præfra-
ctique visentibus reddunt. Non tantùm quid videas, sed quemadmodum, refert. ani-
mus noster ad vera perspicienda caligat. Da mihi adolescentem incorruptum, & inge-
nio vegetum, dicet [22] fortunatiorem sibi videri, qui omnia rerum aduersarum onera ri-
gidâ ceruice sustollit, qui supra fortunam exstat. Non mirum est, in tranquillitate non
concuti: illud mirare, ibi extolli aliquem, vbi omnes deprimuntur; ibi stare, vbi omnes B
iacent. Quid est in tormentis, quid est in aliis quæ aduersa appellamus, mali? hoc, vt
opinor, succidere mentem, & incuruari, & succumbere: quorum nihil sapienti viro po-
test euenire. Stat rectus sub quolibet pondere. nulla illum res minorem facit, nihil illi
eorum quæ ferenda sunt, displicet. Nam quidquid cadere in hominem potest, in se ce-
cidisse non queritur. vires suas nouit: scit se esse oneri ferendo. [23] Non educo sapien-
tem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliquâ rupe nullum sensum ad-
mittente, submoueo. memini ex duabus partibus illum esse compositum. Altera est ir-
rationalis. hæc mordetur, vritur, dolet: altera rationalis. hæc inconcussas opiniones ha-
bet, intrepida est, & indomita. In hac positum est summum illud hominis bonũ. quod
antequam impleatur, incerta mentis volutatio est: cùm verò perfectum est, immota illa
stabilitas est. Itaque [24] inchoatus, ad summa procedens, cultorque virtutis, etiamsi ap-
propinquat perfecto bono, sed ei nondum summam manum imposuit, ibi interim ces-
sabit, & remittet aliquid ex intentione mentis. nondum enim incerta transgressus est, C
etiam nunc versatur in lubrico. beatus verò, & virtutis exactæ, tunc se maximè amat,
cùm fortissimè expertus est: & metuenda ceteris, si alicuius honesti officij pretia sunt,
non tantùm fert, sed amplexatur, multoque audire mauult, [25] Tanto melior, quàm fe-
licior. Venio nunc illò, quò me vocat exspectatio tua. Ne extra rerum naturam vagari
virtus nostra videatur, & tremet sapiens, & dolebit, & expalleſcet: hi enim omnes cor-
poris sensus sunt. Vbi ergo est origo calamitatis? vbi illud malum verum est? illic scili-
cet, si ista animum detrahunt, si ad confessionem seruitutis adducunt, si illi [26] pœni-
tentiam sui faciunt. Sapiens quidem vincit virtute fortunam. At multi professi sapien-
tiam, leuissimis nonnumquam minis exterriti sunt. Hoc loco nostrum vitium est, qui
quod dicitur de sapiente, exigimus & à proficiente. Suadeo adhuc mihi ista quæ laudo,
nondum persuadeo: etiamsi persuasissem, nondum tam parata haberem, aut tam exer-
citata, vt ad omnes casus procurrerent. Quemadmodũ lana quosdam colores semel du-
cit, quosdam nisi sæpiùs macerata & recocta non perbibit: sic alias disciplinas ingenia D
cùm accepere, protinus præstant: hęc nisi altè descendit, & diu sedit, animum non colora-
uit, sed infecit, nihil ex his quæ promiserat, præstat. Citò hoc potest tradi, & pauciſſimis
verbis,

21. DELICATVS MISERETVR INDVSTRII.] *Non displiceat lectio, quæ è manuscripto meo aliisq; eruitur*: delicatis misé-
ria est continentia, indoctis industria, desidioso studere t. e.

22. FORTVNATIOREM SIBI VIDERI.] *Paria in De Prouident. cap.* II.

23. NON EDVCO SAPIENTEM.] *Vide Manuduct.* III. *Dissert.* VII.

24. INCHOATVS, AD SVMMA PROCEDENS.] *Est ille* Proficiens *&* τυπούμενος, *cœptus formari & doceri, nondum doctus. Nos hæc discrimina in Manuduct.* II. *Dissert.* IX.

25. TANTO MELIOR.] *Sic epist.* XXXI. Tanto melior, surge & inspira. *De Tranquill. cap. vlt.* Dicamus Tanto fortior, Tanto felicior. *Quinctilianus:* Vnde illa laudatio: Tanto melior, nec ego intellexi. *Est igitur acclamandi laudandiq; formula.*

26. PÆNITENTIAM SVI FACIVNT.] *Si illi excutiunt decreta sua: sicut Bruto morituro, qui Virtutem accusat, vt verba.*

27. PRE-

A verbis, vnum bonũ esse virtutem: nullum certè sine virtute: & ipsam virtutem in parte nostri meliore, id est, rationali positam. Quid erit hæc virtus? iudicium verum, & immotum: ab hoc enim impetus veniet mentis, ab hoc omnis species, quæ impetum mouet, redigetur ad liquidum. Huic iudicio consentaneum erit, omnia quæ virtute contacta sunt, & bona iudicare, & inter se paria. Corporum autem bona corporibus quidem bona sunt, sed in totum non sunt bona. His [27] pretium quidem erit aliquod, ceterùm dignitas non erit: magnis inter se interuallis distabunt, alia maiora, alia minora erunt. Et in ipsis sapientiam sectantibus [28] magna discrimina esse, fateamur necesse est. alius iam in tantum profecit, vt contra fortunam audeat attollere oculos, sed non pertinaciter: cedunt enim nimio splendore præstricti. alius in tantum, vt possit cum illâ conferre vultum: si iam peruenit ad summum, [29] & fiduciæ plenus est. Imperfecta necesse est labent, & modò prodant, modò sublabantur, aut succidant. Sublabentur autem, nisi ire & niti perseuerauerint: si quidquam ex studio & fideli intentione laxauerint, retrò eundum
B est. Nemo profectum ibi inuenit, vbi reliquerat. Instemus itaque, & perseueremus. plus quàm profligauimus, restat: sed magna pars est profectus, velle profiteere. Huius rei conscius mihi sum: volo, & totâ mente volo. Te quoque instinctum esse, & magno ad pulcherrima properare impetu video. Properemus. ita demum vita beneficium erit: alioqui mora est, & quidem turpis inter fœda versantibus. Id agamus, vt nostrum omne tempus sit. non erit autem, nisi priùs nos nostri esse cœperimus. Quando continget contemnere vtramque fortunam? quando continget omnibus oppressis affectibus, & sub arbitrium adductis, hanc vocem emittere? Vici. Quem vicerim, quæris? Non Persas, nec extrema Medorum, nec si quid vltra Dahas bellicosum iacet: sed auaritiam, sed ambitionem, sed metum mortis, qui victores gentium vicit.

EPIST. LXXII.

C

DIFFERT *petitionem Lucilij. ex occasione, differri à nobis Boni studium: malè. huic vni, omissis aliis, vacandum est. Nihil incidere, quod impediat, Sapienti quidem: aliqua Proficienti. Discrimen inter vtrosque. Externa nec addere, nec demere Sapienti, semper se contento.*

QVOD quæris à me, liquebat mihi, [1] sic rem edidiceram: sed diu non retentaui memoriam meam. Itaque non facilè me sequitur. quod euenit libris [2] situ cohærentibus, hoc euenisse mihi sentio: explicandus est animus, & quæcumque apud illum deposita sunt, subinde excuti debent, vt parata sint quoties vsus exegerit. Ergo hoc in præsentiâ differamus: multum enim operæ, multum diligentiæ poscit. Cùm primùm longiorem eodem loco sperauero moram, tunc istud in manus sumam. Quædam enim sunt, quæ possis & [3] in cisio scribere: quædam [4] lectum, & otium, & secretum desiderant.

D 27. PRETIVM ERIT ALIQVOD.] *Stoicè ἀξία*, dignatio. *Nam inter Adiaphora quoque discrimen, & alia æstimationem, alia reiectionem habent. Manuduct.* II. *Dissert.* XXII.

28. MAGNA DISCRIMINA ESSE.] *Explicaui Manud.* II. *Dissert.* IX.

29. ET FIDVCIÆ PLENVS EST.] *Hæc sic legenda, & distinguenda, vtiliter monui ibidem.*

EPIST. LXXII. 1. SIC REM EDIDICERAM.] *Erasmi lectio, nec longè nimis à libris. Muretus*, si reminiscerer, *suo iure & more. Meus & aliquot scripti*: Si rem ædificarem per se, sed non retractaui. *Fecerim*: liquebat mihi scire, modò edisserere (*vel* edicere) possem. sed diu. *Quid? imò aliter:* liquebat mihi, si remeditari possem: *& rem attigi. Remeditari, vt Reminisci.*

2. SITV COHÆRENTIBVS.] *Quod facile in illis voluminibus.*

3. IN CISIO SCRIBERE.] *A Pinciani sagacitate est, cùm libri ferè*, inscisio. *Est autem cisium vehiculi genus: & vult quædam per iter aut gestationem etiam scribi. Quis damnet? at quidam libri*, in circo: *nec id malè. vbi omnia vocibus strepunt, & auocatio multiplex est: atque aiunt sic factitasse Iulium Cæsarem, qui* inter spectandum epistolis libellisque legendis, aut rescribendis, vacabat: *auctore Tranquillo.*

4. LECTVM ET OTIVM.] *Quieti isti & otiosi, non sellis sedebant olim, vt nos; sed plurimùm in lectulo erant, semi tamen recti. Ouidius*:

Non hęc in nostris, vt quondã, scribimus hortis,
Nec consuete meum lectule corpus habes.

Plinius

rant. nihilominus his quoque occupatis diebus agatur aliquid, & quidem totis. num- A
quam enim non ſuccedent occupationes nouæ. ſerimus illas: itaque ex vnâ exeunt plu-
res: deinde ipſi nobis dilationem damus. Cùm hoc peregero, toto animo incumbam:
& ſi hanc rem moleſtam compoſuero, ſtudio me dabo. Non cùm vacaueris, philoſo-
phandum eſt: omnia alia negligenda, vt huic aſſideamus. cui nullum tempus ſatis ma-
gnum eſt, etiam ſi à pueritiâ vſque ad longiſſimos humani æui terminos vita protendi-
tur. Non multum refert, vtrùm omittas philoſophiam, an intermittas. non enim vbi
interrupta eſt manet, ſed eorum more, quæ intenta diſſiliunt, vſque ad initia ſua recur-
rit, quod à continuatione diſceſſit. Reſiſtendum eſt occupationibus: [5] nec explican-
dæ, ſed ſubmouendæ ſunt. tempus quidem nullum eſt parùm idoneum ſtudio ſalutari.
Atqui multi [6] inter illa non ſtudent, propter quæ ſtudendum. Incidet aliquid quod im-
pediat? non equidem eum, cuius animus in omni negotio lætus atque alacer eſt. Imper-
fectis adhuc interſcinditur lætitia: [7] ſapienti verò contexitur gaudium, nullâ rumpitur
cauſsâ, nullâ fortunâ: ſemper & vbique tranquillum eſt. Non enim ex alieno pendet, B
nec fauorem fortunæ, aut hominis exſpectat: domeſtica illi felicitas eſt. exiret ex ani-
mo, ſi intraret. ibi naſcitur. Aliquando extrinſecus, quo admoneatur mortalitatis, in-
teruenit: ſed id leue, & quod ſummam cutem ſtringat. Aliquo, inquam, incommodo
afflatur: maximum eius illud bonum, eſt fixum. Ita dico, extrinſecus aliqua ſunt in-
commoda, velut in corpore interdum robuſto ſolidoque, eruptiones quædam puſtula-
rum, & vlcuſcula: nullum in alto malum eſt. Hoc, inquam, intereſt inter [8] conſum-
matæ ſapientiæ virum, & alium procedentis: quod inter ſanum, & ex morbo graui ac
diutino emergentem. cui ſanitatis loco eſt, leuior acceſſio. Hic, niſi attendit, ſubinde
grauatur, & in eadem reuoluitur. Sapiens recidere non poteſt, [9] ne incidere quidem
ampliùs. Corpori enim ad tempus bona valetudo eſt: quam medicus etiam ſi reddidit,
non præſtat. ſæpè [10] ad eumdem quem aduocauerat, excitatur: animus ſemel in totum
ſanatur. Dicam quomodo intelligas ſanum. ſi ſe ipſe contentus eſt, ſi confidit ſibi, ſi ſcit
omnia vota mortalium, omnia beneficia quæ dantur petunturque, nullum in beatâ vi- C
tâ habere momentum. [11] Nam cui quid accedere poteſt, id imperfectum eſt: cui quid
abſcedere poteſt, id imperpetuum eſt. cuius perpetua futura lætitia eſt, is ſuo gaudeat.
Omnia autem quibus vulgus inhiat, vltrò citroque fluunt. Nihil dat fortuna mancipio:
ſed hæc quoque fortuita tunc delectant, cùm illa ratio temperauit ac miſcuit. hæc eſt
etiam quæ externa commendet, quorum auidus vſus ingratus eſt. Solebat Attalus hac
imagine vti: Vidiſti aliquando canem miſſa à domino fruſta panis aut carnis aperto ore
captantem? quidquid excepit, protinus integrum deuorat, & ſemper ad ſpem futuri
hiat. Idem euenit nobis. quidquid exſpectantibus fortuna proiecit, id ſine vllâ volupta-
te demittimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti & attenti. Hoc ſapienti non euenit: ple-
nus eſt, etiam ſi quid obuenit, ſecurè excipit, ac reponit. lætitiâ fruitur maximâ, conti-
nuâ, ſuâ. Habet aliquis bonam voluntatem, habet profectum, ſed cui multum deſit à
ſummo?

Plinius lib. v. *epiſt.* Viſus eſt ſibi iacere in lectulo ſuo, compoſitus in habitum ſtudentis. *Adde ſuprà, epiſt.* LXVII.

5. NEC EXPLICANDÆ.] *Id eſt, non diſponendæ per tempora, & digerendæ ſunt: quod faciunt tamen homines ſerioſi.*

6. INTER ILLA NON STVDENT.] *Inter vanitates, officia, triſtitias.* Studere *autem, eſt philoſophari Stoicâ linguâ. Ego in Manuduct.* II. *Diſſert.* I.

7. SAPIENTI VERÒ CONTEXITVR GAVDIVM.] *Eſt dogma Porticus, Sapientem ſemper in gaudio eſſe, explicatum Manuduct.* III. *Diſſert.* V.

8. CONSVMMATÆ SAPIENTIÆ.] *Iterùm hîc diſcrimina perfecti Sapientis, & incohati, videnda plenè Manud.* II. *Diſſert.* IX.

9. NE INCIDERE QVIDEM.] *Argutatur in vocibus venuſtè, Neque recidere in eumdem, nec incidere in alium.* D

10. AD EVMDEM QVEM ADVOCAVERAT.] *Senſum Muretus, opinor, ſecutus (nam libros minimè) edidit:* quem excitauerat, aduocatur. *At ego leui mutatione libros tueor*: ad eumdem qui aduocauerat. *Idem qui anteà vocauerat, reuocat, & redire in morbo redeunte iubet.* Excitatur *autem, ob ſubitam, aut intempeſtiuam, vel noctu vocationem.*

11. NAM CVI QVID ACCEDERE.] *Meus,* cui aliud (*alÿ*, aliquid) accidere poteſt: *certiſsimè. Duo dicit. Sapiens in perpetuo gaudio & fiduciâ: quare? quia nihil accidere poteſt, quamuis turbidum, quod turbet. quare etiam? quia nihil decedere, quod minuat vel abrumpat. Itaque ſequentia legenda, vt edidi auctoribus libris.*

12. ADHVC

A ſummo? hic deprimitur alternis, & extollitur, ac modò in cælum alleuatur, modò defertur ad terram. Imperitis ac rudibus, nullus præcipitationis finis eſt: in Epicuréum illud chaos decidunt inane, ſine termino. [12] Adhuc eſt genus tertium eorum qui ſapientiæ alludunt: quam non quidem attigerunt, in conſpectu tamen, &, vt ita dicam, [13] ſub ictu habent: hi non concutiuntur, ne defluunt quidem: nondum in ſicco, iam in portu ſunt. Ergo cùm tam magna ſint inter ſummos imosque diſcrimina, cùm medios quoque ſequatur fructus ſuus, ſequatur ingens periculum ad deteriora redeundi: non debemus occupationibus indulgere. excludendæ ſunt: ſi ſemel intrauerint, in locum ſuum alias ſubſtituent. Principiis illarum obſtemus. meliùs non incipient, quàm deſinent.

EPIST. LXXIII.

B PHILOSOPHOS *non eſſe contumaces. Parêre magis, & amare Principes, quàm illos ambitioſos, aut Palatinos. Nam iſti appetunt, inuident, ſemper inquieti, & ſæpè irati. Illi autem, amant, quia in quiete ſub iis ſunt; & tales ſunt, id eſt bonarum mercium pleni. Imputant etiam hoc beneficium, etſi pluribus contingat. Hortatur deinde aſſurgere ad Virtutem, id eſt Deum. Nam Sapientem (Stoicâ ſuperbia) vel illi parem.*

ERRARE mihi videntur, qui exiſtimant philoſophiæ fideliter deditos, [1] contumaces eſſe ac refractarios, & contemptores magiſtratuum ac regum, eorúmve per quos publica adminiſtrantur. E contrario enim, nulli aduerſus illos gratiores ſunt: nec immeritò. nullis enim plus præſtant, quàm quibus frui tranquillo otio licet. Itaque hi, [2] quibus ad propoſitum benè viuendi aditum confert ſecuritas publica, neceſſe eſt auctorem huius boni, vt parentem colant: multo quidem magis, quàm illi inquieti, & [3] in medio poſiti; qui multa principibus debent, ſed [4] multa & imputant: quibus num-
C quam tam plenè occurrere vlla liberalitas poteſt, vt cupiditates illorum quæ creſcunt, dum implentur, exſatiet. Quiſquis autem de accipiendo cogitat, oblitus accepti eſt. nec vllum habet malum cupiditas maius, quàm quòd ingrata eſt. [5] Adiice nunc, quòd nemo eorum qui in republicâ verſantur, quos vincat, ſed à quibus vincatur, adſpicit: & illis non tam iucundum eſt, multos poſt ſe videre, quàm graue, aliquem ante ſe. Habet hoc vitium omnis ambitio: non reſpicit. Nec ambitio tantùm inſtabilis eſt, verùm cupiditas omnis: quia [6] incipit ſemper à fine. At ille vir ſincerus ac purus, qui reliquit & curiam,

12. ADHVC EST GENVS TERTIVM.] *Et hæc explicata Manud.* III. *Diſſert.* IX.

13. SVB ICTV HABENT.] *A ſagittariis, qui emiſſuri telum ad ſcopum, etſi nondum emiſerunt. Alij à gladiatoribus petunt, iam fe-*
D *rituris. Parùm eſt, de ſenſu liquet, vel ex Senecæ ſimilibus locis. De Benefic.* II. *cap.* XXIX. *De Vit. beat. cap.* XII. *Ad Marciam, cap.* IX. *Adde hoc Lucani:*

—— quod nolles ſtare ſub ictu
Fortunæ, quo mundus erat Romanaque fata,
Coniux ſola fuit.

Ad Pompeium dicit, qui ſolam Corneliam extra bella habuit.

EPIST. LXXIII. 1. CONTVMACES ESSE AC REFRACTARIOS.] *Crebra obiectio in Stoicos, propter magnitudinem ſermonis atque animi, & quia terribilia calcabant. Epictetus* IV. *Diſſert. cap.* VII. At iſta verba contemptores legum efficiunt. Quę verò verba legibus obedientiores reddunt? Lex non eſt, quæ fertur à ſtultis. & tamen vide quomodo ad illa etiam ſe aptent & efficiant paratos. *Plura lege: & apud me, ſi lubet, Manuduct.* I. *Diſſert.* XV.

2. QVIBVS AD PROPOSITVM BENE VIVENDI ADITVM.] *Libri ſcripti ferè*, quibus altum ad propoſitum benè viuendi confert: *meus & quidam*, quibus alterum. *Quod probem. nam primum aditum confert cuique voluntas ſua, & ſtudium; alterum hæc publica ſecuritas, quia datur & licet.*

3. IN MEDIO POSITI.] *Non ſeducti, & à turbâ remoti, vt philoſophi.*

4. MVLTA ET IMPVTANT.] *Quia officia & miniſteria Principibus exhibent, qui in actu. Nihil inſcribere poſſunt otioſi.*

5. ADIICE NVNC, QVÒD.] *His ſimilia aut gemina, vide* II. *De Benef. cap.* XXVII. *&* III. *De Irâ, cap.* XXX. *&* XXXI.

6. INCIPIT SEMPER A FINE.] *Finis vnius, eſt initium alterius. Hoc cupitum habeo? aliud cupio, & ſit ſeries infinita.*

7. GRA-

curiam, & forum, & omnem administrationem reip. vt ad ampliora secederet, diligit A
eos per quos hoc ei facere tutò licet, soluſque illis [7] gratuitum testimonium reddit, &
magnam rem [8] nescientibus debet. Quemadmodum præceptores suos veneratur ac
suspicit, quorum beneficio [9] illis se vitiis exuit: sic & his, sub quorum tutelâ positus
exercet artes bonas. Verùm alios quoque rex viribus suis protegit. quis negat? Sed quem-
admodum Neptuno plus debere se iudicat, ex his qui eâdem tranquillitate vsi sunt, qui
plura & pretiosiora illo mari vexit: & animosiùs à mercatore, quàm à vectore soluitur
votum; & ex ipsis mercatoribus effusiùs gratus est, qui odores ac purpuras & auro pen-
sanda portabat, quàm qui vilissima quæque & saburræ loco futura congesserat: sic hu-
ius pacis beneficium ad omnes pertinentis, altiùs ad eos peruenit, qui illâ benè vtuntur.
multi enim sunt ex his togatis, quibus pax operosior bello est. An idem existimas pro
pace debere eos, qui illam ebrietati aut libidini impendunt, aut aliis vitiis, quæ vel bel-
lo rumpenda sunt? nisi fortè tam iniquum putas esse sapientem, vt nihil viritim se de-
bere pro communibus bonis iudicet. Soli lunæque plurimùm debeo: & non vni mihi B
oriuntur. anno, temperantique annum Deo, priuatim obligatus sum: quamuis non in
meum honorem descripta sint. [10] Stulta auaritia mortalium possessionem proprieta-
temque discernit, nec quidquam suum credit esse, quod publicum est: at ille sapiens ni-
hil iudicat suum magis, quàm cuius illi cum humano genere consortium est. Nec enim
essent ista communia, nisi pars illorum pertineret ad singulos. socium efficit, etiam quod
ex minimâ portione commune est. Adiice nunc, quòd magna & vera bona non sic di-
uiduntur, vt exiguum in singulos cadat: ad vnumquemque tota perueniunt. Ex con-
giario tantum ferunt homines, quantum in capita promissum est: epulum & [11] visce-
ratio, & si quid aliud capitur manu, discedit in partes: at hæc indiuidua bona, pax, &
libertas, tam omnium tota, quàm singulorum sunt. Cogitat itaque sapiens, per quem
sibi horum vsus fructusque contingat, per quem non ad arma illum, nec ad seruandas
vigilias, nec ad tuenda mœnia, & multiplex belli tributum publica necessitas vocet: agit-
que gubernatori suo gratias. Hoc docet philosophia præcipuè, benè debere beneficia, C
benè soluere. interdum autem solutio est ipsa confessio. Confitebitur ergo multum se
debere ei, cuius administratione ac prouidentiâ contingit illi pingue otium, & arbitrium
sui temporis, & imperturbata publicis occupationibus quies.

O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi semper Deus. ——

Si illa quoque otia multum auctori suo debent, quorum munus hoc maximum est:

Ille meas errare boues (vt cernis) & ipsum
Ludere quæ vellem, calamo permisit agresti:

quanti æstimamus hoc otium, quod inter deos agitur, quod deos facit? Ita dico, Lucili,
& te in cælum compendiariò voco. Solebat Sextius dicere, [12] *Iouem plus non posse quàm*
bonum virum. Plura Iupiter habet, quæ præstet hominibus: sed inter duos bonos non est
melior, qui locupletior. non magis, quàm inter duos, quibus par scientia regendi guber-
naculum est, meliorem dixeris, cui maius speciosiusque nauigium est. Iupiter quo an-
tecedit virum bonum? diutiùs bonus est. Sapiens nihilo se minoris æstimat, quòd vir- D
tutes

7. GRATVITVM TESTIMONIVM.] *Mercede aliâ, aut priuato beneficio, non emptum.*

8. NESCIENTIBVS DEBET.] *Quia nec sciunt Principes, aut intendunt, illi se hoc præstare.*

9. ILLIS SE VITIIS EXVIT.] *Mureti est: è libris facias,* illis inuijs exijt. *Nam stulti semper extra viam, & errabundi: in recto & alto Sapiens.*

Dispicere vnde queat alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

10. STVLTA AVARITIA MORTALIVM.] *Spectant ad Paradoxum illud, Omnia sapientis esse: de quo nos Manuduct. III. Dissert. XI.*

11. VISCERATIO.] *Epist. XIX.* Sine amico visceratio, leonis ac lupi vita est. *Sed ibi de priuatâ visceratione, cùm ex sacrificio, aut tali causâ, caro vberior, nec soli absumenda. Hîc de publicâ, cùm Princeps aut magistratus daret. In epulis autem & sacrificijs publicis etiam caro & talia, partibus distributa: quod Plutarchus argumentum priscæ frugalitatis habet, Quæst. Conuiual. II. cap. vlt.*

12. IOVEM PLVS NON POSSE.] *Vana, ridenda. Vide hæc omnia in Manuduct. III. Dissertat. XIIII.*

13. IN

A tutes eius ſpatio breuiore clauduntur. Quemadmodum ex duobus ſapientibus, qui ſenior deceſſit, non eſt beatior eo, cuius intra pauciores annos terminata virtus eſt: ſic Deus non vincit ſapientem felicitate, etiamſi vincit ætate. non eſt virtus maior, quę longior. Iupiter omnia habet: ſed nempe aliis tradidit habenda. ad ipſum hic vnus vſus pertinet, quòd vtendi etiam omnibus cauſſa eſt: ſapiens tam æquo animo omnia apud alios videt, contemnitque, quàm Iupiter. & hoc ſe magis ſuſpicit, quòd Iupiter vti illis non poteſt, ſapiens non vult. Credamus itaque Sextio, monſtranti pulcherrimum iter, & clamanti, *Hac itur ad aſtra*: hac, ſecundùm frugalitatem; hac, ſecundùm temperantiam; hac, ſecundùm fortitudinem. Non ſunt dij faſtidioſi, non inuidi: admittunt, & aſcendentibus manum porrigunt. Miraris hominem ad deos ire? Deus ad homines venit, imò (quod propius eſt) [13] in homines venit. Nulla ſine Deo mens bona eſt. Semina in corporibus humanis diuina diſperſa ſunt. quæ ſi bonus cultor excipit, ſimilia origini prodeunt, & paria his ex quibus orta ſunt ſurgunt: ſi malus, non aliter quàm
B humus ſterilis ac paluſtris, necat, ac deinde [14] creat purgamenta pro frugibus.

EPIST. LXXIV.

O PVLCHRA, *ô honeſta Epiſtola! & de ipſo Honeſto. vnum illud re Bonum eſſe: cetera, opinione. Qui tutò, qui ſecurè volet viuere, ſic ſentiat. Quid etiam? ſcutum in omnia fortuita promptum habeat, Deum ſequi. Obiectunculis quibuſdam deinde reſpondet: poſtremò, vitam beatam, vt circulum eſſe; in paruo, in magno, perfectam: nihil addi, nihil detrahi ab Externis. Iterandum eſt, ô pulchra, ô honeſta! qui mentem talem habes, fruere.*

EPISTOLA tua delectauit me, & marcentem excitauit: [1] memoriam quoque meam, quæ iam mihi ſegnis ac lenta eſt, euocauit. Quid ni tu, mi Lucili, maxi-
C mum putes inſtrumentum beatæ vitæ hanc perſuaſionem, [2] vnum bonum eſſe, quod honeſtum eſt? Qui omne bonum honeſto circumſcripſit, [3] intra ſe felix eſt. nam qui alia bona iudicat, in fortunæ venit poteſtatem, alieni arbitrij fit. Hic amiſſis liberis mæſtus, hic ſolicitus ægris, hic turpibus & aliquam paſſis infamiam triſtis. Illum videbis alienæ vxoris amore cruciari, [4] illum ſuæ. Non deerit, quem repulſa diſtorqueat: erunt, quos honor ipſe vexet. Illa verò maxima eſt ex omni mortalium populo turba miſerorum, quam exſpectatio mortis exagitat, vndique impendens. [5] nihil enim eſt, vnde non ſubeat. Itaque vt in hoſtili regione verſantibus, huc & illuc circumſpiciendum eſt, & ad omnem ſtrepitum circumagenda ceruix: niſi hic timor è pectore eiectus eſt, palpitantibus præcordiis viuitur. Occurrent acti in exſilium, & euoluti bonis: occurrent (quod genus egeſtatis grauiſſimum eſt) [6] in diuitiis inopes: occurrent naufragi, ſimiliáve naufragis paſſi, quos aut [7] popularis ira, aut inuidia, pernicioſum optimis telum, inopi-

D 13. IN HOMINES VENIT.] *Nam recta Ratio in nobis, vt volunt, ipſa eius pars eſt.*

14. CREAT PVRGAMENTA.] *Quidam ſcripti,* curat: *bono item ſenſu. Cùm enim bonus cultor curare & educare fruges debeat; iſte curam purgamentis impendit, id eſt paleas, & ſtipulas (res externas) habet pro frugibus.*

EPIST. LXXIV. 1. MEMORIAM QVOQVE MEAM.] *Ergo illud fuit, quod ſuprà epiſtolâ* LXXII. *quærebatur, & negabat ſe memoriam retentaſſe. Vide initium.*

2. VNVM BONVM, QVOD HONESTVM.] *Eſt certè maximum inſtrumentum, & radix (vt ego appellaui) omnium decretorum. Vide Manuduct.* II. *Diſſert.* XX.

3. INTRA SE FELIX.] *Caput primum Epicteti, in Pugillari,* Τῶν ὄντων τὰ μὲν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δ' οὐκ ἐφ' ἡμῖν: Quæ ſunt, alia in Nobis, alia non in Nobis: *& addit, illa in poteſtate noſtrâ eſſe libera, & liberum efficere, id eſt Beatum. Beatitas igitur intrà, nec extrà quærenda eſt.*

4. ILLVM SVÆ.] *Nimio aut ſuſpicioſo (quod adhæret) amore. Mecænas aliquis in hac ſorte.*

5. NIHIL ENIM EST, VNDE.] *Vbique mors eſt. ab homine, ferâ, domo, tegulâ, arbore, aquâ, ventò, aurâ: & quid excipiam? non ipſum te, qui eam times. Potes & manus tibi adferre.*

6. IN DIVITIIS INOPES.] *Auari.*

7. POPVLARIS IRA.] *Dic verum Seneca, & pro tuo æuo: Principis ira, aut odium.*

inopinantes ſecurośque diſiecit, procellæ more, quæ in ipsâ ſereni fiduciâ ſolet emergere; A
aut [8] fulminis ſubiti, ad cuius ictum etiam vicina tremuerunt. Nam vt illîc quiſquis ab
igne propior ſtetit, percuſſo ſimilis obſtupuit: ſic in his per aliquam vim accidentibus,
vnum calamitas opprimit, ceteros metus: paremque paſſis [9] triſtitiam facit, pati poſſe.
Omnium animos mala aliena ac repentina ſollicitant. Quemadmodum aues, etiam in-
anis fundæ ſonus territat: ita nos non ad ictum tantùm exagitamur, ſed ad crepitum.
Non poteſt ergo quiſquam beatus eſſe, qui huic ſe opinioni credidit. non enim beatum
eſt, niſi quod intrepidum. inter ſuſpecta malè viuitur. Quiſquis ſe multùm fortuitis
dedit, ingentem ſibi materiam perturbationis, & inexplicabilem fecit: vna hæc via eſt
ad tuta vadenti, & externa deſpicere, & honeſto contentum eſſe. Nam qui aliquid virtu-
te melius putat, aut vllum præter illam bonum; ad hæc quæ à fortunâ ſparguntur ſinum
expandit, & ſollicitus [10] miſſilia eius exſpectat. Hanc imaginem animo tuo propone,
ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum honores, diuitias, gratiam excute-
re: quorum alia inter diripientium manus ſciſſa ſunt, alia infidâ ſocietate diuiſa, alia B
magno detrimento eorum, in quos deuenerant, prenſa: ex quibus quædam aliud agen-
tibus inciderunt, quædam quia nimis captabantur, amiſſa, & dum auidè rapiuntur,
excuſſa ſunt. Nulli verò, etiam cui rapina feliciter ceſſit, gaudium rapti durauit in poſte-
rum. Itaque [11] prudentiſſimus quiſque, cùm primùm induci videt munuſcula, à thea-
tro fugit, & ſcit magno parua conſtare. Nemo manum conſerit cum excedente, nemo
exeuntem ferit: circa præmium rixa eſt. Idem in his euenit, quæ fortuna deſuper iactat.
æſtuamus miſeri, diſtringimur, multas habere cupimus manus: modò in hunc, modò
in illum reſpicimus: nimis tardè nobis mitti videntur, quæ cupiditates noſtras irritant,
ad paucos peruentura, exſpectata omnibus. Ire obuiàm cadentibus cupimus: gaude-
mus ſi quid inuaſimus: inuidentque alij, quos ſpes vana deluſit. vilem prædam magno
aliquo incommodo luimus, [12] aut inde fallimur. Secedamus itaque ab iſtis ludis, &
demus raptoribus locum. Illi ſpectent bona iſta pendentia, & ipſi magis pendeant.
Quicumque beatus eſſe conſtituit, vnum eſſe bonum putet, quod honeſtum eſt. Nam C
ſi vllum aliud exiſtimat, primùm malè de prouidentiâ iudicat: quia multa incommo-
da iuſtis viris accidunt: & quia quidquid nobis dedit, breue eſt & exiguum, ſi compa-
res mundi totius æuo. Ex hac deploratione naſcitur, vt ingrati diuinorum interpretes
ſimus. querimur, quòd non ſemper, & quòd pauca nobis, & incerta, & abitura contin-
gant. Inde eſt quòd nec viuere, nec mori volumus. vitæ nos odium tenet, timor mor-
tis. Nutat omne conſilium, nec implere nos vlla felicitas poteſt. Cauſſa autem eſt, quòd
non peruenimus ad illud bonum immenſum & inſuperabile, vbi neceſſe eſt reſiſtat vo-
luntas noſtra, quia vltra ſummum non eſt locus. Quæris, quare virtus nullo egeat? præ-
ſentibus gaudet, non concupiſcit abſentia: nihil non illi magnum eſt, quia ſatis. Ab
hoc diſcede iudicio: non pietas conſtabit, non fides: multa vtramque præſtare cupienti
patienda ſunt, ex his quæ mala appellantur: multa impendenda ſunt ex his, quibus in-
dulgemus tamquam bonis. Perit fortitudo, quæ periculum facere debet ſui: perit ma-
gnanimitas, quæ non poteſt eminere, niſi omnia velut minuta contempſerit, quæ pro D
maximis vulgus optat: perit gratia, & [13] relatio gratiæ æſtimatur labor, ſi quidquam
pretioſius fide nouimus, ſi non optima ſpectamus. Sed vt illa præteream, aut iſta bona
non ſunt quæ vocantur, aut homo felicior Deo eſt. quoniam quidem quæ parata nobis
ſunt,

8. FVLMINIS SVBITI.] *Similis comparatio, & ſententia, in De Clement. 1. cap.* VIII.

9. TRISTITIAM FACIT, PATI POSSE.] *O occulta, & vera! Nihil in tyrannide magis angit, quàm quod ab exemplo timemus: & in vno læſo, lædi poſſe videmur, & ſuſpicamur.*

10. MISSILIA EIVS EXSPECTAT.] *A ludis ſumptum, in quibus teſſerulæ ſpargi donorum indices, aut ipſa etiam dona ſolent. Quia ex alto mittebantur in fortè capientes*, Miſſilia *dicta.*

11. PRVDENTISSIMVS QVISQVE.] *Plebeia enim hæc oblectamenta, aut capturæ: honeſtiores ſpernebant.*

12. AVT INDE FALLIMVR.] *Corruptum. Fortaſſis*, auiditate fallimur: *aut*, auidíque. *Tentabam etiam*, aut hiando.

13. RELATIO GRATIÆ ÆSTIMATVR.] *Cum Grutero meo libens ſic diſtinxi, & ſcripſi: etſi ex meo facias*, relatio gratiæ exiſtimatur labi. *Illud melius, veriúſque.*

14. COM-

A ſunt,non habet in vſu Deus: nec enim libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes, nec quidquam ex his hominem ineſcantibus,& vili voluptate ducentibus,pertinet.Ergo aut, quod incredibile eſt, bona Deo deſunt; aut hoc ipſum argumentum eſt, bona non eſſe, quæ Deo deſunt. Adiice, quòd multa quæ bona videri volunt, animalibus quàm homini pleniora contingunt. Illa cibo auidiùs vtuntur: Venere non æquè fatigantur: virium illis maior eſt & æquabilior firmitas. ſequitur vt multò feliciora ſint homine. Nam ſine nequitiâ,ſine fraudibus degũt; fruuntur voluptatibus,quas & magis capiunt, & ex facili, ſine vllo pudoris aut pœnitentiæ metu. Conſidera tu itaque, an id bonum vocandum ſit, quo Deus ab homine vincitur. Summum bonum in animo conſtituamus. obſoleſcit, ſi ab optimâ noſtri parte ad peſſimam tranſit, & transfertur ad ſenſus, qui agiliores ſunt animalibus mutis. Non eſt ſumma felicitatis noſtræ in carne ponenda. Bona illa ſunt vera,quæ ratio dat: ſolida ac ſempiterna, quæ cadere non poſſunt, nec decreſcere quidem aut minui. cetera opinione bona ſunt: & nomen quidem habent
B commune cum veris, proprietas in illis boni non eſt. Itaque [14] commoda vocentur, & (vt noſtrâ linguâ loquar) producta: ceterùm ſciamus mancipia noſtra eſſe, non partes; & ſint apud nos,ſed ita vt meminerimus extra nos eſſe. Etiam ſi apud nos ſint, inter ſubiecta & humilia numerentur,propter quæ nemo ſe attollere debeat. quid enim ſtultius, quàm aliquem eo ſibi placere,quod ipſe non fecit? Omnia iſta nobis accedant,non hæreant: vt ſi abducantur, ſine vllâ noſtri laceratione diſcedant. Vtamur illis, non gloriemur: & vtamur parcè, tamquam depoſitis apud nos, & abituris. Quiſquis illa ſine ratione poſſedit, non diu tenuit. ipſa enim felicitas ſe niſi temperat, premit: ſi fugaciſſimis bonis credidit, citò deſeritur; & [15] vt non deſeratur, affligitur. Paucis deponere felicitatem molliter licuit: ceteri, cum his inter quæ eminuere, labuntur, & illos degrauant ipſa quæ extulerant. Ideò adhibebitur prudentia, quæ modum illis ac parſimoniam imponat. quoniam quidem licentia opes ſuas præcipitat, atque vrget: nec vmquam immodica durarunt, niſi illa moderatrix ratio compeſcuit. Hoc multarum tibi
C vrbium oſtendet euentus, quarum in ipſo flore luxurioſa imperia ceciderunt, & quidquid virtute erat partum, intemperantiâ corruit. Aduerſus hos caſus muniendi ſumus. nullus autem contra fortunam inexpugnabilis murus eſt: intus inſtruamur. Si illa pars tuta eſt, pulſari homo poteſt, capi non poteſt. Quod ſit hoc inſtrumentum, ſcire deſideras? nihil indignetur ſibi accidere, ſciatque illa ipſa quibus lædi videtur, ad conſeruationem vniuerſi pertinere,& ex his eſſe, quæ curſum mundi officiumque conſummant. [16] Placeat homini, quidquid Deo placuit: ob hoc ſeipſum ſuaque miretur, quòd non poteſt vinci, quòd mala ipſa ſub ſe tenet, quòd ratione, quâ valentius nihil eſt, caſum doloremque & iniuriam ſubigit. Ama rationem: huius te amor contra duriſſima armabit.Catulorum amor in venabula impingit feras,quas feritas & inconſultus impetus præſtat indomitas: iuuenilia nonnumquam ingenia cupido gloriæ in contemptum tam ferri, quàm ignium, miſit: ſpecies quoſdam, atque vmbra virtutis, in mortem voluntariam trudit: quanto his omnibus fortior ratio eſt, quanto conſtantior, tanto vehemen-
D tior per metus ipſos & pericula exibit. Nihil agitis, inquit,quòd negatis vllum eſſe aliud ab honeſto bonum. non faciet vos hæc munitio tutos à fortunâ, & immunes. Dicitis enim inter bona eſſe liberos pios, & benè moratam patriam, & parentes bonos; horum pericula non poteſtis ſpectare ſecuri; perturbabit vos obſidio patriæ, liberorum mors, parentum ſeruitus. Quid aduerſus hos pro nobis reſponderi ſoleat, ponam: deinde tunc adiiciam, quid præterea reſpondendum putem. Alia conditio eſt in his, quæ ablata in locum ſuum aliquid incommodi ſubſtituunt: tamquam bona valetudo vitiata, in malam transfertur: acies oculorum exſtincta, cæcitate nos afficit: non tantùm velocitas perit

14. COMMODA VOCENTVR.] *Quia aliquid commodant: Græcis* εὐχρηστα. *Vide me diffusè Manuduct.* III. *Diſſ.* XXII.

15. VT NON DESERATVR,AFFLIGITVR.] *Id eſt, ſi maneant opes & potentia, cadunt ſuper ipſum, & deijciunt. Tacitus*: Potentia,quæ nimia,poſtremò ruit ſuper ipſum.

16. PLACEAT HOMINI.] *Vide paria Manud.* II. *Diſſert.* XVI. *Hic enim finis hominis, Naturam id eſt Deum ſequi.*

perit poplitibus inciſis, ſed debilitas pro illâ ſubit. Hoc periculum non eſt in his, quæ A
paullò antè retulimus. quare? ſi amicum bonum amiſi, non eſt mihi pro illo perfidia
patienda: nec ſi bonos liberos extuli, in illorum locum impietas ſuccedit. Deinde non
amicorum ille aut liberorum interitus, ſed corporum eſt. Bonum autem vno modo
perit, ſi in malum tranſit, quod natura non patitur: quia omnis virtus & opus omne
virtutis incorruptum manet. Deinde, etiam ſi amici perierunt, etiam ſi probati reſpon-
denteſque voto patris liberi: eſt quod illorum expleat locum. Quid ſit, quæris? quod
illos bonos fecerat, virtus. Hæc nihil vacare patitur loci: totum animum tenet, deſide-
rium omnium tollit: ſola ſatis eſt. Omnium enim bonorum vis & origo in ipsâ eſt.
Quid refert, an aqua decurrens intercipiatur atque abeat, ſi fons ex quo fluxerat, ſaluus
eſt? Non dices vitam iuſtiorem ſaluis liberis, quàm amiſſis, nec ordinatiorem, nec pru-
dentiorem, nec honeſtiorem: ergo nec meliorem quidem. Non facit collectio amico-
rum ſapientiorem, non facit ſtultiorem detractio: ergo nec beatiorem, aut miſeriorem.
quamdiu ſalua fuerit virtus, non ſenties quid abſceſſerit. Quid ergo? non eſt beatior & B
amicorum & liberorum turbâ ſuccinctus? Quid ni non ſit? Summum enim bonum
nec infringitur, nec augetur: in ſuo modo permanet: vtcumque fortuna ſe geſſit, ſiue
illi ſenectus longa contigit, ſiue citra ſenectutem finitus eſt, eadem menſura ſummi bo-
ni eſt, quamuis ætatis diuerſa ſit. Vtrùm maiorem an minorem circulum ſcribas, ad
ſpatium eius pertinet, non ad formam: licet alter diu manſerit, alterum ſtatim obduxe-
ris, & in eum in quo ſcriptus eſt [17] puluerem ſolueris, in eâdem vterque formâ fuit.
Quod rectum eſt, nec magnitudine æſtimatur, nec numero, nec tempore: non magis
produci, quàm contrahi poteſt. [18] Honeſtam vitam ex centum annorum numero in-
quantum voles corripe, & in vnum diem coge: æquè honeſta eſt. modò latiùs virtus
funditur, regna, vrbes, prouincias temperat, fert leges, colit amicitias, inter propinquos
liberosque diſpenſat officia: modò arcto fine circumdatur paupertatis, exſilij, orbitatis:
non tamen minor eſt, ſi ex altiore faſtigio in priuatum, ex regio in humilem ſubduci-
tur, ex publico & ſpatioſo iure in anguſtias domus vel anguli coit. Æquè magna eſt, C
etiam ſi in ſe receſſit, vndique excluſa. nihilominus enim magni ſpiritus eſt & erecti, ex-
actæ prudentiæ, indeclinabilis iuſtitiæ. Ergo æquè beata eſt. beatum enim illud in vno
loco poſitum eſt, in ipsâ mente, ſtabile, grande, tranquillum: quod ſine ſcientiâ diui-
norum humanorumque non poteſt effici. Sequitur illud, quod me reſponſurum eſſe
dicebam: Non affligitur ſapiens liberorum amiſſione, non amicorum. eodem enim
animo fert illorum mortem, quo ſuam exſpectat. non magis hanc timet, quàm illam
dolet. [19] Virtus enim conuenientiâ conſtat: omnia opera eius cum ipsâ concordant, &
congruunt: hæc concordia perit, ſi animus, quem excelſum oportet eſſe, luctu aut deſi-
derio ſubmittitur. Inhoneſta eſt omnis trepidatio & ſolicitudo, & in vllo actu pigritia.
Honeſtum enim ſecurum & expeditum eſt, interritum eſt, in procinctu ſtat. Quid er-
go? non aliquid [20] perturbationi ſimile patietur? non & color eius mutabitur, & vul-
tus agitabitur, & artus refrigeſcent? & quidquid aliud, non ex imperio animi, ſed in-
conſulto quodam naturæ impetu geritur? Fateor: ſed permanebit illi perſuaſio eadem: D
nihil illorum malum eſſe, nec dignum, ad quod mens ſana deficiat. Omnia quæ facien-
da erunt, audacter facit & promptè. Hoc enim ſtultitiæ proprium quis non dixerit,
ignauè & contumaciter facere quæ facit, & aliò corpus impellere, aliò animum, diſtra-
híque

17. PVLVEREM SOLVERIS.] *Mathematici veteres, non cretâ in tabulâ, vt hodie, ſed radio in puluere ſcribebant: atque inde Ciceroni,* puluis eruditus: *Perſius:*

Nec qui abaco numeros, & ſecto in puluere metas
Scit riſiſſe vafer.

Vbi Scholiaſtes: Geometræ conſueti ſunt in abaco, radio, id eſt aliquo ſtilo formas aliquas & mẽſuras in ſummo terræ annotare. *Benè de Abaco. nam hanc menſulam, ſiue tabulam habebant, in quâ puluerem ſpargerent atque adæquarent.*

18. HONESTAM VITAM.] *Totum hoc argumenti pertractaui Manud.* III. *Diſſ.* II.

19. VIRTVS ENIM CONVENIENTIA CONSTAT.] *Exprimit Zenonis illam* ὁμολογίαν, *de quâ Manud.* II. *Diſſert.* XV.

20. PERTVRBATIONI SIMILE PATIETVR?] *Vide epiſt.* LVII.

21. IN

A híque inter diuerſiſſimos motus? Iam propter illa ipſa, quibus extollit ſe miraturque, contempta eſt, & ne illa quidem quibus gloriatur, libenter facit. Si verò aliquod timetur malum, eo perinde, dum exſpectatur, quaſi veniſſet vrgetur: & quidquid ne patiatur timet, iam metu patitur. Quemadmodum in corporibus futuri languoris ſigna præcurrunt: quædam enim ſegnitia neruis ineſt, & ſine labore vllo laſſitudo & oſcitatio & horror membra percurrens: ſic infirmus animus, multo antequam opprimatur malis, quatitur. præſumit illa, & ante tempus cadit. Quid dementius autem, quàm angi futuris, nec ſe tormento reſeruare, ſed accerſere ſibi miſerias, & admouere: quas optimum eſt differre, ſi diſcutere non poſſis? Vis ſcire, futuro neminem debere torqueri? quicumque audierit poſt quinquageſimum annum ſibi patienda ſupplicia, non perturbatur, niſi ſi medium ſpatium tranſilierit, & ſe [21] in illam ſæculo pòſt futuram ſolicitudinem immiſerit. Eodem modo fit, vt animos libenter ægros, & captantes cauſſas doloris, vetera atque oblitterata contriſtent. & quæ præterierunt, & quæ futura ſunt, abſunt: neutra
B ſentimus. non eſt autem, niſi ex eo quod ſentias, dolor.

EPIST. LXXV.

PHILOSOPHIAM *verba non captare, nec tamen ingenio aut eloquio renunciare. Præcipuum eſt, ſit vita vt ſermo. Deinde, tentemus progredi: quoniam per gradus aſcenditur, & ſunt tres Proficientium claſſes.*

MINVS tibi accuratas à me epiſtolas mitti quereris. quis enim accuratè loquitur, niſi qui vult putidè loqui? Qualis ſermo meus eſſet, ſi vnà ſederemus, aut ambularemus, illaboratus & facilis: tales eſſe epiſtolas meas volo, quæ nihil habeant accerſitum, nec fictum. Si fieri poſſet, quid ſentiam, oſtendere quàm loqui mallem. Etiam
C ſi diſputarem, nec ſupploderem pedem, nec manum iactarem, nec attollerem vocem: ſed iſta oratoribus reliquiſſem, contentus ſenſus meos ad te pertuliſſe, quos nec exornaſſem, nec abieciſſem. hoc vnum planè tibi approbare vellem, omnia me illa ſentire quæ dicerem: nec tantùm ſentire, ſed amare. Aliter homines amicam, aliter liberos oſculantur: tamen in hoc quoque amplexu tam ſancto & moderato, ſatis apparet affectus. Non mehercules ieiuna eſſe & arida volo, quæ de rebus tam magnis dicentur: neque enim philoſophia [1] ingenio renunciat: multum tamen operæ impendi verbis non oportet. Hæc ſit propoſiti noſtri ſumma: quod ſentimus, loquamur; quod loquimur, ſentiamus. Concordet ſermo cum vitâ. ille promiſſum ſuum impleuit, qui & cùm videas illum, & cùm audias, idem eſt. Videbimus qualis ſit, quantus: [2] vnus ſit. Non delectent verba noſtra, ſed proſint. Si tamen contingere eloquentia non ſolicito poteſt, aut ſi parata eſt, aut paruo conſtat, aſſit, & res pulcherrimas proſequatur. Sit talis, vt res potiùs quàm ſe oſtendat. Aliæ artes, ad ingenium totæ pertinent: hîc animi negotium agitur.
D Non quærit æger medicum eloquentem, ſed ſanantem: ſed ſi ita competit, vt idem ille qui ſanare poteſt, comptè de his quæ facienda ſunt differat, boni conſulet: non tamen erit, quare gratuletur ſibi, quòd inciderit in medicum etiam diſertum. hoc enim tale eſt, quale ſi peritus gubernator etiam formoſus eſt. Quid aures meas ſcalpis? quid oblectas? aliud agitur. vrendus, ſecandus, abſtinendus ſum. Ad hæc adhibitus es: curare debes morbum veterem, grauem, publicum. Tantum negotij habes, quantum in peſtilentiâ medicus: circa verba occupatus es? iamdudum gaude, ſi ſufficis rebus. Quando multa diſces?

21. IN ILLAM SÆCVLO POST FVTVRAM.] *Ergo* Sæculum *hîc pro anno* trigeſimo *circiter, ſi vera lectio de* quinquageſimo anno.

EPIST. LXXV. 1. INGENIO RENVNCIAT.] *Meus*, ingeniorum velud renunciat: *Quidam* ingeniorum velut gelu renunciat. *Quid fuerit, non educo.*

2. VNVS SIT.] *Conuenientia ſit in vitâ. Epiſtolâ* CXX. Magnam rem puta, vnum hominem agere. *Vide ibi.*

discès ? quando quæ didiceris affiges tibi, ita vt excidere non possint ? quando illa experieris ? Non enim vt cetera memoriæ tradidisse satis est : in opere tentanda sunt. Non est beatus qui scit illa, sed qui facit. Quid ergo? [3] infra illum nulli gradus sunt ? statim [4] ad sapientiam præceps est ? Non existimo. Nam qui proficit, in numero quidem stultorum est, magno tamen interuallo ab illis diducitur : inter ipsos quoque proficientes, sunt magna discrimina. [5] In tres classes (vt quibusdam placet) diuiduntur : [6] primi sunt: qui sapientiam nondum habent, sed iam in vicinià eius constiterunt. tamen etiam quod propè est, extra est. Qui sint hi, quæris? qui omnes iam affectus ac vitia posuerunt: quæ erant complectenda, didicerunt: sed illis adhuc inexperta fiducia est. bonum suum nondum in vsu habent. Iam tamen in illa quæ fugerunt, recidere non possunt : iam ibi sunt, vnde non est retrò lapsus : sed hoc illis de se nondum liquet, & quod in quadam epistolâ scripsisse me memini, scire se nesciunt. Iam contigit illis bono suo frui, nondum confidere. Quidam hoc proficientium genus, de quo locutus sum, ita complectuntur, vt illos dicant iam effugisse morbos animi, affectus nondum, & adhuc in lubrico stare quia nemo sit extra periculum malitiæ, nisi qui totam eam excussit. nemo autem illam excussit, nisi qui pro illâ sapientiam assumpsit. Quid [7] inter morbos animi interfit & affectus, sæpè iam dixi: nunc quoque te admonebo. Morbi sunt inueterata vitia, & dura : vt auaritia, vt ambitio nimia: postquam hæc animum implicuerunt, & perpetua esse mala eius cœperunt. Vt breuiter finiam, morbus est iudicium in prauo pertinax, tamquam valdè expetenda sint, quæ leuiter expetenda sunt. vel, si mauis, ita finiamus : [8] Nimis imminere leuiter petendis, vel ex toto non petendis, aut in magno pretio habere in aliquo habenda, vel in nullo. Affectus sunt, motus animi improbabiles, subiti & concitati: qui frequentes neglectique, fecere morbum. sicut distillatio vna, nec adhuc in morem adducta, tussim facit ; assidua & vetus, phthisin. Itaque qui plurimùm profecere, extra morbos sunt : affectus adhuc sentiunt, perfecto proximi. Secundum genus est eorum, qui & maxima animi mala & affectus deposuerunt, sed ita vt non sit illis securitatis suæ certa possessio : possunt enim in eadem relabi. Tertium illud genus extra multa & magna vitia est, sed non extra omnia. effugit auaritiam ; sed iram adhuc sentit. iam non sollicitatur libidine ; sed habet etiamnum ambitionem. iam non concupiscit ; sed adhuc timet. & in ipso metu ad quædam satis firmus est, quibusdam cedit: mortem contemnit, dolorem reformidat. De hoc loco aliquid cogitemus : benè nobiscum agetur, si in hunc admittimur numerum. Magnâ felicitate naturæ, magnaque & assiduâ intentione studij, secundus occupatur gradus : sed nec hic quidem contemnendus est color tertius. Cogita, quantum circa te videas malorum : adspice, quàm nullum sit nefas sine exemplo, quantum quotidie nequitia proficiat, quantum publicè priuatimque peccetur : intelliges satis nos consequi, si inter pessimos non sumus. Ego verò, inquis,

3. INFRA ILLVM.] *Qui nempe scit & facit : id est, verè sapientem.*

4. AD SAPIENTIAM.] *Placeat cum quibusdam libris*, à sapientiâ præceps : *quod interpretor, Quid igitur? præcipitium est statim ab illâ sapientiâ? non est discrimen inter vicinos, & longinquos?*

5. IN TRES CLASSES.] *Nos in Manuduct.* II. *Dissert.* IX.

6. PRIMI SVNT, QVI SAPIENTIAM.] *Hos Chrysippi verbis describi video, apud Stobæum Serm.* CI. Ὁ δ' ἐπ' ἄκρων προκόπτων, ἅπαντα πάντως ἀποδίδωσι τὰ καθήποντα, καὶ οὐδὲν παραλείπει· τὸν δὲ τέτε βίον οὐκ εἶναί πω φησὶν εὐδαίμονα, ἀλλ' ὀπιγίγνεσθαι αὐτῷ τὴν εὐδαιμονίαν, ὅταν αἱ μέσαι πράξεις αὗται προσλάβωσι τὸ βέβαιον καὶ ἕκτικὸν, καὶ ἰδίαν πῆξιν τινὰ λάβωσιν : Qui in summo est Proficiens, omnia omnino officia præstat, nihilque omittit. tamen huius vitam ait *(Chrysippus, aut Zeno)* nondum beatam esse, sed superuenire Beatitudinem & accedere, cùm mediæ istæ actiones constantiam, & habitum, & firmum fixumque aliquid fuerint nactæ. *Faciunt planè ad ista Senecæ, & meis illis in Manuductione licet iungas.*

7. INTER MORBOS ANIMI.] *Cicero sæpè confundit, & Morbos etiam Affectus vocat : sed nostri disparant, & ipse ex eorum & Chrysippi (nominat enim) sensu*, IV. *Tusculanâ :* Intelligatur igitur, Perturbationem (*Senecæ*, *Affectum*) iactantibus se opinionibus inconstanter & turbidè, in motu esse semper: cùm autem hic feruor concitatioque animi inueterauerit, & tamquam in venis medullisque insederit, tum exsistit & Morbus.

8. NIMIS IMMINERE LEVITER PETENDIS.] *Similis finitio in Laërtio*, Νόσημα, ἐστὶν οἴησις σφόδρα δοκούντος αἱρετοῦ : Ægrotatio, est opinatio rei valdè expetendæ. *Etsi ille à* Morbo *etiam sine* Ἀῤῥωστήματος *distinguit, Senecæ hîc neglectum. Nos in Ethicis videbimus.*

9. TAM

A inquis, ſpero me poſſe & amplioris ordinis fieri. Optauerim hoc nobis magis, quàm promiſerim. præoccupati ſumus: ad virtutem contendimus, inter vitia diſtricti: pudet dicere, honeſta colimus, quantum vacat. At quàm grande præmium nos exſpectat, ſi occupationes noſtras, & mala tenaciſſima, abrumpimus? Non cupiditas nos, non timor pellet: inagitati terroribus, incorrupti voluptatibus, nec mortem horrebimus, nec deos: ſciemus mortem malum non eſſe, deos malos non eſſe. [9] Tam imbecillum eſt, quod nocet, quàm cui nocetur: optima vi noxiâ carent. Exſpectant nos, ſi ex hac aliquando fæce in illud euadimus ſublime & excelſum, tranquillitas animi, & expulſis erroribus abſoluta libertas. Quæris, quæ ſit iſta? non homines timere, non deos: nec turpia velle, nec nimia: in ſeipſum habere maximam poteſtatem. Inæſtimabile bonum eſt, ſuum fieri.

B

EPIST. LXXVI.

PHILOSOPHVM *ſe audire, & ſcholam adire. Conqueritur de hominum incuriâ vel ignauiâ, qui alia diſcunt, philoſophari negligunt. Ne tu ſic, ô Lucili. propera, & Bonum diſce: quod Bonum? vnum illud Honeſtum. Et iterùm argumentis euincit, tale eſſe; alia non eſſe. Laudabilis & ſapiens Epiſtola.*

INIMICITIAS mihi denuncias, ſi quidquam ex his quæ quotidie facio, ignoraueris. Vide quàm ſimpliciter tecum viuam: hoc quoque tibi committam. Philoſophum audio, & quidem quintum iam diem habeo, ex quo in ſcholam eo, & ab octauâ diſputantem audio. [1] Bonâ, inquis, ætate. Quid ni bonâ? quid autem ſtultius, quàm quia diu non didiceris, non diſcere? Quid ergo? idem faciam, [2] quod troſſuli & iuuenes? Benè mecum agitur, ſi hoc vnum [3] ſenectutem meam dedecet. Omnis ætatis homines hæc ſchola admittit: in hac ſeneſcamus, [4] hanc vt iuuenes ſequamur. In theatrum ſenex ibo, & in circum deferar, & nullum par ſine me depugnabit: ad philoſophum ire erubeſcam? Tam diu diſcendum eſt, quàm diu neſcias, &, ſi prouerbio credimus, [5] quàm diu viuas. Nec vlli hoc rei magis conuenit, quàm huic: tam diu diſcendum eſt quemadmodum viuas, quàm diu viuis. Ego tamen hîc aliquid & doceo. Quæris quid doceam? etiam ſeni eſſe diſcendum. Pudet autem me generis humani. Quoties ſcholam intraui (præter ipſum theatrum Neapolitanorum (vt ſcis) tranſeundum eſt, Metronactis petentibus domum) [6] illud quidem, farctum eſt: & hoc ingenti ſtudio, quis ſit [7] pithaules bonus, iudicatur. Habet tibicen quoque Græcus & præco concurſum: at in

C

9. TAM IMBECILLVM EST QVOD NOCET.] *Timere enim videtur. ideoq; vel cauere, vel vlciſci.*

EPIST. LXXVI. 1. BONA, INQVIS, ÆTATE.] *Ridentis verba. & iuuenis ſcilicet diſcis.*

D

2. QVOD TROSSVLI.] *Equites. in quo ordine tunc quia plerique iuuenes, & grandiores ad Latum clauum ſtatim veniebant; factum, vt & pro iuuenibus caperentur. Vide me* II. *Elector. cap.* I. *Vtitur iterùm Seneca, epiſt.* LXXXVII.

3. SENECTVTEM MEAM DEDECET.] *Sim ſanè ſenex Scholaſticus, & ridear: ſicut & in prouerbio erat*, Mittatur ſenex in ſcholam. *Vtinam non alia in me dedecora!*

4. HANC, VT IVVENES SEQVAMVR.] *Scriptis abeſt omnibus illud*, hanc: *nec ſcio an Latinè ſatis*, Sequi ſcholam. *Ex libris igitur argutiùs legam*: in hac ſeneſcamus, vt iuueneſcamus. *Seneſcamus in iſtâ Sapientiæ ſcholâ, vt alios animos, ſi non annos, ſumamus, & in meliorem ſtatum renouemur.*

5. QVAM DIV VIVAS.] *Plato in Amatoribus:* Τί ἂν ἔϛιν φιλοσοφεῖν; τί δ' ἄλλό γε, ἢ κῃ τὸν Σόλωνα; Σόλων γάρ πω εἶπε:

Γηράσκω δ' ἀιεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

καὶ ἐμοὶ δοκεῖ ἀεὶ ὕτω χρῆναι, ἕν γέ τι μανθάνειν τὸν μέλλοντα φιλοσοφήσειν, καὶ νεώτερον ὄντα καὶ πρεσβύτερον: Quid igitur eſt philoſophari? Quid aliud, niſi illud Solonis? qui dixit,

Aſſiduè addiſcens ad ſenium venio.

Et mihi ſic decere videtur, eum, qui philoſophus eſt futurus, aliquid ſemper diſcere, & iuuenem exſiſtentem & ſenem. *Talia in Lachete idem, & alibi: nos in Manud.* I. *Diſſert.* I.

6. ILLVD QVIDEM FARCTVM EST.] *Plenum, ſtipatum.*

7. PITHAVLES BONVS.] *Ita Græcis, qui doliolo ſiue cado canit. Nam & id genus inflatur modulatè, ſicut Vtris. Qui autem iſtum*, Aſcaulæ *Græcis, nobis* Vtricularij *dicti.*

at in illo loco, in quo vir bonus discitur, pauciſſimi ſedent: & hi pleriſque videntur ni- A
hil boni negotij habere, quod agant: inepti & inertes vocantur. Mihi contingat iſte deriſus. æquo animo audienda ſunt imperitorum conuicia: & ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemptus. Perge, Lucili, & propera, ne tibi accidat quod mihi, vt ſenex diſcas: imò ideò magis propera, quoniam id nunc aggreſſus es, quod perdiſcere vix ſenex poſſis. Quantum, inquis, proficiam? [8] quantum tentaueris. Quid exſpectas? nulli ſapere caſu obtigit. Pecunia veniet vltrò, honor offeretur, gratia ac dignitas fortaſſe ingerentur tibi: virtus in te non incidet, ne leui quidem operâ aut paruo labore [9] cognoſcitur: ſed eſt tanti laborare, omnia bona ſemel occupaturo. Vnum enim eſt bonum, quod honeſtum: in illis nihil inuenies veri, nihil certi, quæcumque famæ placent. Quare hoc vnum ſit bonum, quod honeſtum, dicam: quoniam me parùm exſecutum priore epiſtolâ iudicas, magisque hanc rem tibi laudatam quàm probatam putas. Et vt in arctum, quæ dicta ſunt, contraham: omnia ſuo bono conſtant. vitem fertilitas commendat, ſapor vinum, velocitas ſeruum. Quare fortia dorſo iumenta ſint, quæris? quia B
eorum hic vnus eſt vſus, farcinam ferre. In cane ſagacitas prima eſt, ſi inueſtigare debet feras? curſus, ſi conſequi: audacia, ſi mordere & inuadere. Id in quoque optimum eſt cui naſcitur, quo cenſetur. In homine optimum quid eſt? Ratio: hac antecedit animalia, [10] deos ſequitur. [11] Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum eſt: cetera illi cum animalibus ſatisque communia ſunt. Valet? & leones. formoſus eſt? & pauones. velox eſt? & equi. non dico, in his omnibus vincitur. Non quæro quid in ſe maximum habeat, ſed quid ſuum. Corpus habet? & arbores. habet impetum & motum voluntarium? & beſtiæ, & vermes. habet vocem? ſed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, grauiorem tauri, dulciorem mobilioremque luſciniæ? Quid in homine proprium? Ratio. hæc recta & conſummata, felicitatem hominis impleuit. Ergo ſi omnis res, cùm bonum ſuum perfecit, laudabilis eſt, & ad finem naturæ ſuæ peruenit, homini autem ſuum bonum ratio eſt, ſi hanc perfecit: laudabilis eſt, & finem naturæ ſuæ attigit. hæc ratio perfecta, virtus vocatur, eademque honeſtum eſt. Id itaque vnum bonum eſt in C
homine, quod vnum hominis eſt. nunc enim non quærimus quid ſit bonum, ſed quod ſit hominis bonum. Si nullum aliud eſt hominis, quàm ratio: hæc erit vnum eius bonum, ſed penſandum cum omnibus. Si ſit aliquis malus, puto improbabitur: ſi bonus, puto probabitur. Id ergo in homine proprium ſolumque eſt, quo & probatur, & improbatur. Non dubitas, an hoc ſit bonum: dubitas, an ſolùm bonum ſit. Si quis omnia alia habeat, valetudinem, diuitias, [12] imagines multas, [13] frequens atrium, ſed malus ex confeſſo ſit: improbabis illum. Item ſi quis nihil quidem illorum quæ retuli, habeat, deficiatur pecuniâ, clientum turbâ, nobilitate, & auorum proauorumque ſerie, ſed ex confeſſo bonus ſit: probabis illum. Ergo eſt vnum bonum hominis: quod qui habet, etiam ſi aliis deſtituitur, laudandus eſt: qui non habet, in omnium aliorum copiâ damnatur ac reiicitur. Quæ conditio rerum, eadem & hominum eſt. Nauis bona dicitur, non quæ pretioſis coloribus picta eſt, nec cui [14] argenteum aut aureum roſtrum eſt, D

8. QVANTVM TENTAVERIS.] *Nam conatui effectus hîc reſpondet, vt Stoicis viſum: & velis eſſe bonus, eris.*

9. COGNOSCITVR.] *Diſcitur.*

10. DEOS SEQVITVR.] *Benè, atque etiam bellè, quia præiuit de anteceſſione, & nunc de ſequelâ. At Claudius Puteanus, inter Galliæ decora, volebat,* Diis æquatur: *pro ſolitâ inſolentiâ Stoicorum.*

11. RATIO ERGO PERFECTA.] *Per doctrinam: & facta Naturam ſequi. At quæ hîc de Animalibus, & ſingulis ſuas dotes aut tela eſſe; Phocyllides eadem,*

Ὅ'πλον ἑκάςῳ νεῖμε θεὸς, φύσιν ἠρόφοιτον
Ὄρνισι μὲν, πολλὴν ταχύτητ' ἀλκήν τε λέουσι,
Ταύροις δ' αὐτοχύτοις κεράεσιν, κέντρα μελίσσαις
Ἔμφυτον ἄλκαρ ἔδωκε· λόγος δ' ἔρυμ' ἀνθρώποισι:

Arma animantum cuique Deus dedit. alipotentes
Aëra vti penetrent; fortes celereſque leones
Finxit, cornupetas tauros, & apes pungentes.
Sola homini Ratio telum eſt, munimen & vnum.

12. IMAGINES MVLTAS.] *Nobilitatem veterem.*

13. FREQVENS ATRIVM.] *Clientibus & ſalutatoribus plenum.*

14. ARGENTEVM AVT AVREVM.] *Per luxum. nam ex ære aut ferro ſolet, ad vſum.*

15. TVTE-

A eſt, nec cuius [15] tutela ebore cælata eſt, nec quæ fiſcis ac opibus regiis preſſa eſt: ſed ſtabilis, & firma, & iuncturis aquam excludentibus ſpiſſa, ad ferendum incurſum maris ſolida, gubernaculo parens, velox, & [16] conſentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt baltheus, nec cui vagina gemmis diſtinguitur: ſed cui & ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quàm formoſa, ſed quàm recta ſit, quæritur. Eo quodque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium eſt. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum fæneret, à quàm multis ſalutetur, quàm pretioſo incumbat lecto, quàm pellucido poculo bibat, ſed quàm bonus ſit: bonus autem eſt, ſi ratio explicita & recta eſt, & ad naturæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus: hoc eſt honeſtum, & vnicum hominis bonum. Nam cùm ſola ratio perficiat hominem, ſola ratio perfecta beatum facit. hoc autem vnum hominis bonum eſt, quo vno beatus efficitur. Dicimus & illa bona eſſe, quæ à virtute profecta contactaque ſunt, id eſt opera eius omnia. Sed ideò vnum ipſa bonum eſt, quia
B nullum ſine illâ eſt. Si omne in animo bonum eſt; quidquid illum confirmat, extollit, amplificat, bonum eſt: validiorem autem animum, & excelſiorem, & ampliorem, facit virtus. nam cetera quæ cupiditates noſtras irritant, deprimunt quoque animum & labefaciunt: & cùm videntur attollere, inflant, ac multâ vanitate deludunt. Ergo vnum id bonum eſt, quo melior animus efficitur. Omnes actiones totius vitæ, honeſti ac turpis reſpectu, temperantur: ad hæc faciendi, & non faciendi, ratio dirigitur. Quid ſit hoc, dicam. Vir bonus quod honeſtè ſe facturum putauerit, faciet, etiam ſi laborioſum erit: faciet, etiam ſi damnoſum erit: faciet, etiam ſi periculoſum erit. rurſus quod turpe erit, non faciet, etiam ſi pecuniam affert, etiam ſi voluptatem, etiam ſi potentiam. Ab honeſto nullâ re deterrebitur, ad turpia nullâ ſpe inuitabitur. Ergo ſi honeſtum vtique ſecuturus eſt, turpe itaque vitaturus: & in omni actu vitæ ſpectaturus hæc duo: nullum aliud bonum quàm honeſtum, nec aliud malum quàm turpe. Si vna indeprauata virtus eſt, & ſola permanet tenoris ſui, vnum eſt bonum virtus: cui iam accidere ne ſit bonum,
C non poteſt. Mutationis periculum effugit ſapientia. [17] Sapientia non eripitur, ſapientia in ſtultitiam non reuoluitur. Dixi, ſi fortè meminiſti, concupita vulgo, & formidata, inconſulto impetu pleroſque calcaſſe. inuentus eſt [18] qui flammis imponeret manum: [19] cuius riſum non interrumperet tortor: qui in funere liberorum lacrimam non mitteret: qui morti intrepidus occurreret. amor, ira, cupiditas, pericula depopoſcerunt. Quòd ſi hoc poteſt breuis obſtinatio animi, aliquo ſtimulo excitata: quanto magis virtus quæ non ex impetu, nec ſubitò, ſed æqualiter valet; cui perpetuum robur eſt? Sequitur, vt quæ ab inconſultis ſæpè contemnuntur, à ſapientibus ſemper, ea nec bona ſint, nec mala. Vnum ergo bonum ipſa virtus eſt, quæ inter hanc fortunam & illam ſuperba incedit, cum magno vtriuſque contemptu. Si hanc opinionem receperis, aliquid bonum eſſe præter honeſtum, nulla non virtus laborabit. nulla enim obtineri poterit, ſi quidquam extra ſe reſpexerit. Quod ſi eſt, rationi repugnat, ex quâ virtutes ſunt; & veritati,

D 15. TVTELA EBORE CÆLATA.] *Tutela dicitur, locus in prorâ vbi dij tutelares: ſiue ipſe Deus Deáve, ſuus cuique naui tutor. Silius:* Tutelæque Deam fluitant. *Feſtus, in Europâ: Alij eam à* Prædonibus raptam, & naue, cuius tutela effigiem tauri habuerit, in eam regionem eſſe delatam. *Ita hæc legenda vel ex Lactantio. qui de eadem re, lib.* I. *cap.* XI. Rapuiſſe dicitur in aquilâ catamitum. poëticus color eſt: ſed aut per religionem (*ſcribe* legionem) rapuit, cuius inſigne Aquila eſt; aut nauis in quâ eſt impoſitus, tutelam habuit in aquilâ figuratam: ſicut taurum figuratum, cùm rapuit Europam. *Satis, pro Senecâ, de Tutelâ, quæ Græcis παράσημον & Latinis etiam* Inſigne, *quia dignoſcebatur eo, & naui ferè nomen dabat. Tacitus* VI. *Annal.* Nec quiſquam ariete ſacrificauerit, credito Phryxum vexiſſe: ſiue id animal, ſeu nauis inſigne fuit.

16. CONSENTIENS VENTO.] *Pinciani eſt, & perplacet. Libri tamen,* non ſentiens ventum: *deterius.*

17. SAPIENTIA NON ERIPITVR.] *In libris hæc alia, & auctiora. Legas:* periculum effugit. Stultitia ad Sapientiam erepit, Sapientia in ſtultitiam non reuoluitur. *Sententia eſt, Stultos mutari poſſe, & paullatim (ideò* Erepere*) ac per gradus ad Sapientiam venire: non contrà. Nam Stoicorum ſapiens fixus in bono eſt.*

18. QVI FLAMMIS.] *Mucius Romanus.*

19. CVIVS RISVM.] *Seruus, qui in vindictam domini Aſdrubalem interfecerat.*

20. ETIAM-

ritati, quæ ſine ratione non eſt. quæcumque autem opinio veritati repugnat, falſa eſt. A
Virum bonum concedas neceſſe eſt, ſummæ pietatis erga deos eſſe: itaque quidquid illi
acciderit, æquo animo ſuſtinebit. ſciet enim id accidiſſe lege diuinâ, quâ vniuerſa proce-
dunt. Quod ſi eſt, vnum illi bonum erit, quod honeſtum: in hoc enim poſitum eſt &
parêre diis, nec excandeſcere ad ſubita, nec deplorare ſortem ſuam, ſed patienter excipe-
re fatum, & facere imperata. Si enim vllum aliud eſt bonum quàm honeſtum, ſequetur
nos auiditas vitæ, auiditas rerum vitam inſtruentium: quod eſt intolerabile, infinitum,
vagum. Solum ergo bonum eſt honeſtum, cui modus eſt. Diximus, hominum
futuram feliciorem vitam quàm deorum, ſi ea bona ſunt, quorum nullus diis vſus eſt,
tamquam pecunia & honores. Adiice nunc, quòd ſi modò ſolutæ corporibus animæ
manent, felicior illis ſtatus reſtat, quàm eſt dum merſantur in corpore. Atqui ſi iſta bo-
na ſunt, quibus per corpora vtimur, emiſſis erit peius: quod contra fidem eſt, feliciores
eſſe liberis, & in vniuerſum datis, clauſas & obſeſſas. Illud quoque dixeram, ſi bona ſunt
ea quæ tam homini contingunt quàm mutis animalibus, & muta animalia beatam vi- B
tam actura: quod fieri nullo modo poteſt. Omnia pro honeſto patienda ſunt: quod
non erat faciendum, ſi eſſet vllum aliud bonum, quàm honeſtum. Hæc quamuis latiùs
exſecutus eſſem priore epiſtolâ, conſtrinxi, & breuiter percurri. Numquam autem vera
tibi opinio talis videbitur, niſi animum alleues & teipſum interroges: ſi res exegerit, vt
pro patriâ moriaris, & ſalutem omnium ciuium tuâ redimas, an porrecturus ſis cerui-
cem, non tantùm patienter, ſed etiam libenter? Si hoc facturus es, nullum aliud bonum
eſt. Omnia relinquis, vt hoc habeas. Vide, quanta vis honeſti ſit? Pro Rep. morieris
[20] etiamſi ſtatim facturus hoc eris, cùm ſcieris tibi eſſe faciendum. [21] interdum ex re
pulcherrimâ magnum gaudium etiam tempore breui ac exiguo capitur: & quamuis
fructus operis peracti nullus ad defunctum exemptumque rebus humanis pertineat,
ipſa tamen contemplatio futuri operis iuuat: & vir fortis & iuſtus cùm mortis ſuæ pre-
tia ante ſe poſuit, libertatem patriæ, ſalutem omnium pro quibus dependit animam, in
ſummâ voluptate eſt, & periculo ſuo fruitur. Sed ille quoque, cui etiam hoc gaudium C
eripitur, quod tractatio operis maximum & vltimum præſtat, nihil cunctatus deſiliet
in mortem, facere rectè pieque contentus. Oppone etiam nunc illi multa, quæ dehor-
tentur. Dic, Factum tuum matura ſequetur obliuio, & parum grata exiſtimatio ciuium:
reſpondebit tibi, Iſta omnia extra opus meum ſunt. ego ipſum contemplor: hoc eſſe
honeſtum ſcio. Itaque quocumque ducit ac vocat, venio. Hoc ergo vnum bonum eſt,
quod non tantùm perfectus animus, ſed generoſus quoque & indolis bonæ ſentit: cetera
leuia ſunt, mutabilia. Itaque ſollicitè poſſidentur, etiam ſi fauente fortunâ in vnum con-
geſta ſunt: dominis ſuis incumbunt grauia, & illos ſemper premunt, aliquando & eli-
dunt. Nemo ex iſtis quos purpuratos vides, felix eſt, non magis quàm ex illis quibus
ſceptrum & chlamydem [22] in ſcænâ fabulæ aſſignant. cùm præſente populo elati inceſ-
ſerunt, & cothurnati, ſimul exierunt, excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt. Ne-
mo iſtorum, quos diuitiæ honoresque in altiore faſtigio ponunt, magnus eſt. Quare ergo
magnus videtur? [23] Cum baſi illum ſuâ metiris. Non eſt magnus pumilio, licet in D
monte conſtiterit: coloſſus magnitudinem ſuam ſeruabit, etiam ſi ſteterit in puteo. Hoc
laboramus errore: ſic nobis imponitur: quòd neminem æſtimamus eo quo eſt, ſed ad-
iicimus illi & ea, quibus adornatus eſt. Atqui cùm voles veram hominis æſtimationem
inire, & ſcire qualis ſit, nudum inſpice. ponat patrimonium, ponat honores, & alia for-
tunæ mendacia: corpus ipſum exuat: animum intuere, qualis quantusque ſit, alieno an
ſuo

20. ETIAMSI STATIM.] *Ita lego, ſpretâ negatione. ſignificat enim, etiam ſine alio fructu vel diuinæ cogitationis, id facturum aliquem eſſe.*

21. INTERDVM EX RE.] *Pinciano aſſentior,* Interim.

22. IN SCÆNA FABVLÆ.] *Sæpè hæc vita cum Mimo comparatur, & iuſtè. Breuiter olim Socrates:* Τῶν ἀπαιδεύτων βίῳ, καθάπερ ὑποκριτῇ, πολλὰ τύφου μετενδύματα περίκειται: Vitæ indoctorum, tamquam hiſtrioni, multa faſtus indumenta circumpoſita ſunt. *Adde epiſt.* LXXX.

23. CVM BASI ILLVM SVA.] *Cum cothurno, quo incedit: cum opibus, quibus inſiſtit.*

24. SI

A ſuo magnus. [24] ſi erectis oculis gladios micantes videt,& ſi ſcit ſuâ nihil intereſſe vtrùm anima per os, an per iugulum exeat, beatum voca. Si cùm illi denunciata ſunt corporis tormenta, & quæ caſu veniunt, & quæ potentioris iniuriâ, ſi vincula & exſilia, & vanas humanarum formidines mentium, ſecurus audit,& dicit,

—— Non vlla laborum,
O virgo, noua mî facies inopinâve ſurgit.
Omnia præcepi, atque animo mecum ipſe peregi.

Tu hodie iſta denuncias, ego ſemper denunciaui mihi, & hominem paraui ad humana. præcogitati mali mollis ictus venit. At ſtultis & fortunæ credentibus, omnis videtur noua rerum & inopinata facies. magna autem pars eſt apud imperitos mali, nouitas. Hoc vt ſcias, ea quæ putauerunt aſpera, cùm aſſueuere, patiuntur. Ideò ſapiens aſſueſcit futuris malis: & quæ alij diu patiendo leuia faciunt, hic leuia facit diu cogitando. Audimus aliquando voces imperitorum, dicentium: Neſciebam hoc mihi reſtare. ſapiens
B ſcit ſibi omnia reſtare: quidquid factum eſt, dicit, Sciebam.

EPIST. LXXVII.

ET *hæc inter bonas, vtilesque. Narrat obiter de Alexandrinis nauibus: aliis accurrentibus, ſe neglexiſſe. Quanti enim iſta, aut quamdiu? Senex ſum, abeo. Et aliquando ſponte abeundum, vt fecit Marcellinus. Tum contra metum mortis: rationesque huius temnendæ.*

[1] SVBITÒ hodie nobis [2] Alexandrinæ naues apparuerunt, quæ præmitti ſolent & nunciare ſecuturæ claſſis aduentum. [3] tabellarias vocant. Gratus illarum Campaniæ adſpectus eſt. [4] omnis in pilis Puteolorum turba conſiſtit, & ex ipſo genere velorum Alexandrinas, quamuis in magnâ turbâ nauium, intelligit. Solis enim licet [5] ſupparum intendere,quod in alto omnes habent naues. Nulla enim res æquè adiuuat curC ſum, quàm ſumma pars veli: illinc maximè nauis vrgetur. Itaque quoties ventus increbuit, maiorque eſt quàm expedit, antenna ſubmittitur. minus habet virium flatus ex humili. [6] Cùm intrauere Capreas & [7] promontorium, ex quo

Alta procelloſo ſpeculatur vertice Pallas,

ceteræ velo iubentur eſſe contentæ: ſupparum Alexandrinarum inſigne eſt. In hoc omnium diſcurſu properantium ad litus, magnam ex pigritiâ meâ ſenſi voluptatem, quòd epiſto-

24 SI ERECTIS OCVLIS.] *Imò rectum,* rectis.

EPIST. LXXVII. 1. SVBITÒ HODIE.] *Nihil cauſſæ eſt, cur acuti hîc ſimus, & S. V. B. legamus, interpretemurq; ex formulâ,* Si vales, benè. *Abnuunt libri, & mos eius ævi.*

D 2. ALEXANDRINÆ NAVES.] *Frumentariæ. claſſis enim illa inſtituta ab Auguſto, vt ſatis docui 1. Elector. cap. de Frumentatione.*

3. TABELLARIAS VOCANT.] *Quia velut nunciÿ erant, aduentantis claſſis.*

4. OMNIS IN PILIS.] *In ſaxeis molibus, quas Auguſtus, portui formando, ibi iecit. Ego ad Taciti Annal. XIV.*

5. SVPPARVM INTENDERE.] *Velum ſummo malo appenſum ſic vocabant: id eſt minuſculum velum, & quod in venti fauentiâ nautæ ſolent extendere. Lucanus optimè:*

—— ſummaque tendens
Suppara, velorum perituras colligit auras.

Statius:

—— ſummis annectite ſuppara velis.

Manilius:

—— non iuuehet vndis
Suppara nec pelagus Xerxes ferietq;, tegetque:

etſi communiter ille, pro velis.

6. CVM INTRAVERE CAPREAS.] *Quæ inſula, Tiberio adamata & inſeſſa, interiacet: & mare medium inter Mineruæ promontorium habet.*

7. PROMONTORIVM EX QVO.] *Templum ibi Mineruæ, & periculum in flectendo, vt ſolet. Ideò ibi Deæ libabant. Statius:*

Prima ſalutauit Capreas,& margine dextro
Sparſit Tyrrhenæ Mareotica vina Mineruæ:

de ipſis iſtis Alexandrinis nauibus, aut naui. Eſt iuxta Surrentum,& à promontorio Miſeni,quod ſinu medio opponitur, diſtinctum. Liuius de eo, libro XL.

Inter Duumuiros ita diuiſa tuenda maritima ora, vt promontorium iis Mineruæ velut cardo in medio eſſet: alter in dexteram partem, vſque ad Maſſiliam: alter lævam, ad Barium vſque tueretur.

8. RERVM

epistolas meorum accepturus, non properaui scire, quis illic esset [8] rerum mearum sta- A
tus, quid afferrent. Olim iam nec perit quidquam mihi, nec acquiritur. Hoc etiam si senex non essem, fuerat sentiendum: nunc verò multo magis. quia quantulumcumque haberem, tamen plus iam mihi supereſſet viatici, quàm viæ: præsertim cùm eam viam sumus ingressi, quam peragere non est necesse. Iter imperfectum erit, si in mediâ parte, aut citra petitum locum steteris: vita non est imperfecta, si honesta est. Vbicumque desines, si benè desinis, tota est. Sæpè autem & fortiter desinendum est, & non ex maximis caussis. nam nec hæ maximæ sunt, quæ nos tenent. Tullius Marcellinus, quem optimè noueras, adolescens quietus & scitò senex, morbo, & non insanabili correptus, sed longo & molesto & multa imperante, cœpit deliberare de morte. conuocauit complures amicos. vnusquisque aut quia timidus erat, id illi suadebat, quod sibi suasisset: aut quia adulator & blandus, id consilium dabat, quod deliberanti gratius fore suspicabatur. Amicus noster Stoicus, homo egregius, &, vt verbis illum quibus laudari dignus est, laudem, vir fortis ac strenuus, videtur mihi optimè illum cohortatus. Sic enim cœ- B
pit: *Noli, mi Marcelline, torqueri, tamquam de re magnâ deliberes. Non est res magna, viuere. omnes serui tui viuunt, omnia animalia: magnum est, honestè mori, prudenter, fortiter. Cogita quamdiu iam idem facias. Cibus, somnus, libido: per hunc circulum curritur. Mori velle non tantùm prudens, & fortis aut miser, sed etiam fastidiosus potest.* Non opus erat suasore illi, sed adiutore. [9] serui parêre nolebant. Primùm detraxit illis metum, & indicauit tunc [10] familiam periculum adire, cùm incertum esset, an mors domini voluntaria fuisset: alioquin tam mali exempli esse occidere dominum, quàm prohibere. Deinde ipsum Marcellinum admonuit, non esse inhumanum, quemadmodum cœnâ peractâ [11] reliquiæ circumstantibus diuiduntur: sic peractâ vitâ aliquid porrigi his, qui totius vitæ ministri fuissent. Erat Marcellinus facilis animi, & liberalis, [12] etiam cùm de suo fieret. Minutas itaque summulas distribuit flentibus seruis, & illos vltrò consolatus est. Non fuit illi opus ferro, non sanguine: triduo abstinuit, & in ipso cubiculo [13] poni tabernaculum iussit. [14] Solium deinde illatum est, in quo diu iacuit, & calidâ subinde C
suffusâ, paullatim defecit: vt aiebat, non sine quadam voluptate. quam afferre solet lenis dissolutio, non inexperta nobis, quos aliquando liquit animus. In fabellam excessi, non ingratam tibi: exitum enim amici tui cognosces, non difficilem, nec miserum. Quamuis enim mortem sibi conscíuerit, tamen mollissimè excessit, & vitæ elapsus est. Sed ne inutilis quidem hæc fabella fuerit. Sæpè enim talia exempla necessitas exigit. Sæpè debemus mori; nec volumus: morimur, nec volumus. Nemo tam imperitus est, vt nesciat sibi quandoque moriendum: tamen cùm propè accesserit, tergiuersatur, tremit, plorat. Nónne tibi videbitur stultissimus omnium, qui fleuerit quòd [15] ante annos mille non vixerat? æquè stultus est, qui flet, quòd post annos mille non viuet. Hæc paria sunt: non eris, nec fuisti. Vtrumque tempus alienum est. In hoc punctum coniectus es: quod vt extendas, quousque extendes? Quid fles? quid optas? perdis operam.

Desine fata Deûm flecti sperare precando:

rata D

8. RERVM MEARVM STATVS.] *Nam pecuniam, fortasse & agros, in variis prouinciis habebat: atque etiam actores.*

9. SERVI PARERE NOLEBANT.] *Vt dominum manu adiuuarent, & easdem apprimerent.*

10. FAMILIAM PERICVLVM ADIRE.] *Ex more veteri, & SC. Silaniano, quo tenebantur serui & liberti, qui sub eodem tecto fuissent, domino interfecto. Nos ad Annal. Taciti* XIV. *de Pedanio Secundo sic occiso.*

11. RELIQVIÆ CIRCVMSTANTIBVS.] *Seruis ad pedes, aut lectum, solent reliquias diuidere: ex Suetonij Galbâ, cap.* XXII. *Martiali, Athenæo, aliis.*

12. ETIAM CVM DE SVO.] *Quasi nunc non de suo, haud vltrà fruiturus, & hæc relinquens.*

13. PONI TABERNACVLVM.] *An non lecticam dormitoriam? atqui ea in ipso cubiculo de more erat. Potiùs ergo, tentorium aliquod instar balneoli, quo Solium & ipse tegerentur.*

14. SOLIVM.] *Balnearium vas siue cupa, ad lauandum.*

15. ANTE ANNOS MILLE.] *Simile in Stobæi Eclogis Teles Pythagoréus, magnus sublimisque vir, vt indicant fragmenta:* At ille non ampliùs erit. Nempe nec ante decem millia annorum fuit, nec Troicis temporibus, sed nec proauorum tuorum.

16. Hoc

A rata & fixa ſunt, atque magnâ & æternâ neceſſitate ducuntur. Eò ibis, quò omnia eunt. Quid tibi nouum eſt? ad hanc legem natus es: hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus poſt te. Series inuicta, & nullâ mutabilis ope, illigat ac trahit cuncta. Quantus te populus moriturorum ſequetur, quantus comitabitur? Fortior, vt opinor, eſſes, ſi multa millia tibi commorerentur. atqui multa millia hominum & animalium [16] hoc ipſo momento, quo tu mori dubitas, animam variis generibus emittunt. Tu autem non putabas te aliquando peruenturum ad id, ad quod ſemper ibas? nullum ſine exitu iter eſt. Exempla nunc magnorum virorum me tibi iudicas relaturum? puerorum referam. [17] Lacon ille memoriæ traditur impubes adhuc, qui captus clamabat, *Non ſeruiam*, ſuâ illâ Doricâ linguâ, & verbis fidem impoſuit. Vt primùm iuſſus eſt fungi ſeruili & contumelioſo miniſterio: afferre enim vas obſcœnum iubebatur: [18] illiſum parieti caput rupit. Tam propè libertas eſt: & ſeruit aliquis? Ita non ſic perire filium tuum malles, quàm per inertiam ſenem fieri? Quid ergo eſt, cur
B perturberis, ſi mori fortiter etiam puerile eſt? Puta te nolle ſequi, duceris. Fac tui iuris, quod alieni eſt. Non ſumes pueri ſpiritum, vt dicas, *Non ſeruio*? Infelix, ſeruis hominibus, ſeruis rebus, ſeruis vitæ. Nam vita, ſi moriendi virtus abeſt, ſeruitus eſt. Ecquid habes propter quod exſpectes? Voluptates quæ te morantur ac retinent, conſumpſiſti: [19] nulla tibi noua eſt: nulla non iam odioſa ipsâ ſatietate. quis ſit vini, quis mulſi ſapor, ſcis: nihil intereſt, centum per veſicam tuam, an mille amphoræ tranſeant. [20] ſaccus es. quid ſapiat oſtreum, quid mullus, optimè noſti. nihil tibi luxuria tua in futuros annos intactum reſeruauit. Atqui hæc ſunt, à quibus inuitus diuelleris. Quid eſt aliud quod tibi eripi doleas? Amicos & patriam? tanti enim illam putas, vt tardiùs cænes? [21] ſolem quoque, ſi poſſes, exſtingueres. Quid enim vmquam feciſti luce dignum? confitere non curiæ te, non fori, non ipſius naturæ rerum deſiderio, tardiorem ad moriendum fieri. Inuitus relinquis macellum, [22] in quo nihil reliquiſti. Mortem times: at quomodo illam [23] mediâ oblectatione contemnis? Viuere vis: ſcis enim. Mori times: quid por-
C rò iſta vita, non mors eſt? [24] Cæſar, cùm illum tranſeuntem per Latinam viam, vnus [25] ex cuſtodiarum agmine, demiſsâ vſque in pectus vetere barbâ, rogaret mortem: [26] *Nunc enim*, inquit, *viuis*? Hoc iſtis reſpondendum eſt, quibus [27] ſuccurſura mors eſt: Mori times. nunc enim, viuis? Sed ego, inquit, viuere volo, qui multa honeſtè facio. inuitus relinquo officia vitæ, quibus fideliter & cum induſtriâ fungor. Quid? tu neſcis vnum eſſe ex vitæ officiis, & mori? Nullum officium relinquis. non enim certus numerus quem debeas explere, finitur. Nulla vita eſt non breuis. nam ſi ad naturam rerum reſpexeris, etiam Neſtoris & [28] Statiliæ breuis eſt: quæ inſcribi monumento ſuo iuſſit, annis ſe nonagintanouem vixiſſe. Vides aniculam gloriari ſenectute longâ. quis illam ferre

16. HOC IPSO MOMENTO.] *Pulchra contemplatio, & vera. Totum orbem vide, notum, ignotum: multa millia omnibus momentis naſci, mori, certum*
D *eſt: & quoſdam eodem genere leti.*

17. LACON ILLE.] *Plutarchus in Apophth. Laconicis.*

18. ILLISVM PARIETI CAPVT.] *Potuit alius eſſe ab illo Plutarchi: etſi reliqua conueniunt. ſed hîc diſſonant, quòd Plutarchus ſcribit,* præcipitem ſe ab alto dediſſe, & ſic obiiſſe.

19. NVLLA TIBI NOVA EST.] *In ipſo hoc argumento Lucretius:*

Nec noua viuendo procuditur vlla voluptas.

20. SACCVS ES.] *Plures libri,* ſaccus eſt: *vt ad veſicam ipſam referas: placeátque. Alioqui & alluſum videri poteſt ad vini caſtrationem, quæ ſacco fiebat.*

21. SOLEM QVOQVE.] *Vt citiùs cænes, aut diutiùs dormias ſtertáſque.*

22. IN QVO NIHIL RELIQVISTI.] *Coëmiſti, quidquid ibi lautum aut rarum.*

23. MEDIA OBLECTATIONE.] *Vel in Venere, quæ accelerat; vel in gulâ, quæ conciliat. Tunc nec cogitas.*

24. CÆSAR.] *C. Cæſar Caligula.*

25. EX CVSTODIARVM AGMINE.] *Ex ipſis qui cuſtodiebantur. trahebantur à Prætorianis militibus concatenati.*

26. NVNC ENIM, INQVIT, VIVIS?] *Argutum eſt, & ſimile illi Similis dicto ſiue ſcripto,* Tot annos egit, ſeptem dumtaxat vixit: *quaſi vita in miſeriis, nec vita ſit.*

27. SVCCVRSVRA MORS EST.] *Liberatura à vitiis, à moleſtiis.*

28. STATILIÆ BREVIS EST.] *Quæ* ex nobili domo, Claudio Principe, nonagintanouem annos vixit. *Plinius* VII. *cap.* XLVIII.

ferre potuiſſet, ſi contigiſſet centeſimum implere? [29] Quomodo fabula, ſic vita: non A
quàm diu, ſed quàm benè acta ſit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas. quocumque voles, deſine: tantùm bonam clauſulam impone.

EPIST. LXXVIII.

De morbis ſuis, etiam in iuuentute: & quid ſit iis leuandis? Honeſta, inquit, ſtudia, itemque amici: ſed remediorum remedium, contemptus mortis. Eò vocat Lucilium; & contra Dolorem plura diſſerit, alta, animoſa, vera.

VEXARI te diſtillationibus crebris ac febriculis, quæ longas diſtillationes & in conſuetudinem adductas ſequuntur, eò moleſtius mihi eſt, quia expertus ſum B
hoc genus valetudinis: quod inter initia contempſi. Poterat adhuc adoleſcentia iniurias ferre, & ſe aduerſus morbos contumaciter gerere: deinde ſuccubui, & eò perductus ſum, [1] vt ipſe diſtillarem. Ad ſummam maciem deductus, ſæpè impetum cepi abrumpendæ vitæ: patris me indulgentiſſimi ſenectus retinuit. Cogitaui enim, non quàm fortiter ego mori poſſem, ſed quàm ille fortiter [2] deſiderare non poſſet. Itaq; imperaui mihi vt viuerem. aliquando enim & viuere, fortiter facere eſt. Quæ mihi tunc fuerint ſolatio, dicam: ſi prius hoc dixero, hæc ipſa quibus acquieſcebam, medicinæ vim habuiſſe. In remedium cedunt honeſta ſolatia: & quidquid animum erexit, etiam corpori prodeſt. Studia mihi noſtra ſaluti fuerunt. Philoſophiæ acceptum fero quòd ſurrexi, quòd conualui: illi vitam debeo, & [3] nihil illi minus debeo. Multum mihi contulerunt ad bonam valetudinem amici, quorum abhortationibus, vigiliis, ſermonibus alleuabar. Nihil æquè, Lucili virorum optime, ægrum reficit atque adiuuat, quàm amicorum affectus: nihil æquè exſpectationem mortis ac metum ſurripit. Non iudicabam me, cùm illos ſuperſtites relinquerem, mori: putabam; inquam, me victurum, non cum illis, ſed C
per illos: non effundere ſpiritum mihi videbar, ſed tradere. Hæc mihi dederunt voluntatem adiuuandi me, & patiendi omne tormentum. [4] alioqui miſerrimum eſt, cùm animum moriendi proieceris, non habere viuendi. Ad hæc ergo remedia te confer. Medicus tibi quantum ambules, quantum exerceatis, monſtrabit: ne indulgeas otio, ad quod vergit iners valetudo: vt legas clariùs, & ſpiritum, cuius iter & receptaculum laborat, exerceas: vt nauiges, & viſcera molli iactatione concutias: quibus cibis vtaris: vinum quando virium cauſsâ aduoces, quando intermittas, ne irritet & exaſperet tuſſim. Ego tibi illud præcipio, quod non tantùm huius morbi, ſed totius vitæ remedium eſt: contemne mortem. Nihil triſte eſt, cùm huius metum effugimus. Tria hæc in omni morbo grauia ſunt, metus mortis, dolor corporis, intermiſſio voluptatum. De morte, ſatis dictum eſt. hoc vnum dicam, non morbi hunc eſſe, ſed naturæ metum. multorum [5] mortem diſtulit morbus: & ſaluti illis fuit, videri perire. Morieris, non quia ægrotas, ſed quia viuis. Iſta te res & ſanatum manet. cùm conualueris, non mortem, ſed valetudi- D
nem effugies. Ad illud nunc proprium incommodum reuertamur. magnos cruciatus habet

29. QVOMODO FABVLA.] *Epictetus:* Memento actorem te eſſe fabulæ, qualem doctor eſſe voluit: ſi breuem, breuis; ſi longam, longæ. *Varro:* Non eos optimè vixiſſe, qui diutiſſimè, ſed qui modeſtiſſimè vixerint.

EPIST. LXXVIII. 1. VT IPSE DISTILLAREM.] *Liqueſcerem, & conſumerer. Fuerit id genus morbi, quo etiam ſub Caio laborauit. qui infenſus ei ob eloquentiam, occidere deſtinarat: ſed mulierculæ operâ ſeruatus eſt, quæ affirmaret tabe eum laborare, nec diu poſſe viuere. ferrum ſuperuacuum. Dio* LXIX.

2. DESIDERARE NON POSSET.] *Significat, patrem ſuum philoſophiæ alienum (quod alibi teſtatur) parùm fortem ad tales caſus fuiſſe. Igitur negatio hîc conuenit, & libri aſſerunt: Muretus tamen,* deſiderare me poſſet.

3. NIHIL ILLI MINVS DEBEO.] *Quaſi dicat, hoc inter minima eius beneficia. Corpus enim ſpectat, reliqua animum.*

4. ALIOQVI MISERRIMVM EST.] *Miſerum eſt, cùm nolis mori, non omnia facere vt viuas.*

5. MORTEM DISTVLIT MORBVS.] *In ipſo Senecâ, iam dictum.*

6. PRI-

A habet morbus : ſed hos tolerabiles interualla faciunt. Nam ſummi doloris intentio inuenit finem. Nemo poteſt valdè dolere, & diu: ſic nos amantiſſima noſtri natura diſpoſuit, vt dolorem aut tolerabilem, aut breuem faceret. Maximi dolores conſiſtunt in macerrimis corporis partibus : nerui, articuliſque, & quidquid aliud exile eſt, acerrimè ſæuit, cùm in arcto vitia concepit. Sed citò hæ partes obſtupeſcunt, & ipſo dolore ſenſum doloris amittunt : ſiue quia ſpiritus naturali prohibitus curſu, & mutatus in peius, vim ſuam quâ viget, admonetque nos, perdit: ſiue quia corruptus humor, cùm deſiit habere quò confluat, ipſe ſe elidit, & his quæ nimis impleuit, excutit ſenſum. Sic podagra & chiragra, & omnis vertebrarum dolor, neruorumque interquieſcit, cùm illa quæ torquebat hebetauit: omnium iſtorum [6] prima verminatio vexat, impetus morâ exſtinguitur, & finis dolendi eſt, obtorpuiſſe. Dentium, oculorum, aurium dolor ob hoc ipſum acutiſſimus eſt, quòd inter anguſta corporis naſcitur : non minùs mehercule, quàm capitis ipſius. Sed quo incitatior eſt, eo citiùs in alienationem ſtuporemque conuertitur.

B Hoc itaque ſolatium vaſti doloris eſt, quòd neceſſe eſt deſinas illum ſentire, ſi nimis ſenſeris. Illud autem eſt, quod imperitos in vexatione corporis malè habet : non aſſueuerunt animo eſſe contenti : multum illis cum corpore fuit. Ideò vir magnus ac prudens animum deducit à corpore, & multum cum meliore & diuinâ parte verſatur : cum hac querulâ ac fragili, quantum neceſſe eſt. Sed moleſtum eſt, inquis, carere aſſuetis voluptatibus, abſtinere cibo, ſitire, eſurire. Hæc primâ abſtinentiâ grauia ſunt : deinde cupiditas relangueſcit, ipſis per quæ cupimus fatigatis, ac deficientibus. Inde moroſus eſt ſtomachus : inde quorum fuit auiditas, odium eſt : deſideria ipſa moriuntur. Non eſt autem acerbum carere eo, quod cupere deſieris. Adiice, quòd nullus non intermittitur dolor, aut certè remittitur. Adiice, quòd licet & cauere venturum, & obſiſtere imminenti remediis. Nullus enim non ſigna præmittit, vtique qui ex ſolito reuertitur. Tolerabilis eſt morbi patientia, ſi contempſeris id quod extremùm minatur. Noli mala tua facere tibi ipſi grauiora, & te querelis onerare: leuis dolor eſt, ſi nihil illi opinio adiece-

C rit. Contrà, ſi exhortari te cœperis, ac dicere, *Nihil eſt, aut certè exiguum eſt, duremus, iam deſinet* : leuem illum, dum putas, facies. Omnia ex opinione ſuſpenſa ſunt. non ambitio tantùm ad illam reſpicit, & luxuria, & auaritia : ad opinionem dolemus. Tam miſer eſt quiſque, quàm credit. Detrahendas præteritorum dolorum conqueſtiones puto, & illa verba : *Nulli vmquam fuit peius. Quos cruciatus, quanta mala pertuli? nemo me ſurrecturum putauit. Quoties deploratus ſum à meis, quoties à medicis relictus? In equuleum impoſiti non ſic diſtrahuntur.* Etiamſi ſunt vera iſta, tranſierunt. Quid iuuat præteritos dolores retractare, & miſerum eſſe, quia fueris? Quid, quòd nemo non multum malis ſuis adiicit, & ſibi ipſe mentitur? Deinde quod acerbum fuit, retuliſſe iucundum eſt. naturale eſt, mali ſui fine gaudere. Circumcidenda ergo duo ſunt, & futuri timor, & veteris incommodi memoria : hoc ad me iam non pertinet, illud nondum. In ipſis poſitus difficultatibus dicat:

——— *Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.*

D Toto contra illum pugnet animo. vincetur, ſi ceſſerit: vincet, ſi ſe contra dolorem ſuum intenderit. Nunc hoc plerique faciunt, attrahunt in ſe ruinam, cui obſtandum eſt. iſtud quod premit, quod impendet, quod vrget, ſi ſubducere te cœperis, ſequetur & grauiùs incumbet : ſi contrà ſteteris, & obniti volueris, repelletur. Athletæ quantum plagarum ore, quantum toto corpore excipiunt? ferunt tamen omne tormentum gloriæ cupiditate : nec tantùm quia pugnant, iſta patiuntur, [7] ſed vt pugnent. exercitatio ipſa tormentum eſt. Nos quoque euincamus omnia, quorum præmium non corona, nec palma eſt, [8] nec tubicen prædicationi nominis noſtri ſilentium faciens : ſed virtus, & firmitas animi, & pax in ceterũ parta, ſi ſemel in aliquo certamine debellata fortuna eſt.

Dolorem

6. PRIMA VERMINATIO.] *Morſicatio prima, & velut pruritus doloris. Vtitur eâ voce ſæpiùs: vide De Vitâ beatâ cap.* XVII.

7. SED VT PVGNENT.] *Vt pugnæ idonei ſint, & exercitio præparentur. In ipſo autem exercitio hæc mala.*

8. NEC TVBICEN.] *Qui præcinebat, vt vox deinde Præconis ſuccederet, & victorem renunciaret.*

Dolorem grauem ſentio. Quid ni ſentias, ſi illum muliebriter tuleris? Quemadmodum A
pernicioſior eſt hoſtis fugientibus, ſic omne fortuitum incommodum magis inſtat cedenti & auerſo. Sed graue eſt. quid? nos ad hoc fortes ſumus, vt leuia portemus? Vtrùm vis, longum eſſe morbum, an concitatum & breuem? Si longus eſt, habet intercapedinem, dat refectioni locum: multum temporis donat. neceſſe eſt vt exſurgat, & deſinat. Breuis morbus ac præceps alterutrum faciet: aut exſtinguetur, aut exſtinguet. Quid autem intereſt, non ſit, an non ſim? in vtroque finis dolendi eſt. Illud quoque proderit, ad alias cogitationes auertere animum, & à dolore diſcedere. Cogita quid honeſtè, quid fortiter feceris: bonas partes tecum ipſe tracta: memoriam in ea quæ maximè miratus es, ſparge. tunc tibi fortiſſimus quiſque, & victor doloris, occurrat. Ille, qui dum varices exſecandas præberet, legere librũ perſeuerauit. Ille, qui non deſiit ridere, cùm hoc ipſum irati tortores omnia inſtrumenta crudelitatis experirentur. Non vincetur dolor ratione, qui victus eſt riſu? Quidquid vis, nunc licet dicas, diſtillationes, & vim continuæ tuſſis egerentem viſcerum partes, & febrem præcordia ipſa torrentem, & ſitim, & artus in di- B
uerſum articulis exeuntibus tortos: plus eſt flamma, & equuleus, & lamina, & vulneribus ipſis intumeſcentibus, [9] quod illa renouaret & altius vrgeret impreſſum. inter hæc tamen aliquis non gemuit: parùm eſt. non rogauit: parùm eſt. non reſpondit: parùm eſt. riſit, & quidem ex animo: vis tu poſt hoc [10] dolorem deridere? Sed nihil, inquit, agere ſinit morbus, qui me omnibus abduxit officiis. Corpus tuum valetudo tenet, non animum. Itaque curſoris moratur pedes, ſutoris ac fabri manus impediet. Si animus tibi eſſe in vſu ſolet; ſuadebis, docebis, audies, diſces, quæres, recordaberis. Quid porrò? nihil agere te credis, ſi temperans æger ſis? oſtẽdes morbum poſſe ſuperari, vel certè ſuſtineri. Eſt, mihi crede, virtuti etiam in lectulo locus. Non tantùm arma & acies dant argumenta alacris animi, indomitiqúe terroribus: [11] & in veſtimentis vir fortis apparet. Habes quod agas. benè luctare cum morbo: ſi nihil te coëgerit, ſi nihil exorauerit, inſigne prodis exemplum. O quàm magna erat gloriæ materia, ſi ſpectaremur ægri! ipſe te ſpecta, ipſe te lauda. Præterea, duo ſunt genera voluptatum: corporales morbus inhibet, C
non tamen tollit, imò, ſi verum æſtimes, incitat. magis iuuat bibere ſitientem: gratior eſt eſurienti cibus. Quidquid ex abſtinentiâ contigit, auidiùs excipitur. Illas verò animi voluptates, quæ maiores certioreſque ſunt, nemo medicus ægro negat: has quiſquis ſequitur, & benè intelligit, omnia ſenſuum blandimenta contemnit. O infelicem ægrum! quare? quia non [12] vino niuem diluit: quia non rigorem potionis ſuæ, quam capaci ſcypho miſcuit, renouat [13] fractâ inſuper glacie: quia non oſtrea illi Lucrina in ipsâ mensâ aperiuntur: quia non circa cænationem eius tumultus coquorum eſt, [14] ipſos cum obſoniis focos transferentium. hoc enim [15] iam luxuria commenta eſt. Ne quis intepeſcat cibus, ne quid [16] palato iam calloſo parùm ferueat, cænam culina proſequitur. O infelicem ægrum! edet quantum concoquat. non iacebit in conſpectu [17] aper, vt vilis

9. QVOD ILLA RENOVARET.] *Quid intelligit? ferrum plagis immiſſum, ſæuiendi, non explorandi, cauſſâ? videtur.*

10. DOLOREM DERIDERE?] *Mihi negatio inſerenda videatur*, dolorem non deridere? *Sed & antè vellem*, vis tuum poſt hoc: *minorem ſcilicet, nec cum tali comparandum.*

11. ET IN VESTIMENTIS.] *Dormitoriis, vel quibus in lecto tegeris. Suprà, epiſt.* LXVII.

12. VINO NIVEM DILVIT.] *Dicas magis, vinum dilui niue͡. Sed ſic iterùm loquitur* II. *De Irâ, cap.* XXV. *neque niuatas potiones ſolùm, ſed* niuem *ipſam* roſiſſe, *noſter ſcribit, epiſt.* XCV.

13. FRACTA INSVPER GLACIE.] *Seneca* IIII. *Quæſt. Nat. cap. vlt.* Inde eſt, quòd nec niue quidem contenti ſunt, ſed glaciem, velut certior illi ex ſolido rigor ſit, exquirunt.

14. IPSOS CVM OBSONIIS FOCOS.] *Epiſt.* XCV. Quid illa purulenta, & quæ tantumnon ab ipſo D
igne in os transferuntur, iudicas ſine noxâ in ipſis viſceribus exſtingui? *Et* IV. *Quæſt. cap. vlt.* Ardentes boletos, & raptim condimento ſuo merſatos, demittunt pænè fumantes.

15. IAM LVXVRIA COMMENTA EST.] *Non quin foculos ſiue ἐσχάρας, qui cum prunis transferrentur, iam anteà habuerint Græci Romaniq;: ſed non ad boletos, & talem iſtum luxuriæ vſum.*

16. PALATO IAM CALLOSO.] *Quarto Quæſtion.* Emortuæ fauces, & occallatæ cibis ardentibus.

17. APER, VT VILIS CARO.] *De luxu in aprıs, quos totos apponebant; & denique ſatis habebant oſtendere, ſcripſi adfatim* IV. *Poliorcet. Dialogiſmo* I.

18. PECTO-

A vt vilis caro, à mensâ relegatus, nec in repoſitorio eius [18] pectora auium, totas enim videre faſtidium eſt, congeſta ponentur. Quid tibi mali factum eſt? cænabis tamquam æger: imò aliquando tamquam ſanus. Sed omnia iſta facilè perferemus, ſorbitionem, aquam calidam, & quidquid aliud intolerabile videtur delicatis & luxu fluentibus, magiſque animo quàm corpore morbidis: tantùm mortem deſinamus horrere. Deſinemus autem, ſi fines bonorum ac malorum cognouerimus: ita demum nec vita tædio erit, nec mors timori. Vitam enim occupare ſatietas ſui non poteſt, tot res varias, magnas, diuinas percenſentem: in odium illam ſui adducere ſolet iners otium. Rerum naturam peragranti, numquam in faſtidium veritas veniet: falſa ſatiabunt. Rurſus, ſi mors accedit & vocat, licet immatura ſit, licet mediam præcidat ætatem: perceptus longiſſimè fructus eſt. cognita eſt illi ex magnâ parte natura, ſcit tempore honeſta non creſcere. His neceſſe eſt videri omnem vitam breuem, qui illam voluptatibus vanis, & ideò infinitis, metiuntur. His te cogitationibus recrea, & interim epiſtolis noſtris vacando: veniet
B aliquod tempus, quod nos iterùm iungat ac miſceat. quantum libet ſit illud, longum faciet ſcientia vtendi. Nam, vt Poſidonius ait, [19] *vnus dies hominum eruditorum plus patet, quàm imperiti longiſſima ætas.* Interim tene hoc mordicus. aduerſis non ſuccumbere, lætis non credere, omnem fortunæ licentiam in oculis habere: tamquam quidquid poteſt facere, factura ſit. Quidquid exſpectatum eſt diu, leuius accedit.

EPIST. LXXIX.

De Charybdi aliquid, Scyllâ, & Ætnâ. Tum, Sapientes inter ſe pares eſſe: & ad Sapientiam hortatur, etiamſi gloria non comitetur. Atqui comitabitur, vel poſt vitam. Bona.

C EXSPECTO epiſtolas tuas, quibus mihi indices, circumitus Siciliæ totius quid tibi noui oſtenderit, & omnia de ipſâ Charybdi certiora. Nam Scyllam [1] ſaxum eſſe, [2] & quidem non terribile nauigantibus, optimè ſcio: Charybdis an reſpondeat fabulis, perſcribi mihi deſidero. Et ſi fortè obſeruaueris, (dignum eſt autem, vt obſerues) fac nos certiores, vtrùm [3] vno tantùm vento agatur in vortices, an omnis tempeſtas æquè mare illud contorqueat: & an verum ſit, quidquid illo freti turbine arreptum eſt, per multa millia trahi conditum, & [4] circa Tauromenitanum litus emergere. Si hæc mihi perſcripſeris, tunc tibi audebo mandare, vt in honorem meum Ætnam quoque aſcendas: quam

18. PECTORA AVIVM.] *Epiſt.* XLVII. *de carptore:* Alius pretioſas aues ſcindit: pectus & clunes in fruſta excutit.

19. VNVS DIES HOMINVM ERVDITORVM.] *Eruditorum, id eſt Sapientum, Stoicâ linguâ. De ſenſu autem, ſimilis in Philone Iudæo, libro, Quis diuinor. oper. heres:* Υ῾ποχνεῖται δὲ τῷ τοιαύτην ἄγοντι εἰρήνην, καλὸν γῆρας, ὃ δήπου πολυχρόνιον, ἀλλὰ τὸ μετὰ φρονήσεως ζῆν. τὸ γὰρ εὐήμερον πολυετίας κρεῖττον, ὅσῳ καὶ βραχύτερον φῶς σκότους αἰωνίου. μίαν γὰρ ἡμέραν, ὑγιεινῶς εἶπε προφήτης ἀνὴρ, βούλεσθαι βιῶναι μετὰ ἀρετῆς, ἢ μύρια ἔτη ἐν σκιᾷ τοῦ θανάτου· σκιὰν δὲ φαῦλον αἰνιττόμενος βίον: Pollicetur autem talem agenti pacem, bonam ſenectutem: id eſt, non longæuitatem, ſed vitam cum prudentiâ coniunctam. Nam vel diei felicitas multitudine annorum melior, quanto breuis aliqua lux tenebris æternis. Vnam enim diem, dixit ſalubriter vir propheta, malle ſe viuere cum virtute, quàm multa millia annorum in vmbrâ mortis: vmbram mortis, malam indicans vitam. *Hæc Philo, ex Moyſe & Dauide: iterumq; ipſe Dauid:* Melior eſt dies vna in atriis tuis, ſuper millia.

EPIST. LXXIX. 1. SAXVM ESSE.] *Apud Seruium* III. *Aen.* Salluſtius Scyllam ſaxum eſſe dicit, ſimile formæ celebratæ procul viſentibus.

2. ET QVIDEM NON TERRIBILE.] *Ego hoc rectum cenſeo, nec accedo, qui,* modò terribile, *ſupponunt: quaſi etiamnunc pro veteri famâ eſſet. Non, inquam, accedo: nec res eſt tanta, aut fuit.*

3. VNO TANTVM VENTO.] *Quo illo? Auſtro. Vide Conſol. ad Marc. cap.* XVII. *& ſuprà, epiſt.* XIV.

4. CIRCA TAVROMENITANVM.] *Satis diſſitum, ſed ventus nempe & fluctus eò ducunt. Seruius idem:* Nam ſorbet vniuerſa, quæ prehendit: & ſecundùm Salluſtium, ea circa Tauromenitanum litus egerit. *Strabo, lib.* VI. Demonſtratur ante Meſſanam profunditas quędam vaſta (Charybdis) in quam æſtus freti abducunt nauigia contorta, & abſorptorum fragmenta deuoluuntur ad litus Tauromenitanum.

quam consumi, & sensim subsidere, ex hoc colligunt, quòd [5] aliquanto longiùs naui- A
gantibus solebat ostendi. Potest hoc accidere, non quia montis altitudo desedit, sed quia
ignis euanuit, & minùs vehemens [6] ac largus effertur: ob eamdem caussam, fumo quo-
que per diem segniore. Neutrum autem incredibile est, nec montem qui deuoretur quo-
tidie minui, nec ignem non manere eumdem: qui non ipse ex se est, sed in aliquâ infer-
nâ valle conceptus exæstuat, [7] & alibi pascitur: in ipso monte non alimentum habet,
sed viam. In Lyciâ regio notissima est, [8] Ephestion incolæ vocant, perforatum pluri-
bus locis solum, quod sine vllo nascentium damno ignis innoxius circuit. Læta itaque
regio est, & herbida, nil flammis adurentibus, sed tantùm vi remissâ ac languidâ refulgentibus. Sed reseruemus ista, tunc quæsituri, cùm tu mihi scripseris, quantum ab ipso
ore montis niues absint, quas ne æstas quidem soluit: adeò tutæ sunt ab igne vicino.
Non est autem, quòd istam curam imputes mihi: [9] morbo enim tuo daturus eras, etiam
si nemo mandaret tibi, donec Ætnam describas in tuo carmine, & hunc sollennem om-
nibus Poëtis locum attingas. quem quò minùs Ouidius tractaret, nihil obstitit, quòd B
iam Virgilius impleuerat: [10] ne Seuerum quidem Cornelium vterque deterruit. Om-
nibus præterea feliciter hic locus se dedit: & qui præcesserant, non præripuisse mihi vi-
dentur quæ dici poterant, sed aperuisse. Sed multum interest, vtrùm ad consumptam
materiam, an ad subactam accedas: crescit in dies, & inuenturis inuenta non obstant.
Præterea, condicio optima est vltimi. Parata verba inuenit, quæ aliter instructa nouam
faciem habent: nec illis manus iniicit, tamquam alienis: sunt enim publica. Iurisconsulti negant, quidquam publicum vsucapi. Aut ego te non noui, aut Ætna tibi [11] sali-
uam mouet. Iam cupis grande aliquid, & par prioribus scribere. Plus enim sperare mo-
destia tibi tua non permittit: quæ tanta in te est, vt videaris mihi retracturus ingenij tui
vires, si vincendi periculum sit. tanta tibi priorum reuerentia est. Inter cetera, hoc habet
boni sapientia: nemo ab altero potest vinci, nisi dum ascenditur. dum ad summum
perueneris, paria sunt: non est incremento locus, statur. Numquid sol magnitudini suæ
adiicit? numquid luna vltrà quàm solet procedit? maria non crescunt: mundus eumdem C
habitum ac modum seruat. Extollere se, quæ iustam magnitudinem impleuere, non
possunt. Quicumque fuerint sapientes, [12] pares erunt & æquales. habebit vnusquisque
ex his proprias dotes: alius erit affabilior, alius expeditior, alius promptior in eloquendo, alius facundior: illud de quo agitur, quod beatum facit, æquale erit in omnibus. An
Ætna tua possit sublabi, & in se ruere, an hoc excelsum cacumen & conspicuum per va-
sti maris spatia detrahat assidua vis ignium, nescio: virtutem non flamma, non ruina
inferiùs adducet. Hæc vna maiestas deprimi nescit, nec proferri vltrà, nec referri potest.
Sic huius, vt cælestium, stata magnitudo est. Ad hanc nos conemur educere. iam mul-
tum operis effectum est, imò si verum fateri volo, non multum. Nec enim bonitas est,
pessimis esse meliorem. Quis oculis glorietur, qui suspicentur diem? quibus sol per cali-
ginem splendet? licet contentus interim sit effugisse tenebras, adhuc non fruitur bono
lucis. Tunc animus noster habebit quod gratuletur sibi, cùm emissus his tenebris, in
quibus volutatur, non tenui visu clara prospexit, sed totum diem admiserit, & reddi- D
tus

5. ALIQVANTO LONGIVS.] *Aelianus Var. Hist. lib.* VIII. *cap.* XI. Τὴν γ' ἔν Αἴτνην φασὶν οἱ πλέοντες ἐξ ἐλαάσσονος ὁρᾶν, ἢ πρὸ τοῦ ἐβλέπετο: Ætnam aiunt nauigantes è longinquo minùs aspici, quàm anteà solebat.

6. AC LARGVS EFFERTVR.] *Nostri omnes sic libri, & Gruteriani: tamen Modius è suis*, ac largus efferuit.

7. ET ALIBI PASCITVR.] *Scripti*, & aliis: *rectè. non ipsius montis visceribus, sed interiora sua pabula habet.*

8. EPHESTION INCOLÆ.] *Scribe, Hephæstion,* Ἡφαίστειον, *quasi* Vulcanium, *à re ipsâ dictum. Plinius lib.* V. *cap.* XXVII. In Lyciâ mons Chimæra, noctibus flagrans: Hephæstium ciuitas, & ipsa sæpè flagrantibus iugis.

9. MORBO ENIM TVO.] *Morbo animi. sic enim affectum, & titillationem illam poëticam appellat.*

10. NE SEVERVM QVIDEM CORNELIVM.] *Cui hodie opusculum de Aetnâ adscribitur, quod exstat.*

11. SALIVAM MOVET.] *Quod fit in subito appetitu cibi, aut obsonij. lingua & os humescunt, & sumere allubescunt.*

12. PARES ERVNT ET ÆQVALES.] *Nos in Manuduct.* III. *Dissert.* III.

13. Lo-

A tus cælo ſuo fuerit, cùm receperit [13] locum, quem occupauit ſorte naſcendi. Surſum vocant illum initia ſua. Erit autem illic, etiam antequam hac cuſtodiâ exſoluatur, cùm vitia diſiecerit, puruſque ac leuis in cogitationes diuinas emicuerit. Hoc nos oportet agere, Lucili cariſſime, in hoc ire impetu toto: licet pauci ſciant, licet nemo videat. Gloria, vmbra virtutis eſt: etiam inuitos comitabitur. Sed quemadmodum aliquando vmbra antecedit, aliquando ſequitur: ita gloria aliquando ante nos eſt, viſendamque ſe præbet, aliquando in auerſo eſt, maiorque quò ſerior, vbi inuidia ſeceſſit. Quamdiu videbatur furere Democritus? vix recepit Socratem fama. Quamdiu Catonem ciuitas ignorauit? reſpuit: nec intellexit, niſi cùm perdidit. Rutilij innocentia ac virtus lateret, niſi acceviſſet iniuriam: dum violatur, effulſit. Numquid non ſorti ſuæ gratias egit, & exſilium ſuum complexus eſt? De his loquor, quos illuſtrauit fortuna, dum vexat: quàm multorum profectus in notitiam euaſere, poſt ipſos? quàm multos fama non excepit, ſed eruit? Vides Epicurum, quantopere non tantùm eruditiores, ſed hæc quoque imperito-
B rum turba miretur. Hic ignotus ipſis Athenis fuit, circa quas delituerat. Multis itaque iam annis Metrodoro ſuo ſuperſtes, in quadam epiſtolâ, cùm amicitiam ſuam & Metrodori, gratâ commemoratione ceciniſſet, hoc nouiſſimè adiecit, *Nihil ſibi & Metrodoro inter bona tanta nocuiſſe, quòd ipſos illa nobilis Græcia non ignotos ſolùm habuiſſet, ſed pænè inauditos.* Numquid ergo non, poſteà quàm eſſe deſierat, inuentus eſt? numquid non opinio eius emicuit? Hoc Metrodorus quoque in quadam epiſtolâ confitetur, *Se & Epicurum non ſatis eminuiſſe: ſed pòſt, ſe & Epicurum, magnum* [14] *paratumque nomen habituros, apud eos qui voluiſſent per eadem ire veſtigia.* Nulla virtus latet: & latuiſſe, non ipſius eſt damnum. Veniet qui conditam, & ſæculi ſui malignitate compreſſam, dies publicet. Paucis natus eſt, qui populum ætatis ſuæ cogitat. Multa annorum millia, multa populorum ſuperuenient: ad illa reſpice. etiam ſi omnibus tecum viuentibus ſilentium liuor indixerit, venient qui ſine offensâ, ſine gratiâ iudicent. Si quod eſt pretium virtutis ex famâ, nec hoc interit. Ad nos quidem nihil pertinebit poſterorum ſermo: tamen etiam
C non ſentientes colet, ac frequentabit. Nulli non virtus & viuo, & mortuo, retulit gratiam: ſi modò illam bonâ ſecutus eſt fide, ſi ſe non exornauit & pinxit, ſed idem fuit, [15] ſiue ex denuntiato videbatur, ſiue imparatus ac ſubitò. Nihil ſimulatio proficit. paucis imponit leuiter extrinſecus inducta facies: veritas in omnem partem ſui ſemper eadem eſt. Quæ decipiunt, nihil habent ſolidi. Tenue eſt mendacium: perlucet, ſi diligenter inſpexeris.

EPIST. LXXX.

VVLGVS ad ſpectaculum & ad ſtadium, ſeſe ad ſtudium & animum iuiſſe. Hunc colendum, non corpus: & facile id eſſe, ſi Bona velis. Ad libertatem eundum; quod fit ſpretis calcatisque cupidinibus. In eo veram felicitatem, non externo ſplendore eſſe.

D

HODIERNO die non tantùm meo beneficio mihi vaco, ſed ſpectaculi, quod omnes moleſtos [1] ad ſphæromachiam auocauit. Nemo irrumpit, nemo cogitationem

13. LOCVM QVEM OCCVPAVIT.] *Nempe illum in cælo locum, vbi cum primo orbe fuit. Ex eo ſcintilla in terras deſiliit, animus noſter factus, eò rediturus.*

14. PARATVMQVE NOMEN.] *Fortaſſe*, paratumque: *extra calumnias & detractiones.*

15. SIVE EX DENVNTIATO.] *Qui mos hodieq; inter magnates, præmittere & nunciare aduentum.*

EPIST. LXXX. 1. AD SPHÆROMACHIAM.] *Libri, vt ſolet in Græcis, variant. Quidam*, ad ſphæram mathemam: *alij*, ad ſpero in athema: *meus*, aſperam in ethnam. *Sphæromachia quidem nota eſt, pilaris luſus & certamen. Nominat Papinius in Siluis*: Sphæromachias ſpectamus, & pilaris luſio admittitur. *Ipſa enim Pila*, Sphæra *dicitur. atque ita Sidonius lib.* v. *epiſt.* XVII. Sphæræ primus ego ſignifer fui: *& luſores*, Sphæriſtas *appellat. Seneca adfirmare etiam lectionem hanc videtur ſtatim, dum ait* Spectaculum non fidele, & luſorium. *Lubricum enim, anceps: & luſus magis, quàm certamen. Tamen Pincianus ille, iudicij bonus, ambigit,*

tationem meam impedit: quæ hac ipsâ fiduciâ procedit audaciùs. [2] Non crepuit subinde ostium, [3] non alleuabatur velum: [4] licebit vni vadere, quod magis necessarium est per se eunti, & suam sequenti viam. Non ergo sequor priores? facio. sed permitto mihi & inuenire aliquid, & mutare, & relinquere. Non seruio illis, sed assentior. Magnum tamen verbum dixi, qui mihi silentium promittebam, & sine interpellatore secretum: ecce ingens clamor ex stadio profertur, & me non excutit mihi, sed in huius ipsius rei [5] contentionem transfert. Cogito mecum, quàm multi corpora exerceant, quàm ingenia pauci: quantus ad spectaculum non fidele & lusorium fiat concursus, quanta sit circa artes bonas solitudo: quàm imbecilli animo sint, quorum lacertos humerosque miramur. Illud maximè reuoluo mecum. si corpus perduci exercitatione ad hanc patientiam potest, quâ & pugnos pariter & calces [6] non vnius hominis ferat, quâ [7] solem ardentissimum in feruentissimo puluere sustinens aliquis, & sanguine suo madens diem ducat: quanto faciliùs animus corroborari possit, vt fortunæ ictus inuictus excipiat, vt proiectus, vt conculcatus exsurgat? Corpus enim multis eget rebus, vt valeat: animus ex se crescit, se ipse alit, se exercet. Illi multo cibo, multâ potione opus est, [8] multo oleo, longâ denique operâ: tibi continget virtus sine apparatu, sine impensâ. Quidquid facere te potest bonum, tecum est. Quid tibi opus est vt sis bonus? velle. Quid autem melius potes velle, quàm eripere te huic seruituti, quæ omnes premit, quam mancipia quoque conditionis extremæ, & in his sordibus nata, omni modo exuere conantur? [9] Peculium suum, quod comparauerunt ventre fraudato, [10] pro capite numerant: [11] tu non concupisces quanticumque ad libertatem peruenire, qui te putas in illâ natum? Quid ad arcam tuam respicis? emi non potest. Itaque [12] in tabellas vanum coniicitur nomen libertatis: quam nec qui emerunt habent, nec qui vendiderunt. Tibi des oportet istud bonum, à te petas. Libera te primùm metu mortis: illa nobis primum iugum imponit: deinde metu paupertatis. Si vis scire quàm nihil in illâ mali sit, compara inter se pau-

ambigit, & Sphyromachiam *legi mallet*: calcium & talorum pugnam. *Nam & eò alludens mox Seneca:* patientiam, quâ pugnos pariter & calces non vnius hominis feras. *Ego memini puer Athi Hainouiæ certamen hoc sollenne videre, quo mariti & iuuenes, proiecta in medium pilâ, pugnis calcibusq; de eâ propellendâ certabant, & ad talem locum (qui meta erat) prouehendâ. Simile apud veteres? nescio. Equidem simplicem hîc Sphæromachiam fuisse, vix persuadeor. Cur enim ad cottidianum tale spectaculum, & in balneis vsurpatum, tota ciuitas concurreret? nisi si eximij aliqui sphæristæ. Cur item in* Stadio *præberetur? nam de eo sequitur: atque is athletarum magis locus, & quæ subiungit, ad illos ducunt.* E'πέχω igitur.

2. NON CREPVIT SVBINDE OSTIVM.] *An in aperiendo, cùm cardo vertitur? an etiamtunc moris ostium digito vel manu percuti, ne inopinanti superuenires.*

3. NON ALLEVABATVR VELVM.] *Foribus cubiculi prætensum: de quo ego plusçula, ad Annalem Taciti* XIII. *Alleuabatur autem ab admissionalibus ministris: quos Aimoinus lib.* II. *De Gest. Franc. cap.* V. tenentes cortinam, *ab hoc more, appellat.*

4. LICEBIT VNI VADERE.] *Quidem*, vno euadere: *plerique autem omnes*, vno, *vel* imo. *Probo vulgatum*; *vel*, vnum. *Sententia. licebit mihi soli incedere, per cogitationes & studia mea ire: quod expedit illi, qui sectam non sequitur.*

5. CONTENTIONEM TRANSFERT.] *Vt contendam & conferam hoc certamen cum studio meliore.*

se pau-

An placet cum quibusdam libris, contemplationem? *certè mihi.*

6. NON VNIVS HOMINIS.] *Nam etsi paria ferè Athletarum pugnabant, tamen aliquando mixti aut per cateruas: & vt id non fuerit, ordine alij post alios supponebantur. Ita vnus victor plures sustinebat.*

7. SOLEM ARDENTISSIMVM.] *Cicero:* Pugiles inexercitati, etiamsi pugnos & plagas ferre possint, Solem tamen sæpe ferre non possunt.

8. MVLTO OLEO.] *Hæc item ad athletas, quorum crebra vnctio*, multi cibi, *& sagina.*

9. PECVLIVM SVVM.] *Redimere se ære suo serui solent. Vide, si lubet, me ad Taciti* XIV. *Annalem.*

10. PRO CAPITE.] *Id est, pro libertate. Nam serui caput non habent.*

11. TV NON CONCVPISCES.] *Paria istis Epictetus Dissert.* IIII. *cap.* I. Pro istâ, quæ putatur libertas, alij se suspendunt, alij se præcipitant: est etiam cùm totæ vrbes perierunt: & tu ob veram, ob insidiarum expertem, ob tutam libertatem nihil capias laboris? *Vera autem hæc libertas, quam intelligunt, est finis Philosophiæ, ait Simplicius:* illa nimirum, in quâ à parente & auctore Deo producti sumus, vt neque formidemus quidquam, nec doleamus, neque vlli deteriori naturæ aut rei seruiamus. *Et huc spectat illud Paradoxum decretum*, Solum sapientem liberum esse.

12. INTABELLAS VANVM CONIICITVR.] *Manumissionis tabellas: quæ fidei causâ dabantur.*

13. SOLI-

A se pauperum & diuitum vultus. Sæpiùs pauper, & fideliùs ridet: nulla [13] sollicitudo in alto est: etiam si qua incidit cura, velut nubes leuis transit. Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut grauis & suppurata tristitia: & quidem grauior, quia interdum non licet palàm esse miseros: sed inter ærumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem. Sæpiùs hoc exemplo mihi vtendum est: nec enim vllo efficaciùs exprimitur hic [14] humanæ vitæ mimus, [15] qui nobis partes has, [16] quas malè agamus, assignat. [17] Ille qui in scænâ elatus incedit, & hæc resupinus dicit,

[18] *En impero Argis.* [19] *regna mihi liquit Pelops,*
Quà Ponto ab Helles atque ab Ionio mari
Vrgetur Isthmos:

seruus est, [20] quinque modios accipit, [21] & quinque denarios. Ille qui superbus, atque impotens, & fiduciâ virium tumidus ait,

Quod nisi quieris Menelae, hac dextrâ occides:

B [22] diurnum accipit, [23] in cænaculo dormit. Idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum, supraque turbam delicatos lectica suspendit: omnium istorum personata felicitas est. Contemnes illos, si despoliaueris. [24] Equum empturus, solui iubes

13. SOLLICITVDO IN ALTO EST.] *In imo & profundo pectore.*

14. HVMANÆ VITÆ MIMVS.] *Augusti moriturí quæsitum*, Ecquid hunc mimum vitæ satis commodè egisse videretur? *Enchiridium Epicteti, cap.* XXIII. *Vide, & in illud Simplicium. In Anthologio:*

Σκηνὴ πᾶς ὁ βίος, καὶ παίγνιον. ἢ μάθε παίζειν,
Τὴν ταχὺν μεταθεὶς, ἢ φέρε τὰς ὀδύνας.

Scæna est hæc vita, & mimus. vel ludere disce
Seria postponens, vel cruciare miser.

15. QVI NOBIS PARTES HAS.] *Teles Pythagoricus:* Δεῖ ὥσπερ τὸ ἀγαθὸν ὑποκειτὴν, ὅ, τι ἂν ὁ ποιητὴς περιθῇ πρόσωπον, τοῦτο ἀγωνίζεσθαι καλῶς· οὕτω καὶ τὸ ἀγαθὸν ἀνδρα ὅ, τι ἂν περιθῇ ἡ τύχη. καὶ γὰρ αὕτη, φησὶν ὁ Βίων, ὥσπερ ποιήτρια, ὅτε μὲν πρωτολόγα, ὅτε ὑστερολόγα περιτίθησι πρόσωπον, καὶ ὅτε μὲν βατιλέως, ὅτε δὲ ἀλήτα: Oportet, sicut bonũ histrionem, quamcumque personam poëta imposuerit, eam decorè exsequi & sustinere: sic & bonum virum, quamcumque Fortuna dederit. Nam & hæc, ait Bion, velut poëtria, aliquando primi, aliquando vltimi actoris personam imponit, est etiam cùm regis, & aliàs mendici. *Laërtius etiam, in Zenone:* Εἶναι γὰρ ὅμοιον τῷ ἀγαθῷ ὑποκειτῇ τὸν σοφόν. ὃς ἄν τε Θερσίτα, ἄν τε Ἀγαμέμνονος πρόσωπον ἀναλάβῃ, ἑκάτερον ὑποκρίνεται πρεπόντως: Esse bono histrioni simi-
D lem Sapientem. qui siue Thersitæ, siue Agamemnonis personam acceperit, vtramque decenter exprimit & imitatur.

16. QVAS MALE AGAMVS.] *Nostrâ culpâ, & insciliâ: non illo sic imponente. Vellet enim benè agi, & facit Sapiens.*

17. ILLE QVI IN SCÆNA.] *Atreus, qui Pelopis filius & heres. & quæ sequuntur, sunt ex Attij Atreo.*

18. EN IMPERO ARGIS.] *Mei libri*, Impero Argis, *sine illâ particulâ. Et grandius mihi esset*, Imperito Argis: *siue antiquè*, Imperitod.

19. REGNA MIHI LIQVIT.] *In Fabio legitur*, sceptra mihi.

20. QVINQVE MODIOS ACCIPIT.] *Dimensum & cibarium seruile in menses. Etsi tamen in Donato scribitur:* Serui quaternos modios accipiebant frumenti in mensem. *Sed fieri potest, imò solet, vt honestiores plusculum acciperent, sicut isti actores. Ego aliquid super hac re* 1. *Elector. cap. de Frumentat.*

21. ET QVINQVE DENARIOS] *Septem denarios Lucianus videtur agnoscere, suo æuo. Sed hæc talia mutant. De modo isto lucaris (sic appellabant) ego ad* 1. *Annal. Taciti.*

22. DIVRNVM ACCIPIT.] *Denarium, & mercedulam.*

23. IN CÆNACVLO.] *Vbi tenuiores & inopes. Sic actor Plautinus, qui Iouem Amphitruonem refert, iocosè:*

Ego sum ille Amphitruo, cuius seruus Sosia,
In superiore qui habito cænaculo.

Tamen scripti ferè, centuculo, *aut* centunculo; *meus*, cetulo. *Et de centunculo sanè placeat: atque id stratum seruorum fuisse.*

24. EQVVM EMPTVRVS.] *Horatij illud obuium:*

Regibus hic mos est, vbi equos mercantur, apertos
Inspiciunt.

Macrobius 1. *Saturn. cap.* XI. Quemadmodum stultus est, qui empturus equum, non ipsum inspicit, sed stratum eius & frænum: sic est, qui hominem ex veste, aut conditione, quæ modo vestis nobis circumdata est, æstimandum putat. *Apuleius, De Deo Socratis:* Neque enim in emendis equis phaleras consideramus, & balthei polimina inspicimus, & ornatissimæ ceruicis diuitias contemplamur: sed istis omnibus exuuiis amolitis & amotis, equum ipsum nudum, & solum corpus eius & animũ contuemur. *Socrates, apud Stob. Serm.* 1. Οὔτε ἵππος εὐγενὴς κρίνοιτ' ἂν ὁ πολυτελῆ σκευὴν ἔχων, ἀλλ' ὁ τῇ φύσει λαμπρός· οὔτε ἀνὴρ πεπαιδαῖος, ὁ πολύτιμον οὐσίαν κεκτημένος, ἀλλ' ὁ τὴν ψυχὴν γενναῖος: Neque equus generosus iudicetur, qui stratum & instructum splendidum habeat, sed qui naturâ sit talis: ita nec vir honestus, qui multas & æstimabiles opes habeat, sed qui animo sit præstans.

25. FASCIAM

bes ſtratum, detrahis veſtimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant: hominem in- A
uolutum æſtimas? Mangones, quidquid eſt quod diſpliceat, aliquo lenocinio abſcon-
dunt. Itaque ementibus ornamenta ipſa ſuſpecta ſunt: ſiue crus alligatum, ſiue bra-
chium adſpiceres, nudari iuberes, & ipſum tibi corpus oſtendi. Vides illum Scythiæ
Sarmatiæve regem, inſigni capitis decorum? ſi vis illum æſtimare, totumque ſcire qua-
lis ſit, [25] faſciam ſolue. [26] multum mali ſub illâ latet. Quid de aliis loquor? ſi per-
pendere te voles, ſepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipſe conſidera. Nunc
qualis ſis, [27] aliis credis.

EPIST. LXXXI.

De homine ingrato exordium: tum quæſtio, An grati eſſe debeamus aduerſus eum, qui antè iuuit, pòſt nocuit? Subtiliter & diffusè hoc diſputat, & variè diſtinguit. B

Qvereris incidiſſe te in hominem ingratum. Si hoc nunc primùm, age aut fortunæ, aut diligentiæ tuæ gratias. Sed nihil facere hoc loco diligentia poteſt, niſi te malignum. Nam ſi hoc periculum vitare volueris, non dabis beneficia: ita ne apud alium pereant, apud te peribunt. Non reſpondeant potiùs, quàm non dentur: & poſt malam ſegetem ſerendum eſt. Sæpè quidquid perierat aſſiduâ infelicis ſoli ſterilita-
te, vnius anni reſtituit vbertas. Eſt tanti, vt gratum inuenias, experiri & ingratos. Nemo habet tam certam in beneficiis manum, vt non ſæpè fallatur: aberrent, vt aliquando hæreant. Poſt naufragium maria tentantur: fæneratorem [1] non fugat à foro decoctor. Citò inerti otio vita torpebit, ſi relinquendum eſt quidquid offendit. Te verò benignio-
rem hæc ipſa res faciat. nam cuius rei euentus incertus eſt, id, vt aliquando procedat, ſæpè tentandum eſt. Sed de iſto ſatis multa in iis libris locuti ſumus, qui de Beneficiis inſcribuntur: illud magis quærendum videtur, quod [2] non ſatis (vt exiſtimo) explica- C
tum eſt: An is qui profuit nobis, ſi poſteà nocuit, paria fecerit, & nos debito ſoluerit? Adiice ſi vis & illud: Multo plus poſteà nocuit, quàm antè profuerat. Si rectam illam rigidi iudicis ſententiam quæris, alterum ab altero abſoluet, & dicet: Quamuis iniuria præponderet, tamen beneficiis donetur, quod ex iniuriâ ſupereſt. Plus nocuit? ſed priùs profuit. itaque habeatur & temporis ratio. Iam illa manifeſtiora ſunt quàm vt admo-
neri debeas, quærendum eſſe, quàm libenter profuerit, quàm inuitus nocuerit: quoniam animo & beneficia & iniuriæ conſtant. Nolui beneficium dare. victus ſum aut vere-
cundiâ, aut inſtantis pertinaciâ, aut ſpe. Eo animo quidq; debetur, quo datur: nec quan-
tum ſit, ſed à quali profectum voluntate, perpenditur. Nunc coniectura tollatur. Et il-
lud beneficium fuit, & hoc quod modum beneficij prioris exceſſit, iniuria eſt. Vir bo-
nus vtroſque calculos ſic ponit, vt [3] ſe ipſe circumſcribat: beneficio adiicit, iniuriæ de-
mit. Ille alter remiſſior iudex, quem eſſe me malo, iniuriæ obliuiſci debebit, officij me-
miniſſe. Hoc certè, inquit, iuſtitiæ conuenit, ſuum cuique reddere, beneficio gratiam, D
iniuriæ talionem, aut certè malam gratiam. Verum erit iſtud, cùm alius iniuriam fece-
rit, alius beneficium dederit. nam ſi idem eſt, beneficio vis iniuriæ exſtinguitur. Nam cui, etiam ſi merita non anteceſſiſſent, oportebat ignoſci, poſt beneficia lædenti, plus quàm

25. Fasciam solve.] *Id eſt, diadema inſigne regni. Nam hoc, non aliud quàm Faſcia aut vitta capiti circumdata.*

26. Multum mali sub illa.] *Regis cuiuſpiam dictum, ad mulierculam admirantem:* O mulier, hunc pannum humi iacentem non tollas, ſi ſcias quantum mali ſub eo lateat.

27. Aliis credis.] *Adulatoribus, & blandis hoſtibus.*

EPIST. LXXXI. 1. Non fvgat a foro decoctor.] *Alij*, Coactor, *referunt*. Coactor *quidem eſt, qui argentariorum aut fœneratorum reliqua, & ſummulas exigit, qui &* Collectarius *dicitur: ſed aptior* Decoctori *hic locus*, an Coctori? *nam meus & magis fidi libri*, tortor.

2. Non satis, vt existimo.] *Attigit tamen lib.* III. *De Benef. cap.* XIII.

3. Se ipse circvmscribat.] *Decipiat ſe, & vltrò fallat in hoc calculo.*

4. Non

A quàm venia debetur. Non pono vtrique par pretium: pluris æſtimo beneficium, quàm iniuriam. [4] Non omnes debere ſciunt grati beneficium. Poteſt etiam imprudens, & rudis, & vnus è turbâ, [5] vtique dum propè eſt ab accepto, reddere beneficium, [6] & penſare: ignorat autem [7] quantum debeat. Vni ſapienti notum eſt, quanti res quæque taxanda ſit. Nam ille de quo loquebar modò, ſtultus, etiamſi bonæ voluntatis eſt, aut minùs quàm debet, aut tempore, aut quo non debet loco, reddit: id quod referendum eſt, effundit atque abijcit. Mira in quibuſdam rebus verborum proprietas eſt: & conſuetudo ſermonis antiqui quædam efficaciſſimis, & officia docentibus, notis ſignat. Sic certè ſolemus loqui: *Ille illi gratiam retulit.* Referre, eſt vltrò quod debeas afferre. Non dicimus, *Gratiam reddidit.* Reddunt enim, & qui repoſcuntur, & qui inuiti, & qui vbilibet, & qui per alium. Non dicimus, *Repoſuit beneficium, aut ſoluit:* nullum enim nobis placuit, quod æri alieno conuenit, verbum. Referre, eſt ad eum à quo acceperis, ferre. Hæc vox ſignificat voluntariam relationem. Qui retulit, ipſe ſe appellauit. Sapiens om-
B nia examinabit ſecum, quantum acceperit, à quo, quando, vbi, quemadmodum. Itaque negamus quemquam ſcire gratiam referre, niſi ſapientem. non magis quàm beneficium dare quiſquam ſcit, niſi ſapiens: hic ſcilicet, qui magis dato gaudet, quàm alius accepto. Hoc aliquis inter illa numerat, quæ videmur inopinata omnibus dicere, παράδοξα Græci vocant: & ait, Nemo ergo ſcit præter ſapientem referre gratiam? ergo nec quod debet creditori ſuo, reponere quiſquam ſcit alius? nec cùm emit aliquam rem, pretium venditori perſoluere? Sed ne nobis fiat inuidia, ſcito idem dicere Epicurum. Metrodorus certè ait, *Solum ſapientem referre gratiam ſcire.* Deinde idem admiratur, cùm dicimus, [8] *Solus ſapiens ſcit amare, ſolus ſapiens amicus eſt.* Atqui & amoris & amicitiæ pars eſt, referre gratiam: imò hoc magis vulgare eſt, & in plures cadit, quàm vera amicitia. Deinde idem admiratur, quòd dicimus fidem niſi in ſapiente non eſſe: tamquam non ipſe idem dicat. An tibi videtur fidem habere, qui referre gratiam neſcit? Deſinant itaque infamare nos, tamquam incredibilia iactantes: & ſciant apud ſapientem eſſe ipſa hone-
C ſta, apud vulgum ſimulacra rerum honeſtarum & effigies. Nemo referre gratiam ſcit, niſi ſapiens. Stultus quoque vtcumque ſcit, & quemadmodum poteſt, referat: ſcientia illi potiùs, quàm voluntas deſit. Velle non diſcitur. Sapiens inter ſe omnia comparabit. maius eius opus, aut minus fit (quamuis idem ſit) tempore, loco, cauſsâ. Sæpè enim hoc non potuere diuitiæ in domum infuſæ, quod opportunè dati mille denarij. Multum enim intereſt, donaueris, an ſuccurreris: ſeruauerit illum tua liberalitas, an inſtruxerit. Sæpè quod datur, exiguum eſt: quod ſequitur ex eo, magnum. Quantum autem exiſtimas intereſſe, vtrùm aliquis [9] quod dederat, ſumpſerit, an beneficium acceperit, vt daret? Sed ne in eadem, quæ [10] ſatis ſcrutati ſumus, reuoluamur; in hac comparatione beneficij & iniuriæ, vir bonus iudicabit quidem quod erit æquiſſimum: ſed beneficio fauebit, in hanc erit partem procliuior. Plurimum autem momenti perſona ſolet afferre, in rebus eiuſmodi. Dediſti mihi beneficium in ſeruo, iniuriam feciſti in patre: ſeruaſti

D

4. NON OMNES DEBERE SCIVNT GRATI.] *Librorum hæc ſcriptura eſt, Romanam ſuppoſititiam non moror. Lego tamen*, gratè.

5. VTIQVE DVM PROPE EST.] *Id eſt, in recenti beneficio, quod nondum excidit. Nam vulgus vetuſtioris obliuiſcitur.*

6. ET PENSARE.] *Sententia eſt. poteſt par reddere, ſed non parta facere: quia in beneficio non acceptum ſolùm conſideratur, ſed animus, tempus, occaſio tua & mea.*

7. QVANTVM DEBEAT.] *Alij*, pro re debeat: *meus*, quantum præbeat.

8. SOLVS SAPIENS SCIT AMARE.] *Vide Manuduct.* III. *Diſſer.* XVI.

9. QVOD DEDERAT, SVMPSERIT.] *Mirè intricant libri: & hæc Muretiana, præter ipſos. Mitto alios, meus:* Quantum autem, exiſtimas, intereſt, vtrùm aliquid quod dederat, vel quod præſtarat, ſumpſerit, an beneficium. *Alludunt alij, & Eraſmi quidam codices*, vtrùm aliquis de ratâ quod præſtaret ſumpſerit. *Nos concinnamus:* exiſtimas, intereſt, vtrùm aliquis de arcâ, vel quod præſtò erat, ſumpſerit, an beneficium. *Veriſsimè, opinor. Quid cenſes, inquit, intereſſe, vtrùm aliquis domo & ab arcâ, paratam pecuniam ſumpſerit; an vt poſſet benefacere, beneficium acceperit? id eſt, ipſe mutuum ſumptum, alteri dederit? De ſententiâ, nec ambigo; vix de ſcripturâ.*

10. SATIS SCRVTATI SVMVS.] *Libris De Beneficiis.*

11. PLVS

uasti mihi filium, sed patrem abstulisti. Alia deinceps, per quæ procedit omnis collatio, A
prosequetur: & si pusillum erit quod interfit, dissimulabit. Etiam si multum fuerit, si
id donari saluâ pietate ac fide poterit, remittet: id est, si ad ipsum tota pertinebit iniuria.
Summa rei hæc est. facilis erit in commutando: patietur [11] plus imputari sibi. inuitus
beneficium per compensationem iniuriæ soluet: in hanc partem inclinabit, huc verget,
vt cupiat debere gratiam, cupiat referre. Errat enim, si quis beneficium libentiùs accipit,
quàm reddit. Quanto hilarior est qui soluit, quàm qui mutuatur; tanto debet lætior es-
se, qui se maximo ære alieno accepti beneficij exonerat, quàm qui accipiens cùm maxi-
mè obligatur. Nam in hoc quoque falluntur ingrati, quòd creditori quidem, præter sor-
tem, extra ordinem numerant: beneficiorum autem vsum esse gratuitum putant. Et illa
crescunt morâ: tantoque plus soluendum est, quanto tardiùs. Ingratus est, qui benefi-
cium reddit sine vsurâ. Itaque huius quoque rei habebitur ratio, cùm conferentur acce-
pta & expensa. Omnia facienda sunt, vt quàm gratissimi simus. nostrum enim in hoc
bonum. quemadmodum iustitia non est, vt vulgò creditur, ad alios pertinens; maxima B
pars eius in se redit. Nemo non cùm alteri prodest, sibi profuit. Non eo nomine dico,
quòd volet adiuuare adiutus, protegere defensus, quòd bonum exemplum circuitu ad
facientem reuertitur: sicut mala exempla recidunt in auctores, nec vlla miseratio con-
tingit his, qui patiuntur iniurias, quas posse fieri, faciendo docuerunt: sed quòd virtu-
tum omnium pretium in ipsis est. Non enim exercentur ad præmium: rectè facti, fe-
cisse merces est. Gratus sum. non vt alius mihi libentiùs præstet, priori irritatus exem-
plo: sed vt rem iucundissimam ac pulcherrimam faciam. Gratus sum. non quia expe-
dit; sed quia iuuat. Hoc vt scias ita esse, si gratum esse non licebit, nisi vt videar ingratus,
si reddere beneficium non aliter quàm per speciem iniuriæ potero; æquissimo animo ad
honestum consilium, per mediam infamiam, tendam. Nemo mihi videtur pluris æsti-
mare virtutem, nemo illi magis esse deuotus, quàm qui boni viri famam perdidit, ne
conscientiam perderet. Itaque, vt dixi, maiore tuo, quàm alterius bono gratus es. Illi
enim vulgaris & quotidiana res contigit, recipere quod dederat: tibi magna, & ex bea- C
tissimo animi statu profecta, gratum fuisse. Nam si malitia miseros facit, virtus beatos,
gratum autem esse virtus est: rem vsitatam reddidisti, inæstimabilem consecutus es, con-
scientiam grati: quæ nisi in animum diuinum, fortunatumque non peruenit. In con-
trarium autem huic affectum, summa infelicitas vrget. Nemo si ingratus est, non miser
erit: non differo illum, statim miser est. Itaque ingrati esse vitemus, non alienâ caussâ,
sed nostrâ. Minimum ex nequitiâ leuissimumque ad alios redundat: quod pessimum
ex illâ est, & ([12] vt ita dicam) spississimum, domi remanet, & premit habentem. quem-
admodum Attalus noster dicere solebat, *Malitia ipsa* [13] *maximam partem veneni sui bi-
bit.* Illud venenum, quod serpentes in alienam perniciem proferunt, sine suâ continent,
non est huic simile: hoc, habentibus pessimum est. Torquet ingratus se, & macerat:
odit quæ accepit, quia redditurus est, & extenuat: iniurias verò dilatat atque auget. Quid
autem eo miserius, cui beneficia excidunt, hærent iniuriæ? At contrà sapientia exornat
omne beneficium, ac sibi ipsa commendat, & se assiduâ eius commemoratione delectat. D
Malis vna voluptas est, & hæc breuis, dum accipiunt beneficia: ex quibus sapienti lon-
gum

11. PLVS IMPVTARI SIBI.] *Plus sibi deberi.*

12. VT ITA DICAM, SPISSISSIMVM.] *Suspicatur Pincianus* pessissimum: *& ita sanè quidam libri. Tamen non mutem. At cur igitur præfatur,* vt ita dicam? *non quia vox inusitata, sed quia metaphora audacior videri possit.*

13. MAXIMAM PARTEM VENENI SVI.] *Pulcherrimè. Ita Hierax Pythagoricus:* Iniuria, *inquit*, & malitia ab auctore incipiens, in illum qui afficitur, redundat. Sed ipsum auctorem inprimis lædit, minùs eum qui patitur. Ἐπεὶ καὶ ἀπ' αὐτῆς τὴν κίνησιν λαμβάνει, καὶ τὴ ἔπαρσιν. ἐγειρομένη τοίνυν, τὸ τέκοντα πρῶτον ἀνάπτει, καὶ πρὶν τεκεῖν ἐν ταῖς ὠδῖσι φλέγει, καὶ δίεστα λυμαίνεται, καὶ τῷ ἐπ' αὐτῆς ἰῷ χρώζει δυσποιῷ τῇ βαφῇ: Quoniam ab ipso auctore & motum, & incrementum accipit. Excitata igitur, eum qui parit primùm apprehendit, & ante partum in ipsis nixibus conatibusque adurit, & transiens lædit, & suo veneno tingit, colore pessimo. *Et statim:* Οὕτω καὶ πᾶς ἄδικος, αὐτὸς πρῶτος κακίας γεύεται, πρὶν εἰς ἄλλους ἀφιέναι: Ita quiuis improbus priùs malitiam suam ipse bibit & degustat, priusquam in alios emittat. *Dicas ex illo sumpsisse nostrum: quem etiam vide epistolâ* LXXXVII.

14. SEN-

A gum gaudium manet,ac perenne.Non enim illum accipere,ſed accepiſſe delectat: quod immortale eſt, & aſſiduum. Illa contemnit, quibus læſus eſt: nec obliuiſcitur per negligentiam, ſed volens. Non vertit omnia in peius : ſed nec quærit cui imputet caſum , & peccata hominum ad fortunam potiùs refert. Non calumniatur verba,nec vultus:quidquid accidit, benignè interpretando leuat : nec offenſæ potiùs, quàm beneficij meminit. Quantum poteſt, in priore ac meliore ſe memoriâ detinet; nec mutat animum aduerſus benè meritos,niſi multum malefacta præcedant,& manifeſtum etiam conniuenti diſcrimen eſt : tunc quoque in hoc dumtaxat, vt talis ſit poſt maiorem iniuriam,qualis ante beneficium. Nam cùm beneficio par eſt iniuria, aliquid in animo beneuolentiæ remanet. Quemadmodum reus [14] ſententiis paribus abſoluitur, & ſemper quidquid dubium eſt,humanitas inclinat in melius : ſic animus ſapientis, vbi paria maleficiis merita ſunt,deſinet quidem debere,ſed non deſinet velle debere : & [15] hoc facit , quod qui poſt tabulas nouas ſoluunt. Nemo autem gratus eſſe poteſt, niſi contempſerit iſta, pro-
B pter quæ vulgus inſanit. Si referre vis gratiam ; & in exſilium eundum eſt, & effundendus ſanguis, & ſuſcipienda egeſtas, & ipſa innocentia ſæpè maculanda, indigniſque obiicienda rumoribus. Non paruo ſibi conſtat homo gratus. Nihil carius æſtimamus, quàm beneficium , quamdiu petimus : nihil vilius , cùm accepimus. Quæris quid ſit, quod obliuionem acceptorum nobis faciat ? cupiditas accipiendorum. cogitamus non quid impetratum, ſed quid impetrandum ſit. Abſtrahunt à recto diuitiæ, honores, potentia,& cetera, quæ opinione noſtrâ cara ſunt, pretio ſuo vilia. Neſcimus æſtimare res: de quibus non cum famâ, ſed cum rerum naturâ deliberandum eſt. Nihil habent iſta magnificum, quo mentes in ſe noſtras trahant, prẹter hoc,quòd mirari illa conſueuimus. Non enim quia concupiſcenda ſunt, laudantur; ſed concupiſcuntur, quia laudata ſunt : & cùm ſingulorum error publicum fecerit, ſingulorum errorem facit publicus. Sed quemadmodum illa credimus, ſic & in hoc fidei populi credamus , nihil eſſe grato animo honeſtius. Omnes hoc vrbes,omnes etiam ex barbaris regionibus gentes conclama-
C bunt : in hoc bonis maliſque conueniet. Erunt qui voluptates laudent, erunt qui labores malint : erunt qui dolorem maximum malum dicant , erunt qui ne malum quidem appellent : diuitias aliquis ad ſummum bonum admittet,alius illas dicet humanæ malo vitæ repertas : nihil eſſe eo locupletius, cui quod donet fortuna non inuenit. In tantâ iudiciorum diuerſitate,referendam benè merentibus gratiam,omnes vno tibi,quod aiunt, ore affirmabunt : in hoc tam diſcors turba conſentiet , cùm interim iniurias pro beneficiis reddimus. Et prima cauſſa eſt, cur quis ingratus ſit,ſi ſatis gratus eſſe non potuit. Eò perductus eſt furor, vt periculoſiſſima res ſit,beneficia in aliquem magna conferre. nam quia putat turpe non reddere; non vult eſſe, cui reddat. Tibi habe, quod accepiſti : non repeto, non exigo. profuiſſe tutum ſit. Nullum eſt odium pernicioſius, quàm ex beneficij violati pudore.

14. SENTENTIIS PARIBVS.] *Seneca pater Con-*
D *trouerſiâ* III. *lib.* I. *itemq́ primâ , libri* III.

15. HOC FACIET , QVOD QVI POST TABVLAS.] *E Pinciani duobus libris hæc ſunt, & boni argutiq́ ſenſus. Tamen meus auctior :* hoc facit, quod qui accepto quidem præſtauerat vſuram vel huiuſmodi remittit , vel tabulas nouas ſoluit. *Alij aſſident: quid dicam, hæreo. A gloſſulis, aut interpolatione,hæc omnia eſſe? vix probabile eſt. Tentabam obiter:* hoc faciet, quod qui accepto quod prærogauerat,vſuram vel eius modum remittit ; vel,tabulis nouis , ſoluit. *Sed haud ſatis hæc ſententiæ applico.* Tabulas nouas *ſcimus eſſe, cùm æs alienum remittitur, & noui igitur Codices fiunt.*

A

EPIST. LXXXII.

CONTRA *delicias, & mollem vitam: itemque otium ignauum. ſtudiis id dedicandum eſſe: & præſertim Philoſophiæ, quæ muniat contra metus, & externa omnia mala, contra ipſam mortem. Fruſtrà in hanc nos argutiis aut Sophiſmatis armari; & obiter contra facientes. Mortem per ſe indifferentem eſſe: ſed talem, aut talem, honeſtam; & contrà. Iterumque contra cauillatores. Bona.*

DESII iam de te eſſe ſolicitus. Quem, inquis, deorum ſponſorem accepiſti? eum ſcilicet qui neminem fallit, animum, recti ac boni amatorem. In tuto pars tui melior eſt. poteſt fortuna tibi iniuriam facere: quod ad rem magis pertinet, non timeo ne tu facias tibi. I, quà cœpiſti: & in iſto te vitæ habitu compone, placidè, non molliter. Malè tibi eſſe malo, quàm molliter. Malè nunc ſic accipe, quemadmodum à populo ſolet dici, durè, aſperè, laboriosè. Audire ſolemus ſic quorumdam vitam laudari, quibus inuidetur: *Molliter viuit.* hoc dicunt, malus eſt. Paullatim enim effæminatur animus, atque in ſimilitudinem otij ſui & pigritiæ, in quâ iacet, ſoluitur. Quid ergo? viro non vel obrigeſcere ſatius eſt? Deinde delicati timent mortem, cui vitam ſuam fecere ſimilem. Multum intereſt inter otium, & conditiuum. Quid ergo, inquis, non ſatius eſt vel ſic iacere, quàm iſtis officiorum vorticibus volutari? Vtraque res letalis eſt, & contractio, & torpor. Puto, æquè [1] qui in odoribus iacet mortuus eſt, quàm qui rapitur vnco. Otium ſine litteris mors eſt, & hominis viui ſepultura. Quid denique prodeſt ſeceſſiſſe, tamquam non trans maria nos ſolicitudinum cauſſæ perſequantur? Quæ latebra eſt, in quam non intret metus mortis? quæ tam munita, & in altum ſubducta vitæ quies, quam non dolor territet? Quocumque te abdideris, mala humana circumſtrepent. Multa extra ſunt, quæ circumeunt nos, quò aut fallant, aut vrgeant: multa intus, quæ etiam in mediâ ſolitudine exæſtuant. Philoſophia circumdanda eſt, [2] inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis [3] laceſſitum non tranſit. In inſuperabili loco ſtat animus, qui externa deſeruit, & arce ſe ſuâ vindicat: infra illum omne telum cadit. Non habet, vt putamus, fortuna longas manus: neminem occupat, niſi hærentem ſibi. Itaque quantum poſſumus, ab illâ reſiliamus: quod ſola præſtabit ſui naturæque cognitio. Sciat quò iturus ſit, vnde ortus: quod illi bonum, quod malum ſit: quid petat, quid deuitet: quæ ſit illa ratio, quæ appetenda ac fugienda diſcernat, quâ cupiditatum manſueſcit inſania, timorum ſæuitia compeſcitur. Hæc quidam putant ipſos etiam [4] ſine philoſophiâ repreſſiſſe: ſed cùm ſecuros aliquis caſus expertus eſt, exprimitur ſera confeſſio. Magna verba excidunt, cùm tortor popoſcit manum, cùm mors propiùs acceſſit. Poſſis illi dicere: Facilè prouocabas mala abſentia: ecce dolor, quem tolerabilem eſſe dicebas: ecce mors, quam contra multa animosè locutus es: ſonant flagella, gladius micat:

B

C

Nunc animis opus Ænea, nunc pectore firmo.

D

Faciet autem illud firmum aſſidua meditatio: ſi non verba exercueris, ſed animum: ſi contra mortem te præparaueris: aduerſus quam non exhortabitur, nec attollet, qui cauillationibus tibi perſuadere tentauerit, mortem malum non eſſe. Libet enim, Lucili virorum optime, ridere ineptias Græcas, quas nondum, [5] quamuis mirer, excuſſi. Zeno noſter hac collectione vtitur: Nullum malum glorioſum eſt: mors autem glorioſa eſt:

mors

EPIST. LXXXII. 1. QVI IN ODORIBVS IACET.] *Simile hoc prouerbiale, in Theognide:* Ἀπάλαθοι δ' ἐτάπησιν ὅμοιον σῶμα θανόντι.

2. INEXPVGNABILIS MVRVS.] *Dixi aliquid Manud.* III. *Diſſert.* I.

3. LACESSITVM NON TRANSIT.] *Meus*, non traxit: *quod eſſet, deiecit, euertit.*

4. SINE PHILOSOPHIA REPRESSISSE.] *Neſcio an*, repperiſſe, *aptius; vt priora omnia complectatur.*

5. QVAMVIS MIRER.] *Imò damnas, non miraris. Legebam olim*, quamuis iners. *Nunc melius arbitror, litterâ additâ:* quamuis mirêre. *Licet mireris, & tacitus carpas, nondum abieci.*

6. VBI

A mors ergo non eſt malum. Profeciſti. liberatus ſum metu: poſthæc, non dubitabo porrigere ceruicem. Non vis ſeueriùs loqui, nec morituro riſum mouere? Non mehercule facilè tibi dixerim, vtrùm ineptior fuerit, qui ſe hac interrogatione iudicauit mortis metum exſtinguere: an qui hoc tamquam ad rem pertineret, conatus eſt ſoluere. Nam & ipſe interrogationem contrariam oppoſuit, ex eo natam, quòd mortem inter Indifferentia ponimus, quæ ἀδιάφορα Græci vocant. Nihil, inquit, indifferens glorioſum eſt: mors autem glorioſum eſt: ergo mors non indifferens. Hæc interrogatio vides [6] vbi obrepat. mors non eſt glorioſa, ſed fortiter mori glorioſum eſt: & cùm dicit, Indifferens nihil glorioſum eſt: concedo tibi ita, vt dicam, nihil glorioſum eſſe, niſi circa Indifferentia: [7] Indifferentia autem eſſe dico, nec bona, nec mala, tamquam morbum, dolorem, paupertatem, exſilium, mortem: nihil horum per ſe glorioſum eſt, nihil tamen ſine his. Laudatur enim non paupertas, ſed is quem non ſubmittit, nec incuruat: laudatur non exſilium, [8] ſed qui hoc non doluit: laudatur non dolor, ſed ille quem nihil coëgit dolor.

B Nemo mortem laudat, ſed eum cui mors antè abſtulit animum, quàm conturbauit. Omnia iſta per ſe non ſunt honeſta, nec glorioſa: ſed quidquid virtus ex illis adiit, tractauitque, honeſtum & glorioſum facit. Illa in medio poſita ſunt: intereſt, [9] vtrùm malacia illis an virtus manum admouerit. Mors enim illa, quæ in Catone glorioſa eſt, in Bruto ſtatim turpis eſt & erubeſcenda. [10] Hic eſt enim Brutus, qui cùm periturus mortis moras quæreret, [11] ad exonerandum ventrem ſeceſſit, & euocatus ad mortem, iuſſuſque præbere ceruicem: *Præbebo*, inquit, *ita viuam*. Quæ dementia eſt fugere, cùm retrò ire non poſſis? Præbebo, inquit, ita viuam. pænè adiecit, vel ſub Antonio. O hominem dignum, qui vitæ dederetur! Sed, vt cœperam dicere, vides ipſam mortem nec malum eſſe, nec bonum: Cato illâ honeſtiſſimè vſus eſt, turpiſſimè Brutus. Omnis res, quod non habuit decus, virtute additâ ſumit. Cubiculum lucidum dicimus: hoc idem obſcuriſſimum eſt nocte: dies illi lucem infundit, nox eripit. Sic iſtis quæ à nobis indifferentia ac media dicuntur, diuitiis, viribus, formæ, honoribus, regno: & contrà, mor-

C ti, exſilio, malæ valetudini, doloribus, quæque alia aut minùs aut magis pertimuimus: aut malitia, aut virtus dat boni vel mali nomen. Maſſa per ſe nec calida, nec frigida eſt. in fornacem coniecta concaluit: in aquam remiſſa refrixit. Mors honeſta eſt, per illud quod honeſtum eſt: id eſt virtus, & animus externa contemnens. Eſt & horum, Lucili, [12] quæ appellamus Media, grande diſcrimen. Non enim ſic mors indifferens eſt, quomodo vtrùm [13] capillos pares habeas, nécne: mors inter illa eſt, quæ mala quidem non ſunt, tamen habent mali ſpeciem. Sui amor eſt, & permanendi conſeruandique ſe inſita voluntas, atque aſpernatio diſſolutionis: quia videtur multa nobis bona eripere, & nos ex hac cui aſſueuimus rerum copiâ educere. Illa quoque res morti nos alienat, quòd hæc iam nouimus: illa ad quæ tranſituri ſumus, neſcimus qualia ſint, & horremus ignota. Naturalis præterea tenebrarum metus eſt, in quas adductura mors creditur. Itaque etiamſi

6. VBI OBREPAT.] *Latenter imponat.*

D 7. INDIFFERENTIA AVTEM ESSE DICO.] *Nos fusè Manud.* II. *Diſſert.* XXII.

8. SED QVI HOC NON DOLVIT.] *Meus, & quidam hîc auctiores:* non doluit, quamuis iſſet: *quod & in Pinciani fuit. Lego*, quamuis eſſet.

9. VTRVM MALACIA ILLIS.] *A Mureto eſt, & ſunt qui defendant. Mihi tamen certum libris credere, qui*, malitia, *ſcribunt. Opponit enim Virtuti, & eſt Græcorum ναυία.*

10. HIC EST ENIM BRVTVS.] *Decimus ille Brutus, qui à Mutinâ in Macedoniam fugam intendit, ſed perfidiâ hoſpitis captus in viâ & proditus eſt.*

11. AD EXONERANDVM VENTREM.] *Senecæ hoc fide nititur: nemo alius, quos hodie legimus, impegit. De Cn. Carbone hoc ſaltem Valerius lib.* IX. *cap.* XIII. qui tertio conſulatu ſuo, iuſſu Pompeij ad ſupplicium ductus, petiit à militibus demiſsè, vt ſibi aluum alleuiare, priuſquam exſpiraret, liceret: quò miſerrimè lucis vſu diutiùs frueretur. *At idem de noſtro hîc Bruto*: Exiguum & infelix momentum vitæ quanto dedecore emit? Nam à Furio comprehenſus, non ſolùm ceruicem gladio ſubtraxit, verùm etiam conſtantius eam præbere admonitus, ipſis his verbis iurauit: Ita viuam, dabo.

12. QVÆ APPELLAMVS MEDIA, GRANDE DISCRIMEN.] *Exſecutus ſum in Manuductione, loco dicto.*

13. CAPILLOS PARES.] *Hoc exemplo ſollenniter Stoici vtebantur, ex Laertio & Stobæo. Nihil autem intereſt ſcilicet, pares an impares habeam.*

etiamsi indifferens mors, non tamen inter ea est quæ facilè negligi possint: magnâ exer- A
citatione durandus est animus, vt conspectum eius accessumque patiatur. Mors con-
temni debet magis, quàm solet. multa enim de illâ credimus: multorum ingeniis cer-
tatum est, ad augendam eius infamiâm. Descriptus est carcer infernus, & perpetuâ no-
cte oppressa regio, in quâ ingens ianitor Orci,

Ossa super recubans antro semesa cruento,
Æternùm latrans exsangues territat vmbras.

Sed etiam cùm persuaseris ista fabulas esse, nec quidquam defunctis supereſſe quod ti-
meant, subit alius metus. [14] Æquè enim timent, ne apud inferos sint, quàm ne nus-
quam. His aduersantibus, quæ nobis infudit longa persuasio, fortiter pati mortem, quid
ni glorioſum sit, & inter maxima opera mentis humanæ? quæ numquam ad virtutem
exsurget, si mortem malum esse crediderit: exsurget, si putabit indifferens esse. Non re-
cipit rerum natura, vt aliquis magno animo accedat ad id quod malum iudicat: pigrè
veniet, & cunctanter: non est autem glorioſum, quod ab inuito & tergiuersante fit. ni- B
hil facit virtus, quia necesse est. Adiice nunc, quòd nihil honestè fit, nisi cui totus ani-
mus incubuit atque affuit, cui nullâ parte sui repugnauit. Vbi autem ad malum accedi-
tur, aut peiorum metu fit, aut spe bonorum, ad quæ peruenire tanti sit, deuoratâ vnius
mali patientiâ. Dissident inter se iudicia facientis. Hinc est, quod iubeat proposita per-
ficere: illinc, quod retrahat, & ab re suspectâ ac periculosâ fuget. Igitur in diuersa dis-
trahitur. Si hoc est, perit gloria. Virtus enim concordi animo decreta peragit: non ti-
met quod facit.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito;
Quàm tua te Fortuna sinet.

Non ibis audentior, si mala illa esse credideris. Eximendum hoc è pectore est: [15] alio-
quin hæsitabit impetum moratura suspicio. trudetur in id, quod inuadendum est. No-
stri quidem videri volunt Zenonis interrogationem veram esse, fallacem autem alteram
& falsam, quæ illi opponitur. Ego non redigo ista ad legem Dialecticam, & ad illos C
artificij veternosissimi nodos: totum genus istud exturbandum iudico, quo circumscri-
bi se qui interrogatur, existimat, & ad confessionem perductus aliud respondet, aliud
putat. Pro veritate simpliciùs agendum est: contra metum fortiùs. Hæc ipsa quæ vol-
uuntur ab illis, [16] soluere malim & expendere, vt persuadeam, non vt imponam. In
aciem educturus exercitum, pro coniugibus ac liberis mortem obiturum, quomodo ex-
hortabitur? Do tibi Fabios, totum Reip. bellum in vnam transferentes domum. Laco-
nas tibi ostendo, in ipsis Thermopylarum anguſtiis positos, nec victoriam sperantes, nec
reditum. ille locus illis sepulchrum futurus est. Quemadmodum exhortaris, vt totius
gentis ruinam, obiectis corporibus excipiant, & vitâ potiùs quàm loco cedant? Dices,
Quod malum est, glorioſum non est: mors glorioſa est: mors ergo non malum? O ef-
ficacem concionem! Quis post hanc dubitet se infestis ingerere mucronibus, & stans
mori? At ille Leonidas quàm fortiter illos allocutus est? *Sic*, inquit, *commilitones prande-
te, tamquam apud inferos cænaturi.* Non in ore creuit cibus, non hæsit in faucibus, non D
elapsus est manibus: alacres illi & ad prandium promiserunt, & ad cænã. Quid [17] dux
ille Romanus, qui ad occupandum locum milites missos, cùm per ingentem hostium
exercitum ituri essent, sic allocutus est? *Ire commilitones illò necesse est: vnde redire non est
necesse.* Vides quàm simplex & imperiosa virtus sit. Quem mortalium circumscriptio-
nes vestræ fortiorem facere, quem erectiorem possunt? Frangunt animum. qui num-
quam minùs contrahendus est, & in minuta ac spinosa cogendus, quàm cùm aliquid
[18] grande

14. ÆQVE ENIM TIMENT.] *Est solita hysterologia. & vult dictum: Aequè timent, ne nusquam sint (id est, pereant) quàm ne apud inferos.*

15. ALIOQVIN HÆSITABIT IMPETVM.] *Assentior Grutero,* hebetabit.

16. SOLVERE MALIM ET EXPENDERE.] *Imò verò,* expandere: *& ita illud* voluuntur *intelligetur. Dialectici contrahunt & conuoluunt, rhetores expandunt.*

17. DVX ILLE ROMANVS.] *Q. Cæditius, opinor. qui* CCCC. *milites duxit in montem, imò in mortem, per medios hostium cuneos. Agellius, & Florus in primo bello Punico, etsi alius aliter virum appellat.*

18. GRAN-

A [18] grande componitur. Non trecentis, ſed omnibus mortalibus mortis timor detrahi debet: quomodo illos docebis malum non eſſe? quomodo opiniones totius ævi, quibus protinus infantia imbuitur, euinces? quod auxilium inuenies? Quid dices imbecillitati humanæ? quid dices quo inflammati in media pericula irruant? quâ oratione hunc timendi conſenſum, quibus ingenij viribus obnixam contra te perſuaſionem humani generis auertes? verba mihi captioſa componis, & interrogatiunculas nectis. Magnis telis magna portenta feriuntur. Serpentem illam in Africâ ſæuam, & Romanis legionibus bello ipſo terribiliorem, fruſtrà ſagittis fundiſque petierunt. [19] Ne Python quidem vulnerabilis erat, cùm ingens magnitudo pro vaſtitate corporis ſolida, ferrum, & quidquid humanæ torſerant manus, reiiceret. [20] molaribus demum fracta ſaxis eſt: & aduerſus mortem tu tam minuta iacularis? ſubulâ leonem excipis? Acuta ſunt iſta quæ dicis. Nihil eſt acutius ariſtâ. quædam inutilia & inefficacia, ipſa ſubtilitas reddit.

B

EPIST. LXXXIII.

VIVENDVM, *vt coram Deo inſpectore & arbitro. Adiungit de ſuâ tunc vitâ, temperantiâ, vigilantiâ. Iterùm (vt priore epiſtolâ) contra μικρολόγες, & qui minutis ſermonibus aut cauillis Sapientiam eneruant. Docet ab ipſo Zenone, contra Ebrietatem diſſerente. Atqui fortiùs clariuſque agendum: & exemplum præbet, & vitium illud damnat. Bona.*

SINGVLOS dies tibi meos, & quidem totos, indicari iubes. Benè de me iudicas, ſi nihil eſſe in illis putas, quod abſcondam. Sic certè viuendum eſt, tamquam in conſpectu viuamus: ſic cogitandum, tamquam aliquis in pectus intimum inſpicere poſſit: & poteſt. Quid enim prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum? [1] nihil Deo cluſum eſt. Intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis interuenit. Sic interuenit dico,
C [2] tamquam aliquando diſcedat. Faciam ergo quod iubes, & quid agam, & quo ordine libenter tibi ſcribam. obſeruabo me protinus: & quod eſt vtiliſſimum, diem meum recognoſcam. Hoc nos peſſimos facit, quòd nemo vitam ſuam reſpicit. Quid facturi ſimus, cogitamus, & id rarò: quid fecerimus, non cogitamus. atqui conſilium futuri ex præterito venit. Hodiernus dies ſolidus eſt. nemo ex illo quidquam mihi eripuit: totus inter ſtratum lectionemque diuiſus eſt. Minimum exercitationi corporis datum: & hoc nomine ago gratias ſenectuti. non magno mihi conſtat: cùm me moui, laſſus ſum. Hic autem exercitationis, etiam fortiſſimis, finis eſt. [3] Progymnaſtas meos quæris? vnus mihi ſufficit [4] Earinus, puer (vt ſcis) amabilis: ſed mutabitur. Iam aliquem teneriorem

18. GRANDE COMPONITVR.] *Meus*, componit.

19. NE PYTHON QVIDEM.] *Meus, & quidam,*
D Nephitio: *ex quo ingeniosè P. Faber*, ne Pythio: *quaſi dicat, nec Apollo ille, qui Pythonem occidit, hanc læſerit. Sed profectò audacius & elatius hoc ſit: ac planè Eraſmo aſſentior*, ne pilo quidem. *Creſcit enim oratio, Non ſagittæ, non fundâ lapides, non pili vehementior iactus potuit, ſed tormenta denique occiderunt.*

20. MOLARIBVS DEMVM FRACTA.] *Quos balliſtæ intorquebant. Valerium vide lib. 1. Oroſium, Agellium, Plinium.*

EPIST. LXXXIII. 1. NIHIL DEO CLVSVM EST.] *Efficax & pium dogma! quod Epictetus aliquoties inculcat. vt lib. 11. Diſſert. cap. VIII.* Dei ſtatuâ aut ſimulacro præſente, non auſis tale aliquid facere, qualia facis: ipſo autem Deo intrinſecus præſente, & omnia inſpiciente & audiente, non verecundaris hæc cogitare, hæc agere, ô ignare naturæ tuæ, & Diis infeſte? *Iterum lib. 1. cap. XIV. cùm præmiſiſſet Deum omnia intueri, omnibus adeſſe, magis quàm Solem:* tamen, *inquit,* etiam cuſtodem cuique noſtrûm addidit, & Genium curatorem. Cùm igitur fores obduxeris, & tenebras intus feceris, ne ſuccurrat dicere, Solus ſum: non enim es: ſed Deus intus eſt, & Genius noſter intus eſt. quibus quid opus illato lumine, vt videant quid faciatis? *Ille autem Genius, eſt habitans in nobis Deus, vt Seneca hîc ſentit: etſi de adſiſtente etiam capias verè.*

2. TAMQVAM ALIQVANDO DISCEDAT.] *Atqui non diſcedit: & dictum ſic excuſat, pro hoc ſenſu, melius interrogatione efferri.*

3. PROGYMNASTAS MEOS.] *Habebant priuatim iſtos, velut* Præexercitores, *qui docebant & ducebant.*

4. EARINVS PVER.] *Quaſi vernus & floridus:*

rem quæro. Hic quidem ait, nos eamdem crisim habere, quia vtrique [5] dentes cadunt: A
sed iam vix illum assequor currentem, & intra pauciſſimos dies non potero. vide quid exercitatio quotidiana proficiat. Citò magnum interuallum fit, inter duos itinere diuerſo euntes. eodem tempore ille ascendit, ego descendo: nec ignoras, quanto ex his velociùs alterum fiat. Mentitus sum. iam enim ætas noſtra non descendit, sed cadit. Quomodo tamen hodiernum certamen nobis cesserit, quæris? quod rarò curſoribus euenit, [6] Hieran fecimus. Ab hac fatigatione magis, quàm exercitatione, in frigidam descendi. hoc apud me vocatur parùm calda. Ille tantus [7] Psychrolutes, qui Kalendis Ianuariis [8] in Euripum saltabam, [9] qui anno nouo quemadmodum legere, scribere, dicere aliquid, sic auſpicabar [10] in Virginem desilire, primùm [11] ad Tiberim tranſtuli castra: deinde [12] ad hoc solium, quod cùm fortiſſimus sum, & omnia bonâ fide fiunt, sol temperat. [13] non multum mihi ad balneum supereſt. [14] Panis deinde siccus, & [15] sine mensâ prandium: poſt quod non sunt lauandæ manus. Dormio minimùm. consuetudinem meâ noſti: breuiſſimo somno vtor, & [16] quasi interiungo. Satis est mihi, vigilare deſiiſse. aliquando dormiſſe me scio, aliquando suspicor. Ecce Circensium obſtrepit clamor: subitâ aliquâ & vniuersâ voce feriuntur aures meæ. nec cogitationem meam excutiunt, nec interrumpunt quidem. Fremitum patientiſſimè fero: multæ voces, & in vnum confuſæ, pro fluctu mihi sunt, aut vento siluam verberante, & ceteris sine intellectu sonantibus. Quid ergo est? nunc cui animum adiecerim, dicam. Supereſt ex heſterno mihi cogitatio, quid sibi voluerint prudentiſſimi viri, qui rerum maximarum probationes leuiſſimas & perplexas fecerunt: quæ vt sint veræ, mendacio tamen similes sunt. Vult nos ab ebrietate deterrere Zeno, vir maximus, huius sectæ fortiſſimæ ac sanctiſſimæ conditor. Audi ergo quemadmodum colligat, virum bonum non futurum ebrium. Ebrio secretum sermonem nemo committit: viro autem bono committit: ergo vir bonus ebrius non erit. Quemadmodum oppoſitâ interrogatione simili derideatur, attende. Satis enim est, vnam ponere ex multis. Dormienti nemo secretum sermonem committit: viro bono autem committit: ergo vir bonus non dormit. Quo vno modo poteſt, C
Poſidonius Zenonis noſtri cauſſam agit: sed ne sic quidem, vt exiſtimo, agi poteſt. Ait enim ebrium duobus modis dici: altero, cùm aliquis vino grauis est, & impos sui: alte-

ro,

& tali nomine delicie etiam Domitiani. Tamen meus & plures ſcripti, Farius. *quaſi à Faro & Aegypto puer, vnde lepidi & amœni.*

5. DENTES CADVNT.] *Suprà, epiſt.* XII.

6. HIERAN FECIMVS.] *Admota adhuc magis lux his verbis, quàm illata. Fallor, aut vnus Polybij locus eſt, qui faciat, cùm ſcribit libro* I. *de Pœnis & Romanis*, diu illos in Siciliâ decertaſſe, neque malis victos, vt Fabius ait, deſtitiſſe: sed tandem, *inquit*, ὡς ἂν ἀπαθεῖς καὶ ἀήττητοί τινες ἄνδρες ἱερὸν ἐποιήσαντο στέφανον: velut indefeſſi & inuicti viri atque athletæ, sacram coronam fecêre. *Planè, quod hic noſter, dicit: eos paria feciſſe in certamine, & vtrumque coronam demeruiſſe, neque cepiſſe. Credo enim moris fuiſſe, vt in victoriâ ambiguâ, & cùm pares in metâ: Deo corona ſacraretur, ideoq; prouerbium.* ἱερὸν ποιεῖσθαι: *nempe* τὸ στέφανον. *Quod noſter dixit,* ἱερὰν, *ad* coronam *adſpectans. Ita arbitror. alij ad* lineam sacram *referunt, quæ (vt aiunt) in medio Stadio; vel in luſu calculorum. Aiunt, parùm probant, aut huc aptant. Adde tamen, ſi lubet, notata mihi epiſt.* XLIX.

7. PSYCHROLVTES.] *Hoc ſe nomine ſuprà decorat, & iactat, epiſt.* LIII. *Idem de ſe Horatius* I. *epiſt.* XV.

—— gelidâ cùm perluor vndâ
Per medium frigus.

8. IN EVRIPVM SALTABAM.] *Qui hortis & prætoriis, ex more erant. Foſſæ, & incilia cum aquis.*

9. QVI ANNO NOVO.] *Moris, vt Kalendis Ianuarij quiſque artes ſuas aut opificia delibaret, auſpicij cauſſâ. Ita ego, inquit, tunc ſollenniter in frigidam deſiliebam. De more, videſis quæ ſcripſi ad Annalem Taciti* IV. *in verba*, Druſum auſpicandi gratiâ tribunal ingreſſum.

10. IN VIRGINEM DESILIRE.] *Hanc ſignatè nominat, quia frigida cumprimis: & ideò appetita Pſychrolutis. Martialis:*

Virgine vis solâ lotus abire domum. D
Alibi, crudam Virginem *dicit.*

11. AD TIBERIM.] *Qui mitior Virgine, & egelidior.*

12. AD HOC SOLIVM.] *Quo domi nunc vtor, aquâ à Sole, ſi non ab igne, temperatâ.*

13. NON MVLTVM MIHI AD BALNEVM.] *Quo gloriatur in omnem vitam ſe abſtinuiſſe, epiſtolâ* CVIII.

14. PANIS DEINDE SICCVS.] *Sine obſonio.*

15. SINE MENSA PRANDIVM.] *Quod ſtans, & de manu ſumebat.*

16. QVASI INTERIVNGO.] *Ita meliores libri, & eſt honeſta traductio ab aurigis. Vide De Tranquil. cap.* XV. *Alij tamen*, interuigilo, *legunt & tuentur: faciant, in re coimus.*

17. SI SO-

A ro, [17] si solet ebrius fieri, & huic obnoxius vitio est. Nunc à Zenone dici qui soleat fieri ebrius, non qui sit. Huic autem neminem commissurum arcana, quæ per vinum eloqui possit. quod est falsum. Prima enim illa interrogatio complectitur eum qui est ebrius, non eum qui futurus est. Plurimum enim interesse concedes inter ebrium & ebriosum, potest & qui ebrius est, tunc primùm esse, nec habere hoc vitium: & qui ebriosus est, sæpè extra ebrietatem esse. Itaque id intelligo, quod significari verbo isto solet: præsertim cùm ab homine diligentiam profesto ponatur, & verba examinante. Adiice nunc, quòd si hoc intellexit Zeno, & nos intelligere voluit, ambiguitate verbi quæsiuit locum fraudi: quod faciendum non est, vbi veritas quæritur. Sed sanè hoc senserit: quod sequitur, falsum est, ei qui soleat ebrius fieri, non committi sermonem secretum. Cogita enim quàm multis militibus, non semper sobriis, & imperator, & tribunus, & centurio, tacenda mandauerit. De illâ C. Cæsaris cæde, illius dico qui superato Pompeio Rempublicam tenuit, tam creditum est Tillio Cimbro, quàm C. Cassio.
B Cassius totâ vitâ aquam bibit: Tillius Cimber & nimius erat in vino, [18] & scordalus. In hanc rem iocatus est ipse: *Ego*, inquit, [19] *quemquam feram, qui vinum ferre non possum?* Sibi quisque nunc nominet eos, quibus scit & vinum malè credi, & sermonem benè. Vnum tamen exemplum, quod occurrit mihi, referam, ne intercidat. Instruenda est enim vita exemplis illustribus. non semper confugiamus ad vetera. [20] L. Piso, vrbis custos, ebrius [21] ex quo semel factus est, fuit. maiorem partem noctis in conuiuio exigebat: vsque in horam sextam ferè dormiebat: hoc erat eius matutinum. Officium tamen suum, quo tutela vrbis continebatur, diligentissimè administrauit. Huic & diuus Augustus dedit secreta mandata, cùm illum [22] præponeret Thraciæ, quam perdomuit: & Tiberius proficiscens in Campaniam, cùm multa in vrbe & suspecta relinqueret & inuisa. [23] Puto quia illi benè cesserat Pisonis ebrietas, posteà [24] Cossum fecit vrbis præfectum, virum grauem, moderatum, sed mersum vino, & madentem: adeò, vt ex senatu aliquando, in quem è conuiuio venerat, oppressus inexcitabili somno, tolleretur. Huic
C tamen Tiberius multa suâ manu scripsit, quæ committenda ne ministris quidem suis iudicabat. Nullum Cosso aut priuatum secretum, aut publicum elapsum est. Itaque declamationes istas de medio remoueamus. Non est animus in suâ potestate, ebrietate deuinctus. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in summam partem vis caloris eiectat: sic vino exæstuante, quidquid in imo iacet abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita ne secretum quidem: quod suum alienumque est, pariter effundunt. Sed quamuis hoc soleat accidere, ita & illud solet, vt cum his quos scimus libentiùs bibere, [25] de rebus necessariis deliberemus. Falsum est ergo hoc, quod patrocinij loco ponitur, ei qui soleat ebrius fieri, [26] non dari tacitum. Quanto satius est, apertè accusare ebrietatem, & vitia eius exponere? quæ etiam tolerabilis homo vitauerit, nedum perfectus ac sapiens. cui satis est sitim exstinguere: qui etiam si quando orta est hilaritas, alienâ caussâ producta longiùs, tamen citra ebrietatem resistit. Nam de illo vi-

debi-

D

17. SI SOLET EBRIVS FIERI.] *Ita. si Græcè μέθυσον dixit, in vtrumque ea vox valet. At vix Latinis: & μεθυσικὸς, siue qui solet & gaudet,* Ebriosus *dicitur.*

18. ET SCORDALVS.] *Dixi epist.* LVI.

19. QVEMQVAM FERAM.] *Supra me dominum. nempe Cæsarem.*

20. L. PISO VRBIS CVSTOS.] *De quo Tacitus* VI. *Annalium, atque ego ibi: Suetonius Tiberij cap.* XLII.

21. EX QVO SEMEL FACTVS EST.] *Ita scripti meliores. si rectè; sensum puto, Post vnam illam ebrietatem, quæ Præfectum vrbis fecit, placuit semper esse ebrium. Vel etiam, Cùm semel in die ebrius; semper erat, non desistebat.*

22. PRÆPONERET THRACIÆ.] *Hæc in Tacito, & meo Commentario.*

23. PVTO QVIA BENE.] *Seiungenda à prioribus, vt distinxi. non enim Cossum præfecit iens in Campaniam Tiberius, sed quinquennio circiter pòst; quod ex Annalibus, & morte Pisonis, clarum.*

24. COSSVM FECIT.] *Cossum Cornelium Cn. F. Lentulum, qui Consul sub Augusto anno* DCCLII. *an filium eius, qui sub Tiberio Consul* DCCLXXVIII.

25. DE REBVS NECESSARIIS DELIBEREMVS.] *Imò consilia tunc non liberiora tantùm, sed meliora, in quibusdam præsertim ingeniis. de quo Plutarchum lege Quæst. Conuiu.* VII. *cap. vlt.*

26. NON DARI TACITVM.] *Sensus, non mandari aut credi secretum. Sed phrasis insolentior. an fortè,* non mudari tacitum?

debimus, [27] an ſapientis animus nimio vino turbetur, & faciat ebriis ſolita. Interim ſi A
hoc colligere vis, virum bonum non debere ebrium fieri, cur ſyllogiſmis agis? dic quàm turpe ſit, plus ſibi ingerere quàm capiat, & ſtomachi ſui non noſſe menſuram: quàm multa ebrij faciant, quibus ſobrij erubeſcant: nihil aliud eſſe ebrietatem, quàm voluntariam [28] inſaniam. Extende in plures dies illum ebrij habitum: numquid de furore dubitabis? nunc quoque non eſt minor, ſed breuior. Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum cariſſimum ſibi ac fideliſſimum inter epulas transfodit: & intellecto facinore, mori voluit, [29] certè debuit. Omne vitium ebrietas & incendit, & detegit: obſtantem malis conatibus verecundiam remouet. Plures enim pudore peccandi, quàm bonâ voluntate, prohibitis abſtinent. Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, ſed protrahit. tunc libidinoſus ne cubiculum quidem exſpectat, ſed cupiditatibus ſuis quantum petierint, ſine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: tunc petulans non linguam, non manum continet. Creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſæuo, malignitas liuido: B
omne vitium [30] detegitur & prodit. Adiice illam ignorationem ſui, dubia & parùm explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum: ſtomachi tormenta, cùm efferueſcit merum, ac viſcera ipſa diſtendit. Tunc tamen vtcumque tolerabile eſt, dum illi vis ſua eſt: quid cùm ſomno vitiatur, & quæ ebrietas fuit, cruditas facta eſt? Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes, bellicoſaſque, hoſtibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit: hæc contumaciſſimos, & iugum recuſantes, in alienum egit arbitrium: hæc inuictos acie mero domuit. Alexandrum, cuius modò feci mentionem, tot itinera, tot prœlia, tot hiemes, per quas, victâ temporum locorumque difficultate, tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt: intemperantia bibendi, & ille [31] Herculaneus ac fatalis ſcyphus condidit. Quæ gloria eſt, capere multum? Cùm penes te palma fuerit, & propinationes tuas ſtrati ſomno ac vomitantes recuſauerint, cùm ſuperſtes toti conuiuio C
fueris, cùm omnes viceris virtute magnificâ, & nemo tam vini capax fuerit; vincêris à dolio. M. Antonium, magnum virum & ingenij nobilis, quæ alia res perdidit, & in externos mores ac vitia non Romana traiecit, quàm ebrietas, [32] nec minor vino Cleopatræ amor? Hæc illum res hoſtem reipublicæ, hæc hoſtibus ſuis imparem reddidit, hæc crudelem fecit, cùm [33] capita principum ciuitatis cænanti referrentur, cùm inter apparatiſſimas epulas luxuſque regales ora ac manus proſcriptorum recognoſceret, cùm vino grauis, ſitiret tamen ſanguinem. [34] Intolerabile erat quod ebrius faciebat, etiam ſi ſobrius faceret: quanto intolerabilius, quòd hæc in ipsâ ebrietate faciebat? Ferè vinolentiam

27. AN SAPIENTIS ANIMVS.] *Stoicũ enim dogma eſt, Non fieri ebrium. Vide Manud.* III. *Differt.* XVIII.

28. INSANIAM.] *Ita Pythagoras aiebat,* τὴν μέθην μανίας εἶναι μελέτην: Ebrietatem inſaniæ eſſe meditationem.

29. CERTE DEBVIT.] *Aſſumptum eſt è vetere meâ coniecturâ. nam libri ferè*, debuit *aut* diruit, *quidam*, decuit. *In quibuſdam*, *&* eruit: *ex quo bene etiam Gruterus*, meruit.

30. DETEGITVR ET PRODIT.] *In meo*, detexitur, *in alius*, taxatur: *ex quo fecerim*, laxatur: *ſcilicet remoto omni verecundiæ repagulo aut freno.*

31. HERCVLANEVS SCYPHVS.] *Ita Plutarchus, in Alexandro:* quoſdam tradere, quòd ſcypho Herculis epoto, ſtatim in morbum incidiſſet. *Quis autem ille? In Athenæi* X I. *leges*, Boëotios primùm magnos quoſdam argenteos ſcyphos feciſſe, quos Herculaneos vocant, quia Hercules ille Boëotius ſit vſus. *Idem ſcriptor in* X I I. *oſtendit, ſcyphum eum l.batorium fuiſſe, & in extremâ menſâ vſurpatum. Nam* Herculem epulandi cupidiſſimum fuiſſe: ideoque apud homines, eius exemplo, morem obtinuiſſe, vt libantes nihil in calice vini relinquant. *Adde ex Nicetâ Choniate, de Camatero Logothetâ.* magnum edonem & bibo- D
nem fuiſſe, ſuperaſſe illos, in quorum manibus amphoræ, vt calices, verſabantur, καὶ τὸ σκύφον εἶχον ἀεὶ ὄπισθεν εἰπνιον τὸ Ἡρακλειον: & habebant ſemper poſt cænam illum ſcyphum Herculaneum.

32. NEC MINOR VINO, CLEOPATRÆ.] *Putarem*, vini.

33. CAPITA PRINCIPVM.] *In proſcriptione. nominatim Ciceronis.*

34. INTOLERABILE ERAT, QVOD.] *Concinnaui olim*: Intolerabile erat, quòd ebrius fieret? quanto intolerabilius. *Et libri ſcripti ſanè huc ducunt. Sententia eſt, Turpe erat illum Triumuirum & reip. curatorem palàm ebrium fieri: quid talia facere? At quidam libri quia habent*, quod ebrius faceret (*vt meus:*) *poſſis legere*, ebrius iacêret.

35. Vio-

A tiam crudelitas sequitur. [35] violatur enim exasperaturque sanitas mentis. Quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam ad minimam radij solis offensionem: ita ebrietates continuæ efferant animos. Nam cùm sæpè apud se non sint, [36] consuetudine insaniæ durata vitia, vino concepta, etiam sine illo valent. Dic ergo, quare sapiens non debeat ebrius fieri. Deformitatem rei & importunitatem ostende rebus, non verbis: quod facillimum est. Proba istas, quæ voluptates vocantur, vbi transcenderint modum, pœnas esse. Nam si illud argumentaberis, [37] sapientem multo vino inebriari, & retinere rectum tenorem, etiam si temulentus sit: licet colligas, nec veneno poto moriturum, [38] nec sopore sumpto dormiturum, nec elleboro accepto quidquid in visceribus hærebit, [39] eiecturum, deiecturumque. Sed si tentantur pedes, lingua non constat: quid est, quare illum existimes in parte sobrium esse, in parte ebrium?

B

EPIST. LXXXIV.

Stilvm lectionemque alternanda esse. Lecta autem, in succum vnum vertenda, & nostra facienda. Denique adhortatio ad Sapientiam. Bona & vtilia monita.

Itinera ista quæ segnitiam mihi excutiunt, & valetudini meæ prodesse iudico, & studiis. Quare valetudinem adiuuent, vides: cùm pigrum me, & negligentem corporis, litterarum amor faciat, [1] alienâ operâ exerceor. Studiis quare prosint, indicabo. [2] A lectionibus recessi. Sunt autem, vt existimo, necessariæ. primùm, ne sim me vno contentus: deinde, vt cùm ab aliis quæsita cognouero, tum & de inuentis iudicem, & cogitem de inueniendis. Alit lectio ingenium: & studio fatigatum, non sine studio tamen, reficit. Nec scribere tantùm, nec tantùm legere debemus. altera res contristabit, & vires exhauriet: de stilo dico: altera soluet ac diluet. Inuicem hoc illo commutandum
C est, & alterum altero temperandum: vt quidquid lectione collectum est, stilus redigat in corpus. [3] Apes (vt aiunt) debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde quidquid attulêre, disponunt, ac per fauos digerunt; &, vt Virgilius noster ait,

——— liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

De illis non satis constat, vtrùm succum ex floribus ducant, qui protinus mel sit: an quæ collegerunt, in hunc saporem mixturâ quadam, & proprietate spiritus sui, mutent. Quibusdam enim placet, non faciendi mellis scientiam esse illis, sed colligendi. Aiunt inueniri apud Indos [4] mel in arundinum foliis, quod aut ros illius cæli, [5] aut

35. Violatvr enim.] *Libri*, vilatur, villatur, *meus*, vellatur. *ex quo Pincianus* belluatur, *ingeniosè faciebat. Ego suspicor*, fellatur, *amarescit &*
D *bilescit, à felle. quod nouitium nobis verbum: sed & alia in Senecâ. An &*, biliatur, *à bile mauis?*

36. Consvetvdine insaniæ dvrata.] *Liber meus & quidam*, consuetudo. *Lego:* Nam cùm sæpè apud se non sint, consuetudo insaniæ durat, ac vitia vino concepta etiam s. i. valent. *Vera eius mens, & lectio. Sæpè per ebrietatem à se abeunt: & vt redeant, manet consuetudo insaniendi, ac vini vitia sine vino.*

37. Sapientem mvlto vino.] *Vide Paradoxum istud, in Manuduct.* III. *Dissert.* XVIII.

38. Nec sopore svmpto.] *Ita vocat soporiferum medicamen. vt Aemilius Probus in Dione, & noster* V. *De Benefic.*

39. Eiectvrvm deiectvrvmqve.] *Si vox altera non supereſt (nec puto) accipe*, Eiectu-rum *supernè*, Deiecturum *infernè. Vis vtraque helleboro.*

EPIST. LXXXIV. 1. Aliena opera.] *Equorum qui in essedo vehunt, aut seruorum in sellâ.*

2. A lectionibvs recessi.] *Imò cum quibusdam libris*, non recessi: *& sequentia docent. Sequela etiam sermonis & illatio postulat. Quare prosint studiis? quia gestatio legere non impedit, vel certè legentem audire. Itaque meus & aliquot scripti*, à lectoribus *habent: & statim*, necessarij.

3. Apes, vt aivnt.] *Hæc omnia transscripsit Macrobius* I. *Saturn. initio.*

4. Mel in arvndinvm foliis.] *Strabo lib.* XV. Εἴρηκε δὲ καὶ περὶ τῶν καλάμων ὅτι ποιοῦσι μέλι, μελιασσῶν μὴ ὄντων: Dicitur quòd & ex arundinibus mel faciant, cùm apes non habeant. *Intelligunt nostrum istud* Saccharum, *Arabicâ voce dictum.*

5. Avt

[5] aut ipsius arundinis humor dulcis & pinguior gignat. In nostris quoque herbis vim A eamdem, sed minùs manifestam & notabilem poni: quam persequatur & contrahat animal huic rei genitum. Quidam existimant, conditurâ & dispositione in hanc qualitatem verti, quæ ex tenerrimis virentium florentiumque decerpserint: non sine quodam, vt ita dicam, fermento, quo in vnum diuersa coalescunt. Sed ne ad aliud, quàm de quo agitur, abducar, nos quoque apes debemus imitari, & quæcumque ex diuersâ lectione congesserimus, separare. meliùs enim distincta seruantur. Deinde adhibitâ ingenij nostri curâ & facultate, in vnum saporem varia illa libamenta confundere: vt etiam si apparuerit vnde sumptum sit, aliud tamen esse, quàm vnde sumptum est, appareat. quod in corpore nostro videmus, sine vllâ operâ nostrâ, facere naturam. Alimenta quæ accepimus, quamdiu in suâ qualitate perdurant, & solida innatant stomacho, onera sunt: at cùm ex eo quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires & in sanguinem transeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia, præstemus: vt quæcumque hausimus, non patiamur integra esse, ne aliena sint. Concoquamus illa: alioquin in memoriam ibunt, non B in ingenium. Assentiamur illis fideliter, & nostra faciamus, vt vnum quiddam fiat ex multis: sicut vnus numerus fit ex singulis, cùm minores summas & dissidentes computatio vna comprehendit. Hoc faciat animus noster. omnia quibus est adiutus, abscondat: ipsum tantùm ostendat, quod effecit. Etiamsi alicuius in te comparebit similitudo, quem admiratio tibi altiùs fixerit: similem esse te volo quomodo filium, non quomodo imaginem. Imago, res mortua est. Quid ergo? non intelligetur cuius imiteris orationem? cuius argumentationem? cuius sententias? Puto aliquando ne intelligi quidem posse, si magni viri. [6] nec enim omnibus, quæ ex quoque velut exemplaria traxit, formam suam impressit, vt in vnitatem illam competant. Non vides quàm multorum vocibus chorus constet? vnus tamen ex omnibus sonus redditur. aliqua illîc acuta est, aliqua grauis, aliqua media. accedunt viris fœminæ, interponuntur tibiæ: singulorum illîc latent voces, omnium apparent. De choro dico, [7] quem veteres philosophi nouerant. [8] In commissionibus nostris plus cantorum est, quàm in theatris olim spectatorum C fuit. [9] cùm omnes vias ordo canentium impleuit, & [10] cauea æneatoribus cincta est, & ex pulpito omne tibiarum genus organorumque consonuit, fit concentus ex dissonis. Talem animum esse nostrum volo, vt multæ in illo artes, multa præcepta sint, multarum ætatum exempla, sed in vnum conspirata. Quomodo, inquis, hoc effici poterit? assiduâ intentione: si nihil egerimus, nisi ratione suadente. hanc si audire volueris, dicet tibi: Relinque ista iamdudum, ad quæ discurritur. relinque diuitias, aut periculum possidentium, aut onus. relinque corporis atque animi voluptates: molliunt & eneruant. relinque ambitum: tumida res est, vana, ventosa. nullum habet terminum. tam solicita est, ne quem ante se videat, quàm ne post se alium. laborat inuidiâ, & quidem duplici.

Vides

5. AVT IPSIVS ARVNDINIS HVMOR.] *Illa veritas est. Lucanus* III.

Quique bibunt tenerâ dulces ab arundine succos.

Nec coctura etiam ignota iis fuit, ex Statio:

Et quas percoquit Ebusia cannas.

6. NEC ENIM OMNIBVS QVÆ.] *Turbant libri, & variant. Alij*, nec enim ex omnibus quæ ex quo velut exemplaria struxit, formam: *meus*, nec enim ex omnibus quæ heco vel ex quo. *Ego faciebam:* nec enim omnibus, quæ velut exemplaria struxit, ex æquo formam suam impressit, *traiectione aliquâ vocum. De sententiâ, vix ambigo eam esse. Ille magnus vir, inquit, cui similem te velis, non vbique sui similis, nec eadem semper stili forma. Itaque ne possis quidem æqualiter referre inæqualem.*

7. QVEM VETERES PHILOSOPHI.] *Quid philosophis cum choro? Mihi aut vox insititia est, aut mutanda potiùs in* philodi. *Nam Græcis* φιλῳδοὶ, cantus amantes.

8. IN COMMISSIONIBVS NOSTRIS.] *Omnino sic legendum: atque ita meus & meliores. Commissiones ludorum dici, satis notum est: & sequentia Senecæ palàm de ludis. At vidi qui pertinaciter* comessationes *retinent: quo argumento? quia in veterum conuiuiis, inquiunt, cantores, & tibicines, & citharistæ. Aliud nos doceant. Illud oportebat, tanto numero, quanto spectatores in theatris fuisse. Id autem quî potest? & quæ cœnatio sic capax? Sequentia etiam refutant.* D

9. CVM OMNES VIAS.] *Theatrorum. nam viæ inter cuneos, & præcinctiones. Vbique igitur (nota) ibi cantores dispositi. Viæ autem quomodo sint in triclinijs?*

10. CAVEA ÆNEATORIBVS.] *En, & hic theatrum. Tubicines autem sollenniter in ludis, ad committendos, & finiendos. Vide me Satur.* II. *cap.* XIX.

II. MAGNO

A Vides autem quàm miſer ſit is, cui inuidetur, ſi & inuidet? Intueris illas potentium domos, illa tumultuoſa, rixâ ſalutantium, limina? multum habent contumeliarum, vt intres: plus, cùm intraueris. Præteri iſtos gradus diuitum, & [11] magno aggeſtu ſuſpenſa veſtibula. [12] non in prærupto tantùm iſtic ſtabis, ſed in lubrico. Huc potiùs te ad ſapientiam dirige, tranquilliſſimaſque res, & ſimul ampliſſimas, pete. Quæcumque videntur eminere in rebus humanis, quamuis puſilla ſint, & comparatione humillimorum exſtent, per difficiles tamen & arduos tramites adeuntur. Confragoſa in faſtigium dignitatis via eſt. At ſi conſcendere hunc verticem libet, cui ſe fortuna ſubmiſit: omnia quidem ſub te, quæ pro excelſiſſimis habentur, adſpicies, ſed tamen venies ad ſumma per planum.

EPIST. LXXXV.

B

Sophismata improbat, & à ſeriis ſtudiis ea arcet. Exempla quædam dat, ſed ad vtilia traducit: & contra Peripateticos, Sapientem vacare affectibus debere. Deinde, Beatam vitam ſibi ſufficere: vnam & æqualem eſſe, ſeu longam, ſeu breuem. Non etiam imminui ab externis, etſi mala, aut damna incurrant: & Sapientem omnibus benè vti. Bona, ſapiens Epiſtola.

Peperceram tibi, & quidquid nodoſi adhuc ſupererat, præterieram: contentus quaſi guſtum tibi dare eorum, quæ à noſtris dicuntur, vt probetur virtus ad explendam beatam vitam ſola ſatis efficax. Iubes me, quidquid eſt interrogationum aut noſtrarum, aut ad traditionem noſtram excogitatarum, comprehendere: quod ſi facere voluero, non erit epiſtola, ſed liber. Illud toties teſtor, hoc me argumentorum genere non delectari. pudet in aciem deſcendere pro diis hominibuſque ſuſceptam, [1] ſubulâ
C armatum. Qui prudens eſt, & temperans eſt: qui temperans eſt, & conſtans: qui conſtans eſt, & imperturbatus eſt. qui imperturbatus eſt, ſine triſtitiâ eſt. qui ſine triſtitiâ eſt, beatus eſt: ergo prudens beatus eſt, & prudentia ad beatam vitam ſatis eſt. Huic collectioni hoc modo Peripateticorum quidam reſpondent. vt imperturbatum, & conſtantem, & ſine triſtitiâ, ſic interpretentur, tamquam imperturbatus dicatur, qui raro perturbatur & modicè, non qui numquam. Item ſine triſtitiâ eum dici aiunt, qui non eſt obnoxius triſtitiæ, nec frequens, nimiúſve in hoc vitio. Illud enim humanam naturam negare, alicuius animum immunem eſſe triſtitiâ: ſapientem non vinci mærore, ceterùm tangi: & cetera in hunc modum ſectæ ſuæ reſpondentia. [2] Non hi tollunt affectus, ſed temperant: quantulum autem ſapienti damus, ſi imbecillimis fortior eſt, & mæſtiſſimis lætior, & effrænatiſſimis moderatior, & humillimis maior? Quid ſi miretur [3] velocitatem ſuam Ladas, ad claudos debileſque reſpiciens?

D *Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret*
Gramina, nec curſu teneras læſiſſet ariſtas,
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti,
Ferret iter, celeres nec tingueret æquore plantas,

Hæc eſt pernicitas per ſe æſtimata, non quæ tardiſſimorum collatione laudatur. Quid ſi ſanum voces, leuiter febricitantem? non eſt bona valetudo, mediocritas morbi. Sic, inquit,

11. Magno aggestv svspensa vest.] *Spoliorum aggeſtu, quæ affigi poſtibus ſolent.*

12. Non in prærvpto tantvm.] *Et altè ſtabis, vt cadere poſſis; & parùm firmiter, vt labi.*

Epist. LXXXV. 1. Svbvla armatvm.] *Tenui & ſubtili iſto argutiarum telo. Sic ſuprà, epiſt.* LXXXII: Subulâ leonem excipis.

2. Non his tollvnt affectvs.] *Adde De Irâ* I. *cap.* VII. *&* VIII.

3. Velocitatem svam Ladas.] *Primus reſtitui, cùm ſcriberetur* laudans. *Ladas autem celebratæ in adagium vſque velocitatis curſor.*

4. Quo-

inquit, ſapiens imperturbatus dicitur, [4] quomodo apyrina dicuntur, non quibus nul- A
la ineſt duritia granorum, ſed quibus minor. Falſum eſt. Non enim diminutionem ma-
lorum in bono viro intelligo, ſed vacationem. nulla debent eſſe, non parua. Nam ſi vlla
ſint, creſcent, & interim impedient. Quomodo oculos maior & perfecta ſuffuſio excæ-
cat, ſic modica turbat. Si das aliquos affectus ſapienti, impar illis erit ratio, & velut tor-
rente quodam auferetur: præſertim cùm illi non vnum, ſed vniuerſum affectuum cœ-
tum relinquis, cum quo colluctetur. Plus poteſt quamuis mediocrium turba, quàm poſ-
ſet vnius magni violentia. Habet pecuniæ cupiditatem, ſed modicam: habet ambitio-
nem, ſed non concitatam: habet iracundiam, ſed placabilem: habet inconſtantiam, ſed
minùs vagam ac mobilem: habet libidinem, non inſaniam. Meliùs cum illo ageretur,
qui vnum vitium integrum haberet, quàm cum eo qui leuiora quidem, ſed omnia. De-
inde nihil intereſt, quàm magnus ſit affectus: quantuſcumque eſt, parere neſcit, conſi-
lium non accipit. Quemadmodum rationi nullum animal obtemperat, non ferum, non
domeſticum & mite; natura enim illorum eſt ſurda ſuadenti: ſic non ſequuntur, non B
audiunt affectus, quantulicumque ſint. Tigres, leoneſque numquam feritatem exuunt,
aliquando ſubmittunt: & cùm minimè exſpectaueris, exaſperatur toruitas mitigata.
Numquam bonâ fide vitia manſueſcunt. Deinde ſi ratio proficit, ne incipient quidem
affectus. ſi inuitâ ratione cœperint, inuitâ perſeuerabunt. Facilius eſt enim, initia illorum
prohibere, quàm impetum regere. Falſa eſt itaque iſta mediocritas & inutilis, eodemq;
loco habenda, quo ſi quis diceret modicè inſaniendum, modicè ægrotandum. Sola vir-
tus habet, non recipiunt animi mala, temperamentum: faciliùs ſuſtuleris illa, quàm re-
xeris. Numquid dubium eſt, quin vitia mentis humanæ inueterata & dura, [5] quæ
morbos vocamus, immoderata ſint: vt auaritia, vt crudelitas, vt impotentia, vt impie-
tas? ergo immoderati ſunt & affectus: ab his enim ad illa tranſitur. Deinde ſi das ali-
quid iuris triſtitiæ, timori, cupiditati, ceteriſque motibus prauis, non erunt in noſtrâ
poteſtate. Quare? quia extra nos ſunt, quibus irritantur. Itaque creſcunt, prout magnas
habuerint minoréſve cauſſas, quibus concitentur. maior erit timor, ſi plus quò exterrea- C
tur, aut propiùs adſpexerit: acrior cupiditas, quò illam amplioris rei ſpes euocauerit. Si
in noſtrâ poteſtate non eſt, an ſint affectus; ne illud quidem eſt, quanti ſint: ſi ipſis per-
miſiſti incipere, cum cauſſis ſuis creſcent, tantique erunt, quanti fient. Adiice nunc,
quòd iſta quantumuis exigua ſint, in maius excedunt. numquam pernicioſa ſeruant
modum. Quamuis leuia initia morborum, ſerpunt: & ægra corpora, minima inter-
dum mergit acceſſio. Illud verò cuius dementiæ eſt credere, quarum rerum extra no-
ſtrum arbitrium poſita principia ſunt, earum noſtri eſſe arbitrij terminos? Quomodo
ad id finiendum ſatis valeo, ad quod prohibendum parùm valui? cùm facilius ſit ex-
cludere, quàm admiſſa comprimere. Quidam ita diſtinxerunt, vt dicerent: Temperans
ac prudens poſitione quidem mentis, & habitu trãquillus eſt, euentu non eſt. nam quan-
tum ad habitum mentis ſuæ, non perturbatur, nec contriſtatur, nec timet: ſed multæ ex-
trinſecus cauſſæ incidunt, quæ illi perturbationem afferant. Tale eſt quod volunt dice-
re: Iracundum quidem illum non eſſe, iraſci tamen aliquando: & timidum quidem D
non eſſe, timere tamen aliquando: id eſt, vitio timoris carere, affectu non carere. Quod
ſi reci-

4. QVOMODO APYRINA DICVNTVR.] *Hæc ipſa ſunt in vetere ſcriptore Telete, apud Stob. Serm.* CVI. *vbi diſputat hanc ipſam materiem, περὶ ἀπαθείας,* De Imperturbatione. Viſne igitur, *inquit*, vt quemadmodum malum Punicum ἄπυρηνον dicimus, & homines ἀτραχήλους ἢ ἀπλεύρους, (ſine collo, aut latere:) ita etiam indolentes, ac intrepidos? Nam ibi ſignificamus ἄπλευρον, non ſimpliciter ſine coſtis aut lateribus, ſed breuibus iis aut prauis: ſicut & Amentem dicimus & Exſenſum, non qui planè iis caret, ſed qui talem mentem & ſenſus habet. An potiùs iſta credi ridiculum eſt? ſed quemadmodum innocens & impeccans dicitur, qui ab omni noxâ & peccato purus eſt; ſic & indolens, & intrepidus, dicendus eſt, qui extra dolorem metumque omnino ſit. *Addeſis plura. Sed pro Senecâ, vides vſitatum* Apyrinorum *exemplum hîc fuiſſe. Sunt autem* Apyrina, *vel* Apyrena *(vtrumque Græcis)* Punica, quibus lignoſus nucleus abeſt, & candidior natura, & blandiores ſunt acini: *vt Plinius lib.* XIII. *cap.* XIX. *& nominat iterùm libro* XXIII. *cap.* VI. *Quò ſimilitudo igitur pertineat, clarum: non nullos habere affectus, ſed rariores & mitiores, ſicut Punica illa nucleos.*

5. QVÆ MORBOS VOCAMVS.] *Suprà, ep.* LXXV.

6. PV-

A si recipitur, vsu frequenti timor transit in vitium: & ira in animum admissa, habitum illum irâ carentis animi retexit. Præterea, si non contemnit venientes extrinsecùs causas, & aliquid timet, cùm fortiter eundum erit aduersus tela, ignes, pro patriâ, legibus, libertate, cunctanter exibit, & animo recedente. Non cadit autem in sapientem hæc diuersitas mentis. Illud præterea iudico obseruandum, ne duo quæ separatim probanda sunt, misceamus. Per se enim colligitur, vnum bonum esse quod honestum: per se rursus, ad vitam beatam satis esse virtutem. Si vnum bonum est, quod honestum, omnes concedunt ad beatè viuendum sufficere virtutem: econtrariò non remittetur, si beatum sola virtus facit, vnum bonum esse quod honestum est. Xenocrates & Speusippus [6] putant beatum vel solâ virtute fieri posse: non tamen vnum bonum esse quod honestum est. Epicurus quoque iudicat, cùm virtutem habeat, beatum esse, sed ipsam virtutem non satis esse ad beatam vitam: quia beatum efficiat voluptas, quæ ex virtute est, non ipsa virtus. Inepta distinctio. Idem enim negat, vmquam virtutem esse sine voluptate.
B ita si ei iuncta semper est, atque inseparabilis, & sola satis est: habet enim secum voluptatem, sine quâ non est, etiam cùm sola est. Illud autem absurdum est, quòd dicitur beatum quidem futurum vel solâ virtute; non futurum autem perfectè beatum: quod quemadmodum fieri possit, non reperio. Beata enim vita bonum in se perfectum habet, inexsuperabile: quod si est, perfectè beata est. Si deorum vita nihil habet maius aut melius: beata autem vita diuina est: nihil habet, in quod ampliùs possit attolli. Præterea, si beata vita nullius est indigens, omnis beata vita perfecta est, eademque est & beata, & beatissima. Numquid dubitas, quin beata vita summum bonum sit? ergo si summum bonum habet, summè beata est. Quemadmodum summum, adiectionem non recipit (quid enim supra summum erit?) ita ne beata quidem vita, quæ sine summo bono non est. Quòd si aliquem magis beatum induxeris, & multo magis innumerabilia discrimina summi boni facies: cùm summum bonum intelligam, quod supra se gradum non habet. Si est aliquis minùs beatus quàm alius, sequitur, vt hic alterius vitam beatioris
C magis concupiscat, quàm suam. beatus autem nihil suæ præfert. Vtrumlibet ex his incredibile est: aut aliquid beato restare, quod esse quàm quod est malit: aut id illum non malle, quod illo melius est. Vtique enim quo prudentior est, hoc magis se ad id quod est optimum, extendet, & id omni modo consequi cupiet. Quomodo autem beatus est, qui cupere eriamnum potest, imò qui debet? Dicam quid sit, ex quo veniat hic error. Nesciunt beatam vitam vnam esse: in optimo illam statu ponit qualitas sua, non magnitudo. Itaque [7] in æquo est longa & breuis, diffusa & angustior; in multa loca, multasque partes distributa, & in vnum coacta. Qui illam numero æstimat, & mensurâ, & partibus, iam illi quod habet eximium, eripit. Quid autem est in beatâ vitâ eximium? quòd plena est. Finis, vt puta, edendi bibendique satietas est: hic plus edit, ille minus: quid refert? vterque iam satur est. hic plus bibit, ille minus. quid refert? vterque non sitit. Hic pluribus annis vixit, hic paucioribus: nihil interest si tam illum multi anni beatum fecerunt, quàm hunc pauci. Ille quem tu minùs beatum vocas, non est beatus:
D non potest nomen imminui. Qui fortis est, sine timore est: qui sine timore est, sine tristitiâ est: qui sine tristitiâ est, beatus est. Nostrorum hæc interrogatio est. Aduersus hanc sic respondere conantur, falsam nos rem, & controuersam pro confessâ inducere, cum qui fortis est, sine timore esse. Quid ergo? inquit. fortis imminentia mala non timebit? istud dementis alienatique, non fortis est. Ille verò, inquit, moderatissimè timet, sed in totum extra metum non est. Qui hæc dicunt, rursus in idem reuoluuntur, vt illis virtutum loco sint minora vitia. Nam qui timet quidem, sed rariùs & minùs, non caret malitiâ, sed leuiore vexatur. At enim dementem puto, qui mala imminentia non extimescit. Verum est quod dicit, si mala sunt: sed si scit mala illa non esse, & vnam tantùm turpitudinem malum iudicat; debebit securè pericula adspicere, & aliis timenda con-

6. PVTANT BEATVM VEL SOLA VIRTVTE.] *Non tamen beatissimum: & in eo à Stoâ dissident, vt mox obserues.*

7. IN ÆQVO EST LONGA ET BREVIS.] *In Manuduct. III. Dissert. III.*

contemnere. aut si stulti & amentis est, mala non timere: quo quis prudentior est, hoc timebit magis. Vt vobis, inquit, videtur, præbebit se periculis fortis. Minimè. non timebit illa, sed vitabit: cautio illum decet, timor non decet. Quid ergo? inquis. mortem, vincula, ignes, alia tela fortunæ non timebit? Non: scit enim illa non esse mala, sed videri: omnia ista humanæ vitæ formidines putat. Describe captiuitatem, verbera, catenas, egestatem, & membrorum lacerationes, vel per morbum, vel per iniuriam: & quidquid aliud attuleris, inter lymphaticos metus numerat. Ista timidis timenda sunt. An id existimas malum, ad quod aliquando nostrâ sponte veniendum est? Queris, quid sit malum? Cedere his quæ mala vocantur, & illis libertatem suam dedere, pro quâ cuncta patienda sunt. Perit libertas, nisi illa contemnimus, quæ nobis iugum imponunt. Non dubitarent quid conueniret forti viro, si scirent quid esset fortitudo. Non est enim inconsulta temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilium appetitio: scientia est distinguendi quid sit malum, & quid non sit. Diligentissima in tutelâ sui fortitudo est, & eadem patientissima eorum, quibus falsa species malorum est. Quid ergo, si ferrum intentatur ceruicibus viri fortis, si pars subinde alia atque alia suffoditur, si viscera sua in sinu suo vidit, si ex interuallo, [8] quò magis tormenta sentiat, repetitur, & per siccata viscera recens demittitur sanguis, non timere istum tu dices, non dolere? iste verò dolet: sensum enim hominis nulla exuit virtus: sed non timet. inuictus ex alto dolores suos spectat. Quæris, quis tunc animus illi sit? qui ægrum amicum adhortantibus. Quod malum est, nocet: quod nocet, deteriorem facit: dolor & paupertas deteriorem non faciunt: ergo mala non sunt. Falsum est, inquit, quod proponitur: non enim si quid nocet, etiam deteriorem facit. Tempestas & procella nocet gubernatori, non tamen illum deteriorem facit. Quidam Stoici ita aduersus hoc respondent: Deteriorem fieri gubernatorem tempestate ac procellâ, quia non possit id quod proposuit efficere, nec tenere cursum suum: deteriorem illum in arte suâ non fieri, in opere fieri. Quibus Peripateticus: Ergo, inquit, & sapientem deteriorem faciet paupertas & dolor, & quidquid aliud tale fuerit: virtutem enim illi non eripiet, sed opera eius impediet: Hoc rectè diceretur, nisi dissimilis esset gubernatoris conditio, & sapientis. Huic enim propositum est in vitâ agendâ, non vtique quod tentat efficere, sed omnia rectè facere: gubernatori propositum est, vtique nauem in portum perducere. Artes ministræ sunt: præstare debent, quod promittunt: sapientia domina rectrixque est. Artes seruiunt vitæ, sapientia imperat. Ego aliter respondendum iudico, nec artem gubernatoris deteriorem vllâ tempestate fieri, nec ipsam administrationem artis. Gubernator tibi non felicitatem promisit, sed vtilem operam, & nauis regendæ scientiam. hæc eò magis apparet, quò illi magis aliqua fortuita vis obstitit. Qui hoc potuit dicere, [9] *Neptune numquam hanc nauem, nisi rectam:* arti satisfecit. tempestas non opus gubernatoris impedit, sed successum. Quid ergo? inquis. non nocet gubernatori ea res quæ illum tenere portum vetat? quæ conatus eius irritos efficit? quæ aut refert illum, aut detinet, & exarmat? Non tamquam gubernatori, sed tamquam nauiganti nocet. Alioquin gubernatoris artem adeò non impedit, vt ostendat. tranquillo enim, vt aiunt, quilibet gubernator est. Nauigio ista obsunt, non rectori eius, quà rector est. Duas personas habet gubernator: alteram communem cum omnibus qui eandem conscenderunt nauem, quà ipse quoque vector est: alteram propriam, quà gubernator est. tempestas tamquam vectori nocet, non tamquam gubernatori. Deinde gubernatoris ars alienum bonum est; ad eos quos vehit, pertinet: quomodo medici ars ad eos, quos curat: sapientia commune bonum est, & eorum cum quibus viuit, & proprium ipsius. Itaque gubernatori fortasse nocetur, cuius ministerium aliis pro-

8. QVÒ MAGIS TORMENTA SENTIAT, REPETITVR.] *Est Arenæ verbum, & in re gladiatoriâ sollenne*, Repete: *id est, ingemina ictus, atque itera. Pincianus*, referitur: *non audio.*

9. NEPTVNE NVMQVAM HANC NAVEM.] *Hoc ipsum in Telete, eodem argumento:* Καλῶς τὸ τῦ κυβερνήτᾳ. Ἀλλ' ἔνγε ὦ Πόσειδον ὀρθήν. ἔτω καὶ ἀνὴρ ἀγαθὸς εἶποι πρὸς τὴν τύχην, Ἀλλ' ἔνγε ἄνδρα καὶ ε βλάκα: Pulchrè hoc à gubernatore, Neptune tamen rectam. Ita & vir bonus compellat Fortunam. At virum tamen, non peponem. *Adde Senecam Consol. ad Marc. cap.* VI.

10. PRO-

A promiſſum tempeſtate impeditur: ſapienti non nocetur à paupertate, non à dolore, non ab aliis tempeſtatibus vitæ. Non enim prohibentur opera eius omnia, ſed tantùm ad alios pertinentia: ipſe ſemper in actu eſt, non in effectu. tunc maximus, cùm illi fortuna ſe oppoſuit: tunc ipſius ſapientiæ negotium agit, quam diximus & alienum bonum eſſe, & ſuum. Præterea, ne aliis quidem tunc prodeſſe prohibetur, cùm illum aliquæ neceſſitates premunt. Propter paupertatem [10] prohibetur docere, quemadmodum tractanda reſpublica ſit: at illud docet, quemadmodum tractanda ſit paupertas, per totam vitam opus eius extenditur. Ita nulla fortuna, nulla res, actus ſapientis excludit. Id enim ipſum agit, quo alia agere prohibetur. Ad vtroſque caſus aptus eſt: bonorum rector, & malorum victor. Sic, inquam, ſe exercuit, vt virtutem tam in ſecundis quàm in aduerſis exhibeat: nec materiam eius, ſed ipſam intueatur. Itaque nec paupertas illum, nec dolor, nec quidquam aliud quod imperitos auertit & præcipites agit, prohibet. Tu illum premi putas malis? vtitur. Non ex ebore tantùm Phidias ſciebat facere ſimulacra, fa-
B ciebat ex ære: ſi marmor illi, ſi adhuc viliorem materiam obtuliſſes, feciſſet quale ex illâ fieri optimum poſſet. Sic ſapiens virtutem, ſi licebit, in diuitiis explicabit; ſi minùs, in paupertate: ſi poterit, in patriâ; ſi minùs, in exſilio: ſi poterit, imperator; ſi minùs, miles: ſi poterit, integer; ſi minùs, debilis. quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illâ memorabile efficiet. Certi ſunt domitores ferarum, qui ſæuiſſima animalia & ad occurſum [11] exterrentia hominem, docent pati iugum: nec aſperitatem excuſſiſſe contenti, [12] vſque in contubernium mitigant. Leonibus magiſter manum inſertat, [13] oſculatur tigrim ſuus cuſtos, elephantem minimus Æthiops iubet [14] ſubſidere in genua, & [15] ambulare per funem. Sic ſapiens eſt artifex domandi mala. Dolor, egeſtas, ignominia, carcer, exſilium, & [16] vbicumq; horrenda, cùm ad hunc peruenêre, manſueta ſunt.

EPIST. LXXXVI.

C De villâ Africani; ædificio & balneo, nec polito, nec lauto. Contra luxum ſui æui. In extremo, de oleis ſerendis, occaſione villæ.

In ipsâ Scipionis Africani villâ iacens hæc tibi ſcribo, [1] adoratis manibus eius & arâ, quam ſepulcrum [2] eſſe tanti viri ſuſpicor: animum quidem eius in cælum, ex quo erat, rediſſe perſuadeo mihi. non quia magnos exercitus duxit (hos enim & Cambyſes furioſus, ac furore feliciter vſus habuit) ſed ob egregiam moderationem pietatemque, magis

10. PROHIBETVR DOCERE.] *Factis nempe & vſu: quia ex cenſu ad rempublicam admittebantur. Non prohibetur ſcriptis: vt Zeno, Chryſippus, alij.*

11. EXTERRENTIA HOMINEM.] *Rectè ad ſenſum Muretus: quid ita tamen libri omnes,* expauentia? *Legam:* ad occurſum expauenti ea homine:
D *aut certè,* expauefacientia, *ſit legendum.*

12. VSQVE IN CONTVBERNIVM.] *Vt vnà degant, ac verſentur.*

13. OSCVLATVR TIGRIM.] *Hæc talia in ludis publicè tunc exhibita, & obſeruata.*

14. SVBSIDERE IN GENVA.] *Ad rectorem illum ceruice accipiendum.*

15. AMBVLARE PER FVNEM.] *Suetonius Galbæ, cap.* VI. *atque ibi Scholiaſtæ: nos in epiſtolâ ſuper Elephantis.*

16. VBICVMQVE HORRENDA.] *Quidam libri,* quæcumque: *fuerit,* cuicumque.

EPIST. LXXXVI. 1. ADORATIS MANIBVS EIVS ET ARA.] *Arâ, quæ* DIIS MANIBVS *ex more poni ſolet, & millenæ aliquot hodie exſtant. Tamen meus & quidam,* arcâ. *quod valdè amplector, non tam quia cineres ſiue vrnas in* Arcis *aut loculis lapideis conditos etiam ſciam; quàm quòd mos gentis Corneliæ tale hîc poſcat. De eo Plinius lib.* VII. In gente Corneliâ nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus. idque voluiſſe, veritum talionem, eruto C. Marij cadauere. *At quin ex eâ Scipio, ergo in arcâ cadauer conditum.*

2. ESSE TANTI VIRI SVSPICOR.] *Cur ſuſpicaris tantùm? quia ambigebatur, & potuit Cenotaphium modò eſſe. Certè alterum aut hîc, aut iuxta Romam fuit, vbi item oſtendebatur ſepulchrum. Liuius* XXXVIII. Africanum alij Romæ, alij Linterni, & mortuum, & ſepultum, tradunt. Vtrobique monumenta oſtenduntur, & ſtatuæ. *De ſtatuâ, nihil hîc Seneca, & oportet tranſlatam fuiſſe. Communior autem fama de Linterno fuit: pro quâ Strabo & Valerius.*

magis in illo admirabilem, cùm reliquit patriam, quàm cùm defendit. Aut Scipio Ro- A
mæ deesse debebat, [3] aut Romæ libertas. *Nihil*, inquit, *volo derogare legibus, nihil institutis. æquum inter omnes ciues ius sit: vtere sine me beneficio meo patria. caussa tibi libertatis fui,* [4] *ero & argumentum. Exeo, si plus quàm tibi expedit, creui.* Quid ni ego admirer hanc magnitudinem animi, quâ in exsilium voluntarium secessit, & ciuitatē exonerauit? Eò perducta res erat, vt aut libertas Scipioni, aut Scipio libertati faceret iniuriam. neutrum fas erat. Itaque dedit locum legibus, & se [5] Liternum recepit, tam suum exsilium Reip. imputaturus, quàm Hannibalis. Vidi villam structam lapide quadrato, murum circumdatum siluæ, turres quoque in propugnaculum villæ vtrimque subrectas. Cisternam ædificiis ac viridibus subditam, quæ sufficere in vsum vel exercitus posset. Balneolum angustum, tenebricosum ex consuetudine antiquâ. non videbatur maioribus nostris caldum, nisi obscurum. Magna ergo me voluptas subit, contemplantem mores Scipionis ac nostros. In hoc angulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quòd tantùm semel capta est, abluebat corpus laboribus rusticis fessum: exercebat enim opere se, ter- B
ramque (vt mos fuit priscis) ipse subigebat. Sub hoc ille tecto tam sordido stetit, hoc illum pauimentum tam vile sustinuit. At nunc quis est, qui sic lauari sustineat? pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis & [6] pretiosis orbibus refulserunt; nisi [7] Alexandrina marmora [8] Numidicis [9] crustis distincta sunt; nisi illis vndique operosa & [10] in picturæ modum variata circumlitio prætexitur; [11] nisi vitro absconditur camera; nisi Thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas nostras circumdedit; in quas [12] multâ sudatione [13] corpora exinanita demittimus; nisi aquam

3. AVT ROMÆ LIBERTAS.] *Ita Muretus, suâ non Senecæ mente. Nam libri plerique omnes* aut Roma in libertate: *quidam*, aut Roma libertati *quomodo & Otho Frisingensis legit & transscripsit lib.* II. *cap.* XL. *Vetera nempe hæc menda sunt: ego emaculem,* aut Romanæ libertati. *Aut deserere Romam Scipio debebat, aut premere eius (Scipione indignum) libertatem. Quid ita? quia præsens grauis libertati erat, ob opes & gratiam: & ipse magni animi facta iam ediderat supra eam: Liuium, Valerium, atque alios vide. Huc faciunt omnino sequentia. Siquis tamen, cum Othone*, Roma libertati, *volet: sensus esto, Parùm tuita Roma libertatem esset, illo præsente.*

4. ERO ET ARGVMENTVM.] *Docebo, quàm nil nisi æquale & ciuile possis ferre.*

5. LITERNVM RECEPIT.] *Quod aliàs* Linternum: *fuitq; iuxta Cumas, procul à Baiis octauo lapide.*

6. PRETIOSIS ORBIBVS.] *Nam crustas aut segmenta marmorum variè figurabant, in orbem, in ouum, in quadram, in quadratam. Ita & Iuuenalis* Lacedæmonium orbem *dixit.*

7. ALEXANDRINA MARMORA.] *Plura sanè Alexandriâ & Aegypto aduehebantur*, Luculleum *nigricans*, Ophites *maculans*, Porphyrites *puniceans, & hæc ipsa iterùm distincta: an autem vnum aliquod propriè* Alexandrinum *dictum fuerit, ignoro.*

8. NVMIDICIS CRVSTIS.] *Atquin Isidorus negat* crustis aptum. *Nam ita ait:* Numidicum marmor Numidia mittit, ad cutem succum dimittit croco similem, vnde & nomen accepit, non crustis, sed in massâ & liminum vsu aptum. *Vbi quod est*, ad cutem, *lege* cotem: *& vult cotc attritum, talem succum crocinum emittere. At de* crustis, *largè fallitur: Plinium vide lib.* XXXV. *cap.* I. *disertim contrà asserentem. Malè autem eumdem legit ac transscripsit libro* XXXVI. *cap.* VI. *vbi ista:* Numidicum marmor non in columnis tantùm crustisve, sed in massâ ac viliſſimo liminum vsu. *nisi quis èmendat (& velim) in Isidoro:* non crustis modò, sed. C

9. CRVSTIS DISTINCTA SVNT.] *Sidonius* II. *epist.* II. *negat in suo balneolo hæc esse.* Non illîc Paros, Carystos, Phryges, Numidæ, rupium variatarum posuere crustas. *Varij igitur generis coloriſq; crustæ parietes distinguebant. Adde Plinium, sodes,* XXXV. *cap.* I. *& videbis Neroniano æuo hoc tale inuentum.*

10. IN PICTVRÆ MODVM.] *Musiuum opus intelligit, quo solent ambire quadras aut orbes, & velut marginare. Ideò addit*, circumlitionem prætexi. *Vera autem etiam pictura in Musiuis, id est variæ rerum formæ.*

11. NISI VITRO ABSCONDITVR CAMERA.] *Plinius* XXXVI. Pulsa ex humo pauimenta in cameras transire, è vitro: nouitium & hoc inuentum. *Statius in ipso Etrusci balneo:*

Effulgent cameræ vario fastigia vitro. D

Reperio &, loco marmoris, Vitrum in Bibliothecæ parietibus, apud Boëtium: in domus ipsius, apud Vopiscum in Firmo.

12. MVLTA SVDATIONE EXINANITA.] *Nam post siccum balneum, siue Laconicum, quidam in piscinas, frigidamq; descendebant. Martialis* VI. *de Balneo Tuccæ:*

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Crudâ Virgine Martiáve mergi.

Quomodo autem ibi Virgine, aut Martiâ? ita, ibi: quia ex Aquæductibus, concessu Principum, deriuabant. Frontinus dicit, & palàm Statius plusculis versibus in Balneo Etrusci.

13. CORPORA EXINANITA.] *Sic epist.* CVIII. Deco-

A aquam [14] argentea epistomia fuderunt. Et adhuc plebeias fistulas loquor: quid cùm ad balnea libertinorum peruenero? quantum statuarum, quantum columnarum est nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum, [15] impensæ caussâ? quantum [16] aquarum per gradus cum fragore labentium? Eò deliciarum peruenimus, vt [17] nisi gemmas calcare nolimus. In hoc balneo Scipionis minimæ sunt rimæ, magis quàm fenestræ, muro lapideo exsectæ, vt sine iniuriâ munimenti, lumen admitterent. At nunc [18] blattaria vocant balnea, si qua non ita aptata sunt, vt [19] totius diei solem fenestris amplissimis recipiant; nisi & lauantur simul [20] & colorantur; nisi ex solio agros & maria prospiciunt. Itaque quæ concursum & admirationem habuerant [21] cùm dedicarentur, hæc in antiquorum numerum reiiciuntur, cùm aliquid noui luxuria commenta est, quo ipsa se obrueret. At olim & pauca erant balnea, nec vllo cultu exornata. Cur enim ornaretur [22] res quadrantaria, & in vsum, non ablectamentum reperta? [23] Non suffundebatur aqua, nec recens semper [24] velut ex calido fonte currebat: nec referre credebant, in
B quàm perlucidâ sordes deponerent. Sed, dij boni, quàm iuuabat illa balnea intrare obscura, & [25] gregali tectorio inducta, quæ scires Catonem tibi ædilem, aut Fabium Maximum, aut ex Corneliis aliquem manu suâ temperasse? Nam hoc quoque nobilissimi [26] ædiles fungebantur officio, intrandi ea loca quæ populum receptabant, exigendique munditias, & vtilem ac salubrem temperaturam: non hanc, quæ [27] nuper inuenta est, similis

Decoquere corpora, & sudoribus exinanire. *Tamen meliores libri*, exsaniata; *& alij alludunt: ego etiam adsertum olim iui Elect.* I. *cap.* XVI.

14. ARGENTEA EPISTOMIA.] *Proba vox, & obturacula significat, ori vasorum aut labrorum (vt hîc) indita; quibus versis, liquorem emittant. Libri tamen* epithomica, *aut* epitomia *ferè habent: vnde Iac. Cuiacio placitum*, epitonia *reponere, quæ vox*
C Verticilla *significat; propriè quibus aliquid intenditur, vt chordæ aut fides. Sed de* argento, *etiam Statius in Balneo Etrusci*,

Nil ibi plebeium, nusquam Temesæa notabis
Æra, sed argento felix propellitur vnda,
Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat.

15. IMPENSÆ CAVSSA.] *Non in vsum, sed vt opes ostentent. Plinius hoc appellat*, lautitiæ caussâ XXXVI. *cap.* VI. Columnis vtebantur *(antiqui)* nec lautitiæ caussâ, sed quia firmiùs aliter statui non poterant.

6. AQVARVM PER GRADVS.] *E labris aut receptaculis, in solia inferiora & subiecta.*

17. NISI GEMMAS CALCARE.] *Tale Statius in Tiburtino Manlij*: Calcabam nec-opinus opes.
D *Plinius* XXIII. *cap.* XII. *ostendit vulgò etiam* strata argento balnea mulierum *fuisse: imò passim pauimenta aurata. Seneca De Irâ* III. *cap.* XXXV. Qui nolunt domi nisi auro pretiosa calcare. *Et Epistolâ* XVI. Non tantùm habere, sed calcare diuitias.

18. BLATTARIA VOCANT.] *Satis commodè quidem. nam id genus lucem fugit, &* tenebrosis balneis gaudet, innascituráque. *Idem Plinius.*

19. TOTIVS DIEI SOLEM.] *Laudat & Lucianus in Balneis* τὸ εὐφεγγὲς, benè luminosum: *& Martialis, de illo Tuccæ:*

Lux ipsa est ibi longior, dieque
Nullo tardior à loco recedit.

Statius, in Etrusci: Multus vbique dies. *Plinius lib.* I. *epist.* III. Balneum plurimus sol implet, & circumit.

20. ET COLORANTVR.] *Solent sub dio insolari, post vnctionem: hîc licet & libet in ipso balneo, sic aprico.*

21. CVM DEDICARENTVR.] *De publicis balneis accipe. atque ea sollenniter solent vsibus populi dedicari.*

22. RES QVADRANTARIA.] *Notum est, quadrantem mercedulam balneatoris fuisse.*

23. NON SVFFVNDEBATVR AQVA.] *A seruo ministro? imò opinor etiamtunc habuisse, qui subseruirent. An potiùs è vasis illis labrisq; non manabat calida assiduè aqua? Nam sequitur:*

24. VELVT EX CALIDO FONTE.] *Quod ad* Dracones, *aut* Milliaria, *in quibus calefiebat aqua, liceat referre, aut ad labra exceptoria, & per epistomia, de quibus dictum, effundentia. De Milliariis, vide Quæst. Nat.* III. *cap.* XXIV.

25. GREGALI TECTORIO.] *Si rectum est, vulgare tectorium è calce explico, non marmore aut crustis. Sed meus & alij*, gratali tectorio; *quidam* gretali: *ex quo aliquis*, cretali.

26. ÆDILES FVNGEBANTVR.] *Quorum erat loca inspicere & curare valetudini apta, aut vsibus cotidianis. vt munda ea aptaq; essent. Sic popinas, ganeas, balneas, & hæc talia tuebantur: quæ Seneca alibi dicit*, loca Ædilem metuentia. *De quibus ego ad Taciti Annal.* II. *in fine. Propriè autem de Balneis, noto & in Plutarcho* III. *Quæst. Nat. cap.* X. Ignis ex oleâ, *inquit*, inimicus est balneis, & tabulata ac fornices subditus labefactat. Ideò periti Ædiles non permittunt Balnearum redemptoribus lignis oleaginis vti, sicut nec lolium conijcere in ignem aut herbas, quòd horum vapor grauedines capitis ac vertigines concinnat.

27. NVPER INVENTA EST, SIMILIS INCENDIO.] *De quâ & Plutarchus Quæst. conuiu.* VIII. *cap.* IX. Olim, *inquit*, temperies balneorum erat. & remissio, adeò vt rex Alexander febricitans iaceret in balneo, & Gallorum coniuges pultis ol-

similis incendio. adeò quidem vt conuictum in aliquo scelere seruum, viuum lauari A
oporteat. Nihil mihi videtur iam interesse, ardeat balneum, an caleat. Quantæ nunc aliqui rusticitatis damnant Scipionem, quòd non in caldarium suum [28] latis specularibus diem admiserat? quòd non in multâ luce decoquebatur, & exspectabat, vt in balneo concoqueret? O hominem calamitosum, nesciit viuere! [29] Non pacatâ aquâ lauabatur, sed sæpè turbidâ, & cùm plueret vehementiùs, pænè lutulentâ. Nec multum eius interierat, an sic lauaretur: veniebat enim, vt sudorem illîc ablueret, non vt vnguentum. Quas nunc quorumdam futuras voces credis? Non inuideo Scipioni: verè in exsilio vixit, qui sic lauabatur. Imò si scias, non quotidie lauabatur. Nam, vt aiunt qui priscos mores vrbis tradiderunt, brachia & crura quotidie abluebant, quæ scilicet sordes opere collegerant: ceterùm toti [30] nundinis lauabantur. Hoc loco dicet aliquis, liquet immundissimos fuisse. Quid putas illos oluisse? militiam, laborem, virum. Postquam munda balnea inuenta sunt, [31] spurciores sunt. Descripturus infamem & nimiis notabilem deliciis Horatius Flaccus, quid ait? B

[32] *Pastillos Rufillus olet.* ——

Dares nunc Rufillum, perinde esset, ac si hircum oleret, & Gorgonij loco esset, quẽ idem Horatius Rufillo opposuit. Parùm est sumere vnguentum, ni bis die terque renouetur, ne euanescat in corpore. Quid, quòd odore tamquam suo gloriantur? Hæc si tibi nimium tristia videbuntur, villæ imputabis: in quâ [33] didici ab Ægialo diligentissimo patrefamiliæ (is enim nunc huius agri possessor est) quamuis vetus arbustum posse transferri. Hoc nobis senibus discere necessarium est, quorum nemo non oliuetum alteri ponit. Quod vidi, hoc dico: illud arboretum trimum aut quadrimum fastidienti fructus autumno deponere. te quoque proteget illa, quæ

Tarda venit, seris factura nepotibus vmbram;

vt ait Virgilius noster: qui non quid verissimè, sed quid decentissimè diceretur, adspexit; nec agricolas docere voluit, sed legentes delectare. Nam (vt omnia alia transeam) hoc quod hodie mihi necesse fuit reprehendere, adscribam: C

Vere fabis satio est, tunc te quoque medica putres
Accipiunt sulci, & milio venit annua cura.

An vno tempore ista ponenda sint: & [34] an vtriusque verna sit satio, hinc æstimes licet.

Iunius

las in balnea inferentes, vnà cum liberis vescerentur, ibi lauantibus. Νῦν δὲ λυττῶσιν ἔοικε τὰ βαλανεῖα, καὶ ὑλακτοῦσι, καὶ σπαράττουσιν. ὁ δὲ ἐλκόμυρος ἀὴρ ἐν αὐτοῖς, ὑγροῦ μίγμα καὶ πυρὸς γεγονὼς, ὑδὲν ἐᾷ τὸ σώματος ἡσυχίαν ἄγειν, ἀλλὰ πᾶσαν ἄτομον κλονεῖ καὶ ταράσσει καὶ μεθίησιν ἐξέδρας, ἄχει ἔ κατασβέσωμεν αὐτὰς πεπυρωμένας καὶ ζέοντας: Nunc autem rabidorum, & latrantium, & sese lacerantium, balnea imaginem præbent. Aër verò in iis, mixtus ex humido & igneo, nihil permittit in corpore quiescere, sed omnem particulam eius, & velut atomon, mouet ac perturbat, & sede suâ exagitat, donec restinguamus istos ita incensos & feruentes: *aquâ nempe frigidâ, & à loco abductos. Puto autem hæc ad Laconica pertinere, vbi cibos decoquebant, & corpus exinanibant: quæ non semel tangit noster.*

28. LATIS SPECVLARIBVS.] *Ita assolent. contra ventos obÿcere specularia (vicem hodie vitrearũ) & illos excludere, lucem admittere. Martialis:*

Hibernis obiecta Notis specularia puros
Admittunt soles, & sine fece diem.

29. NON PACATA AQVA.] *Scripti*, non saccata aqua. *& discimus igitur, à delicatis aquam etiam, ne turbida interueniret, exceptam sacco aut centunculo in canalibus esse.*

30. NVNDINIS LAVABANTVR.] *Cùm in vrbem venirent.*

31. SPVRCIORES SVNT.] *Meus & quidam*, puriores sunt. *quod si interrogatione effers, cur displiceat?*

32. PASTILLOS RVFILLVS.] *Pastilli sunt Græcorum* διαπάσματα, *οἷς ἀναρπάζουσι τὰς ἱδρῶτας, πικρὰ τῇ φύσει καὶ στυπτικά*: Medicamenta, quibus sudores tollunt, amara & astringentia. *Plutarchus Quæstion. Conuiual. 1. cap. VI. Vtebantur hircosi.* D

33. DIDICI AB ÆGIALO.] *Quem & Plinius memorat inter vineæ nobiles cultores, lib. XIV. cap. IV.* Magna fama & Vetuleno Ægialo, perinde libertino, fuit in Campaniæ rure Linternino, maiorq; etiam fauore hominum, quoniam ipsum Africani colebat exsilium. *Vides possessorem villæ huius Scipionis fuisse.*

34. AN VTRIVSQVE VERNA SIT SATIO.] *Calumniatur, an reprehendit, nescio: illud vereor. Nam milium quidem & Iunio seritur, vt hîc noster: sed quid vetat, & Vere seri, vt Virgilius? Imò Plinius inter ea habet, quæ* trinâ tempestate anni *seruntur, Æstate, Hieme, Vere. Vide lib. XVIII. cap. VII.*

35. CVM

A Iunius menſis eſt quo tibi ſcribo, iam procliuus in Iulium. Eodem die vidi fabam metentes, milium ſerentes. Ad oliuetum reuertor, quod vidi duobus modis diſpoſitum. Magnarum arborum truncos circumciſis ramis, & ad vnum redactis pedem, [35] cum ſcapo ſuo tranſtulit, amputatis radicibus, relicto tantùm capite ipſo, ex quo illæ pependerant. Hoc fimo tinctum in ſcrobem demiſit: deinde terram non aggeſſit tantùm, ſed calcauit & preſſit. Negat quidquam eſſe [36] hac (vt ait) ſpiſſatione efficacius. videlicet frigus excludit & ventum. minùs præterea mouetur: & ab hoc naſcentes radices prodire patitur, ac ſolum apprehendere, quas neceſſe eſt teneras adhuc, & precariò hærentes, leuis quoque reuellat agitatio. parùm autem arboris [37] antequam obruat radit. ex omni enim materiâ quæ nudata eſt, vt ait, exeunt radices nouæ. Non plures autem ſuper terram eminere debet truncus, quàm tres aut quattuor pedes: ſtatim enim ab imo veſtietur: nec magna pars, quemadmodum in oliuetis veteribus, arida & retorrida erit. Alter ponendi modus hic fuit. Ramos fortes, nec corticis duri, quales eſſe nouellarum
B arborum ſolent, eodem genere depoſuit. Hi paullò tardiùs ſurgunt: ſed cùm tamquam à plantâ proceſſerint, nihil habent in ſe horridum, nec triſte. Illud etiam nunc vidi, vitem ex arbuſto ſuo annoſam transferri: huius capillimenta quoque (ſi fieri poteſt) collegenda ſunt, deinde liberaliùs ſternenda vitis, vt etiam ex corpore radiceſcat. Et vidi non tantùm menſe Februario poſitas, ſed etiam Martio exacto tenent, & complexæ ſunt non ſuas vlmos. Omnes autem iſtas arbores, quæ (vt ita dicam) [38] grandiſcapiæ ſunt, ait aquâ adiuuandas ciſterninâ: quæ ſi prodeſt, habemus pluuiam in noſtrâ poteſtate. Plura te docere non cogito: ne quemadmodum Ægialus noſter [39] me ſibi aduerſarium parauit, ſic ego parem te mihi.

EPIST. LXXXVII.

C FRVGALITAS *Senecæ, & externorum contemptus: admonitio ad alios, vt ſic velint, faciantque. Diſſertatiunculæ deinde, quibus approbat Fortuita in bonis non eſſe: dumtaxat Commoda dici poſſe.*

NAVFRAGIVM, antequam nauem aſcenderem, feci: quomodo acciderit, non adiicio, [1] ne & hoc putes inter Stoica paradoxa ponendum: quorum [2] nullum eſſe falſum, nec tam mirabile quàm primâ facie videtur, cùm volueris approbabo, imò etiam ſi nolueris. Interim hoc me iter docuit, quàm multa haberemus ſuperuacua, & quàm facilè iudicio poſſemus deponere, quæ ſi quando neceſſitas abſtulit, non ſentimus ablata. Cum pauciſſimis ſeruis, quos vnum capere vehiculum potuit, ſine vllis rebus, niſi quæ corpore noſtro continebantur, [3] ego & Maximus meus biduum iam beatiſſimum agimus. Culcitra in terrâ iacet, ego in culcitrâ. Ex duabus penulis, altera ſtragulum, altera opertorium facta eſt. De prandio nihil detrahi potuit. [4] paratum fuit non
D magis

35. CVM SCAPO SVO TRANSTVLIT.] *Priſci libri*, cum rapo ſuo, *aut* rapto, *aut vt meus*, capto. *Cuiacius probat* rapum, *& ita appellari ipſum caput, quia eâ ſit formâ. Mihi*, ſcapo, *placebat.*

36. HAC, VT AIT, SPISSATIONE.] *Ita aliquot ſcripti: Muretus tamen & adſeclæ*, piſatione: *quaſi* pinſatione: *quod miror. Non enim ἀναλόγως* pinſatio *à* pinſere. *Vulgatâ quid clarius?*

37. ANTEQVAM OBRVAT, RADIT.] *Pincianus correxit, cùm anteà* radix *legeretur: placet vel inuitis libris.*

38. GRANDISCAPIÆ SVNT.] *Græco verbo, μακρόπαυλοι: & vel hinc ſuprà probes, de* Scapo.

39. ME SIBI ADVERSARIVM.] *Aemulum induſtriæ, & vel ſuperare conantem.*

EPIST. LXXXVII. 1. NE ET HOC PVTES.] *Fallor, aut aſſerendo legendum:* vt & hoc. *Nam ita nudè poſitum, Paradoxum eſt: ſi explicaret, deſinat.*

2. NVLLVM ESSE FALSVM.] *Sunt enim, vt Cleanthes aiebat, παράδοξα μὲν, ἃ μὴν παράλογα:* præter opinionem, non præter verum. *Epicteius*, IV. *Diſſert.* I. *Vide me in Manud.* III. *Diſſert.* II.

3. EGO ET MAXIMVS MEVS.] *Eſt ille Cæſonius Maximus, inter intimos & fidos eius amicos: de quo Tacitus, & Martialis. Notaui ad Taciti Annalem* XV. *in fine, & locum hunc ibi adde.*

4. PARATVM FVIT NON MAGIS HORA.] *Meus & quidam*, parentium fuit. *Hæreo in his vocibus, & totâ clauſulâ. quid eſt*, non magis horâ? *Imò*

magis horâ, [5] nusquam sine caricis, nusquam sine pugillaribus. Illæ, si panem habeo, A pro pulmentario sunt: [6] si non, pro pane. [7] quotidie mihi annum nouum faciunt, quem ego faustum & felicem reddo bonis cogitationibus, & animi magnitudine: qui numquam maior est, quàm vbi aliena sepositi: & fecit sibi pacem, nihil timendo: fecit sibi diuitias, nihil concupiscendo. Vehiculum in quod impositus sum, rusticum est. [8] Mulæ viuere se ambulando testantur, mulio [9] excalceatus non propter æstatem. Vix à me obtineo, vt hoc vehiculum velim videri meum. Durat adhuc peruersa recti verecundia. quoties in aliquem comitatum lautiorem incidimus, inuitus erubesco: quod argumentum est, ista quæ probo, quæ laudo, nondum habere certam sedem & immobilem. Qui sordido vehiculo erubescit, pretioso gloriatur. Parùm adhuc profeci, nondum audeo frugalitatem palàm ferre, etiam nunc curo opiniones viatorum. Contra totius generis humani opiniones mittenda vox erat: Insanitis, erratis, stupetis ad superuacua, neminem æstimatis suo. Cùm ad patrimonium ventum est, diligentissimi computatores, sic rationem ponitis singulorum: quibus aut pecuniam crediturí estis, aut beneficia. B Nam hæc quoque iam expensa fertis. Latè possidet, sed multum debet: habet domum formosam, sed alienis nummis paratam: familiam nemo citò speciosiorem producet, sed nominibus non respondet. Si creditoribus soluerit, nihil illi supererit. Idem in reliquis quoque facere debebatis, excutere quantum proprij quisque habeat. Diuitem illum putas, quia aurea supellex etiam in viâ eum sequitur, quia in omnibus prouinciis arat, quia [10] magnus kalendarij liber voluitur, quia tantum suburbani agri possidet, quantum inuidiosè in desertis Apuliæ possideret: & cùm omnia dixeris, pauper est. quare? quia debet. quantum, inquis? omnia: nisi fortè iudices interesse, vtrùm aliquis ab homine, an à fortunâ mutuum sumpserit. Quid ad rem pertinent mulæ saginatæ, vnius omnes coloris? Quid ista vehicula cælata?

—— instrati ostro alipedes, pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent.
Tecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum. C

Ista nec dominum meliorem possunt facere, nec mulam. M. Cato Censorius (quem tam reip. herculè profuit nasci quàm Scipionem: alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit) [11] canterio vehebatur, & [12] hippoperis quidem impositis, vt se-

Imò nullo parato opus, si panis tantùm & caricæ. Muretus ait legi alibi, paratum sine magis hirâ: *vnde eruit,* sine magiro: *quod Græcè esset sine coquo. Nescio. nihil tale in nostris libris.*

5. NVSQVAM SINE CARICIS.] *Meus nunc & statim,* numquam. *De* Caricis *autem (eæ ficus aridæ sunt, à* Cariâ, *vnde frequentes; vt* Cauneæ, *à Cauno:) de Caricis, inquam, certum hæc talia, ficus, passulas, palmulas in prandium siue gustum olim fuisse. Ita Augustus ad Tiberium:* Nos in essedo palmulas gustauimus.

6. SI NON, PRO PANE.] *Plinius* XV. *cap.* XIX. Ficus panis simul & obsonij vicem siccatæ implent. vtpote cùm Cato, cibaria ruris operariis iustâ lege sanciens, minui iubeat per fici maturitatem.

7. COTTIDIE MIHI ANNVM NOVVM.] *Hæc enim dulcia anno nouo, quasi omen, dare & mittere inuicem solebant, talis futuri anni. Ouidius* I. *Fastor.*

Quid vult palma sibi, rugosaque carica, dixi,
Et data sub niueo condita mella cado?
Omen, ait, causса est: vt res sapor ille sequatur,
Et peragat cœptum dulcis vt annus iter.

Et caricas *igitur, &* cariotas *siue palmulas* (palmas *poëta dicit) tunc solent dare. Martialis:*

Aurea porrigitur Iani cariota kalendis.

8. MVLÆ VIVERE SE AMBVLANDO.] *Mularum mulorumq; in vehiculis vsus, etiam heroicis temporibus apud Homerum. In pretio erant. Plautus:*

Ego faxim muli pretio qui superant equos,
Sint viliores Gallicis canteriis.

Et præsertim mulæ Galaticæ, *ex Plutarchi* περὶ φιλοπλουτίας. *Per viam etiam illarum creber vsus. Ausonius:*

Cornipedes rapiant imposta petorita mulæ.

Nunc ait noster, macras se habuisse, & quas motus indicaret viuere: præter diuitum morem, quibus in vsu D mulæ saginatæ, vnius omnes coloris, *hac ipsâ epistolâ statim, & Consol. ad Marc. cap.* XI.

9. EXCALCEATVS NON PROPTER ÆSTATEM.] *Sed egestatem.*

10. MAGNVS KALENDARII LIBER VOLVITVR.] *Id est, fœnebris pecuniæ liber. nam kalendis vsuræ cedebant, & petebantur. Itaque nomina, & pecunia, per kalendas, in tali codice scribebantur. de quo Martialis:*

Superba densis arca palleat nummis,
Centum explicentur paginæ kalendarum.

Sæpè noster, & Iurisconsulti.

11. CANTERIO.] *Equo secto.*

12. HIPPOPERIS QVIDEM.] *Horatius manticam appellat:*

— nunc

A vt ſecum vtilia portaret. O quàm cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his [13] troſſulis [14] in viâ diuitibus, [15] curſores & Numidas, & multum ante ſe pulueris agentem! Hic ſine dubio cultior comitatiorque quàm M. Cato videretur: hic, inter illos apparatus delicatos qui cummaximè dubitat, [16] vtrùm ſe ad gladium locet, an ad cultrum. O quantum erat ſæculi decus, imperatorem triumphalem, cenſorium (& quod ſuper omnia hæc eſt) Catonem, vno caballo eſſe contentum, & ne toto quidem! Partem enim ſarcinæ, ab vtroque latere dependentes, occupabant. Ita non omnibus [17] obeſis mannis, & [18] aſturconibus, & tollutariis præferres vnicum illum equum, ab ipſo Catone defrictum? Video non futurum finem in iſtâ materiâ vllum, niſi quem mihi ipſe fecero. Hîc itaque conticeſcam, quantum ad iſta: quæ ſine dubio talia diuinauit futura, qualia nunc ſunt, qui primus appellauit impedimenta. Nunc volo pauciſſimas adhuc interrogationes noſtrorum tibi reddere, ad virtutem pertinentes, quam ſatisfacere vitæ beatę contendimus.

Quod bonum eſt, bonos facit: nam & in arte muſicâ quod bonum eſt, facit muſicum:
B fortuita bonum non faciunt: ergo non ſunt bona. Aduerſus hoc ſic reſpondent Peripatetici, vt quod primum proponimus, falſum eſſe dicant. Ab eo, inquiunt, quod eſt bonum, non vtique fiunt boni. In muſicâ eſt aliquod bonum, tamquam tibia, aut chorda, aut organum aliquod aptatum ad vſus canendi: nihil tamen horum facit muſicum. Hîc reſpondebimus. Non intelligitis, quomodo poſuerimus, quod bonum eſt muſico. Non enim id dicimus, quod inſtruit muſicũ, ſed quod facit: tu ad ſupellectilem artis, non ad artem venis. Si quid autem in ipsâ arte muſicâ bonum eſt, id vtique muſicum faciet. Etiamnum facere id planius volo. Bonum in arte muſicâ duobus modis dicitur: altero, quo effectus muſici adiuuatur: altero, quo ars. Ad effectum pertinent inſtrumenta, tibiæ, & organa, & chordæ, ad artem ipſam non pertinent. Eſt enim artifex etiam ſine iſtis: vti forſitan non poteſt arte. Hoc non eſt æquè duplex in homine. idem enim bonum & hominis, & vitæ. Quod contemptiſſimo cuique contingere ac turpiſſimo poteſt, bonum non eſt: opes autem & lenoni, & laniſtæ contingunt: ergo non ſunt bona. Fal-
C ſum eſt, inquiunt, quod proponitur. Nam & in grammaticâ, & in arte medendi, aut gubernandi, videmus bona humillimis quibuſque contingere. Sed iſtæ artes non ſunt, magnitudinem animi profeſſæ, non conſurgunt in altum, nec fortuita faſtidiunt. Virtus extollit hominem, & ſupra cara mortalibus collocat: nec ea quæ bona, nec ea quæ mala vocantur, aut cupit nimis, aut expaueſcit. Chelidon, vnus [19] ex Cleopatræ mollibus, patrimonium grande poſſedit. [20] nuper Natalis, tam improbæ linguæ quàm impuræ, [21] in cuius ore fæminæ purgabantur, & multorum heres fuit, & multos habuit heredes. Quid ergo? vtrùm illum pecunia impurum effecit, an ipſe pecuniam impurauit? quæ ſic in quoſdam homines, quomodo denarius in cloacam cadit. Virtus ſuper iſta conſiſtit,

[22] ſuo

— nunc mihi curto
Ire licet mulo.
Mantica cui lumbos onere vlceret, atque
eques armos.

D 13. TROSSVLIS.] *Suprà, epiſt.* LXXVI.

14. IN VIA DIVITIBVS.] *Qui & in viâ diuitias ſuas explicant. tales videri volunt.*

15. CVRSORES ET NVMIDAS.] *Epiſt.* CXXIII. Omnes iam ſic peregrinantur, vt illos Numidarum præcurrat equitatus, agmen curſorum antecedat. *Vide.*

16. VTRVM SE AD GLADIVM LOCET.] *Iſte quidem diues apparet, ſed ære alieno obrutus deliberat, vtrùm auctoret ſe & faciat gladiatorem, an beſtiarium. Mos peßimi æui, vt honeſtè nati arenæ operas locarent, grandi pretio. Itaque iſte deſperabundus hoc agitat. Gladius, gladiatorum eſt; culter, venatorum. Vide me Saturn.* II. *cap.* III.

17. OBESIS MANNIS.] *Buricis, ſiue burdonibus, paruis equis. Gallica vetus vox eſt.*

18. ASTVRCONIBVS.] *Martialis:*
Hic breuis ad numerum rapidos qui colligit vngues,
Venit ab auriferis gentibus Aſtur equus.

19. EX CLEOPATRÆ MOLLIBVS.] *Sunt effæminati, eunuchi, id genus. Liuius* XXXIII. Proſequentibus mollibus viris, qui ioci cauſsâ conuiuio interfuerant. *Paullò pòſt eoſdem* ſemiuiros, *&* obſcænos *vocat. Nonius Marcellus:* Maltas veteres molles appellari voluerunt, quaſi μαλακὰς. *Lucilius:* Inſanum vocant (*puto*, Infamem) quem maltam ac fœminam dici videt. *Etiam* Mollities, *ipſa illa* θηλεῖα νόσος.

20. NVPER NATALIS.] *Non ille Antonius Natalis, qui in Piſonianâ coniuratione, Senecam ipſum accuſauit (in Taciti* XV. *Annali:) Nam ait,* nuper *fuiſſe: ergo iam obierat. Quis ſcit, an pater huius?*

21. IN CVIVS ORE FÆMINÆ.] *Fuit quod ille Scaurus, Ligur. De Benef.* IV. *cap.* XXXI.

22. Svo

[22] ſuo ære cenſetur: nihil ex iſtis [23] quomodolibet incurrentibus bonum iudicat. Medi- A
cina,& gubernatio,non interdicit ſibi ac ſuis admirationem talium rerum. Qui non eſt vir bonus, poteſt nihilominus medicus eſſe: poteſt gubernator, poteſt grammaticus, tam mehercules quàm coquus. Cui contigit habere non quælibet, hunc non quemlibet dixeris. Qualia quiſque habet, talis eſt. Fiſcus tanti eſt, quantum habet: imò [24] in acceſſionem eius venit quod habet. Quis pleno ſacculo vllum pretium ponit, niſi quod pecuniæ in eo conditæ numerus effecit? Idem euenit magnorum dominis patrimoniorum: acceſſiones illorum & appendices ſunt. Quare ergo ſapiens magnus eſt? quia magnum animum habet. Verum eſt ergo, quod contemptiſſimo cuique contingit,bonum non eſſe. Itaque indolentiam numquam bonam dicam. habet illam cicada, habet pulex. Ne quietem quidem, & moleſtiâ vacare, bonum dicam. quid eſt otioſius verme? Quæris, quæ res ſapientem faciat? [25] quæ Deum. Des oportet illi aliquid diuinum, aliquid cæleſte, magnificum. Non in omnes bonum cadit, nec quemlibet poſſeſſorem patitur. Vide, B

Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet.
Hîc ſegetes, illîc veniunt feliciùs vuæ:
Arborei fœtus alibi, atque imuſſa vireſcunt
Gramina. nónne vides, croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua tura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum. ——

Iſta in regiones deſcripta ſunt, vt neceſſarium mortalibus eſſet inter ipſos commercium, ſi inuicem alius ab alio aliquid peteret. Summum illud bonum, & ipſum ſuam habet ſedem: non naſcitur vbi ebur, nec vbi ferrum. Quis ſit ſummi boni locus, quæris? animus. hic niſi purus ac ſanctus eſt, Deum non capit. Bonum ex malo non fit: fiunt autem ex auaritiâ diuitiæ: ergo non ſunt bonum. Non eſt,inquit,verum,bonum ex malo non naſci. Ex ſacrilegio enim & furto pecunia naſcitur.itaque malum quidem eſt ſacrilegium & furtum: ſed ideò, quia plura mala facit, quàm bona. Dat enim lucrum, ſed C
cum metu,ſolicitudine,tormentis & corporis & animi.Quiſquis hoc dicit,neceſſe eſt recipiat, ſacrilegium ſicut malum ſit, quia multa mala facit, ita bonum quoque ex aliquâ parte eſſe, quia aliquid boni facit: quo quid fieri portentoſius poteſt? [26] Quamquam ſacrilegium,furtum & adulterium inter bona haberi, prorſus perſuaſimus. Quàm multi furto non erubeſcunt, quàm multi adulterio gloriantur? nam [27] ſacrilegia minuta puniuntur,magna in triumphis feruntur. Adiice nunc,quòd ſacrilegium,ſi omnino ex aliquâ parte bonum eſt,etiam honeſtum erit,& rectè factum vocabitur: noſtra enim actio eſt: quod nullius mortalium cogitatio recipit. ergo bona naſci ex malo non poſſunt. Nam ſi,vt dicitis,ob hoc vnum ſacrilegium malum eſt, quia multum mali adfert: ſi remiſeris illi ſupplicia, ſi ſecuritatem ſpoponderis, ex toto bonum erit. Atqui maximum ſcelerum ſupplicium, in ipſis eſt. Erras, inquam, ſi illa ad carnificem aut ad carcerem differs. ſtatim puniuntur cùm facta ſunt, imò dum fiunt. Non naſcitur itaque ex malo bonum, non magis quàm ficus ex oleâ. ad ſemen nata reſpondent: bona degenerare D
non poſſunt. Quemadmodum ex turpi honeſtum non naſcitur, ita ne ex malo quidem bonum: nam idem eſt honeſtum & bonum. Quidam ex noſtris aduerſus hoc ſic reſpondent: putemus pecuniam bonum eſſe vndecumque ſumptam, non tamen ideò ex ſacrilegio pecunia eſt, etiamſi ex ſacrilegio ſumitur. Hoc ſic intellige. In eadem vrnâ & aurum eſt, & vipera. Si aurum ex vrnâ ſuſtuleris, quia illîc & vipera eſt, non ideò mihi

vrna

22. SVO ÆRE CENSETVR.] *Proprio,non aduenticio bono.*

23. QVOMODOLIBET INCVRRENTIBVS.] *Magis probo*, quolibet: *quod ſcripti quidam.*

24. IN ACCESSIONEM EIVS VENIT.] *Intellige. ipſe fiſcus, ſiue ſportula pecuniaria, accedit pecuniæ. Nihil eſt, ſine eâ.*

25. QVÆ DEVM.] *Perfecta ratio: quæ pars in nobis eſt Communis illius Rationis, id eſt Dei. Tamen in meo, & quibuſdam:* quæ ceteri: *in vno*, quæ Deum ceteri. *Quid hoc ſit, non peruado.*

26. QVAMQVAM SACRILEGIVM.] *Gruteri eſt emendatio, & certa.*

27. SACRILEGIA MINVTA.] *Tale quiſpiam:* Paruos fures in compedibus, magnos in purpurâ ſpectari.

28. In-

A vrna aurum dat, quia viperam habet, ſed aurum dat, cùm & viperam habeat. Eodem modo ex ſacrilegio lucrum fit: non quà turpe & ſceleratum eſt ſacrilegium, ſed quà lucrum habet. quemadmodum in illâ vrnâ vipera malum eſt, non aurum quod cum viperâ iacet: ſic in ſacrilegio malum eſt ſcelus, non lucrum. Quibus opponitur: Diſſimillima vtriuſque rei conditio eſt. Illîc aurum poſſum, ſine viperâ tollere: hîc lucrum ſine ſacrilegio facere non poſſum. lucrum iſtud non eſt appoſitum ſceleri, ſed immixtum. Quod dum conſequi volumus, in multa mala incidimus: id bonum non eſt: dum diuitias conſequi volumus, in multa mala incidimus: ergo diuitiæ bonum non ſunt. Duas, inquit, ſignificationes habet propoſitio veſtra. vnam, dum diuitias conſequi volumus, in multa nos mala incidere: in multa autem mala incidimus, & dum virtutem conſequi volumus. Aliquis, dum nauigat ſtudij cauſsâ, naufragium fecit: aliquis captus eſt. Altera ſignificatio talis eſt: Per quod in mala incidimus, id bonum non eſt. Huic propoſitioni non erit conſequens, per diuitias nos, aut per voluptates in mala incidere: aut
B ſi per diuitias in multa mala incidimus, non tantùm bonum diuitiæ non ſunt, ſed malum ſunt. Vos autem illas dicitis tantùm, bonum non eſſe. Præterea, inquit, conceditis diuitias habere aliquid vſus: [28] inter commoda illas numeratis. Atqui eadem ratione ne commodum quidem erunt: per illas enim multa nobis incommoda eueniunt. His quidam hoc reſpondent: Erratis, qui incommoda diuitiis imputatis. Illæ neminem lædunt. aut ſua cuique nocet ſtultitia, aut aliena nequitia. ſic, quemadmodum gladius, qui neminem occidit, occidentis telum eſt. Non ideò diuitiæ tibi nocent, ſi propter diuitias tibi nocetur. Poſidonius (vt ego exiſtimo) melius: qui ait diuitias eſſe cauſſam malorum, non quia ipſæ faciant aliquid, ſed quia [29] facturos irritant. Alia eſt enim cauſſa efficiens, quæ protinus neceſſe eſt noceat: alia præcedens. hanc præcedentem cauſſam diuitiæ habent. Inflant animos, ſuperbiam pariunt, inuidiam contrahunt, & vſque eò mentem alienant, vt fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet. Bona autem omni carere culpâ decet. pura ſunt, non corrumpunt animos, non ſolicitant: extollunt quidem & dilatant,
C ſed ſine tumore. Quæ bona ſunt, fiduciam faciunt: diuitiæ audaciam. Quæ bona ſunt, magnitudinem animi dant: diuitiæ inſolentiam. Nihil autem aliud eſt inſolentia, quàm ſpecies magnitudinis falſa. Iſto modo, inquis, etiam malum ſunt diuitiæ, non tantùm bonum non ſunt. Eſſent malum, ſi per ſe nocerent, ſi (vt dixi) haberent efficientem cauſſam: nunc præcedentem habent, & quidem non irritantem tantùm animos, ſed attrahentem. Speciem enim boni oſtendunt veriſimilem, ac pleriſque credibilem. Habet virtus quoque præcedentem cauſſam, ad inuidiam: multis enim propter ſapientiam, multis propter iuſtitiam inuidetur: ſed nec ex ſe hanc cauſſam habet, nec veriſimilem. Contrà enim veriſimilior illa ſpecies hominum animis obiicitur à virtute, quæ illos in amorem & admirationem vocet. Poſidonius ſic interrogandum ait: Quæ neque magnitudinem animo dant, nec fiduciam, nec ſecuritatem, non ſunt bona: diuitiæ autem, & bona valetudo, & ſimilia his, nihil horum faciunt: ergo non ſunt bona. Hanc interrogationem magis etiamnum hoc modo intendit: Quæ neque magnitudinem animo
D dant, nec fiduciam, nec ſecuritatem, contrà autem inſolentiam, tumorem, arrogantiam creant, mala ſunt: à fortuitis autem in hæc impellimur: ergo non ſunt bona. Hac, inquit, ratione ne commoda quidem iſta erunt. Alia eſt commodorum conditio, alia bonorum. Commodum eſt, quod plus vſus habet, quàm moleſtiæ: bonum ſincerum eſſe debet, & ab omni parte innoxium. Non eſt id bonum, quod plus prodeſt: ſed quod tantùm prodeſt. Propterea commodum & ad animalia pertinet, & ad imperfectos homines, & ad ſtultos. Itaque poteſt ei eſſe incommodum mixtum: ſed commodum dicitur,

28. INTER COMMODA ILLAS.] *Stoicorum* ὤχρησα. *Vide Manuduct.* II. *Differt.* XXII.

29. FACTVROS IRRITANT.] *Pro totâ hac re pulchra, & ſimilia, in Sophoclis Antigonâ, de Argẽto:*

Τὸ δ' ἐκδιδάσκει καὶ παραλλάσσει φρένας
Χρηστὰς πρὸς αἰσχρὰ πράγματ' ἴσασθ' βροτῶν,
Παντουργίας δ' ἔδειξεν ἀνθρώπους ἔχειν,
Καὶ παντὸς ἔργου δυσσέβειαν εἰδέναι:
Hoc illud eſt, quod mutat & mentes docet
Ad fœda rerum & praua ſe conuertere:
Fraudes doloſque ſuggerit mortalibus,
Et improbos, ſimulque & impios, facit.

EPIST.

citur, à maiore ſuæ parte æſtimatum. Bonum ad vnum ſapientem pertinet, inuiolatum A
eſſe oportet. Bonum animum habe. vnus tibi nodus, ſed Herculaneus, reſtat. Ex malis bonum non fit: ex multis paupertatibus diuitiæ fiunt: ergo diuitiæ bonum non ſunt. Hanc interrogationem noſtri non agnoſcunt. Peripatetici & fingunt illam, & ſoluunt. Ait autem Poſidonius, hoc ſophiſma per omnes dialecticorum ſcholas iactatum, ſic ab Antipatro refelli. Paupertas non per poſitionem, ſed per detractionem dicitur, vel (vt antiqui dixerunt) per orbationem: Græci dicunt κατὰ στέρησιν. non quòd habeat, dicitur, ſed quòd non habeat. Itaque ex multis inanibus nihil impleri poteſt: diuitias multæ res faciunt, non multæ inopiæ. Aliter quàm debes, paupertatem intelligis. Paupertas eſt, non quæ pauca poſſidet, ſed quæ multa non poſſidet. Ita non ab eo dicitur quod habet, ſed ab eo quod ei deeſt. Faciliùs quod volo exprimerem, ſi Latinum verbum eſſet, quo ἀπορία ſignificatur. Hanc paupertati Antipater aſſignat. Ego non video quid aliud ſit paupertas, quàm parui poſſeſſio. De iſto videbimus, ſi quando valdè vacabit, quæ ſit diuitiarum, quæ paupertatis ſubſtantia: ſed tunc quoque conſiderabimus, numquid B
ſatius ſit paupertatem permulcere, diuitiis demere ſupercilium, quàm litigare de verbis, quaſi iam de rebus iudicatum ſit. Putemus nos ad concionem vocatos. Lex de abolendis diuitiis fertur: his interrogationibus ſuaſuri aut diſſuaſuri ſumus? his effecturi, vt populus Romanus paupertatem, fundamentum & cauſſam imperij ſui, requirat ac laudet? diuitias autem ſuas timeat? vt cogitet has ſe apud victos reperiſſe? Hinc ambitum, & largitiones, & tumultus, in vrbem ſanctiſſimam temperantiſſimamque irrupiſſe? nimis luxuriosè oſtentari gentium ſpolia? quod vnus populus eripuerit omnibus, faciliùs vni ab omnibus eripi poſſe? Hæc ſatius eſt ſuadere, & expugnare affectus, non circumſcribere. Si poſſumus, fortiùs loquamur: ſi minùs, apertiùs.

EPIST. LXXXVIII. C

LIBERALIA ſtudia in bonis non eſſe, nec ad Virtutem per ſe ducere. Singillatim hoc docet, in Grammaticâ, Muſicâ, Geometriâ, Aſtronomiâ. Etſi tamen non ducunt, conducunt: id eſt, iuuant & præparant. Tum diuiſio alia Artium, in Vulgares, Ludicras, Pueriles, Liberales: & in iſtis, ſolam Philoſophiam eſſe, quæ verè liberum facit. Sola etiam de Bonis Maliſque indagat, ſola noſcit. Sola igitur colenda, aut præcipuè eſt: & oſtendit, quàm inutilia, aut ſuperflua Philologi ſectentur; quidam etiam Philoſophi. O bona hîc, ô aurea! Legite iuuenes, ſeneſque.

[1] DE liberalibus ſtudiis quid ſentiam, ſcire deſideras. [2] Nullum ſuſpicio, nullum in bonis numero, [3] quod ad æs exit. Meritoria artificia ſunt, hactenus vtilia, ſi præparant ingenium, non detinent. Tamdiu enim iſtis immorandum eſt, quamdiu nihil animus agere maius poteſt. rudimenta ſunt noſtra, non opera. Quare liberalia ſtudia dicta ſint vides, quia homine libero digna ſunt. Ceterùm [4] vnum ſtudium verè li- D
berale eſt, quod liberum facit, hoc ſapientiæ, ſublime, forte, magnanimum: cetera puſilla & puerilia ſunt. An tu quidquam in iſtis eſſe credis boni, quorum profeſſores turpiſſimos

EPIST. LXXXVIII. 1. DE LIBERALIBVS STVDIIS.] *In pleriſque priſcis ſeorſim, quaſi liber, ſcribitur, inſcribiturq;*: L. Annæi Senecæ liber de ſeptem artibus liberalibus. *Ita & in meo, locaturq; poſt epiſtolas, & libellum De remediis fortuitorum. Mihi tamen Epiſtola videtur: & plures tales longæ ſunt, an longiores.*

2. NVLLVM SVSPICIO.] *Vt Stoicus loquitur. nam & Zeno (quod obiectum à multis) τὴν ἐγκύκλιον παιδείαν ἄχρηστον ἀποφαίνει, ἐν ἀρχῇ τῆς πολιτείας:* liberalem doctrinam inutilem declarat, initio ſuæ Reipublicæ. *Hæc talia, vti temperanda, & dextrè capienda ſint, dixi* 1. *Manuduct. Diſſ.* 1. *&* 11.

3. QVOD AD ÆS EXIT.] *Scripti*, ædes exit; *quidam*, adhæſit. *Haud valdè à vulgato, id eſt vero abeunt: & miror viros doctos ſic damnare. Equidem vel teneo editum*, ad æs exit, *vel reſcribo*, ad æs it. *Ait, Non numero inter bona, artes quæ mercedulam aut pecuniam quærunt. Et verò ſequētia verba nónne palàm* Meritoria artificia *appellant? Nam Muretus* Militaria, *cùm legi voluit, aliud profectò egit.*

4. VNVM STVDIVM VERE LIBERALE.] *Idem ad Heluiam, cap.* XVI.

5. Ho-

A piſſimos omnium ac flagitioſiſſimos cernis? Non diſcere debemus iſta, ſed didiciſſe. Quidam illud de liberalibus ſtudiis quærendum iudicauerunt, an virum bonum facerent. Ne promittunt quidem, nec huius rei ſcientiam affectant. Grammaticus circa curam ſermonis verſatur, &, ſi latiùs euagari vult, circa hiſtorias. Iam vt longiſſimè fines ſuos proferat, circa carmina. Quid horum ad virtutem viam ſternit? Syllabarum enarratio, & verborum diligentia, & fabularum memoria, & verſuum lex ac modificatio? Quid ex his metum demit, cupiditatem eximit, libidinem frænat? Ad geometriam trāſeamus, & ad muſicam: nihil apud illas inuenies, quod vetet timere, vetet cupere: quæ quiſquis ignorat, alia fruſtrà ſcit. Videndum vtrùm doceant iſti virtutem, an non. ſi non docent, nec tradunt quidem: ſi docent, philoſophi ſunt. Vis ſcire, quàm non ad docendam virtutem conſederint? adſpice quàm diſſimilia inter ſe omnium ſtudia ſint. atqui ſimilitudo eſſet idem docentium. Niſi fortè tibi [5] Homerum philoſophum fuiſſe perſuadent, cùm his ipſis quibus colligunt, negent. Nam [6] modò Stoicum illum fa-
B ciunt, virtutem ſolam probantem, & voluptates refugientem, & ab honeſto [7] ne immortalitatis quidem pretio recedentem: modò Epicuréum, [8] laudantem ſtatum quietæ ciuitatis, & inter conuiuia cantuſque vitam exigentis: modò Peripateticum, [9] bonorum tria genera inducentem: modò Academicum, [10] incerta omnia dicentem. Apparet nihil horum eſſe in illo, quia omnia ſunt: iſta enim inter ſe diſſident. Demus illis, Homerum philoſophum fuiſſe. nempe ſapiens factus eſt, [11] antequam carmina vlla cognoſceret: ergo illa diſcamus, quæ Homerum fecere ſapientem. Hoc quidem me quærere, vtrùm [12] maior ætate fuerit Homerus an Heſiodus, non magis ad rem pertinet; quàm ſcire an minor Hecuba fuerit, quàm Helena, & quare [13] tam malè tulerit ætatem. Quid, inquam, annos [14] Patrocli & Achillis inquirere, ad rem exiſtimas pertinere? Quæris, [15] Vlixes vbi errauerit, potiùs quàm efficias, ne nos ſemper erremus?

Non

5. HOMERVM PHILOSOPHVM PERSVADENT.] *Certè mihi, ſi quiſquam fuit. Vide Manuduct. 1. Diſſert. VII.*

6. MODÒ STOICVM.] *Et ſunt in eo, quæ huc ducant. Sed de iſtis ſequentibúſque, videſis Plutarchum libro de Homero, per partes & ſectas, vt hîc Seneca, exſequentem.*

7. NE IMMORTALITATIS.] *Quam Calypſo pollicebatur.*

8. LAVDANTEM STATVM QVIETÆ CIVITATIS.] *Duplex talis locus. prior initio Iliad. Iotâ, vbi Vlyſſes in Alcinoi gratiam, laudat Phæacum dapſilem illam vitam: quos verſus Plutarchus, & ex eo Muretus, huc conducunt. Alter eſt Iliad. Sigma, in deſcriptione clypei Achillis: qui magis ſanè ad Senecæ iſta facit.* Erant, *inquit*, in eo duæ ciuitates pulchræ factæ:

D — ἐν τῇ μὲν ῥα γάμοι τ' ἔσαν, εἰλαπίναι τε·
Νύμφας δ' ἐκ θαλάμων, δαΐδων ὑπολαμπομένάων,
Ἡγίνεον ἀνὰ ἄστυ, πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει:
Inque vnâ connubia, item conuiuia agebant,
E thalamis ſponſæ, facibus præeuntibus, ibant,
Atque frequens Hymenæus erat, voceſque fauentes.

Tum de choreis addit, cantu & citharâ, & iudiciis: quæ ad ſtatum ſpectant, vt noſter, quietæ ciuitatis. *Nam altera ciuitas, in turbis & bello.*

9. BONORVM TRIA GENERA.] *Simul omnia, de Mercurio, complexus, Iliad. ω.*

——οἷος δὴ σὺ δέμας ἠδὲ εἶδος ἀγητὸς,
Πέπνυσαί τε νόον, μακάρων δ' ἔξ ἐσσι τοκήων:
Qualis corpore tu pulcher, pulcher quoque formâ:
Atque animo prudens, & natus ſtirpe beatâ.
Dat corporis formam, animi bona, & nobilitatem.

10. INCERTA OMNIA DICENTEM.] *Ideò Pyrrhonÿ ſibi vindicabant, & ducem ſuæ ſectæ præſcribebant: Laërtius in Pyrrhone.*

11. ANTEQVAM CARMINA VLLA COGNOSCERET.] *Hæc aſſertio (bonâ tuâ pace Seneca) temeraria aut improba mihi viſa. Quídni ſtatim à puero carmina cognouiſſe potuit, nec ſapiens eſſe? Probabilius, fuiſſe talem, antequam talia, id eſt carmina illa diuina ſcriberet: idq; aſſentimur. Ergo pro* cognoſceret, *ego quidem vellem*, conderet.

12. MAIOR ÆTATE HOMERVS.] *Aſſerit Plutarchus, Conſolat. ad Apollonium, atque alÿ: alÿ contrà. Varro, quaſi arbiter, putat* non eſſe dubium, quin aliquo tempore eodem vixerint, *apud Agellium III. cap. XI. Idem Agellius in Chronologiâ:* De Homero & Heſiodo inter omnes ferè ſcriptores conſtat, ætatem eos egiſſe vel iiſdem ferè temporibus, vel Homerum aliquanto antiquiorem. *Videſis Velleium, & noſtras ibi Notas.*

13. TAM MALE TVLERIT.] *Vt ſenior videretur, quàm eſſet.*

14. PATROCLI ET ACHILLIS.] *Politianus in Miſcellaneis, cap. XLV.*

15. VLIXES VBI ERRAVERIT.] *Similis correptio illa Bionis, apud Stobæum Serm. VIII.* Βίων ἔλεγε τὺς γραμματικὺς ζητοῦντας περὶ Ὀδυσσέως πλάνης, μὴ ἐξετάζειν τὴν ἰδίαν· μηδὲ καθορᾶν, ὅτι ἢ ἐν αὐτῷ τούτῳ πλανῶν), πονοῦντες περὶ τὰ μηδὲν χρήσιμα: Bion aiebat, Grammaticos de errore

Non vacat audire, vtrùm inter Italiam & Siciliam iactatus sit, an [16] extra notum nobis A
orbem: neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus. Tempestates animi nos quotidie iactant, & nequitia in omnia. Vlixis mala impellit. non deest forma quæ sollicitet oculos, non hostis: hinc monstra effera, & humano cruore gaudentia: hinc insidiosa blandimenta aurium: hinc naufragia, & tot varietates malorum. Hoc me doce, quomodo patriam amem, quomodo vxorem, quomodo patrem, quomodo ad hęc tam honesta [17] vel naufragus nauigem. Quid inquiris, an Penelopa impudica fuerit, [18] an verba sæculo suo dederit, an Vlixem illum esse quem videbat, antequam sciret, suspicata sit? Doce me, quid sit pudicitia, & quantum in eâ bonum: in corpore, [19] an in animo posita sit. Ad musicum transeo. Doces me, quomodo inter se acutæ ac graues voces consonent, quomodo neruorum disparem reddentium sonum fiat concordia. Fac potiùs, quomodo animus secum meus consonet, nec consilia mea discrepent. Monstras mihi, qui sint [20] modi flebiles. monstra potiùs, quomodo inter aduersa non emittam flebilem vocem. Metiri me geometres docet latifundia. potiùs doceat, quomodo metiar B
quantum homini sit satis. Numerare docet me arithmetica, & [21] auaritiæ commodare digitos. potiùs doceat, nihil ad rem pertinere istas computationes. Non esse feliciorem, cuius patrimonium [22] tabularios lassat: imò quàm superuacua possideat, qui infelicissimus futurus est, si quantum habeat, per se computare cogatur. Quid mihi prodest, scire agellum in partes diuidere, si nescio cum fratre diuidere? Quid prodest colligere subtiliter pedes iugeri, & comprehendere etiam si quid decempedam effugit, si tristem me facit vicinus potens, & aliquid ex meo abradens? Doces me, quomodo nihil perdam ex finibus meis? at ego discere volo, quomodo totos hilaris amittam. Paterno agro, inquit, & auito expellor. Quid? ante auum tuum quis istum agrum tenuit? Cuius, non dico hominis, sed populi fuerit, expedire potes? Non dominus istò, sed colonus intrasti. Cuius colonus es? [23] si benè tecum agitur, heredis. Negant iurisconsulti quidquam vsucapi, quod publicum est: publicum est hoc quod tenes, & quidem generis humani. O egregiam artem! scis rotunda metiri, in quadratum redigis quamcumq; acceperis formam. C
interualla siderum dicis: nihil est quod in mensuram tuam non cadat. Si artifex es, metire hominis animum. dic quàm magnus sit, dic quàm pusillus sit. Scis quæ recta sit linea: quid tibi prodest, si quid in vitâ rectum sit, ignoras? Venio nunc ad illum qui cælestium notitiâ gloriatur.

Frigida Saturni quò sese stella receptet,
Quos ignis cæli Cyllenius erret in orbes:

Hoc scire quid proderit? vt sollicitus sim, cùm Saturnus & Mars ex contrario stabunt, aut cùm Mercurius vespertinum faciet occasum vidente Saturno? Potiùs hoc discam, vbicumque sunt ista, propitia esse, non posse mutari. Agit illa continuus ordo fatorum, & ineuitabilis cursus: per statas vices remeant. Effectus rerum omnium [24] aut mouent, aut no-

Vlyssis quærentes, suum non inquirere: nec animaduertere, quòd in hoc ipso errarent, in vanis & inutilibus illis laborantes.

16. EXTRA NOTVM NOBIS ORBEM.] *Id est, vltra columnas Herculis, in mari exteriore. Vide in Agellio lib.* XIV. *cap.* VI.

17. VEL NAVFRAGVS NAVIGEM.] *Magis probem,* naufragiis: *quod scripti quidam.*

18. AN VERBA SÆCVLO SVO.] *Bis idem quærit. Itaque Gruterus volebat,* An Penelope pudica. *Ego in prioribus non mutem, sed hîc litterulam*: ac verba. *& sic connectam.*

19. AN IN ANIMO POSITA.] *In ipso animo: est enim virtus. ideoq;* nec oppresso corpore amittitur, *vt Augustin. egregiè disputat De Ciuit. Dei* I. *cap.* XVII. *&* XVIII. *Vis aliena pudicitiam non excutit, etsi pudorem incutit.*

20. MODI FLEBILES.] *Lydij.* D

21. AVARITIÆ COMMODARE DIGITOS.] *Nam digitis ipsis numerabant, & numeros exprimebant.*

22. TABVLARIOS LASSAT.] *Tabulæ erant accepti & expensi, vectigalium & opum. Qui præerant,* Tabularij *dicti. Legas in Glossis etiam,* Ἀριθμητὴς, Tabularius: *id est* Numerator *vel* Calculator, *quia in tabulis exercent.*

23. SI BENE TECVM AGITVR.] *Id est, vt felix sis & ex voto res succedat, prolis tuæ; aut si non habes, externi heredis. Quid si nec heredis? nam potes intestatus mori, potest tyrannus eripere & fisco applicare.*

24. AVT MOVENT, AVT NOTANT.] *Nos de eo in Physiol.* II. *Dissert.* XIII.

25. QVID

A aut notant. Sed ſiue quidquid euenit faciunt, [25] quid immutabilis rei notitia proficiet? ſiue ſignificant, quid refert prouidere, quod effugere non poſſis? Scias iſta, neſcias, fient.

Si verò ſolem ad rapidum ſtellaſque ſequentes
Ordine reſpicias, numquam te craſtina fallet
Hora, nec inſidiis noctis capiere ſerenæ.

Satis abundeque prouiſum eſt, vt ab inſidiis tutus eſſem. Numquid me craſtina non fallit hora? fallit enim, quod neſcienti euenit. Ego quid futurum ſit, neſcio: quid fieri poſſit, ſcio. Ex hoc nihil deſperabo: totum exſpecto. Si quid remittitur, boni conſulo. Fallit me hora, ſi parcit: ſed ne ſic quidem fallit. Nam quemadmodum ſcio omnia accidere poſſe, ſic ſcio & non vtique caſura. Vtique ſecunda exſpecto: malis paratus ſum. In illo feras me neceſſe eſt [26] non per præſcriptum euntem. Non enim adducor, vt in numerum liberalium artium pictores recipiam, non magis, quàm ſtatuarios, aut marmorarios, aut ceteros luxuriæ miniſtros. Æquè luctatores, & totam [27] oleo ac luto con-
B ſtantem ſcientiam expello ex his ſtudiis liberalibus: aut & vnguentarios recipiam, & cocos, & ceteros voluptatibus noſtris ingenia accommodantes ſua. Quid enim, oro te, liberale habent iſti [28] ieiuni vomitores, quorum corpora in ſaginâ, animi in macie & veterno ſunt? An liberale ſtudium iſtud eſſe iuuentuti noſtræ credimus, quam maiores noſtri [29] rectam exercuerunt, haſtilia iacere, ſudem torquere, equum agitare, arma tractare? Nihil liberos ſuos docebant, quod diſcendum eſſet iacentibus. Sed nec hæ nec illæ docent, alúntve virtutem. Quid enim prodeſt equum regere, & curſum eius fræno temperare, affectibus effrænatiſſimis abſtrahi? Quid prodeſt multos vincere luctatione vel ceſtu, ab iracundiâ vinci? Quid ergo? nihil liberalia nobis conferunt ſtudia? ad alia multum, ad virtutem nihil. Nam & hæ viles ex profeſſo artes, quæ manu conſtant, ad inſtrumenta vitæ plurimum conferunt, tamen ad virtutem non pertinent. Quare ergo liberalibus ſtudiis filios erudimus? Non quia virtutem dare poſſunt, ſed quia [30] ani-
C mum ad accipiendam virtutem præparant. Quemadmodum prima illa, vt antiqui vocabant, litteratura, per quam pueris elementa traduntur, non docet liberales artes, ſed mox præcipiendis locum parat: ſic liberales artes non perducunt animum ad virtutem, ſed expediunt. Quattuor ait eſſe Poſidonius artium genera. Sunt vulgares & ſordidæ, ſunt ludicræ, ſunt pueriles, ſunt liberales. Vulgares opificum, quæ manu conſtant, & ad inſtruendam vitam occupatæ ſunt: in quibus nulla decoris, nulla honeſti ſimulatio eſt. Ludicræ ſunt, quæ ad voluptatem oculorum atq; aurium tendunt. His annumeres licet machinatores, qui [31] pegmata per ſe ſurgentia excogitant, & tabulata tacitè in ſublime creſcentia, & alias ex inopinato varietates, aut dehiſcentibus quæ cohærebant, aut his quæ diſtabant ſuâ ſponte coëuntibus, aut his quæ eminebant, paullatim in ſe reſidentibus. His imperitorum feriuntur oculi, omnia ſubita (quia cauſſas non nouere) mirantium.

25. QVID IMMVTABILIS REI.] *Belle in Anthologiâ:*

D Εἰ μὲν ἦν μαθεῖν, ἃ δεῖ παθεῖν,
Καὶ μὴ παθεῖν· καλὸν ἦν τὸ μαθεῖν.
Εἰ δὲ δεῖ παθεῖν, ἃ δ' ἦν μαθεῖν,
Τί δεῖ μαθεῖν; χρὴ γὰρ παθεῖν:
Scire ſi licet, quæ debes ſubire,
Et non ſubire: pulchrum ſit ſcire.
Sed ſi ſubire oportet, quæ licet ſcire,
Quorſum ſcire? nam debes ſubire.

26. NON PER PRÆSCRIPTVM EVNTEM.] *Non numerantem artes liberales, vt vulgus.*

27. OLEO AC LVTO.] *Ceromate, & haphe. ſuprà epiſt.* LVII. *initio. Athleticam intelligit.*

28. IEIVNI VOMITORES.] *De quibus epiſt.* CXXII. *vide.*

29. RECTAM EXERCVERVNT.] *Meus*, rectum exercuerunt haſtile iacere: *atque ita legendum. Rectum haſtile ideò, quia ſequitur* Sudem torquere. *In ſudis exercitiis, gladio ſe parabant, & ideò ventilabant: haſtile autem, miſsile telum erat in rectum. Tamen ſiquis tueri*, rectam, *velit: poſsit è ſequentibus*, Nihil liberos ſuos docebant, quod diſcendum eſſet iacentibus. *Opponat* rectis, iacentes.

30. ANIMVM AD ACCIP. VIRT. PRÆPARANT.] *Philo, De congreſſu quær. erudit. gratiâ:* Ὥσπερ ἐν οἰκίαις αὐλειοι προκεινται κλισιάδων, ἐν δὲ πόλεσι τὰ προάστεια, δι' ὧν εἴσω βαδίζειν ἔνεστιν· ἕτως καὶ ἀρετῆς προκειν) τὰ ἐγκύκλια. ταῦτα γὰρ ὁδός ἐστιν εἰς ἐκείνην φέρουσα: Vt in ædibus veſtibula ſunt ante fores; in opidis pro-urbia, per quæ in ipſa itur: ſic virtuti præiacent liberales artes. Hæc enim via eſt, quæ fert ad illam.

31. PEGMATA PER SE.] *Affatim de iis nos, libello De Amphitheatro, cap.* XXII.

tium. Pueriles ſunt, & aliquid habentes liberalibus ſimile, hæ artes quas ἐγκυκλίους A
Græci, noſtri liberales vocant. Solæ autem liberales ſunt, imò (vt dicam verius) liberæ,
quibus curæ virtus eſt. Quemadmodum, inquit, eſt animi aliqua pars philoſophiæ na-
turalis, eſt aliqua moralis, eſt aliqua rationalis; ſic & hæc quoque liberalium artium tur-
ba locum ſibi in philoſophiâ vindicat. Cùm ventum eſt ad naturales quæſtiones, geo-
metriæ teſtimonio ſtatur. Ergo eius quam adiuuat, pars eſt? multa adiuuant nos, nec
ideò partes noſtræ ſunt: imò ſi partes eſſent, non adiuuarent. Cibus adiutorium corpo-
ris, nec tamen pars eſt. Aliquid nobis præſtat geometriæ miniſterium. Sic philoſophiæ
neceſſaria eſt, quomodo ipſi faber: ſed nec hic geometriæ pars eſt, nec illa philoſophiæ.
Præterea, vtraque fines ſuos habet. ſapiens enim cauſſas naturalium & quærit & nouit,
quorum numeros menſuraſque geometres perſequitur & ſupputat. Quâ ratione con-
ſtent cæleſtia, quæ illis ſit vis, quæve natura, ſapiens ſcit: curſus & recurſus & obſerua-
tiones, per quas deſcendunt & alleuantur, ac ſpeciem interdum ſtantium præbent, cùm
cæleſtibus ſtare non liceat, colligit mathematicus. Quæ cauſſa in ſpeculo imagines ex- B
primat, ſcit ſapiens: illud tibi geometer poteſt dicere, quantum abeſſe debeat corpus ab
imagine, & qualis forma ſpeculi, quales imagines reddat. Magnum eſſe ſolem philoſo-
phus probabit: quantus ſit, mathematicus, qui vſu quodam & exercitatione procedit:
ſed vt procedat, impetranda illi quædam principia ſunt. Non eſt autem ars ſui iuris, cui
precarium fundamentum eſt. Philoſophia nil ab alio petit, totum opus [32] à ſolo exci-
tat. Mathematica (vt ita dicam) ſuperficiaria eſt, in alieno ædificat, aliena accipit princi-
pia, quorum beneficio ad vlteriora perueniat: ſi per ſe iret ad verum, ſi totius mundi na-
turam poſſet comprehendere, dicerem multũ collaturam mentibus noſtris quæ tractatu
cæleſtium creſcunt, trahuntque aliquid ex illo. Vnâ re conſummatur animus, ſcientiâ
bonorum ac malorum immutabili, quæ ſoli philoſophiæ competit. Nulla autem ars
alia de bonis ac malis quærit. [33] Singulas habet circumire virtutes. Fortitudo contem-
ptrix timendorum eſt: terribilia, & ſub iugum libertatem noſtram mittentia, deſpicit,
prouocat, frangit: numquid ergo hanc liberalia ſtudia corroborant? Fides ſanctiſſimum C
humani pectoris bonum eſt, nullâ neceſſitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur
præmio. Vre, inquit, cæde, occide, non prodam: ſed quò magis ſecreta quæret dolor,
hoc illa altiùs condam. numquid liberalia ſtudia hos animos facere poſſunt? Tempe-
rantia voluptatibus imperat: alias odit atque abigit, alias diſpenſat, & ad ſanum modum
redigit, nec vmquam ad illas propter ipſas venit. Scit optimum eſſe modum cupitorum,
non quantum velis, ſed quantum debeas, ſumere. Humanitas vetat ſuperbum eſſe ad-
uerſus ſocios, vetat auarum: verbis, rebus, affectibus comem ſe, facilemque omnibus
præſtat: nullum alienum malum putat, bonum autem ſuum id maximè, quod alicui
bono futurum eſt, amat. numquid liberalia ſtudia hos mores præcipiunt? non magis
quàm ſimplicitatem, ac modeſtiam, ac frugalitatem, ac parſimoniam: non magis quàm
clementiam, quæ alieno ſanguini tamquam ſuo parcit, & ſcit homini non eſſe homine
prodigè vtendum. Cùm dicatis, inquit, ſine liberalibus ſtudiis ad virtutem non perue-
niri, quemadmodum negatis illa nil conferre virtuti? quia nec ſine cibo ad virtutem per- D
uenitur, cibus tamen ad virtutem non pertinet. Ligna nihil naui conferunt, quamuis
non fiat nauis ſine lignis. Non eſt, inquam, cur aliquid putes eius adiutorio fieri, ſine quo
non poteſt fieri. Poteſt quidem etiam illud dici, ſine liberalibus ſtudiis veniri ad ſapien-
tiam poſſe: quamuis enim virtus diſcenda ſit, tamen non per hæc diſcitur. Quid eſt au-
tem, quare exiſtimem, non futurum ſapientem eum qui litteras neſcit: cùm ſapientia
non ſit in litteris? Res tradit, non verba: & neſcio an [34] certior memoria ſit, quæ nullum
extra ſe ſubſidium habet. Magna & ſpatioſa res eſt, ſapientia: vacuo illi loco opus eſt:
de diuinis humaniſque diſcendum eſt: de præteritis, de futuris, de caducis, de æternis,
de tem-

32. A SOLO EXCITAT.] *Ab ipſis fundamentis.*

33. SINGVLAS HABET CIRCVMIRE.] *Muretus*, lubet, *ſubſtituit: Pythæus*, hauet; *ego vellem*, habeo, *ſi mutas: vel*, habe.

34. CERTIOR MEMORIA SIT.] *Idcò Druides (apud Cæſarem* VI. *Gallicor.)* fas non putabant ſua litteris mandare. quòd nollent eos, qui diſcunt, litteris confiſos, minus memoriæ ſtudere.

35. QVAM

A de tempore: de quo vno, vide [35] quàm multa quærantur. Primùm, an per se sit aliquid: deinde, an aliquid ante tempus sit: si tempus cum mundo cœpit, an & ante mundum quia fuerit aliquid, fuerit & tempus. Innumerabiles [36] quæstiones sunt de animo tantùm: vnde sit, qualis sit, quando esse incipiat, quamdiu sit: an aliunde aliò transeat, & domicilium mutet, ad alias animalium formas, aliasque coniectus: an non ampliùs quàm semel seruiat, & emissus [37] vagetur in toto: vtrùm corpus sit, an non sit: quid sit facturus, cùm per nos aliquid facere desierit: quomodo libertate suâ vsurus, cùm ex hac effugerit caueâ: an obliuiscatur priorum, & illic nosse se incipiat, [38] postquam de corpore abductus in sublime secessit. Quamcumque partem rerum humanarum diuinarumque comprehenderis, ingenti copiâ quærendorum ac discendorum fatigaberis. Hæc tam multa, tam magna, vt habere possint liberum hospitium, superuacua ex animo tollenda sunt. Non dabit se in has angustias virtus. laxum spatium res magna desiderat. expellantur omnia: totum pectus illi vacet. At enim delectat artium notitia multarum.

B Tantum itaque ex illis retineamus, quantum est necessarium. [39] An tu existimas reprehendendum, qui superuacua vsu sibi comparat, & pretiosarum rerum pompam in domo explicat: non putas eum, qui occupatus est in superuacuâ litterarum supellectile? Plus scire velle quàm sit satis, intemperantiæ genus est. Quid, quòd ista liberalium artium consectatio molestos, verbosos, intempestiuos, sibi placentes facit, & ideò non discentes necessaria, quia superuacua didicerunt? [40] Quattuor millia librorum Didymus grammaticus scripsit: [41] miser, si tam multa superuacua legisset. In his libris de patriâ Homeri quæritur, in his de Æneæ [42] matre verâ: in his [43] libidinosior Anacreon, an ebriosior vixerit: in his, [44] an Sappho publica fuerit: & alia, quæ erant dediscenda, si scires. I nunc, & longam esse vitam nega. Sed ad nostros quoque cùm peruueneris, ostendam multa securibus recidenda. Magno impendio temporum, magnâ alienarum aurium molestiâ, laudatio hæc constat: *O hominem litteratum!* Simus hoc titulo rusticiore contenti: *O virum bonum!* Itáne est? annales euoluam omnium gentium, & quis primus

C carmina scripserit, quæram: quantum temporis inter Orphea interfit & Homerum, cùm fastos non habeam, computabo: & Aristarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognoscam: & ætatem in syllabis conteram? Itáne in geometriæ puluere hærebo? Adeò mihi præceptum illud salutare excidit: *Tempori parce?* Hæc sciam, [45] vt quid ignorem? Appion grammaticus qui sub C. Cæsare [46] totâ circumlatus est Græciâ, & [47] in no-

35. QVAM MVLTA QVÆRANTVR.] *Explicata hæc à nobis, cùm sequentibus, Physiol.* II. *Dissert. vltimâ.*

36. QVÆSTIONES SVNT DE ANIMO.] *Totus & hic locus ordine pertractatus Physiol.* III. *Dissertat.* VIII. *& deinceps.*

37. VAGETVR IN TOTO.] πῷ ὅλῳ: *in Mundo.*

D 38. POSTQVAM DE CORPORE.] *Est Mureti. nam libri*, an de corpore; *vel*, vnde. *Lego:* cùm de corpore.

39. AN TV EXISTIMAS.] *Hæc & sequentia nimis velim Philologi nostri attendant, & admittant.*

40. QVATTVOR MILLIA LIBRORVM.] *Suidas notat*, tria millia & quingentos *scripsisse. Dictus fuit ab assiduitate & perpessione laboris* χαλκέντερος: ferreis visceribus: *vixitq; Ciceronis & Augusti æuo.*

41. MISER, SI TAM MVLTA.] *Haud malè alij libri*, misererer, si,

42. MATRE VERA.] *Nam opinione mater Venus erat.*

43. LIBIDINOSIOR ANACREON.] *Superfluens quæstio, & verè grammatica. Virumque autem in eo eximiè comparet.*

44. AN SAPPHO PVBLICA.] *Vidi qui vellet*, Sappho pudica; *alium qui*, Sappho Sibylla; *ego (si quid mutandum) vellem*, pullaria. *Scitum, quid ei obiectum. Sed*, publica, *si tenetur, explica, an & vulgo se vulgauerit.*

45. VT QVID IGNOREM?] *Veteres*, & quid. *Sensum non elicio: non quidem aptum, aut salutarem. Fortasse*: Hæc sciam, quis ignorem? *Id esset, Illa extra me sciam: ipse quis sim, nesciam? vel etiam:* & quid si ignorem?

46. TOTA CIRCVMLATVS EST GRÆCIA.] *Quasi manibus gestatus, & vt publica quædam pompa. Tamen*, circulatus, *in meo libro optimo legitur: & probem. Agyrta fuit & circulator. Est qui* πλειστονίκης *vulgò agnominabatur, vt in Clemente, Eusebio, Agellio legas, quasi* multi-victor: *siue, vt in Suidâ,* Ἀπίων ὁ πλειστονίκης, *filius scilicet Plistonicæ: Didymi, de quo antè, discipulus, & agnominatus item ab assiduitate* μοχθὸς, labor; *à Tiberio iocosè & verè*, cymbalum mundi.

[47] in nomen Homeri ab omnibus ciuitatibus adoptatus, aiebat: Homerum vtraque A
materiâ consummatâ, & Odysseâ, & Iliade, principum adiecisse operi suo, quo bellum Troianum complexus est. Huius rei argumentum afferebat, quòd [48] duas litteras in primo versu posuisset ex industriâ librorum suorum numerum continentes. Talia sciat oportet, qui multa vult scire. Non vis cogitare, quantum temporis tibi auferat mala valetudo, quantum occupatio publica, quantum occupatio priuata, quantum occupatio quotidiana, quantum somnus. metire ætâtem tuam: tam multa non capit. De liberalibus studiis loquor: philosophi quantum habent superuacui, quantum ab vsu recedentis? Ipsi quoque ad syllabarum distinctiones, & coniunctionum ac præpositionum proprietates descenderunt, & inuidêre grammaticis, inuidêre geometris. Quidquid in illorum artibus superuacuum erat, transtulêre in suam. Sic effectum est, vt diligentiùs sciant loqui, quàm viuere. Audi, quantum mali faciat nimia subtilitas, & quàm infesta veritati sit. [49] Protagoras ait, de omni re in vtramque partem disputari posse, ex æquo. & de hac ipsâ, an omnis res in vtramque partem disputabilis sit. Nausiphanes ait, ex his B
quæ videntur esse, nihil magis esse, quàm non esse. Parmenides ait, ex his quæ videntur, [50] nihil esse in vniuersum. Zenon Eleates omnia negotia de negotio deiecit: ait nihil esse. Circa eadem ferè Pyrrhonij versantur, & Megarici, [51] & Eretrici, & Academici, qui nouam induxerunt scientiam, nihil scire. Hæc omnia in illum superuacuum studiorum liberalium gregem coniice. Illi mihi non profuturam scientiam tradunt, hi spem omnis scientiæ eripiunt: satius est superuacua scire, quàm nihil. Illi non præferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum: hi oculos mihi effodiunt. Si Protagoræ credo, nihil in rerum naturâ est, nisi dubium: si Nausiphani, hoc vnum certum est, nihil esse certi: si Parmenidi, nihil est præter vnum: [52] si Zenoni, ne vnum quidem. Quid ergo nos sumus? quid ista quæ nos circumstant, alunt, sustinent? Tota rerum natura vmbra est, aut inanis, aut fallax. Non facilè dixerim, vtrùm magis irascar illis, qui nos nihil scire voluerunt: an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil scire.

C

EPIST. LXXXIX.

PHILOSOPHIAE & Sapientiæ discrimen: & illius diuisio varia, partiumque iterùm diuisio, & descriptio. Monitum deinde, hæc & talia ad mores atque animum referenda: & obiter in malè diuites inuehitur, luxumque simul & auaritiam castigat.

REM vtilem desideras, & ad sapientiam properanti vtique necessariam, diuidi philosophiam, & ingens corpus eius in membra disponi. Faciliùs enim per partes in cognitionem totius adducimur. Vtinam quemadmodum vniuersi mundi facies in conspectum venit, ita philosophia tota nobis posset occurrere, simillimum mundo spectaculum! Profectò enim omnes mortales in admirationem sui raperet, relictis his quæ D
nunc magna, magnorum ignorantiâ, credimus. Sed quia contingere hoc non potest, [1] sic erit à nobis adspicienda, quemadmodum mundi secreta cernuntur. Sapientis quidem

47. IN NOMEN HOMERI.] *Cognominatus passim alter Homerus.*

48. DVAS LITTERAS.] *Scilicet* M. *&* H. *in voce* μῆνιν: *quæ signant* XLVIII. *Quid alius nugator (in Plutarcho, Quæst. Conuiu.* IX. *cap.* III.) *qui totidem syllabas in primo versu Iliados, & illo Odysseæ notabat? idem, in vtroque postremo. Nam septemdecim syllabæ sunt initio vtriusque operis, sedecim in fine.*

49 PROTAGORAS AIT.] *Hæc omnia, pertractata* II. *Manud. Dissert.* IV.

50. NIHIL ESSE IN VNIVERSVM.] *Docui ibi scribendum*, Ex his quæ videntur, vnum esse vniuersum, *vel si vis*, vniuersa.

51. ET ERETRICI.] *Olim emendauimus: & sic dicti à patriâ Menedemi, sectæ auctoris. De non-scientiâ, idem ferè Pyrrhoniis censebant.*

52. SI ZENONI.] *Cognomento, Eleati.*

EPIST. LXXXIX. 1. SIC ERIT A NOBIS ADSPICIENDA.] *Mirum quid ita libri in voculâ notâ turbent. Nam alij*, abscienda, adscienda; *meus*, abscidenda.

2. IN-

A dem animus totam molem eius amplectitur, nec minùs illam velociter obit, quàm cælum acies noſtra: nobis autem, quibus perrumpenda caligo eſt, & quorum viſus in proximo deficit, ſingula quæque oſtendi facilius poſſunt, vniuerſi nondum capacibus. Faciam ergo quod exigis, & philoſophiam in partes, non in fruſta, diuidam. Diuidi enim illam, non concidi, vtile eſt. nam comprehendere quemadmodum maxima, ita minima, difficile eſt. Deſcribitur in tribus populus, in centurias exercitus. Quidquid in maius creuit, facilius agnoſcitur, ſi diſceſſit in partes: quas (vt dixi) innumerabiles eſſe & paruas, non oportet. Idem enim vitij habet nimia, quod nulla diuiſio: ſimile confuſo eſt, quidquid vſque in puluerem ſectum eſt. Primum itaque, ſicut videtur tibi dicam, [2] inter ſapientiam & philoſophiam quid interſit. Sapientia perfectum bonum eſt mentis humanæ: philoſophia ſapientiæ amor eſt & affectatio. Hæc oſtendit, quò illa peruênit. Philoſophia vnde dicta ſit, apparet: ipſo enim nomine fatetur. Quidam ſapientiam ita finierunt, vt dicerent eam [3] diuinorum & humanorum ſcientiam. Quidam ita:
B Sapientia eſt, noſſe diuina & humana, & horum cauſſas. Superuacua mihi videtur hæc adiectio, quia cauſſæ diuinorum humanorumque partes ſunt. Philoſophiam quoque, fuerunt qui aliter atque aliter definirent. alij, ſtudium illam virtutis eſſe dixerunt; alij, ſtudium corrigendæ mentis. A quibuſdam dicta eſt, appetitio rectæ rationis. Illud quaſi conſtet, aliquid inter philoſophiam & ſapientiam intereſſe. Neque enim fieri poteſt, vt idem ſit quod affectatur, & quod affectat. Quomodo multum inter auaritiam & pecuniam intereſt, cùm illa cupiat, hæc concupiſcatur: ſic inter philoſophiam & ſapientiam. Hæc enim illius effectus, & præmium eſt: illa venit, ad hanc itur. Sapientia eſt, quam Græci σοφίαν vocant. Hoc verbo quoque Romani vtebantur, ſicut philoſophiâ nunc quoque vtuntur. Quod & togatæ tibi antiquæ probabunt, & inſcriptus [4] Doſſenni monumento titulus:

Hoſpes reſiſte, & ſophiam Doſſenni lege.

Quidam ex noſtris, quamuis philoſophia ſtudium virtutis eſſet, & hæc peteretur, illa
C peteret, tamen non putauerunt illas diſtrahi poſſe. Nam nec philoſophia ſine virtute eſt, nec ſine philoſophiâ virtus eſt. Philoſophia ſtudium virtutis eſt, ſed per ipſam virtutem: nec virtus autem eſſe ſine ſtudio ſui poteſt, nec virtutis ſtudium ſine ipsâ. Non enim quemadmodum in his qui aliquid ex diſtanti loco ferire conantur, alibi eſt qui petit, alibi quod petitur: nec quemadmodum itinera quæ ad vrbes perducunt, extra ipſas ſunt. ad virtutem venitur per ipſam. Cohærent ergo inter ſe philoſophia, virtuſque. [5] Philoſophiæ tres partes eſſe dixerunt & maximi & plurimi auctores: Moralem, Naturalem, & Rationalem. Prima componit animum, ſecunda rerum naturam ſcrutatur, tertia proprietates verborum exigit, & ſtructuram, & argumentationes, ne pro vero falſa ſurrepant. Ceterùm inuenti ſunt, & qui in pauciora philoſophiam, & qui in plura diducerent. Quidam ex Peripateticis quartam partem [6] adiecerunt, Ciuilem: quia quamdam propriam exercitationem deſideret, & circa aliam materiam occupata ſit. Quidam adiecerunt his partem, quam Græci οἰκονομικὴν vocant, adminiſtrandæ rei familiaris ſcien-
D tiam. Quidam & de generibus vitæ locum ſeparauerunt. Nihil autem horum in illâ parte morali non reperitur. Epicuréi duas partes philoſophiæ putauerunt eſſe, Naturalem atque Moralem: [7] Rationalem remouerunt. Deinde cùm ipſis rebus cogerentur ambigua ſecernere, falſa ſub ſpecie veri latentia coarguere, ipſi quoque locum, quem [8] De iudicio & regulâ appellant, alio nomine rationalem induxerunt: ſed eum acceſſionem

2. INTER SAPIENTIAM ET.] *Nos in Manud.* II. *Diſſert.* VII.

3. DIVINORVM.] *Hieronymus in Iſaiæ cap.* V. Inter Sapientiam & Prudentiam hoc dicunt intereſſe Stoici, quòd illa ſit rerum diuinarum & humanarum notitia, iſta autem tantùm mortalium. *Nota de Stoicis. nam Platonici aliter diſtinguunt, & illam in contemplatione, hanc in actione ponunt.*

4. DOSSENNI MONVMENTO.] *Fuit Fabius Doſſennus Atellanarum ſcriptor, cuius mentio & verſus in Plinij* XIV. *cap.* XIII. *Item Horatio,*

Quantus ſit Doſſennus edacibus in paraſitis.

5. PHILOSOPHIÆ TRES PARTES.] *Explicaui Manuduct.* II. *Diſſert.* V.

6. ADIECERVNT CIVILEM.] *Politicam.*

7. RATIONALEM REMOVERVNT.] *Laërtius:* Τὴν διαλεκτικὴν ὡς παρέλκουσαν οὐ προσδοκιμάζουσι: Dialecticam, vt ſuperfluam, remouerunt.

8. DE IVDICIO ET REGVLA.] *Diuidunt ipſi philoſophiam in tres partes,* τὸ κανονικὸν, καὶ φυσικὸν,

sionem esse naturalis partis existimant. Cyrenaici naturalia cũ rationalibus sustulerunt, A
& contenti fuerunt moralibus: sed hi quoque qui remouent, aliter inducunt. In quin-
que enim partes moralia diuidunt: vt vna sit de fugiendis & expetendis, altera de affe-
ctibus, tertia de actionibus, quarta de caussis, quinta de argumentis. Caussæ rerum ex
naturali parte sunt, argumenta ex rationali, actiones ex morali. [9] Aristo Chius non tan-
tùm superuacuas esse dixit naturalem & rationalem, [10] sed etiam contrarias: moralem
quoque, quam solam reliquerat, circumcîdit. Nam cum locum [11] qui monitiones con-
tinet, sustulit, & pædagogi esse dixit, non philosophi: tamquam quidquam aliud sit sa-
piens, quàm humani generis pædagogus. Ergo cùm tripertita sit philosophia, moralem
eius partem primùm incipiamus disponere. Quam in tria rursus diuidi placuit: vt
[12] prima esset inspectio suum cuique distribuens, & [13] æstimans quanto quidque di-
gnum sit, maximè vtilis. quid enim est tam necessarium, quàm pretia rebus imponere?
Secunda [14] de impetu: tertia [15] de actionibus. Primum enim est, vt quanti quidque
sit, iudices: secundum, vt impetum ad illa capias ordinatum temperatumque: tertium, B
vt inter impetum tuum, actionemque conueniat, vt in omnibus istis tibi ipsi consen-
tias. Quidquid ex his tribus defuerit, turbat & cetera. Quid enim prodest, intus æsti-
mata habere omnia, si sis impetu nimius? Quid prodest impetus repressisse, & habere
cupiditates in tuâ potestate, si in ipsâ rerum actione tempora ignores, nec scias quando
quidque, & vbi, & quemadmodum agi debeat? Aliud est enim, dignitates & pretia re-
rum nosse: aliud articulos: aliud impetus refrænare, & ad agenda ire, non ruere. Tunc
ergo vita sibi concors est, vbi actio non destituit impetum. Impetus ex dignitate rei cu-
iusque concipitur, perinde remissus acriórve, prout illa digna est peti. Naturalis pars phi-
losophiæ in duo scinditur: Corporalia, & Incorporalia. Vtraque diuiduntur in suos, vt
ita dicam, gradus. Corporum locus in hos primùm, [16] in ea quæ faciunt, & quæ ex his
gignuntur: gignuntur autem elementa. [17] Ipse elementi locus, vt quidam putant, sim-
plex est: vt quidam, in materiam, & [18] caussam omnia mouentem, & elementa diuidi-
tur. Superest vt rationalem partem philosophiæ diuidamus. Omnis oratio aut conti- C
nua est, aut inter respondentem & interrogantem diuisa. Hanc διαλεκτικὴν, illam ῥητο-
ρικὴν placuit vocari. hæc verba curat, & sensus, & ordinem. διαλεκτικὴ in duas partes diuidi-
tur: [19] in verba, & significationes: id est, in res quæ dicuntur, & vocabula quibus dicun-
tur. [20] Ingens deinde sequitur vtriusque diuisio. Itaque hoc loco finem faciam:

——— *Et summa sequar fastigia rerum.*

Alioqui

καὶ ἠθικὸν: Canonicam *(siue* Regularem*)* Physicam, Ethicam. Regularem dicunt, quæ introductiones ad opus continet: tractaturque de eâ in libro vnico, qui Canon siue Regula inscribitur. *Sed ea pars, quia iudicium format ac præparat, appellarunt etiam* περὶ κριτηρίου, καὶ ἀρχῆς, καὶ στοιχειωτικὸν: De Iudicatorio, & Principio, & Elementarem. *Ista Laërtius in Epicuro: & ex his Senecæ mens clara.*

9. ARISTO CHIVS.] *Zenonis auditor. de cuius hoc sensu Laërtius:* Τόν τε φυσικὸν τόπον καὶ τὸν λογικὸν ἀνῄρει, λέγων τὸν μὲν ὑπὲρ ἡμᾶς, τὸν δὲ οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς: Physicum & Logicum locum sustulit, dicens illum esse super nos, hunc nihil ad nos.

10. SED ETIAM CONTRARIAS.] *Impedire Sapientiam, aduersari Virtuti.*

11. QVI MONITIONES CONTINET.] Τὴν παραινετικὴν, *de quâ in epistolâ* XCIV. *atque ibidem Aristonis hæc contemptio.*

12. PRIMA ESSET INSPECTIO.] *Hæc diuisio tenuis aut sterilis est, præ illâ quæ in Laërtio ponitur, ex mente & vsu plurium Stoicorum. vide.*

13. ÆSTIMANS QVANTO QVIDQVE.] *Est igitur pars, quæ in Laërtio dicitur,* περὶ τῆς πρώτης ἀξίας: de primâ æstimatione.

14. DE IMPETV.] *In eodem,* περὶ ὁρμῆς.

15. DE ACTIONIBVS.] *Et ipse agnoscit,* περὶ πράξεων.

16. IN EA QVÆ FACIVNT.] *Duo prima principia, Deum & Materiam. Et si alterum illorum patitur, Dei respectu: sed agit tamen, compositorum.* D

17. IPSE ELEMENTI LOCVS.] *Non satis hac capio. vt quid enim iam Elementa cum Principiis confundit? Nisi si Elementum aliter à quibusdam capi vult, & vt ipsa Principia contineat, atque etiam Elementa. Hoc apparet.*

18. CAVSSAM OMNIA MOV.] *Ipsum Deum, siue (vt Stoici sæpè) eius Rationem.*

19. IN VERBA, ET SIGNIFICATIONES.] *In Laërtij Zenone:* Τὴν διαλεκτικὴν διαιρεῖσθαι εἴς τε τὰ περὶ τῶν σημαινομένων, καὶ τὰ φωνῆς τόπον: Dialecticam diuidi in eorum Quæ significantur, & Vocis locum.

20. INGENS DEINDE SEQVITVR.] *Videnda in ipso Laërtio, ibidem.*

21. HÆC

A Alioqui si voluero facere partium partes, quæstionum liber fiet. [21] Hæc, Lucili virorum optime, quò minùs legas non deterreo: dummodo quidquid legeris, ad mores statim referas. Illos compesce, marcentia in te excita, soluta constringe, contumacia doma, cupiditates tuas publicasque, quantum potes, vexa: & istis dicentibus, Quousque eadem? responde, Ego debeo dicere, Quousque eadem peccabitis? Remedia antè vultis, quàm vitia desinere. ego verò eò magis dicam, & quia recusatis, perseuerabo. Tunc incipit medicina proficere, vbi in corpore alienato dolorem tactus expressit. Dicam etiam inuitis profutura. Aliquando aliqua ad vos non blanda vox veniet: & quia verum singuli audire non vultis, publicè audite. Quousque fines possessionum propagabitis? ager vni domino, qui populum cepit, angustus est. Quousque arationes vestras porrigetis, [22] ne prouinciarum quidem satione contenti circumscribere prædiorum modum? Illustrium fluminum per priuatum decursus, & amnes magni, magnarumque gentium termini, vsque ad ostium à fonte, vestri sunt. Hoc quoque parùm est, nisi latifundiis vestris
B maria cinxistis: nisi trans Hadrianum, & Ionium, Ægæumque, vester villicus regnet: nisi insulæ, ducum domicilia magnorum, inter vilissima rerum numerentur. Quàm vultis, latè possidete: sit fundus, quod aliquando imperium vocabatur: facite vestrum quidquid potestis, [23] dum plus sit alieni. Nunc vobiscum loquor, quorum æquè spatiosè luxuria, quàm illorum auaritia diffunditur. Vobis dico; Quousque nullus erit lacus, cui non villarum vestrarum fastigia immineant? nullum flumen, cuius non ripas ædificia vestra prætexant? Vbicumque scatebunt aquarum calentium venę, ibi noua diuersoria luxuriæ excitabuntur. Vbicumque in aliquem sinum littus curuabitur, vos protinus fundamenta iacietis, [24] nec contenti solo, nisi quod manu feceritis, [25] maria agetis introrsus. Omnibus licet locis tecta vestra splendeant, alicubi imposita montibus, in vastum terrarum marisque prospectum, alicubi ex plano in altitudinem montium educta: cùm multa ædificaueritis, cùm ingentia; tamen & singula corpora estis, & paruula. Quid prosunt multa cubicula? in vno iacetis. [26] Non est vestrum, vbicum-
C que non estis. Ad vos deinde transeo, quorum profunda & insatiabilis gula, hinc maria scrutatur, hinc terras. Alia hamis, alia laqueis, alia retium variis generibus cum magno labore persequitur: nullis animalibus, [27] nisi ex fastidio, pax est. Quantulum enim ex istis epulis, quæ per tot comparatis manus, fesso voluptatibus ore libatis? quantulum ex istâ ferâ, periculosè captâ, dominus crudus ac nauseans gustat? quantulum ex tot conchyliis, tam longè aduectis, per istum stomachum inexplebilem labitur? infelices etiam, quòd non intelligitis, vos maiorem famem habere, quàm ventrem. Hæc aliis dic: vt dum dicis, audias ipse. Scribe: vt dum scripseris, legas; omnia ad mores, & ad sedandam rabiem affectuum referens. Stude, non vt plus aliquid scias, sed vt melius.

21. HÆC, LVCILI VIRORVM OPTIME.] *Meus aliiq; scripti hîc ordiuntur nouam epistolam: neque abs re videatur.*

22. NE PROVINCIARVM QVIDEM.] *En vix*
D *credenda latifundia, & his sequentibúsque lucem, aut fidem etiam, mutuare ex* III. *De Benefic cap.* VIII. *item Epist.* LXIV. *& nostris Admirandis libro* II. *cap.* XV.

23. DVM PLVS SIT ALIENI.] *Omnia appetite, non omnia habebitis: & plus semper erit, quod alij possideant.*

24. NEC CONTENTI SOLO.] *Nam aggeres & moles in ipso mari struebant, iisq; superstruebant.*

25. MARIA AGETIS INTRORSVS.] *A terrâ repelletis, versus suum oceanum. Horatius:*

Contracta pisces æquora sentiunt,
Iactis in altum molibus.

26. NON EST VESTRVM.] *Vsu videlicet. quorsum autem, sine vsu?*

27. NISI EX FASTIDIO.] *Quæ iam edisse non libet. obsoleta ea gula est.*

EPIST.

A

EPIST. XC.

PHILOSOPHIAE *laus. ea vitam formauit, consortia & imperia instituit, leges & iura dedit. An etiam artes vitæ vtiles, vt fabricam, marmorariam, metallariam, vestiariam, aliasque? Negat ipse, contra Posidonium, & inferiora hæc maiestate illius esse; & multa horum superuacua. Non corporis, sed animi negotium illa gerit, & gessit. Rudi etiam sæculo, an fuêre Sapientes? Non, sed Sapientibus similes, beneficio non Doctrinæ, sed Naturæ. Multa in his bona, & scientiæ aut vitæ fructuosa.*

QVIS dubitare, mi Lucili, potest, quin Deorum immortalium munus sit, quòd viuimus: [1] philosophiæ, quòd benè viuimus? Itaque tanto plus nos debere huic, quàm diis, quanto maius beneficium est bona vita, quàm vita? Pro certo deberetur, B
nisi ipsam Dij philosophiam tribuissent: cuius scientiam nulli dederunt, facultatem omnibus. Nam si hanc quoque bonum vulgare fecissent, & prudentes nasceremur; sapientia quod in se optimum habet perdidisset, quod inter fortuita non est. Nunc enim hoc in illâ pretiosum atque magnificum est, quòd non obuenit, quòd illam sibi quisque debet, quòd non ab alio petitur. Quid haberes, quod in philosophiâ suspiceres, [2] si beneficiaria res esset? Huius opus vnum est, de diuinis humanisque verum inuenire: ab hac numquam recedit iustitia, pietas, religio, & omnis alius comitatus virtutum conserta-
rum, & inter se cohærentium. Hæc docuit colere diuina, humana diligere, & penes Deos imperium esse, & inter homines consortium: quod aliquamdiu inuiolatum mansit, antequam societatem auaritia distraxit, & paupertatis caussa etiam his quos fecit locupletissimos, fuit. Desierunt enim omnia possidere, dum volunt propria. Sed primi mortalium, quique ex his geniti, naturam incorrupti sequebantur, eamdem habebant & ducem, & legem, commissi melioris arbitrio. Naturæ est enim, potioribus deteriora sub- C
mittere. Mutis quidem gregibus aut maxima corpora præsunt, aut vehementissima. Non præcedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine ac toris ceteros mares vicit: elephantorum gregem excelsissimus ducit: inter homines, pro summo est optimus. Animo itaque rector eligebatur. ideoque summa felicitas erat gentium: in quibus non poterat potentior esse, nisi melior. Tantum enim quantum vult potest, qui se nisi quod debet, non putat posse. Illo ergo sæculo, quod aureum perhibetur, penes sapientes fuisse regnum Posidonius iudicat. Hi continebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur: suadebant, dissuadebantque, & vtilia atque inutilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid deesset suis, prouidebat; fortitudo arcebat pericula; beneficentia augebat, ornabatque subiectos. Officium erat imperare, non regnum. Nemo quantum posset aduersus eos experiebatur, per quos cœperat posse. Nec erat cuiquam aut animus in iniuriam, aut caussa: cùm benè imperanti benè pareretur, nihilque rex maius minari malè parentibus posset, quàm vt abiret è regno. Sed postquam, surrepentibus vitiis, in
tyrannidem regna versa sunt: opus esse cœpit legibus, quas & ipsas inter initia tulere sa- D
pientes. Solon, qui Athenas æquo iure fundauit, inter septem æui sapientiâ notos. Lycurgum si eadem ætas tulisset, sacro illi numero accessisset octauus. [3] Zaleuci leges Charondæque laudantur. hi non in foro, nec in consultorum atrio, sed in Pythagoræ tacito illo sanctoque secessu didicerunt iura, quæ florenti tunc Siciliæ, & per Italiam Græciæ ponerent. Hactenus Posidonio assentior: artes quidem à philosophiâ inuentas, quibus in quotidiano vsu vita vtitur, non concesserim, nec illam fabricæ assertam gloriam.

Illa,

EPIST. XC. 1. PHILOSOPHIÆ, QVOD BENE.] *Aristotelis illud adsidet:* Qui docuissent nos, magis venerabiles debere esse iis qui genuissent. τοὺς μὲν γὰρ τοῦ ζῆν, τοὺς δὲ τοῦ καλῶς ζῆν αἰτίους: illos enim viuendi tantùm, hos benè viuendi auctores esse.

2. SI BENEFICIARIA RES.] *Beneficij alieni, quæq; tribui posset.*

3. ZALEVCI LEGES CHARONDÆQVE.] *De istis aliquid Manuduct. I. Dissert. V.*

4. ET

A Illa, inquit, ſparſos [4] & caſulis tectos, aut aliquâ rupe ſuffoſsâ, aut exeſæ arboris trunco, [5] docuit tecta moliri. Ego verò philoſophiam iudico, non magis excogitaſſe has machinationes tectorum ſupra tecta ſurgentium, & vrbes prementium, quàm viuaria piſcium in hoc clauſa, vt tempeſtatum pericula non adiret gula, & quamuis acerrimè pelago ſæuiente, haberet luxuria portus ſuos, in quibus diſtinctos piſcium greges ſaginaret. Quid ais? Philoſophia docuit homines habere clauem & ſeram? & quid aliud erat, auaritiæ ſignum dare? Philoſophia hæc, cum tanto habitantium periculo, imminentia tecta ſuſpendit? Parùm enim erat fortuitis tegi, & ſine arte & difficultate naturale ſibi inuenire aliquod receptaculum. Mihi crede, felix illud ſæculum ante architectonas fuit. Iſta nata ſunt, iam naſcente luxuriâ, in quadratum tigna decidere, & ferro per deſignata currente, certâ manu trabem ſcindere.

Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum.

Non enim tecta [6] cænationi, epulum recepturæ, parabantur: nec in hunc vſum pinus
B aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, [7] vicis intrementibus, vt ex illâ lacunaria auro grauia penderent. [8] Furcæ vtrimque ſuſpenſæ fulciebant caſam: ſpiſſatis ramalibus, ac fronde congeſtâ, & in procliue diſpoſitâ, decurſus imbribus quamuis magnis erat. Sub his tectis habitauere ſecuri. Culmus liberos texit: ſub marmore atque auro ſeruitus habitat. In illo quoque diſſentio à Poſidonio, quòd ferramenta fabrilia excogitata à ſapientibus viris iudicat. Iſto enim modo dicat licet ſapientes, per quos

Tunc laqueis captare feras, & fallere viſco
Inuentum, & magnos canibus circumdare ſaltus.

Omnia enim iſta ſagacitas hominum, non ſapientia inuenit. In hoc quoque diſſentio, ſapientes fuiſſe, qui ferri metalla & æris inuenerunt: cùm incendio ſiluarum aduſta tellus, in ſummo venas iacentes liquefacta fudiſſet. Iſta tales inueniunt, quales colunt. Ne illa quidem tam ſubtilis quæſtio mihi videtur, quàm Poſidonio: Vtrùm malleus in vſu eſſe priùs, an forcipes cœperint. Vtraque inuênit aliquis exercitati ingenij, acuti, non ma-
C gni, nec elati, & quidquid aliud corpore incuruato, & animo humum ſpectante, quærendum eſt. Sapiens facilis victu fuit. quid ni? cùm hoc quoque ſæculo eſſe quàm expeditiſſimus cupiat? Quomodo oro te conuenit, vt Diogenem mireris, [9] & Dædalum? Vter ex his ſapiens tibi videtur, qui ferram commentus eſt: an ille, qui cùm vidiſſet puerum cauâ manu bibentem aquam, fregit protinus exemptum è perulâ calicem, hac obiurgatione ſui: Quàm diu homo ſtultus ſuperuacuas ſarcinulas habui? qui ſe complicuit in dolio, & in eo cubitauit? Hodie vtrùm tandem ſapientiorem putas, qui inuênit quemadmodum in immenſam altitudinem [10] crocum latentibus fiſtulis exprimat; qui [11] Euripos ſubito aquarum impetu implet, aut ſiccat; [12] verſatilia cænationum laquearia

4. ET CASVLIS TECTOS.] *Eraſmi diuinatio eſt: at ſcripti*, è caucaſis lectos, *aut* cauſalis. *Et herclè vix melius eſt edere: niſi quòd* caſæ *non primò ſtatim factæ, ſed poſt rupes & antra ingenio repertæ ſunt.*
D *Hunc gradum Lucretius facit, lib.* v.

Sed nemora, atque cauos montes, ſiluaſque colebant,
Et frutices inter cõdebant ſquallida membra.

De cultioribus iam autem narrat,

Inde caſas poſtquam, ac pelles, ignemque pararunt,
Et mulier coniuncta viro conceſſit in vnum.

Fortaſſe in Senecâ igitur, & aut cauis tectos.

5. DOCVIT TECTA MOLIRI.] *Cicero ad Philoſophiam:* Tu eos inter ſe primò domiciliis, deinde coniugiis iunxiſti.

6. CÆNATIONI EPVLVM.] *Magnum & amplum conuiuium. Nec diſpliceat ſcribi*, populum. *Ita Seneca epiſt.* CXV. capacem populi cænationem *dixit.*

7. VICIS INTREMENTIBVS.] *Iuuenalis Sat.* III.

—— modò longa coruſcat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plauſtra vehunt. nutant altè, populoque minantur.

8. FVRCÆ VTRIMQVE SVSPENSÆ.] *Fortè*, ſuſpenſam.

9. ET DÆDALVM?] *Plinius lib.* VII. *cap.* LVII. *Alij* Talo *tribuunt, qui Dædali ex ſorore nepos, vt Diodorus* IV. *Bibliothecæ.*

10. CROCVM LATENTIBVS FISTVLIS.] *Quod in theatris fiebat ad ſparſionem. Nos De Amphitheatro, cap.* XVI.

11. EVRIPOS SVBITO.] *Id quoque in ſpectaculis & Circo. nam ibi impletis iis foſsis, per occultos canales ex Aquæductibus, totam arenam inundabant, ad Naumachiam aut talia.*

12. VERSATILIA CÆNATIONVM LAQ.] *De quibus Suetonij Nerone, cap.* XXXI. *Fuêre &* triclinia

ria ita coagmentat, vt ſubinde alia facies atque alia ſuccedat, & toties tecta, quoties ferucula mutentur: an eum, qui & aliis & ſibi hoc monſtrat, quàm nihil nobis natura durum ac difficile imperauerit? Poſſe nos habitare ſine marmorario fabro, poſſe nos veſtitos eſſe ſine commercio Serum, poſſe nos habere vſibus noſtris neceſſaria, ſi contenti fuerimus his, quæ [13] terra poſuit in ſummo? Quem ſi audire humanam genus voluerit, tam ſuperuacuum ſciet ſibi coquum eſſe, [14] quàm militem. Illi ſapientes fuerunt, aut certè ſapientibus ſimiles, quibus expedita erat tutela corporis. Simplici curâ conſtant neceſſaria: in delicias laboratur. Non deſiderabis artifices, ſi ſequêre naturam. illa noluit eſſe diſtrictos: ad quæcumque nos cógebat, inſtruxit. Frigus intolerabile eſt corpori nudo. Quid ergo? numquid non pelles ferarum, & aliorum animalium, à frigore ſatis abundeq; defendere queunt? non corticibus arborum pleræque gentes tegunt corpora? [15] non auium plumæ in vſum veſtis conſeruntur? non hodieque magna Scytharum pars, [16] tergis vulpium induitur ac murium, quæ tactu mollia, & impenetrabilia ventis ſunt? Opus eſt tamen calorem ſolis æſtiui vmbrâ craſſiore propellere. Quid ergo? non vetuſtas [17] multa abdidit loca, quæ vel iniuriâ temporis, vel alio quolibet caſu excauata in ſpecum receſſerunt? Quid ergo? non quamlibet virgeam cratem texuerunt manu, & vili obleuerunt luto, deinde ſtipulâ aliisque ſilueſtribus operuere faſtigium, & pluuiis per deuexa labentibus, hiemem tranſiere ſecuri? Quid ergo? non in defoſſo latent Syrticæ gentes? quibus propter nimios ſolis ardores, nullum tegumentum ſatis repellendis caloribus ſolidum eſt, niſi ipſa arens humus. Non fuit tam inimica natura, vt cùm omnibus aliis animalibus facilem actum vitæ daret, homo ſolus non poſſet ſine tot artibus viuere. Nihil horum ab illâ nobis imperatum eſt, nihil ægrè quærendum vt poſſit vita produci. Ad parata nati ſumus: nos omnia nobis difficilia facilium faſtidio fecimus. Tecta tegumentaque, & fomenta corporum, & cibi, & quæ nunc ingens negotium facta ſunt, obuia erant, & gratuita, & operâ leui parabilia: modus enim omnium, prout poſtulabat neceſſitas, erat: nos iſta pretioſa, nos mira, nos magnis multisque conquirenda artibus fecimus. Sufficit ad id natura, quod poſcit. A naturâ luxuria deſciuit, quæ quotidie ſeipſam incitat, & tot ſæculis creſcit, & ingenio adiuuat vitia. Primò ſuperuacua cœpit concupiſcere, inde contraria, nouiſſimè corpori animum addixit, & illius deſeruire libidini iuſſit. Omnes iſtæ artes, quibus aut [18] excitatur ciuitas, aut ſtrepit, corporis negotium gerunt: cui omnia olim tamquam ſeruo præſtabantur, nunc tamquam domino parantur. Itaque hinc textorum, hinc fabrorum officinæ ſunt, hinc odores coquentium, hinc molles corporis motus docentium molleſque cantus & infractos. Receſſit enim ille naturalis modus, deſideria ope neceſſariâ finiens: iam ruſticitatis & miſeriæ eſt, velle quantum ſat eſt. Incredibile eſt, mi Lucili, quàm facilè etiam magnos viros dulcedo orationis abducat à vero. Ecce Poſidonius, vt mea fert opinio, vnus ex iis qui

nia verſatilia, *ad iocum, & homines floribus ac roſis inuoluendos: apud Lampridium in Eligabalo.*

13. TERRA POSVIT IN SVMMO.] *Non in imo, vt metalla. In ſummo ſunt herbæ, fruges, ſtirpes.*

14. QVAM MILITEM.] *Nam bella è talibus, ex auro, inquam, & luxu.*

15. NON AVIVM PLVMÆ.] *Nam & eæ olim in vſu agreſtibus, aut ſiluicolis. vt de Philoctete Attius, apud Ciceronem:*

Configo tardus celeres, ſtans volatiles,
Pro veſte pinnis membra textis contegens.

Sunt & noui orbis Indi, qui plumatili veſte hac vtuntur.

16. TERGIS VVLPIVM AC MVRIVM.] *Quod de Germanis Tacitus:* Gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligentiùs, vlteriores exquiſitiùs. *Iſidorus*: Maſtruca, veſtis Germanica ex pelliculis ferarum. *De Scythis, Iuſtinus*: Lanæ iis vſus ignotus: pellibus tantùm ferinis aut marinis veſtiuntur. *De* marinis, *haud temerè mutem: nam & in Tacito eſt de* pellibus belluarum, quas exterior Oceanus gignit. *Tamen alij*, murinis: *quod eſſet hîc pro Senecâ, de* muribus. *Quod idem ex Eginharto, in vitâ Caroli Magni:* Ex pellibus lutrinis vel murinis (*ita ſcriptus liber*) thorace confecto, humeros ac pectus hieme muniebat. *Sunt autem iſti mures Scythici*, Martium & Hermelinarum *nomine hodie noti. Ceterùm & in Homero, Agamemnon* — ἕσσατο δ' ἔρμα λέοντος: texit ſe pelle leonis, *itemq; Dolon, & Neſtor. Appollonij etiam Scholiaſtes notat:* Σύνηθες τοῖς ἥρωσι τὸ δερματοφορεῖν: Sollenne heroibus, pelles geſtare.

17. MVLTA ABDIDIT LOCA.] *Cur vetuſtas abdat? aliquis ſuſpicetur*, adèdit: *ſed tolero.*

18. EXCITATVR CIVITAS.] *In aliis*, exercitatur: *quod præferam.*

19. PER-

A iis qui plurimum philoſophiæ contulerunt, dum vult deſcribere primùm, quemadmodum alia torqueantur fila, alia ex molli ſolutoque ducantur: deinde quemadmodum tela ſuſpenſis ponderibus rectum ſtamen extendat, quemadmodum ſubtemen inſertum, quod duritiam vtrimque comprimentis tramæ remolliat, ſpatâ coire cogantur & iungi: textricum quoque artem à ſapientibus dixit inuentam, oblitus poſteà repertum hoc ſubtilius genus, in quo

Tela iugo iuncta eſt, ſtamen ſecernit arundo.
Inſeritur medium radiis ſubtemen acutis,
[19] *Quod lato feriunt inſecti pectine dentes.*

Quid ſi contigiſſet illi videre has noſtri temporis telas, quibus [20] veſtis nihil celatura conficitur, in quâ non dico nullum corpori auxilium, ſed nullum pudori eſt? Tranſit deinde ad agricolas, nec minùs facundè deſcribit proſciſſum aratro ſolum, [21] & iteratum, quo ſolutior terra faciliùs pateat radicibus: tum ſparſa ſemina, & collectas manu
B herbas, ne quid fortuitum & agreſte ſuccreſcat, quod necet ſegetem. Hoc quoque opus ait eſſe ſapientium: tamquam non nunc quoque plurima cultores agrorum noua inueniant, per quæ fertilitas augeatur. Deinde non eſt contentus his artibus, ſed in piſtrinum ſapientem ſubmittit. Narrat enim quemadmodum, rerum naturam imitatus, panem cœpit facere. Receptas, inquit, in os fruges, concurrens inter ſe duritia dentium frangit, & quidquid excidit, ad eoſdem dentes linguâ refertur: tunc verò ſaliuæ miſcetur, vt faciliùs per fauces lubricas tranſeat. Cùm peruenit in ventrem, aqualiculi feruore concoquitur, tunc demum corpori accedit. Hoc aliquis ſecutus exemplar, lapidem aſperum aſpero impoſuit, ad ſimilitudinem dentium, quorum pars immobilis motum alterius exſpectat: deinde vtriuſque attritu grana franguntur, & ſæpiùs regeruntur, donec ad minutiam frequenter trita redigantur. Tunc farinam aquâ ſparſit, & aſſiduâ tractatione perdomuit, finxitque panem: quem primò cinis calidus, & feruens teſta percoxit: deinde furni paullatim reperti, & alia genera, quorum feruor ſeruiret arbitrio. Non multum
C abfuit, [22] quin ſutrinum quoque inuentum à ſapientibus diceret. Omnia iſta ratio quidem, ſed non recta ratio commenta eſt. Hominis enim, non ſapientis inuenta ſunt: tam mehercules quàm nauigia, quibus amnes, quibuſque maria tranſimus, aptatis ad excipiendum ventorum impetum velis, & additis à tergo gubernaculis, quæ huc atque illuc curſum nauigij torqueant: & exemplum à piſcibus tractum eſt, qui caudâ reguntur, & leui eius in vtrumque momento velocitatem ſuam flectunt. Omnia hæc quidem, inquit, ſapiens inuênit: ſed minora, quàm vt ipſe tractaret, ſordidioribus miniſtris dedit. Imò non ab aliis excogitata iſta ſunt, quàm à quibus hodieque curantur. Quædam noſtrâ demum prodiſſe memoriâ ſcimus: vt [23] ſpecularium vſum, perlucente teſtâ, clarum tranſmittentium lumen: vt [24] ſuſpenſuras balneorum, & impreſſos parietibus tubos,

19. QVOD LATO FERIVNT.] *Ouidiani verſus ſunt è* VI. *Metamorph. certamine Palladis cum Arachne: etſi paullò aliter ibi leguntur, & medium vnum Seneca omiſit. At cur hîc libri ſcripti conſenſu,*
D Quod lato pariunt? *Gruterus acutè putat*, pauiunt, *fuiſſe: quod antiquis percutere eſt. Sed antiquis: Ouidius vix eſt vt vſurparit. Vnde ergo libri turbant? leui ſæpè & ridiculâ cauſſâ: ac fuerit in archetypo aliquo*, fariunt. *inde hoc*, pariunt, *diffuſum.*

20. VESTIS NIHIL CELATVRA.] *Serica, bombycina, & id genus pellucidæ: Adi de Benef.* VII. *cap.* IX. *& Conſol. ad Helu. cap.* XV.

21. ET ITERATVM.] *Eſt à Pinciano, etſi libri,* inter aratrum. *Sed benè bonus Cenſor. eſt enim agriculturæ vox; & in Columellâ* Arationem iteratio ſequitur, vt veruactum reſoluatur in puluerem. *Imò &* Tertiatio *ſæpè.*

22. QVIN SVTRINVM QVOQVE.] *Quippini. nam & Stoicorum ſapiens, bonus ſutor eſt. Manuduct.* III. *Diſſert.* XVII.

23. SPECVLARIORVM VSVM.] *Specularia, quadræ ſiue orbes feneſtris inſerti, ad lucem immittendam, ventos excludendos: vicem & vſum hodie vitreorum. Dicta à lapide Speculari: cui hoc nomen à naturâ tralucente. Creber olim in Hiſpaniâ, Cypro, Cappadociâ, Africâ: nunc ſitne in notitiâ, neſcio, vix in vſu. At olim frequenti. neque enim Cænationes ſolùm aut cubicula eo illuſtrabant, ſed Balnea (ſuprà, in epiſtolâ* LXXXVI.*) ſed totas Porticus, in Plinij epiſtolâ* XVII. *libri* II. *Item Pomaria & Hortos (tanta copia erat) contra cæli iniurias ſic claudebant. ex Martiali palàm, lib.* VIII. *epigr.* XIV. *&* LXVIII. *Adde noſtrum de Prouid. cap.* IV.

24. SVSPENSVRAS BALNEORVM.] *Eâdem voce & ſenſu Palladius, opinor, lib.* I. *cap.* XL. ſuſpenſuras cellarum *in Balneis dixit: id eſt*, locum ab

tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima ſimul & ſumma foueret æqualiter. A Quid loquar marmora, quibus templa, quibus domus fulgent? Quid [25] lapideas moles in rotundum ac leue formatas, quibus porticus & capacia populorum tecta ſuſcipimus? Quid [26] verborum notas, quibus quamuis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus ſequitur? Viliſſimorum mancipiorum iſta commenta ſunt: ſapientia altiùs ſedet, nec manus edocet, animorum magiſtra eſt. Vis ſcire, quid illa eruerit, quídve effecerit? Non indecoros corporis motus, nec varios per tubam ac tibiam cantus, quibus exceptus ſpiritus, aut [27] in exitu, aut [28] in tranſitu, formatur in vocem: non arma, nec muros, nec bella: vtilia molitur, paci fauet, & genus humanum ad concordiam vocat. Non eſt, inquam, inſtrumentorum ad vſus neceſſarios opifex. quid illi tam paruula aſſignas? artificem vides vitæ. Alias quidem artes ſub dominio habet. nam cui vita, illi vitæ quoque ornamenta ſeruiunt: ceterùm ad beatum ſtatum tendit, illò ducit, illò vias aperit. Quæ ſint mala, quæ videantur, oſtendit: vanitatem exuit mentibus, dat magnitudinem ſolidam: inflatam verò, & ex inani ſpecioſam reprimit: nec ignorari ſi- B nit, inter magna quid interſit & tumida: [29] totius naturæ notitiam, ac ſuæ tradit. Quid ſint dij, qualeſque, declarat: quid inferi, quid [30] lares & genij. Quid [31] in ſecundam numinum formam animæ perpetuæ, [32] vbi conſiſtant, quid agant, quid poſſint, quid velint. [33] Hæc eius initiamenta ſunt, per quæ non municipale ſacrum, ſed ingens omnium deorum templum mundus iſte reſeratur: cuius vera ſimulacra, veraſque facies cernendas mentibus protulit. nam ad ſpectacula tam magna hebes viſus eſt. ad initia deinde rerum redit, & æternam [34] rationem toti inditam, & [35] vim omnium ſeminum ſingula propriè figurantem. Tum de animo cœpit inquirere, vnde eſſet, vbi, quamdiu, [36] in quot membra diuiſus. Deinde à corporalibus ſe ad incorporalia tranſtulit, veritatemque & argumenta eius excuſſit: poſt hæc, quemadmodum diſcernerentur [37] vitæ ac necis ambigua: in vtraque enim falſa veris immixta ſunt. Non abduxit, inquam, ſe, vt Poſidonio videtur, ab iſtis artibus ſapiens, ſed ad illas omnino non venit. Nihil enim dignum C

humore ſuſpenſum, *vt idem loquitur*, & ne vligo refrigeraret. *Nam anteà ſimpliciter Balneas ſolo inſtruebant: poſteà repertum, ſuſpendi, & à terrâ paullùm alleuari, ob cauſſam dictam, & vt calor diutiùs perſeueraret. Ita Vitruuius lib.v.cap.* x. Suſpenſuras caldariorum *facit: vt* tegulis ſeſquipedalibus ſolum ſternatur, & ſuprà laterculis boſſalibus pilæ ſtruantur, atque eæ habeant altitudinem pedum duorum. *Vides ſuſpenſionem: an à Sergio Oratâ primùm repertam? Ita enim Plinius libro* IX. *cap.* LIV. Sergius Orata primus inuenit penſiles balneas. *Nominat eaſdem, & idem hoc æui indicat, lib.* XXVI. *cap.* III. *vbi de Aſclepiade medico:* Tum primùm, *inquit*, penſilium balnearum vſu ad infinitum blandiente. *Quando primùm? Aſclepiade medicante, qui Cn. Pompeij, & Mithridatis regis, temporibus vixit: ergo Sergy Oratæ, ait circà, qui L. Craſſi oratoris. Ita quod Seneca ait* ſuâ memoriâ prodiſſe, *laxiùs paullò capiendum eſt: ſicut & de* Notis, *quæ Ciceronis æuo innotuerunt. An aliquis putet, alias Suſpenſuras intelligi? nempe ſuper hypocauſta & cameratione ſuppoſitas, vbi ignis, & ſuperiora per tubos calefacta? Pænè hoc cenſeam, & nouitij id fuiſſe inuenti: de quo ſcripſi in Epiſt.* LXXV. *Centuriæ* III. *ad Belgas, amico meo Balthazari Robiano. Porrò quòd vir & medicus doctiſſimus*, Penſiles balneas *interpretatur ipſa labra à laquearibus ſuſpenſa, & leui motu huc illuc agitanda: neſcio, & hæreo, donec teſtimonio ab antiquitate impellar.*

25. LAPIDEAS MOLES.] *Columnas.*

26. VERBORVM NOTAS.] *De quibus exſecutus ſum in epiſtolâ* XXVII. *Centuriæ* I. *ad Belgas.*

27. IN EXITV.] *Sicut in tubâ.*

28. IN TRANSITV.] *In foratili tibiâ.*

29. TOTVS NATVRÆ AC SVÆ.] *Alludit ad finem, Viuere ſecundùm naturam vniuerſi, & ſuam: de quo ego Manud.* III. *aliquot Diſſertationibus.*

30. LARES ET GENII.] *Diſtincta hæc, & quomodo, vide Phyſiol.* I. *Diſſert.* XVIII.

31. IN SECVNDAM NVMINVM.] *Proximo à diis loco, & dignitate. Nam & pars Deorum ſunt.*

32. VBI CONSISTANT.] *Circa imum ætherem, & cælum Lunæ. Nos in Phyſiol.* III. *Diſſ.* XIV.

33. HÆC EIVS INITIAMENTA.] *Dixi aliquid* D *Phyſiol.* II. *Diſſert.* VI.

34. RATIONEM TOTI INDITAM.] *Incorporalem illam Rationem, de quâ Phyſiol.* I. *Diſſert.* VII. Toti *autem, id eſt Mundo. Nam Stoicus ſermo diſparat hoc ab* Vniuerſo. *Nos quoque in Phyſiolog.* II. *Diſſert.* V.

35. VIM OMNIVM SEMINVM.] *De quâ vide Phyſiol.* III. *Diſſert.* IV.

36. IN QVOT MEMBRA.] *Ita partes appellat: quæ Stoicis octo ſunt. Vide Phyſiol.* III. *Diſſ.* XVII.

37. VITÆ AC NECIS AMBIGVA.] *Nam vita videtur nobis, quod mors eſt: & contrà. Nam animus hîc incluſus, velut carcere aut ſepulchro potiùs continetur: viuit & viget liber illîc, & inter ſtellas.*

38. ANA-

A dignum inuentu iudicaſſet, quod non erat dignum perpetuo vſu iudicaturus. ponenda non ſumeret. [38] Anacharſis, inquit, inuenit rotam figuli, cuius circuitu vaſa formantur. Dein quia [39] apud Homerum inuenitur figuli rota, mauult videri verſus falſos eſſe, quàm fabulam. Ego nec Anacharſin huius rei fuiſſe auctorem contendo: & ſi fuit, ſapiens quidem hoc inuênit, ſed non tamquam ſapiens: ſicut multa ſapientes faciunt, quà homines ſunt, non quà ſapientes. Puta velociſſimum eſſe ſapientem: curſu omnes anteibit, quà velox eſt, non quà ſapiens. Cuperem Poſidonio aliquem vitrarium oſtendere, qui [40] ſpiritu vitrum in habitus plurimos format, qui vix diligenti manu effingerentur. Hæc inuenta ſunt, poſtquam ſapientem inuenire deſiuimus. Democritus, inquit, inueniſſe dicitur fornicem, vt lapidum curuatura paulatim inclinatorum medio ſaxo alligaretur. Hoc dicam falſum eſſe. Neceſſe eſt enim ante Democritum, & pontes, & portas fuiſſe, quarum ferè ſumma curuantur. Excidit porrò vobis eumdem Democritum inueniſſe, quemadmodum [41] ebur poliretur, quemadmodum decoctus calculus in ſmarag-
B dum conuerteretur, quâ hodieque coctura inuenti [42] lapides coctiles colorantur. Iſta ſapiens licet inuenerit, non quà ſapiens erat, inuênit. multa enim facit, quæ ab imprudentiſſimis aut æquè fieri videmus, aut peritiùs, aut exercitatiùs. Quid ſapiens inueſtigauerit, quid in lucem protraxerit, quæris? Primùm rerum naturam, quam non vt cetera animalia oculis ſecutus eſt, tardis ad diuina. Deinde vitæ legem, quam [43] ad vniuerſa direxit: nec noſſe tantùm, ſed ſequi docuit deos, & accidentia non aliter excipere, quàm imperata. Vetuit parere opinionibus falſis, & quanti quidque eſſet, verâ æſtimatione perpendit: damnauit mixtas pœnitentiæ voluptates. Et bona ſemper placitura laudauit, & palàm fecit, feliciſſimum eſſe, cui [44] felicitate opus non eſt: potentiſſimum eſſe, qui ſe habet in poteſtate. Non de eâ philoſophiâ loquor, quæ [45] ciuem extra patriam poſuit, [46] extra mundum deos, quæ virtutem donauit voluptati: [47] ſed de illâ, quæ nullum bonum putat, niſi quod honeſtum eſt; quæ nec hominis, nec fortunæ muneribus deleniri poteſt; cuius hoc pretium eſt, non poſſe pretio capi. Hanc philoſophiam fuiſſe
C illo rudi ſæculo, quo adhuc artificia deerant, & ipſo vſu diſcebant vtilia, non credo: [48] ſicut ante fortunata tẽpora, cùm in medio iacerent beneficia naturæ promiſcuè vtenda, antequam auaritia atque luxuria diſſociauere mortales, & ad rapinam ex conſortio diſcurrêre, non erant illi ſapientes viri, etiam ſi faciebant facienda ſapientibus. Statum quidem generis humani, non alium quiſquam ſuſpexerit magis; nec ſi cui permittat Deus

38. ANACHARSIS ROTAM.] *Laërtius:* Εὗρε δὲ εἰς τὸν βίον ἄγκυράν τε, καὶ κεραμικὸν τροχον, ὥς τινες: Repperit (*Anacharſis*) ad vitæ vſum & Anchoram, & Rotam figuli, vt quidam volunt. *Addit*, vt quidam: *& oſtendit dubitatum. Strabo certè Euphorum etiam reprehendit, qui id dixerit:* πῶς γὰρ; *inquit*, οὐκ οἶδεν Ὅμηρος πρεσβύτερος ὤν: Quomodo enim? quam Homerus nouit, qui eſt antiquior. *Sed eleuatur aut repellitur hoc argumentum à*
D *Poſidonio, in Senecæ mox verbis.*

39. APVD HOMERVM INVENITVR.] *Palàm Iliad. Σ. ſub finem, his verſibus:*

— ὡς ὅτε τις τροχὸν ἅρμενον ἐν παλάμῃσιν
Ἐζόμενος κεραμεὺς πειρήσεται, αἴκε θέῃσιν:

Sicut cùm figulus tractare rotam meditatur.
Et ſpecimen capit, an celeri ſat turbine currat.

Poſidonius viderit, qui optimos & decentiſſimæ imaginis verſus amolitur.

40. SPIRITV VITRVM.] *Eadem hodie formatura eſt, & miranda.*

41. EBVR POLIRETVR.] *Non opinor Democritum repperiſſe. vnde enim Homerus adhiberet in ornamentis ebur? vt in equi phaleris. Iliad. Δ. verſu* CXLI. *Et Odyſſeæ τ. in Somni portis,* πριστὸν ἐλέφαντα, ſectum ebur *agnoſcit. Sanè ſcripti hîc ferè libri,* moliretur, *vel,* molliretur: *quod verius igitur puto, etiam è ſequentium ſimilitudine.*

42. LAPIDES COCTILES.] *Scripti plerique,* lapides ad hoc vtiles.

43. AD VNIVERSA DIREXIT.] *Nec malè,* vniuerſi. *Intelligit autem finem illum, Naturam ſequi.*

44. FELICITATE OPVS NON EST.] *Nempe illâ externâ, & vulgi.*

45. CIVEM EXTRA PATRIAM.] *Nam Epicurus à republicâ ſuos remouet, & ſibi viuere quemque iubet. ſocietatem ſoluit.*

46. EXTRA MVNDVM DEOS.] *De Benefic. libro* IV. *cap.* XIX.

47. SED DE ILLA.] *Stoicâ.*

48. SICVT ANTE FORTVNATA.] *Libri ſcripti,* ſicut autem. *Et certè,* antè, *non placet: nam de illiſipſis fortunatis temporibus loquitur. Fortaſſe, tranſpoſitâ litterulâ,* ſicut vatum fortunato tempore. *Nam poëtæ hæc tempora nobis deformant. Sin autem, legito:* Sicut antè, fortunato tempore.

Deus terrena formare, & dare gentibus mores, aliud probauerit, quàm quod apud illos A
fuisse memoratur, apud quos

—— nulli subigebant arua coloni,
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant, ipsáque tellus
Omnia liberiùs, nullo poscente, ferebat.

Quid hominum illo genere felicius? In commune rerum naturâ fruebantur: sufficiebat illa, vt parens, in tutelam omnium: hæc erat publicarum opum secura possessio. Quid ni ego illud locupletissimum mortalium genus dixerim, in quo pauperem inuenire non posses? Irrupit in res optimè positas auaritia: & dum seducere aliquid cupit, atque in suum vertere, omnia fecit aliena, & in angustum ex immenso redacta, paupertatem intulit, & multa concupiscendo, omnia amisit. Licet itaque [49] velit nunc concurrere & reparare quod perdidit; licet agros agris adiiciat, vicinum vel [50] pretio pellat aëris, vel iniuriâ; licet in prouinciarum spatium rura dilatet, & possessionem vocet, per sua longam B
peregrinationem: nulla nos finium propagatio eò reducet, vnde discessimus. Cùm omnia fecerimus, multum habebimus: vniuersum habebamus. Terra ipsa fertilior erat illaborata, & in vsus populorum non diripientium larga. Quidquid natura protulerat, id non minùs inuenisse, quàm inuentum monstrare alteri, voluptas erat: nec aut vlli superare poterat, aut deesse. inter concordes diuidebatur. Nondum valentior imposuerat infirmiori manum, nondum auarus abscondendo [51] quod sibi iaceret, alium necessariis quoque excluserat: par erat alterius, ac sui cura. Arma cessabant, incruentæque humano sanguine manus, odium omne in feras verterant. Illi, quos aliquod nemus densum à sole protexerat, qui aduersus sæuitiam hiemis, aut imbris, vili receptaculo tuti sub fronde viuebant, placidas transigebant sine suspirio noctes. Sollicitudo nos in nostrâ purpurâ versat, & acerrimis excitat stimulis: [52] mollem somnum illis dura tellus dabat. Non impendebant cælata laquearia: sed in aperto iacentes sidera superlabebantur, & C
insigne spectaculum noctium, mundus in præceps agebatur, silentio tantum opus ducens. tam interdiu illis, quàm noctu, patebat prospectus huius pulcherrimæ domus: libebat intueri signa, ex mediâ cæli parte vergentia, rursus ex occulto alia surgentia. Quid ni iuuaret vagari inter tam latè sparsa miracula? At vos ad omnem [53] tectorum pauetis sonum, & inter picturas vestras si quid increpuit, fugitis attoniti. Non habebant [54] domos, instar vrbium. Spiritus ac liber inter aperta flatus, & leuis vmbra rupis aut arboris, & perlucidi fontes, riuique non opere, nec fistulâ, nec vllo coacto itinere obsolefacti, sed sponte currentes, & prata sine arte formosa, inter hæc agreste domicilium, rusticâ positum manu. Hæc erat secundùm naturam domus, in quâ libebat habitare, nec ipsam, nec pro ipsâ timentem: nunc magna pars nostri metus, tecta sunt. Sed quamuis egregiâ illis vita fuerit, & carens fraude, [55] non fuere sapientes, quando hoc iam in opere maximo nomen est. Non tamen negauerim fuisse alti spiritus viros, & vt ita dicam, [56] à diis recentes. neque enim dubium est, quin meliora mundus nondum effetus ediderit. Quemadmodum autem omnibus indoles fortior fuit, & ad labores paratior: ita D
non erant ingenia omnibus consummata. Non enim dat natura virtutem: ars est, bonum fieri. Illi quidem non aurum, nec argentum, nec perlucidos lapides imâ terrarum

fæce

49. VELIT NVNC CONCVRRERE.] *Fortasse,* conuerrere.

50. PRETIO PELLAT AERIS.] *Muretus fecit,* pellat agris. *Scripti*, eris: *legendum*, eis, *vel*, terris.

51. QVOD SIBI IACERET.] *Sine vsu, & fructu: abditum, aut sepositum.*

52. MOLLEM SOMNVM ILLIS.] *Meus & quidam, voce præmissâ:* aquam mollem, *liceat*, ad aquam.

53. TECTORVM PAVETIS SONVM.] *Ruinæ metu.*

54. DOMOS INSTAR VRBIVM.] *Docui in Admirandis, Romæ sic fuisse.*

55. NON FVERE SAPIENTES.] *Vide Manud.* II. *Differt.* V.

56. A DIIS RECENTES.] *Ab illis conditos factosque, nullâ adhuc propagine.*

57. ETIAM

A fæce quærebant, parcebantque adhuc [57] etiam mutis animalibus: tantum aberat, vt homo hominem non iratus, non timens, tantùm ſpectaturus occideret. Nondum veſtis illis erat picta, nondum texebatur aurum: adhuc non eruebatur. Quid ergo? ignorantiâ rerum innocentes erant. multum autem intereſt, vtrùm peccare aliquis nolit, an neſciat. Deerat illis iuſtitia, deerat prudentia, deerat temperantia ac fortitudo. Omnibus his virtutibus habebat ſimilia quædam rudis vita: virtus non contingit animo, niſi inſtituto & edocto, & ad ſummum aſſiduâ exercitatione perducto. Ad hoc quidem, ſed ſine hoc naſcimur: & in optimis quoque antequam erudias, virtutis materia, non virtus eſt.

EPIST. XCI.

B LVGDVNENSIS *coloniæ incendium triſte, & ſubitum: eâ iniectione, cogitandum de inopinatis, & quæ homini poſſunt accidere. Ponit ante oculos incerta & fluxa hæc rerum: maxima & firmiſſima minui, mutari, ſubduci, terræmotu, aquis, flammis. Omnia mortalia morte damnata eſſe. Ergo nec iſtam homini, nec infamiam timenda.*

[1] LIBERALIS noſter nunc triſtis eſt, nunciato incendio, quo Lugdunenſis colonia exuſta eſt. Mouere hic caſus quemlibet poſſet, nedum hominem patriæ ſuæ amantiſſimum. Quæ res efficit, vt firmitatem animi ſui quærat, quam videlicet ad ea quæ timeri poſſe putabat, exercuit: hoc verò tam inopinatum malum, pænè inauditum, non miror ſi ſine metu fuit, cùm eſſet ſine exemplo. Multas enim ciuitates incendium vexauit, nullam abſtulit. Nam etiam vbi hoſtili manu in tecta ignis immiſſus eſt, multis locis deficit: & quamuis ſubinde excitetur, rarò tamen ſic cuncta depaſcitur, vt ni-
C hil ferro relinquat. Terrarum quoque vix vmquam tam grauis & pernitioſus fuit motus, vt tota oppida euerteret. Numquam denique [2] tam infeſtum vlli exarſit incendium, vt nihil alteri ſupereſſet incendio. Tot pulcherrima opera, quæ ſingula illuſtrare vrbes ſingulas poſſent, vna nox ſtrauit; & in tantâ pace, quantum ne bello quidem timeri poteſt, accidit. Quis hoc credat? vbique armis quieſcentibus, cùm toto orbe terrarum diffuſa ſecuritas ſit, Lugdunum quod oſtendebatur in Galliâ, quæritur. Omnibus fortuna, quos publicè afflixit, quod paſſuri erant, timere permiſit: nulla res magna non aliquod habuit ruinæ ſuæ ſpatium: in hac, vna nox fuit inter vrbem maximam, & nullam. Denique diutiùs illam tibi periſſe, quàm periit, narro. Hæc omnia Liberalis noſtri affectum inclinant, [3] aduerſus ſua firmum & erectum. nec ſine cauſsâ concuſſus eſt. Inexſpectata plus aggrauant: nouitas adiicit calamitatibus pondus: nec quiſquam mortalium non magis, [4] quod etiam miratus eſt, doluit. Ideò nihil nobis improuiſum eſſe debet. in omnia præmittendus eſt animus: cogitandumque, non quidquid ſolet, ſed
D quidquid poteſt fieri. Quid enim eſt, quod non fortuna cùm voluit, & florentiſſimo detrahat? quod non eò magis aggrediatur & quatiat, quò ſpecioſius fulget? Quid illi arduum, quíd ve difficile eſt? non vnâ viâ ſemper, ne tota quidem incurrit. Modò noſtras in nos manus aduocat, modò ſuis contenta viribus, inuenit pericula ſine auctore. Nullum tempus exceptum eſt: in ipſis voluptatibus cauſſæ doloris oriuntur. Bellum in mediâ pace conſurgit, & auxilia ſecuritatis in metum tranſeunt: ex amico inimicus, hoſtis ex ſocio. In ſubitas tempeſtates, hiberniſque maiores, agitur æſtiua tranquillitas. Sine hoſte

57. ETIAM MVTIS ANIMALIBVS.] *Id eſt, piſcibus. à quibus prima cædes cœpit, & in obſonium illi verſi.*

EPIST. XCI. 1. LIBERALIS NOSTER.] *Videtur ille* Æbutius Liberalis, *cui De Beneficiis inſcripſit.*

2. TAM INFESTVM VLLI.] *Mallem vel*, vllibi, *vel* vllum.

3. ADVERSVS SVA FIRMVM.] *Putarem*, ſueta: *ex ſequentibus.*

4. QVOD ETIAM MIRATVS EST.] *Vt inopinatum & inſolitum: Vnde hoc? Quomodo? Quis putaſſet?*

hoſte patimur hoſtilia: & cladis cauſſas, ſi alia deficiunt, nimia ſibi felicitas inuenit. In- A
uadit temperatiſſimos morbus, validiſſimos phthiſis, innocentiſſimos pœna, ſecretiſſimos tumultus. Eligit aliquid noui caſus, per quod velut oblitis vires ſuas ingerat. Quidquid longa ſeries, multis laboribus, multâ Deûm indulgentiâ ſtruxit, id vnus dies ſpargit ac diſſipat. Longam moram dedit malis properantibus, [5] qui diem dixit, [6] horam, momentumque temporis, euertendis imperiis ſufficere. Eſſet aliquod imbecillitatis noſtræ ſolatium, rerumque noſtrarum; ſi tam tardè perirent cuncta, quàm fiunt: [7] nunc incrementa lentè exeunt, feſtinatur in damnum. Nihil priuatim, nihil publicè ſtabile eſt: tam hominum, quàm vrbium, fata voluuntur. Inter placidiſſima terror exſiſtit, nihilque extrà tumultuantibus cauſſis, mala vnde minimè exſpectabantur, erumpunt. Quæ domeſticis bellis ſteterãt regna, quæ externis, impellente nullo ruunt. Quota quæque felicitatem ciuitas pertulit? Cogitanda ergo ſunt omnia, & animus aduerſus ea quæ poſſunt euenire, firmandus. Exſilia, tormenta, bella, morbos, naufragia meditare. poteſt te patriæ, [8] poteſt patriam tibi caſus eripere: poteſt te in ſolitudinem abiicere, poteſt B
hoc ipſum in quo turba ſuffocatur, fieri ſolitudo. Tota ante oculos ſortis humanæ conditio ponatur: nec quantum frequenter euenit, ſed quantum plurimùm poteſt euenire, præſumamus animo, ſi nolumus opprimi, nec vllis inuſitatis velut nouis obſtupefieri. In plenum cogitanda fortuna eſt: Quoties Aſiæ, quoties Achaiæ vrbes vno tremore ceciderunt? quot oppida in Syriâ? quot in Macedoniâ deuorata ſunt? Cyprum quoties vaſtauit hæc clades? quoties in ſe Paphus corruit? Frequenter nobis nunciati ſunt totarum vrbium interitus: & nos, inter quos frequenter iſta nunciantur, quota pars omnium ſumus? Conſurgamus itaque aduerſus fortuita: & quidquid inciderit, ſciamus non eſſe tam magnum, quàm rumore iactetur. Ciuitas arſit opulenta, ornamentumque prouinciarum, quibus [9] & inſerta erat, & excepta, vni tamen impoſita, & huic non altiſſimo monti. Omnium iſtarum ciuitatum, quas nunc magnificas ac nobiles audis, veſtigia quoque tempus eradet. Non vides, quemadmodum in Achaiâ clariſſimarum vrbium iam fundamenta conſumpta ſint, nec quidquã exſtet, ex quo appareat illas ſaltem fuiſſe? C
Non tantùm manufacta labuntur, non tantùm humanâ arte atque induſtriâ poſita vertit dies: iuga montium diffluunt, totæ deſedêre regiones. Operta ſunt fluctibus, quæ procul à conſpectu maris ſtabant: vaſtauit ignis colles, per quos elucebat: eroſit & quondam altiſſimos vertices, ſolatia nauigantium, ac ſpeculas, [10] ad humilem arenam deduxit. Ipſius naturæ opera vexantur: & ideò æquo animo ferre debemus vrbium excidia. Caſura omnia exſtant: omnibus exitus manet: ſiue internâ vi flatuque [11] præcluſa violenti pondus, ſub quo tenentur, excuſſerint; ſiue torrentium [12] in abdito vis obſtantia effregerit; ſiue flammarum violentia compaginem ſoli ruperit; ſiue vetuſtas, à quâ nihil tutum eſt, expugnauerit minutatim; ſiue grauitas cæli eiecerit populos, & ſitus deſerta corruperit. Enumerare omnes fatorum vias, longum eſt. hoc vnum ſcio: omnia mortalium opera, mortalitate damnata ſunt: inter peritura viuimus. Hæc ego atque eiuſ-

5. QVI DIEM DIXIT.] *Is fuit Euripides, & eò noſter videtur adſpicere. Nam verſus eius eſt:*

Ὁ δ' ὄλβος ἀ βέβαιος, ἀλλ' ἐφήμερος:

Felicitas non firma, ſed dialis eſt.

De quo Demetrius Phalereus cenſebat, meliùs habiturum, ſi non diem, ſed momentum dixiſſet. *Eſt ipſa correctio, quæ hîc in Senecâ: & illa Demetrÿ apud Plutarchum legitur, Conſol. ad Apollonium.*

6. HORAM MOMENTVMQVE.] *Legerim cum Grutero:* hora momentumque eu. imp. ſuffecêre.

7. NVNC INCREMENTA LENTE.] *Tacitus in Agricolâ:* Naturâ infirmitatis humanæ, tardiora ſunt remedia, quàm mala. Et vt corpora lentè augeſcunt, citò exſtinguuntur: ſic ingenia faciliùs oppreſſeris, quàm reuocaueris.

8. POTEST PATRIAM TIBI.] *Vt Lugduni incendio factum.* D

9. ET INSERTA ERAT, ET EXCEPTA.] *Loco inſerta, & poſitu; excepta conditione, & colonia Romana facta.*

10. AD HVMILEM ARENAM DED.] *Meus & plures ſcripti:* ad humile deduxit, *ſpretâ mediâ voce.*

11. PRÆCLVSA VIOLENTI PONDVS.] *Muretus ex iſtis fecerat*, præcluſi venti. *Ego putem:* interna vis, flatuſque præcluſi, violentè pondus.

12. IN ABDITO VIS OBSTANTIA.] *Scripti*, in abdito vaſtorum obſtantia. *Sed ſanè vox* Vis, *aut ſimilis requiritur: niſi placet repeti & intelligi è lineâ priore.*

13. Ti-

A eiuſmodi ſolatia admoueo Liberali noſtro, incredibili quodam patriæ ſuæ amore flagranti: quæ fortaſſe conſumpta eſt, vt in melius excitaretur. Sæpè maiori fortunæ locum fecit iniuria: multa ceciderunt, vt altiùs ſurgerent, & in maius. [13] Timagenes felicitati vrbis inimicus aiebat, *Romæ ſibi incendia ob hoc vnum dolori eſſe, quòd ſciret meliora reſurrectura, quàm arſiſſent.* [14] In hac quoque vrbe veriſimile eſt certaturos omnes eſſe, vt maiora certioraque, quàm amiſere, reſtituantur. [15] Sint vtinã diuturna, & melioribus auſpiciis in æuum longius condita! Nam huic coloniæ ab origine ſuâ [16] centeſimus annus eſt, ætas ne homini quidem extrema. A Planco deducta in hanc frequentiam, loci opportunitate, conualuit: quæ tamen grauiſſimos caſus intra ſpatium humanæ pertulit ſenectutis. Itaque formetur animus ad intellectum, patientiamque ſortis ſuæ, & ſciat nihil inauſum eſſe fortunæ. Aduerſus imperia illam idem habere iuris, quod aduerſus imperantes: aduerſus vrbes idem poſſe, quod aduerſus homines. Nihil horum indignandum eſt. in eum intrauimus mundum, in quo his legibus viuitur. Placet? pare: non
B placet? quacumque vis exi. Indignare, ſi quid in te iniqui propriè conſtitutum eſt: ſed ſi hæc imos ſummoſque neceſſitas alligat, in gratiam cum fato reuertere, à quo omnia reſoluuntur. Non eſt quòd nos tumulis metiaris, & his [17] monumentis, quæ viam diſparia prætexunt: Æquat omnes cinis. impares naſcimur, pares morimur. Idem de vrbibus, quod de vrbium incolis dico: tam Ardea capta, quàm Roma eſt. Conditor ille iuris humani, non natalibus nos, nec nominum claritate diſtinxit, niſi dum ſumus. Vbi verò ad finem mortalium ventum eſt: Diſcede, inquit, ambitio: omnium quæ terram premunt, [18] ſiremps lex eſto. Ad omnia patienda pares ſumus: nemo altero fragilior eſt, nemo in craſtinum ſui certior. Alexander Macedonum rex diſcere Geometriam infelix cœperat, ſciturus quàm puſilla terra eſſet, ex quâ minimum occupauerat. Ita dico infelix ob hoc, quòd intelligere debebat falſum ſe gerere cognomen. quis enim eſſe magnus in puſillo poteſt? Erant illa quæ tradebantur, ſubtilia, & diligenti intentione diſcenda: non quæ percipere poſſet væſanus homo, & trans Oceanum cogitationes ſuas
C mittens. *Facilia*, inquit, *me doce.* Cui præceptor: *Iſta*, inquit, *omnibus eadem ſunt, æquè difficilia.* Hoc puta rerum naturam dicere: Iſta de quibus quereris, omnibus eadem ſunt: nulli dari faciliora poſſunt: ſed quiſquis volet, ſibiipſi illa reddet faciliora. Quomodo? æquanimitate. Et doleas oportet, & ſitias, & eſurias, & ſeneſcas, & ſi tibi longior contigerit inter homines mora, & ægrotes, & perdas aliquid, & pereas. Non eſt tamen quòd iſtis, quæ te circumſtrepunt, credas: nihil horum malum eſt, nihil intolerabile, aut durum. Ex conſenſu iſtis metus eſt. ſic mortem times, quomodo famam: quid autem ſtultius homine, verba metuente? Eleganter Demetrius noſter ſolet dicere, *eodem loco ſibi eſſe voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. Quid enim*, inquit, *meâ refert,* [19] *ſurſum iſti an*

13. TIMAGENES.] *Nicolao Fabro accepta refertur hæc emendatio. & intelligit illum Auguſti inimicum occultum & obtrectatorem, præſenti ſtatui in-*
D *fenſum: hominem liberæ linguæ, quamquam ſeruus, imò captiuus anteà fuiſſet. Vide Senecam patrem, lib. x. Controuer. v. & noſtra lib. III. De Irâ, cap. XXIII.*

14. IN HAC QVOQVE VRBE.] *Verum vaticinium. namita ſurrexit, & ſtatim, vt vix nouem annis à clade floruerit, & Galbæ imperio pro Vitellio ſteterit,* pertinaci pro Nerone fide, *ait Tacitus. Contendit etiam cum Viennenſi coloniâ, & æmulationes exercuit, affectus felicium. Hæc ex Taciti I. Hiſtor. Quod autem pro Nerone, non mirum. nam is* cladem Lugdunenſem *(ait idem Tacitus)* quadragies ſeſtertio ſolatus erat: *centum millibus Philippæorum.*

15. SINT VTINAM DIVTVRNA.] *Sunt, Seneca: & durat florétque ea vrbs hodie, inter Galliæ primas.*

16. CENTESIMVS ANNVS EST.] *Ergo ſolatium illud à Nerone tardiuſculè adhibitum, anno vrbis* DCCCXVIII. *Lugdunum autem condita à Munatio Planco, anno* DCCXI. *Oportuit arſiſſe,* DCCCXI. *aut paullò pòſt potiùs, ne Senecam exactè computaſſe cenſeamus.*

17. MONVMENTIS QVÆ VIAM.] *Nam vtrimque ad viarum publicarum limites monumenta ferè ſtatuta: quæ tranſeuntes mortis admonerent. Sed ea magna, parua, modica, ornatu & titulis (vt fortuna cuiuſque) diuerſa: at mors vna omnibus, quidquid domus illæ diſpares; quidquid natales, opes, vita diſſident.*

18. SIREMPS LEX ESTO.] *Eximia correctio ab illo Iac. Cuiacio eſt. Spectat ad legum formulam, in quibus perſcribi ſolet, de tali aut tali re, ſimile tius eſſe. Priſcum eſt verbum: & notaui I. Antiquar. Lection. cap. I.*

19. SVRSVM ISTI AN DEORSVM.] *Alludit ad famam quæ deprimit, & quæ attollit.*

isti an deorsum sonent? Quanta dementia est vereri, ne infameris ab infamibus? Quemad- A
modum famam extimuistis sine causâ: sic & illa, quæ numquam timeretis, nisi fama iussisset. Numquid detrimenti faceret vir bonus, iniquis rumoribus aspersus? nec morti quidem hoc apud nos noceat: [20] & hæc malam molitionem habet. Nemo eorum qui illam accusant, expertus est. interim temeritas est, damnare quod nescias. At illud scis, quàm multis vtilis sit, quàm multos liberet tormentis, egestate, querelis, suppliciis, tædio. Non sumus in vllius potestate, cùm mors in nostrâ potestate sit.

EPIST. XCII.

RATIONEM *in homine dominari, & huc omnia referri, & in eâ perfectâ Beatam vitam esse. Externa leue, aut nullum, pondus habere. Vtique voluptatem non facere momentum, irrationalium bonum. Et posse tamen sumi externa, quæ secundùm Naturam sunt; sed iudicio: & hoc tunc in iis Bonum esse, benè eligi. Nihilominus & sine iis, solâ Virtute beatum, imò Beatissimum aliquem esse. Accedere hæc posse; non tamen augere addita, nec minuere detracta Beatitatem. in quam nec Tempus aliquid potest. Deo assimilemur, ad illum eamus.* B

PVTO, inter me teque conuenit, externa corpori acquiri, corpus in honorem animi coli, [1] in animo esse partes ministras, per quas mouemur alimurque, propter [2] ipsum principale nobis datas. In hoc principali est aliquid irrationale, est & rationale. Illud huic seruit: hoc vnum est, quod aliò non refertur, sed omnia ad se perfert. Nam illa quoque diuina ratio omnibus preposita est, ipsa sub nullo est: & hæc autem nostra eadem est, quia ex illâ est. Si de hoc inter nos conuenit, sequitur vt de illo quoque conueniat, in hoc vno positam esse beatam vitam, vt in nobis ratio perfecta sit. Hæc enim sola non submittit animum, stat contra fortunam: in quolibet rerum habitu [3] seruata, C
seruat. Id autem vnum bonum est, quod numquam defringitur. Is, inquam, beatus, quem nulla res minorem facit: tenet summa, & ne vlli quidem, nisi sibi, innixus. Nam qui aliquo auxilio sustinetur, potest cadere. Si aliter est, incipient in nobis multum valere non nostra. Quis autem vult constare fortunâ, aut quis se prudens ob aliena miratur? Quid est beata vita? securitas & perpetua tranquillitas. Hanc dabit animi magnitudo, dabit constantia benè iudicati tenax. Ad hoc quomodo peruenitur? si veritas tota perspecta est, si seruatus est in rebus agendis ordo, modus, decor, & innoxia voluntas, aut benigna, intenta rationi, nec vmquam ab illa recedens, amabilis simul, mirabilisque. Denique, vt breuiter tibi formulam scribam, talis animus sapientis esse viri debet, qualis Deum deceat. Quid potest desiderare is, cui omnia honesta contingunt? Nam si possunt aliquid non honesta conferre ad optimum statum, in iis erit beata vita, sine quibus non est. Et quid stultius, turpiúsve, quàm bonum rationalis animi ex irrationalibus nectere? Quidam tamen augeri summum bonum iudicant, quia parùm plenum sit, fortuitis repugnantibus. Antipater quoque, [4] inter magnos sectæ huius auctores, D
aliquid se tribuere dicit externis, sed exiguum admodum. Vides autem quale sit, die non esse contentum, nisi aliquis igniculus alluxerit. Quod potest in hac claritate solis habere scintilla momentum? Si non es solâ honestate contentus, necesse est aut [5] quietem adiici velis,

20. ET HÆC MALAM MOLITIONEM.] *Legi possit*, mali mollitionem, *vel potiùs*, amolitionem habet: *tamen aliud etiam fuit.*

EPIST. XCII. 1. IN ANIMO ESSE PARTES MINISTRAS.] *Hæc explico* III. *Physiol. Dissert.* XVII.

2. IPSVM PRINCIPALE.] *De quo ibidem, Dissert.* XVIII. *itemq; de sequentibus. Vide.*

3. SERVATA SERVAT.] *Si tu eam seruas integram, nec submittis, ipsa te seruat. Sed libri plerique*, seruitus seruat: *& quidam*, se virtus, *quod germanum puto.*

4. INTER MAGNOS SECTÆ.] *De isto Antipatrâ ego in Manuduct.* I. *Dissert.* II.

5. QVIETEM ADIICI.] *Quam interpretatur* ἡσυχίαν: *etsi libri ignorabiles ferè ibi litteras habent: nec malè* εὐθυμίαν *legas, quæ ipsa Democriti sententia fuit: & finem hanc statuebat.*

6. MA-

A velis, quam hesychian vocant Græci, aut voluptatem. Horum alterum vtcumque recipi potest: vacat enim animus molestiâ, liber ad conspectum vniuersi, nihilque illum auocat à contemplatione naturæ: alterum illud, voluptas, bonum pecoris est. Adiicimus rationali irrationale, honesto inhonestum. [6] Magnam vitam facit titillatio corporis? quid ergo dubitatis dicere, benè esse homini, si palato benè est? Et hunc tu, non dico inter viros numeras, sed inter homines, cuius summum bonum saporibus, ac coloribus, ac sonis constat? Excedat ex hoc animalium numero pulcherrimo, ac diis secundo, mutis aggregetur animal pabulo natum. Irrationalis pars animi [7] duas habet partes: alteram animosam, ambitiosam, impotentem, positam in affectionibus: alteram humilem, languidam, voluptatibus deditam. Illam effrænatam, meliorem tamen, certè fortiorem ac digniorem viro, [8] reliquerunt: hanc necessariam beatæ vitæ putauerunt, eneruem & obiectam. Huic rationem seruire iusserunt, & fecerunt animalis generosissimi bonum, demissum & ignobile. Præterea mixtum, portentosumque, & ex diuersis
B animalium congruentibus membris. nam, vt ait Virgilius noster in Scyllâ,

Prima hominis facies & pulchro pectore virgo
Pube tenus, postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas vtero commissa luporum.

Huic tamen Scyllæ fera animalia iuncta sunt, horrenda, velocia: at isti sapientiam ex quibusnam composuere portentis? Prima hominis pars, est ipsa virtus: huic committitur futilis caro, & fluida, & receptandis tantùm cibis habilis, vt ait Posidonius. Virtus illa diuina in lubricum desinit, & superioribus eius partibus venerandis atque cælestibus, animal iners ac marcidum attexitur. [9] Illa vtcumque alta quies, nihil quidem ipsa animo præstabat, sed impedimenta remouebat: voluptas vltrò dissoluit, & omnia robur emollit. Quæ inuenietur tam discors inter se iunctura corporum? Fortissimæ rei inertissima adstruitur, seueriss imæ parùm seria, sanctissimæ intemperans vsque & indigesta. Quid ergo, inquit, si virtutem nihil impeditura sit bona valetudo, & quies, & dolorum
C vacatio, non petes illa? Quid ni petam? non quia bona sunt, sed quia secundùm naturam sunt, & quia bono à me [10] iudicio sumuntur. Quod erit in illis tunc bonum? hoc vnum, benè eligi. Nam cùm vestem qualem decet sumo, cùm ambulo vt oportet, cùm cæno quemadmodum debeo: non cæna, aut ambulatio, aut vestis bona sunt, sed meum in his propositum, seruandi in quaque re rationi conuenientem modum. Etiam nunc adiiciam: Mundæ vestis electio appetenda est homini. naturâ enim homo mundum & elegans animal est. Itaque non est bonum per se munda vestis, sed mundæ vestis electio: quia non in re bonum est, sed in electione: quâ actiones nostræ honestæ sunt, non ipsa quæ aguntur. Quod de veste dixi, idem de corpore me existima dicere. nam hoc quoque natura, vt quamdam vestem, animo circumdedit: velamentum eius est. Quis autem vmquam vestimenta [11] æstimauit arculâ? Nec bonum, nec malum vagina gladium facit. Ergo de corpore quoque idem tibi respondeo: sumpturum quidem me, si detur electio, & sanitatem & vires: bonum autem futurum, iudicium de illis meum,
D non ipsa. Est quidem, inquit, sapiens beatus: [12] summum tamen illud bonum non assequitur, nisi illi & naturalia instrumenta respondeant. Ita miser quidem esse, qui virtutem

6. MAGNAM VITAM.] *Antè editi*, Magno: *quod præ isto placet, aut* Magni. *Sententia est, non ideò magni habendam vitam, si in voluptate externâ est.*

7. DVAS HABET PARTES.] *De quibus nos in loco proximè dicto.*

8. RELIQVERVNT.] *Qui? nempe Epicuréi: & de iis loquitur. Illi, inquit, relicto τῷ θυμοειδεῖ, solum ἐπιθυμητικὸν sunt secuti.*

9. ILLA VTCVMQVE ALTA QVIES.] *Tranquillitas, & Hesychia.*

10. IVDICIO SVMVNTVR.] *Hoc Stoicum. in Adiaphoris, siue Mediis*, Eligere & Sumere *quæ sunt secundùm naturam. Ipsa bona non sunt, sed iudicium tale bonum. Nos in Manuduct. lib* 11. *Dissert.* XXIII.

11. ÆSTIMAVIT ARCVLA.] *In quibus reconduntur, & asseruantur. Vide de Tranquill. cap.* 1.

12. SVMMVM TAMEN ILLVD BONVM.] *Est hæc nota & capitalis controuersia inter Stoicos & Academicos (quibus Peripatetici consentiunt) à Virtute beatitatem esse, sed non plenam & summam. Ad hanc, externa etiam requiri.*

13. COM-

tutem habet, non potest; beatissimus autem non est, qui naturalibus bonis destituitur, A
vt valetudine,& membrorum integritate. Quod incredibilius videtur, id concedis, aliquem in maximis & continuis doloribus non esse miserum, esse etiam beatum: quod leuius est, negas, beatissimum esse. Atqui si potest virtus efficere, ne miser aliquis sit, faciliùs efficiet, vt beatissimus sit. minus enim interualli à beato ad beatissimum restat, quàm à misero ad beatum. An quæ res tantum valet, vt ereptum calamitatibus inter beatos locet: non potest adiicere quod supereſt, vt beatissimum faciat? in summo deficit eliuo? [13] Commoda sunt in vitâ, & incommoda: vtraque extra nos. Si non est miser vir bonus, quamuis omnibus prematur incommodis: quomodo non beatissimus, & si aliquibus commodis deficitur? Nam quemadmodum incommodorum onere vsque ad miserum non deprimitur, sic commodorum inopiâ non deducitur à beatissimo: sed tam sine commodis beatissimus est, quàm non est sub incommodis miser. An non potest illi eripi bonum suum, si potest minui? Paullò antè dicebam, igniculum nihil conferre lumini solis: claritate enim eius, quidquid sine eo lucet,absconditur. Sed quæ- B
dam, inquit, soli quoque obstant. At solis vis & lux integra est, etiam inter opposita: & quamuis aliquid interiaceat, quod nos prohibeat eius adspectu, in opere est, cursu suo fertur. Quoties inter nubila luxit, non est sereno minor, nec tardior quidem: quoniam multum interest, vtrùm aliquid obstet tantùm, an impediat. Eodem modo virtuti opposita nihil detrahunt. non est minor, sed minùs fulget: nobis forsitan non æquè apparet ac nitet; sibi eadem est, & more solis obscuri, in occulto vim suam exercet. Hoc itaque aduersus virtutem possunt calamitates, & damna, & iniuriæ, quod aduersus solem potest nebula. Inuenitur qui dicat, sapientem corpore parùm prospero vsum, nec miserum esse,nec beatum. Hic quoque fallitur. exæquat enim fortuita virtutibus,& tantumdem tribuit honestis, quantum honestate carentibus. Quid autem fœdius, quid indignius, quàm comparare veneranda contemptis? Veneranda enim sunt, fides, iustitia, pietas, fortitudo,prudentia: è. ontrariò vilia sunt, quæ sæpè contingunt pleniora vilissimis,crus solidum,& lacertus,& dentes, & horum sanitas, firmitasque. Deinde si sapiens C
cui corpus molestum est, nec miser habebitur,nec beatus,sed in medio relinquetur: vita quoque eius nec appetenda erit, nec fugienda. Quid autem tam absurdum, quàm sapientis vitam appetendam non esse? aut quid tam extra fidem, quàm esse aliquam vitam nec appetendam,nec fugiendam? Deinde,si damna corporis miserum non faciunt, beatum esse patiuntur. Nam quibus potentia non est in peiorem transferendi statum, nec interpellandi quidem optimum. Frigidum,inquit,aliquid & calidum nouimus:inter vtrumque tepidum est. Sic aliquis beatus est, aliquis miser: aliquis nec miser, nec beatus. Volo hanc contra nos positam imaginem excutere. Si tepido illi plus frigidi ingessero, fiet frigidum: si plus calidi affudero, fiet nouissimè calidum. At huic, nec misero, nec beato, quantumcumque ad miserias adiecero, miser non erit, quemadmodum dicitis: ergo imago ista dissimilis est. Deinde trado tibi hominem, nec miserum, nec beatum. huic adiicio cæcitatem, non fit miser: adiicio debilitatem, non fit miser: adiicio dolores continuos & graues, non fit miser. Quem tam multa mala in miseram vi- D
tam non transferunt, nec ex beatâ quidem educunt. Si non potest, vt dicitis, sapiens ex beato in miserum decidere, non potest in non beatum. quare enim qui labi cœpit, alicubi subsistat? quæ res non patitur illum ad imum deuolui, retinet in summo. Quid ni non possit beata vita rescindi? nec remitti quidem potest: & ideò virtus ad illam per se ipsa satis est. Quid ergo? inquit. sapiens [14] non est beatior, qui diutiùs vixerit, quem nullus auocauit dolor: quàm ille qui cũ malâ fortunâ sæpè luctatus est? Responde mihi: Numquid & melior est, & honestior? si hæc non sunt, nec beatior quidem est. Rectiùs viuat, oportet, vt beatiùs viuat: si rectiùs non potest, ne beatiùs quidem. Non intenditur virtus: ergo ne beata quidem vita, quæ ex virtute est. Virtus enim tantum bonum est, vt

13. COMMODA ET INCOMMODA.] *Nos in Manuduct.* II. *Dissert.* XXIII.

14. NON EST BEATIOR, QVI DIVTIVS.] *Item in Manuduct.* III. *Dissert.* III.

15. BEA-

A eſt, vt iſtas acceſſiones minutas non ſentiat, breuitatem æui, & dolorem, & corporum varias offenſiones. Nam voluptas non eſt digna, ad quam reſpiciat. Quid eſt in virtute præcipuum? futuro non indigere, nec dies ſuos computare. In quantolibet tempore, bona æterna conſummant. Incredibilia nobis hæc videntur, & ſupra humanam naturam excurrentia. Maieſtatem enim eius ex noſtrâ imbecillitate metimur, & vitiis noſtris nomen virtutis imponimus. Quid porrò, non æquè incredibile videtur, aliquem in ſummis cruciatibus poſitum, dicere, Beatus ſum? atqui hæc vox in ipſâ officinâ voluptatis eſt audita. [15] *Beatiſſimum*, inquit, *hunc & vltimum diem ago*, Epicurus: cùm illum hinc vrinæ difficultas torqueret, hinc inſanabilis exulcerati dolor ventris. Quare ergo incredibilia ſunt iſta apud eos, qui virtutem colunt: cùm apud eos quoque reperiantur, apud quos voluptas imperat? Hi quoque degeneres & humillimæ mentis aiunt, in ſummis doloribus, in ſummis calamitatibus, ſapientem nec miſerum futurum, nec beatum. Atqui hoc quoque incredibile eſt, imò incredibilius. Non video enim, quomodo non in
B infimum agatur, è faſtigio ſuo deiecta virtus. Aut beatum præſtare debet: aut ſi ab hoc depulſa eſt, non prohibebit fieri miſerum. [16] Stans non poteſt vinci: aut vincatur oportet, aut vincat. Diis, inquit, immortalibus ſolis & virtus & beata vita contingit: nobis vmbra quædam illorum bonorum, & ſimilitudo. accedimus ad illa, non peruenimus. Ratio verò; diis hominibuſque communis: hæc in illis conſummata eſt, in nobis conſummabilis. Sed ad deſperationem nos vitia noſtra perducunt. Nam ille alter ſecundus, vt aliquis parùm conſtans ad cuſtodienda optima, cuius iudicium labat etiamnum & incertum eſt, deſiderat oculorum atque aurium ſenſum, bonam valetudinem, & non fœdum adſpectum corporis, & habitu manentem ſuo, ætatis præterea longius ſpatium. [17] Per hanc poteſt non pænitenda agitare, vt in imperfecto viro. Huic malitiæ vis quædam ineſt, quâ animum habet mobilem ad praua: [18] ille agit carens malitiâ, & ea agitatio abeſt à bono. Non eſt adhuc bonus, ſed in bonum fingitur: cuicumque autem deeſt aliquid ad bonum, malus eſt.

C *Sed ſi cui virtus animuſque in corpore præſens;*

hic deos æquat, illò tendit originis ſuæ memor. Nemo improbè eò conatur adſcendere, vnde deſcenderat. Quid eſt autem, cur non exiſtimes in eo diuini aliquid exiſtere, qui Dei pars eſt? totum hoc quo continemur, & [19] vnum eſt, & Deus: & ſocij eius ſumus, & membra. Capax eſt noſter animus: perfertur illò, ſi vitia non deprimant. Quemadmodum corporum noſtrorum habitus erigitur, & ſpectat in cælum; ita animus, cui inquantum vult, licet porrigi, in hoc à naturâ rerum formatus eſt, vt paria diis velit, & ſic vtatur ſuis viribus, ac ſe in ſpatium ſuum extendat. Nam ſi alienâ vi ad ſumma niteretur, magnus erat labor, ire in cælum: redit. cùm hoc iter nactus eſt, vadit audacter, & contemptor omnium, nec ad pecuniam reſpicit: aurum argentumque, illis in quibus iacuêre tenebris digniſſima, non ad hunc æſtimat ſplendorem, quo imperitorum verberant oculos. [20] ſcit erui è cæno, ex quo illa ſecreuit cupiditas noſtra & effodit. Scit, inquam, alibi poſitas eſſe diuitias, quàm quò congeruntur: animum impleri debere, non
D arcam. Hunc imponere dominio omnium rerum licet, hunc in poſſeſſionem rerum naturæ inducere, [21] vt ſuorum. Oriens Occidenſque terminus fiat, deorumque ritu cuncta poſſideat; cum opibus ſuis diuites ſupernè deſpiciat: quorum nemo tam lætus eſt ſuo, quàm triſtis alieno. Cùm ſe in hanc ſublimitatem tulit, corporis quoque, velut one-

15. BEATISSIMVM, INQVIT, HVNC.] *Verba hæc Epicuri ſuprà notaui, Epiſt.* LXVI.

16. STANS NON POTEST VINCI.] *Meus liber,* non poteſt mitti. *ex quo fecerim:* Conſtans non poteſt remitti.

17. PER HANC POTEST NON PÆNITENDA.] *Obſcura hæc omnia, aut mutila: nec ſubuenio.*

18. ILLE AGIT CARENS.] *Muretus ex veteri aliquo:* illum agit hærens.

19. VNVM EST, ET DEVS.] *Nam & mundus Stoicis Deus dicitur: de quo* I. *Phyſiol. Diſſert.* VII. *vbi ipſa hæc examinamus.*

20. SCIT ERVI E CÆNO.] *Belliſsimè hæc ita emendauit Gruterus noſter, è veſtigiis priſcæ ſcripturæ, & recepi in contextum.*

21. VT SVORVM. ORIENS.] *Scripti*, vt ſua Orientis Occidentiſque: *probè, ſi porrò legas,* terminis finiat. *Vulgatâ tamen diſtinctione ego expediueram.*

22. MODÒ

oneris neceſſarij, non amator, ſed procurator eſt: nec ſe illi cui impoſitus eſt, ſubiicit. A
Nemo liber eſt, qui corpori ſeruit. nam vt alios dominos, quos nimia pro illo ſollicitudo inuenit, tranſeas, ipſius moroſum imperium delicatumque eſt. Ab hoc, modò æquo animo exit, [22] modò magno proſilit: nec quis deinde reliquiis eius futurus ſit exitus, quærit. Sed vt ex barbâ capillos detonſos negligimus: ita ille diuinus animus egreſſurus hominem, quò receptaculum ſuum conferatur, ignis illud exurat, an feræ diſtrahant, an terra contegat, non magis ad ſe iudicat pertinere, [23] quàm ſecundas ad editum infantem. Vtrùm proiectum aues differant, an conſumatur

——— *canibus data præda marinis,*

quid ad illum? Qui tunc quoque, cùm inter homines eſt, nullas minas timet: vlláſne timebit poſt mortem minas [24] eorum, quibus vſque ad mortem timeri parùm eſt? [25] Non conteret, inquit, me, nec vncus, nec proiecti ad contumeliam cadaueris laceratio, fœda viſuris. Neminem de ſupremo officio rogo: nulli reliquias meas commendo. ne quis inſepultus eſſet, [26] rerum natura proſpexit. Quem ſæuitia proiecerit, dies condet. B
Diſertè Mecænas ait:

Nec tumulum curo. ſepelit natura relictos.

[27] Altè cinctum putes dixiſſe. habuit enim ingenium & grande & virile, niſi [28] illud ipſe diſcinxiſſet.

EPIST. XCIII.

De morte philoſophi Metronactis, qui iuuenis obiit. Parùm id refert: & vita non ſpatio, ſed actu metienda eſt. Omnis bona ea, longa: denique nihil hîc longum.

In epiſtolâ quâ de morte [1] Metronactis philoſophi querebaris, tamquam & potuiſſet diutiùs viuere, & debuiſſet, æquitatem tuam deſideraui: quæ tibi in omni perſonâ, in omni negotio ſupereſt; in vnâ re deeſt, in quâ omnibus. Multos inueni æquos aduerſus homines: aduerſus deos neminem. Obiurgamus quotidie fatum: Quare ille in medio curſu raptus eſt? quare ille non rapitur? quare ſenectutem & ſibi & aliis grauem extendit? Vtrùm obſecro te, æquius iudicas, te naturæ, an tibi parere naturam? quid autem intereſt quàm citò exeas, vnde vtique exeundum eſt? Non vt diu viuamus, curandum eſt: ſed vt ſatis. nam vt diu viuas, fato opus eſt: vt ſatis, animo. [2] Longa eſt vita, ſi plena eſt. impletur autem, cùm animus ſibi bonũ ſuum reddidit, & ad ſe poteſtatem C
ſui

22. MODÒ MAGNO PROSILIT.] *Cùm ſponte ſcilicet exit, morte ſumptâ.*

23. QVAM SECVNDAS.] *Membranas, quibus infans in vtero inuoluitur, editumq. in lucem ſequuntur: vnde Secundæ. Græcis à ſimili cauſſâ, τὰ ὕςερα.*

24. EORVM QVIBVS VSQVE AD.] *Tyrannorum, qui in cadauera ſæuiunt.*

25. NON CONTERET, INQVIT.] *Malim,* non conterret. *Neque Vnci eſt conterere, ſed trahere.*

26. RERVM NATVRA PROSPEXIT.] *His paria Lucanus, lib.* VII. *in Cæſarem, qui inſepultos ciues in Pharſaliâ reliquit:*

Nil agis hac irâ. tabéſne cadauera ſoluat,
An rogus, haud refert. placido Natura recep-
tat
Cuncta ſinu.

27. ALTE CINCTVM.] *Iuduſtrium, gnauum, fortem. nam talis ferè eorum cinctus. At Mecænas inter molliculos & remiſſos, & in publico etiam diſcinctus. Adde epiſt.* CXIV.

28. ILLVD IPSE DISCINXISSET.] *Libri,* illud ſecum diſcinxiſſet: *quod eſſet, vnà cum veſte & corpore ingenium diſſoluiſſet. At meus, & quidam:* ſe- D
cundis cinſiſſet. *Itaque legas etiam cum Grutero,* ſecunda diſcinxiſſent. *Res nimis proſperæ & fluentes, fluxum illum & mollem reddiderunt.*

EPIST. XCIII. 1. METRONACTIS.] *Qui Neapoli docuit, & obiit, vt diſcas ex Epiſt.* LXXVI.

2. LONGA EST VITA, SI.] *In hanc ſententiam Plutarchus, Conſol. ad Apollonium:* Οὐχ ὁ μακρότατος βίος ἄριςος, ἀλλ' ὁ σωφρονέςατος: Non longiſſima vita optima, ſed honeſtiſſima. *Et addit:* Neque enim qui plurimùm citharâ cecinit, aut orauit, aut in naui gubernauit, ſed qui benè, commendatur. Bonum autem non eſt in temporis diuturnitate ſitum, ſed in Virtute & decorâ proportione. *Iterumq. mox:* Μέτρον γὰρ τοῦ βίου τὸ καλὸν, οὐ τὸ χρόνου μῆκος: Menſura enim vitæ, Bonum; non autem temporis diuturnitas eſt.

3. NON

A sui transtulit. Quid illum octoginta anni iuuant, per inertiam exacti? [3] non vixit iste, sed in vitâ moratus est; nec serò mortuus est, sed diu. Octoginta annis vixit. Interest, mortem eius ex quo die numeres. At ille obiit viridis: sed officia boni ciuis, boni amici, boni filij exsecutus est: in nullâ parte cessauit. licet eius ætas imperfecta sit, vita perfecta est. Octoginta annis vixit. Imò octoginta annis fuit: nisi fortè sic vixisse eum dicis, quomodo dicuntur arbores viuere. Obsecro te, mi Lucili, hoc agamus, vt quemadmodum [4] pretiosa rerum, sic vita nostra non pateat multum, sed multum pendat. Actu illam metiamur, non tempore. Vis scire, quid inter hunc interfit vegetum contemptoremque fortunæ, functum omnibus vitæ humanæ stipendiis, atque in summum bonum euectum, & illum cui multi anni transmissi sunt? alter post mortem quoque est, alter ante mortem periit. Laudemus itaque, & in numero felicium reponamus eum, cui quantulumcumque temporis contigit, benè collocatum est. Vidit enim veram lucem, non fuit vnus è multis. [5] & viuit, & vixit, & viguit. Aliquando sereno vsus est: aliquando, vt
B solet, validi sideris fulgor per nubila emicuit. Quid quæris, quamdiu vixerit? vixit ad posteros vsque: transiliit, & se in memoriam dedit. Nec ideò mihi plures annos accedere recusauerim: nihil tamen ad beatam vitam defuisse dicam, si spatium eius inciditur. Non enim ad eum diem me aptaui quem vltimum mihi spes auida promiserat: sed nullum non tamquam vltimum adspexi. Quid me interrogas, quando natus sim? an inter iuniores adhuc censear? habeo meum. Quemadmodum in minore corporis habitu, potest homo esse perfectus: sic & in minore temporis modo, potest esse vita perfecta. Ætas inter externa est. Quamdiu sim, alienum est: quamdiu vir bonus sim, meum est. Hoc à me exige, ne velut per tenebras æuum ignobile emetiar: vt agam vitam, non vt præteruehar. Quæris quod sit ampliſſimum vitæ spatium? vsque ad sapientiam viuere. Qui ad illam peruenit, attigit non longissimum finem, sed maximum. Ille verò glorietur audacter, & diis agat gratias: interque eos, sibi & rerum naturæ imputet, quòd fuit. Meritò enim imputabit: meliorem illi vitam reddidit, quàm acceperat. Exemplar boni
C viri posuit: qualis quantusque esset, ostendit: si quid adiecisset, fuisset simile præterito. Et tamen quousque viuimus? omnium rerum cognitione fruiti sumus. [6] Scimus à quibus principalis natura se attollat, quemadmodum ordinet mundum, per quas vices annum reuocet, quemadmodum omnia quæ vsquam erant, cluserit, & seipsam sui finem fecerit. Scimus, sidera impetu suo vadere: præter terram nihil stare, cetera continuâ velocitate decurrere. Scimus quemadmodum solem luna prætereat: quare tardior velociorem post se relinquat: quomodo lumen accipiat, aut perdat: quæ caussa inducat noctem, quæ reducat diem. Illuc eundum est, vbi ista propiùs adspicias. nec hac spe, inquit sapiens ille, fortiùs exeo, quòd patere mihi ad deos meos iter iudico. Merui quidem admitti, & iam inter illos fui: animumque illò meum misi, & ad me illi suum miserunt. Sed tolli me de medio puta, & post mortem nihil ex homine restare: æquè magnum animum habeo, etiam si nusquam transiturus excedo. Non tam multis vixit annis, quàm potuit. Et paucorum versuum liber est, & quidem laudandus, atque vtilis:
D annales Tamusij scis [8] quàm non decori sint, [9] & quid vocentur. æquè est vita quorumdam

3. NON VIXIT ISTE, SED.] *Similis gnome Simonidis*, qui interrogatus, Quantum temporis vixisset? Tempus haud multum, inquijt, annos verò complures. *Quasi in temporis rationem non veniat, nisi vita benè acta.*

4. PRETIOSA RERVM.] *Gemmæ & lapides, quæ in breuitate pretium habent.*

5. ET VIVIT.] *Nunc in cælo: ac malè hæ voces à vulgatis exsulant.*

6. SCIMVS A QVIBVS PRINCIPALIS NATVRA.] *Principalem naturam accipio, Naturam rerum: quæ attollitur & surgit à Deo & Materiâ. Nec malè etiam cum Erasmo*, Scimus ad quid: *aut meâ diuinatiunculâ*, Scimus quibus: *quod vtrumque eódem it, & hominum deorumq; caussâ Mundum, vt Stoici volunt, factum. Incidebat etiam*, Scimus àquibus principijs natura: *nec malè.*

7. ANNALES TAMVSII.] *In Suetonij Iulio, cap.* IX. *Historia Tamusij Gemini memoratur: nec vero distat, esse istum. An fortè* desideroſi, *optabiles, aut boni?*

8. QVAM NON DECORI SINT.] *Alij libri*, non dederoſi; *alij*, non dedecoroſi; *quidam*, decoroſi. *Verbi aliquid non obuij, nec mihi occurrit.*

9. ET QVID VOCENTVR.] *Nempe quod illi Catulliani* Annales Voluſi, cacata charta.

rumdam longa, & quod Tamusij sequitur annales. Numquid feliciorem iudicas eum, A qui summo die muneris, quàm eum qui medio occiditur? numquid aliquem esse tam cupidum vitæ putas, vt iugulari [10] in spoliario, quàm in arenâ malit? Non maiore spatio alter alterum præcedimus. mors per omnes it: qui occidit, consequitur occisum. Minimum est, de quo sollicitissimè agitur. Quid autem ad rem pertinet quamdiu vites, quod euitare non possis?

EPIST. XCIV.

DISSERTATIO, *vtrùm Dogmatica, an Paranetica pars philosophiæ vtilior? & an altera sine alterâ sufficiat? Aristo priorem præfert, & solam admittit: eiusque hic argumenta, alij & alteram adiungunt, ac magnos eius vsus ostendunt: & Seneca diducit eleganter, argutè, fructuosè. Lege, & oblectare.*

B

[1] EAM partem philosophiæ, quæ dat propria cuique personæ præcepta, nec in vniuersum componit hominem, sed marito suadet, quomodo se gerat aduersus vxorem: patri, quomodo educet liberos: domino, quomodo seruos regat: quidam solam receperunt, ceteras quasi extra nostram vtilitatem vagantes reliquerunt: tamquam quis possit de parte suadere, nisi qui summam priùs totius vitæ complexus est. Sed [2] Aristo Stoicus econtrariò hanc partem leuem existimat, & quæ non descendat in pectus vsque: [3] at illam non habentem præcepta, plurimum ait proficere, ipsaque decreta philosophię, constitutionem esse summi boni. quam qui benè intellexit & didicit, quid in quaque re faciendum sit, sibi ipse præcepit. Quemadmodum qui iaculari discit, destinatum locum captat, & manum format ad dirigenda quæ mittit: cùm hanc vim ex disciplinâ & exercitatione percepit, quocumque vult, illâ vtitur. didicit enim non hoc aut illud ferire, sed quodcumque voluerit. sic qui se ad totam vitam instruxit, non desiderat particulatim admoneri, doctus in totum: non quomodo cum vxore aut cum filio viueret, sed quo- C modo benè viueret. in hoc est, & quomodo cum vxore ac liberis viuat. Cleanthes vtilem quidem iudicat & hanc partem, sed imbecillem nisi ab vniuerso fluit, nisi decreta ipsa philosophiæ & capita cognouit. In duas ergo quæstiones locus iste diuiditur. Vtrùm vtilis, an inutilis sit: & an solus virum bonum possit efficere, id est, vtrùm superuacuus sit, an omnes faciat superuacuos. Qui hanc partem videri volunt superuacuam, hoc aiunt. Si quid oculis oppositum moratur aciem, remouendum est: illo quidem non abiecto operam perdidit, qui præcepit: Sic ambulabis, illò manum porriges. Eodem modo, vbi aliqua res obcæcat animum, & ad officiorum dispiciendum ordinem impedit, nihil agit, qui præcipit: Sic viues cum patre, sic cum vxore. Nihil enim proficient præcepta, quamdiu menti error obfusus est: si ille discutitur, apparebit quid cuique debeatur officio. Alioquin doces illum, quid sano faciendum sit, non sanum efficis. Pauperi, vt agat diuitem, monstras: hoc quomodo manente paupertate fieri potest? Ostendis esurienti, quid tamquam satur faciat: fixam potiùs medullis famem detrahe. Idem tibi de omnibus vitiis dicam. ipsa remouenda sunt; non præcipiendum, quod fieri illis D manentibus non potest. Nisi opiniones falsas, quibus laboramus, expuleris: nec auarus, quomodo vtendum pecuniâ sit, exaudiet; nec timidus, quomodo pericula contemnat. Efficias oportet, vt sciat pecuniam nec bonum, nec malum esse: ostendas illi miserrimos diuites. Efficias, vt quicquid publicè expauimus, sciat non esse tam timendum, quàm

10. IN SPOLIARIO.] *Pars Arenæ sive Amphitheatri fuit, in quâ indui, exui solent, & læsi ac deinceps inutiles occidi. Ego* 1. *Saturn. cap.* XVIII.

EPIST. XCIV. 1. EAM PARTEM PHILOSOPHIÆ.] Παραινετικὴν, *sive* Præceptiuam. *Infrà, epist.* XCV. *initio.*

2. ARISTO STOICVS.] *Qui idem* Chius *cognomento, suprà epist.* LXXXIX. *& eius ibi hæc sententia:* Aristo Chius moralem scientiam circumcidit, & eum locum qui Monitiones continet, sustulit.

3. AT ILLAM NON HABENTEM.] Δογματικὴν, *sive* Decretoriam.

4. IN

A quàm fama circumfert, nec dolorem quoque nec mortem. Sæpè in morte, quam pati lex est, magnum esse solatium, quòd ad neminem redit: in dolore pro remedio futuram obstinationem animi, qui leuius facit sibi, quidquid contumaciter passus est. Optimam doloris esse naturam, quòd non potest nec qui extenditur, magnus esse; nec qui est magnus, extendi. Omnia fortiter accipienda, quæ nobis mundi necessitas imperat. His decretis cùm illum in conspectum suæ conditionis adduxeris, & cognouerit beatam vitam esse, non quæ secundùm voluptatem est, sed secundùm naturam: cùm virtutem vnicum bonum hominis adamauerit, turpitudinem solum malum fugerit, reliqua omnia, diuitias, honores, bonam valetudinem, vires, imperia, scierit esse mediam partem, nec bonis annumerandam, nec malis: monitorem non desiderabit ad singula, qui dicat: Sic incede, sic cæna: hoc viro, hoc fœminæ, hoc marito, hoc cœlibi conuenit. Ista enim qui diligentissimè monent, ipsi facere non possunt. Hæc pædagogus puero, hæc auia nepoti præcipit: & irascendum non esse, magister iracundissimus disputat. Si ludum litterarium intraueris, scies ista quæ ingenti supercilio philosophi iactant, [4] in puerili esse præscripto. Vtrùm manifesta demum, an dubia præcipies? non desiderant manifesta monitores: præcipienti dubia, non creditur: superuacuum est ergo præcipere. Id adeò sic disce. Si id mones quod obscurum est & ambiguum, probationibus adiuuandum erit: si probaturus es, illa per quæ probas, plus valent, satisque per se sunt. Sic amico vtere, sic ciue, sic socio. quare? quia iustum est. Omnia ista mihi locus de iustitiâ tradit. Illic inuenio æquitatem per se expetendam, nec metu nos ad illam cogi, nec mercede conduci: non esse iustum, cui quidquam in hac virtute placet, præter ipsam. Hæc cùm persuasi mihi, & perbibi, quid ista præcepta proficiunt, quæ eruditum docent? Præcepta dare scienti, superuacuum est: nescienti, parum. Audire enim debet, non tantùm quid sibi præcipiatur, sed etiam quare. Vtrùm inquam, veras opiniones habenti de bonis malisque, sunt necessaria, an non habenti? qui non habet, nihil à te adiuuabitur: aures eius contraria monitionibus tuis fama possedit. qui habet exactum iudicium de fugiendis C petendisque, scit quid sibi faciendum sit, etiam te tacente. tota ergo pars ista philosophiæ submoueri potest. Duo sunt, propter quæ delinquimus. Aut inest animo prauis opinionibus malitia contracta: aut etiam si non est falsis occupatus, ad falsa procliuis est, & citò specie quò non oportet trahente, corrumpitur. Itaque debemus aut percurare mentem ægram, & vitiis liberare; aut vacantem quidem, sed ad peiora pronam, præoccupare. Vtrumque decreta philosophiæ faciunt: ergo tale præcipiendi genus nihil agit. Præterea, si præcepta singulis damus, incomprehensibile opus est. Alia enim dare debemus feneranti, alia colenti agrum, alia negotianti, alia regum amicitias sequenti, alia pares, alia inferiores amaturo. In matrimonio præcipias, quomodo viuat cum vxore aliquis quam virginem duxit, quomodo cum eâ quæ alicuius matrimonium experta est, quemadmodum cum locuplete, quemadmodum cum indotatâ. An non putas aliquid esse discriminis inter sterilem, & fœcundam; inter prouectiorem, & puellam; inter matrem, & nouercam? Omnes species complecti non possumus: atqui singulæ propria exigunt. D Leges autem philosophiæ breues sunt, & omnia alligant. Adiice nunc, quòd sapientis præcepta finita esse debent, & certa: si qua finiri non possunt, extra sapientiam sunt: sapientia rerum terminos nouit. Ergo ista pars præceptiua submouenda est: quia quod paucis promittit, præstare omnibus non potest: sapientia autem omnes tenet. [5] Inter insaniam publicam, & hanc quæ medicis traditur, nihil interest: nisi quòd hæc morbo laborat, illa opinionibus falsis. Altera caussas furoris traxit ex valetudine, altera animi mala valetudo est. Si quis furioso præcepta det, quomodo loqui debeat, quomodo procedere, quomodo in publico se gerere, quomodo in priuato; erit ipso, quem monebit, insanior. bilis nigra curanda est, & ipsa furoris caussa remouenda. Idem in hoc alio animi fu-

4. IN PVERILI ESSE PRÆSCRIPTO.] *In gnomis & sententijs, quæ describendæ & ediscendæ proponuntur. Ita infrà:* Pueri ad præscriptum discunt, digiti illorum tenentur. *Præscriptum ergo, exemplar.*

5. INTER INSANIAM PVBLICAM.] *Quâ populi gentesq; laborant, præter Sapientem. Vide illud Paradoxum,* Omnes stultos insanire.

mi furore faciendum est. ipse discuti debet: alioquin abibunt in vanum monentium A
verba. Hæc ab Aristone dicuntur. Cui respondebimus ad singula. Primùm aduersus
illud quòd ait, si quid obstat oculo, & impedit visum, debere remoueri. Fateor, huic non
esse opus præceptis ad videndum, sed remedio quo purgetur acies, & officientem sibi
moram effugiat. Naturâ enim videmus: cui vsum sui reddit, qui remouet obstantia.
Quid autem cuique debeatur officio, natura non docet. Deinde cuius curata suffusio
est, is non protinus cùm visum recepit, aliis quoque potest reddere: malitiâ liberatus, &
liberat. Non est opus exhortatione, nec consilio quidem: vt colorum proprietates ocu-
lus intelligat. à nigro album, etiam nullo monente, distinguet. multis contrà præceptis
eget animus, vt videat quid agendum sit in vitâ. Quamquam oculos quoque ægros
medicus non tantùm curat, sed etiam monet. Non est, inquit, quòd protinus imbecil-
lam aciem committas improbo lumini: à tenebris primò ad vmbrosa procede, deinde
plus aude, & paullatim claram lucem pati assuesce. Non est quòd post cibum studeas,
non est quòd [6] plenis oculis ac tumentibus imperes. Afflatum & vim frigoris in os oc- B
currentis euita: alia eiusmodi, quæ non minùs quàm medicamenta proficiunt. Adiicit
remediis medicina consilium. Error, inquit, est caussa peccandi: hunc nobis præcepta
non detrahunt, non expugnant opiniones de bonis ac malis falsas. Concedo, per se ef-
ficacia præcepta non esse ad auertendam prauam animi persuasionem: sed non ideò, ne
aliis quidem adiecta proficiunt. Primùm memoriam renouant: deinde quæ in vniuer-
so confusiùs videbantur, in partes diuisa diligentiùs considerantur. Aut tu isto modo li-
cet & consolationes dicas superuacuas, & exhortationes: atqui non sunt superuacuæ:
ergo ne monitiones quidem. Stultum est, inquit, præcipere ægro, quid facere tamquam
sanus debeat: cùm restituenda sanitas sit, sine quâ irrita sunt præcepta. Quid quòd ha-
bent ægri saniqúe quædam communia, de quibus admonendi sunt? tamquam, ne aui-
dè cibos appetant, vt lassitudinem vitent. Habent quædam præcepta communia pau-
per, & dives. Sana, inquit, auaritiam, & nihil habebis, quod admoneas aut pauperem,
aut diuitem, si cupiditas vtriusque considet. Quid quod aliud est, non concupiscere pe- C
cuniam? aliud, vti pecuniâ scire? cuius auari modum ignorant, etiam non auari vsum.
Tolle, inquit, errores: superuacua præcepta sunt. Falsum est. puta enim auaritiam rela-
xatam: puta adstrictam esse luxuriam, temeritati frænos iniectos, ignauiæ subditum
calcar: etiam remotis vitiis, quid & quemadmodum debeamus facere, discendum est.
Nihil, inquit, efficient monitiones, admotæ grauibus vitiis. Ne medicina quidem mor-
bos insanabiles vincit: tamen adhibetur aliis in remedium, aliis in leuamentum. Ne ipsa
quidem vniuersæ philosophiæ vis, licet tota in hoc vires suas aduocet, duram iam & ve-
terem animis extrahet pestem: sed non ideò nihil sanat, quia non omnia. Quid prodest,
inquit, aperta monstrare? plurimum. interdum enim scimus, nec attendimus. Non do-
cet admonitio, sed aduertit, sed excitat, sed memoriam continet, nec patitur elabi. Ple-
raque ante oculos posita transimus: admonere, genus adhortandi est: sæpè animus etiam
aperta dissimulat: ingerenda est itaque illi notitia rerum notissimarum. Illa hoc loco in
Vatinium Calui repetenda sententia est: *Factum esse ambitum, scitis: & hoc vos scire,* D
omnes sciunt. Scis amicitias sanctè colendas esse: sed non facis. Scis improbum esse, qui
ab vxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor vxorum. Scis vt illi nil cum adulte-
ro, sic nihil tibi esse debere cum pellice: & non facis. Itaque subinde reducendus es ad
memoriam. non enim reposita illa esse oportet, sed in promptu. Quæcumque salutaria
sunt, sæpè agitari debent, sæpè versari: vt non tantùm nota sint nobis, sed etiam parata.
Adiice nunc, quòd aperta quoque, apertiora fieri solent. Si dubia sunt, inquit, quæ
præcipis, probationes adiicere debebis: ergo illæ, non præcepta, proficient. Quid quòd
etiam sine probationibus, ipsa monentis auctoritas prodest? sic quomodo iurisconsul-
torum valent responsa, etiamsi ratio non redditur. Præterea, ipsa quæ præcipiuntur,

per

6. PLENIS OCVLIS AC TV-MENTIBVS.] *Sic in Suetonij Tiberio, cap.* VII. Contentis ac tumentibus oculis prosequi. *quod fit vbi figimus oculos, atque ipsos velut intendimus, & spiritu implemus. Fit in amore, fit in diutino intuitu.*

7. ET

A per ſe multum habent ponderis: vtique ſi aut carmini intexta ſunt, aut prosâ oratione in ſententiam coartata. Sicut illa Catoniana: *Emas, non quod opus eſt, ſed quod neceſſe eſt. Quod non opus eſt, aſſe carum eſt*. Qualia ſunt illa, aut reddita oracula, aut ſimilia: *Tempori parce; Te noſce.* Numquid rationem exiges, cùm tibi aliquis hos dixerit verſus?

Iniuriarum remedium eſt, obliuio.
Audentes fortuna iuuat.
Piger ſibiipſe obſtat.

Aduocatum iſta non quærunt: affectus ipſos tangunt, & naturâ vim ſuam exercente proficiunt. Omnium honeſtarum rerum ſemina animi gerunt, quæ admonitione excitantur: non aliter quàm ſcintilla flatu leui adiuta, ignem ſuum explicat. Erigitur virtus, cùm tacta eſt & impulſa. Præterea, quædam ſunt quidem in animo, ſed parum prompta: quæ incipiunt in expedito eſſe, cùm dicta ſunt. Quædam diuerſis locis iacent ſparſa, quæ contrahere exercitata mens non poteſt. Itaque in vnum conferenda ſunt, &
B iungenda, vt plus valeant, animumque magis alleuent. Aut, ſi præcepta nihil adiuuant, omnis inſtitutio tollenda eſt: ipsâ naturâ contenti eſſe debemus. Hoc qui dicunt, non vident alium ingenij eſſe mobilis & erecti, alium tardi & hebetis: vtique alius alio ingenioſior eſt. Ingenij vis præceptis alitur & creſcit, nouaſque perſuaſiones adiicit innatis, & deprauata corrigit. Si quis, inquit, non habet recta decreta, quid illum admonitiones iuuabunt vitiis obligatum? Hoc ſcilicet, vt illis liberetur. non enim exſtincta in illo indoles naturalis eſt: ſed obſcurata, & oppreſſa. Sic quoque tentat reſurgere, & contra praua nititur. nacta verò præſidium, & adiuta præceptis, conualeſcit: ſi tamen illam diutina peſtis infecit, non enecuit. Hanc enim ne diſciplina quidem philoſophiæ, toto impetu ſuo connixa, reſtituet. Quid enim intereſt inter decreta philoſophiæ, & præcepta: niſi quòd illa generalia præcepta ſunt, hæc ſpecialia? Vtraque res præcipit: ſed altera in totum, particulatim altera. Si quis, inquit, recta habet & honeſta decreta, hic ex ſuperuacuo monetur. Minimè. nam hic quoque doctus quidem eſt facere, quæ debet: ſed ad-
C huc non ſatis proſpicit. Non enim tantùm affectibus impedimur, quò minùs probanda faciamus, ſed imperitiâ inueniendi, quid quæque res exigat. Habemus interdum compoſitum animum: ſed reſidem, & inexercitatum ad inueniẽdam officiorum viam, quam admonitio demonſtrat. Expelle, inquit, falſas opiniones de bonis & malis: in locum autem earum veras repone: & nihil habebit admonitio, quod agat. Ordinatur iſtâ ſine dubio ratione animus, ſed non iſtâ tantùm. Nam quamuis argumentis collectum ſit, quæ bona, quæ mala ſint: nihilominus habent præcepta partes ſuas: & prudentia, & iuſtitia officiis conſtant: officia præceptis diſponuntur. Præterea, ipſum de bonis maliſque iudicium confirmatur officiorum exſecutione, ad quam præcepta perducunt. Vtraque enim inter ſe conſentiunt: nec illa poſſunt præcedere, vt non hæc ſequantur, & hæc ordinem ſequuntur ſuum. Vnde apparet illa præcedere. Infinita, inquit, præcepta ſunt. Falſum eſt. nam de maximis ac neceſſariis rebus, non ſunt infinita: tenues autem, differentias habent, quas exigunt tempora, loca, perſonæ. Sed his quoque dantur præcepta
D generalia. Nemo, inquit, præceptis curat inſaniam: ergo nec malitiam quidem. Diſſimile eſt. nam ſi inſaniam ſuſtuleris, ſanitas reddita eſt: ſi falſas opiniones excluſimus, non ſtatim ſequitur diſpectus rerum agendarum: & vt ſequatur, tamen admonitio corroborabit rectam de bonis maliſque ſententiam. Illud quoque falſum eſt, nihil apud inſanos proficere præcepta. Nam quemadmodum ſola non proſunt, ſic curationem adiuuant: [7] & denunciatio, & caſtigatio inſanos coërcuit. De illis inſanis nunc loquor, quibus mens mota eſt, non erepta. [8] Leges, inquit, vt faciamus quod oportet, non efficiunt: & quid aliud ſunt, quàm minis mixta præcepta? Primùm omnium, ob hoc illæ non perſuadent, quia minantur: at hæc non cogunt, ſed exorant. Deinde leges à ſcelere deterrent: præcepta in officium adhortantur. His adiice, quòd leges quoque proficiunt ad bonos mores: vtique ſi non tantùm imperant, ſed docent. In hac re diſſentio à Poſidonio. Non

probo,

7. ET DENVNCIATIO.] *Comminatio, periculi admonitio.*

8. LEGES, INQVIT, VT FACIAMVS.] *Ponit, vt poſitum: atqui non præiuit.*

probo, quod Platonis legibus adiecta principia sunt. Legem enim breuem esse oportet, A
quò faciliùs ab imperitis teneatur, velut emissa diuinitus vox sit. Iubeat, non disputet.
Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quàm lex cum prologo. Mone, dic quid me
velis feciſse: non disco, sed pareo. Proficiunt itaque malis moribus, vti videbis ciuitates,
vsas malis legibus. At non apud omnes proficiunt. Ne philosophia quidem: nec ideò
inutilis, & formandis animis inefficax est. quid autem philosophia, nisi vitæ lex est? Sed
putemus non proficere leges: non ideò sequitur, vt ne monitiones quidem proficiant.
Aut sic & consolationes nega proficere, dissuasionesque, & adhortationes, obiurgatio-
nes, & laudationes. Omnia ista monitionum genera sunt: per ista ad perfectum ani-
mi statum peruenitur. Nulla res magis animis honesta induit, dubiosque & in prauum
inclinabiles reuocat ad rectum, quàm bonorum virorum conuersatio. Paullatim enim
descendit in pectora: & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, adspici frequen-
ter. Occursus mehercule ipse sapientium iuuat: & est aliquid, quod ex magno viro vel
tacente proficias. Nec tibi facilè dixerim quemadmodum profit, sicut illud intelligam, B
profuisse. Minuta quædam, vt ait Phœdon, animalia, cùm mordent, non sentiuntur.
adeò tenuis illis & fallens in periculum vis est. tumor indicat morsum, & in ipso tumore
nullum vulnus apparet. Idem tibi in conuersatione virorum sapientium eueniet. non
deprehendes quemadmodum, aut quando, tibi profit: profuisse deprehendes. Quor-
sum, inquit, hoc pertinet? æquè præcepta bona, si sæpè tecum sint, profutura, quàm bo-
na exempla. [9] Pythagoras ait, alium animum fieri intrantibus templum, deorumque
simulachra ex vicino cernentibus, & alicuius oraculi opperientibus vocem. Quis autem
negauerit, feriri quibusdam præceptis efficaciter etiam imperitissimos? velut his breuis-
simis vocibus, sed multum habentibus ponderis: *Nihil nimis.*

Auarus animus nullo satiatur lucro.

Ab alio exspectes, alteri quod feceris.

Hæc cum ictu quodam audimus, nec vlli licet dubitare, aut interrogare, Quare? adeò
etiam sine ratione ipsa veritas ducit. Si reuerentia frænat animos, aut vitia compescit: C
cur non admonitio idem possit? Si imponit pudorem castigatio: cur admonitio non
faciat, etiam si nudis præceptis vtitur? Illa verò efficacior est, & altiùs penetrat, quæ adiu-
uat ratione, quod præcipit, quæ adiicit, quare quidque faciendum sit, & quis facientem
obedientemque præceptis fructus exspectet. Si imperio proficitur, & admonitione pro-
ficitur: atqui proficitur imperio: ergo & admonitione. [10] In duas partes virtus diuidi-
tur, in contemplationem veri, & actionem: contemplationem institutio tradit, actio-
nem admonitio. Virtutem & exercet, & ostendit recta actio: acturo autem si prodest
qui suadet; & qui monet, proderit. Ergo si recta actio virtuti necessaria est, rectas autem
actiones admonitio demonstrat, & admonitio necessaria est. Duæ res plurimum robo-
ris animo dant, fides veri, & fiducia: vtramque admonitio facit. Nam & creditur illi,
& cùm creditum est, magnos animus spiritus concipit, ac fiduciâ impletur: ergo admo-
nitio non est superuacua. M. Agrippa, vir ingentis animi, qui solus ex his quos ciuilia
bella claros potentesque fecerunt, felix in publicum fuit, dicere solebat, multum se huic D
debere sententię: *Nam concordiâ paruæ res crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.* Hac se aie-
bat, & fratrem, & amicum optimum factum. Si eiusmodi sententiæ familiariter in ani-
mum receptæ, formant eum: cur non hæc pars philosophiæ, quæ talibus sententiis con-
stat, idem possit? Pars virtutis disciplinâ constat, pars exercitatione: & discas oportet, &
quod didicisti, agendo confirmes. Quod si ita est, non tantùm scita sapientiæ prosunt,
sed etiam præcepta: quæ affectus nostros [11] velut edicto coërcent, & obligant. Philoso-
phia,

9. PYTHAGORAS AIT.] *Hoc ità in Cicerone* II. *de Legib.* Et illud benè dictum est à Pythagorâ, doctissimo viro, tum maximè & pietatem & religionem versari in animis, cùm rebus diuinis operam daremus.

10. IN DVAS PARTES.] *Aliquid in Manuduct.* II. *Dissertat.* V.

11. VELVT EDICTO.] *Allusum ad morem eius ævi, quo Principes Edicta in publico proponebant, populo admonendo, castigando, coërcendo. Notaui ad lib.* III. *Annal. Taciti.*

12. SCIEN-

A phia, inquit, diuiditur in hæc, [12] ſcientiam & habitum animi. Nam illam qui didicit, & facienda ac vitanda percepit: nondum ſapiens eſt, niſi in ea quæ didicit, animus eius transfiguratus eſt. Tertia pars iſta præcipiendi, ex vtroque eſt, & ex decretis & ex habitu: itaque ſuperuacua eſt ad implendam virtutem, cùm duo illa ſufficiant. Iſto ergo modo & conſolatio ſuperuacua eſt, nam hæc quoque ex vtroque eſt: & exhortatio, & ſuaſio, & ipſa argumentatio. nam & hæc ab habitu animi compoſiti validiſque proficiſcitur. Sed quamuis iſta ex habitu animi veniant; optimus animi habitus & ex his eſt, & ex illis. Deinde iſtud quod dicis, iam perfecti viri eſt, ac ſummam conſecuti felicitatis humanæ. Ad hoc autem tardè peruenitur: interim etiam imperfecto, ſed proficienti, demonſtranda eſt in rebus agendis via. Hanc forſitan etiam ſine admonitione dabit ſibi ipſa ſapientia: quæ iam eò perduxit animum, vt moueri nequeat, niſi in rectum. Imbecillioribus quidem ingeniis, neceſſarium eſt aliquem præire: Hoc vitabis, hoc facies. Præterea, ſi exſpectat tempus quo per ſe ſciat, quid optimum factu ſit: interim errabit,
B & errando impedietur, quò minùs ad illud perueniat, quo poſſit ſe eſſe contentus: regi ergo debet, dum incipit poſſe ſe regere. Pueri ad præſcriptum diſcunt, digiti illorum tenentur, & alienâ manu per litterarum ſimulacra ducuntur: deinde imitari iubentur propoſita, & ad illa reformare chirographum: ſic animus noſter dum eruditur ad præſcriptum, iuuatur. Hæc ſunt per quæ probatur, hanc philoſophiæ partem ſuperuacuam non eſſe. Quæritur deinde, an ad faciendum ſapientem ſola ſufficiat. Huic quæſtioni [13] ſuum diem dabimus. interim omiſſis argumentis, nónne apparet nobis eſſe opus aliquo aduocato, qui contra populi præcepta præcipiat? nulla ad aures noſtras vox impunè perfertur: nocent qui optant, nocent qui exſecrantur. nam & horum imprecatio falſos nobis metus & inſerit, & illorum amor malè docet benè optando. Mittit enim nos ad longinqua bona, & incerta & errantia, cùm poſſimus felicitatem domo promere. Non licet, inquam, ire rectâ viâ. trahunt in prauum parentes, trahunt ſerui: nemo errat vni ſibi, ſed dementiam ſpargit in proximos, accipitque inuicem. Et ideò in ſingulis vitia po-
C pulorum ſunt, quia illa populus dedit. dum facit quiſque peiorem, factus eſt. Didicit deteriora, deinde docuit: effectaque eſt ingens illa nequitia, congeſto in vnum, quod cuique peſſimum ſcitur. Sit ergo aliquis cuſtos, & aurem ſubinde peruellat, abigatque rumores, & reclamet populis laudantibus. Erras enim, ſi exiſtimas [14] nobiſcum vitia naſci: ſuperuenerunt, ingeſta ſunt. Itaque monitionibus crebris, opiniones quæ nos circumſonant, compeſcamus. Nulli nos vitio natura conciliat: nos illa integros ac liberos genuit. Nihil quidem quod auaritiam noſtram irritaret, poſuit in aperto: pedibus aurum & argentum ſubiecit, calcandumque ac premendum dedit, quidquid eſt, propter quod calcamur ac premimur. Illa vultus noſtros erexit in cælum, & quidquid magnificum mirumque fecerat, videri à ſuſpicientibus voluit: ortus occaſuſque, & properantis mundi volubilem curſum, interdiu terrena aperientem, noctu cæleſtia: tardos ſiderum inceſſus, [15] ſi compares toti; citatiſſimos, ſi cogites, quanta ſpatia numquam intermiſſâ velocitate circumeant: defectus ſolis & lunæ, inuicem obſtantium. Alia deinceps di-
D gna miratu, ſiue per ordinem ſubeunt, [16] ſiue ſubditis cauſſis mota proſiliunt, vt nocturni ignium tractus, & [17] ſine vllo ictu ſonituque fulgores [18] cæli patiſcentis, columnæque ac trabes, & varia ſimulacra flammarum. Hæc ſupra nos natura diſponit: [19] aurum

12. SCIENTIAM ET HABITVM.] *Scientiam, quæ Decretis conſtat: Habitum, qui ab actione & exercitio illorum paratur. Sed nec iſta obiectio præiuit.*

13. SVVM DIEM DABIMVS.] *In epiſtolâ ſequenti:* Petis à me, vt id quod in diem ſuum dixeram debere referri, repræſentem.

14. NOBISCVM VITIA NASCI.] *Hoc enim Stoici fortiter abnuunt, & volunt Naturâ bonos eſſe. Vide Manuduct.* II. *Diſſert.* X.

15. SI COMPARES TOTI.] *Mundo ſupremo.*

16. SIVE SVBDITIS CAVSSIS.] *Id eſſet, inferis & ſubiectis: nempe à vaporibus terrenis. Quidam tamen libri,* ſubitis: *repentinis & incertis, vt naſci ſolent meteora.*

17. SINE VLLO ICTV SONITVQVE FVLGORES.] *De quibus noſtrum vide Nat. Quæſt.* I. *cap.* XIV. *&* XV.

18. CÆLI PATISCENTIS.] *Sic lego, cum Pinciano: & omnino diuellendum hoc à Fulgoribus, qui aliâ cauſſâ fiunt. Intelligit igitur* Chaſmata, *aut tales cæli receſſus. At vulgata lectio erat,* fulgores cæli fatiſcentis.

[19] aurum quidem & argentum, & propter iſta numquam pacem agens ferrum, quaſi A
malè nobis committerentur, abſcondit. Nos in lucem, propter quæ pugnaremus, extu-
limus: nos & cauſſas periculorum noſtrorum, & inſtrumenta, diſiecto terrarum ponde-
re eruimus: nos fortunæ mala noſtra tradidimus, nec erubeſcimus ſumma apud nos ha-
beri, quæ fuerant ima terrarum. Vis ſcire, quàm falſus oculos tuos decipit fulgor? nihil
eſt iſtis, quamdiu merſa & inuoluta cæno ſuo iacent, fœdius, nihil obſcurius. quid ni?
quando per longiſſimorum cuniculorum tenebras extrahuntur: nihil eſt illis dum fiunt,
& à fæce ſuâ ſeparantur, informius. Denique ipſos opifices intuere, per quorum manus
ſterile terræ genus & informe perpurgatur, videbis quantâ fuligine oblinantur. Atqui
iſta magis inquinant animos, quàm corpora: & in poſſeſſore eorum, quàm in artifice,
plus eſt ſordium. Neceſſarium itaque eſt admoneri, & habere aliquem aduocatum bo-
næ mentis, eſque tanto fremitu tumultuque falſorum, [20] vnam denique audire vocem.
Quæ erit illa vox? ea ſcilicet, quæ tibi tantis clamoribus ambitioſis exſurdato, ſalubria
inſuſurret verba: quæ dicat, Non eſt quòd inuideas iſtis, quos magnos feliceſque popu- B
lus vocat: non eſt quòd tibi compoſitæ mentis habitum & ſanitatem plauſus excutiat:
non eſt quòd tibi tranquillitatis tuæ faſtidium faciat ille, [21] ſub illis faſcibus, purpurâ
cultus: non eſt quòd feliciorem eum iudices, cui ſubmouetur, quàm [22] quem lictor ſe-
mitâ deiicit. Si vis exercere tibi vtile, nulli autem graue imperium, ſubmoue vitia. Mul-
ti inueniuntur, qui ignem inferant vrbibus, qui inexpugnabilia ſæculis, & per aliquot
ætates tuta proſternant, qui æquum arcibus aggerem attollant, & muros in miram alti-
tudinem adductos arietibus ac machinis quaſſent: multi ſunt, qui ante ſe agant agmina,
& tergis hoſtium graues inſtent, & ad mare magnum perfuſi cæde gentium veniant:
ſed hi quoque, vt vincerent hoſtem, cupiditate victi ſunt. Nemo illis venientibus reſti-
tit, ſed nec ipſi ambitioni, crudelitatique reſtiterant: tunc cùm agere viſi ſunt alios, age-
bantur. Agebat infelicem Alexandrum furor aliena deuaſtandi, & ad ignota mittebat.
An tu putas ſanum, qui à Græciæ primùm cladibus, in quâ eruditus eſt, incipit: qui quod
cuique optimum eſt, eripuit? Lacedæmona ſeruire iubet, [23] Athenas tacere. Non con- C
tentus tot ciuitatum ſtrage, quas aut vicerat Philippus, aut emerat, & alias alio loco pro-
iicit, & toto orbe arma circumfert: nec ſubſtitit vſquam laſſa crudelitas. immanium fe-
rarum modo, quæ plus quàm exigit fames, mordent. Iam in vnum regnum multa re-
gna coniecit; iam Græci Perſæque eumdem timent; iam etiam à Dario liberæ nationes
iugum accipiunt: [24] hic tamen vltra Oceanum ſolemque, indignatur ab Herculis Li-
berique veſtigiis victoriam flectere, ipſi naturæ vim parat. Non ille ire vult, ſed non po-
teſt ſtare: non aliter, quàm in præceps deiecta pondera, quibus eundi finis eſt, iacuiſſe.
Ne Cn. quidem Pompeio externa bella aut domeſtica, virtus aut ratio ſuadebat: ſed in-
ſanus amor magnitudinis falſæ, modò in Hiſpaniam & Sertoriana arma, modò [25] ad
colligendos piratas, ac maria pacanda vadebat. Hæ prætexebantur cauſſæ, ad conti-
nuandam potentiam. Quid illum [26] in Africam, quid [27] in Septemtrionem, quid in
Mithri-

19. AVRVM QVIDEM ET ARGENTVM.] *Similis ſententia quædam De Benef.* VII. *cap.* X. *& iſta Plinij, lib.* XXXIII. *initio*: Terra & hæc (*iuuantia*) ſummâ ſui parte tribuit, vt minimè parca faciliſque in omnibus, quæ proſunt. Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultauit atque demerſit.

20. VNAM DENIQVE AVDIRE.] *Pincianus vellet*, veram: *poſſis &*, viuam.

21. SVB ILLIS FASCIBVS.] *Qui erecti præeunt: ideò ſub illis. Intelligit magiſtratum, aut imperium.*

22. QVEM LICTOR SEMITA.] *Nam in ſubmouendo, manu & virgâ etiam impellebant. Vide me de totâ re Elector.* I. *cap.* XXII.

23. ATHENAS TACERE.] *Quarum propria eloquentia, ſed & loquentia. Ideò Tertullianus*, linguam ciuitatem *dixit*: *Sidonius*, Athenis loquacior, D
adagij formâ.

24. HIC TAMEN VLTRA.] *Alij libri*, Is tamen, *vel*, His. *Puto fuiſſe*: It tamen: *nempe animo & cupidine. Muretus interpolauerat.*

25. AD COLLIGENDOS PIRATAS.] *Ita ſcripti libri: contra quos idem Muretus*, cogendos, *ediderat. Sed illud benè. fudit enim fugauitq; piratas: ſed vt finis belli eſſet*, reliquias eorum CONTRACTAS (*ait Velleius*) in vrbibus, remotoque à mari loco, in certâ ſede conſtituit. *Ita qui ſparſi per omnia maria erant: collegit, & fregit.*

26. IN AFRICAM.] *Bello Mariano, miſſus eò contra Domitium & regem Iarbam.*

27. IN SEPTEMTRIONEM.] *In Galliam iuit, eodem*

A Mithridatem, & Armeniam, & omnes Asiæ angulos traxit? infinita scilicet cupido crescendi: cùm sibi vni parùm magnus videretur. Quid C. Cæsarem in sua fata, pariter ac publica, immisit? gloria & ambitio, & nullus supra ceteros eminendi modus. Vnum ante se ferre non potuit, cùm resp. supra se duos ferret. Quid, tu C. Marium semel consulem (vnū enim consulatum accepit, [28] ceteros rapuit) cum Theutonicos Cimbrosque concideret, cùm Iugurtham per Africæ deserta sequeretur, tot pericula putas appetisse, virtutis instinctu? Marius exercitum, Marium ducebat ambitio. Isti cùm omnia concuterent, concutiebantur: turbinum more, qui rapta conuoluunt, sed ipsi antè voluuntur, & ob hæc maiore impetu incurrunt, quia nullum illis sui regimen est. Ideoque cum multis fuerunt mali, pestiferam illam vim, quâ plerisque nocuerunt, ipsi quoque sentiunt. Non est quòd credas, quemquam fieri alienâ infelicitate felicem. Omnia ista exempla, quæ oculis atque auribus nostris ingeruntur, retexenda sunt, & plenum malis sermonibus pectus exhauriendum. Inducenda est in occupatum locum virtus: quæ men-
B dacia contra verum placentia exstirpet, quæ nos à populo, cui nimis credimus, separet, ac sinceris opinionibus reddat. Hæc est enim sapientia, in naturam conuerti, & eò restitui, vnde publicus error expulerit. Magna pars sanitatis est, hortatores insaniæ reliquisse, & ex isto cœtu inuicem noxio procul abiisse. Hoc vt esse verum scias, adspice, quanto aliter vnusquisque populo viuat, aliter sibi. Non est per se magistra solitudo innocentiæ, nec frugalitatem docent rura: sed vbi testis ac spectator abscessit, vitia subsidunt, quorum monstrari & conspici fructus est. Quis eam, quam nulli ostenderet, induit purpuram? quis posuit secretam in auro dapem? quis sub alicuius rusticæ arboris proiectus vmbrâ, luxuriæ suæ pompam solus explicuit? Nemo oculis suis lautus est, ne paucorum quidem & familiarium, sed apparatum vitiorum suorum pro modo turbæ spectantis expandit. Itaque irritamentum est omnium, in quæ insanimus, admirator & conscius. Ne concupiscamus efficies, si ne ostendamus effeceris: Ambitio, & luxuria, & impotentia, scænam desiderant: sanabis ista, si absconderis. Itaque si in medio vr-
C bium fremitu collocati sumus, stet ad latus monitor, & contra laudatores ingentium patrimoniorum laudet paruo diuitem, & vsu opes metientem. Contra illos, qui gratiam ac potentiam attollunt, otium ipse suspiciat traditum litteris, & animum ab externis ad sua reuersum. Ostendat ex constitutione vulgi beatos, in isto inuidioso fastigio suo trementes & attonitos, longeque aliam de se opinionem habentes, quàm ab aliis habetur. Nam quæ aliis videntur excelsa, ipsis prærupta sunt. Itaque exanimantur, & trepidant, quoties despexerunt in illud magnitudinis suæ præceps. Cogitant enim varios casus, & in sublimi maximè lubricos: tunc appetita formidant, & quæ & illos graues aliis reddit, grauior ipsis felicitas incumbit. Tunc laudant otium lene & sui iuris: odio est fulgor, & fuga iam à rebus adhuc stantibus quæritur: tunc demum videas philosophantes metu, & ægræ fortunæ sana consilia. Nam quasi ista inter se contraria sint bona fortuna, & mens bona: ita melius in malis sapimus, secunda rectum auferunt.

D *eodem bello, & res ibi cum Metello feliciter gessit. An & Mithridatis bello intelligit, petitos Colchos, Iberos, Albanos?*

28. CETEROS RAPVIT.] *Non videtur profectò, si duos vltimos excipias. Nam priores, in discrimine patriæ, absenti delati. Vide Plutarchum.*

EPIST.

EPIST. XCV.

HAERET *aut pendet à priore, quæriturque, An igitur Paranetica sola sufficiat? cùm præsertim ostenderit, tantos eius & tàm claros vsus. Negat, & argumenta quæ adferuntur ponit, ac refellit. Dogmaticam igitur laudat, & ab illo fonte manare Præcepta, & vitam eâ contineri ostendit. Florida miscet, & in Luxum, Libidinem, Ambitum obiter excurrit. Tota pulchra & fructuosa est.*

PETIS à me, vt id quod [1] in diem suum dixeram debere referri, repræsentem, & scribam tibi, an hæc pars philosophiæ, quam Græci προτρεπτικὸν vocant, nos præceptiuam dicimus, satis sit ad consummandam sapientiam. Scio te in bonam partem acceptum, [2] si negauero. Eò magis promitto, & verbum publicum perire non patior: *Posteà noli rogare, quod impetrare nolueris.* Interdum enim obnixè petimus, id quod recusaremus, si quis offerret. Hæc siue leuitas est, siue vernilitas, punienda est promittendi facilitate. Multa videri volumus velle, sed nolumus. Recitator historiam ingentem attulit, munitissimè scriptam, arctissimè plicatam, & magnâ parte perlectâ: *Desinam*, inquit, *si vultis*. Acclamatur, *Recita, recita*, ab his qui illum obmutescere illicò cupiunt. Sæpè aliud volumus, [3] aliud optamus: & verum ne diis quidem dicimus; sed dij aut non exaudiunt, aut miserentur. Ego me, omissâ misericordiâ, vindicabo, & tibi ingentem epistolam impingam: quam tu si inuitus leges, dicito: *Ego mihi hoc contraxi*. teque inter illos numera, quos vxor magno ducta ambitu torquet: inter illos, quos diuitiæ per summum acquisitæ sudorem, malè habent: inter illos, quos honores, nullâ non arte atque operâ petiti, discruciant: & ceteros, malorum suorum compotes. Sed vt, omisso principio, rem ipsam aggrediar: Beata, inquiunt, vita constat ex actionibus rectis: ad actiones rectas, præcepta perducunt: ergo ad beatam vitam præcepta sufficiunt. Non tamen semper ad actiones rectas præcepta perducunt, sed cùm obsequens ingenium est: aliquando frustrà admouentur, si animum opiniones obsident prauæ. Deinde, etiam si rectè faciunt, nesciunt facere se rectè. Non potest enim quisquam nisi ab initio formatus, & totâ ratione compositus, omnes exsequi numeros, vt sciat quando oporteat, & inquantum, & cum quo, & quemadmodum. Quare non potest toto animo ad honesta conari, ne constanter quidem, aut libenter: sed respiciet, sed hæsitabit. Si honesta, inquit, actio ex præceptis venit, ad beatam vitam præcepta abundè sunt: atqui est illud: ergo & hoc. His respondemus, Actiones honestas ex decretis fieri non tantùm præceptis. Si aliæ, inquit, artes contentæ sunt præceptis, contenta erit & sapientia: nam & hæc ars vitæ est. Atqui gubernatorem facit ille qui præcipit, Sic moue gubernaculum, sic vela submitte, sic secundo vento vtere, sic aduerso resiste, sic dubium communemque tibi vindica. alios quoque artifices præcepta cõfirmant: ergo non hoc idem poterunt artifices viuendi? Omnes istæ artes circa instrumenta vitæ occupatæ sunt, non circa totam vitam. Itaque multa illas inhibent extrinsecus, & impediunt, spes, cupiditas, timor. At hæc quæ artem vitæ professa est, nullâ re, quò minùs se exerceat, vetari potest. discutit enim impedimenta, & tractat obstantia. Vis scire quàm dissimilis sit harum artium condi-

EPIST. XCV. 1. IN DIEM SVVM DIXERAM.] *Suprà, priore epistolâ:* Huic quæstioni suum diem dabimus.

2. SI NEGAVERO.] *Quia res intricata, & minimè blanda aut grata est: ideò facilè feres abnuentem. Tamen faciam, ne frustrà petieris; & ne vulgi verbum pereat: Noli rogare, quod impetratum etiam nolis. Nam sunt qui petunt, quasi in alterius gratiam aut honorem: vt, Recita hoc carmen, Diem illum mihi adsis: & in animo velint negatum gratiam aut honorem. Hæc sententia horum & sequentium est, à quâ alij mihi videntur abiuisse.*

3. ALIVD OPTAMVS.] *A Dijs nempe, vbi palàm, & audientibus alijs, vota concipimus. Tunc enim sæpè hic dissensus. Pro vitâ & victoriâ mali Principis precor, seruus pro domini, maritus vxoris, & quæ sunt talia: animo abdicãte. An & refers ad vota etiam tacita & libera? nimirũ errore eligendi mala petimus, etsi bona intendimus: vt opes, honores, famam. Itaque aliud volumus cõmuniter; distinctè autem vouendo, abimus.*

4. QVÆ

A conditio,& huius? In illis excusatius est voluntate peccare, quàm casu: in hac, maxima culpa est, sponte delinquere. Quod dico,tale est. Grammaticus non erubescit solœcismum, si sciens facit: erubescit, si nesciens. Medicus si deficere ægrum non intelligit, quantum ad artem magis peccat,quàm si se intelligere dissimulat. At in hac arte viuendi,turpior volentium culpa est. Adiice nunc, quòd artes quoque pleræque, imò ex omnibus liberalissimæ, habent decreta sua, non tantùm præcepta: sicut medicina. Itaque alia est Hippocratis secta, alia Asclepiadis,alia Themisonis. Præterea nulla ars contemplatiua sine decretis suis est, [4] quæ Græci vocant δόγματα: nobis decreta licet appellare, vel scita,vel placita: quæ in geometriâ & in astronomiâ inuenies. Philosophia autem & contemplatiua est,& actiua: spectat, simulque agit. Erras enim, si illam putas tantùm terrestres operas promittere: altiùs spirat. Totum,inquit,mundum scrutor, nec me intra contubernium mortale contineo, suadere vobis, ac dissuadere contenta: magna me vocant, supraque vos posita.

B *Nam tibi de summâ cæli ratione, deumque,*
Disserere incipiam, & rerum primordia pandam,
Vnde omnis natura creet res, auctet, alatque,
Quóque eadem rursus natura perempta resoluat:

vt ait Lucretius. sequitur ergo, vt cùm contemplatiua sit, habeat decreta sua. Quid, quòd facienda quoque nemo ritè obibit, nisi is cui ratio erit tradita, quâ in quaque re omnes officiorum numeros exsequi possit? quos non seruabit, [5] qui in re præcepta acceperit. Imbecilla sunt per se,&, vt ita dicam, sine radice, quæ partibus dantur. Decreta sunt quæ muniant, quæ securitatem nostram, tranquillitatemque tueantur, quæ totam vitam,totamque rerum naturam simul contineant. Hoc interest inter decreta philosophiæ, & præcepta: quod inter elementa,& membra. hæc ex illis dependent: illa & horum caussæ sunt & omnium. Antiqua, inquit, sapientia nihil aliud, quàm facienda & vitanda,præcepit: & tunc longè meliores erant viri: postquam docti prodierunt, boni
C desunt. Simplex enim illa & aperta virtus in obscuram & solertem scientiam versa est, docemurque disputare, non viuere. Fuit sine dubio, vt dicitis, vetus illa sapientia, cùm maximè nascens rudis: non minùs quàm cetetæ artes, quarum in processu subtilitas creuit. Sed ne opus quidem adhuc erat remediis diligentibus. Nondum in tantum nequitia surrexerat, nec tam latè se sparserat: poterant vitiis simplicibus obstare remedia simplicia. Nunc necesse est tanto operosiora esse munimenta, quanto valentiora sunt, quibus petimur. Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis,vulnera coirent paullatim: deinde in hanc peruênit tam multiplicem varietatem. Nec est mirum, tunc illam minus negotij habuisse, firmis adhuc, solidisque corporibus,& facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto. Qui postquam cœpit, non ad tollendam, sed ad irritandam famem quæri, & inuentæ sunt mille condituræ, quibus auiditas excitaretur: quæ desiderantibus alimenta erant,onera sunt plenis. Inde pallor, & neruorum vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus, quàm ex
D fame macies: inde incerti labantium pedes, & semper qualis in ipsâ ebrietate titubatio: inde in totam cutem humor admissus, distentusque venter, dum malè assuescit plus capere,quàm poterat: inde suffusio luridæ bilis,& decolor vultus,tabesque in se putrescentium, & retorti digiti articulis obrigescentibus, neruorum sine sensu iacentium torpor, aut palpitatio sine intermissione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum auriumque tormenta, & cerebri æstuantis verminationes,& omnia per quæ exoneramur, internis vlceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu sęuientium,aliarum tenui peste repentium,aliarum cum horrore& multâ membrorum quassatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxu-

4. QVÆ GRÆCI VOCANT ΔΟΓΜΑΤΑ.] *De his ego Manuduct.* II. *Dissert.* XII.

5. QVI IN RE PRÆCEPTA.] *Mureti editio:* qui mera præcepta acceperit. Imbecilla: *vocibus alijs eiectis. At libri retineri suadent: ex quorum vno Pincianus*: qui in rem præcepta acceperit, non in omne. *Ego assentior, sed velim magis*, non in commune.

6. MVL-

luxuriæ? Immunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis soluerant, qui sibi impe- A
rabant, sibi ministrabant. Corpora opere ac vero labore durabant, aut cursu defatigati, aut venatu, aut tellure versatâ: excipiebat illos cibus, qui nisi esurientibus placere non poterat. Itaque nihil opus erat tam magnâ medicorum supellectile, nec tot ferramentis, atque pyxidibus. Simplex erat ex simplici caussâ valetudo: [6] multos morbos multa fercula fecerunt. Vide quantum rerum per vnam gulam transiturarum permisceat luxuria, terrarum marisque vastatrix! necesse est itaque inter se tam diuersa dissideant, & hausta malè digerantur, aliis aliò nitentibus. Nec mirum, quòd inconstans variusque ex discordi cibo morbus est: & illa ex contrariis naturæ partibus in eumdem compulsa redundat. Inde [7] tam nullo ægrotamus genere, quàm viuimus. Maximus ille medicorum, & huius scien iæ cond tor, [8] fœminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atqui hæ iam & capillis destituuntur, & pedibus ægræ sunt. Non mutata fœminarum natura, sed vita est. nam cùm virorum licentiam æquauerint, corporum quoque virilium vitia æquauerunt. [9] Non minùs peruigilant; non minùs potant, & oleo & mero viros B
prouocant: æquè inuitis ingesta viscеribus per os reddunt, & [10] vinum omne vomitu remetiuntur: æquè niuem rodunt, solatium stomachi æstuantis. Libidine verò, nec maribus quidem cedunt, pati natæ. Dij illas deæq; malè perdant: adeò peruersum cōmentæ genus impudicitiæ: viros ineunt. Quid ergo mirandum est, maximum medicorum ac naturæ peritissimum, in mendacio prehendi, cùm tot fœminæ podagricæ caluęq; sint? Beneficium sexus sui vitiis perdiderunt: & quia fœminam exuerunt, damnatæ sunt morbis virilibus. Antiqui medici nesciebant dare cibum sæpiùs, & [12] vino fulcire venas cadentes: [13] nesciebant saniem emittere, & diutinam ægrotationem balneo sudoribusque laxare: nesciebant crurum vinculo, brachiorumque, latentem vim, & in medio sedentem, ad extrema reuocare. Non erat necesse circumspicere multa auxiliorum genera,
cùm

6. MVLTOS MORBOS MVLTA FERCVLA.] *Vide in hanc rem Plutarchi Quæst. Conuiual.* VIII. *cap.* IX. *totum.*

7. TAM NVLLO ÆGROTAMVS GENERE.] *Tam parùm certo, & vno, & simplici: quàm neque victus est è certis & vnis.*

8. FŒMINIS NEC CAPILLOS DEFLVERE.] *Non dicit hoc quidem in Aphorismis libro* VI. *Hippocrates: dumtaxat*, Mulieres non laborare podagrâ, nisi menses defecerint. *At de caſ illorum defluuio, in Eunuchis præmittit:* Eunuchi, *inquit*, non laborant podagrâ, neque calui fiunt. *Galenus tamen ibi, virumque hoc euenire Eunuchis ait, quia fœminarum similes sunt, ijsdem incommodis carentium. Additq;, quod hîc Seneca*, olim id ita fuisse Hippocratis æuo, cùm moderatè victitarent: nunc in vtrisque fallere, ob vitam victumque diuersa.

9. NON MINVS PERVIGILANT.] *In conuiuijs illis intempestiuis. Quibusdam tamen libris tria hæc verba absunt, etiam optimo meo: in alijs*, peruigilantur *scripium. è quo Pincianus ingeniosè*, pugillantur.

10. VINVM OMNE VOMITV.] *Totidem ferè verbis, De Prouidentiâ, cap.* III. Hi quidquid biberint, vomitu remetientur, tristes, & bilem suam reguſtantes. *Mos autem inualuerat, ante cænam bibere, & vomitu refundere. Iuuenalis, de ipsis fœminis:*

— tamquam alta in dolia longus
Decideret serpens, bibit & vomit.

& plusculа ibi huic rei. Etiam Martialis:

Nec cænat priùs, aut priùs recumbit,
Quàm septem vomuit meri deunces.

Seneca in epist. LXXXVIII. Ieiuni vomitores *dicuntur. Cœpisse mos, aut inualuisse videtur, Pompeij Magni temporibus, cùm Asclepiades medicus vixit. de quo Plinius lib.* XXVI. *cap.* III. Damnauit meritò & vomitiones, tunc supra modum C
frequentes. *Damnat & Celsus lib.* I. *cap.* III. *qui* istud luxuriæ caussâ fieri non oportere confitetur, interdum valetudinis caussâ rectè fieri experimentis credit. *Adde istis quæ notamus in Epist.* CXXII.

11. VIROS INEVNT.] *Flagitium & fœditas mihi quidem ignota, & apage à viris ipsis, meo voto. Vt ne hoc patiamur? Nego rectè scribi. quo enim sensu? Vt fœminæ in equo sedeant, quod breuibus puellis Ouidius concedit? Atqui nec illud schema est, quod sic meritò exsecretur Seneca: & vel ita incuntur, non ineunt. An ad Ligures, aut Fellantes referas? non conuenit hoc verbi, de* Ineundo: *nec Fœminarum etiam ista magis, quàm virorum. Mihi lubet corrigere*, Viri sunt, ineunt: *& ad Tribadas referre. Illæ profectò virum agunt: & de istis Clemens Alexandrinus*: Καὶ γυναῖκες ἀνδρίζονται παρὰ φύσιν, γαμούμεναί τε καὶ γαμοῦσαι: Et fęminę viri sunt contra naturam, & nubunt, & item ducunt vxores. *Non persequor, nec retego Stygijs tenebris dignam fœditatem. Possit & legi*, virosæ ineunt. *quæ virum quærunt, virum agunt.* D

12. VINO FVLCIRE VENAS.] *Ouidius:*

Vt solet infuso vena redire mero.

Adde De Benef. III. *cap.* IX.

13. NESCIEBANT SANIEM EMITTERE.] *Legebatur anteà*, sanguinem: *nos primi emendauimus, veritate inducti. Quis nescit veteres meditos sanguinem eduxisse? sed de sudoribus loquitur, prauisque humoribus, per balnea eductis. Vide me* I. *Elector. cap.* XVI.

14. CESSAT

A cùm essent periculorum pauciſſima. Nunc verò quàm longè proceſſerunt mala valetudinis? has vſuras voluptatum pendimus, vltra modum faſque concupitarum. Innumerabiles eſſe morbos miraris? coquos numera. [14] Ceſſat omne ſtudium: & liberalia profeſſi, ſine vllâ frequentiâ, deſertis angulis præſident. In rhetorum ac philoſophorum ſcholis, ſolitudo eſt: at quàm celebres culinæ ſunt, quanta circa nepotum focos iuuentus premit? Tranſeo [15] puerorum infelicium greges: quos poſt tranſacta conuiuia, [16] aliæ cubiculi contumeliæ exſpectant. Tranſeo agmina exoletorum, [17] per nationes coloreſque deſcripta, vt eadem omnibus leuitas ſit, eadem primæ menſura lanuginis, eadem ſpecies capillorum, ne quis cui rectior eſt coma, criſpulis miſceatur. Tranſeo piſtorum turbam, tranſeo miniſtratorum, per quos [18] ſigno dato ad inferendam cænam diſcurritur. Dij boni, quantum hominum vnus venter exercet? Quid, tu illos boletos, voluptarium venenum, nihil occulti operis iudicas facere, etiam ſi præſentanei non furant? Quid, tu illam æſtiuam niuem non putas callum iecinoribus obducere? Quid, illa
B oſtrea, inertiſſimam carnem, cœno ſaginatam, nihil exiſtimas limoſæ grauitatis inferre? Quid, illud [19] Sociorum garum, pretioſam [20] malorum piſcium ſaniem, non credis vrere ſalsâ tabe præcordia? Quid, illa purulenta, & quæ tantumnon ab ipſo igne in os transferuntur, iudicas ſine noxâ, [21] in ipſis viſceribus exſtingui? Quàm fœdi atque peſtilentes ructus ſunt, quantum faſtidium ſui exhalantibus crapulam veterem? ſcias putreſcere ſumpta, non concoqui. Memini fuiſſe quondam [22] in ſermone nobilem patinam, in quam quidquid apud lautos [23] ſolet diem ducere, properans in damnum ſuum popina congeſſerat: [24] veneriæ ſpondylique, & oſtrea eatenus circumciſa, quà eduntur, interuenientibus diſtinguebantur echinis, [25] torti diſtractique ſine vllis oſſibus mulli conſtrauerant. Piget iam eſſe ſingula: coguntur in vnum ſapores. In cænâ fit, quod fieri debet ſaturo in ventre. Exſpecto iam vt manducata ponantur. quantulo autem hoc minus eſt, teſtas excerpere atque oſſa, & dentium operâ coquum fungi? Graue eſt luxuriari per ſingula: omnia ſemel, & in eumdem ſaporem verſa, ponantur. Quare ego ad vnam
C rem manum porrigam? plura veniant ſimul: multorum ferculorum ornamenta coëant & cohæreant. Sciant protinus hi, qui iactationem ex iſtis peti & gloriam aiebant, non oſtendi iſta, ſed conſcientiæ dari. Pariter ſint, quæ diſponi ſolent, iure vno perfuſa: nihil interſit, oſtrea echinis, ſpondyli perturbati mullis [26] concoctique ponantur. Non eſſet confuſior vomentium cibus. Quomodo iſta perplexa ſunt, ſic ex iſtis non ſingulares morbi

14. CESSAT OMNE STVDIVM.] *In Belgicâ oraculum.*

15. PVERORVM INFELICIVM GREGES.] *Alibi ſic loquitur: & quidni* greges? *Nam vt Plutarchus ait,* ἐν τοῖς ἡδεμονικοῖς δείπνοις ἑκάστῳ παρέστηκε τῶν κατακειμένων οἰνοχόος: in principũ conuiuijs cuique accumbentiũ ſuus adſtabat pincerna.

16. ALIÆ CVBICVLI CONTVMELIÆ.] *Vt aut patiantur, aut faciant obſcæna. Faciant etiam, dico,*
D *ex epiſtolâ* XLVII. *Vide.*

17. PER NATIONES COLORESQVE.] *Ita ſolent, atque item per ætates. Vide De Breuit. vit. cap.* XII.

18. SIGNO DATO.] *Ibidem, de Breuitate:* Quantâ celeritate, ſigno dato, glabri ad miniſteria diſcurrant. *Vide Notas.*

19. SOCIORVM GARVM.] *De quo Plinius* XXXI. *cap.* VII. *& libro* IX. *cap.* XVII. *Adi Iunium* VI. *Animadu. cap.* XVII.

20. MALORVM PISCIVM SANIEM.] *Scombrorum ferè, qui ad nihil aliud ferè vtiles, ait Plinius.* Sanies *autem, vt Manilij lib.* V. *de garo:*

Hinc ſanies pretioſa fluit, floremque cruoris
Euomit, & miſto guſtum ſale temperat oris.

21. IN IPSIS VISCERIBVS EXSTINGVI.] *Vide ſuprà epiſt.* LXXVIII.

22. IN SERMONE NOBILEM PATINAM.] *Volunt ad Aeſopi patinam referre, de quâ Plinius lib.* X. *cap.* LI. *imò Pincianus ipſum nomen hîc reponit, & legit:* Quondam Æſopi nobilem patinam. *Non probo. nam iſta piſcium patina fuit, ex ſequentibus; illa auium, ex Plinio ipſo. Alius ergo hîc mentio, quicumque is fuit.*

23. SOLET DIEM DVCERE.] *Non muto, & intelligo diem extrahi varijs ferculis, & ſcænam ita longioris cænæ inſtrui. Si tamen,* ſolent diducere, *legas; haud improbem.*

24. VENERIÆ SPONDYLIQVE.] *Quid propriè* Veneriæ, *neſcio: an conchulæ aliquæ hoc nomine, quia Venus ijs vecta? Inter piſces quidem ſunt, & Plinij melioribus libris nominantur, in* XXXII. *cap.* XI. *Vbi enim vulgò:* Vrenæ, vua, xiphiæ: *priſca ſcriptura,* Veneriæ, vua, *præfert.* Spondyli *autem (alijs* ſphondyli*) in eodem loco nominantur: & Macrobio inter lautitias, in cænâ Pontificiâ,* III. *Saturnalium, Martiali lib.* VII. *epigr.* XVII.

25. TORTI DISTRACTIQVE.] *E melioribus libris,* diſtrictique. *Porrò autem, libri quidam:* contraxerant pituitam. ſingula coguntur.

26. CONCOCTIQVE PONANTVR.] *Vnà cocti.*

morbi naſcuntur, ſed inexplicabiles, diuerſi, multiformes: aduerſus quos & medicina A
armare ſe cœpit [27] multis generibus, multis obſeruationibus. Idem de philoſophiâ dico. Fuit aliquando ſimplicior inter minora peccantes, & leui quoque curâ medicabiles: aduerſum tantam morum euerſionem, omnia conanda. Et vtinam ſic denique [28] lues iſta vinceretur! Non priuatim ſolùm, ſed publicè furimus. Homicidia compeſcimus, & ſingulas cædes: quid bella, & occiſarum gentium glorioſum ſcelus? Non auaritia, non crudelitas modum nouit: & iſta quamdiu furtim, & à ſingulis fiunt, minùs noxia, minuſque monſtroſa ſunt: ex ſenatuſconſultis plebiſque ſcitis ſcelera exercentur, & publicè iubentur, vetita priuatim. Quæ clàm commiſſa capite luerent, eadem quia [29] paludati fecêre, laudamus. Non pudet homines, mitiſſimum genus, gaudere ſanguine alterno, bella gerere, gerendaque liberis tradere: cùm inter ſe etiam mutis ac feris pax ſit? Aduerſus tam potentem explicitumque latè furorem operoſior philoſophia facta eſt, & tantum ſibi virium ſumpſit, quantum his, aduerſus quę parabatur, acceſſerat. Expeditum erat, obiurgare indulgentes mero, & petentes delicatiorem cibum. non erat animus ad B
frugalitatem magnâ vi reducendus, à quo paullulùm diſceſſerat:

Nunc manibus rapidis opus eſt, nunc arte magiſtrâ.

[30] Voluptas ab omni parte quæritur: nullum intra ſe manet vitium. In auaritiam præceps luxuria eſt: honeſtatis obliuio inuaſit: nihil turpe eſt, cuius placet pretium. Homo, [31] ſacra res, homo iam per luſum & iocum occiditur: & quem erudiri ad inferenda accipiendaque vulnera nefas erat, is [32] iam nudus inermiſque producitur: [33] ſatiſque ſpectaculi in homine, mors eſt. In hac ergo morum peruerſitate, deſideratur ſolito vehementius aliquid, quod mala inueterata diſcutiat: decretis agendum eſt, vt reuellatur penitus falſorum recepta perſuaſio. His ſi adiunxerimus præcepta, conſolationes, adhortationes, poterunt valere: per ſe inefficaces ſunt. Si nolumus habere obligatos, & malis quibus iam tenentur, auellere; diſcant quid malum, quid bonum ſit: ſciant omnia præter virtutem mutare nomen, modò mala fieri, modò bona. Quemadmodum primum militiæ vinculum eſt [34] religio, & ſignorum amor, & deſerendi nefas; tunc deinde C
facilè cetera exiguntur mandanturque iuſiurandum adactis: ita in his, quos velis ad beatam vitam perducere, prima fundamẽta iacienda ſunt, & inſinuanda virtus. Huius quadam ſuperſtitione teneantur: hanc ament: cum hac viuere velint, ſine hac nolint. Quid ergo? non quidam ſine inſtitutione ſubtili euaſerunt probi, magnoſque profectus aſſecuti ſunt, dum nudis tantùm præceptis obſequuntur? Fateor: ſed felix ingenium illis fuit, & ſalutaria in tranſitu rapuit. Nam vt dij immortales nullam didicêre virtutem, cum omni editi, & pars naturæ eorum eſt, eſſe bonos: ita quidam ex hominibus egregiam ſortiti indolem, in ea quę tradi ſolent, perueniunt ſine longo magiſterio; & honeſta complexi ſunt, cùm primùm audierunt. Vnde iſta tam rapacia virtutis ingenia, vel ex ſe fertilia? At illis aut hebetibus & obtuſis, aut malâ conſuetudine obſeſſis, diu rubigo animorum effricanda eſt. Ceterùm vt illos in bonum pronos citiùs educit ad ſumma, & hos imbecilliores adiuuabit, maliſque opinionibus extrahet, qui illis philoſophiæ placita tradiderit: quæ quàm ſint neceſſaria, licet videas. Quædam inſident nobis quæ nos ad D
alia pigros, ad alia temerarios faciunt. Nec hæc audacia reprimi poteſt, nec illa inertia ſuſci-

27. MVLTIS GENERIBVS, MVLTIS OBSERVATIONIBVS.] *Dubito annon fuerit*, multigeneribus obſeruationibus.

28. LVES ISTA VINCERETVR.] *Libri*, vindicetur, indicetur, meditetur. *Puto germanum*, medicetur.

29. PALVDATI FECERE.] *Ita enim, & eo habitu, id eſt coccineo paludamento induti, proficiſci ad bellum ſolent. Malè qui*, palàm *ſuffecerunt.*

30. VOLVPTAS AB OMNI PARTE QVÆRITVR.] *Dilutum hoc, & ad acriorem ſenſum præeunt ſcripti*: Voluptas ex omni quæritur: *lege*, ex homine: *& commation hoc ad priora refer.*

31. SACRA RES, HOMO.] *Haud abſona repetitio: tamen concinniùs etiam*, homini, *cum Pinciano & alijs libris ſcribatur.*

32. IAM NVDVS INERMISQVE.] *Vt ſolent meridiani gladiatores ſuprà, epiſt.* VII.

33. SATISQVE SPECTACVLI IN HOMINE.] *Siue cum alijs*, ex homine. *Sententia eſt, quæ in epiſtolâ* XC. Homo hominem, non timens nec iratus, tantùm ſpectaturus occidit: *id eſt, iubet occidi.*

34. RELIGIO, ET SIGNORVM AMOR.] *Iuramenti religionem intelligit: in quo hæc ipſa de Signis comprehenſa. Vide Militiam noſtram, lib.* I.

35. EQVES-

A ſuſcitari, niſi cauſſæ eorum eximantur, falſa admiratio, falſa formido. Hæc nos quamdiu poſſident, dicas licet: Hoc patri præſtare debes, hoc liberis, hoc amicis, hoc hoſpitibus: tentantem auaritia retinebit. Sciet pro patriâ pugnandum eſſe: diſſuadebit timor. Sciet pro amicis deſudandum eſſe, ad extremum vſque ſudorem: ſed deliciæ vetabunt. Sciet in vxorem grauiſſimum eſſe genus iniuriæ, habere pellicem: ſed illum libido in contraria impinget. Nihil ergo proderit dare præcepta, niſi priùs amoueris obſtantia præceptis: non magis, quàm proderit arma in conſpectu poſuiſſe, propiuſque admouiſſe, niſi vſuræ manus expediuntur. Vt ad præcepta quæ damus, poſſit animus ire, ſoluendus eſt. Putemus aliquem facere, quod oportet. non faciet aſſiduè, non faciet æqualiter: neſcit enim quare faciat. Aliqua vel caſu, vel exercitatione, exibunt recta: ſed non erit in manu regula, ad quam exigantur, cui credat recta eſſe quæ fecit. Non promittet ſe talem in perpetuum, qui caſu bonus eſt. Deinde, præſtabunt tibi fortaſſe præcepta, vt quod oportet facias: non præſtabunt, vt quemadmodum oportet: & ſi hoc non præ-
B ſtant, ad virtutem non perducunt. Faciet quod oportet monitus, concedo: ſed id parùm eſt. quoniam quidem non in facto laus eſt, ſed in eo quemadmodum fiat. Quid eſt cænâ ſumptuosâ flagitioſius, & [35] equeſtrem cenſum conſumente? quid tam dignum cenſoriâ notâ, ſi quis, vt iſti ganeones loquuntur, ſibi hæc & genio ſuo præſtet? [36] & tricies tamen HS. [37] adiiciales cænæ frugaliſſimis viris conſtiterunt. [38] Eadem res ſi gulæ datur, turpis eſt: ſi honori, reprehenſionem effugit. Non enim luxuria, ſed impenſa ſollennis eſt. Mullum ingentis formæ (quare autem non pondus adiicio, & aliorum gulam irrito? [39] quattuor pondo & ad ſelibram fuiſſe aiebant) Tiberius Cæſar miſſum ſibi, cùm in macellum deferri & venire iuſſiſſet? *Amici*, inquit, *omnia me fallunt, niſi iſtum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octauius*. Vltra ſpem illi coniectura proceſſit. licitati ſunt: vicit Octauius, & ingentem conſecutus eſt inter ſuos gloriam, cùm [40] quinque millibus HS. emiſſet piſcem, quem Cæſar vendiderat, ne Apicius quidem emerat. Numerare tantum Octauio fuit turpe. nam ille qui emerat, vt Tiberio mitteret (quamquam illum quoque
C reprehenderim) admiratus eſt rem, quâ putauit Cæſarem dignum. Amico ægro aliquis aſſidet: probamus. at hoc ſi hereditatis cauſsâ facit, [41] vultur eſt, cadauer exſpectat. Eadem & turpia ſunt, & honeſta: refert, quare, aut quemadmodum fiant. Omnia autem honeſtè fient, ſi honeſto nos addixerimus, idque vnum in rebus humanis bonum iudicauerimus, quæque ex eo ſunt: cetera, in diem bona ſunt. Ergo infigi debet perſuaſio, ad totam pertinens vitam: hoc eſt, quod decretum voco. Qualis hæc perſuaſio fuerit, talia erunt quæ agentur, quæ cogitabuntur: qualia autem hæc fuerint, talis vita erit. In particulas ſuaſiſſe, totum ordinanti parùm eſt. M. Brutus in eo libro, quem περὶ καθήκοντος

35. EQVESTREM CENSVM.] *Muſonius apud Stobæum*: Μαγειροὶ δὲ γεωργῶν περιττοτέρως ἐισὶ δεινοὶ δὲ παρατίθεσθαί τινες ἀγρῶν ἀναλίσκοντες τιμάς: Coqui maiore ſtudio quàm agricolæ parantur, & conuiuia quidam apparant, in quibus agrorum pretia conſumunt.

D 36. ET TRICIES TAMEN HS.] *Video qui hunc dicant cenſum equeſtrem, & ideò rectè ſic edi, cùm de iſto præiuerit. Sed profectò* Tricies *illud valdè ſuperat, & vel ſepties propemodum excedit. Sunt enim (noſtrâ æſtimatione)* ſeptuagintaquinque Philippûm millia. *Scripta omnis lectio habebat*, & toties tamen ſeſtertio: *atque eſt dicta illa mutatio à Mureto. Ego cenſeam excidiſſe notam numeri, legendúmque*, & toties tamen DC. HS. *quod eſſet*, ſexcentis ſeſtertijs: *ipſe equeſter cenſus ab Auguſto. Poſſis eodem ſenſu*, & tot tamen HS: *adſpectu ad priora. De iſtis impendys, aliquid ego in Admirandis, lib.* IV. *cap.* VII.

37. ADIICIALES CÆNÆ.] *Libri*, adiciales: *vera ſcriptura*, aditiales. *quia dabantur in aditu, & auſpicio honorum.*

38. EADEM RES.] *His paria, ſed breuiter, Democritus*: Φειδώ τοι καὶ λιμὸς, χρηςὴ, ἐν καιρῷ δὲ καὶ δαπάνη. γινώσκειν δὲ ἀγαθόν: Parcimonia & abſtinentia bona, in tempore etiam ſumptus. dignoſcere autem Sapientis eſt.

39. QVATVOR PONDO.] *Rarum pondus. nam vt Plinius ait, lib.* IX. magnitudo ijs modica, binaſq; libras ponderis rarò admodum excedunt. *Exceſſit iſte largiter; & alter apud Martialem, lib.* X.

— mullus tibi quattuor emptus
Librarum, cænæ pompa caputque fuit.

40. QVINQVE MILLIBVS HS.] *Eſſent nobis*, centum vigintiquinq; Philippi. *Libri ferè veteres*, quinque HS. *habent: ſed & ſic eadem ſumma. nam intelliguntur neutro genere* Seſtertia quina. *Neque pretium hoc immodicum (vt tunc ganea feruebat:) nam & Aſinius Celer poſteà, Caio Caligulâ Principe*, mullum vnum octo millibus nummûm emit: *Philippicis ducentis. in eodem Plinio.*

41. VVLTVR EST.] *Conuicium in heredipetas, & qui funus exſpectant: à naturâ auis, quæ cadaueribus paſcitur. Catullus:*

Suſcitat à cano vulturium capite.

Martialis:

Cuius vulturis hoc erit cadauer?

κοινος inſcripſit, dat multa præcepta & parentibus & liberis & fratribus. hæc nemo fa- A
ciet quemadmodum debet, niſi habuerit quò referat. Proponamus oportet finem ſummi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum noſtrum dictumque reſpiciat: veluti nauigantibus ad aliquod ſidus dirigendus eſt curſus. Vita ſine propoſito, vaga eſt. Quod ſi vtique proponendum eſt, incipiunt neceſſaria eſſe decreta. Illud, puto, concedes, nihil eſſe turpius dubio, & incerto ac timido, pedem modò referente, modò producente. Hoc in omnibus rebus accidet nobis: niſi eximantur, quæ reprehendunt animos ac detinent, & conari totos vetant. Quomodo ſint dij colendi, ſolet præcipi. [42] Accendere aliquem lucernam ſabbathis prohibeamus: quoniam nec lumine dij egent, & ne homines quidem delectantur fuligine. Vetemus [43] ſalutationibus matutinis fungi, & [44] foribus aſſidere templorum: humana ambitio iſtis officiis capitur. Deum colit, qui nouit. Vetemus [45] lintea & ſtrigiles Ioui ferre, & [46] ſpeculum tenere Iunoni. Non querit miniſtros Deus. quid ni? ipſe humano generi miniſtrat: vbique & omnibus præſtò eſt. Audiat licet, quemadmodum ſe gerere in ſacrificiis debeat, quàm procul reſilire à moleſtiis B
ac ſuperſtitionibus: numquam ſatis profectum erit, niſi qualem debet Deum, mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem. Quæ cauſſa eſt diis benefaciendi? natura. Errat, ſi quis putat illos nocere velle: non poſſunt. nec accipere iniuriam queunt, nec facere. Lædere etenim lædíque, coniunctũ eſt. Summa illa ac pulcherrima omnium natura, quos periculo exemit, nec periculoſos quidem fecit. Primus eſt deorum cultus, deos credere: deinde, reddere illis maieſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine quâ nulla maieſtas eſt. Scire, illos eſſe qui præſident mundo, qui vniuerſa vi ſuâ temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curioſi ſingulorum. Hi nec dant malum, nec habent: ceterùm caſtigant quoſdam, & coërcent, & irrogant pœnas, & aliquando [47] ſpecie boni puniunt. Vis deos propitiare? bonus eſto. Satis illos coluit, quiſquis imitatus eſt. Ecce altera quæſtio, quomodo hominibus ſit vtendum. Quid agimus? quæ damus præcepta? Vt parcatur ſanguini humano? quantulum eſt ei non nocere, cui debeas prodeſſe? Magna ſcilicet laus eſt, ſi homo manſuetus homini eſt. C
Præcipiemus vt naufrago manum porrigat, erranti viam monſtret, [48] cum eſuriente panem ſuum diuidat? Quando omnia quæ præſtanda ſunt ac vitanda, dicam, cùm poſſim breuiter hanc formulam humani officij tradere? Omne hoc quod vides, quo diuina atque humana concluſa ſunt, vnum eſt: [49] membra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, [50] cùm ex iiſdem [51] & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit: illa æquum iuſtumque compoſuit: ex illius conſtitutione

42. ACCENDERE LVCERNAM SABBATHIS.] *Lucernas accendere in honorem Deorum aut Principum, feſtis diebus, mos apud Romanos: ſed, vt appâret, paullatim Iudaici ritus inualuêre, & Sabbathi diem illâ ſuperſtitione coluerunt. Perſius ſat.* V.

Herodis venêre dies, vnctaque feneſtrâ
Diſpoſitæ pinguem nebulâ vomuêre lucernæ.

43. SALVTATIONIBVS MATVTINIS.] *Ecce, officia quæ hominibus tribuebant, ad Deos eadem tranſtulêre: & vt potentes ſalutare manè, ſic etiam iſtos inſtituerunt. Apuleius* XI. Incohatæ lucis ſalutationibus, religioſi primam nunciantes horam, perſtrepunt. *Prudentius*:

Manè ſalutatum concurritur, omnis adorat
Pubes.

Plautus, atque alij, crebrò.

44. FORIBVS ASSIDERE.] *Nondum ſcilicet apertis. nam cum primâ luce, aut antè, faciebant.*

45. LINTEA, ET STRIGILES.] *Quaſi lotione Dij egerent. ſunt enim hæc balnearia inſtrumenta. Nec miremur: nam & cibum eſui apponebant. Vide me* II. *Elector. cap.* XVIII.

46. SPECVLVM TENERE.] *Vt ornet ſe, & comat. vel potiùs ipſi comebant, imaginariè hoc vſurpantes. Seneca apud Auguſtinum* VI. *de Ciuit. Dei, in libello De Superſtitione (vtinam exſtaret!)* Sunt quæ Iunoni ac Mineruæ capillos diſponant, longè à templo, non tantùm ſimulacro, ſtantes, digitos mouent ornantium modo. ſunt quæ ſpeculum teneant. *Tertullianus, de Ieiunijs*: D
Qui in idolis comendis & ornandis, & ad ſingulas horas ſalutandis adulantur, Curationem facere dicuntur.

47. SPECIE BONI PVNIVNT.] *Id eſt, dant bona externa, quæ in malum cedunt. Videntur indulgere, caſtigant.*

48. CVM ESVRIENTE.] *Notat Muretus, proximum hoc Sacrorum illi præcepto eſſe*: Eſurienti frange panem tuum.

49. MEMBRA SVMVS.] *De hac ſententiâ ego in Phyſiol.* I. *Diſſert.* VIII.

50. CVM EX IISDEM.] *Elementis, & item aſtris, ſecundùm Stoicos.*

51. ET IN EADEM.] *Vel, in actiones eaſdem, & finem: vel, reſoluendos in illa eadẽ, è quibus ſumus.*

52. HABEA-

A tione miſerius eſt nocere, quàm lædi: & illius imperio paratæ ſunt ad iuuandum manus. Iſte verſus, & in pectore, & in ore ſit:

Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.

[52] Habeamus in com mune, quòd nati ſumus. Societas noſtra lapidum fornicationi ſimillima eſt: quæ caſura, niſi inuicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinetur. Poſt deos hominesque, diſpiciamus quomodo rebus ſit vtendum. In ſuperuacuum [53] præcepta iactauimus, niſi illud præceſſerit, qualem de quaque re habere debeamus opinionem, de paupertate, de diuitiis, de gloriâ, de ignominiâ, de patriâ, de exſilio. Æſtimemus ſingula, famâ remotâ: & quæramus quid ſint, non quid vocentur. Ad virtutes tranſeamus. præcipiet aliquis, vt prudentiam magni æſtimemus, vt fortitudinem complectamur: temperantiam amemus: iuſtitiam, ſi fieri poteſt, propiùs etiam quàm ceteras, nobis applicemus. Sed nihil agetur, ſi ignoramus, quid ſit virtus: vna ſit, an plures: [54] ſeparatæ, an annexæ; an qui vnam habet, & ceteras habeat: quomodo inter ſe differant. Non eſt ne-

B ceſſe fabro de fabricâ quærere, quod eius initium, quis vſus ſit: non magis quàm pantomimo, de arte ſaltandi. Omnes iſtæ artes ſe ſciunt: nihil deeſt. Non enim ad totam pertinet vitam: virtus & aliorum ſcientia eſt, & ſui. diſcendum de ipsâ eſt, vt ipſa voluntas diſcatur: actio recta non erit, niſi recta fuerit voluntas. ab hac enim eſt actio. Rurſus, voluntas non erit recta, niſi habitus animi rectus fuerit: ab hoc enim eſt voluntas. Habitus porrò animi non erit in optimo, niſi totius vitæ leges perceperit, & quid de quoque iudicandum ſit, exegerit, niſi res ad verum redegerit. Non contingit tranquillitas, niſi immutabile certumque iudicium adeptis: ceteri decidunt ſubinde, & reponuntur, & inter omiſſa appetitaque alternis fluctuantur. [55] Cauſſa huius iactationis eſt, quòd nihil liquet incertiſſimo regimine vtentibus, famâ. Si vis eadem ſemper velle, vera oportet velis. Ad verum ſine decretis non peruenitur: continent vitam. Bona & mala, honeſta &

C turpia, iuſta & iniuſta, pia & impia, virtutes vſuſque virtutum, [56] rerum commodarum poſſeſſio, exiſtimatio ac dignitas, valetudo, vires, forma, ſagacitas ſenſuum, hæc omnia æſtimatorem deſiderant, quanti quidque in cenſum deferendum ſit. Falleris enim, & pluris quædam quàm ſunt, putas: adeoque falleris, vt quæ maxima inter vos habentur, diuitiæ, gratia, potentia, [57] ſeſtertio nummo æſtimanda ſunt. Hoc neſcies, niſi conſtitutionem ipſam, quâ iſta inter ſe æſtimantur, inſpexeris. Quemadmodum folia virere per ſe non poſſunt, ramum deſiderant, cui inhæreant, ex quo trahant ſuccum: ſic iſta præcepta ſi ſola ſunt, marcent: infigi volunt ſectæ. Præterea, non intelligunt hi qui decreta tollunt, eo ipſo confirmari illa, quo tolluntur. Quid enim dicunt? præceptis ſatis vitam explicari, ſuperflua eſſe decreta ſapientiæ, id eſt, dogmata. Atqui hoc ipſum quod dicunt, decretum eſt: tam hercule, quàm ſi nunc ego dicerem recedendum eſſe à præceptis ſuperuacuis, & in hæc ſola ſtudium conferendũ: hoc ipſo quo negarem curanda eſſe præcepta, præciperem. Quædam admonitionem philoſophiæ deſiderãt, quædam probationem: [58] & quidem multa quia inuoluta ſunt, vixque ſummâ diligentiâ ac ſummâ ſubtilitate aperiuntur. Si probationes neceſſariæ ſunt, & decreta, quæ veritatem argumentis

D colligunt. Quædam aperta ſunt, quædam obſcura. Aperta, quæ ſenſu comprehenduntur,

52. HABEAMVS IN COMMVNE.] *Ego legerim & diſtinxerim*: Habeamus. in commune quidem nati ſumus. *Dixerat, verſum debere in ore & corde eſſe*: Habeamus, *inquit: nam certè in commune nati ſumus. Itaque verſum illum interpretatur, vt* nihil humani alienum *cenſeamus: id eſt, iuncta nobiſcum & ſociata eſſe.*

53. PRÆCEPTA IACTAVIMVS.] *Imò*, iactabimus.

54. SEPARATÆ, AN ANNEXÆ.] *Nexæ Stoicis. & vide Manud.* III. *Diſſert.* IV.

55. CAVSSA HVIVS IACTATIONIS.] *Libri ferè*, cauſſa iuſque iactationis: *aut*, cauſſa viſque. *quod probat Pincianus. Sed verius erit*, cauſſa eiuſce iactationis.

56. RERVM COMMODARVM.] *Stoicâ phraſi, res externæ ita dicuntur, quæ vulgò Bona. Eſt idem, quod commoda.*

57. SESTERTIO NVMMO.] *Valet, minimo. communis ita ſermo, & velut formula, in imaginario pretio, aut nullo. Cuiacius lib.* XIX. *Obſeruat. cap.* XXXI.

58. ET QVIDEM MVLTA.] *Dixerat*, quædam *probationem deſiderare: velut corrigit, imò* multa, *inquit, quia inuoluta & obſcura.*

tur, [59] quæ memoriâ: obscura, quæ extra hæc sunt. Ratio autem non impletur manifestis: maior eius pars pulchriorque in occultis est. Occulta probationem exigunt, probatio non sine decretis est, necessaria ergo decreta sunt. Quæ res communem sensum facit, eadem perfectum, certarum rerum persuasio: sine quâ, omnia in animo natant: necessaria ergo sunt decreta, quæ dant animis inflexibile iudicium. Denique cùm monemus aliquem, vt amicum eodem habeat loco quo se, vt ex inimico cogiter posse fieri amicum, in illo amorem incitet, in hoc moderetur odium: adiicimus, iustum est & honestum. Iustum autem honestumque decretorum nostrorum continet ratio: ergo hæc necessaria est, sine quâ nec illa sunt. Sed vtraque iungamus. namque & sine radice inutiles rami sunt; & ipsæ radices his, quæ genuere, adiuuantur. Quantum vtilitatis manus habeant, nescire nulli licet: apertè iuuant: cor, illud quo manus viuunt, ex quo impetum sumunt, quo mouentur, latet. Idem dicere de præceptis possum: aperta sunt; decreta verò sapientiæ in abdito. Sicut sanctiora sacrorum tantùm initiati sciunt: ita in philosophiâ, arcana illa admissis receptisque in sacra ostenduntur: at præcepta, & alia huiusmodi, profanis quoque nota sunt. Posidonius non tantùm præceptionem (nihil enim nos hoc verbo vti prohibet) sed etiam suasionem, & consolationem, & exhortationem necessariam iudicat. His adiicit caussarum inquisitionem, quam cur ætiologiam dicere non audeamus, cùm Grammatici, custodes Latini sermonis, suo iure ita appellent, non video. Ait vtilem futuram esse descriptionem cuiusque virtutis. hanc [60] Posidonius ætiologiam vocat: quidam χαρακτηρισμὸν appellant, signa cuiusque virtutis & vitij ac notas reddentem, quibus inter se similia discriminentur. Hæc res eamdem vim habet, quam præcipere. Nam qui præcipit, dicit: Illa facies, si voles temperans esse. Qui describit, ait, Temperans est, qui facit illa, qui illis abstinet. Quæris, quid interfit? alter præcepta virtutis dat, alter exemplar. Descriptiones has, & (vt [61] publicanorum vtar verbo) εἰκονισμούς, ex vsu esse confiteor. Proponamus laudanda: inuenietur imitator. Putas vtile tibi dari argumenta, per quæ intelligas nobilem equum, ne fallaris empturus, ne operam perdas in ignauo? Quanto hoc vtilius est, excellentis animi notas esse, quas ex alio in se transferre permittitur?

Continuò pecoris generosi pullus in aruis
Altiùs ingreditur, & mollia crura reponit.
Primus inire viam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponto.
Nec vanos horret strepitus: illi ardua ceruix,
Argutumque caput, breuis aluus, obesaque terga:
Luxuriatque toris animosum pectus:
—— tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premens voluit sub naribus ignem.

Dum aliud agit Virgilius noster, descripsit virum fortem. Ego certè non aliam imaginem magno viro dederim. si mihi Cato exprimendus inter fragores bellorum ciuilium impauidus, & primus incessens admotos iam exercitus alpibus, ciuilique se bello ferens obuium: non alium illi assignauerim vultum, non alium habitum. altiùs certè nemo ingredi potuit, quàm qui simul contra Cæsarem Pompeiumque se sustulit, & aliis Cæsarianas opes, aliis Pompeianas fouentibus, vtrumque prouocauit, ostenditque aliquas esse reip. partes. Nam parùm est in Catone dicere: *Nec vanos horret strepitus*. Quid ni, cùm veros

59. QVÆ MEMORIA.] *Ex sensibus tamen natâ.*

60. POSIDONIVS ÆTIOLOGIAM.] *Non opinor, & de eâ præiuit, & vox abistâ re dissidet. Reponam* ethologiam, *siue* ἠθολογίαν, *quæ huc facit: quod Rutilius & Fabius dicent.*

61. PVBLICANORVM VTAR VERBO.] *Quare, aut vbi, Publicanis hoc verbum in vsu? puto in portoriis fuisse, vbi serui traiiciebantur, & equi, atque alia maioris pretij. Vt constaret tales & tales soluisse portorium, nec alios, describebant formam faciémque singulorum, & id vocabant* εἰκονισμόν. *Potuit & in pecuniâ assignandâ aut delegandâ locum habere, Dabis tali, & tali formâ, æuo, notâ: vt hodieq. interdum qui pecuniam in Italiâ aut alibi capiendam transscribunt.*

62. LI-

A veros vicinoſque non horreat? cùm contra decem legiones, & Gallica auxilia, & mixta barbarica arma ciuilibus, vocem liberam mittat, & Remp. hortetur, ne pro libertate decidat, ſed omnia experiatur, honeſtiùs in ſeruitutem caſura, quàm itura? Quantum in illo vigoris ac ſpiritus, quantum in publicâ trepidatione fiduciæ eſt? Scit ſe vnum eſſe, de cuius ſtatu non agatur: non quæri, an liber Cato, ſed an inter liberos ſit. Inde periculorum gladiorumque contemptus. Libet admirantem inuictam conſtantiam viri, inter publicas ruinas non labantis, dicere: *Luxuriatque toris animoſum pectus.* Proderit non tantùm quales eſſe ſoleant boni viri, dicere, formamque eorum & lineamenta deducere: ſed quales fuerint narrare, & exponere Catonis illud vltimum ac fortiſſimum vulnus, per quod [62] libertas amiſit animam: Lælij ſapientiam, & cum ſuo Scipione concordiam: alterius Catonis domi foriſque egregia facta: [63] Tuberonis ligneos lectulos, cùm in publicum ſternerentur, hædinaſque pro ſtragulis pelles, & [64] ante ipſius Iouis cellam propoſita conuiuis vaſa fictilia. quid aliud eſt, paupertatem in Capitolio conſecrare? Vt
B nullum aliud factum eius habeam, quo illum Catonibus inſeram, hoc parùm credimus? Cenſura fuit illa, non cæna. O quàm ignorant homines cupidi gloriæ, quid illa ſit, aut quemadmodum petenda! Illo die populus Romanus multorum ſupellectilem ſpectauit, vnius miratus eſt. Omnium illorum aurum argentumque fractum eſt, & millies conflatum: at omnibus ſæculis Tuberonis fictilia durabunt.

EPIST. XCVI.

CONTRA *Querulos: & omnia à Fato ac Deo venire. Quid igitur indignamur? Pareamus iſtis, aut potiùs aſſentiamur. Bona.*

TAMEN tu indignaris aliquid, aut quereris: & non intelligis, nihil eſſe in iſtis mali, niſi hoc vnum, quòd indignaris & quereris? Si me interrogas, nihil puto viro
C miſerum, niſi aliquid eſſe in rerum naturâ putet miſerum. [1] Non feram me, quo die aliquid ferre non potero. Malè valeo? pars fati eſt. Familia decubuit? fenus offendit? domus crepuit? damna, vulnera, labores, metus incurrerunt? Solet fieri. hoc parùm eſt: debuit fieri. decernuntur iſta, non accidunt. Si quid credis mihi, intimos affectus meos tibi cummaximè detego: in omnibus quæ aduerſa videntur & dura, ſic formatus ſum. [2] Non pareo Deo, ſed aſſentior: ex animo illum, non quia neceſſe eſt, ſequor. Nihil vmquam mihi incidet, quod triſtis excipiam, quod malo vultu: nullum tributum inuitus conferam. Omnia autem ad quæ gemimus, quæ expaueſcimus, tributa vitæ ſunt. Horum, mi Lucili, nec ſperaueris immunitatem, nec petieris. Veſicæ te dolor inquietauit: [3] epulæ fuerunt parùm dulces: detrimenta continua: propiùs accedam, [4] de capite timuiſti. Quid tu, neſciebas hæc te optare, cùm optares ſenectutem? Omnia iſta in longâ vitâ ſunt, quomodo in longâ viâ & puluis & lutum & pluuia. Sed volebam, inquis, viuere, carere tamen incommodis omnibus. Tam effeminata vox virum dedecet. Videris,
D quemadmodum hoc votum meum excipias: ego illud magno animo, non tantùm bono facio. Neque dij, neque deæ faciant, vt te [5] fortuna in deliciis habeat. Ipſe te interroga,

62. LIBERTAS AMISIT.] *Henr. Stephanus,* emiſit: *rectè.*

63. TVBERONIS LIGNEOS.] *Vide Valerium lib.* VII. *cap.* V. *Ciceronem pro Muræná.*

64. ANTE IPSIVS IOVIS.] *Epulo publico, in Capitolio. Adde epiſt.* XCVIII.

EPIST. XCVI. 1. NON FERAM ME.] *Malè mihi erit, de me querar & angar.*

2. NON PAREO DEO, SED.] *Vera ſapientia, & finis vitæ Stoicis, Naturam id eſt Deum ſequi. Pulchrè Sophocles ſolatij loco extulit (planè Stoicus poëta) in Aiace Flagell.*

Ἐγὼ μὲν οὖν καὶ ταῦτα, κἀὶ τὰ πανθ' ἁπλῶς
Φάσκοιμ' ἂν ἀνθρώποισι μηκανᾶν θεούς:
Ego verò & iſta, & alia prorſus omnia
Permittere atque immittere autumo Deos.

Adde me, ſi vis, in Manuduct. II. *Diſſert.* XIX.

3. EPVLÆ FVERVNT.] *Aliàs,* epiſtulæ: *nec ſpernam. Epiſtolæ ſcilicet, quæ talia triſtia nunciarunt.*

4. DE CAPITE TIMVISTI.] *Suprà epiſt.* XXIV.

5. FORTVNA IN DELICIIS.] *Tale de Prouidentiâ cap.* I. Deus bonum virum in delicijs non habet.

roga, si quis potestatem tibi Deus faciat, vtrùm velis viuere in macello, an in castris. At- A
qui viuere, mi Lucili, militare est. Itaque hi qui iactantur, & per operosa atque ardua sursum atque deorsum eunt, & expeditiones periculosissimas obeunt, fortes viri sunt, primoresque castrorum: isti quos [6] publica quies, aliis laborantibus molliter habet, [7] Turturillæ sunt, tuti contumeliæ caussâ.

EPIST. XCVII.

ET nunc, & olim, fuisse malos. Exemplum à iudicio Clodiano, quod ille nummis & adulteriis corrupit. De vi deinde Conscientiæ, damnari ab eâ mala, atque etiam puniri interno flagello aut morsu.

ERRAS, mi Lucili, si existimas nostri sæculi esse vitium, luxuriam & negligentiam B
boni moris, & alia quæ obiicit suis quisque temporibus. Hominum sunt ista, non temporum: nulla ætas vacauit à culpâ. Et si æstimare licentiam cuiusque sæculi incipias: pudet dicere, numquam apertiùs, quàm coram Catone, peccatum est. Credat aliquis pecuniam esse versatam in eo iudicio, in quo reus erat Clodius, ob id adulterium, quod cum Cæsaris vxore in operto commiserat, violatis religionibus eius sacrificij, quod [1] pro populo fieri dicitur, sic submotis extra conspectum omnibus viris, [2] vt picturæ quoque masculorum animalium contegantur. Atqui dati iudicibus nummi sunt: & quod hac etiamnum pactione turpius est, stupra insuper matronarum & adolescentulorum nobilium, [3] salarij loco exacta sunt. Minùs crimine, quàm absolutione, peccatum est. Adulterij reus, adulteria diuisit: nec antè fuit de salute securus, quàm similes sui iudices suos reddidit. Hæc in eo iudicio facta sunt, in quo, si nihil aliud, Cato testimonium dixerat. Ipsa ponam verba Ciceronis, quia res fidem excedit: *Accersiuit ad se, promisit, intercessit, dedit. Iam verò, ô dij boni, rem perditam! etiam noctes certarum mulierum,* C
atque adolescentulorum nobilium introductiones, nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. Non vacat de pretio queri, plus in accessionibus fuit. Vis seueri illius vxorem? dabo illam. Vis diuitis? huius quoque tibi præstabo concubitum. Adulterium vbi feceris, damna. Illa formosa quam desideras, veniet: illius tibi noctem promitto, nec differo: intra comperendinationem, fides promissi mei stabit. Plus est distribuere adulteria, quàm facere: illud est [4] matribus familiæ denunciare, hoc illudere. Hi iudices Clodiani à senatu petierant præsidium, quod non erat nisi damnaturis necessarium: & impetrauerant. Itaque eleganter illis Catulus, absoluto reo: *Quid vos*, inquit, *præsidium à nobis petebatis? an, ne nummi vobis eriperentur?* Inter hos tamen iocos, impunè tulit ante iudicium adulter, in iudicio leno: qui damnationem peiùs effugit, quàm meruit. Quidquam fuisse cor-

Nouerunt Mauri atque Indi, quæ psaltria penem
Illuc, testiculi sibi conscius vnde fugit mus, D
Intulerit, vbi velari pictura iubetur
Quæcumque alterius sexus imitata figuram est.

de ipso hoc Clodio, qui Psaltriæ habitu eò penetrauit.

6. PVBLICA QVIES.] *Quidam libri* putrida, *alij*, putida: *sed illud teneo, & ad publicam pacem refero.*

7. TVRTVRILLÆ SVNT.] *Vacillauimus ego atque alij in hoc loco. ecce vna Isidori (è Glossario nuper publicato) notula nos firmat, à Petro Scriuerio, erudito viro suggesta:* Turturilla. ita dictus locus, in quo corruptelæ fiebant, quòd ibi turturi opera daretur, id est panem. *Lego in extremo*, id est ganeæ. *Talia autem loca & homines tuti, non per honorem, sed contumeliam, & quia spernuntur.*

EPIST. XCVII. 1. PRO POPVLO.] *Vide Ciceronem* 1. *ad Atticum, omnia exsequentem. Fiebat autem sacrum hoc Bonæ deæ, per Virgines Vestæ, idq; pro salute populi Romani.*

2. VT PICTVRÆ QVOQVE.] *Iuuenal. in Sat.* VI.
—— sed omnes

3. SALARII LOCO.] *Mei & alij scripti*, stillari loco. *Sanè* Stillarium *aliquis interpretetur pro additamento vel auctario, quod supra legitimam mensuram in liquidis, velut stillando, datur. Et hinc metaphora. Ipse mox Seneca*, accessionem *vocat: & Cicero*, mercedis cumulum.

4. MATRIBVS FAMILIÆ DENVNCIARE.] *Velut imperium in eas exercere, & per minas ad alium mittere. quod plus est, quàm per blanditias surrepere & illudere.*

5. FLORA.

A ſe corruptius illis moribus credis, quibus libido non ſacris inhiberi, non iudiciis poterat? quibus in eâ ipsâ quæſtione, quæ extra ordinem ſenatuſconſulto exercebatur, plus quàm quærebatur admiſſum eſt? Quærebatur, an poſt adulterium aliquis poſſet tutus eſſe: apparuit ſine adulterio tutum eſſe non poſſe. Hoc inter Pompeium & Cæſarem, inter Ciceronem Catonemque commiſſum eſt: Catonem inquam illum, quo ſedente negatur populus permiſiſſe ſibi poſtulare [5] Florales iocos nudandarum meretricum. Credis ſpectaſſe tunc ſeueriùs homines, quàm iudicaſſe? Et fient, & facta ſunt iſta: & licentia vrbium, aliquando diſciplinâ metuque, numquam ſponte conſidet. Non eſt itaque quòd credas, nunc plurimum libidini permiſſum eſſe, legibus minimum. Longè enim frugalior hæc iuuentus, quàm illa, eſt, cùm reus adulterium apud iudices negaret, iudices apud reum confiterentur: cùm ſtuprum committeretur rei iudicandæ cauſsâ: cùm Clodius iiſdem vitiis gratioſus quibus nocens, [6] conciliaturas exerceret in ipsâ cauſſæ dictione. Credat hoc quiſquam? qui damnabatur vno adulterio, abſolutus eſt multis. Omne tem-
B pus Clodios, non omne Catones feret. Ad deteriora faciles ſumus: quia nec dux poteſt, nec comes deeſſe: & res etiam ipſa ſine duce, ſine comite procedit: non pronum eſt tantùm ad vitia, ſed præceps. Et, quod pleroſque inemendabiles facit, omnium aliarum artium peccata, artificibus pudori ſunt, offenduntque deerrantem: vitæ peccata delectant. Non gaudet nauigio gubernator euerſo, non gaudet ægro medicus elato, non gaudet orator, ſi patroni culpâ reus cecidit: at contrà, omnibus crimen ſuum voluptati eſt. Lætatur ille adulterio, in quod irritatus eſt ipsâ difficultate: lætatur ille circumſcriptione furtoque: nec antè illi culpa, [7] quàm culpæ fortuna diſplicuit. Id prauâ conſuetudine euenit. Alioqui vt ſcias, ſubeſſe animis, etiam in peſſima abductis, boni ſenſum, nec ignorari turpe, ſed negligi; omnes peccata diſſimulant, & quamuis feliciter ceſſerint, fructu illorum vtuntur, ipſa ſubducunt. At bona conſcientia prodire vult, & conſpici: ipſas nequitia tenebras timet. Eleganter itaque ab Epicuro dictum puto, [8] *Poteſt nocenti contingere vt lateat, latendi fides non poteſt*. Aut ſi hoc modo meliùs hunc explicari
C poſſe iudicas ſenſum: *Ideò non prodeſt latere peccantibus, quia latendi etiam ſi felicitatem habent, fiduciam non habent*. Ita eſt. [9] tuta ſcelera eſſe poſſunt: ſecura non poſſunt. [10] Hoc ego repugnare ſectæ noſtræ, ſi ſic expediatur, non iudico. quare? quia prima & maxima peccantium eſt pœna, peccaſſe. nec vllum ſcelus, licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licet tueatur ac vindicet, impunitum eſt: quoniam ſceleris, in ſcelere, ſupplicium eſt. Sed nihilominus [11] & hæc, & illa, ſecundæ pœnæ premunt ac ſequuntur: timere ſemper & expaueſcere, & ſecuritati diffidere. Quare ego hoc ſupplicio nequitiam liberem? quare non ſemper illam in ſuſpenſo relinquam? Illîc diſſentiamus cum Epicuro, [12] vbi dicit, nihil iuſtum eſſe naturâ, & crimina vitanda eſſe, quia vitari metus non poſ-
ſit.

5. FLORALES IOCOS.] *Vide Valerium lib. II. cap. vltimo. Martialis, atque alij meminerunt.*

6. CONCILIATVRAS.] *Lenocinia.*

7. QVAM CVLPÆ FORTVNA.] *Id eſt, non aliter*
D *culpa diſplicuit, quàm ſi ſucceſſus euentuſque non placuit. ex voto non fuit.*

8. POTEST NOCENTI CONTINGERE.] *Reperio hæc ipſa in epiſtolâ Epicuri ad Menœcea*: Οὐκ ἔστι τὰ λάθρα τι ποιοῦντα πιστεύειν ὅτι λήσει, κἂν μυριάκις ὑπὸ τῶν παρόντος λανθάνῃ. μέχρι γὰρ κατασφῆς ἄδηλον εἰ λήσει: Non eſt vt qui clàm aliquid facit, confidat latere ſe ſemper, etiamſi millies in præſenti lateat. Vſque ad finem enim incertum eſt an latebit.

9. TVTA ESSE.] *Ipſis verbis Seneca Tragicus*: Tutum aliqua ſcelus, at nulla ſecurum tulit.

10. HOC EGO REPVGNARE SECTÆ.] *Stoicæ. Quid ita? quia Stoici peccatum ob ipſum fugi ſperníque volebant, vt virtutem amari ob ipſam. At Epicuréi præmia & pœnas in vtriſque ſpectabant. Neque prorſus damno, ait Seneca, neque pugnat nobiſcum: quia etſi in peccato malum eſt, tamen & pœnæ ſecundæ adhærent ſequuntúrque; & earum adſpectu, peccare etiam timeamus.*

11. ET HÆC ET ILLA.] *Puto melius, & illę. Nimirum, & hęc prima dicta pœna; & illę, quæ ſequuntur.*

12. VBI DICIT, NIHIL IVSTVM.] *Dicit hoc in eâdem illâ epiſtolâ ad Menœcea, ſub finem: & multis diſputat, Ius aut Iniuſtitiam, commodum & incommodum reſpicere tantùm, neque idem ſemper aut vbique eſſe. Addit, quod huc facit*: τὴν ἀδικίαν οὐ καθ' ἑαυτὴν κακὸν, ἀλλ' ἐν τῇ ὑποψίᾳ φόβῳ, εἰ μὴ λήσει ὑπὲρ τοὺς τοιούτων ἐφεστηκότας κολαστάς: Iniuſtitiam per ſe & naturâ non eſſe malum, ſed metu ſuſpicionis, ne fortaſſe non lateat talium facinorum vindices & exactores. *At contrà Stoici. Cicero* III. *de Finibus*: Minimè verò probatur huic diſciplinæ *(Stoicæ)* de quâ loquor, aut Amicitiam, aut Iuſtitiam, ob vtilitates adſciſci, aut probari. Ius autem, quod ita dici appellarique poſſit, id eſſe Naturâ, alienumque à Sapiente non modò iniuriam cuiquam facere, verumetiam nocere.

13. FLA-

sit. Hîc consentiamus, mala facinora conscientiâ [13] flagellari, & plurimum illi tormen- A
torum esse, eò quòd perpetua illam solicitudo vrget ac verberat, quòd sponsoribus secu-
ritatis suæ non potest credere. Hoc enim ipsum [14] argumentum Epicuri est, naturâ nos à
scelere abhorrere, quòd nulli non etiam inter tuta timor est. Multos fortuna liberat pœ-
nâ, metu neminem. quare? quia infixa nobis eius rei auersatio est, quam natura damna-
uit. Ideò numquam fides latendi fit etiam latentibus: quia coarguit illos conscientia,
& ipsos sibi ostendit. Proprium autem est nocentium, trepidare. Malè de nobis actum
erat, quòd multa scelera legem & iudicem effugiunt, & scripta supplicia: nisi illa natu-
ralia & grauia de præsentibus soluerent, & [15] in locum patientiæ timor cederet.

EPIST. XCVIII.

SOLIS *internis Bonis fidendum: alia venire, abire. Hoc meditandum, & omnia vt fu-*
gacia adspicienda, atque habenda. Præparandus itaque animus ad amissionem talium, & ad B
tolerandum obfirmandus. Quidni? alij tulerunt. Sequere exempla, imò ipse esto exemplum.
Planè inter bonas vtilesque Epistola.

NVMQVAM credideris felicem quemquam, ex felicitate suspensum. fragilibus innititur, qui aduentitio lætus est: exibit gaudium, quod intrauit. At illud ex se ortum, fidele, firmumque est, & crescit, & ad extremum vsque prosequitur: cetera quorum admiratio est vulgo, in diem bona sunt. Quid ergo? non vsui ac voluptati esse possunt? Quis negat? sed ita, si illa ex nobis pendent, non ex illis nos. Omnia quæ fortunam intuentur, ita fructifera ac iucunda fiunt, si quis habens illa, se quoque habet, nec in rerum suarum potestate est. Errant enim, mi Lucili, qui aut boni aliquid nobis, aut mali iudicant tribuere fortunam: materiam dat bonorum ac malorum, & initia rerum apud nos in malum bonúmve exiturarum. Valentior enim omni fortunâ animus est: in vtramque partem ipse res suas ducit, beatæque ac miseræ vitæ sibi caussa est. Malus C
omnia in malum vertit, etiam quæ specie optimi venerant: rectus atque integer, corrigit praua fortunæ, & dura atque aspera ferendi scientiâ mollit: idemque & secunda gratè excipit modesteque, & aduersa constanter atque fortiter. Qui licet prudens sit, licet exacto faciat cuncta iudicio, licet nihil supra vires suas tentet: non contingit illi bonum integrum illud, & extra minas fortunæ positum, nisi certus aduersus incerta est. Siue alios obseruare volueris (liberius enim inter aliena iudicium est) siue teipsum fauore sepositò; & senties hoc, & confiteberis, nil ex his optabilibus & caris vtile esse, nisi te contra leuitatem casus, rerumq; casum sequentium, instruxeris: nisi illud frequenter & sine querelâ, inter singula damna dixeris: *Diis aliter visum est*. Imò mehercule, vt carmen fortius ac iustius petam, quo animum tuum magis fulcias, hoc dicito, quoties aliquid aliter quàm cogitabas euenerit: *Dij melius*. Sic composito nihil accidet. sic autem componetur, si, quid humanarum rerum varietas possit, cogitauerit, antequam senserit. Si & liberos, & coniugem, atque patrimonium sic habuerit, tamquam non vtique semper ha- D
biturus: & tamquam non futurus ob hoc miserior, si habere desierit. Calamitosus est animus futuri anxius, & ante miserias miser, qui solicitus est, vt ea quibus delectatur, ad extremum vsque permaneant. Nullo enim tempore conquiescet; & expectatione futuri, præsentia, quibus frui poterat, amittet. In æquo est autem amissio rei, & timor amittendæ. Nec ideò præcipio tibi negligentiam. Quin verò metuenda declina; & quidquid consilio prospici potest, prospice: quodcumque læsurum est, multo antè quàm accidat, spe-

13. FLAGELLARI.] *Pythagoras*: Κακὰ μείζω πάσχει διὰ τὴ συνειδότος ὁ ἀδικῶν βασανιζόμενος, ἢ ὁ τῷ σώματι καὶ ταῖς πληγαῖς μαστιγόμενος: Plura mala patitur à conscientiâ, is qui iniustè fecit, cruciatus; quàm qui in corpore flagellatur & plagis afficitur.

14. ARGVMENTVM EPICVRI EST.] *Non est, quia ipsum hoc negat, vt dixi. Legam,* Epicure, *est. vt compellet eum, & refutet.*

15. IN LOCVM PATIENTIÆ.] *Vt ipsa supplicia paterentur & subirent. Deterius est, quod aly*, pœnitentiæ.

EPIST.

A ſpeculare & aduerte. In hoc ipſum tibi plurimum conferet fiducia, & ad tolerandum omnino obfirmata mens. Poteſt fortunam cauere, qui poteſt ferre: certè in tranquillo non tumultuatur. Nil eſt nec miſerius nec ſtultius, quàm prætimere. quæ iſta dementia eſt, malum ſuum antecedere? denique, vt breuiter includam quod ſentio, & iſtos ſatageos, ac ſibi moleſtos deſcribam tibi, tam intemperantes in ipſis miſeriis ſunt, quàm ante illas. Plus dolet quàm neceſſe eſt, qui antè dolet quàm neceſſe ſit. Eâdem enim infirmitate dolorem non æſtimat, quâ non exſpectat. Eâdem intemperantiâ fingit ſibi perpetuam felicitatem, fingit ſibi creſcere debere quæcumq; contigerunt, non tantùm durare: & [1] oblitus huius petauri, quo humana iactantur, ſibi vni fortuitorũ conſtantiam ſpondet. Egregiè itaque videtur mihi Metrodorus dixiſſe in eâ epiſtolâ, quâ ſororem, amiſſo optimæ indolis filio, alloquitur: [2] *Mortale eſt omne mortalium bonum.* de his loquitur bonis, ad quæ concurritur. Nam illud verum bonum non moritur: certum eſt ſempiternumque, ſapientia & virtus: hoc vnum contingit immortale mortalibus. Ceterùm tam
B improbi ſunt, tamque obliti quò eant, quò illos ſinguli dies trahant, vt mirentur aliquid ſe amittere, amiſſuri vno die omnia. Quidquid eſt, cui dominus inſcriberis, apud te eſt, tuum non eſt: nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum & inuictum eſt. Tam neceſſe eſt perire quàm perdere: & hoc ipſum, ſi intelligimus, ſolatium eſt, æquo animo perdere, quod periturum eſt. Quid ergo aduerſus has amiſſiones auxilij inueniemus? Hoc, vt memoriâ teneamus amiſſa, nec cum ipſis fructum excidere patiamur, quem ex illis percepimus. Habere, eripitur: habuiſſe, numquam. Peringratus eſt, qui cùm amiſerit, pro accepto nihil debet. Rem nobis eripit caſus, vſum fructumque apud nos relinquit: quem nos iniquitate deſiderij perdimus. Dic tibi, Ex iſtis quæ terribilia videntur, nihil eſt inuictum. Singula vicêre iam multi: ignem Mucius, [3] crucem Regulus, venenum Socrates, exſilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato: & nos vincamus aliquid. Rurſus iſta, quæ vt ſpecioſa & felicia trahunt vulgum, à multis & ſæpè contempta ſunt. Fabricius diuitias imperator reiecit, cenſor notauit: [4] Tubero paupertatem & ſe
C dignam & Capitolio iudicauit, cùm fictilibus in publicâ cænâ vſus, oſtendit debere his hominem eſſe contentum, quibus dij etiamnum vterentur. [5] Honores repulit pater Sextius, qui ita natus vt remp. deberet capeſſere, [6] latum clauum diuo Iulio dante, non recepit. Intelligebat enim, quod dari poſſet, & eripi poſſe. Nos quoque aliquid ipſi faciamus animosè: ſimus inter exempla. Quare deficimus? quare deſperamus? quidquid fieri potuit, poteſt. Nos modò purgemus animum, ſequamurque naturam, à quâ aberranti cupiendum timendumque eſt, & fortuitis ſeruiendum. Licet reuerti in viam, licet in integrum reſtitui. Reſtituamur, vt poſſimus dolores, quocumque modo corpus inuaſerint, perferre, & fortunæ dicere: *Cum viro tibi negotium eſt, quære quem vincas.* [7] His ſermonibus, & his ſimilibus, lenitur illa vis vlceris: quam opto mehercules mitigari, & aut ſanari, aut ſtare, & cum ipſo ſeneſcere. Sed ſecurus de ipſo ſum. de noſtro damno agitur, quibus ſenex egregius eripitur. Nam ipſe vitæ plenus eſt, cui adiici nihil deſi-

D EPIST. XCVIII. 1. OBLITVS HVIVS PETAVRI.] *Ad ludi genus reſpicit, tunc frequentis. Rota ſuſpendebatur, per quam motam corpora traÿciebãt ſaltu: atque ÿ Petauriſtæ dicebantur, ipſa illa Petaurum. Videntur & in Petauro ſuſpenſi fuiſſe, & in eo elati, deiecti: quò noſter maximè ſpectat. Manilius lib.* v.

Ad numeros etiam ille ciet cognata per artem
Corpora, quæ valido ſaliunt excuſſa petauro,
Alternoſque cient motus: elatus & ille
Nunc iacet, atque huius caſu ſuſpenditur ille.

Vide ibi doctiſsimũ Scaligerũ. Et ſanè artificis cuiuſdã oſcillationis hoc genus fuiſſe videtur. Petauri *autẽ, vel* peccati, *libri hîc ſcribunt: pro quo vulgò editur,* fati.

2. MORTALE EST OMNE.] *Muretus notat ex Euripide ſumptum:* Θνητῶν δ' ἐ θνητὸς ὄλβος. Mortalium mortalis eſt felicitas.

3. CRVCEM REGVLVS.] *Atqui in machinâ clauis præfixâ necatum alÿ, & ipſe noſter videtur non vno loco voluiſſe. Vide de Prouidentiâ cap.* III. *Tamen & alia ſententia in Cruce eum locat. vt Silius:*

Italiam cruce ſublimis ſpectaret ab altâ.

vt Florus: Nec vltimo illo ſiue carceris, ſiue crucis ſupplicio deformata maieſtas. *Potuit poſt illa tormenta in crucem, pro more Pœnorum, ſublatus eſſe?*

4. TVBERO PAVPERTATEM.] *Suprà, epiſt.* XCV.

5. HONORES REPVLIT PATER SEXTIVS.] *Vide epiſt.* LIX.

6. LATVM CLAVVM.] *Inſigne Senatorium, pectore demiſſum.*

7. HIS SERMONIBVS ET HIS SIMILIBVS.] *Non dubiè hîc hiatus, & fuit aliquid de ſene, qui lugebat, & ſolatÿ egebat. An non eſt ipſe Marullus, de quo epiſtolâ ſequenti? Fortaſſe. & credam vel integram hîc epiſtolam perÿſſe.*

8. IN

desiderat suâ caussâ,sed eorum quibus vtilis est. Liberaliter facit,quod viuit. Alius iam A
hos cruciatus finisset: hic tam turpe putat mortem fugere, quàm ad mortem confugere. Quid ergo? non si suadebit res, exibit? Quid ni exeat? si nemo iam eo vti poterit? si nihil aliud, quàm dolori operam dabit? Hoc est, mi Lucili, philosophiam [8] in opere discere, & ad verum exerceri: videre quid homo prudens animi habeat contra mortem, contra dolorem: cùm illa accedat, hic premat. Quid faciendum sit, à faciente discendum est. Adhuc argumentis actum est, an possit aliquis dolori resistere, an mors magnos quoque animos admota submittere: quid opus est verbis? in rem præsentem eamus: nec mors illum contra dolorem facit fortiorem, nec dolor contra mortem. Contra vtrumq; sibi fidit: nec spe mortis patienter dolet, nec tædio doloris libenter moritur. hunc fert, illam exspectat.

EPIST. XCIX.

CONSOLATORIA *in morte filij, sapiens, ita me Deus, & diserta.*

B

EPISTOLAM, quam scripsi Marullo, cùm filium paruulum amisisset, & diceretur molliter ferre, misi tibi. In quâ non sum morem solitum secutus, nec putaui leniter illum debere tractari, cùm obiurgatione esset quàm consolatione dignior. Afflicto enim, & magnum vulnus malè ferenti, paullisper cedendum est: exsatiet se, aut certè primum impetum effundat. Hi qui sibi lugere sumpserunt, protinus castigentur, & discant quasdam etiam lacrymarum ineptias esse. [1] Solatia exspectas? conuicia accipe. tam molliter tu fers mortem filij? quid faceres, si amicum perdidisses? Decessit filius incertæ spei, paruulus: pusillum temporis periit. Caussas doloris conquirimus, & de fortunâ etiam iniquè queri volumus: quasi non sit iustas querendi caussas præbitura. At mehercule satis mihi iam videbaris animi habere, etiam aduersus solida mala, nedum ad istas vmbras malorum, quibus ingemiscunt homines moris caussâ. Quod damnorum omnium maximum est, si amicum perdidisses, danda opera erat, vt magis gauderes quòd habueras, quàm mæreres quòd amiseras. Sed plerique non computant, quanta C
perceperint, quantúmve gauisi sint. Hoc habet inter reliqua mala dolor, quòd non superuacuus tantùm, sed ingratus est. Ergo quod habuisti talem amicum, periit opera? tot annis, tantâ coniunctione vitæ, tam familiari studiorum societate, nihil actum est? Cum amico [2] effers amicitiam: & quid doles amisisse, si habuisse non prodest? Mihi crede, magna pars ex illis quos amauimus, licet ipsos casus abstulerit, apud nos manet. Nostrũ est quod præteriit tempus: nec quidquam est loco tutiore, quàm quod fuit. Ingrati aduersus percepta, spe futuri, sumus: quasi non quod futurum est, si modò successerit nobis, citò in præterita transiturum sit. Angustè fructus rerum determinat, qui tantùm præsentibus lætus est. & futura & præterita delectant: hæc exspectatione, illa memoriâ. sed alterum pendet, & non fieri potest: alterum non potest non fuisse. Quis ergo furor est, certissimo excidere? Acquiescamus his quæ iam hausimus: si modò non perforato animo hauriebamus, & transmittente quidquid acceperat. Innumerabilia sunt exempla eorum, qui liberos iuuenes sine lacrymis extulerint: qui in senatum, aut in aliquod publicum officium à rogo redierint, & statim aliud egerint: nec immeritò. Nam primùm, D
superuacuum est dolere, si nihil dolendo proficias: deinde iniquum est queri de eo, quod vni accidit, & omnibus restat. Deinde, desiderij stulta conquestio est, vbi minimum interest inter amissum, & desiderantem. Eo itaque æquiore animo esse debemus, quòd quos amisimus, sequimur. Respice celeritatem rapidissimi temporis: cogita breuitatem huius spatij, per quod citatissimi currimus: obserua hunc comitatum generis humani, eódem tendentis, minimis interuallis distinctum, etiam vbi maxima videntur:

quem

8. IN OPERE DISCERE.] *In re & facto discere, & experiri lecta vel audita. Quidam tamen libri*, in opus ducere: *item benè.*

EPIST. XCIX. 1. SOLATIA EXSPECTAS.] *Hîc ego incipere ipsam Epistolam ad Marullum* (*vel vt alij libri*, Marillum) *opinor, & totam deinceps ad finem poni.*

2. EFFERS AMICITIAM.] *Tamquam vnà mortuam.*

3. IN

A quem putas periisse, præmissus est. Quid autem dementius, quàm cùm idem tibi iter emetiendum sit, flere eum qui anteceſſit? Flet aliquis factum, quod non ignorauit futurum? aut si mortem in homine non cogitauit, sibi imposuit. Flet aliquis factum, quod aiebat non posse non fieri? quisquis aliquem queritur mortuum esse, queritur hominem fuisse. Omnes eadem conditio deuinxit: cui nasci contingit, mori restat. Interuallis distinguimur, exitu æquamur. Hoc quod inter primum diem & vltimum iacet, varium, & incertum est. si molestias æstimas, etiam puero longum: si velocitatem, etiam seni angustum. Nil non lubricum & fallax, & omni tempestate mobilius. Iactantur cuncta, & in contrarium transeunt, iubente fortunâ: & in tantâ volutatione rerum humanarum, nil cuiquam, nisi mors, certum. Tamen de eo queruntur omnes, in quo vno nemo decipitur. Sed puer decessit. Nondum dico meliùs agi cum eo qui vitâ defungitur: ad eum transeamus qui consenuit: quantulo vincit infantem? Propone profundi temporis vastitatem, & vniuersum complectere: deinde hoc quod ætatem vocamus humanam,
B compara immenso: videbis quàm exiguum sit, quod optamus, quod extendimus. Ex hoc quantum lacrimæ, quantum sollicitudines occupant, quantum mors, antequam veniat, optata: quantum valetudo, quantum timor, quantum teneri aut rudes aut inutiles anni? dimidium ex hoc edormitur. Adiice labores, luctus, pericula: & intelliges etiam in longissimâ vitâ, minimum esse quod viuitur. Sed quis tibi concedat, non meliùs se habere eum cui citò reuerti licet, cui ante lassitudinem peractum est iter? Vita, nec bonum nec malum est: boni ac mali locus est. Ita nihil perdidit ille, nisi aleam in damnum certiorem. Potuit euadere modestus ac prudens, potuit sub curâ tuâ in meliora formari: sed (quod iustiùs timetur) potuit fieri pluribus similis. Adspice illos iuuenes, quos ex nobilissimis domibus [3] in arenam luxuria proiecit: adspice illos, qui suam alienamque libidinem exercent, mutuò impudici; quorum nullus sine ebrietate, nullus sine aliquo insigni flagitio dies exit: plus timeri quàm sperari potuisse manifestum erit. Non debes itaque caussas doloris accersere, nec leuia incommoda indignando cumulare. Non hor-
C tor, vt nitaris & vrgeas: non tam malè de te iudico, vt tibi aduersus hæc totam putem virtutem aduocandam. Non est dolor iste, sed morsus: tu illum dolorem facis. Sine dubio multum philosophia profecit, si puerum, nutrici adhuc quàm patri notiorem, animo forti desideras. Quid? nunc ego duritiam suadeo, & in funere ipso erigere vultum volo, & animum ne contrahi quidem patior? Minimè. inhumanitas est ista, non virtus, funera suorum iisdem oculis, quibus ipsos videre, nec commoueri ad primam familiarium diuisionem. Puta autem me vetare: quædam [4] non sunt sui iuris. Excidunt etiam retinentibus lacrimæ, & [5] animum profusæ leuant. Quid ergo est? permittamus illis cadere, non imperemus. Fluant quantum affectus eiecerit, non quantum poscet imitatio. Nihil verò mærori adiiciamus, nec illum ad alienum augeamus exemplum. Plus ostentatio doloris exigit, quàm dolor: [6] quotusquisque sibi tristis est? [7] Clariùs, cùm audiuntur, gemunt: & taciti quietique, dum secretum est; cùm aliquos viderint, in fletus nouos excitantur. Tum [8] capiti suo manus ingerunt, quod potuerant facere, nullo prohibente, liberiùs: tunc mortem comprecantur sibi, tunc lectulo deuoluuntur. Sine
D spectatore cessat dolor. Sequitur nos, vt in aliis rebus, ita in hac quoque hoc vitium, ad plurium exempla componi; nec quid oporteat, sed quid soleat, adspicere. A naturâ discedimus: populo nos damus, nullius rei bono auctori, & in hac re, sicut in omnibus, inconstantissimo. Videt aliquem fortem in luctu suo? impium vocat, & efferatum. Videt ali-

3. IN ARENAM LVXVRIA.] *De quibus epist.* LXXXVII. *& alibi dictum. qui se locant ad gladium aut cultrum.*

4. NON SVNT SVI IVRIS.] *Non sunt libera, imperio alieno aguntur. quo? naturæ.*

5. ANIMVM PROFVSÆ LEVANT.] *Apud Senecam patrem lib.* X. *Controu.* 1. Plerumque omnis dolor per lacrimas effluit.

6. QVOTVSQVISQVE SIBI TRISTIS EST?] *Ita in epist.* LXIII. Nemo sibi tristis est. *Vide.*

7. CLARIVS, CVM AVDIVNTVR, GEMVNT.] *Martialis:*

Amissum non flet, cùm sola est Gellia, patrem:
Siquis adest, iussæ prosiliunt lacrimæ.

8. CAPITI SVO MANVS.] *Siue vt crines vellant, siue vt frontem feriant.*

aliquem collabentem,& corpori affusum? effæminatum ait,& eneruem. Omnia itaque A
ad rationem reuocanda sunt. Stultius verò nihil est, quàm famam captare tristitiæ, &
lacrimas approbare: quas iudico sapienti viro alias permissas cadere, alias vi suâ latas.
Dicam quid interfit. Cùm primùm nos nuncius acerbi funeris perculit, cùm tenemus
corpus è complexu nostro in ignem transiturum, lacrimas naturalis necessitas exprimit:
& spiritus ictu doloris impulsus, quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos, qui-
bus adiacentem humorem perpremit & expellit. Hæ lacrimæ per elisionem cadunt,no-
lentibus nobis. Aliæ sunt,quibus exitum damus, cùm memoria eorum quos amisimus,
retractatur: & inest quiddam dulce tristitiæ: cùm occurrunt sermones eorum iucundi,
conuersatio hilaris, officiosa pietas, tunc oculi velut in gaudio relaxantur. His indulge-
mus,illis vincimur. Non est itaque, quòd lacrimas propter circumstantes assidentesque
aut contineas, aut exprimas: nec cessant, nec fluunt vnquam tam turpiter, quàm fin-
guntur. Eant suâ sponte: ire autem possunt placidis atque compositis. Sæpè saluâ sapien-
tis auctoritate fluxerunt, tanto temperamento, vt illis nec humanitas, nec dignitas deef- B
set. Licet,inquam,naturæ obsequi,grauitate seruatâ. Vidi ego in funere suorum veren-
dos,in quorum ore amor eminebat,remotâ omni lugentium scænâ. Nihil erat,nisi quod
veris dabatur affectibus. Est aliquis & dolendi decor. hic sapienti seruandus est: &
quemadmodum in ceteris rebus, ita & in lacrimis aliquid sat est. Imprudentium vt gau-
dia, sic dolores exundauêre. Æquo animo excipe necessaria. Quid incredibile, quid no-
uum euenit? quàm multis cummaximè [9] funus locatur? [10] quàm multis vitalia eruun-
tur? quàm multi post luctum tuum lugent? Quoties cogitaueris puerum fuisse,cogita
& hominem, cui nihil certi promittatur, quem fortuna non vtique perducit ad senectu-
tem: vnde visum est, dimitit. Ceterùm de illo frequenter loquere, & [11] memoriam
eius quantum potes,celebra: quæ ad te sæpiùs reuertetur, si erit sine acerbitate ventura.
Nemo enim libenter tristi conuersatur, nedum tristitiæ. Si quos sermones eius, si quos
quamuis paruuli iocos cum voluptate audieras, sæpiùs repete: potuisse illum implere
spes tuas,quas paternâ mente conceperas, audacter affirma. Obliuisci quidem suorum, C
ac memoriam cum corporibus efferre, & effusissimè flere, meminisse parcissimè, inhu-
mani animi est. Sic aues, sic feræ fetus suos diligunt: [12] quarum concitatus est amor, &
pænè rabidus, sed cum amissis totus exstinguitur. Hoc prudentem virum non decet:
[13] meminisse perseueret, lugere desinat. Illud nullo modo probo, quod ait Metrodorus,
[14] esse aliquam cognatam tristitiæ voluptatem: hanc ipsam captandam in eiusmodi tem-
pore. Ipsa Metrodori [15] verba subscripsi: de quibus non dubito,quid sis sensurus. Quid
enim turpius,quàm captare in ipso luctu voluptatem, imò per luctum: & inter lacrimas
quoque,

9. FVNVS LOCATVR?] *Efferendum nempe, & vrendum à Libitinarijs.*

10. QVAM MVLTIS VITALIA ERVVNTVR?] *Si in Aegypto, aut alibi hæc scriberet, vbi condiri mos corpora, & intestina erui, probarem: in Romanis moribus, quî possum? Nam illi comburebant, & quidem totos, nec de partibus erutis legi, aut certè non obseruauit. Si alius, ne mutemus. Etsi libri tamen mutant, qui*, vitalia emittunt; *aut*, emuntur, *vt in meo. Equidem legerim*: quàm multi vitam alij amittunt? *aut verò*, quàm multi vitâ alij emittuntur? *Sed quod magis etiam placeat, quibusdam libris abest repetitio, scribuntq;*: Quàm multi, cùm maximè funus locatur, in talia emittunt? *placeat, inquam, si pariter rescribas*, vitam alij amittunt. *Ecce, inquit, dum de funere curatur, funus superuenit, aut funera.*

11. MEMORIAM EIVS.] *Plutarchus Consol. ad Apollonium*: Ὠφέλεια δὲ τοῖς ἀφῃρημένοις, ἡ διὰ τῆς ἀγαθῆς μνήμης τιμή. οὐδεὶς γὰρ ἀγαθὸς ἄξιος θρήνων, ἀλλ' ὕμνων καὶ ἐπαίνων, οὐδὲ πένθους, ἀλλ' μνήμης εὐκλεοῦς: Commodum aliquod est defunctis, si piâ memoriâ eos colamus. Nemo enim bonus gemitu dignus est,sed hymnis & laudibus; neque luctu, sed recordatione laudabili.

12. QVARVM CONCITATVS EST.] *Scripti nescio quid velint*: quarum contraria (*alij*, contrarius) D
ac concitatus.

13. MEMINISSE PERSEVERET.] *Tacitus simile*: Fœminis lugere honestum est, viris meminisse.

14. ESSE ALIQVAM COGNATAM.] *Ita Ouidius*:

Fleque meos casus, est quædam, flere, voluptas.

Statius:

— tunc flere, & scindere vestes,
Fataque, & iniustos rabidis pulsare querelis
Cælicolas, solamen erat.

Vide Aristotelem 1. *Rhetor. cap.* XI.

15. VERBA SVBSCRIPSI.] *Exstant in meo alijsq; Græca quædam, sed sic depraua tè scripta, vt nihil mihi quidem sit eruere.*

16. OB

A quoque,quod iuuet,quærere? Hi ſunt qui nobis obiiciunt nimium rigorem,& infamant præcepta noſtra duritiâ,quòd dicamus dolorem in animum aut admittendum non eſſe, aut citò expellendum. Vtrum tandem eſt aut incredibilius,aut inhumanius, non ſentire amiſſo amico dolorem, an voluptatem in ipſo dolore aucupari? Nos quod præcipimus honeſtum eſt. cùm aliquid lacrimarum affectus effuderit, &,vt ita dicam,deſpumauerit, non eſſe tradendum animum dolori. Quid tu dicis? miſcendam ipſi dolori voluptatem? Sic conſolamur cruſtulo pueros, ſic infantium fletum infuſo lacte compeſcimus. Ne illo quidem tempore quo filius ardet,aut amicus exſpirat,ceſſare pateris voluptatem, ſed ipſum vis titillare mærorem. Vtrùm honeſtiùs dolor ab animo ſubmouetur, an voluptas ad dolorem quoque admittitur? admittitur, dico? captatur, & quidem ex ipſo. Eſt aliqua,inquit, voluptas cognata triſtitiæ. Illud nobis licet dicere: vobis quidem non licet. Vnum bonum noſtis voluptatem, vnum malum dolorem. Quæ poteſt inter bonum,& malum,eſſe cognatio? Sed puta eſſe. nunc potiſſimùm eruitur: & ipſum dolo-
B rem ſcrutamur an aliquid habeat iucundum circa ſe,& voluptarium? Quædam remedia aliis partibus corporis ſalutaria, velut fœda & indecora, adhiberi aliis nequeunt: & quod alibi prodeſſet ſine damno verecundiæ, id fit inhoneſtum loco vulneris. Non te pudet luctum voluptate ſanare? ſeueriùs iſta plaga curanda eſt. illud potiùs admone, nullum mali ſenſum, ad eum qui perit, peruenire: nam ſi peruenit, non periit. Nulla, inquam, eum res lædit,qui nullus eſt: viuit,ſi læditur. Vtrùm putas illi mala eſſe, quòd nullus eſt,an quòd eſt adhuc aliquis? Atqui nec ex eo poteſt ei tormentum eſſe, quod non eſt: quis enim nullius ſenſus eſt? nec ex eo, quod eſt: effugit enim maximum mortis incommodum, non eſſe. Illud quoque dicamus ei, qui deflet, ac deſiderat in ætate primâ raptum: Omnes quantum ad breuitatem æui, ſi vniuerſo compares, & iuuenes & ſenes in æquo ſumus. Minus enim ad nos ex omni ætate venit,quàm quod minimum eſſe quis dixerit. quoniam quidem minimum aliqua pars eſt,hoc quòd viuimus,proximum nihilo eſt: & tamen [16] ob dementiam noſtram latè diſponitur. Hæc tibi ſcripſi,
C non tamquam exſpectaturus eſſes remedium à me tam ſerum: liquet enim mihi te locutum tecum, quidquid lecturus es: ſed vt caſtigarem illam exiguam moram, quâ à te receſſiſti: & in reliquum exhortarer, contra fortunam tolleres animos, & omnia eius tela non tamquam poſſent venire, ſed tamquam vtique eſſent ventura, proſpiceres.

EPIST. C.

De *Papirio Fabiano philoſopho iudicium, eiuſque ſcriptis.*

[1] FABIANI Papirij libros, [2] qui inſcribuntur *Ciuilium*, legiſſe te cupidiſſimè ſcribis: ſed non reſpondiſſe expectationi tuæ. deinde, oblitus de philoſopho agi, compoſitionem eius accuſas. Puta eſſe quod dicis: & effundi verba,non fingi. Primùm,
D habet iſta res ſuam gratiam: & eſt decor proprius orationis leniter lapſæ. Multum enim intereſſe exiſtimo, vtrùm exciderit,an fluxerit. Nunc in hoc quoque,quod dicturus ſum, ingens differentia eſt. Fabianus mihi [3] non effundere videtur orationem, ſed fundere: adeò larga eſt, & ſine perturbatione, non ſine curſu tamen, veniens. Illud planè fatetur & præ-

16. OB DEMENTIAM NOSTRAM.] *Gruterus acutè & verè*, ô dementiam.

EPIST. C. 1. FABIANI PAPIRII.] *De quo epiſt.* XI. LII. *&* LVIII. *& Seneca pater totum virum deſcribit,& genus eloquij, de quo hîc cenſura: imò requirit in eo,quæ filius excuſat & tuetur. Videſis lib.* II. *Controu. in Præfatione.*

2. QVI INSCRIBVNTVR CIVILIVM.] *Id eſſet*, Politicorum: *dignum hercules Philoſopho argumentum. At libri quidam*, artium ciuilium *habent; alij*, artium & vilium; *quidam*, artium iulium; *denique*, archinilium. *Vt ſuſpicio ſit remotioris & Græcanicæ vocis. An ſi fortè, αἰτιῶν φυσικῶν? ſcripſit certè,& citatur eo titulo à Chariſio*, Cauſſarum naturalium.

3. NON EFFVNDERE.] *Cum impetu videlicet, & turbidè; ſed fundere leniter, & cum ordine.*

& præfert, non esse se tractatam, nec diu tortam. Sed [4] ita, vt vis, esse credamus: mores A
ille, non verba composuit; & animis scripsit ista, non auribus. Præterea, ipso dicente non vacasset tibi partes intueri: adeò te summa rapuisset: & ferè quæ impetu placent, minùs præstant [5] ad manum relata. Sed illud quoque multum est, primo adspectu oculos occupasse: etiamsi contemplatio diligens inuentura est, quod arguat. Si me interrogas, maior ille est [6] qui iudicium abstulit, [7] quàm qui meruit. Et scio hunc tutiorem esse: scio audaciùs sibi [8] de futuro promittere. Oratio solicita philosophum non decet. Vbi tandem erit fortis & constans, vbi periculum sui faciet, qui timet verba? Fabianus non erat negligens in oratione, sed securus: itaque nihil inuenies sordidum. Electa verba sunt, non captata: nec huius sæculi more contra naturam suam posita & inuersa; splendida tamen, quamuis sumantur è medio: sensus honestos & magnificos habent, non coactos in sententiam, [9] sed altiùs ductos. Videbimus, quid parùm reciſum sit, [10] quid parùm structum, quid non huius recentis polituræ: cùm circumspexeris omnia, nullas videbis angustias inanes. Desit sanè varietas marmorum, & [11] conciſu- B
ra aquarum cubiculis interfluentium, [12] & pauperis cella, & quidquid aliud luxuria, non contenta decore simplici, miscet: quod dici solet, [13] *domus recta est*. Adiice nunc, quod de compositione non constat. Quidam illam volunt esse ex horrido comptam: quidam vsque eò asperâ gaudent, vt etiam quæ molliùs casus explicuit, ex industriâ dissipent, & clausulas abrumpant, ne ad exspectatum respondeant. Lege Ciceronem. compositio eius vna est: [14] pedem seruat, curata, lenta, & sine infamiâ mollis. At contrà, Pollionis Asinij salebrosa & exsiliens, & vbi minimè exspectes, relictura. Denique apud Ciceronem omnia desinunt: apud Pollionem cadunt: exceptis pauciſſimis, quæ ad certum modum, & ad vnum exemplar, adstricta sunt. Humilia præterea tibi videri dicis omnia, & parùm erecta: quo vitio carere eum iudico. Non sunt humilia illa, sed placida. [15] sunt enim tenore quieto compositoque formata, nec depressa, sed plana. Deest illis oratorius vigor, stimulique quos quæris, & subiti ictus sententiarum: sed totum corpus videris; quamuis sit incomptum, honestum est. Non habet oratio eius, C
[16] sed debet dignitatem. Affer quem Fabiano possis præponere. Dic Ciceronem, cuius libri

4. ITA VT VIS.] *Benè è libris aliquot asseruit Gruterus. Sententia. Age, esto vti dicis, parùm compositus aut constructus: nempe philosophum, non oratorem, agit.*

5. AD MANVM RELATA.] *Quæ audita placent, & statim: non æquè in manum sumpta, & relecta: cùm iudicium morâ se collegit, & certiùs appendit ac librat.*

6. QVI IVDICIVM ABSTVLIT.] *In dicendo rapuit, & velut inuitum traxit.*

7. QVAM QVI MERVIT.] *Accuratâ dictione, aut scriptione. Plus illîc ingenij, & ignis; hîc curæ, & intentionis.*

8. DE FVTVRO PROMITTERE.] *Viuere posse, & ætatem ferre.*

9. SED ALTIVS DVCTOS.] *Meus & quidam,* sed tutiùs. *Alij,* latiùs. *quod probem, & opponitur breuibus sensibus, & coactis.*

10. QVID PARVM STRVCTVM.] *Compositum: vt suprà. At Pincianus mallet,* strictum: *non ego.*

11. CONCISVRA AQVARVM.] *Refero ad aquas, & minutos Euripos, in cænationibus olim, & præsertim æstiuis. De quibus Seneca, De Tranquill. cap.* 1. Quid perlucentes ad imum aquas, & circumfluentes ipsa conuiuia loquar? *Idem Quæst. Nat.* III. *cap.* XVII. *inter* opera luxuriæ *narrat*: In cubili natant pisces, & sub ipsâ mensâ capitur, qui statim transferatur in mensam.

12. ET PAVPERIS CELLA.] *Benè habet. neque aliud est, quàm diuites istos habuisse distinctam etiam Cænationem, aut Cubiculum, quod* Pauperis cellam *dicerent: vbi certis diebus velut tenuem & pauperem victum imitarentur. Vide epist.* XVIII.

13. DOMVS RECTA EST.] *Sine vitio est, etsi minùs ornata aut instructa.*

14. PEDEM SERVAT, CVRATA.] *Meo & aliquot scriptis abest vox,* seruat: *scribúntque* vna est, pedem curuat, lenta. *Legi possit,* pedem D
curat.

15. SVNT ENIM TENORE QVIETO.] *Valdè amplectar, quod in quibusdam:* sed placida, & ad animi tenorem quietum compositumque formata. *Est ipsum, quod pater de illo:* Iam videlicet compositus & pacatus animus, cùm veros compressisset affectus, parùm benè imitari poterat, quæ effugerat. *Oratio igitur lenis & placida, vt ipse animus.*

16. SED DEBET DIGNITATEM.] *Priores duas voces malè ejecerat Muretus, libris omnibus assertas. Ego mutem leuiter,* sed dabit. *Argutè hoc ait: Oratio eius, esto, dignitatem non habet, sed eam dabit. id est, tota honesti & virtutis plena, ista animo inseret, & faciet te magnum & honestum.*

17. QVOS

A libri ad philoſophiam pertinentes, pænè totidem ſunt, quot Fabiani. Cedam. ſed non ſtatim puſillum eſt, ſi quid maximo minus eſt. Dic Aſinium Pollionem. Cedam. & reſpondeamus: In re tantâ eminere eſt, & poſt duos eſſe. Nomina adhuc Liuium. Scripſit enim & dialogos, [17] quos non magis philoſophiæ annumerare poſſis, quàm hiſtoriæ: & ex profeſſo philoſophiam continentes libros. Huic quoque dabo locum: vide tamen, quàm multos antecedat, qui à tribus vincitur, & tribus eloquentiſſimis. Sed non præſtat omnia. non eſt fortis oratio eius, quamuis elata ſit: non eſt violenta, nec torrens, quamuis effuſa ſit: [18] non eſt perſpicua, ſed pura. Deſideres, inquies, contra vitia aliquid aſperè dici, contra pericula animosè, contra fortunam ſuperbè, contra ambitionem contumeliosè. Volo luxuriam obiurgari, libidinem traduci, impotentiam frangi: ſit aliquid oratoriè acre, tragicè grande, comicè exile. Vis illum aſſidere puſillæ rei, verbis? Ille rerum ſe magnitudini addixit: eloquentiam, velut vmbram, non hoc agens, trahit. Non erunt ſine dubio ſingula circumſpecta, nec in ſe collecta, nec omne verbum excitabit ac
B pugnet: fateor: [19] exibunt multa, nec ferient, & interdum otioſa præterlabetur oratio: ſed multum erit [20] in omnibus locis, & ingens ſine tædio ſpatium. Denique illud præſtabit, vt liqueat tibi, illum ſenſiſſe, quæ ſcripſit. Intelliges actum hoc, vt tu ſcires quid illi placeret; non vt ille placeret tibi. Ad profectum omnia tendunt, & ad bonam mentem: non quæritur plauſus. Talia eſſe ſcripta eius non dubito, etiam ſi magis reminiſcor quàm teneo: hæretque mihi color eorum, non ex recenti conuerſatione familiariter, ſed ſummatim, vt ſolet ex vetere notitiâ. Cùm audirem certè illum, talia mihi videbantur: non ſolida, ſed plena, quæ adoleſcentem indolis bonæ attollerent, & ad imitationem ſui vocarent, ſine deſperatione vincendi. quæ mihi adhortatio videtur efficaciſſima. Deterret enim, qui imitandi cupiditatem modò fecit, ſpem abſtulit. Ceterùm verbis abundabat, ſine commendatione partium ſingularum, in vniuerſum magnificus.

C

EPIST. CI.

De ſubitâ morte cuiuſdam noti: & ex occaſione, nihil fidendum aut ſpondendum nobis. Omnia incerta, ideoque vita bona non differenda. longa autem non optanda: & exagitat Mecænatis turpiſſimum votum.

Omnis dies, omnis hora, quàm nihil ſimus oſtendit, & aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos, cùm æterna meditantes reſpicere cogit ad mortem. Quid ſibi iſtud principium velit, quæris? Senecionem Cornelium, equitem Romanum ſplendidum & officioſum, noueras: ex tenui principio ſe ipſe promouerat, & iam illi decliuis erat curſus ad cetera. Faciliùs enim creſcit dignitas, quàm incipit. [1] Pecunia quoque circa paupertatem plurimam moram habet, dum ex illâ ereptat. Hic etiam Senecio diuitiis imminebat, ad quas illum duæ res ducebant efficaciſſimæ, & quærendi, & cuſtodiendi ſcientia: quarum vel altera locupletem facere potuiſſet. Hic homo ſummæ
D frugalitatis, non minùs patrimonij quàm corporis diligens, cùm me ex conſuetudine manè vidiſſet, cùm per totum diem amico grauiter affecto, & ſine ſpe iacenti, vſque in noctem aſſediſſet, cùm hilaris cænaſſet, genere valetudinis præcipiti abreptus, anginâ, vix

17. Qvos non magis philosophiæ.] *Etſi enim Philoſophiam tractant & promittunt; non tamen à veteri ſtudio Liuius abit, & Hiſtorias atque exempla crebra miſcet.*

18. Non est perspicva.] *Nam & pater Seneca obſcuritatem eum ab Arellio Fuſco tenuiſſe iudicat.*

19. Exibvnt mvlta.] *A gladiatoribus, quorum manus* Exire *dicuntur, cùm parant ferire.*

20. In omnibvs locis.] *Pinciano aſſentior legenti*, lucis. *Atqui de obſcuritate diximus. Ita: ſed ſplendorem hîc rerum accipimus, & dignitatem.*

EPIST. CI. 1. Pecvnia qvoqve circa.] *Idem de Lampide quodam Plutarchus, An ſeni ſit gerenda reſpublica:* qui interrogatus, Quomodo tantas opes ſibi paraſſet? reſpondit, Paruas quidem magno, magnas paruo labore. *Muretus ſuggeſſit.*

vix compreſſum arctatis faucibus ſpiritum traxit in lucem. Intra pauciſſimas ergo ho- A
ras, poſtquam omnibus erat ſani ac valentis officiis functus, deceſſit. Ille qui & mari &
terrâ pecuniam agitabat, qui [2] ad publica quoque, nullum relinquens inexpertum ge-
nus quæſtus, acceſſerat; in ipſo actu benè cedentium rerum, in ipſo procurrentis pe-
cuniæ impetu, raptus eſt.

Inſere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites.

Quàm ſtultum eſt ætatem diſponere? ne craſtino quidem dominamur. O quanta de-
mentia eſt, ſpes longas inchoantium! Emam, ædificabo, credam, exigam, honores ge-
ram, tum demum laſſam, & plenam ſenectutem in otium referam. Omnia, mihi crede,
etiam felicibus dubia ſunt. Nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere: id quoque
quod tenetur, per manus exit, & ipſam [3] quam premimus horam, caſus incidit. Volui-
tur tempus, ratâ quidem lege, ſed per obſcurum: quid autem ad me, an naturæ certum
ſit, quod mihi incertum eſt? Nauigationes longas, & pererratis littoribus alienis, ſeros in
patriam reditus proponimus; militiam, & caſtrenſium laborum [4] tarda manupretia; B
procurationes, officiorumque per officia proceſſus: cùm interim ad latus mors eſt. quæ
quoniam numquam cogitatur, niſi aliena, nobis ſubinde ingeruntur mortalitatis ex-
empla, non diutiùs, quàm dum miramur, hæſura. Quid autem eſt ſtultius, quàm mira-
ri id vllo die factum, quod omni poteſt fieri? Stat quidem terminus nobis, vbi illum in-
exorabilis fatorum neceſſitas fixit: ſed nemo ſcit noſtrûm, quàm propè verſetur. Sic ita-
que formemus animum, tamquam ad extrema ventum ſit, nihil differamus, quotidie
[5] cum vitâ paria faciamus. Maximum vitæ vitium eſt, quòd imperfecta ſemper eſt,
[6] quòd etiam aliquid ex illâ differtur: qui quotidie vitæ ſuæ ſummâ manum impoſuit,
non indiget tempore. Ex hac autem indigentiâ timor naſcitur, & cupiditas futuri exe-
dens animum. [7] Nihil eſt miſerius dubitatione venientium, quorſum euadant. Quan-
tum ſit illud quod reſtat, aut quale, [8] collecta mens inexplicabili formidine agitatur.
Quomodo effugiemus hanc volutationem? vno, ſi vita noſtra non prominebit, ſi in ſe
colligetur. Ille enim ex futuro ſuſpenditur, cui irritum eſt præſens. Vbi verò quidquid C
mihi debui, redditum eſt, vbi ſtabilita mens ſcit, nihil intereſſe inter diem & ſæculum:
quidquid deinceps dierum rerumque venturum eſt, ex alto proſpicit, & cum multo riſu
ſeriem temporum cogitat. Quid enim varietas mobilitaſque caſuum perturbabit, ſi
certus ſit aduerſus incerta? Ideò, mi Lucili, propera viuere: & ſingulos dies, ſingulas vi-
tas puta. Qui hoc modo ſe aptabit, cui vita ſua quotidie fuit tota, ſecurus eſt. In ſpe vi-
uentibus, proximum quodque tempus elabitur: ſubitque auiditas, & miſerrimum atque
miſerrima omnia efficiens, metus mortis. Inde illud [9] Mecænatis turpiſſimum votum:
quo & debilitatem non recuſat, & deformitatem, & nouiſſimè acutam crucem, dum-
modò inter hæc mala ſpiritus prorogetur.

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxâ:

Tuber

2. AD PVBLICA QVOQVE.] *Ad vectigalium redempturas, odioſas.*

3. QVAM PREMIMVS HORAM.] *Clarum eſt. & nec hora hæc certa, & caſus poteſt abrumpere. At Mureto viſum*, oram *legere, & funem nauticum interpretari. Libri ſunt à nobis.*

4. TARDA MANVPRETIA.] *Nam promotiones caſtrenſes gradatim fiebant: nec magna, niſi in extremis, præmia.*

Vt locupletem aquilam tibi ſexageſimus annus
Adferat.

5. CVM VITA PARIA FACIAMVS.] *Tamquam nihil ſit reliqui. non illa nobis, non nos illi obligemur. Abi, abeo.*

6. QVOD ETIAM ALIQVID.] *Veteres*, quod in aliquid. *ex quo Pincianus*, quod in aliud ex alio. D
At meus liber, in margine: quod meum aliquid: *optimè. Fruar totâ, manum injiciam, nihil incerto tempori reſeruem.*

7. NIHIL EST MISERIVS.] *Meus vocem præmittit*, cùm nihil: *legam*, quoniam nihil.

8. COLLECTA MENS.] *Aſſentior Pinciano:* Non collecta. *Niſi magis placet leuiter reſcriptum, diſtinctumq.*, Quantum ſit illud, & quale, collectu, mens inex. *Collectu ſiue collectione, quid illud & quale, mens turbatur.*

9. MECÆNATIS TVRPISSIMVM VOTVM.] *Imò & Homericum illud ſimile, in Odyſſéâ:*

Βελοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
Ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν:

Malim

A *Tuber adſtrue gibberum,*
Lubricos quate dentes.
Vita dum ſupereſt, benè eſt.
Hanc mihi, vel acutâ
[10] *Si ſedeam cruce, ſuſtinè.*

Quod miſerrimum erat, ſi incidiſſet, optatur: & tamquam vita petitur, [11] ſupplicij mora. Contemptiſſimum putarem, ſi viuere vellet vſque ad crucem. Tu verò, inquit, me debilites licet, dum ſpiritus in corpore fracto & inutili maneat: depraues licet, dum monſtroſo [12] & diſtorto temporis aliquid accedat: ſuffigas licet, & acutam ſeſſuro crucem ſubdas: eſt tanti, vulnus ſuum premere, & patibulo pendêre deſtrictum, dum differat id quod eſt in malis optimum, ſupplicij finem. Eſt tanti, [13] habere animam, vt agam. Quid huic optes, [14] niſi deos faciles? quid ſibi vult iſta carminis effæminati turpitudo? quid timoris dementiſſimi pactio? quid tam fœda vitæ mendicatio? Huic pu-
B tas vmquam recitaſſe Virgilium,

Vſque adeóne mori miſerum eſt?

Optat vltima malorum: & quæ pati grauiſſimum eſt, extendi ac ſuſtineri cupit. quâ mercede? ſcilicet vitæ longioris. Quid autem huius viuere eſt? diu mori. Inuenitur aliquis, qui malit inter ſupplicia tabeſcere, & perire membratim, & toties per ſtillicidia amittere animam, quàm ſemel exhalare? Inuenitur qui velit adactus ad illud [15] infe-
F lix lignum, iam debilis, iam prauus, & in fœdum ſcapularum ac pectoris tuber eliſus, cui multæ moriendi cauſſæ etiam citra crucem fuerant, trahere animam tot tormenta tracturam? Nega nunc magnum beneficium eſſe naturæ, quòd neceſſe eſt mori. Multi peiora paciſci adhuc parati ſunt: etiam amicum prodere, vt diutiùs viuant: & liberos ad ſtuprum manu ſuâ tradere, vt contingat lucem videre, tot conſciam ſcelerum. Excutienda vitæ cupido eſt: diſcendumque nihil intereſſe quando patiaris, quod quandoque patiendum eſt: quàm benè viuas referre, non quamdiu: ſæpè autem in hoc eſſe
C benè, ne diu.

Malim equidem vel in agris vitam ducere ſeruus
Pauperem apud dominum, cui res non ampliter adſit,
Quàm cunctis dominari, apud Orcum, morte potitis.

Quid Euripides? apud eum Iphigenia:

Τὸ φῶς τό δ' ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν.
Τὰ νέρθε δ' οὐδείς. μαίνεται δ', ὃς εὔχεται
Θανεῖν. κακῶς ζῆν κρεῖσσον, ἢ θανεῖν καλῶς:
Lucem videre hominibus eſt ſuauiſſimum,
Inferna minimè. deſipit, qui vult mori.
Meliuſque viuere malè, quàm mori benè.

Sed magis etiam aſſidet Epicuri dogma: Τὸν σοφὸν καὶ
D πηρωθέντα τὰς ὄψεις, μεθέξειν τοῦ βίου: Sapientem etiam oculis caſſum, manſurum in vitâ: *quæ ipſa eius verba ſunt in Laërtio, & ab ijs Mecænas videatur hauſiſſe.*

10. SI SEDEAM CRVCE.] *Ita omnes meliores libri, & eſſe veram lectionem firmaui in libello De Cruce.* Sedent *autem in* acutâ cruce, *qui ſtipite acuto transfixi ab imo ſunt, per os emergente. Verſus porrò cauſſâ,* ſedeam, *diſſyllabum exaudiendum: atq; ita libris quibuſdam,* ſedam, *ſcriptum.*

11. SVPPLICII MORA.] *Nam erat in extremis Mecænatis,* ſuſtine. *id eſt, ſerua mihi vitam & extende, etiam in cruce, vltimiſq; malis.*

12. ET DISTORTO.] *Variant libri, ac quidam,* & ſancto; *alij,* & deſerto, *atque in margine,* diſcerpto; *meus & nonnulli,* & ſerto. *Facerem* deſecto, *aut* ſecto. *nam ita in verſibus erat, membris mutilari.*

13. HABERE ANIMAM, VT AGAM.] *Non alio fine viuere, quàm vt moriens viuam. Habeam animam, vt ſemper emittam.*

14. NISI DEOS FACILES?] *Accipio. meruit exaudiri, & habere Deos in vota faciles. Quid, inquit, aliud tam fœdè timido optemus?*

15. INFELIX LIGNVM.] *Ita Crucem vocabant: ego in libellis eius rei.*

A

EPIST. CII.

ALIQVID *de immortalitate animæ. tum quæſtiuncula, An claritas poſt mortem ad nos faciat? Diſputat tenuiter primò & ſcholaſticè: tum in extremo adſurgit, & ad Deum ac cæleſtia animum ducit. Corpus hoc, ſarcinam aut velamentum eſſe: ſperni debere & exui, cùm Deus & dies ille vocant.*

QVOMODO moleſtus eſt iucundum ſomnium videnti, qui excitat: aufert enim voluptatem, etiamſi falſam, effectum tamen veræ habentem: ſic epiſtola tua mihi fecit iniuriam. reuocauit enim me [1] cogitationi aptæ traditum, & iturum, ſi licuiſſet, vlteriùs. Iuuabat de æternitate animarum quærere, imò mehercule credere. credebam enim facilè opinionibus magnorum virorum, rem gratiſſimam [2] promittentium B magis, quàm probantium. Dabam me ſpei tantæ. iam eram faſtidio mihi, iam reliquias ætatis infractæ contemnebam, in immenſum illud tempus, & in poſſeſſionem omnis æui tranſiturus: cùm ſubitò experrectus ſum, epiſtolâ tuâ acceptâ, & tam bellum ſomnium perdidi. quod repetam, ſi te dimiſero, & redimam. Negas me [3] epiſtolâ primâ totam quæſtionem explicuiſſe, in quâ probare conabar id quod noſtris placet, claritatem quæ poſt mortem contingit, bonum eſſe. Id enim me non ſoluiſſe, quod opponitur nobis: Nullum, inquiunt, bonum ex diſtantibus: hoc autem ex diſtantibus conſtat. Quod interrogas, mi Lucili, eiuſdem quæſtionis eſt, loci alterius: & ideò non hoc tantùm, ſed alia quoque eódem pertinentia, diſtuleram. Quædam enim, vt ſcis, moralibus [4] rationalia immixta ſunt. Itaque illam partem rectà ad mores pertinentem tractaui, Numquid ſtultum ſit ac ſuperuacuum, vltra extremum diem curas tranſmittere. An cadant bona noſtra nobiſcum, nihilque ſit eius qui nullus eſt. [5] An ex eo quod cùm erit, ſenſuri non ſimus [6] antequam aliquis fructus percipi aut peti poſſit. Hæc autem omC nia ad mores ſpectant: itaque ſuo loco poſita ſunt. At quæ à dialecticis contra hanc opinionem dicuntur, ſegreganda fuerunt: & ideò ſepoſita ſunt. Nunc quia omnia exigis, omnia quæ dicunt perſequar, deinde ſingulis occurram. At niſi aliquid prædixero, intelligi non poterunt quæ refellentur. Quid eſt, quod prædicere velim? [7] Quædam continua eſſe corpora, vt hominem: quædam compoſita, vt nauem, domum, omnia denique quorum diuerſæ partes iunctură in vnum ſunt coactæ: quædam ex diſtantibus, quorum adhuc membra ſeparata ſunt, tamquam exercitus, populus, ſenatus. Illi enim, per quos iſta corpora efficiuntur, iure aut officio cohærent, naturâ diducti & ſinguli ſunt. Quid eſt, quod etiam nunc prædicere velim? Nullum bonum putamus eſſe, quod ex diſtantibus conſtat. [8] vno enim ſpiritu vnum bonum contineri ac regi debet, vnum

eſſe

EPIST. CII. 1. COGITATIONI APTÆ.] *Fortaſis*, altæ.

2. PROMITTENTIVM MAGIS, QVAM.] *Vides nutare ſuper immortalitate Animæ, & velle magis, quàm credere. Ego de eâ re in Phyſiol.* III. *Diſſert.* XI.

3. EPISTOLA PRIMA.] *Ea non exſtat, aut nihil tale præiuit. Itaque meo libro aſſentiar legenti*, primam: *& ſtatim*, conabaris.

4. RATIONALIA IMMIXTA.] *Logica.*

5. AN EX EO QVOD CVM ERIT.] *Repræſentaui veterem lectionem, ab alys variè interpolatã. Legam*, quod tum erit: *poſt mortem ſcilicet. & eſt quæſtio, An quæ hîc de nobis dicentur, & quæ fama erit, eius ſenſus ad nos eò peruenturus ſit?*

6. ANTEQVAM ALIQVIS.] *Hæc intricata. legam*: aut ecquando aliquid fructus. *An ſtatim videlicet, an cùm purgati erimus & ſublimati?*

7. QVÆDAM CONTINVA ESSE.] *Ipſa hæc diD uiſio in Plutarchi Præceptis connubialibus*: Τῶν σωμάτων φιλόσοφοι τὰ μὲν ἐκ διεχότων λέγουσιν εἶναι, καθάπερ στόλον, καὶ στρατόπεδον· τὰ δὲ ἐκ συναπτομένων, ὡς οἰκίαν, καὶ ναῦν· τὰ δὲ ἡνωμένα καὶ συμφυῆ, καθάπερ ἐστὶ τῶν ζώων ἕκαστον: Philoſophi aiunt Corporum alia ex diſtantibus conſtare, vt Claſſem, & Exercitum: alia ex compoſitis, vt Domum & Nauem: alia denique vnita & continua eſſe, vt quodque Animantium. *Eadem in Pomponio Ic^to. Q.* XXX. *De vſurpationibus. Adde Senecam, Quæſt. Natur.* II. *cap.* II. *etſi tertium ibi genus ex* Diſtantibus *omittit.*

8. VNO ENIM SPIRITV.] *Quæ ſunt* Continua *corpora. eaq; hiſipſis verbis Pomponius definiebat*: quæ continentur vno ſpiritu.

9. VNIVS

A esse[9] vnius boni principale. Hoc si quando desideraueris,[10] per se probatur: interim ponendum fuit,[11] quo nostra tela nitatur. Dicitis, inquit, nullum bonum ex distantibus esse: Claritas autem ista, bonorum virorum[12] secunda opinio est. Nam quomodo fama non est vnius sermo, nec infamia vnius mala existimatio: sic nec claritas, vni bono placuisse. Consentire in hoc plures insignes & præstantes viri debent, vt claritas sit. Hæc autem ex iudiciis plurium efficitur, id est, distantium: ergo non est bonum. Claritas, inquit, laus est à bonis bono reddita: laus oratio: oratio vox est, aliquid significans: vox autem, licet virorum sit bonorum, bonum non est. Neque enim quidquid vir bonus facit, bonum est. nam & plaudit, & sibilat: sed nec plausum quisquam, nec sibilum, licet omnia eius admiretur & laudet, bonum dicit, non magis quàm sternutamentum aut tussim. Ergo claritas bonum non est. Ad summam, dicite nobis, vtrùm laudantis, an laudati bonum sit? Si laudantis bonum esse dicitis, tam ridiculam rem facitis, quàm si affirmetis meum esse, quòd alius benè valeat. Sed laudare dignos,
B honesta actio est: ita laudantis bonum est, cuius actio est, non nostrum qui laudamur: atqui hoc quærebatur. Respondebo nunc singulis cursim. Primùm, an sit aliquid ex distantibus bonum, etiam nunc quæritur, & pars vtraque sententias habet. Deinde, claritas desiderat multa suffragia: potest &[13] vnius boni viri iudicio esse contenta. Nam omnes bonos bonus vnus iudicat. Quid ergo, inquit, & fama erit vnius hominis existimatio, & infamia vnius malignus sermo?[14] Gloriam quoque, inquit, latiùs fusam intelligo: consensum enim multorum exigit. Diuersa horum conditio est, & illius. Quare? quia si de me benè vir bonus sentit, eodem loco sum, quo, si omnes boni idem sentirent. omnes enim si me cognouerint, idem sentient. Par illis idemque iudicium est:[15] æquè vero insistitur ab his, qui dissidere non possunt. Ita pro eo est, ac si omnes idem sentiant: quia aliud sentire non possunt. Ad gloriam & famam, non est satis vnius opinio. Illic idem potest vnius sententia, quod omnium: quia omnium[16] si perrogetur, vna erit: hîc diuersa dissimilium iudicia sunt, dissimiles affectus. Dubia omnia inue-
C nias, leuia, suspecta. Putas tu posse sententiam vnam omnium esse?[17] non est vnius vna. Illis placet verum: veritatis vna vis, vna facies est: apud hos falsa sunt, quibus assentiuntur. Numquam autem falsis constantia est: variantur & dissident. Sed laus, inquit, nihil aliud quàm vox est: vox autem bonum non est. Cùm dicunt claritatem laudem esse bonorum, à bonis redditam: iam non ad vocem referunt, sed ad sententiam. Licet enim vir bonus taceat, sed aliquem iudicet dignum laude, laudatus est. Præterea, aliud est laus, aliud laudatio. Hæc & vocem exigit. Itaque nemo dicit laudem funebrem, sed laudationem, cuius officium oratione constat. Cùm dicimus aliquem laude dignum, non verba illi benigna hominum, sed iudicia promittimus. Ergo laus etiam taciti est benè sentientis, ac bonum virum apud se laudantis. Deinde, vt dixi, ad animum

9. VNIVS BONI PRINCIPALE.] τὸ ἡγεμονικόν.

D 10. PER SE PROBATVR.] *Vellem*, probabitur.

11. QVO NOSTRA TELA NITATVR.] *Est ab Erasmi coniecturâ. qui vult ad telam alludi, cui texendæ stamen substerni solet; sic reliquæ argumentationi hanc fulturam. Ingeniosè ille. anteà erat*; quia in nostra tela mittuntur, *sicut & scripti ferè libri. Ego putarem:* quia inde nostra tela mittuntur. *ab hoc principio pugnamus, & aduersarios sternimus.*

12. SECVNDA OPINIO.] *Amica & fauens.*

13. VNIVS BONI VIRI.] *Neque enim alij boni ab illo dissentient. Ita Sidonius in Carm.* XXIV. Hic si te probat, omnibus placebis.

14. GLORIAM QVOQVE, INQVIT.] *Gloriam igitur Stoici nontribuunt Sapienti, sed Claritatem. Tale Philo Iudæus, super verbis* Euigilauit Noë: Ὁ δὲ σοφὸς οὐκ ἔνδοξος, ἀλλ' εὐκλεὴς, τὸν μὴ κολακείᾳ νοθεύμενον, ἀλλὰ βεβαιούμενον ἀληθείᾳ καρπούμενος ἔπαινον: Sapiens non glorioſus, sed clari nominis, fruitúrque laude non adulteratâ per blanditias, sed stabilitâ per veritatem.

15. ÆQVE VERO INSISTITVR.] *Sic Desiderius. sententia est: æquè viam illam veri omnes boni premunt, & insistunt. Sed libri aliquid remotioris verbi fuisse arguunt, dum scribunt*, vero inficitur; *vel*, inspicitur; *quidam*, prospicitur; *meus*, æquè enim inficiscitur. *Oedipum ego specto.*

16. SI PERROGETVR.] *Vox curiæ: cùm Consul omnium sententias ordine exquirit.*

17. NON EST VNIVS VNA.] *Nam variant, & nemo (sapiente excepto) sibi constat.*

18. TRA-

mum refertur laus, non ad verba; quæ conceptam laudem egerunt, & in notitiam plu- A
rium emittunt. Laudat, qui laudandum esse iudicat. Cùm [18] Tragicus ille apud nos ait, *Magnificum esse laudari à laudato viro*: laude digno, ait. Et cùm æquè antiquus poëta ait, *Laus alit artes:* non laudationem dicit, quæ corrumpit artes. nihil enim æquè & eloquentiam, & omne aliud studium auribus deditum vitiauit, quàm popularis assentio. Fama vtique vocem desiderat, claritas non. potest enim citra vocem contingere, contenta iudicio: plena est, non tantùm inter tacentes, sed etiam inter reclamantes. Quid intersit inter claritatem & gloriam, dicam. Gloria multòrum iudiciis constat, claritas bonorum. Cuius, inquit, bonum est claritas, id est, laus bono à bonis reddita, vtrùm laudati an laudantis? Vtriusque: meum qui laudor, quia natura me amantem omnium genuit; & benefeciſſe gaudeo, & gratos me inueniſſe virtutum interpretes lætor. Hoc plurium bonum est, quòd grati sunt, sed & meum. Ita enim animo compositus sum, vt aliorum bonum, meum iudicem: vtique eorum, quibus ipse sum boni causſa. Est illud laudantium bonum: virtute enim geritur: omnis autem virtutis actio bonum est. Hoc con- B
tingere illis non potuiſſet, nisi ego talis essem. Itaque vtriusque bonum est, meritò laudari: tam mehercule, quàm benè iudicasse, iudicantis bonum est, & eius, secundùm quem iudicatum est. Numquid dubitas, quin iustitia & habentis bonum sit, & eius cui debitum soluit? Merentem laudare, iustitia est: igitur vtriusque bonum est. Cauillatoribus istis abundè respondebimus. Sed non debuit hoc nobis esse propositum, arguta differere, & philosophiam in has anguſtias ex suâ maiestate detrahere. Quanto satius est, ire apertâ viâ & rectâ, quàm sibiipsi flexus disponere, quos cum magnâ molestiâ debeas relegere? neque enim quidquam aliud istæ disputationes sunt, quàm inter se peritè captantium lusus. Dic potiùs, quàm naturale sit, in immensum mentem suam extendere. Magna & generosa res est humanus animus: nullos sibi poni nisi communes & cùm Deo terminos patitur. Primùm, humilem non accipit patriam: Ephesum aut Alexandriam, aut si quod est etiamnum frequentius incolis, latius tectis solum. Illi patria est, quodcumque suprema & vniuersa circuitu suo cingit: hoc omne conuexum, intra C
quod iacent maria cum terris, intra quod aër humanis diuina [19] secernens etiam coniungit, intra quod [20] disposita tot numina in actus suos excubant. Deinde, arctam ætatem sibi dari non finit. Omnes, inquit, anni mei sunt. nullum sæculum magnis ingeniis clusum est, nullum non cogitationi peruium tempus. Cùm venerit dies ille qui mixtum hoc diuini humanique secernat, corpus hoc, vbi inueni, relinquam: ipse me diis reddam. nec nunc sine illis sum, sed graui terrenoque detineor. Per has mortalis æui moras, illi meliori vitæ longiorique proluditur. Quemadmodum nouem mensibus nos tenet maternus vterus, & præparat non sibi, sed illi loco in quem videmur emitti, iam idonei spiritum trahere, & in aperto durare: si per hoc spatium, quod ab infantiâ patet in senectutem, in alium [21] naturæ sumimur partum. Alia origo nos exspectat, alius rerum status. Nondum cælum, nisi ex interuallo, pati possumus. Proinde intrepidus [22] horam illam decretoriam prospice: non est animo suprema, sed corpori. Quidquid circa te iacet rerum, tamquam hospitalis loci sarcinas specta: transeundum est: D
[23] Excutit

18. TRAGICVS ILLE APVD NOS.] *Puto intelligi Næuij versum. qui alibi apud Ciceronem*: Lætus sum laudari me (inquit Hector apud Næuium) abs te, pater, laudato viro.

19. SECERNENS ETIAM CONIVNGIT.] *Nam super Aërem, Cælum statim excipit, vbi Dij, id est, æterni ignes. Idémque coniungit, quia terram cum cælo medius interiectus nectit.*

20. DISPOSITA TOT NVMINA.] *Partim cælo, partim aëre, terrâ, mari: quæ plena scilicet omnia Geniorum.*

21. NATVRÆ SVMIMVR PARTVM.] *Scripti plures*, naturæ sumus, *aut*, simus: *at Pinctanus optimè*, matureſcimus. *At sententia ipsa, pulchra sanè & inopinata, est ab Indis sapientibus, quos Brachmanas dicunt: adscribitq; palàm Strabo lib.* XV. Νομίζειν γὰρ τὸν ἐνθάδε βίον, ὡς ἂν ἀκμὴν κυομένων εἶναι· τὸν δὲ θάνατον γένεσιν εἰς τὸν ὄντως βίον, καὶ τὸν εὐδαίμονα τοῖς φιλοσοφήσασι: Censere eos vitam quæ isthîc agitur, esse velut maturitatem prægnantium; mortem autem, partum siue natiuitatẽ in verè vitam, & felicem ijs qui ritè philosophati sunt.

22. HORAM ILLAM DECRETORIAM.] *Quasi dicas κριτικὴν &* Iudicialem. *Nam decernit iudex, cùm sententiam profert, & in alterutrum statuit. Hinc* Arma decretoria, *quæ* Lusorijs *noster opponit, epist.* CXVII. *quibus de victoriâ aut vitâ cernitur. Item* Decretorius stilus, 1. *De Clement. cap.* XIV.

quo

A [23] Excutit redeuntem natura, ſicut intrantem. Non licet plus efferre, quàm inuleris: imò etiam ex eo, quod in vitam attuliſti, pars magna ponēda eſt. Detrahetur tibi hæc circumiecta, nouiſſimum velamentum tui, cutis: detrahetur caro & ſuffuſus ſanguis, diſcurrenſque per totum: detrahentur oſſa neruique, firmamēta fluidorum ac labentium. Dies iſte, quem tamquam extremum reformidas, [24] æterni natalis eſt. Depone onus. quid cunctaris, tamquam non priùs quoque, relicto, in quo latebas, corpore, exieris? Hæres & reluctaris: tum quoque magno niſu matris expulſus es. Gemis, ploras: & hoc ipſum flere, naſcentis eſt. Sed tunc debebat ignoſci. rudis & imperitus omnium veneras: ex maternorum viſcerum calido mollique fomento emiſſum, afflauit aura liberior. Deinde, offendit duræ manus tactus: teneráque adhuc, & nullius rei gnarus obſtupuiſti inter ignota. Nunc tibi non eſt nouum ſeparari ab eo, cuius antè pars fueris: æquo animo membra iam ſuperuacua dimitte, & iſtud corpus inhabitatum diu, pone. Scindetur, obruetur, abolebitur. Quid contriſtaris? ita ſolet fieri. Pereunt ſemper velamenta naſcentium.
B Quid iſta ſic diligis, quaſi tua? iſtis opertus es. Veniet qui te reuelet dies, & ex contubernio fœdi atque olidi ventris educat. Hinc nunc quoque tu quantum potes, ſubuola: vtique etiam neceſſariis, quæ cohærebunt, alienus. Iam hinc, [25] altius aliquid ſublimiuſque meditare. [26] Aliquando naturæ tibi arcana retegentur, diſcutietur iſta caligo, & lux vndique clara percutiet. Imaginare tecum, quantus ille ſit fulgor, tot ſideribus inter ſe lumen miſcentibus. Nulla ſerenum vmbra turbabit: æqualiter ſplendebit omne cæli latus: dies & nox, aëris infimi vices ſunt. Tunc in tenebris vixiſſe dices, cùm totam lucem totus adſpexeris: quam nunc, per anguſtiſſimas oculorum vias, obſcurè intueris, & tamen admiraris tam procul. Quid tibi videbitur diuina lux, cùm illam ſuo loco videris? Hæc cogitatio nihil ſordidum animo ſubſidere ſinit, nihil humile, nihil crudele. Deos omnium rerum eſſe teſtes ait, illis nos approbari, illis in futurum parari iubet, & æternitatem proponere: quam qui mente concepit, nullos horret exercitus, non terretur tubâ, nullis ad timorem minis agitur. Quid ni non timeat, qui mori ſperat? [27] ſi
C is quoque, qui tamdiu animum iudicat manere, quamdiu retinetur corporis vinculo; exſolutum, ſtatim ſpargi; id agit, vt etiam poſt mortem vtilis eſſe poſſit. Quamuis enim ipſe ereptus ſit oculis, tamen

Multa viri virtus animo, multuſque recurſat
Gentis honos.

Cogita, quantum nobis exempla bona proſint: ſcies magnorum virorum, non minùs præſentiâ, eſſe vtilem memoriam.

quo pater filium damnat, & exheredem facit. Neque aliter Plinius, Caniculæ ſidus vuis decretorium *dixit: item*, Diem quo Aquila oritur, florentibus oleis decretorium.

23. EXCVTIT REDEVNTEM.] *Nihil, præter te, inte aut circa te relinquit.*

D 24. ÆTERNI NATALIS EST.] *Facit ad immortalitatem animæ, ſuo quodam ſenſu Stoicis creditam: & ambiguè creditam. Vide Phyſiol.* III. *Diſſert.* XI.

25. ALTIVS ALIQVID SVBLIMIVSQVE.] *Nam videtur, inquit Themiſtius*, ipſum τὸ θανάτου, id eſt mortis nomen, hominem è vitâ migrantem in ſublime ferre, καὶ ἄνω εἰς θεόν, id eſt ſurſum ad Deum vehere.

26. ALIQVANDO NATVRÆ TIBI.] *Hoc Stoici agere volebant. Animam aſtris ſociatam, illa & naturam rerum totam contemplari: quod ipſum & Deus. Cicero in Hortenſio*: Vnâ igitur erimus beati cognitione Naturæ, & ſcientiâ: quæ ſola etiam Deorum eſt vita laudanda. *Noſtra adde Phyſiol.* III. *Diſſert.* XIV.

27. SI IS QVOQVE QVI.] *Epicurum intelligit.*

A

EPIST. CIII.

MALITIA *& insidiæ inter se hominum. Tu tamen non eadem facito, aut repone: sed mitis in omnes & volens esto.*

QVID ista circumspicis, quæ tibi possunt fortasse euenire, sed possunt & non euenire? incendium dico, ruinam, aliaque, quæ nobis incidunt, non insidiantur: illa potius vide, illa deuita, quæ nos obseruant, quæ captant. [2] Rari sunt casus, etiam si graues, naufragium facere, vehiculo euerti: [3] ab homine homini quotidianum periculum. Aduersus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere. Nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempestas minatur, antequam surgat: crepant ædificia, antequam corruant: prænunciat fumus incendium: subita est ex homine pernicies, & eò diligentiùs tegitur, quò propiùs accedit. Erras, si istorum tibi qui occurrunt B vultibus credis, [4] hominum effigies habent, animos ferarum: nisi quòd illarum pernitiosior est [5] primus incursus, quos transire non queunt. Numquam enim illas ad nocendum nisi necessitas inigit: aut fame, aut timore coguntur ad pugnam: homini perdere hominem libet. Tu tamen ita cogita, quod ex homine periculum sit: vt cogites, quod sit hominis officium. Alterum intuere, ne lædaris; alterum, ne lædas. Commodis omnium læteris, mouearis incommodis: & memineris quæ præstare debeas, quæ cauere. Sic viuendo quid consequêris? non, vt ne noceant; sed, ne fallant. Quantum autem potes, in philosophiam secede. [6] illa te sinu suo proteget: in huius sacrario eris aut tutus, aut tutior. Non arietant inter se, nisi in eodem ambulantes. [7] Quod autem ipsam philosophiam, non debebis iactare. multis fuit periculi causa, insolenter tractata, & contumaciter. Vitia tibi detrahat, non alij exprobret: [8] non abhorreat à publicis moribus; nec hoc agat, vt quidquid non facit, damnare videatur. Licet sapere sine pompâ, sine inuidiâ. C

EPIST. CIII. 1. QVID ISTA CIRCVMSPICIS.] *Sunt qui laciniam superioris epistolæ putent, eiq; annectendam. Non idem ego.*

2. RARI SVNT CASVS.] *Veteres*, Pares sunt casus: *Pincianus editum illud restituit, puto verè.*

3. AB HOMINE HOMINI.] *Nota in Plauto paræmia*: Homo homini lupus. *Et assidet illud Anacharsidis Scythæ, qui interrogatus,* Τί ἐστι τὸ πολέμιον ἀνθρώποις; Αὐτοὶ, ἔφη, ἑαυτοῖς: Quid hominibus maximè infestum esset? Ipsi, inquit, sibijpsis.

4. HOMINVM EFFIGIES, ANIMOS FERARVM.] *Prorsus idem Lycurgus, poëta vetus:*

Φεῦ, πῶς πονηρὸν ἐστιν ἀνθρώπων φύσις
Τὸ σύνολον. ἃ γὰρ ἄν ποτ' ἐδεήθη νόμου.
Οἴει τι τῷ ἄλλων διαφέρειν θηρίων
Ἄνθρωπον; οὐδὲ μικρὸν, ἀλλὰ σχήματι.
Πλάγι' ἐστὶ τἄλλα, τοῦτο δ' ὀρθὸν θηρίον:

Heu quàm mala, atque deprauata prorsus est,
Natura nostra! neque aliter lege erat opus.
Putásne tu interesse inter hominem, & feram?
Nec paullulum, nisi in figurâ corporis.
Curuantur aliæ, inambulat recta hæc fera.

Sed & Epictetus distinctè, quosdam hominum lupis similes esse, infidos, insidiatores, noxios; alios leonibus, agrestes, feroces, immanes; plerosque vulpeculis, detractores & fraudulentos. *Vide* 1. *Dissert. cap.* III.

5. PRIMVS INCVRSVS, QVOS.] *Legerim*, primis. *Qui primi se dant obuios, nec fugæ locum relinquunt, nocent.*

6. ILLA TE SINV SVO.] *Libri prisci*, visu suo, *vel*, nisu: *atque illud est ab Erasmo, tamen probum. nisi quis vellet*, vi suâ. D

7. QVOD AVTEM IPSAM.] *Sic antiqua lectio, vel* Quid. *Fortè*: Quod attinet ipsam.

8. NON ABHORREAT A PVBLICIS MOR.] *Tale Ciceronis inter fragmenta, ad Marcum filium*: Philosophiæ quidem præcepta noscenda, viuendum autem ciuiliter.

EPIST.

A

EPIST. CIV.

De inualetudine ſuâ, de curâ & caritate in ſe vxoris. Locum ſe mutaſſe, vt recrearetur: & hinc de Peregrinatione pulcherrima diſſertatio. Non eſſe eam à ſe vtilem, niſi animo talis efficitur. Ille emendetur, affectus recidantur: omnia tunc loca & ſtatus iucunda. Peregrinatio etiam alia pulcherrima, ad priſcos & magnos viros ire, illos cogitatione intueri atque imitari. Hoc vitia tollit, virtutes inſerit: atque iſtuc Lucilium vocat.

[1] In Nomentanum meum fugi, quid putas? vrbem? imò febrem, & quidem ſurrepentem. Iam manum mihi iniecerat: protinus itaque parari vehiculum iuſſi, Paullinâ meâ retinente. Medicus initia eſſe dicebat, motis venis, ſed incertis, & naturalem
B turbantibus modum. Exire perſeueraui. Illud mihi in ore erat [2] domini mei Gallionis: qui cùm in Achaiâ febrem habere cœpiſſet, protinus nauem adſcendit, clamitans non corporis eſſe, ſed loci morbum. Hoc ego Paullinæ meæ dixi, quæ mihi valetudinem meam commendat. Nam cùm ſciam ſpiritum illius in meo verti: incipio, vt illi conſulam, mihi conſulere: & cùm me fortiorem ſenectus ad multa reddiderit, hoc beneficium ætatis amitto. Venit enim mihi in mentem, in hoc ſene & adoleſcentem eſſe, cui parcitur. Itaque quoniam ego ab illâ non impetro, [3] vt me fortiùs amet: impetrat illa à me, vt me diligentiùs amem. Indulgendum eſt enim honeſtis affectibus: & interdum etiam ſi premunt cauſſæ, ſpiritus in honorem ſuorum vel cum tormento reuocandus, & in ipſo ore retinendus eſt: cùm bono viro viuendum ſit, non quamdiu iuuat, ſed [4] quamdiu oportet. Ille qui non vxorem, non amicum tanti putat, vt diutiùs in vitâ commoretur, qui perſeuerat mori, delicatus eſt. Hoc quoque imperet ſibi animus, vbi vtilitas ſuorum exigit: nec tantùm ſi vult mori, ſed ſi cœpit, intermittat, & ſuis ſe commodet.
C Ingentis animi eſt, alienâ cauſsâ ad vitam reuerti: quod magni viri ſæpè fecerunt. Sed hoc quoque ſummæ humanitatis exiſtimo, ſenectutem ſuam, cuius maximus fructus eſt, ſecurior ſui tutela, & vitæ vſus animoſior, attentiùs conſeruare, ſi ſcias alicui tuorum eſſe dulce, vtile, optabile. Habet præterea in ſe non mediocre iſta res gaudium, & mercedem. quid enim iucundius, quàm vxori tam carum eſſe, vt propter hoc tibi carior fias? Poteſt itaque Paullina mea non tantùm [5] ſuum mihi timorem imputare, ſed etiam meum. Quæris ergo, quomodo mihi conſilium profectionis ceſſerit? Vt primùm grauitatem vrbis exceſſi, & illum odorem culinarum fumantium, quæ motæ quidquid peſtiferi vaporis obruerant, cum puluere effundunt, protinus mutatam valetudinem ſenſi. Quantum deinde adiectum putas viribus, [6] poſtquam vineas attigi? in paſcuum emiſſus, cibum meum inuaſi. [7] Repetiui ergo iam me. non permanſit marcor ille corporis dubij,

EPIST. CIV. 1. In Nomentanvm.] *Vbi prædium eius, & vineæ. Infrà epiſt.* CX. *&* Columella III. *cap.* III.

D

2. Domini mei Gallionis.] *Patres, atque etiam fratres (ſed puto natu grandiores) Dominos per honorem & blanditias vocabant, ſicut & vxores Dominas. Notaui ad* II. *Annal. Taciti.*

3. Vt me fortivs amet.] *Optimè habet; nec Pincianus aut alij debebant mouere. Fortiter amat, qui non indulget, qui ſeuero quodam amore, vt patres liberos, vt Deus bonos viros. Quæ ipſa phraſis, De Prouidentiâ, cap.* II. *ibi vide. Dicit nunc igitur, Nimis tenerè (hoc opponitur) & indulgenter illa me amat, nec impetro vt robuſtiùs: ad omnia mala mea collabitur: ergo ego mihi impero, vt me magis curem atque amem, ne illam affligam.*

4. Qvamdiv oportet.] *Seneca De Benef.* II. *cap.* XVIII. Sapientes, quidquid oportet, iuuat. *Id eſt quidquid opportunum & εὐκαιρον eſt. nam Cicero ita videtur reddere, vbi Cato Stoicus apud eum* III. *De Finibus diſſerit*: Sæpè officium eſſe ſapientis, deſciſcere à vitâ, cùm ſit beatiſſimus, ſi id opportunè facere poſſit. *Et paulloantè*, Rectam effectionem, ſiue τὸ κατόρθωμα, *ponit in* opportunitate: ſic enim appellare ſe dicit εὐκαιρίαν.

5. Svvm mihi timorem.] *Acutè. poteſt non ſolùm hoc in expenſis mihi ferre, quod pro me timeat; ſed & quod ego. Nam eius timor meum trahit, imò gignit.*

6. Postqvam vineas attigi.] *Quas colere, imò & fodere ſolebat.* III. *Quæſt. Natur. cap.* VII.

7. Repetivi ergo iam me.] *Recuperaui, & reperi quaſi amiſſum. Sum, qui antè fui.*

dubij, &[8] malè cogitantis: incipio toto animo ſtudere. Non multum ad hoc locus confert, niſi ſe ſibi præſtet animus, qui ſecretum & in occupationibus mediis, ſi volet, habebit. At ille qui regiones eligit, & otium captat, vbique quo diſtringatur inueniet. Nam Socratem quærenti cuidam, quòd nihil ſibi peregrinationes profuiſſent, reſpondiſſe ferunt: *Non immeritò hoc tibi euenit: tecum enim peregrinabaris.* O quàm benè cum quibuſdam ageretur, ſi à ſe aberrarent! Nunc primi ſeipſos ſollicitant, corrumpunt, territant. Quid prodeſt mare traiicere, & vrbes mutare? ſi vis iſta, quibus vrgeris, effugere, non alibi ſis oportet, ſed alius. Puta veniſſe te Athenas, puta Rhodon: elige arbitrio tuo ciuitatem: quid ad rem pertinet, quos illa mores habeat? tuos adferes. Diuitias iudicabis bonum: torquebit te paupertas, & (quod eſt miſerrimum) falſa. Quamuis enim multum poſſideas, tamen quia aliquis plus habet, tanto tibi videberis defici, quanto vinceris. Honores iudicas bonum? malè te habebit ille conſul factus, ille etiam refectus: ringeris, quoties aliquem in faſtis ſæpiùs legeris. Tantus erit ambitionis furor, vt nemo tibi poſt te videatur, ſi aliquis ante te fuerit. Maximum malum iudicabis mortem: cùm in illâ nihil ſit mali, niſi, quod[9] ante ipſam eſt, timeri. Exterrebunt te non tantùm pericula, ſed ſuſpiciones: vanis ſemper agitaberis. Quid enim proderit,

——euaſiſſe tot vrbes
Argolicas, mediosque fugam tenuiſſe per hoſtes?

Ipſa pax timores ſubminiſtrabit. ne tutis quidem habebitur fides, conſternatâ ſemel mente: quæ vbi conſuetudinem pauoris improuidi fecit, etiam ad tutelam ſalutis ſuæ inhabilis eſt. Non enim vitat, ſed fugit: magis autem periculis patemus auerſi. Grauiſſimum iudicabis malum, aliquem ex his quos amabis amittere: cùm interim hoc tam ineptum erit, quàm flere, quòd arboribus amœnis & domum tuam ornantibus decidant folia. [10] Quidquid te delectat, æquè viget, vt videras dum vireret. vtique aliud alio die caſus excutiet. ſed quemadmodum [11] frondium iactura facilis eſt, quia renaſcuntur: ſic iſtorum quos amas, quoſque oblectamenta vitæ putas eſſe, damnum: [12] quia reparantur, etiam ſi non renaſcantur. Sed non erunt iidem. Ne tu quidem idem eris. omnis dies, omnis hora te mutat: ſed in aliis rapina faciliùs apparet: hîc latet, quia non ex aperto fit. Alij auferuntur: at ipſi nobis furto ſubducimur. Horum nihil cogitabis, nec remedia vulneribus appones, ſed ipſe tibi ſeres ſollicitudinum cauſſas, alia ſperando, alia deſperando? Si ſapis, alterum alteri miſceas: nec ſperaueris ſine deſperatione, nec deſperaueris ſine ſpe. Quid per ſe prodeſſe peregrinatio cuiquam potuit? Non voluptates illa temperauit, non cupiditates refrænauit, non iras repreſſit, non indomitos amoris impetus fregit, nulla denique animo mala eduxit, non iudicium dedit, non excuſſit errorem: ſed vt puerum ignota mirantem, ad breue tempus rerum aliquâ nouitate detinuit. Ceterùm inconſtantiam mentis, quæ cùm maximè ægra eſt, [13] laceſſit, mobiliorem leuioremque reddit ipſa iactatio. Itaque quæ petierant cupidiſſimè loca, cupidiùs deſerunt, & auium modo tranſuolant, citiusque quàm venerant, abeunt. Peregrinatio notitiam dabit gentium, nouas tibi montium formas oſtendet, inuſitata ſpatia camporum, & irriguas perennibus aquis valles, & alicuius fluminis ſub obſeruatione naturam: ſiue, vt Nilus, æſtiuo incremento tumet; ſiue, vt Tigris, eripitur ex oculis, & acto per occulta curſu, integræ magnitudini redditur; ſiue, vt Mæander, poëtarum omnium exercitatio & ludus, implicatur crebris anfractibus, & ſæpè in vicinum alueo ſuo admotus, antequam ſibi influat, flectitur; ceterùm neque meliorem faciet, neque ſaniorem. Inter ſtudia verſandum eſt, & inter auctores ſapientiæ, vt quæſita diſcamus, nondum inuenta quæra-

8. MALE COGITANTIS.] *Benè. meditabatur & minabatur febrim, ſed nondum erat.*

9. ANTE IPSAM EST, TIMERI.] *Non enim mors malum, ſed eius timor.*

10. QVIDQVID TE DELECTAT.] *Vt edidi, recta hæc habeo, certè adſinia ſcripturæ veteri. Senſus: Arbores quæ delectant, tam vigent & viuunt viduatæ foliis, quàm cùm virerent. Simile in amicis, qui alibi, etſi inconſpicui, viuunt.*

11. FRONDIVM IACTVRA.] *Hæc tota imago ab Homero eſt. qui nobilem illum verſum, & Pyrrhoni Philoſopho ſemper in ore, protulit:*

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν:
Tale quidem genus eſt hominum, quale eſt foliorum.

12. QVIA REPARANTVR.] *Iterùm in vitam venient poſt ἐκπύρωσιν.*

13. LACESSIT, MOBILIOREM.] *Pincianus,* laceſſi-

A quæramus. Sic eximendus animus ex miſerrimâ ſeruitute: in libertatem aſſeritur. Quamdiu quidem neſcieris, quid fugiendum, quid petendum, quid neceſſarium, quid ſuperuacuum, quid iuſtum, quid honeſtum ſit: non erit hoc peregrinari, ſed errare. Nullam tibi opem feret iſte diſcurſus: peregrinaris enim cum affectibus tuis, & mala te tua ſequuntur. Vtinam quidem ſequerentur! longiùs abeſſent: nunc fers illa, non ducis. Itaque vbique te premunt, & paribus incommodis vrunt. Medicina ægro, non regio, quærenda eſt. Fregit aliquis crus, aut extorſit articulum? non vehiculum nauemque conſcendit, ſed aduocat medicum, vt fracta pars iungatur, vt luxata in locum reponatur. Quid ergo animum, tot locis fractum & extortum, credis locorum mutatione poſſe ſanari? maius eſt iſtud malum, [14] quàm vt geſtatione curetur. Peregrinatio non facit medicum, non oratorem: nulla ars loco diſcitur. Quid ergo? Sapientia rerum omnium maxima in itinere colligetur? Nullum, mihi crede, iter eſt, quod te extra cupiditates, extra iras, extra metus ſiſtat: aut ſi quod eſſet, agmine facto, gens illuc humana pergeret. Tam-
B diu iſta vrgebunt mala, macerabuntque per terras ac maria vagum, quamdiu malorum geſtaris cauſſas. Fugam tibi non prodeſſe miraris? tecum ſunt quæ fugis. Te igitur emenda, onera tibi detrahe & deſideria: ſaltem intra modum contine. Omnem ex animo erade nequitiam. ſi vis peregrinationes habere iucundas, tuum comitem ſana. Hærebit tibi auaritia, quamdiu auaro ſordidoque conuixeris: hærebit tumor, quamdiu cum ſuperbo conuerſaberis: numquam ſæuitiam in tortoris contubernio pones: incendent libidines tuas adulterorum ſodalitia. Si velis vitiis exui, longè à vitiorum exemplis recedendum eſt. Auarus, corruptor, ſæuus, fraudulentus, multum nocituri ſi propè à te fuiſſent, intra te ſunt. Ad meliores tranſi. cum Catonibus viue, cum Lælio, cum Tuberone: quòd ſi conuiuere etiam Græcis iuuat, cum Socrate, cum Zenone verſare. Alter te docebit mori, ſi neceſſe erit: [15] alter, antequam neceſſe erit. Viue cum Chryſippo, cum Poſidonio. Hi tibi tradent diuinorum humanorumque notitiam. hi iubebunt in opere eſſe: nec tantùm ſcitè loqui, & in oblectationem audientium verba iactare, ſed
C animũ indurare, & aduerſus minas erigere. Vnus eſt enim huius vitæ fluctuantis & turbidæ portus, euentura contemnere, ſtare [16] fidenter, apertè tela fortunæ aduerſo pectore excipere, non latitantẽ, nec tergiuerſantem. Magnanimos nos natura produxit: & vt quibuſdam animalibus ferum dedit, quibuſdam ſubdolum, quibuſdam pauidum, ita nobis glorioſum & excelſum ſpiritum, quærentẽ vbi honeſtiſſimè, non vbi tutiſſimè viuat; [17] ſimillimum mundo: quem quantũ mortalibus paſſibus licet, ſequitur æmulaturque. Profert ſe, laudari & [18] adſpici credit. Dominus omnium eſt, ſupra omnia eſt. itaque nulli ſe rei ſubmittit: nihil illi videtur graue, nihil aſperum, quod virum incuruet.

Terribiles viſu formæ, letumque laboſque:

minimè quidem, ſi quis rectis oculis intueri illa poſſit, & tenebras perrumpere. Multa per noctem habita terrori, dies vertit ad riſum.

Terribiles viſu formæ, letumque laboſque,

egregiè Virgilius noſter. Non re dixit terribiles eſſe, ſed viſu: id eſt, videri, non eſſe. Quid inquam, in iſtis eſt tam formidabile, quàm fama vulgauit? Quid eſt, obſecro te, Lucili,
D cur timeat laborem vir, mortem homo? Totiens mihi occurrunt iſti, qui non putant fieri poſſe quidquid facere non poſſunt, & aiunt nos loqui maiora, quàm quæ natura humana ſuſtineat. At quanto ego de illis meliùs exiſtimo? ipſi quoque hæc poſſunt facere,

laceſſitam, *velit*: *ego copulâ è ſine eductâ*, laceſſit, & mobiliorem.

14. QVAM VT GESTATIONE.] *In eſſedo ſuccuſſione, quæ ſollenniter olim vſurpata, humoribus detrahendis, meatibus reſerandis, calori excitando. Scripſi epiſtolam ad Ortelium ſuper eâ totâ re, Centur. Miſc.* III. *epiſt.* XI.

15. ALTER ANTEQVAM NECESSE.] *Nam Zeno ſine morbo, ſibi manus intulit: & id fas iuſſq; Sapienti eſſe, inter dogmata prodiderat. Vide Manuduct.* III. *Diſſert.* XXII.

16. FIDENTER, APERTE.] *Ita Pincianus, ſed non ſatisfacit illud*, apertè. *Vetus omnis noſtra lectio*, ad portum. *An*, ad portam: *quaſi paratum egredi? an potiùs*, ac promptum?

17. SIMILLIMVM MVNDO.] *Id eſt, cælo atque ætheri. Nam & hoc Mundus: & è cælo noſter Spiritus; vt Stoici.*

18. ADSPICI CREDIT.] *Pincianus*, geſtit: *Gruterus*, quærit, *cui aſſentior.*

cere, ſed nolunt. Denique quem vmquam iſta deſtituêre tentántem? cui non faciliora A
apparuêre in actu? Non quia difficilia ſunt, non audemus: ſed quia non audemus, difficilia ſunt. Si tamen exemplum deſideratis, accipite Socratem [19] perpeſſicium ſenem, per omnia aſpera iactatum, inuictum tamen & paupertate, quam grauiorem illi domeſtica onera faciebant; & laboribus, quos militares quoque pertulit, & quibus ille domi exercitus. ſiue vxorem eius ſpectes moribus feram, linguâ petulantem; ſiue liberos indociles, & matri quàm patri ſimiliores. Sic ferè aut in bello fuit, aut in tyrannide, aut in libertate, bellis ac tyrannis ſæuiore. [20] Viginti & ſeptem annis pugnatum eſt: poſt finita arma, [21] triginta tyrannis noxæ dedita eſt ciuitas, ex quibus plerique inimici erant. Nouiſſima damnatio eſt [22] ſub grauiſſimis hominibus impleta. obiecta eſt & religionum violatio, & [23] iuuentutis corruptela, quam immittere in deos, in patres, in remp. dictus eſt: poſt hæc carcer, & venenum. Hæc vſque eò animum Socratis non mouerunt, vt ne vultum quidem mouerint. Illam mirabilem laudem, & ſingularem, vſque ad extremum ſeruauit: non hilariorem quiſquam, non triſtiorem Socratem vidit: æqualis B
fuit in tantâ inæqualitate fortunæ. Vis alterum exemplum? accipe hunc M. Catonem recentiorem, cum quo & infeſtiùs fortuna egit, & pertinaciùs. Cui cùm omnibus locis obſtitiſſet, nouiſſimè & in morte: oſtendit tamen virum fortem poſſe inuitâ fortunâ viuere, inuitâ mori. Tota illi ætas aut in armis eſt exacta ciuilibus, aut in ætate concipiente iam ciuile bellum. Et hunc licet dicas non minùs, quàm Socratem, in ſeruitute vixiſſe: niſi fortè Cn. Pompeium, & Cæſarem, & Craſſum, putas libertatis ſocios fuiſſe. Nemo mutatum Catonem, toties mutatâ Rep. vidit: eumdem ſe in omni ſtatu præſtitit. In præturâ, in repulsâ, in accuſatione, in prouinciâ, in concione, in exercitu, in morte, denique in illâ Reip. trepidatione, cùm illinc Cæſar eſſet decem legionibus pugnaciſſimis ſubnixus, tot externarum gentium præſidiis hinc Cn. Pompeius, ſatis vnus aduerſus omnia. Cùm alij ad Cæſarem inclinarent, alij ad Pompeium, ſolus Cato fecit aliquas & Reip. partes. Si animo complecti volueris illius imaginem temporis, videbis [24] illinc plebem & omnem erectum ad res nouas vulgum: [25] hinc optimates & equeſtrem ordi- C
nem, quidquid erat in ciuitate ſancti & lecti: duos in medio relictos, Remp. & Catonem. Miraberis, inquam, cùm animaduerteris

Atridem, Priamumque, & ſæuum ambobus Achillem.

Vtrumque enim improbat, vtrumque exarmat. Hanc fert de vtroque ſententiam. Ait ſe, *ſi Cæſar vicerit, moriturum: ſi Pompeius, exſulaturum.* Quid habebat quod timeret, qui ea ſibi & victo & victori conſtituerat, quæ conſtituta eſſe ab hoſtibus iratiſſimis poterant? Periit itaque ex decreto ſuo. Vides poſſe homines labores pati? [26] per medias Africæ ſolitudines pedes duxit exercitum. Vides poſſe tolerare ſitim? & in collibus arentibus, ſine vllis impedimentis victi exercitus reliquias trahens, inopiam humoris loricatus tulit, & quoties aquæ fuerat occaſio, [27] nouiſſimus bibit. Vides honorem & notam poſſe contemni? eodem quo repulſus eſt die, in comitio [28] pilâ luſit. Vides poſſe non timeri potentiam ſuperiorum? & Pompeium & Cæſarem, quorum nemo alterum offendere audebat, niſi vt alterum demereretur, ſimul prouocauit. Vides tam mortem D
poſſe

19. PERPESSICIVM SENEM.] *Eadem vox in epiſt.* LIII. *Vide.*

20. VIGINTI ET SEPTEM.] *Tot annos, & aliquot menſes, durauit bellum Peloponneſiacum. Thucydides, atque alij.*

21. TRIGINTA TYRANNIS.] *Quos Lyſander Athenis impoſuit. Adde De Tranquill. cap.* III.

22. SVB GRAVISSIMIS HOMINIBVS.] *Muretus edidit*, criminibus: *pronum erat & verum*, nominibus.

23. IVVENTVTIS CORRVPTELA.] *Tertullianus Apolog.* I. Lego partem ſententiæ Atticæ in Socratem, corruptorem adoleſcentium, pronunciatam. *Plato in Apolog. Laërtius, alij.*

24. ILLINC PLEBEM.] *A Cæſare.*

25. HINC OPTIMATES.] *A Pompeio.*

26. PER MEDIAS AFRICÆ SOLIT.] *A Cyrenis in Mauritaniam contendit. Plutarchus, & maximè Lucanus graphicè iter, atque eius incommoda, exſequitur.*

27. NOVISSIMVS BIBIT.] *Idem Lucanus:*

Vltimus hauſtor aquæ; cùm tandem fonte reperto
Indiga conatur latices potare iuuentus,
Stat, dum lixa bibat.

28. PILA LVSIT.] *Vide epiſt.* LXXI.

29. AVCTO-

A posse contemni quàm exsilium? & exsilium sibi indixit & mortem, & interim bellum. Possumus itaque aduersus ista tantum habere animi: libeat modò subducere iugo collum. In primis autem despuendæ sunt voluptates: eneruant, & effæminant, & multum petunt. multum autem à fortunâ petendum est. Deinde spernendæ opes: [29] auctoramenta sunt seruitutum. Aurum & argentum, & quidquid aliud felices domos onerat, relinquatur. non potest gratis constare libertas. Hanc si magno æstimas, omnia paruo æstimanda sunt.

EPIST. CV.

BREVIA, *sed vtilia, præcepta ad Securitatem. Lege, & vsurpa.*

B QVAE obseruanda tibi sint, vt tutior viuas, dicam. Tu tamen sic audias censeo ista præcepta, quomodo si tibi præciperem, quâ ratione bonam valetudinem [1] in Ardeatino tuereris. Considera, quæ sint quæ hominem in perniciem hominis instigent: inuenies spem, inuidiam, odium, metum, contemptum. Ex omnibus istis, adeò leuissimum est contemptus, vt [2] multi in illo remedij caussâ delituerint. Quem quis contemnit, calcat sine dubio, sed transit. Nemo homini contempto, pertinaciter, nemo diligenter nocet. Etiam in acie iacens præteritur: cum stante pugnatur. Spem improborum vitabis, si nihil habueris quod cupiditatem alienam [3] & improbam irritet, si nihil insigne possederis. Concupiscuntur enim insignia, etiam si parùm nota sunt. Sic verò inuidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non iactaueris, si scieris in sinu gaudere. Odium autem ex offensâ sic vitabis, neminem lacessendo gratuitò: à quo te sensus communis tuebitur. fuit enim hoc multis periculosum. Quidam odium habuerunt, nec inimicum. Illud ne timearis, præstabit tibi & fortunæ mediocritas, & ingenij
C lenitas: cùm te esse homines scient, quem offendere sine periculo possint. Reconciliatio tua & facilis sit, & certa. Timeri autem tam domi molestum est, quàm foris: tam à seruis, quàm à liberis. Nulli non ad nocendum satis virium est. Adiice nunc, quòd qui timetur, timet. nemo potuit terribilis esse securè. Contemptus supersest: cuius modum in suâ potestate habet, qui illum sibi adiunxit: qui contemnitur, quia voluit, non quia debuit. Huius incommodum & artes bonæ discutiunt, & amicitiæ eorum, qui apud alium potentem potentes sunt. quibus applicari expediet, non implicari: ne pluris remedium, quàm periculum constet. Nihil tamen æquè proderit, quàm quiescere, & minimum cum aliis loqui, plurimum secum. Est quædam dulcedo sermonis, quæ irrepit, & blanditur, & non aliter quàm ebrietas aut amor secreta producit. Nemo quod audierit, tacebit: nemo quantum audierit, loquetur. Qui rem non tacuerit, non tacebit auctorem. Habet vnusquisque aliquem cui tantum credit, quantum ipsi creditum est: vt garrulitatem suam custodiat, & contentus sit vnius auribus, [4] populum faciet. Sic quod modò secretum erat, rumor est. Securitatis magna portio est, nihil iniqui facere. Con-
D fusam vitam & perturbatam impotentes agunt: tantum metuunt, quantum nocent: nec vllo tempore vacant. Trepidant enim cùm fecerunt, hærent, conscientia aliud agere non

29. AVCTORAMENTA SVNT.] *Id est, præmia, quibus vendimus libertatem, imus in seruitutem.*

EPIST. CV. 1. IN ARDEATINO.] *In illo igitur tractu Latij aër, vt apparet, non bonus aut saluber: neque nunc puto esse.*

2. MVLTI IN ILLO REMEDII CAVSSA.] *Vt olim ille Brutus, liberator vrbis. de quo Liuius:* Neque in animo suo quidquam regi timendum, neque in fortunâ concupiscendum relinquere statuit, contemptúque tutus esse, vbi in iure parum præsidij esset.

3. ET IMPROBAM IRRITET.] *Vellem,* improbitatem.

4. POPVLVM FACIET.] *Id est. etiamsi vni rem dixerit; ille porrò vni, hic alteri, alteriq;: & ita populus sciet. Ipsam rem dicit, mihi claram: & demiror, quid ita corrigi,* poculum, *Pincianus voluerit.*

non patitur, ac ſubinde reſpicere ad ſe cogit. Dat pœnas, quiſquis exſpectat: quiſquis A
autem meruit, exſpectat. [5] Tutum aliqua res in malâ conſcientiâ præſtat, nulla ſecurum. putat enim ſe, etiam ſi non deprehenditur, poſſe deprehendi: & inter ſomnos mouetur, & quoties alicuius ſcelus loquitur, de ſuo cogitat. Non ſatis illi oblitteratum videtur, non ſatis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, numquam fiduciam.

EPIST. CVI.

TENVIS & *Chryſippæa quæſtio, An Bonum ſit corpus? In extremo aliquid contra argutias.*

TARDIVS reſcribo ad epiſtolas tuas, non quia diſtrictus occupationibus ſum: hanc excuſationem caue audias: vaco, & omnes qui volunt, vacant. Neminem B
res ſequuntur: ipſi illas amplexantur, & argumentum eſſe felicitatis occupationem putant. Quid ergo fuit, quare non protinus reſcriberem tibi, de quo quærebas? Veniebat in contextum operis mei: [1] ſcis enim me moralem philoſophiam velle complecti, & omnes ad eam pertinentes quæſtiones explicare. Itaque dubitaui vtrùm differrem te, an, donec ſuus iſti rei veniret locus, ius tibi extra ordinem dicerem: humanius viſum eſt, [2] tam longè venientem non detinere. Itaque & hoc ex illâ ſerie rerum cohærentium excerpam, & ſi qua erunt huiuſmodi, non quærenti tibi vltrò mittam. Quæ ſint hæc, interrogas? Quæ ſcire magis iuuat, quàm prodeſt: ſicut hoc de quo quæris, an bonum corpus ſit. Bonum prodeſt: facit enim: quod facit, corpus eſt: bonum, agitat animum, & quodammodo format & continet: quæ ergo propria ſunt corporis, ea corporis bona ſunt: corpora ergo ſunt, & quæ animi ſunt. nam & hic corpus eſt. Bonum hominis neceſſe eſt corpus ſit, cùm ipſe corporalis. Mentior, niſi & quæ alunt illud, & quæ valetudinem eius vel cuſtodiunt vel reſtituunt, corpora ſunt: ergo & bonum eius corpus eſt. C
Non puto te dubitaturum, an affectus corpora ſint, vt aliud quoque de quo non quæris, infulciam: tamquam ira, amor, triſtitia. ſi dubitas, vide an vultum nobis mutent, an frontem adſtringant, an faciem diffundant, an ruborem euocent, an fugent ſanguinem. Quid ergo? tam manifeſtas corpori notas credis imprimi, niſi à corpore? Si affectus corpora ſunt, & morbi animorum, & auaritia, crudelitas, indurata vitia, & in ſtatum inemendabilem adducta: ergo & malitia, & ſpecies eius omnes, malignitas, inuidia, ſuperbia. Ergo & bona. primùm quia contraria iſtis ſunt: deinde, quia eadem tibi indicia præſtabunt. An non vides, quantum oculis det vigorem fortitudo? quantam intentionem prudentia? quantam modeſtiam & quietem reuerentia? quantam ſerenitatem lætitia? quantum rigorem ſeueritas? quantam [3] remiſſionem veritas? Corpora ergo ſunt, quæ colorem habitumque corporum mutant, quæ in illis regnum ſuum exercent. Omnes autem quas retuli virtutes, bona ſunt, & quidquid ex illis eſt. Numquid eſt dubium, an id quo quid tangi poteſt, corpus ſit?

Tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res, vtait Lucretius. D
Omnia autem iſta quæ dixi, non mutarent corpus, niſi tangerent: ergo corpora ſunt. Etiamnum, cui tanta vis eſt, vt impellat & cogat & retineat & iubeat, corpus eſt. Quid ergo? Non timor retinet? non audacia impellit? non fortitudo immittit, & impetū dat? non moderatio refrænat ac reuocat? non gaudium extollit? non triſtitia adducit? Denique quidquid facimus, aut malitiæ, aut virtutis gerimus imperio: quod imperat corpori,

corpus

5. TVTVM ALIQVA RES.] *Vide in Epiſt.* XCVII.

EPIST. CVI. 1. SCIS ENIM ME MORALEM.] *Scripſit libros eo titulo: heu, vbi ſunt? Lactantius nominat, & dixi in Vitâ.*

2. TAM LONGE VENIENTEM.] *E Siciliâ ſcribentem.*

3. REMISSIONEM VERITAS.] *Animus ſimplex & apertus, non ſe cuſtodiens. Muretus,* hilaritas, *fecerat contra omnes libros: & certè præuit iam* lætitia.

EPIST.

A corpus eſt: quod vim corpori affert, corpus. Bonum corporis corporale eſt: bonum hominis, & corporis bonum eſt: itaque corporale eſt. Quoniam, vt voluiſti, morem geſſi tibi, nunc ipſe dicam mihi, quod dicturum eſſe te video. Latrunculis ludimus: in ſuperuacuis ſubtilitas teritur. non faciunt bonos iſta, ſed doctos. Apertior res eſt, ſapere: imò ſimplicior. paucis opus eſt ad mentem bonam litteris. Sed nos vt cetera in ſuperuacuum diffundimus, ita philoſophiam ipſam. Quemadmodum omnium rerum, ſic litterarum quoque intemperantiâ laboramus: non vitæ, ſed ſcholæ diſcimus.

EPIST. CVII.

SOLATVR *Lucilium & erigit, in fugâ ſeruorum. Iſta & alia in vitam incidere: ideóque non inopinata eſſe debere. Patere igitur, quod non emendas. Bona & ſapiens Epiſtola.*

B VBI illa prudentia tua? vbi in diſpiciendis rebus ſubtilitas? vbi magnitudo? Tam puſilla te angunt? ſerui occupationes tuas, occaſionem fugæ putauerunt. Si amici deciperent, ([1] habeant enim ſanè nomen, quod illis [2] Epicurus noſter impoſuit, & ita vocentur) [3] quo turpius non ſint omnibus rebus tuis. Deſint illi, qui & operam tuam conterebant, & te aliis [4] moleſtum eſſe credebant. Nihil horum inſolitum, nihil inexſpectatum eſt. Offendi rebus iſtis tam ridiculum eſt, quàm queri, quòd ſpargaris in publico, aut inquineris in luto. Eadem vitæ condicio eſt, quæ balnei, turbæ, itineris: [5] quædam intermittentur, quædam incident. Non eſt delicata res, viuere. Longam viam ingreſſus es: & labaris oportet, & arietes, & cadas, & laſſeris, & exclames: [6] O mors, id eſt, mentiaris. Alio loco comitem relinques, alio efferes, alio timebis. Per eiuſmodi offenſas emetiendum eſt confragoſum hoc iter. Mori me vult? præparetur animus contra omnia. Sciat ſe veniſſe [7] vbi patiatur fulmen; ſciat ſe veniſſe, vbi

C *Luctus & vltrices poſuere cubilia curæ,*
Pallentesque habitant morbi, triſtisque ſenectus.

In hoc contubernio vita degenda eſt. Effugere iſta non potes, contemnere potes: contemnes autem, ſi ſæpè cogitaueris, & futura præſumpſeris. Nemo non fortiùs ad id cui ſe diu compoſuerat, acceſſit, & duris quoque, ſi præmeditata erant, obſtitit. At contrà imparatus, etiam leuiſſima expauit. Id agendum eſt, ne quid nobis inopinatum ſit: & quia omnia nouitate grauiora ſunt, hæc cogitatio aſſidua præſtabit, vt nulli ſis malo tiro. Serui te reliquerunt. Alium compilauerunt, alium accuſauerunt, alium occiderunt, alium prodiderunt, alium calcauerunt, alium veneno, alium criminatione petierunt. Quid-

EPIST. CVII. 1. HABEANT ENIM SANE NOMEN.] *Nam Stoici aliter, qui volunt ſolos Sapientes inter ſe amicos eſſe; reliquos, magis* Socios, *& vtilitate aliquâ iunctos, quàm Amicos.*

D 2. EPICVRVS NOSTER.] *Ideò*, noſter, *quia ad Lucilium ſcribit: quem ſuprà etiam notabamus in ſetâ illâ fuiſſe. Epicurus autem Amicos ſolâ vtilitate cenſet, & parari vult διὰ τὰς χρείας*: ob vſus: ſicut & terram ſerimus ob fructus. *Laërtius: & adde ſuprà, epiſt.* IX.

3. QVO TVRPIVS NON SINT.] *Valdè hæc confuſa. Fortaſſe*: quid? turbandiſne ſint omnibus rebus tuis? *Non dico ſi ſerui fugiant, ſed ſi Amici illi vulgares (veri non poſſunt) deſerant: ideóne angare, & res tuas turbatas rationeſq; putes? Pincianus aut Muretus faciebant:* quota pars abeſſet rebus tuis?

4. MOLESTVM ESSE CREDEBANT.] *Sic omnes libri: at Muretus*, moleſtum reddebant. *Haud malè, pro ſenſu: pro vero putem*, te alijs moleſtum & ſe reddebant. *Ipſi importuni, & te faciebant: dum protrahi & commendari volunt, & ſpes ſuas te iuuante impleri.*

5. QVÆDAM INTERMITTENTVR] *Fallor, aut*, immittentur, *verius: ſiue*, in te mittentur. *Alij conſilio lædent, & te petent; alij & alia caſu.*

6. O MORS, ID EST, MENTIARIS.] *Argutè hoc Muretus. Nam optant mortem, ſed ore: mens abhorret, & fugiat aduentantem. Libri tamen quidam*, metiaris: *nec malè, ſi*: id eſt, emetiaris. *Hic finis & meta erit viæ, & mortem clamabis, & habebis. Certè hîc viantium imago.*

7. VBI PATIATVR FVLMEN.] *Ita meus & plures ſcripti. at alij*: vbi tonat fulmen. *E quibus Iac. Lectius acutè*: vbi tonat, & fulminat. *Equidem è priore illâ lectione nihil concinno, niſi placet*: vbi glaciat, vbi fulminat.

Quidquid dixeris, multis [8] accidit. Deinceps quæ multa & varia sunt in nos diriguntur. A
[9] Quædam in nos fixa sunt, quædam vibrant, & cummaximè veniunt, quædam ad alios peruentura [10] nos stringunt. Nihil miremur eorum ad quæ nati sumus: quæ ideò nulli quærenda, quia paria sunt omnibus. Ita dico paria sunt. nam etiam quod effugit aliquis, pati potuit. Æquum autem ius est, [11] non quo omnes vsi sunt, sed quod omnibus latum est. Imperetur æquitas animo, & sine querelâ mortalitatis tributa pendamus. Hiems frigora adducit: algendum est. æstas calores refert: æstuandum est. intemperies cæli valetudinem tentat: ægrotandum est. Et fera nobis loco occurret, & homo perniciosior feris omnibus. Aliud aqua, aliud ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non possumus: id possumus, magnum sumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, & naturæ consentiamus. Natura autem hoc, quod vides, regnum mutationibus temperat. Nubilo serena succedunt: turbantur maria, cùm quieuerunt: flant inuicem venti: noctem dies sequitur: pars cæli consurgit, pars mergitur: contrarijs rerum æternitas constat. Ad hanc legem animus noster aptandus est: hanc B
sequatur, huic pareat: & quæcumque fiunt, debuisse fieri putet: nec velit obiurgare naturam. Optimum est pati, quod emendare non possis: & [12] Deum, quo auctore cuncta proueniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia, nec deseramus hunc operis pulcherrimi cursum, cui quidquid patimur, intextum est: & sic alloquamur Iouem, cuius gubernaculo moles ista dirigitur, quemadmodum Cleanthes noster versibus disertissimis alloquitur. quos mihi in nostrum sermonem mutare permittitur, Ciceronis viri disertissimi exemplo. Si placuerint, boni consules: si displicuerint, scies me in hoc secutum [13] Ciceronis exemplum.

[14] *Duc me parens, celsíque dominator poli,*
Quocumque placuit. nulla parendi mora est:
Assum impiger. fac nolle. comitabor gemens:
[15] *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*
Malusque patiar, quod pati licuit bono. C

Sic viuamus, sic loquamur. paratos nos inueniat atque impigros fatum. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit: at contrà ille pusillus ac degener, qui oblu&tatur, & de ordine mundi malè existimat, & [16] emendare mauult deos, quàm se.

8. ACCIDIT. DEINCEPS.] *Corrupta. Fortè*, accidit, & accidet deinceps. Quàm multa & varia in nos diriguntur? *Vel*, varia sunt, quæ in nos.

9. QVÆDAM IN NOS FIXA.] *Legam*, in ossibus fixa: *vel certè*, in nobis.

10. NOS STRINGVNT.] *Libant nos leuiter, sed alibi sedent & feriunt. Per nostrum latus, alius læditur.*

11. NON QVO OMNES VSI SVNT.] *Mallem*, vsuri sunt.

12. DEVM, QVO AVCTORE.] *Hoc enim Stoici capitale dogma habebant, & finem statuebant, Naturam, id est Deum sequi. Vide Manduct. II. Dissert. XIX.*

13. CICERONIS EXEMPLVM.] *Quem eloquentia sua (ait Seneca pater) in carminibus destituit: Præfat. lib. III. Controu.*

14. DVC ME PARENS.] *Quidam*, Duc ô parens. *Ipsi Græci versus sunt in Epicteti Enchiridio, in fine; sanè egregij & pij, & Cleanthe illo digni.*

Ἄγε δέ μ' ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ Πεπρωμένη,
Ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμι διατεταγμένος.
Ὡς ἕψομαί γ' ἄοκνος. ἢν δὲ μὴ θέλω,
Κακὸς γενόμενος οὐδὲν ἧττον ἕψομαι.

15. DVCVNT VOLENTEM FATA.] *Non est in Græcis hic versus: & puto insiticium esse, atque alibi lectum.* D

16. EMENDARE MAVVLT.] *Carpit diuina & Prouidentiam; alia illa esse velit magis, quàm se alium.*

EPIST.

A

EPIST. CVIII.

QVOMODO philosophi legendi, vel audiendi sint? Cum dilectu, & ea maximè excerpenda & imbibenda, quæ faciunt vitæ. Oblectamenta qui quærunt, frustrà sunt: tu emendationem. Nec id difficile; Natura enim ipsa vocat ad Honestum. Semina eius & fomites in animo nostro sunt: surgunt & excitantur, cùm doctor & irritator accessit. A suo exemplo, cùm apud Attalum disceret. Ostendit deinde, vario fine atque animo ad auctores legendos veniri: nos autem debere illo Philosophi. Pareamus: & legite atque audite vos ô Philologi.

ID de quo quæris, ex his est, quæ scire, tantùm eò, vt scias, pertinet. Sed nihilominus quia pertinet, pertinaciter properas, nec vis exspectare libros, quos cummaximè ordino continentes totam moralem philosophiæ partem, statim expediam. Illud tamen priùs scribam, quemadmodum tibi ista cupiditas discendi, quâ flagrare te video, dirigenda sit, ne ipsa se impediat. Nec passim carpenda sunt, nec auidè inuadenda vniuersa:
B per partes peruenitur ad totum. Aptari onus viribus debet: nec plus occupari, quàm cui sufficere possumus. Non quantum vis, sed quantum capis, hauriendum est. bonum tantùm habe animum: capies, quantum voles. Quò plus recipit animus, hoc se magis laxat. Hæc nobis præcipere [1] Attalum memini, cùm scholam eius obsideremus, & primi veniremus, & nouissimi exiremus: ambulantem quoque illum ad aliquas disputationes euocaremus, non tantùm paratum discentibus, sed obuium. [2] Idem, inquit, & docenti, & discenti debet esse propositum: vt ille prodesse velit, hic proficere. Qui ad philosophorum scholas venit, quotidie secum aliquid boni ferat: aut sanior domum redeat, aut sanabilior. Redibit autem. ea enim philosophiæ vis est, vt non solùm studentes, sed etiam conuersantes iuuet. [3] Qui in solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur: qui in vnguentariâ tabernâ resederunt, & paullò diutiùs commorati sunt, odorem secum loci ferunt: & qui apud philosophum fuerunt, traxerint aliquid necesse est, quod
C prodesset etiam negligentibus. Attende quid dicam: negligentibus, non repugnantibus. Quid ergo? non nouimus quosdam, qui multis apud philosophum annis persederint, & ne colorem quidem duxerint? Quid ni nouerim? pertinacissimos quidem, & assiduos: quos ego non discipulos philosophorum, [4] sed inquilinos voco. Quidam veniunt vt audiant, non vt discant: sicut in theatrum voluptatis caussâ ad delectandas aures, oratione, vel voce, vel fabulis ducimur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui philosophi schola diuersorium otij sit. Non id agunt vt aliqua illic vitia deponant, vt aliquam legem vitæ accipiant, ad quam mores suos exigant, sed vt oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen & [5] cum pugillaribus veniunt, non vt res excipiant, sed verba: quæ tam sine profectu alieno discant, quàm sine suo audiant. Quidam ad magnificas voces excitantur, & transeunt in affectum dicẽtium, alacres vultu & animo: nec aliter concitantur, quàm solent [6] Phrygij tibicinis sono [7] semiuiri, & [8] ex imperio furen-

EPIST. CVIII. 1. ATTALVM MEMINI.] *De quo pater in Suasoriâ* 11. Attalus Stoicus, qui
D solum vertit à Seiano circumscriptus, magnæ vir eloquentiæ: ex philosophis, quos nostra ætas vidit, longè & subtilissimus & facundissimus. *Alibi noster nominat, laudatq;.*

2. IDEM, INQVIT, ET DOCENTI.] *Imò non* idem, *sed* id *verùs legas.*

3. QVI IN SOLEM VENIT.] *Memini in Ciceronis alibi (nisi fallor, De Oratore Dialogis) hanc similitudinem esse.*

4. SED INQVILINOS VOCO.] *Qui velut habitent ibi, sed in alieno: & ideò nec afficiuntur, nec proficiunt.*

5. CVM PVGILLARIBVS.] *At mira edictio, & cui tamen sua ratio, Zenonis Stoici:* Τὸν ἀκούοντα ἔτω πρὸς τοῖς λεγομένοις γίνεσθαι δεῖν, ὥςε μὴ λαμβάνειν χρόνον εἰς τὸ ὑπομνήσιον: Auditorem philosophi sic affici debere, & dictis intentum esse, vt nec otium habeat ad excerpta aut subnotationes.

6. PHRYGII TIBICINIS SONO.] *Lucianus in Nigrino:* Ὥσπερ γὰρ οἱ τὸ Φρυγίου αὐλοῦ ἀκούοντες, οὐ πάντες μαίνονται, ἀλλ' ὅσοι αὐτῶν τῇ Ῥέᾳ λαμβάνονται, ἔτοι δὲ πρὸς τὸ μέλος ὑπομεμνήσκονται τὰ πάθους: Sicut Phrygię tibię sonum qui audiunt, non omnes in furorem aguntur; sed qui Rheæ sacrati addictiq́ue sunt, illi reminiscuntur eo signo affectus.

7. SEMIVIRI.] *Galli.*

8. EX IMPERIO FVRENTES.] *Imperio Archigalli, & qui signum iubet dari.*

9. OMNI-

furentes. Rapit illos instigatque rerum pulchritudo, non verborum inanium sonitus. A
Si quid acriter contra mortem dictum est, si quid contra fortunam contumaciter, iuuat protinus quæ audias facere. Afficiuntur illi: & sint quales iubentur, si illa animo forma permaneat, si non impetum insignem protinus populus honesti dissuasor excipiat. Pauci illam, quam conceperant, mentem domum perferre potuerunt. Facile est auditorem concitare ad cupiditatem recti. [9] Omnibus enim natura fundamenta dedit, semenque virtutum: omnes ad omnia ista nati sumus: cùm irritator accessit, tunc illa animi bona velut sopita excitantur. Non vides quemadmodum theatra consonent, quoties aliqua dicta sunt, quæ publicè agnoscimus, & consensu vera esse testamur?

Desunt inopiæ multa, auaritiæ omnia.
In nullum auarus bonus est, in se pessimus.

Ad hos versus ille sordidissimus plaudit, & vitiis suis fieri conuicium gaudet. Quanto magis hoc iudicas euenire, cùm à philosopho ista dicuntur: cùm salutaribus præceptis versus inseruntur, efficaciùs eadem illa demissuri in animum imperitorum? Nam([10] vt B
dicebat Cleanthes) quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, cùm illum tuba per longi canalis angustias tractum, patentiore nouissimè exitu effudit: sic sensus nostros clariores carminis arcta necessitas efficit. Eadem negligentiùs audiuntur, minusque percutiunt, quamdiu solutâ oratione dicuntur: vbi accessêre numeri, & egregium sensum adstrinxêre certi pedes, eadem illa sententia velut lacerto excussa torquetur. De contemptu pecuniæ multa dicuntur, & longissimis orationibus hoc præcipitur, vt homines in animo, non in patrimonio putent esse diuitias: eum esse locupletem, qui [11] pauperati suæ aptus est, & paruo se diuitem fecit: magis tamen feriuntur animi, cùm carmine eiusmodi dicta sunt:

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.
Quod vult habet, qui velle quod satis est potest.

Cùm hæc atque eiusmodi audimus, ad confessionem veritatis adducimur. Illi enim quibus nihil satis est, admirantur, acclamant, odium pecuniæ indicunt. Hunc illorum affe- C
ctum vbi videris, vrge, hoc preme, hoc onera, relictis ambiguitatibus, & syllogismis, & cauillationibus, & ceteris acuminis irriti ludicris. Dic in auaritiam, dic in luxuriam. cùm profeciſſe te videris, & animos audientium affeceris, insta vehementiùs. Verisimile non est, quantum proficiat talis oratio remedio intenta, & tota in bonum audientium versa. Facillimè enim tenera conciliantur ingenia ad honesti rectique amorem. Adhuc docilibus leuiterque corruptis iniicit manum veritas, si aduocatum idoneum nacta est. Ego certè, cùm Attalum audirem, in vitia, in errores, in mala vitæ perorantem, sæpè misertus sum generis humani, & illum sublimem altioremq; humano fastigio credidi. [12] Ipse regem se esse dicebat: sed plus quàm regnare mihi videbatur, cui liceret censuram agere regnantium. Cùm verò commendare paupertatem cœperat, & ostendere, quàm quidquid vsum excederet, pondus esset superuacuum & graue ferenti: sæpè exire è scholâ pauperi libuit. Cùm cœperat voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam, puram mentem, non tantùm ab illicitis voluptatibus, sed etiam super- D
uacuis: libebat circumscribere gulam & ventrem. Inde mihi quædam permansere, Lucili. Magno enim in omnia impetu veneram: deinde ad ciuitatis vitam reductus, ex benè cœptis pauca seruaui. Inde ostreis boletisque in omnem vitam renunciatum est. Hæc enim non cibi, sed oblectamenta sunt, ad edendum saturos cogentia: quod gratissimum est edacibus, & se vltrà quàm capiunt farcientibus, facilè descensura, facilè reditura. Inde in omnem vitam vnguento abstinemus: quoniam optimus odor in corpore est nullus.

9. OMNIBVS NATVRA DEDIT.] *Explico in Manuduct.* II. *Dissert.* X.

10. VT DICEBAT CLEANTHES.] *Meritò ille, qui versibus pleraque scripsit: & suum igitur factum commendabat.*

11. PAVPERTATI SVÆ APTVS EST.] *Ad eam se accommodat, & aptat. non vltra modum viresq; eius cupit, aut sumit.*

12. IPSE REGEM SE.] *Stoico paradoxo. de quo Manuduct.* III. *Dissert.* XIII.

13. DECO-

A lus. Inde vino caret ſtomachus: inde in omnem vitam balneum fugimus. [13] Decoquere corpus, atque exinanire ſudoribus, inutile ſimul delicatumque credimus. Cetera proiecta redierunt: ita tamen, vt quorum abſtinentiam interrupi, modum ſeruem, & quidem abſtinentiæ proximiorem. neſcio an difficiliorem: quoniam quædam abſcinduntur faciliùs animo, quàm temperantur. Quoniam cœpi tibi exponere, quantum maiori impetu ad philoſophiam iuuenis acceſſerim, quàm ſenex pergam, non pudebit fateri, quem mihi amorem Pythagoræ [14] iniecerit Sotion. Docebat, [15] quare ille animalibus abſtinuiſſet, quare poſteà Sextius. Diſſimilis vtrique cauſſa erat, ſed vtrique magnifica. Hic homini ſatis alimentorum citra ſanguinem eſſe credebat, & crudelitatis conſuetudinem fieri, vbi in voluptatem eſſet adducta laceratio. Adiiciebat, contrahendam materiam eſſe luxuriæ: colligebat, bonæ valetudini contraria eſſe alimenta varia, & noſtris aliena corporibus. At Pythagoras [16] omnium inter omnia cognationem eſſe dicebat, & aliorum commercium in alias atque alias formas tranſeuntium. Nulla (ſi illi credas)
B anima interit, nec ceſſat quidē, niſi tempore exiguo, dum in aliud corpus transfunditur. Viderimus per quas temporum vices, & quando pererratis pluribus domiciliis, in hominem reuertatur: interim ſceleris hominibus ac parricidij metum fecit, cùm poſſint in parentis animam inſcij incurrere, & ferro morſúve violare, in quo cognatus aliquis ſpiritus hoſpitaretur. Hæc cùm expoſuiſſet Sotion, & impleſſet argumentis ſuis, Non credis, inquit, animas in alia corpora [17] atque alia deſcribi? & migrationem eſſe, quam dicimus eſſe mortem? Non credis in his pecudibus feríſve, [18] aut aquâ merſis, illum quondam hominis animum morari? Non credis nihil perire in hoc mundo, ſed mutare regionem? nec tantùm cæleſtia per certos circuitus verti, ſed animalia quoque per vices ire, & animos per orbem agi? Magni iſta crediderunt viri. itaque iudicium quidem tuum ſuſtine: ceterùm omnia tibi integra ſerua. Si vera ſunt iſta, abſtinuiſſe animalibus innocentia eſt: ſi falſa, frugalitas eſt. [19] Quod iſtic crudelitatis tuæ damnum eſt? Alimenta tibi leonum & vulturum eripio. His inſtinctus, abſtinere animalibus cœpi: & anno peracto
C non tantùm facilis erat mihi conſuetudo, ſed dulcis. [20] Agiliorem mihi animum eſſe credebam: nec tibi hodie affirmauerim, an fuerit. Quæris, quomodo deſierim? In Tiberij Cæſaris principatum iuuentæ tempus inciderat: [21] alienigenarum ſacra mouebantur: ſed inter argumenta ſuperſtitionis ponebatur, [22] quorumdam animalium abſtinentia. Patre itaque meo rogante, qui non calumniam timebat, ſed [23] philoſophiam oderat, ad priſtinam conſuetudinem redij: nec difficulter mihi, vt inciperem meliùs cænare, perſuaſit. Laudare ſolebat Attalus culcitram, quæ reſiſteret corpori: tali vtor etiam

13. DECOQVERE CORPVS.] *In balneis, & præſertim Laconicis: ad quæ ſpectant ſequentia.*

14. INIECERIT SOTION.] *Senecæ præceptor, de quo in epiſt.* XLIX. *& ego in Manuduct.* I. *Diſſert.* XII.

15. QVARE AN IMALIBVS.] *Exſtant diſſertationes duæ Plutarchi,* De eſu carnium, *pro Pythagoræ ſenſu, ſanè quàm argutæ. In alterâ etiam Stoicos tangit, qui cùm delicias ſpernant & reijciant, non item hanc cibi immanitatem. Vide, ſodes.*
D

16. OMNIVM INTER OMNIA COGNAT.] *Ob illam animarū, etiam in bruta corpora, migrationem. Ceterùm & prior illa ratio, quæ continentiam & valetudinem ſpectat, verè mouit Pythagoram: quod in Laërtio alyſq; leges.* Ἐντεῦθεν γὰρ καὶ σώματος ὑγίειαν, καὶ ψυχῆς ὀξύτητα περιγίνεσθαι: Hinc enim & corporis ſanitatem, & mentis ſagacitatem prouenire.

17. ATQVE ALIA DESCRIBI.] *Id eſt, diſtribui.*

18. AVT AQVA MERSIS.] *Id eſt, piſcibus. nam & iis vel maximè abſtinebant: Plutarchus.*

19. QVOD ISTIC CRVDEL.] *Sentētia eſſet. quid ita crudelitas tua hæc damna & ſtragem facit? Sed parùm pro mente Senecæ: & magis fuerit,* Quod iſtic, niſi crudelitati tuæ, damnum eſt? *Coërcetur ſæuitia tua in hac abſtinentiâ: quid aliud amittis? Poßit &,* credulitatis, *legi.*

20. AGILIOREM MIHI ANIMVM.] *Tecum ſentiam: & aßidua hæc κρεωφαγία, nimis Europæis vſurpata, brutos facit.*

21. ALIENIGENARVM SACRA.] *Siue, vt ego olim,* alienigena tum ſacra. *Nam vox,* gentium, *infarcta eſt præter libros. Iudæi autem & Aegyptij, ſub Tiberio, vrbe pulſi, & aliquot millia in Sardiniam ablegata. Tacitus,* II. *Annal. atque ego ibi.*

22. QVORVMDAM ANIMALIVM ABSTINENTIA.] *Vt ſuis.*

23. PHILOSOPHIAM ODERAT.] *Hunc ipſum patris auerſum ab eâ animum oßtendit & tangit, Conſol. ad Heluiam cap.* XVI. *Tamen aliter ipſe pater in Præfatione lib.* II. *Controu. vbi hortatur Melam filium ad hoc ſtudium, & quietem. Et ſanè aperta & indecora ſit patris hæc inſectatio. Itaque ambigo cum Iac. Lectio, an non veriùs:* qui non philoſophiam oderat, ſed calumniam timebat.

24. QVEM-

etiam ſenex, in quâ veſtigium apparere non poſſit. Hæc retuli, vt probarem tibi, quàm A
vehementes haberent tirunculi impetus primos ad optima quæque, ſi quis exhortaretur illos, ſi quis impelleret. Sed aliquid præcipientium vitio peccatur, qui nos docent diſputare, non viuere: aliquid diſcentium, qui propoſitum adferunt ad præceptores ſuos, non animum excolendi, ſed ingenium. Itaque quæ philoſophia fuit, facta philologia eſt. Multum autem ad rem pertinet, quo propoſito ad quam rem accedas. Qui grammaticus futurus, Virgilium ſcrutatur, non hoc animo legit illud egregium,

—— Fugit irreparabile tempus.

Vigilandum eſt: niſi properamus, relinquimur. agit nos, agiturque velox dies: inſcij rapimur. omnia in futurum diſponimus, & inter præcipita lenti ſumus. Sed vt obſeruet, quoties Virgilius de celeritate temporum dicit, hoc vti verbo illum, FVGIT.

Optima quæque dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit. ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis. B

Ille qui ad philoſophiam ſpectat, hæc eadem quò debet, abducit. Numquam Virgilius, inquit, dies dicit ire, ſed fugere, quod currendi genus concitatiſſimum eſt: & optimos quoſque primos rapi. Quid ergo ceſſamus nos ipſi concitare, vt velocitatem rapidiſſimæ rei poſſimus æquare? Meliora præteruolant, deteriora ſuccedunt. [24] Quemadmodum ex amphorâ primùm quod eſt ſinceriſſimum effluit, grauiſſimum quodque turbidumque ſubſidit: ſic in ætate noſtrâ, quod optimum, [25] in primo eſt. Id exhauriri in aliis potiùs patimur, vt nobis fæcem reſeruemus. Inhæreat iſtud animo, & tamquam miſſum oraculo placeat:

Optima quæque dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit. ——

Quare optima? quia reſtat quod incertum eſt. Quare optima? quia iuuenes poſſumus diſcere, poſſumus facilem animum, & adhuc tractabilem, ad meliora conuertere: quia hoc tempus idoneum eſt laboribus, idoneum agitandis per ſtudia ingeniis, & exercendis per opera corporibus. Quod ſupereſt, ſegnius & languidius eſt, & propius à fine. C
Itaque toto hoc agamus animo, & omiſſis ad quæ diuertimus, in rem vnam laboremus: ne hanc temporis perniciſſimi celeritatem, quam retinere non poſſumus, relicti demum intelligamus. Primus quiſque tamquam optimus dies placeat, & [26] redigatur in noſtrum. quod fugit, occupandum eſt. Hoc non cogitat ille, qui grammatici oculis carmen iſtud legit. ideò optimum quemque primum eſſe diem, quia ſubeunt morbi, quia ſenectus premit, & adhuc adoleſcentiam cogitantibus ſupra caput eſt: ſed ait, Virgilium ſemper vnà ponere morbos & ſenectutem, non mehercule immeritò. ſenectus enim inſanabilis morbus eſt. Prætereà, inquit, hoc ſenectuti cognomen impoſuit, triſtem illam vocat:

—— ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus.

Non eſt quòd mireris, ex eâdem materiâ ſuis quemque ſtudiis apta colligere. In eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertum. Cùm Ciceronis libros D
de Rep. prehendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philoſophiæ deditus: alius aliò curam ſuam mittit. Philoſophus admiratur, contra iuſtitiam dici tam multa potuiſſe. Cùm ad hanc eamdem lectionem philologus acceſſit, hoc ſubnotat, duos Romanos reges eſſe, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Seruij matre dubitatur: [27] Anci pater nullus, Numæ nepos dicitur. Prætereà notat eum quem nos dictatorem dicimus, & in hiſtoriis ita nominari legimus, apud antiquos magiſtrum

24. QVEMADMODVM EX AMPHORA.] *Talia in epiſt.* 1. *vide. Tale & in Anthologiâ lib.* 1.
Α᾽ν περιλειφθῇ μικρὸν ἐν ἀγγεσιν ἥδεος ὄινυ,
Ε᾽ις ὀξὺ τρέπεται τοῦτο τὸ λειπόμενον.
Οὕτως ἀντλήσας τὸν ὅλον βίον, εἰς βαθὺ δ᾽ ἐλθὼν
Γῆρας, ὁ πρεσβύτης γίγνεται ὀξύχολος:
Si quid de vino meliori in vaſe relictum eſt,
Mox vitium ducit, & peraceſcit idem.
Sic qui iam vitæ peruênit ad vltima, iſipſe
Sumit acorem, & fit triſtis ab ingenio.

25. IN PRIMO EST.] *Nec malè*, in primâ.

26. REDIGATVR IN NOSTRVM.] *Vſurpemus & fruamur. Dies enim ita fiunt noſtri (poëta vetus:* Hic meus eſt, dixêre, dies:) *alieni & nihil ad nos, qui elabuntur.*

27. ANCI PATER NVLLVS.] *Non quin reipsâ fuerit,*

A giſtrum populi vocatum. Hodieque id extat in Auguralibus libris: & teſtimonium eſt, quòd qui ab illo nominatur magiſter equitum eſt. Æquè notat, Romulum periſſe ſolis defectione. Prouocationem ad populum etiam à regibus fuiſſe. Id ita in Pontificalibus libris aliqui putant, & Feneſtella. Eoſdem libros cùm grammaticus explicuit, primùm REAPSE dici ab Cicerone, id eſt, reipsâ, in commentarium refert; nec minus SEPSE, id eſt, ſe ipſe. Deinde tranſit ad ea, quæ conſuetudo ſæculi mutauit: tamquam quod ait Cicero, *Quoniam ſumus ab ipsâ calce, eius interpellatione reuocati*: hanc quam nunc [28] in circo cretam vocamus, calcem antiqui dicebant. Deinde Ennianos colligit verſus, & in primis illos de Africano ſcriptos:

—— Cui nemo ciuis neque hoſtis
Quiuit pro factis reddere [29] opræpretium.

Ex eo ſe ait intelligere, apud antiquos [30] non tantùm auxilium ſignificaſſe operam, ſed opera. ait enim neminem potuiſſe Scipioni neque ciuem, neque hoſtem reddere operæ
B pretium. Felicem deinde ſe putat, quòd inuenerit, vnde viſum ſit Virgilio dicere:

—— Quem ſuper ingens
Porta tonat cæli. ——

[31] Ennium hoc ait Homero ſurripuiſſe; Ennio Virgilium. Eſt enim apud Ciceronem in his ipſis de Rep. hoc Epigramma:

Si fas endo plagas cæleſtum aſcendere cuiquam:
Mî ſoli cæli maxima porta patet.

Sed ne & ipſe, dum aliud ago, in philologum aut grammaticum dilabar, illud admoneo, auditionem philoſophorum, lectionemque ad propoſitum beatæ vitæ trahendam: non vt verba priſca aut ficta captemus, & tranſlationes improbas figuraſque dicendi, ſed vt profutura præcepta, & magnificas voces, & animoſas, quæ mox in rem transferantur. Sic iſta diſcamus, vt quæ fuerunt verba, ſint opera. Nullos autem peiùs mereri de omnibus mortalibus iudico, quàm qui philoſophiam velut aliquod artificium væ-
C nale didicerunt: qui aliter viuunt, quàm viuendum eſſe præcipiunt. Exempla enim ſe-ipſos inutilis diſciplinæ circumferunt, nulli non vitio quod inſequuntur, obnoxij. Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor, quàm gubernator in tempeſtate nauſeabundus. Tenendum eſt, rapiente fluctu, gubernaculum, luctandum cum ipſo mari, eripienda ſunt vento vela: quid me poteſt adiuuare rector nauigij attonitus & vomitans? Quanto maiore putas vitam tempeſtate iactari, quàm vllam ratem? non eſt loquendum, ſed gubernandum. Omnia quæ dicunt, quæ turbâ audiente iactant, aliena ſunt. dixit illa Plato, dixit Zeno, dixit Chryſippus, & Poſidonius, & ingens agmen tot ac talium. Quomodo probare poſſint ſua eſſe, monſtrabo: faciant quæ dixerint. Quoniam quæ volueram ad te perferri, iam dixi, nunc deſiderio tuo ſatisfaciam, & in alteram epiſtolam integrum quod exegeras tranſferam: ne ad ſpinoſam, & auribus erectis curioſiſque audiendam, laſſus accedas.

D *fuerit, ſed famæ traditus non extat. Obſcurauit eum Numæ claritas: atque ita* Numæ nepotem *Liuius & Dionyſius dicunt.*

28. IN CIRCO CRETAM.] *Ab ipsâ re, quia, vt Plinius ait*, cretâ circum præducere ſolent, ad victoriæ notam: *id eſt, metam eâ ſignare, vt conſpicua eſſet. Idipſum calce factum: & inde etiam nomen. Lucretius*:

— præſcripta ad candida calcis.

29. OPRÆPRETIVM.] *Pro* operæ: *vt* poplus, poclum, *antiqui, extritis litteris medijs: nec in carmine ſolùm, ſed vulgò.*

30. NON TANTVM AVXILIVM.] *Vt in Comœdijs ſæpè, Da mihi hanc operam.*

31. ENNIVM HOC AIT HOMERO.] *Apud quem domus Olympi eſt, & portas ſuas habet. vt Iliad. Θ.*

Πρώτῃσι δ' ἐν πύλῃσι πολυπτύχου Οὐλύμποιο:
In portis primis ſeſe replicantis Olympi.

A

EPIST. CIX.

QVAESTIVNCVLA, An ſapiens ſapienti, & quomodo proſit? Cauſſa dubitandi, quia omnia ſumma in ſapiente, nec adiectioni locus. Reſpondet tamen prodeſſe, & diſtinctè exſequitur. In fine deteſtatur argutias inutiles.

AN ſapiens ſapienti proſit, ſcire deſideras. Dicimus plenum omni bono eſſe ſapientem, & ſumma adeptum: quomodo prodeſſe aliquis poſſit ſummum bonum habenti, quæritur. Proſunt inter ſe boni: exercent enim virtutes, & ſapientiam in ſuo ſtatu continent. deſiderat vterque aliquem, cum quo conferat, cum quo quærat. Peritos luctandi, vſus exercet: muſicum, qui paria didicit, monet. Opus eſt & ſapienti, agitatione virtutum. Ita quemadmodum ipſe ſe mouet, ſic mouetur ab alio ſapiente. Quid ſapiens ſapienti proderit? impetum illi dabit, occaſiones actionum honeſtarum commonſtrabit. Præter hæc, aliquas ſuas cogitationes exprimet, docebit quæ inuenerit. Semper enim ſapienti reſtabit quod inueniat, & quo animus eius excurrat. Malus malo nocet: facit peiorem, iram, metum incitando, triſtitiæ aſſentiendo, voluptates laudando: & tunc maximè laborant mali, vbi plurium vitia miſcuêre, & in vnum collata nequitia eſt: ergo ex contrario, bonus bono proderit. Quomodo inquis? Gaudium illi afferet, fiduciam confirmabit, ex conſpectu mutuæ tranquillitatis creſcet vtriuſque lætitia. Præterea, quarumdam illi rerum notitiam tradet. non enim omnia ſapiens ſcit: etiamſi ſciret, breuiores vias rerum aliquis excogitare poſſit, & has indicare, per quas faciliùs totum opus circumfertur. Proderit ſapienti ſapiens: non ſcilicet tantùm ſuis viribus, ſed ipſius quem adiuuat. Poteſt quidem ille etiam relictus ſibi, explicare partes ſuas. Vtetur propriâ velocitate: ſed nihilominus adiuuat etiam, qui currentem hortatur. Non prodeſt tantùm ſapiens ſapienti, ſed ſibiipſi. Obiicies. Detrahe illi vim propriam, & ille nihil agit. Iſto modo dicas licet, non eſſe in melle dulcedinem. [1] Nam ipſe ille qui eſt, eſſe debet ita aptatus linguâ palatoque ad huiuſmodi guſtum, vt ille tali ſapore capiatur, non offendatur. Sunt enim quidam, quibus morbi vitio mel amarum videatur. Oportet vtrumque talem eſſe, vt & ille prodeſſe poſſit, & huic profecturo idonea materia ſit. In ſummum, inquit, producto calorem calefieri ſuperuacuum eſt: & in ſummum producto bonum ſuperuacuum eſt, quod proſit. Numquid inſtructus omnibus rebus agricola, ab alio inſtrui quærit? Numquid armatus miles quantum in aciem exituro ſatis eſt, ampliùs arma deſiderat? Ergo nec ſapiens. ſatis enim vitæ inſtructus, ſatis armatus eſt. Qui in ſummo eſt calore, ei non opus eſt adiecto, vt ſummum teneat. Ipſe ſe, inquit, calor continet. Ad hæc reſpondeo. Primùm multum intereſt inter iſta, quæ comparas. Calor enim vnus eſt: prodeſſe varium eſt. Deinde calor non adiuuatur adiectione caloris, vt caleat: ſapiens non poteſt in habitu ſuæ mentis ſtare, niſi amicos aliquos ſimiles ſui admiſit, cum quibus virtutes ſuas communicet. Adiice nunc, quòd omnibus inter ſe virtutibus amicitia eſt. Itaque prodeſt, qui [2] virtutes alicuius pares ſuis amat, amandaſque inuicem præſtat. Similia delectant: vtique vbi honeſta ſunt, & probare ac probari ſciunt. Etiamnum. Sapientis animum peritè mouere nemo alius poteſt, niſi ſapiens: ſicut hominem mouere rationaliter non poteſt, niſi homo. Quomodo ergo ad rationem mouendam ratione opus eſt: ſic vt moueatur ratio perfecta, opus eſt ratione perfectâ. Prodeſſe dicuntur, & qui media nobis largiuntur, pecuniam, gratiam, incolumitatem, alia in vſus vitæ cara aut neceſſaria: in his dicetur etiam ſtultus ſapienti prodeſſe. Prodeſſe autem eſt, animum ſecundùm naturam mouere virtute ſuâ, aut eius qui mouebitur. Hoc non ſine ipſius quoque qui proderit, bono fiet. neceſſe eſt enim, alienam virtutem

B C D

EPIST. CIX. 1. NAM IPSE ILLE QVI EST.] *Valet, qui edit.*

2. VIRTVTES ALICVIVS PARES SVIS.] *Nam Stoicum dogma erat, & Virtutes inter ſe pares, & omnes item Sapientes: neminem alterum excellere. Vide Manuduct. II. Diſſert. XIX.*

3. SVM-

A tutem exercendo, exerceat & ſuam. Sed vt remoueas iſta, quæ aut ſumma bona ſunt, aut [3] ſummorum efficientia, nihilominus prodeſſe inter ſe ſapientes poſſunt. Inuenire enim ſapientem, ſapienti per ſe res petenda eſt: quia naturâ bonum omne carum eſt bono: & ſic quiſque conciliatur bono, quemadmodum ſibi. Neceſſe eſt, ex hac quæſtione, argumenti cauſsâ, in alteram tranſeam. Quæritur enim, an deliberaturus ſit ſapiens: an in conſilium aliquem aduocaturus: quod facere illi neceſſarium eſt, cùm ad hæc ciuilia & domeſtica venitur, & (vt ita dicam) mortalia. In his ſic illi opus eſt alieno conſilio, quomodo medico, quomodo gubernatori, quomodo aduocato, & litis ordinatori. Proderit ergo ſapiens aliquando ſapienti: ſuadebit enim: ſed in illis quoque magnis ac diuinis, vt diximus, communiter honeſta tractando, & animos cogitationeſque miſcendo, vtilis erit. Præterea ſecundùm naturam eſt & amicos complecti, & amicorum actu, vt ſuo proprioque lætari. Nam ſi hoc non fecerimus, ne virtus quidem nobis permanebit, quæ in exercendo ſe, vſu valet. Virtus autem ſuadet præſentia benè collocare, in
B futurum conſulere, deliberare, & intendere animum: faciliùs intendet explicabitque qui aliquem ſibi aſſumpſerit. Quærit itaque aut perfectum virum, aut proficientem, vicinumque perfecto. Proderit autem ille perfectus, ſi conſilium communi prudentiâ iuuerit. Aiunt homines plus in alieno negotio videre, quàm in ſuo: hoc illis euenit, quos amor ſui excæcat, quibuſque diſpectum vtilitatis timor in periculis excutit. Incipiet ſapere ſecurior, & extra metum poſitus. Sed nihilominus quædam ſunt, quæ etiam ſapientes in alio, quàm in ſe, diligentiùs vident. Præterea illud quod dulciſſimum honeſtiſſimumque eſt, idem velle atque idem nolle, ſapiens ſapienti præſtabit. Egregium opus pari iugo ducet. Perſolui quod exegeras, quamquam in ordine rerum erat, quas moralis philoſophiæ voluminibus complectimur. Cogita, quod ſoleo frequenter tibi dicere: In iſtis nos nihil aliud quàm acumen exercere. Toties enim illò reuertor: Quid iſta me res iuuat? fortiorem faciet, iuſtiorem, temperatiorem? Nondum exerceri vacat: adhuc medico mihi opus eſt. Quid me doces ſcientiam inutilem? magna promiſiſti: exigua vi-
C deo. Dicebas intrepidum fore, etiamſi circa me gladij micarent, etiamſi mucro tangeret iugulum: dicebas ſecurum fore, etiamſi circa me flagrarent incendia, etiamſi ſubitus turbo toto nauem meam mari raperet. [4] Hæc mihi præſta tu, vt voluptatem, vt gloriam contemnam: poſteà docebis implicita ſoluere, ambigua diſtinguere, obſcura perſpicere: nunc doce, quod neceſſe eſt.

EPIST. CX.

GENIOS *ſingulis datos: quos fauentes habet, qui Bonam mentem habet. Vota noſtra & iudicia improba eſſe, res non ex vero æſtimantium. Vana optari, vana timeri. Remedium vtriſque à Philoſophiâ: quò nos vocat, ſpretis ſuperuacuis. Luxum denique producit, & caſtigat, Attali egregiâ oratione.*

D EX Nomentano meo te ſaluto, & iubeo te habere mentem bonam, [1] hoc eſt, propitios deos omnes: quos habet placatos & fauentes, quiſquis [2] ſibi ſe propitiauit. Sepone in præſentiâ, quæ quibuſdam placent: [3] Vnicuique noſtrûm pædagogum dari Deum,

3. SVMMORVM EFFICIENTIA.] *Nota de Bonis* Efficientibus: *quæ explico Manud.* II. *Diſſert.* XXII.

4. HÆC MIHI PRÆSTA TV, VT VOLVPT.] *Putarem*: Hæc mihi præſta: tum vt vol.

EPIST. CX. 1. HOC EST, PROPITIOS DEOS.] *Imò bonus & beatus non aliud eſt quàm* εὐδαίμων *Græcis, id eſt* εὖ τὸν δαίμονα ἔχων, bonum Deum Geniumque habens. *in Manuduct.* II. *Diſſert.* XIX.

2. SIBI SE PROPITIAVIT.] *Quod bonus fecit, qui in tranquillo & pacato ſemper eſt, non ſibi non aliis infeſtus. Vtrumque iſtud, mali.*

3. VNICVIQVE NOSTRVM PÆDAGOGVM.] *Viæ & vitæ huius ducem. Ita in tabulâ Cebetis* Senex ſupernè ſtat, chartam manu tenens vnâ, & alterâ neſcio quid monſtrans: atque is eſt Genius. Mandat autem in vitam ingredientibus, quid faciendum ſit, & cui viæ ſe committere debeant, ſi velint eſſe ſalui. *Ecce Pædagogum. & plura ego ex profeſſo Phyſiol.* I. *Diſſert.* XIX.

Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ, ex eorum numero quos Ouidius ait, *de plebe deos*. Ita tamen hoc ſeponas volo, vt memineris maiores noſtros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuiſſe: ſingulis enim [4] & Genium & Iunonem dederunt. Poſteà videbimus, an tantum diis vacet, vt priuatorum negotia procurent: interim illud ſcito, [5] ſiue aſſignati ſumus, [6] ſiue neglecti, & fortunæ dati, nulli te poſſe imprecari quidquam grauius, quàm ſi imprecatus fueris, vt ſe habeat iratum. Sed non eſt, quare cuiquam, quem dignum pœnâ putaueris, optes, vt infeſtos deos habeat: habet, inquam, etiamſi videtur eorum curâ & fauore produci. Adhibe diligentiam tuam, & intuere, quid ſint res noſtræ, non quid vocentur: & ſcies plura mala [7] contingere nobis, quàm accidere. Quoties enim felicitatis cauſſa, & initium fuit, quod calamitas vocabatur? Quoties magnâ gratulatione excepta res gradum ſibi ſtruxit in præceps, & aliquem iam eminentem alleuauit etiamnum, tanquam ibi adhuc ſtaret, vnde tutò caderet? ſed ipſum illud cadere non habet in ſe mali quidquam, ſi exitum ſpectes, vltra quem natura neminem deiicit. Propè eſt rerum omnium terminus, propè eſt, inquam, & illud vnde [8] felix eiicitur, & illud vnde [9] infelix emittitur. Nos vtraque extendimus, & longa ſpe ac metu facimus. Sed ſi ſapis, omnia humanâ [10] conditione metire: ſimul & quod gaudes, & quod times contrahe. Eſt tanti, diu nihil gaudere, ne quid diu timeas. Sed quare iſtuc malum adſtringo? non eſt quòd quidquam timendum putes. Vana ſunt iſta quæ nos mouent, quæ attonitos habent. Nemo noſtrûm quid veri eſſet, excuſſit, ſed metum alter alteri tradidit. Nemo auſus eſt ad id quo perturbatur accedere, & naturam ac bonum timoris ſui noſſe. Itaque res falſa & inanis habet adhuc fidem, quia non coarguitur. Tanti putemus oculos intendere: iam apparebit quàm breuia, quàm incerta, quàm tuta timeantur. Talis eſt animorum noſtrorum confuſio, qualis Lucretio viſa eſt:

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: ita nos in luce timemus.

Quid ergo? Non omni puero ſtultiores ſumus, qui in luce timemus? Sed falſum eſt, Lucreti: non timemus in luce. omnia nobis fecimus tenebras: nihil videmus, nec quid noceat, nec quid expediat. totâ vitâ incurſitamus, nec ob hoc reſiſtimus, aut circumſpectiùs pedem ponimus. Vides autem quàm ſit furioſa res, in tenebris impetus. At mehercule id agimus, vt longiùs reuocandi ſimus: & cùm ignoremus quò feramur, velociter tamen illò quò intendimus, ire perſeueramus. Sed luceſcere, ſi velimus, poteſt. Vno autem modo poteſt, ſi quis hanc humanorum diuinorumque notitiam acceperit: ſi illâ ſe non perfuderit, ſed infecerit: ſi eadem quamuis ſciat, retractauerit, & ad ſe ſæpè retulerit: ſi quæſierit quæ ſint bona, quæ ſint mala; quibus hoc ſit falsò nomen adſcriptum: ſi quæſierit de honeſtis, de turpibus, de prouidentiâ. Nec intra hæc humani ingenij ſagacitas ſiſtitur. proſpicere & [11] vltra mundum libet, [12] quo feratur, [13] vnde ſurrexerit, in quem exitum tanta rerum velocitas properet. Ab hac diuinâ contemplatione abductum animum in ſordida & humilia pertraximus, vt auaritiæ ſeruiret, vt relicto

mundo

4. ET GENIVM ET IVNONEM.] *Hoc ita accipe, non vt ſinguli vtrumque habuerint, ſed vt alterum: & clarius eſſet*, aut Genium, aut Iunonem. *Nam viris Genij attribuebantur, fœminis Iunones. Itaque mulieres Iunonem inuocabant, aut aduocabant. vt illa apud Petronium*: Iunonem meam iratam habeam. *In Tibullo, amator ad ſuam*: Hæc per ſancta tuæ Iunonis numina iuro. *In Satyrico*; Et per Iunonem domini iurante miniſtro: *ſcilicet illo molli & pathico, qui fœminam ſe ferret & exhiberet*.

5. SIVE ASSIGNATI SVMVS.] *Suo quiſque Deo. ſicut* Aſſignare ſeruum aut libertum, *in Iuris libris*.

6. SIVE NEGLECTI.] *Vt nemo curam noſtri gerat, Prouidentia non ſit*.

7. CONTINGERE NOBIS.] *Ex voto & optato*.

8. FELIX EIICITVR.] *Inuitus & reluctans abit*.

9. INFELIX EMITTITVR.] *A miſeriis liberandus*.

10. CONDITIONE METIRE.] *Si licebit, ſi longum erit, ſi eueniet. Nihil tibi promitte in alterutrâ ſorte*.

11. VLTRA MVNDVM LIBET.] *Vbi Vacuum eſt*.

12. QVO FERATVR.] *Illoipſo Vacuo, in quo voluitur. Niſi accipis*, quò *& ad quem finem feratur: nullum, quia in ſe redit*.

13. VNDE SVRREXERIT.] *A quibus principijs*.

14. QVÆ-

A mundo terminiſque eius, & dominis cuncta verſantibus, terram rimaretur, & quæreret quid ex illâ mali effoderet, non contentus oblatis. Quidquid nobis bono futurum erat, Deus & parens noſter in proximo poſuit. Non expectauit inquiſitionem noſtram: vltrò dedit: nocitura altiſſimè preſſit. Nihil niſi de nobis queri poſſumus. ea quibus periremus, nolente rerum naturâ & abſcondente, protulimus. Addiximus animum voluptati: cui indulgere, initium omnium malorum eſt. Tradidimus ambitioni & famæ, ceteris æquè vanis & inanibus. Quid ergo nunc te hortor vt facias? nihil noui: nec enim nouis malis remedia quæruntur: ſed hoc primùm, vt tecum ipſe diſpicias, quid ſit neceſſarium, quid ſuperuacuum. Neceſſaria tibi vbique occurrent: ſuperuacua & ſemper, & toto animo [14] quærenda ſunt. Non eſt autem quòd te nimis laudes, ſi contempſeris aureos lectos, & gemmeam ſupellectilem: quæ eſt enim virtus, ſuperuacua contemnere? tunc te admirare, cùm contempſeris neceſſaria. Non magnam rem facis, quòd viuere ſine regio apparatu potes: quòd non deſideras [15] milliarios apros, nec [16] linguas
B phœnicopterorum, & alia portenta luxurię iam tota animalia faſtidientis, & certa membra ex ſingulis eligentis. Tunc te admirabor, ſi non contempſeris etiam ſordidum panem: ſi tibi perſuaſeris, herbas, vbi neceſſe eſt, non pecori tantùm, ſed homini naſci: ſi ſcieris cacumina arborum explementum eſſe ventris, in quem ſic pretioſa congerimus, tamquam recepta ſeruantem. ſine faſtidio implendus eſt. Quid enim ad rem pertinet, quid accipiat, perditurus quidquid acceperit? Delectant te diſpoſita, quæ terrâ marique capiuntur. alia eò gratiora, ſi recentia perferuntur ad menſam: alia, ſi diu paſta & coacta pingueſcere, fluunt, ac vix ſaginam continent ſuam. Delectat te nidor horum, arte quæſitus. At mehercule iſta ſollicitè ſcrutata, varieque condîta, cùm ſubierint ventrem, vna atque eadem fœditas occupabit. Vis ciborum voluptatem contemnere? exitum ſpecta. Attalum memini cum magnâ admiratione omnium hæc dicere: Diu mihi, inquit, impoſuere diuitiæ. ſtupebam, vbi aliquid ex illis alio atque alio loco fulſerat: exiſtimabam ſimilia eſſe quæ laterent, his quæ oſtenderentur. Sed [17] in quodam apparatu vidi totas
C opes vrbis, cælatas ex auro & argento, & his quæ pretium auri argentique vicerunt, exquiſitos colores, & veſtes vltra non tantùm noſtrum, ſed vltra finem hoſtium aduectas. Hinc puerorum perſpicuos cultu atque formâ greges, hinc fœminarum, & alia quæ res ſuas recognoſcens ſummi imperij fortuna protulerat. Quid hoc eſt, inquam, aliud quàm irritare cupiditates hominum per ſe incitatas? Quid ſibi vult iſta pecuniæ pompa? ad diſcendam auaritiam conuenimus. At mehercules minus cupiditatis iſtinc effero, quàm attuleram. Contempſi diuitias, non quia ſuperuacuæ, ſed quia puſillæ ſunt. Vidiſtíne, quàm intra paucas horas ille ordo, quamuis lentus diſpoſituſque, tranſierit? hoc totam vitam noſtram occupabit, quod totum diem occupare non potuit? Acceſſit illud quoque. tam ſuperuacuæ mihi viſæ ſunt habentibus, quàm fuerant ſpectantibus. Hoc itaque ipſi mihi dico, quoties tale aliquid præſtrinxerit oculos meos, quoties occurrit domus ſplendida, [18] cohors culta ſeruorum, [19] lectica formoſis impoſita calonibus: Quid miraris? quid ſtupes? Pompa eſt. Oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur: & dum
D placent, tranſeunt. Ad veras potiùs te conuerte diuitias: diſce paruo eſſe contentus: & illam vocem magnus atque animoſus exclama: [20] *Habeamus aquam, habeamus polentam, Ioui ipſi de felicitate controuerſiam faciamus.* Faciamus, oro te, etiam ſi iſta defuerint.

Turpe

14. QVÆRENDA SVNT.] *Vt longè poſita, nec oblata.*

15. MILLIARIOS APROS.] *Saginatos, grandes, mille librarum. In Poliorceticis de hoc luxu affatim dixi.*

16. LINGVAS PHOENICOPTERORVM.] *Apicio iudice eximij ſaporis. Vide Martialis epigramma* LXXI. *lib.* XIII. *Suetonium Vitellio, cap.* XIII.

17. IN QVODAM APPARATV.] *Circenſi, vt apparet ex ſequentibus: nam &* Ordinem, *&* Pompam *nominat.*

18. COHORS CVLTA SERVORVM.] *Ad multitudinem reſpicit. & benè item* cohors, *quia militari habitu erant, vt in epiſt.* XLVII.

19. LECTICA FORMOSIS.] *Nam & ſeruos lecticarios eligebant proceros, pulchros. Electorum meorum* I. *cap.* XIX.

20. HABEAMVS AQVAM.] *Sunt Epicuri verba, apud Stobæum iſta:* Ἐπίκουρος ὁ Γαργήττιος κέχραγε λέγων· ᾧ ὀλίγον οὐκ ἱκανόν, τούτῳ γε οὐδὲν ἱκανόν. ἔλεγε δὲ ἑτοίμως ἔχειν καὶ τῷ Διὶ ὑπὲρ εὐδαιμονίας ἀγωνίζεσθαι, μᾶζαν ἔχων καὶ ὕδωρ: Epicurus

Turpe eſt, beatam vitam in auro & argento reponere: æquè turpe eſt in aquâ & polentâ. A Quid ergo faciam, ſi iſta non fuerint? Quæris, quod ſit remedium inopiæ? [21] famem fames finit. Alioqui quid intereſt, magna ſint, an exigua, quæ ſeruire te cogunt? quid refert quantum ſit, quod tibi poſſit negare fortuna? Hæc ipſa aqua & polenta in alienum arbitrium cadit: liber eſt autem, non in quem parum licet fortunæ, ſed in quem nihil. Ita eſt: nihil deſideres oportet, ſi vis Iouem prouocare, nihil deſiderantem. Hæc nobis Attalus dixit: natura omnibus edixit. Quæ ſi voles frequenter cogitare, id ages, ſi ſis felix, non vt videaris: & vt tibi videaris, non aliis.

EPIST. CXI.

CAVILLOS, *vanam & humilem philoſophiam eſſe: veram illam de moribus, firmam, altam. Huc eundum.* B

QVID vocentur Latinè ſophiſmata, quæſiſti à me. Multi tentauerunt illis nomen imponere, nullum hæſit: videlicet quia res ipſa non recipiebatur à nobis, nec in vſu erat, nomini quoque repugnatum eſt. Aptiſſimum tamen videtur mihi, quo Cicero vſus eſt: [1] Cauillationes vocat. quibus quiſquis ſe tradidit, quæſtiunculas quidem vafras nectit: ceterùm ad vitam nihil proficit, neque fortior fit, neque temperantior, neque elatior. At ille qui philoſophiam in remedium ſuum exercuit, ingens fit animo, plenus fiduciæ, inexuperabilis, & maior adeunti. Quod in magnis euenit montibus, quorum proceritas minùs apparet longè intuentibus; cùm acceſſeris, tunc manifeſtum fit, quàm in arduo ſumma ſint: talis eſt, mi Lucili, verus & rebus, non artificiis, philoſophus. In edito ſtat admirabilis, celſus, magnitudinis veræ. Non exſurgit in plantas, nec ſummis ambulat digitis, eorum more qui mendacio ſtaturam adiuuant, longioreſque quàm ſunt, videri volunt: contentus eſt magnitudine ſuâ. Quid ni contentus ſit eouſque creuiſſe, quò manum fortuna non porrigit? ergo & ſupra humana eſt. Par ſibi in omni ſta- C tu rerum, ſiue ſecundo curſu vita procedit, ſiue fluctuatur per aduerſa ac difficilia. Hanc conſtantiam cauillationes iſtæ, de quibus paullò antè loquebar, præſtare non poſſunt. Ludit iſtis animus, non proficit: & philoſophiam à faſtigio deducit in planum. Nec te prohibuerim aliquando iſta agere, ſed tunc cùm voles nihil agere. Hoc tamen habent in ſe peſſimum, dulcedinem quandam ſui faciunt, & animum ſpecie ſubtilitatis inductum tenent, ac remorantur: cùm tanta rerum moles vacet, cùm vix tota vita ſufficiat, vt hoc vnum diſcas, vitam contemnere. Quid regere? inquis. ſecundum opus eſt. Nam nemo illam benè rexit, niſi qui contempſerat.

Gargettius exclamat dicens: Cui parum non ſufficit, ei nihil ſufficit. Additque, Paratum ſe cum Ioue de felicitate certare, ſi polentam habeat & aquam. *Clemens Alexandrinus adſpexit libro* II. *Strom.* Ἐπίκουρος ἐν τῷ μὴ πεινᾶν, μηδ' ἐδιψᾶν, μήτε ῥιγοῦν τὴν εὐδαιμονίαν τιθέμενος, τὴν ἰσόθεον ἐπεφώνησε φωνὴν, ἀσεβῶς εἰπών, ἐν τούτοις καὶ Διὶ πατρὶ μάχεσθαι: Epicurus in non famendo, non ſitiendo, non frigendo felicitatem ponens, vocem illam Deo æqualem emiſit, impiè dicens, In iſtis ſe vel cum Ioue certaturum. *Adde Aelianum Var. Hiſt.* IV. *cap.* XIII. *noſtrum Senecam epiſt.* XXV.

21. FAMEM FAMES FINIT.] *Nam mors ſuperuenit.* D

EPIST. CXI. 1. CAVILLATIONES VOCAT.] *Vox quidem in Cicerone, ſed vix pro iſto ſenſu: magis pro dicteryis, & argutiis. Poteſt in aliis libris, qui fuerunt.*

EPIST.

A

EPIST. CXII.

DESPERAT *de amico reformando, vetere annorum & vitiorum.*

CVPIO mehercule amicum tuum formari, vt desideras, & instituí: sed valdè durus capitur, imò potiùs, quod est molestius, valdè mollis capitur, & consuetudine malâ ac diutinâ fractus. Volo tibi [1] ex nostro artificio exemplum referre. Non quælibet insitionem vitis patitur. si vetus & exesa est, si infirma graciliſque: aut non recipiet surculum, aut non alet, nec applicabit sibi, nec in qualitatem eius naturamque transibit. Itaque solemus supra terram præcidere: vt, si non respondeat, tentari possit secunda fortuna, & iterùm repetita infra terram inseratur. Hic de quo scribis & mandas, non habet vires. indulsit vitiis: simul & emarcuit, & induruit. Non potest recipere rationem,
B non potest nutrire. At cupit ipse. Noli credere. non dico illum mentiri tibi: putat se cupere. Stomachum illi fecit luxuria: citò tamen cum illâ redibit in gratiam. Sed dicit se offendi vitâ suâ. Non negauerim. quis enim non offenditur? homines vitam suam & amant simul, & oderunt. Tunc itaque de illo feremus sententiam, cùm fidem nobis fecerit, inuisam iam sibi esse luxuriam. nunc illis malè conuenit.

EPIST. CXIII.

QVAESTIO, *An Virtutes sint Animalia? Stoicè asserit esse: itemque Vitia, & Affectus. Post ridendam nobis hodie disputatiunculam, à talibus auocat, ad vtilia vitæ vocat.*

C DESIDERAS tibi scribi à me, quid sentiam de hac quæstione iactatâ apud nostros: An iustitia, an fortitudo, prudentia, ceteræque virtutes, animalia sint. Hac subtilitate efficimus, Lucili carissime, vt exercere ingenium inter irrita videamur, & disputationibus nihil profuturis otium terere. Faciam quod desideras, & quid nostris videatur, exponam. Sed me in aliâ sententiâ profiteor esse. Puto quædam esse, [1] quæ decent phæcasiatum palliatumque. Quæ sint ergo quæ antiquos mouerint, dicam. Animum constat animal esse: cùm ipse efficiat, vt simus animalia, & cùm ab illo animalia nomen hoc traxerint. Virtus autem nihil aliud est, quàm [2] animus quodammodo se habens: ergo animal est. Deinde: Virtus agit aliquid: agi autem nihil sine impetu potest: si impetum habet, qui nulli est, nisi animali: animal est. Si animal est, inquit, virtus, [3] habet ipsam virtutem. Quid ni? habet seipsam. Quomodo sapiens omnia per virtutem gerit, sic virtus per se. Ergo, inquit, & omnes artes animalia sunt, & omnia quæ cogitamus, quæque mente complectimur. Sequitur, vt multa animalium millia habitent in his angustiis pectoris, & singuli multa simus animalia, aut multa habeamus ani-
D malia. Quæris, quid aduersus ista respondeatur? Vnaquæque res ex istis animal erit, multa animalia non erunt. Quare? dicam, si mihi accommodaueris subtilitatem & intentio-

EPIST. CXII. 1. EX NOSTRO ARTIFICIO.] *Nam ipse cultor horti, & vinearum eximiè. Supra epist.* CIV.

EPIST. CXIII. 1. QVÆ DECENT PHÆCASIATVM.] *Id est Græcum. cuius gentis, Phæcasia, & Pallium; vt Romanorum, Calcei & Toga. Vide De Benefic.* VII. *cap.* XXI. *Alij hîc deesse suspicantur, non mihi visum. Continuo sententiam: Ego aliud sentio, nec Græcis illis Stoicis assentio. quare? decorè quædam illi, homines concessu omnium arguti & scholastici; quæ nos minimè, Romani & graues, & seriò philosophi.*

2. ANIMVS QVODAMMODO SE HABENS.] *Stoicorum hoc crebrum, in compendio sic tangere potiùs, quàm ponere. Vt: Quid est* Animus? Spiritus quodammodo se habens: *& plura, quæ occurrent. Quia scilicet locus hîc non est definiendi, & tantùm exempli gratiâ tale ponitur.*

3. HABET IPSAM VIRTVTEM.] *Nescio an*, ipsâ virtute. *Id est, Si virtus animal, per virtutem est animal. Quod fatetur, & respondet. Ita statim legas*: habet seipsâ.

tentionem tuam. Singula animalia singulas debent habere substantias: ista omnia vnum animum habent. Itaque singula esse possunt, multa esse non possunt. Ego & animal sum & homo, non tamen duos esse dices. Quare? quia separati esse debent. Ita dico, alter ab altero debet esse diductus, vt duo sint. [4] Quidquid vnum multiplex est, sub vnam cadit naturam: itaque vnum est. Et animus meus animal est, & ego animal sum, duo tamen non sumus. quare? quia animus mei pars est. Tunc aliquid per se numerabitur, cùm per se stabit: vbi verò alterius membrum erit, non poterit videri aliud. Quare? dicam: quia quod aliud est, suum oportet esse, & proprium, & totum, & intra se absolutum. Ego in aliâ esse me sententiâ professus sum. Non enim tantùm virtutes animalia erunt, si hoc recipitur: sed opposita quoque illis vitia & affectus, tamquam ira, timor, luctus, suspicio. Vltrà res ista procedet. omnes sententiæ, omnes cogitationes animalia erunt: quod nullo modo recipiendum est. Non enim quidquid ab homine fit, homo est. Iustitia quid est? inquit. Animus quodammodo se habens. Itaque si animus animal est, & iustitia. Minimè. hæc enim habitus animi est, & quædam vis. Idem animus in varias figuras A B conuertitur, & non toties animal aliud est, quoties aliud facit: nec illud quod fit ab animo, animal est. Si iustitia animal est, si fortitudo, si ceteræ virtutes: vtrùm desinunt animalia esse subinde, ac rursus incipiunt, an semper sunt? Desinere virtutes non possunt: ergo multa animalia, imò innumerabilia in hoc animo versantur. Non sunt, inquit, multa: quia ex vno religata sunt, & partes vnius ac membra sunt. Talem ergo faciem animi nobis proponimus, qualis est Hydræ, multa habentis capita, quorum vnumquodque per se pugnet, per se noceat. Atqui nullum ex illis capitibus animal est, sed animalis caput: ceterùm ipsa vnum animal est. Nemo in Chimærâ leonem esse animal dixit, aut draconem: hæ partes erant eius: partes non sunt animalia. Quid est, quo colligas iustitiam animal esse? Agit, inquit, aliquid, & prodest: quod autem agit aliquid, & prodest, impetum habet: quod autem impetum habet, animal est. Verum est, si suum impetum habet: suum autem non habet, sed animi. Omne animal donec moriatur, id est quod cœpit: homo donec moriatur, homo est: equus item, & canis: transire enim in C aliud non possunt. Iustitia, id est, animus quodammodo se habens, animal est. Credamus. Deinde animal est fortitudo, id est, animus quodammodo se habens. Quis animus? Ille qui modò iustitia erat; tenetur in priore animali: in aliud animal ei transire non licet. In eo illi, in quo primùm esse cœpit, perseuerandum est. Præterea vnus animus duorum animalium esse non potest, multo minùs plurium. Si iustitia, fortitudo, temperantia, ceteræque virtutes animalia sunt: quomodo vnum animum habebunt? Singulos habeant oportet, aut non sunt animalia. Non potest vnum corpus plurium animalium esse: hoc & ipsi fatentur. Iustitiæ quod est corpus? animus. Fortitudinis quod est corpus? idem animus. Atqui vnum corpus esse duorum animalium non potest. Sed idem animus, inquit, iustitiæ habitum induit, & fortitudinis, & temperantiæ. Hoc fieri posset, si quo tempore iustitia esset, fortitudo non esset: quo tempore fortitudo esset, temperantia non esset. Nunc verò omnes virtutes simul sunt. Ita quomodo erunt singula animalia, cùm vnus animus sit, qui plus quàm vnum animal non potest facere? D Denique nullum animal pars est alterius animalis: iustitia autem pars est animi: non est ergo animal. Videor mihi in re confessâ perdere operam. Magis enim indignandum de isto, quàm disputandum est. Nullum animal alterius pars est. Circumspice omnium corpora: nulli non & color proprius est, & figura sua, & magnitudo. [5] Inter cetera, propter quæ mirabile diuini artificis ingenium est, hoc quoque existimo, quod in tantâ copiâ rerum numquam in idem incidit: etiam quæ similia videntur, cùm conferis, diuersa sunt. Tot fecit genera foliorum, nullum non suâ proprietate signatum.

4. QVIDQVID VNVM MVLTIPLEX.] *Alij*, in vnum: *vnde haud malè*, in vno.

5. INTER CETERA, PROPTER QVÆ.] *Pulcherrima nota. & certè mira diuini artificis vis & ingenium, qui tot varia, & ipsa paria disparia fecit. Inter tot millies millenos homines, qui duo vultu vndique adsimilant? tale in alijs, mirandum, stupendum, diuinum.*

tot

6. NVLLI

A tot animalia : [6] nulli ſimilitudo cum altero conuenit. Vtique aliquid intereſt. Exegit à ſe, vt quæ alia erant, & diſſimilia eſſent, & imparia. Virtutes, vt dicitis, omnes pares ſunt: ergo non ſunt animalia. Nullum non animal per ſe aliquid agit. Virtus autem per ſe nihil agit, ſed cùm homine. Omnia animalia aut rationalia ſunt, vt homines, vt dij; aut irrationalia, vt pecora. Virtutes vtique rationales ſunt: atqui nec homines ſunt, nec dij: ergo non ſunt animalia. Omne rationale animal nihil agit, niſi primùm ſpecie alicuius rei irritatum eſt, deinde impetum cepit, deinde aſſenſio confirmauit hunc impetum. Quid ſit aſſenſio, dicam. Oportet me ambulare. tunc demum ambulo, cùm hoc mihi dixi, & approbaui hanc opinionem meam. oportet me ſedere: tunc demum ſedeo. hæc aſſenſio in virtute non eſt. Puta enim prudentiam animal eſſe: quomodo aſſentietur: Oportet me ambulare? [7] hoc natura non recipit: prudentia enim ei cuius eſt proſpicit, non ſibi. Nam nec ambulare poteſt, nec ſedere: ergo aſſenſionem non habet: quod aſſenſionem non habet, rationale animal non eſt. Virtus ſi animal eſt, rationale
B eſt: rationale autem non eſt, ergo nec animal. Si virtus animal eſt: virtus autem bonum eſt: omne bonum animal eſt. Hoc noſtri fatentur. Patrem ſeruare, bonum eſt: & ſententiam prudenter in ſenatu dicere, bonum eſt: & iuſtè decernere, bonum eſt. Ergo & patrem ſeruare, animal eſt: & prudenter dicere, animal eſt. couſq; res excedet, vt riſum tenere non poſſis. Prudenter tacere, & cænare benè, bonum eſt: ita & tacere & cænare, animal eſt. Ego mehercule titillare non deſinam, & ludos mihi ex iſtis ſubtilibus ineptiis facere. Iuſtitia & fortitudo ſi animalia ſunt, certè terreſtria ſunt. Omne animal terreſtre alget, eſurit, ſitit: ergo iuſtitia alget, fortitudo eſurit, clementia ſitit. Quid porrò non interrogabo illos, quam figuram habeant iſta animalia, hominis, an equi, an feræ? Si [8] rotundam illis, qualem Deo, dederint formam: quæram, an & auaritia, & luxuria, & dementia æquè rotundæ ſint? ſunt enim & ipſæ animalia. Si has quoque corrotundauerint: etiamnum interrogabo, an prudens ambulatio animal ſit, nec ne? confiteantur neceſſe eſt. Deinde dicant, ambulationem eſſe animal, & quidem rotundum. Ne putes au-
C tem me primum ex noſtris, non ex præſcripto loqui, ſed meæ ſententiæ eſſe: inter Cleanthem, & diſcipulum eius Chryſippum, non conuenit quid ſit ambulatio. Cleanthes ait, ſpiritum eſſe à principali vſque in pedes permiſſum: Chryſippus, [9] ipſum principale. [10] Quid eſt ergo cur non ipſius Chryſippi exemplo ſibi quiſque ſe vindicet, & iſta tot animalia, quot mundus ipſe non poteſt capere, derideat? Non ſunt, inquit, virtutes multa animalia, & tamen animalia ſunt. Nam quemadmodum aliquis & poëta eſt & orator, & tamen vnus: ſic virtutes iſtæ animalia ſunt, ſed multa non ſunt. Idem eſt animus & iuſtus, & prudens, & fortis, ad ſingulas virtutes quodammodo ſe habens. Sublata eſt quæſtio: conuenit nobis. Nam & ego interim fateor, animum animal eſſe: poſteà viſurus, quam de iſtâ re ſententiam feram. Actiones eius, animalia eſſe nego. Alioquin & [11] omnia verba erunt animalia, & omnes verſus. Nam ſi ſermo prudens, bonum eſt: bonum autem omne animal eſt: ſermo ergo animal eſt. Prudens verſus, bonum eſt: bonum autem omne animal eſt: verſus ergo animal eſt. Itaque,

Arma virumque cano,

D animal eſt: quod non poſſunt rotundum dicere, cùm ſex pedes habeat. [12] Textorium, inquis,

6. NVLLI SIMILITVDO.] *Omnes ferè ſcripti,* nullius magnitudo. *Fuerit*: nullius imagini, puto, cum altero conuenit.

7. HOC NATVRA NON RECIPIT.] *Priſci,* non præcipit. *Fortè:* hoc natura non præcipit? *cum interrogatione, quæ aſſerendi vim habeat. Non enim hoc Prudentia iubet aut curat, ſed ipſa Natura ad id facta.*

8. ROTVNDAM ILLIS, QVALEM DEO.] *Mundo, qui Stoicorum ſecundarius Deus.*

9. IPSVM PRINCIPALE.] *Nam in eâ parte, vt Laërtius ait, Stoicis καὶ φαντασίαι καὶ ὁρμαὶ γίγνονται:* & phantaſiæ, & appetitiones ſiue impetus, gignuntur. *Cum Cleanthe faciat, quòd Seneca* Mouendi vim *inter* partes miniſtras *recenſet, epiſt.* XCII. *Hæc illuſtranda ex* III. *Phyſiolog. Diſſert.* XVII. *&* XVIII.

10. QVID EST ERGO CVR.] *Alij diſtinguunt & legunt:* ipſum principale quod eſt. Ergo cur. *Si placet, tum malim:* ipſum principale quid eſſe.

11. OMNIA VERBA.] *Quæ ſunt ὑς Corpora, ſicut ipſa Vox: ſed non Animalia.*

12. TEXTORIVM, INQVIS.] *Quod texas, retexas: implices, & ſoluas. It res in orbem. Vide an non*

inquis, totum mehercule istud est, quod cummaximè agitur. dissilio risu, cùm mihi pro- A
pono solœcismum animal esse, & barbarismum, & syllogismum, & aptas illis facies, tamquam pictor, assigno. Hæc disputamus, attractis superciliis, fronte rugosâ. Non possum hoc loco dicere [13] illud Cæcilianum: *O tristes ineptias!* ridiculæ sunt. Quin itaque potiùs aliquid vtile nobis ac salutare tractamus, & quærimus quomodo ad virtutes venire possimus, quæ nos ad illas via adducat. Doce me, non an fortitudo animal sit: sed nullum animal felix esse sine fortitudine, nisi contra fortuita conualuit, & omnes casus antequam exciperet, meditando prædomuit. Quid est fortitudo? munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile: quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitæ obsidione perdurat. Vtitur enim suis viribus, suis telis. Hoc loco tibi Posidonij nostri sententiam referre volo: *Non est quòd vmquam fortunæ armis putes esse te tutum: tuis pugna contra ipsam. fortuita non armant*. Itaque contra hostes instructi, contra ipsam inermes sunt. Alexander quidem Persas, & Hyrcanos, & Indos, & quidquid gentium vsque in Oceanum extendit Oriens, vastabat, fugabatque: sed ipse modò [14] occiso amico, [15] mo- B
dò amisso, iacebat in tenebris, aliàs scelus, aliàs desiderium suum mærens, victor tot regum atque populorum, iræ tristitiæque succubuit. Id enim egerat, vt omnia potiùs haberet in potestate, quàm affectus. O quàm magnis homines erroribus tenentur, qui ius dominandi trans maria cupiunt mittere: felicissimosque se iudicant, si multas per milites prouincias obtinent, & nouas veteribus adiungunt, ignari quod sit illud [16] ingens paratumque regnum! Imperare sibi, maximum imperium est. Doceat me, quàm sacra res sit iustitia, alienum bonum spectans, nihil ex se petens, nisi vsum sui. Nihil sit illi cum ambitione famaque: sibi placeat. Hoc ante omnia sibi quisque persuadeat, Me iustum esse gratis oportet. Parum est. adhuc illud persuadeat sibi, Me in hanc pulcherrimam virtutem vltrò etiam impendere iuuet: vt tota cogitatio à priuatis cōmodis quàm longissimè auersa sit. Non est quòd spectes, quod sit iustæ rei præmium maius, quàm iustum esse. Illud adhuc tibi affige, quod paullò antè dicebam: nihil ad rem pertinet, quàm multi æquitatem tuam nouerint. Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti C
laborat, sed gloriæ. Non vis esse iustus sine gloriâ? at mehercules sæpè iustus esse debebis cum infamiâ. Et tunc, si sapis, mala opinio benè partà delectat.

EPIST. CXIV.

ELOQVENTIAM *aliàs aliam esse, & placere: vti mores publici sunt, seueri, soluti, fracti. Ab animo colorem illam sumere: idque exemplo Mecænatis docet. Illum igitur curandum & formandum esse: à quo sensus & verba deinde recta. Obiter contra luxuriam.*

QVARE quibusdam temporibus prouenerit currupti generis oratio, quæris: & quomodo in quædam vitia inclinatio ingeniorum facta sit, vt aliquando inflata explicatio vigeret, aliquando infracta, & in morem cantici ducta. Quare aliàs sensus au- D
daces, & fidem egressi placuerint, aliàs abruptæ sententiæ, & suspiciosæ, in quibus plus intelligendum est, quàm audiendum: quare aliqua ætas fuerit, quæ translationis iure vteretur inuerecundè. Hoc quod audire vulgò soles, quod apud Græcos in prouerbium cessit, [1] talis hominibus fuit oratio, qualis vita. Quemadmodum autem vniuscuiusque

non distinguendum: Textorium, inquis, totum. Mehercule istud est. *Nam illa Lucilio tribuuntur obiectanti: Seneca respondet, & probat.*

13. ILLVD CÆCILIANVM.] *E comœdiâ veteri: etsi meus & alij libri,* illud Cæliani. *vt putes,* Cælianum, *fuisse, à noto illo oratore.*

14. OCCISO AMICO.] *Clyto.*

15. MODÒ AMISSO.] *Hephæstione.*

16. INGENS PARATVMQVE REGNVM.] *Meus & plerique scripti,* ingens parqueris regnum. *Optimè in quibusdam*: parque dijs regnum.

EPIST. CXIV. 1. TALIS HOMINIBVS ORATIO.] *Solonis dictum vetus*: Τὸν λόγον εἴδωλον εἶναι τῶν ἔργων: Sermonem imaginem factorum esse. *Platonis*: Οἷος ὁ λόγος, τοιοῦτος ὁ τρόπος: Qualis oratio, talis vita.

2. MECÆ-

A cuiuſque actio dicenti ſimilis eſt, ſic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores. Si diſciplina ciuitatis laborauit, & ſe in delicias dedit, argumentum eſt luxuriæ publicæ, orationis laſciuia: ſi modò non in vno aut in altero fuit, ſed approbata eſt, & recepta. Non poteſt alius eſſe ingenio, alius animo color. Si ille ſanus eſt, ſi compoſitus, grauis, temperans, ingenium quoque ſiccum ac ſobrium eſt: illo vitiato, hoc quoque afflatur. Non vides, ſi animus languet, trahi mẽbra, & pigrè moueri pedes? ſi ille effæminatus eſt, in ipſo inceſſu apparere mollitiem? ſi ille acer eſt & velox, concitari gradum? ſi furit, aut (quod furori ſimile eſt) iraſcitur, turbatum eſſe corporis motum, nec ire, ſed ferri? Quanto hoc magis accidere ingenio putas, quod totum animo permixtum eſt? ab illo fingitur, illi paret, inde legem petit. Quomodò Mecænas vixerit, notius eſt, quàm vt narrari nunc debeat: quomodo ambulauerit, quàm delicatus fuerit, quàm cupierit videri, quàm vitia ſua latere noluerit. Quid ergo? non oratio eius æquè ſoluta eſt, quàm ipſe diſcinctus? non tam inſignita illius verba ſunt, quàm cultus, quàm comitatus, quàm do-

B mus, quàm vxor? Magni ingenij vir fuerat, ſi illud egiſſet viâ rectiore, ſi non vitaſſet intelligi, ſi non etiam in oratione diflueret. Videbis itaque eloquentiam ebrij hominis inuolutam, & errantem, & licentiæ plenam. [2] Mecænas in cultu ſuo. [3] *Quid turpius amne, ſiluiſque ripâ comantibus? Vide vt alueum* [4] *lintribus arent, verſoque vado* [5] *remittant hortos. Quid ſi quis fæminæ* [6] *cirro criſpatæ, & labris* [7] *columbatur? Incipitque ſuſpirans,* [8] *vt ceruice laxâ feratur.* [9] *nemo* [10] *tyranni, irremediabilis factio rimantur, epulis, lagenaque tentant domos, & ſæpè mortem exigunt.* [11] *Genium feſto vix ſuo teſtem,* [12] *tenuis cerei fila & crepacem molam. focum mater aut vxor* [13] *inueſtiunt.* Non ſtatim hæc cùm legeris, hoc tibi occur-

2. MECÆNAS IN CVLTV SVO.] *Libri*, de cultu ſuo.

3. QVID TVRPIVS.] *Fecerat Muretus*, Quid purius, *ſenſum credo ſecutus, ſed aduerſis omnibus libris: qui præferunt quod vulgaui. Fortaſſe*, Mecęnatis in cultu ſuo quid turpius? *tum verſus:*

C Amne ſiluiſque ripâ comantibus.

Sunt enim verſiculi ferè (quod obſerues) vndecim ſillabarum.

4. LINTRIBVS ARENT.] *Vt Virgilius:*

—— vaſtum maris æquor arandum eſt.

5. REMITTANT HORTOS.] *Scaliger ille eximius faciebat*, remigant hortos: *vt dicat quod Virgilius*, -- videſque ſecat placido æquore ſiluas. *Sed verſus vacillet: & legam ego*, remi iciant hortos. *Vidéſne, inquit, vt arent alueum tenuem inter hortos, & remis ſublatis hortos ipſos verberent?*

6. CIRRO CRISPATÆ.] *Cuius cirri penduli criſpentur, & annulati ſint à calamiſtro.*

D 7. COLVMBATVR.] *Rectè, & nota oſcula columbina: tamen in meo palàm*, colubratur. *quod non abhorreat à Mecænatis ſermone, & ſcimus beſtias illas arctè iungi, & Plauti verbo, limari. Quin & duplex lingua eſt colubrorum, & idem Plautus alibi luſit.* Fac me proſerpẽtem beſtiam, duplicem linguam vt habeam.

8. VT CERVICE LAXA FERATVR.] *Scaliger*, ferantur. *Sed hoc verbi nuſquam in ſcriptis, qui præferunt omnes*, ſanantur, *aut quidam* fanantur. *Quod poſtremum arripio, nouatore illo dignum: atque à* Fano *deriuo, & interpretor Furere atque inſanire. Nónne ab eo* Fanatici? *Lege tamen ſingulari numero*, fanatur, *ex ſenſu: & paulloantè*, & ceruice lapsâ, *quod item nonnulli libri. nam labi & iactari ceruix ſolet in furore.*

9. NEMO TYRANNI.] *Priſci libri*, nemore, *quidam* ne mori, *alij* nec more: *quod vltimum probem, ſed cum prioribus iungam, vt vltra morem bacchetur.*

10. TYRANNI IRREMEDIABILIS.] Irremediabilem, ἀνήκεστον, *implacabilem atque inſanabilem capimus: ſed in ſententiâ reliquâ hæremus. Scaliger putat, direptionem domus deſcribi, cùm à tyranno milites immiſſi omnia eſculenta ac poculenta prædam ſuam faciunt. Mihi videbantur deſcribi ſatellites, aut miniſtri togatæ tyrannidis. qui in conuiuijs & poculis inſidiantur, verba ibi liberiora captant, & exitium inde ſtruunt. Hæc factitata, vel è Tacito liquet, & ipſo Senecâ De Beneficijs. Sanè verba illuc eunt.*

11. GENIVM FESTO.] *Deparcum hominem deſcribit, qui nec Genium Genij feſto placat.*

12. TENVIS CEREI.] *Mihi rectum. lumen ibi tenue, cereus vix ceratus. Magnus ille vir*, tenuis Cereris, *& ad farinam refert.*

13. INVESTIVNT.] *Idem interpretatur*, fouent & calfaciunt, *vultq; à* Veſtâ *ambitioſè formatum. Ego cenſebam, à* Veſte *potiùs: & ſignificari in auari illius ædibus, ipſo Genij feſto, exiguum focum, quem aſſiderent & cingerent mater aut vxor: & demiſſæ, vt ſolent, veſtibus tegerent. Hæc in partibus: ipſos verſus ordinatos (pro meo iudicio) dabo: præfatus, non continuos fuiſſe, ſed particulas electas à Senecâ, in quibus nouitas vel affectatio eminerent. Itaque argumenta palàm diſſident, nec hærent. Fateor tamen ex longiore vno carmine eſſe, cui titulus* De cultu ſuo. *Commation vnum, de Cymbis inter hortos:*

Amne, ſiluiſque ripâ * comantibus,
Vides vt alueum lintribus arent,
Verſoque vado remi iciant hortos!

* *Meus*, conantibus: *an à* cono?

Comma-

occurret, hunc esse qui [14] solutis tunicis in vrbe semper incesserit? Nam etiam cùm ab- A
sentis partibus Cæsaris fungeretur, signum à discincto petebatur. Hunc esse qui in tribu-
nali, in rostris, in omni publico cœtu sic apparuerit, vt [15] pallio velaretur caput, exclu-
sis vtrimque auribus, non aliter quàm in Mimo [16] diuites fugitiui solent. Hunc esse
cui, cum maximè ciuilibus bellis strepentibus, & solicitâ vrbe & armatâ, comitatus hic
fuerit in publico: spadones duo, magis tamen viri quàm ipse? Hunc esse, qui [17] vxorem
millies duxit, cùm vnam habuerit? Hæc verba tam improbè structa, tam negligenter
abiecta, tam contra consuetudinem omnium posita, ostendunt mores quoque non mi-
nùs nouos & prauos, & singulares fuisse. Maxima laus illi tribuitur mansuetudinis: pe-
percit gladio, sanguine abstinuit: nec vllâ aliâ re, quid posset, quàm licentiâ ostendit.
Hanc ipsam laudem suâ corrupit, istis orationis portentosissimæ deliciis. Apparet enim
mollem fuisse, non mitem. Hoc istæ ambages compositionis, hoc verba transuersa, hoc
sensus magni quidem sæpè, sed eneruati dum exeunt, cuiuis manifestum facient. mo-
tum illi felicitate nimiâ caput: quod vitium hominis esse interdum, interdum temporis B
solet. Vbi luxuriam latè felicitas fudit, cultus primùm corporum esse diligentior incipit;
deinde supellectili laboratur; deinde in ipsas domos impenditur cura, vt in laxitatem
rutis excurrant, vt parietes aduectis trans maria marmoribus fulgeant, vt tecta varien-
tur auro, vt lacunaribus pauimentorum respondeat nitor; deinde ad cænas lautitia trans-
fertur, & illic commendatio ex nouitate, & soliti ordinis commutatione captatur. vt ea
[18] quæ claudere cænam solent, prima ponantur; vt quæ aduenientibus dabantur, exeun-
tibus dentur. Cùm assueuit animus fastidire quæ ex more sunt, & illi pro sordidis solita
sunt; etiam in oratione quod nouum est, quærit: & modò antiqua verba atque exoleta
reuocat & profert: modò fingit, & ignota deflectit: modò id quod nuper increbuit, pro
cultu habetur, audax translatio, ac frequens. Sunt qui sensus præcidant, & hinc gratiam
sperent, si sententia pependerit, & audienti suspicionem sui fecerit: sunt qui illos deti-
neant, & porrigant: sunt qui non vsque ad vitium accedant (necesse est enim hoc face-
re, aliquid grande tentanti) sed qui ipsum vitium ament. Itaque vbicumque videris C
orationẽ corruptam placere, ibi mores quoque à recto desciuisse, non erit dubium. Quo-
modo conuiuiorum luxuria, quomodo vestium, ægræ ciuitatis indicia sunt: sic oratio-
nis licentia (si modò frequens est) ostendit animos quoque, à quibus verba exeunt, pro-
cidisse. Mirari quidem non debes corrupta excipi, non tantùm à [19] coronâ sordidiore,
sed ab hac [20] turbâ quoque cultiore. Togis enim inter se isti, non iudiciis distant. Hoc
magis

Commation alterum, Venereum:

Quid, siquis fœminæ cirro-crispatæ
Labris colubratur?

Tertium, de Bacchabundâ:

—— incipitque su-
Spirans, & ceruice lapsâ fanatur,
* Nec more.

* *vel*, E more.

Quartum, super tyrannide:

Tyranni irremediabilis factio
Rimantur epulis, lagenaque tentant
Domos, & sæpè mortem exigunt.

Quintum:

Geniumque festo vix suo testem.
Tenuis cerei fila, & crepacem molam.
Focum mater aut vxor inuestiunt.

Sed quid aliud agimus? in Senecâ pergamus.

14. SOLVTIS TVNICIS.] *Notum & decantatum est. Poëta de illo:*

Improbe, quid tandem tunicę nocuêre solutæ?
Aut tibi ventosi quid nocuêre sinus?

vbi & de togâ laxâ fatetur.

15. PALLIO VELARETVR CAPVT.] *Quod imbecilli aut delicatuli solent. Nam reliqui capite integro. Docui in Amphitheatro, cap.* XX. *atque ibi de ipso hoc loco.*

16. DIVITES FVGITIVI.] *Imò diuites non fugiunt, sed eorum serui. Scribo*, Diuitis, *igitur: aut* Diuite, *vt is titulus fuerit Mimi.*

17. VXOREM MILLIES DVXIT.] *Terentiam suam. cum quâ assidua iurgia, diuortia, iterumq; coniugia. Vide De Prouid. cap.* III. D

18. QVÆ CLAVDERE CÆNAM.] *Non lactucæ tantùm, de quibus Martialis:*

Claudere quæ cænas lactuca solebat auorum,
Dic mihi cur nostras incohet illa dapes?

sed de alijs etiam delicijs noster intelligit. quas aperit Plutarchus VIII. *Conuiual. Quæst. cap.* IX. *vbi notat*, ordinem quoque ciborum caussam morbis dedisse. Quippe mensæ, *inquit*, quæ priùs appellabantur frigidæ: ostreorum, echinorum, crudorum olerum *(inter quæ lactuca)* ab vltimo agmine ad frontem traductæ, locum nunc obtinent primum.

19. CORONA SORDIDIORE.] *Pullatâ plebe.*

20. TVRBA QVOQVE CVLTIORE.] *Nitidâ & splendenti: Senatore & Equite.*

21. ILLE

A magis mirari potes, quòd non tantùm vitiosa, sed & vitia laudantur. Nam illud semper factum est: nullum sine veniâ placuit ingenium. Da mihi quemcumque vis magni nominis virum. dicam, quid illi ætas sua ignouerit, quid in illo sciens dissimulauerit. Multos dabo, quibus vitia non nocuerint: quosdam, quibus profuerint. Dabo, inquam, maximæ famæ, & inter miranda propositos: quos si quis corrigit, delet. Sic enim vitia virtutibus immixta sunt, vt illas secum tractura sint. Adiice nunc, quòd oratio certam regulam non habet. Consuetudo illam ciuitatis, quæ numquam in eodem diu stetit, versat. Multi ex alieno sæculo petunt verba: duodecim tabulas loquuntur: Gracchus illis, & Crassus, & Curio, nimis culti & recentes sunt: ad Appium vsque, & ad Coruncanum redeunt. Quidam contrà, dum nihil nisi tritum & vsitatum volunt, in sordes incidunt. Vtrumque diuerso genere corruptum est, tam mehercules, quàm si vellent splendidis vti, ac sonantibus, & poëticis, necessaria, & in vsu posita vitare: tam hunc dicam peccare, quàm illum. Alter se iusto plus colit, alter se iusto plus negligit: [21] ille & crura, [22] hic nec alas quidem vellit. Ad compositionem transeamus. quot genera tibi dabo in
B hac, quibus peccetur? Quidam præfractam & asperam probant; disturbant de industriâ, si quid placidius effluxit; nolunt sine salebrâ esse iuncturam; virilem putant & fortem, quæ aurem inæqualitate percutiat. Quorumdam non est compositio: modulatio est: adeò blanditur, & molliter labitur. Quid de illâ loquar, in quâ verba differuntur, & diu exspectata vix ad clausulas redduntur? Quid de illâ in exitu lentâ, qualis Ciceronis est, deuexa, & molliter desinens, nec aliter quàm solet, ad morem suum pedemque respondens? Non tantùm in genere sententiarum vitium est, si aut pusillæ sunt & pueriles, aut improbæ, & plus ausæ quàm pudore saluo licet: sed si floridæ sunt, & nimis dulces, si in vanum exeunt, & sine effectu, nihil ampliùs quàm sonant. Hæc vitia vnus aliquis inducit, sub quo tunc eloquentia est: ceteri imitantur, & alter alteri tradunt. Sic Sallustio vigente, amputatæ sententiæ, & verba ante exspectatum cadentia, & obscura breuitas, fuêre pro cultu. Arruntius vir raræ frugalitatis, qui historias belli Punici scripsit,
C fuit Sallustianus, & in illud genus nitens. Est apud Sallustium: *Exercitum argento fecit:* id est, pecuniâ parauit. Hoc Arruntius amare cœpit: posuit illud omnibus paginis. Dicit quodam loco: *Fugam nostrùs fecere.* Alio loco, *Hiero rex Syracusanorum, bellum facit.* Et alio loco: *Quæ audita Panormitanos dedere Romanis fecere.* Gustum tibi dare volui. Totus his contexitur liber. Quæ apud Sallustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt, & pænè continua, nec sine causâ. ille enim in hæc incidebat: at hic illa quærebat. Vides autem quid sequatur, vbi alicui vitium pro exemplo est. Dixit Sallustius: [23] *Aquis hiemantibus.* Arruntius in primo libro belli Punici ait; *Repentè hiemauit tempestas.* Et alio loco, cùm dicere vellet frigidum annum fuisse, ait: *Totus hiemauit annus.* Et alio loco: *Inde sexaginta onerarias, leues præter militem & necessarios nautarum, hiemante Aquilone misit.* Non desinit omnibus locis hoc verbum infulcire. Quodam loco Sallustius dicit: *Inter arma ciuilia æqui boni famas petit.* Arruntius non temperauit, quominùs primo statim libro poneret: *Ingentes esse famas de Regulo.* Hæc ergo & huiusmodi vitia, quæ alicui impressit imitatio, non sunt indicia luxuriæ, nec animi corrupti. Propria enim esse debent,
D & ex ipso nata, ex quibus tu æstimes alicuius affectus. Iracundi hominis iracunda oratio est: commoti nimis incitata, delicati tenera & fluxa. Quod vides istos sequi, qui [24] aut vellunt barbam, [25] aut interuellunt: qui labra pressiùs tondent & abradunt, seruatâ & [26] submissâ ceterâ parte: qui [27] lacernas coloris improbi sumunt, qui [28] perlu-

21. ILLE ET CRVRA.] *Quod effæminati solent.*

22. HIC NEC ALAS.] *Atque ita hircum olet.*

23. AQVIS HIEMANTIBVS.] *De mari est. & tale hoc Horatij:* — & atrum
Defendens pisces hiemat mare.

24. AVT VELLVNT BARBAM.] *De Breuit. vit. cap.* XII.

25. AVT INTERVELLVNT.] *Tertullianus De cultu fæm. cap.* VIII. Proprias præstigias formæ & hic sexus *(virilis)* sibi agnoscit, barbam acriùs cædere, interuellere.

26. SVBMISSA CETERA PARTE.] *Puto magis,* certâ parte: *nempe extremâ, & quã μύραχα vocamus.*

27. LACERNAS COLORIS IMPROBI.] *Purpurei aut coccinei. Ideò autem* improbus, *quia nondum tritus, & impudentiæ vel audaciæ aliquid habebat.*

 28. PER-

[28] perlucentem togam, qui nolunt facere quidquam, quod hominum oculis tranſire li- A
ceat. Irritant illos, & in ſe aduertunt: volunt vel reprehendi, dum conſpiciantur. Talis eſt oratio Mecænatis, omniumq; aliorum, qui non caſu errant, ſed ſcientes volenteſque. Hoc à magno animi malo oritur. Quomodo in vino non antè lingua titubat, quàm mens ceſſit oneri, & inclinata [29] vel perdita eſt: ita iſta oratio (quid aliud quàm ebrietas?) nulli moleſta eſt, niſi animus labat. Ideò ille curetur: ab illo ſenſus, ab illo verba exeunt, ab illo nobis eſt habitus, vultus, inceſſus. Illo ſano ac valente, oratio quoque robuſta, fortis, virilis eſt: ſi ille procubuit, & cetera ſequuntur ruinam.

—— Rege incolumi, mens omnibus vna eſt.
Amiſſo, rupere fidem.

Rex noſter eſt animus. hoc incolumi, cetera manent in officio, parent & obtemperant: cùm ille paullùm vacillauit, [30] ſimul nutant. Cùm verò ceſſit voluptati, artes quoque eius, actuſque marcent, & omnis ex languido fluxoque conatus eſt. Quoniam hac ſimilitudine vſus ſum, perſeuerabo. Animus noſter modò rex eſt, modò tyrannus. rex, cùm B
honeſta intuetur, ſalutem ſibi commiſſi corporis curat, & nihil imperat turpe, nihil ſordidum: vbi verò impotens, cupidus, delicatus eſt, tranſit in nomen deteſtabile ac dirum, & fit tyrannus. Tunc illum excipiunt affectus impotentes, inſtantque: qui initio quidem gaudet, vt ſolet populus largitione nociturâ fruſtrà plenus, & quæ non poteſt haurire, contrectat. Cùm verò magis ac magis vires morbus exêdit, & in medullas neruoſque deſcendêre deliciæ: conſpectu eorum, quibus ſe nimiâ auiditate inutilem reddidit, lætus, pro ſuis voluptatibus habet ſpectaculum, alienarum ſubminiſtrator libidinum, teſtiſque, quarum ſibi vſum ingerendo abſtulit. nec illi tam gratum eſt abundare iucundis, quàm acerbum, quòd non omnem illum apparatum per gulam ventremque tranſmittit: non cum omni exoletorum fæminarumq; turbâ conuolutatur: mæretque, quòd magna pars ſuæ felicitatis excluſa corporis anguſtiis, ceſſat. Numquid enim, mi Lucili, hic furor eſt, quòd nemo noſtrûm mortalem ſe cogitat? quòd nemo imbecillum? imò quòd nemo noſtrûm vnum eſſe ſe cogitat? Adſpice culinas noſtras, & concurſantes C
inter tot ignes coquos noſtros: vnum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? Adſpice [31] veteraria noſtra, & plena multorum ſæculorum vindemiis horrea: vnum putas videri ventrem, cui tot conſulum regionumque vina conduntur? Adſpice quot locis vertatur terra, [32] quot millia colonorum arent, fodiant: vnum putas videri ventrem, cui & in Siciliâ, & in Africâ ſeritur? Sani erimus, & modica concupiſcemus, ſi vnuſquiſq; ſe numeret: metiatur ſimul corpus, ſciatque, nec multum capere, nec diu poſſe. Nihil tamen æquè tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti. Quidquid facies, reſpice ad mortem.

28. PERLVCENTEM TOGAM.] *Sericam aut bombycinam, fæminarum exemplo.*

29. VEL PERDITA EST.] *Amiſiſſe enim mentem dicitur, qui eius vſum. Atque hoc melius, quàm* prodita: *vt alij.*

30. SIMVL NVTANT.] *Libri omnes*, dubitant. *Legerem*, titubant.

31. VETERARIA NOSTRA.] *Alij*, veterana. *quomodo in Scholiaſte Horatij:* Ioculariter amphoram, quam habebat in veterano, alloquitur. *Veterana igitur, vbi vina vetera, aut vt veteraſcerent, reponebant: Apothecas alio nomine, aut & Horrea dicta. Horatius:*

Parcis deripere horreo
Ceſſantem Bibuli conſulis amphoram. D

32. QVOT MILLIA COLONORVM.] *Deus bone, nota opes vnius priuati hominis: & addeſis quæ in Admirandis lib.* II. *dixi.*

A

EPIST. CXV.

CONTRA nimis sermonis aut stili anxios: & minuti hoc animi esse. Cùm fiduciâ scribendum loquendumque, sine quæsito ornatu. Quem in animo potiùs specta. O qualis ille, vbi Virtutes eum excoluerunt? omnes in amorem rapiat, si conspici possit. At externus iste splendor falsus, aut nihili est: item aurum omne & pecunia, quæ miramur. Non faciunt hæc felices, aut securos: imò & miseros, & miserandos.

NIMIS anxium esse te circa verba & compositionem, mi Lucili, nolo: habeo maiora quæ cures. Quære quid scribas, non quemadmodum: & hoc ipsum, non vt scribas, sed vt sentias: vt illa quæ senseris, magis applices tibi, [1] & veluti signes. Cuiuscumque orationem videris solicitam & politam, scito animum quoque non minùs
B esse pusillis occupatum. Magnus ille remissiùs loquitur, & securiùs: quæcumque dicit, plus habent fiduciæ, quàm curæ. Nosti complures iuuenes, barbâ & comâ nitidos, [2] de capsulâ totos: nihil ab illis speraueris forte, nihil solidum. Oratio vultus animi est: [3] si circumtonsa est, & fucata, & manufacta, ostendit illum quoque non esse sincerum, & habere aliquid facti. Non est ornamentum virile, concinnitas. Si nobis animum boni viri liceret inspicere, ô quàm pulchram faciem, quàm sanctam, quàm ex magnifico placidoque fulgentem videremus? hinc iustitiâ, illinc fortitudine, hinc temperantiâ, prudentiaque lucentibus. Præter has frugalitas, & continentia, & tolerantia, & libertas, comitasque, & (quis credat?) in homine rarum humanitas bonum, splendorem illi suum affunderent. Tum prouidentia, tum elegantia, & ex istis magnanimitas eminentissima, quantum, dij boni, decoris illi, quantum ponderis, grauitatisque adderent? quanta esset cum gratiâ auctoritas? Nemo illum amabilem, qui non simul venerabilem diceret. Si quis viderit hanc faciem altiorem fulgentioremque, quàm cerni inter humana consue-
C uit, nónne velut numinis occursu obstupefactus resistat, & [4] vt fas sit vidisse, tacitus precetur? Tum aduocante ipsum vultus benignitate productus, adoret ac supplicet: & diu contemplatus multum exstantem, supraque mensuram solitorum inter nos adspici, elatam, oculis miti quidem, sed nihilominus viuido igni flagrantibus, tunc demum illam Virgilij nostri vocem verens atque attonitus emittat:

O quam te memorem virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat. ——
Sis felix, nostrumque leues quæcumque laborem.

Aderit, leuabitque, si colere eam voluerimus. Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec [5] auro argentoque suspenso, nec in thesauros [6] stipe infusâ, sed piâ & rectâ voluntate. Nemo, inquam, non amore eius arderet, si nobis illam videre contingeret. Nunc enim multa [7] obstrigillant, & aciem nostram aut splendore nimio re-

percu-

D EPIST. CXV. 1. ET VELVTI SIGNES.] *Signo impresso munias, ne elabantur, ne eripiantur. Metaphora à vasis, quæ signare solemus custodiæ.*

2. DE CAPSVLA TOTOS.] *Mihi placcat. & est ipsum, quod noster sermo habet,* De arculâ prodire. *Scilicet vestes, & quæ munda haberi volumus, capsâ aut arcâ clauduntur: toti ab eâ sunt, quorum habitus sic politus, vt prodire se recenter clamet. Adde De Tranquill. cap. 1. Doctissimus tamen Scaliger* descapulatos *legit: eosq; accipit,*

Effluit effuso quîs toga laxa sinu.

3. SI CIRCVMTONSA EST.] *Perpolita, curiosè recisa, & velut rotundata. Nam sic in comâ solent. Varro in Fragmento*: Alij sunt circumtonsi: & torti atque vnctuli, vt mangonis videantur esse serui.

4. VT FAS SIT VIDISSE.] *Solennis in occursu Deorum precatio. Apud Liuium lib. 1. Proculus conspecto Romulo*, venerabundus adstitit, precibus petens, vt contrà intueri fas esset. *Et L. Vitellius in Dione, cùm Caligula rogasset*, Ecquid cum Lunâ congredientem se vidisset? abiectis in terram oculis, Nam vobis Dijs Domine, inquit, solis inter vos licet videre.

5. AVRO ARGENTOQVE SVSPENSO.] *Inter donaria.*

6. STIPE INFVSA.] *Varro*: Dijs, cùm thesauris assem dant, stipem dicunt. *Adde nostrum De Benefic. VII. cap. IV.*

7. OBSTRIGILLANT.] *Obstant, se opponunt. Vide Nonium Marcellum in eo verbo.*

percutiunt, aut obscuro retinent. Sed quemadmodum visus oculorum quibusdam me- A
dicamentis acui solet, & repurgari: sic & nos, si aciem animi liberare impedimentis voluerimus, poterimus perspicere virtutem, etiam obrutam corpore, etiam paupertate oppositâ, & humilitate & infamiâ obiacentibus. Cernemus, inquam, pulchritudinem illam, quamuis sordido obtectam. Rursus æquè malitiam, & ærumnosi animi veternum perspiciemus: quamuis multus circà diuitiarum radiantium splendor impediat, & intuentem, hinc honorum, illinc magnarum potestatum falsa lux verberet. Tunc intelligere nobis licebit, quàm contemnenda miremur, similimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio est. Parentibus quippe, nec minùs fratribus, præferunt paruo ære empta monilia. Quid ergo inter nos & illos interest, [8] vt Aristo ait, nisi quòd nos circa tabulas & statuas insanimus, cariùs inepti? Illos reperti in littore calculi leues, & aliquid habentes varietatis, delectant; nos ingentium maculæ columnarum: siue ex Ægyptiis arenis, siue ex Africæ solitudinibus aduectæ, porticum aliquam vel capacem populi cænationem ferunt. Miramur parietes tenui marmore inductos: cùm sciamus quale sit, quod B
absconditur. oculis nostris imponimus. Et cùm [9] auro tecta perfundimus, quid aliud quàm mendacio gaudemus? scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantùm parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur: omnium istorum quos incedere altos vides, [10] bracteata felicitas est. Inspice, & disces [11] sub istâ tenui membranâ dignitatis, quantum mali lateat. Hæc ipsa res tot magistratus, [12] tot iudices detinet, quæ magistratus & [13] iudices facit, pecunia; quæ ex quo in honore esse cœpit, verus rerum honor cecidit: mercatoresque & venales inuicem facti, quærimus, non quale sit quid, sed quanti. Ad mercedem pij sumus, ad mercedem impij. Honesta, quamdiu aliqua illis spes inest, sequimur: in contrarium transituri, si plus scelera promittant. Admirationem nobis parentes auri argentique fecerunt: & teneris infusa cupiditas altiùs sedit, creuitque nobiscum. Deinde totus populus in alia discors, in hoc conuenit: hoc suspiciunt, hoc suis optant, hoc Diis velut rerum humanarum maximum, cùm grati videri volunt, consecrant. Denique eò mores redacti sunt, vt paupertas maledicto pro- C
broque sit, contempta diuitibus, inuisa pauperibus. Accedunt deinde carmina poëtarum, quæ affectibus nostris facem subdant, quibus diuitiæ velut vnicum vitæ decus ornamentumque laudantur. Nihil illis melius nec dare videntur Dij immortales posse, nec habere.

Regia solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro.

Eiusdem currum adspice.

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

Denique quod optimum videri volunt sæculum, aureum appellant. Nec apud tragicos desunt, qui lucro innocentiam, [14] salutem, opinionem bonam mutant.

[15] *Sine me vocari pessimum, vt diues vocer.*
An diues, omnes quærimus: nemo, an bonus.

D

[16] *Non*

8. VT ARISTO AIT.] *Aristo ille Chius, Zenonis discipulus.*

9. AVRO TECTA PERFVNDIMVS.] *Interiora tecta, id est lacunaria, è sequentibus: etsi superiora etiam solent, & tegulas ipsas inaurare.*

10. BRACTEATA FELICITAS.] *Manet in imagine. sicut illîc auri tenuis bractea, siue lamina, inducitur: sic in nostrâ istâ felicitate solidum non est, species tantùm & velut crusta.*

11. SVB ISTA TENVI MEMBRANA.] *Alludsum videatur ad dictum Antigoni regis, qui mulierculæ admiranti felicitatem eius dixit:* O mulier si scias quantum mali sub fasciâ istâ (*diademate*) lateat, nec humi iacentem tollas.

12. TOT IVDICES DETINET.] *In litibus cognoscendis & finiendis.*

13. IVDICES FACIT.] *Non tangit ambitum, aut quòd emerint dignitatem: sed significat ex censu & opibus fieri. quod Romæ obtinebat.*

14. SALVTEM, OPINIONEM.] *Retineo* salutem, *etsi libri vacillant. Nam sequentia verba dicunt, etiam vitam & salutem sperni præ lucro. Quid verba? res ipsa cottidie.*

15. SINE ME VOCARI.] *Non sunt vnius poëtæ, sed plurium, hi versus: extremi autem Euripidis, vt dicam.*

16. NON

A [16] *Non quare, & vnde: quid habeas, tantùm rogant.*
[17] *Vbique tanti quisque, quantum habuit, fuit.*
Quid habere nobis turpe sit, quæris? nihil.
Aut diues opto viuere, aut pauper mori.
Benè moritur, qui, dum moritur, lucrum facit.

[18] *Pecunia ingens generis humani bonum,*
Cui non voluptas matris, aut blandæ potest
Par esse prolis, non sacer meritis parens.
Tam dulce si quid Veneris in vultu micat,
Meritò illa amores cælitum atque hominum mouet.

Cùm hi nouissimi versus in tragœdiâ Euripidis pronunciati essent, totus populus ad eiiciendum & actorem & carmen consurrexit vno impetu: donec Euripides in medium
B ipse prosiluit, petens, vt exspectarent, viderentque quem admirator auri exitum faceret. Dabat in illâ fabulâ [19] pœnas Bellerophontes, quas in suâ quisque dat. Nulla enim auaritia sine pœnâ est, quamuis satis sit ipsa pœnarum. O quantum lacrimarum, ô quantum laborum exigit! quàm misera desideratis, quàm misera partis est! Adiice quotidianas solicitudines, quæ pro modo habendi quemque discruciant. Maiore tormento pecunia possidetur, quàm quæritur. Quantum damnis ingemiscunt, quæ & magna incidunt, & maiora videntur! denique vt nihil illis fortuna detrahat, quidquid non acquiritur, damnum est. At felicem illum homines, & diuitem vocant, & consequi optant, quantum ille possidet. Fateor. Quid ergo? tu vllos esse condicionis peioris existimas, quàm qui habent & miseriam, & inuidiam? Vtinam qui diuitias appetituri essent, cum diuitibus deliberarent! vtinam honores petituri, cum ambitiosis, & summum adeptis dignitatis statum! profectò vota mutassent: cùm interim illi noua suscipiunt, [20] qui priora damnauerant. Nemo enim est cui felicitas sua, etiamsi cursu venit, satisfaciat. Queruntur
C & de consiliis, & de processibus suis: maluntque semper, quæ reliquerunt. Itaque hoc tibi philosophia præstabit, quo equidem nihil maius existimo: numquam te pœnitebit tui. Ad hanc tam solidam felicitatem, quam tempestas nulla concutiat, non perducent te aptè verba contexta, & oratio fluens leniter. Eant vt volent, dum animo compositio sua constet, dum sit magnus, [21] & opinionum securus, & ob ipsa quæ aliis displicent, sibi placens: qui profectum suum vitâ æstimet, & [22] tantum scire se iudicet, quantum non cupit, quantum non timet.

16. NON QVARE ET VNDE.] *Satyricus*: Vnde habeas quærit nemo, sed oportet habere.

17. VBIQVE TANTI.] *Idem*:
— tanti, quanti habeas, sis.

18. PECVNIA INGENS.] *Hæc ex Euripide siue ipse, siue alius. Græci quidem in Stobæi Ser.* LXXXIX.
Ὦ χρυσὲ, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς.
D Ὡς ἡδὺ μήτηρ ἡδονὰς τοιὰς ἔχει,
Οὐ παῖδες ἀνθρώποισιν, ἢ φίλος πατήρ.
Εἰ δ' ἦ Κύπρις τοιοῦτον ὀφθαλμοῖς ὁρᾷ,
Οὐ θαῦμ' ἔρωτας μυρίους αὐτὴν τρέφειν.
Vertit liberiùs, sed elegantissimè, & puto, ipse. Moneo, Græcos etiam in IV. *libro Athenæi legi, & versu auctiores: sed quem Seneca hîc neglexit.*

19. POENAS BELLEROPHONTES.] *Si poëtarum est ille Bellerophontes, nescio quid illi cum auro. Ambitione an superbiâ cælum affectasse lego, & Pegaso iam subuolantem, excussum à Ioue & occisum: de auaritiâ, quæ hîc tangitur, quærendum est.*

20. QVI PRIORA DAMNAVERANT.] *Aliàs*, cùm priora. *Sed ego arbitror fuisse*, quos priora. *Nam homines damnantur votorum, cùm eorum compotes sunt, & debent exsoluere. Sanè hoc dicit Seneca. adeò nõ pœnitet ambitionis, vt qui votis ad honorem talem venerit, alia suscipiat vt iterùm perueniat, altiusq; adscendat. At vulgata lectio pœnitentiam priorum inducit, minimè hîc pro Auctoris mente.*

21. ET OPINIONVM SECVRVS.] *Quid alij de illo opinentur. Editi tamen olim, & quidam scripti*, opinionum suarum securus: *quòd planè diuersum esset, signaretq; firmum & certum decretorum.*

22. TANTVM SCIRE SE.] *Id est, Scientiam omnem factis & profectu æstimet: valdè aut minùs doctum, prout timet, cupit; non timet, non cupit.*

A

EPIST. CXVI.

CONTRA *Peripateticos, exscindendos Affectus, non temperandos esse: neque à Naturâ induci. A mollitie sententiam aduersam nasci.*

VTRVM satius sit, modicos habere affectus, an nullos, sæpè quæsitum est. Nostri illos expellunt: Peripatetici temperant. Ego non video, quomodo salubris esse aut vtilis possit vlla mediocritas morbi. Noli timere. nihil eorum, quæ tibi non vis negari, eripio: facilem me, indulgentemque præbebo rebus, ad quas tendis, & quas aut vitæ necessarias, aut vtiles, aut iucundas putes: detraham vitium. Nam cùm tibi cupere interdixero,[1] velle permittam: vt eadem illa intrepidus facias, vt certiore consilio, vt voluptates illas magis sentias. Quid ni? ad te magis peruenturæ sunt, si illis imperabis, quàm B si seruies. Sed naturale est, inquis, vt desiderio amici torquear:[2] da tempus lacrimis tam iustè cadentibus. Naturale est opinionibus hominum tangi, & aduersis contristari: quare non permittas mihi hunc tam honestum malæ opinionis metum? Nullum vitium est sine patrocinio: nulli non initium est verecundum & exorabile, sed ob hoc latiùs funditur. Non obtinebis vt desinat, si incipere permiseris. Imbecillis est primò omnis affectus, deinde ipse se concitat, & vires dum procedit, parat: excluditur faciliùs, quàm expellitur. Quis negat omnes affectus à quodam[3] quasi naturali fluere principio? curam nobis nostri natura mandauit: sed huic vbi nimium indulseris, vitium est. Voluptatem natura necessariis rebus admiscuit, non vt illam peteremus, sed vt ea sine quibus non possumus viuere, gratiora nobis illius faceret accessio:[4] si suo veniat iure, luxuria est. Ergo[5] intrantibus resistamus: quia faciliùs, vt dixi, non recipiuntur quàm exeunt. Aliquatenus, inquis, dolere, aliquatenus timere permitte. sed illud aliquatenus longè producitur, nec vbi vis, accipit finem. Sapienti non solicitè custodire se tutum est: & la- C crimas suas & voluptates, vbi volet, sistet. Nobis quia non est regredi facile, optimum est omnino non progredi. Eleganter mihi videtur Panætius respondisse adolescentulo cuidam quærenti, *An sapiens amaturus esset? De sapiente*, inquit, *videbimus: mihi & tibi, qui adhuc à sapiente longè absumus, non est committendum, vt incidamus in rem commotam, impotentem, alteri emancipatam, vilem sibi*. Siue enim nos respexit, humanitate eius irritamur; siue contempsit, superbiâ accendimur. Æquè facilitas amoris, quàm difficultas nocet: facilitate capimur, cum difficultate certamus. Itaque conscij nobis imbecillitatis nostræ, quiescamus. Nec vino infirmum animum committamus, nec formæ, nec adulationi, nec vllis rebus blandè trahentibus. Quod Panætius de amore quærenti respondit, hoc ego de omnibus dico. Quantum possumus nos, à lubrico recedamus: in sicco quoque parùm fortiter stamus. Occurres hoc loco mihi illa publicâ contra Stoicos voce: Nimis magna promittitis, nimis dura præcipitis. nos homunciones sumus, omnia nobis negare non possumus. Dolebimus, sed parùm: concupiscemus, sed temperatè: D irascemur, sed placabimur. Scis quare non possumus ista? quia nos posse non credimus. Imò mehercules, aliud est in re. Vitia nostra, quia amamus, defendimus, & malumus excusare illa, quàm excutere. Satis natura homini dedit roboris, si illo vtamur, si vires nostras colligamus, ac totas pro nobis, certè non contra nos concitemus. Nolle in caussâ est: non posse prætenditur.

EPIST. CXVI. 1. VELLE PERMITTAM.] *Voluntas enim Stoicis bona, & inter* ἐυπαθείας *est, vt noto Manud.* III. *Differt.* V.

2. DA TEMPVS LACRIMIS.] *Editi & scripti,* Datus lacrimis: *mutauitq; à se Muretus. Sed verius erat,* Da ius lacrimis: *quare? quia, vt sequitur, iustæ.*

3. QVASI NATVRALI.] *Non enim verè naturali: nam sic boni essent. Nos in Ethicis.*

4. SI SVO VENIAT IVRE.] *Non vt accessoria, sed principalia: non vt ministra, sed domina.*

5. INTRANTIBVS RESISTAMVS.] *Vide* I. *De Irâ, cap.* VII. & VIII.

EPIST.

A

EPIST. CXVII.

QVAESTIVNCVLA, *An cùm Sapientia bonum ſit, etiam ſapere? Stoici iſtud vulgò negant: alij aſſerunt, & ipſe iſtis pronior. Denique amolitur hæc ſuperuacua, & ad formationem morum ſeriò vocat.*

MVLTVM mihi tibiq́ue negotium concinnabis, &, dum neſcis, in magnam me litem ac moleſtiam impinges, qui mihi tales quæſtiunculas ponis, in quibus ego nec diſſentire à noſtris ſaluâ gratiâ, nec conſentire ſaluâ conſcientiâ poſſum. Quæris, an verum ſit, quod Stoicis placet, Sapientiam bonum eſſe, ſapere bonum non eſſe? Primùm exponam, quid Stoicis videatur: tum dicere ſententiam audebo. Placet noſtris, quod bonum eſt, eſſe corpus: quia quod bonum eſt, facit: quidquid facit, corpus eſt.
B Quod bonum eſt, prodeſt: faciat autem aliquid oportet, vt proſit: ſi facit, corpus eſt. Sapientiam bonum eſſe dicunt: ſequitur, vt neceſſe ſit illam corporalem quoque dicere. At ſapere non putant eiuſdem conditionis eſſe. Incorporale eſt & accidens alteri, id eſt, ſapientiæ: itaque nec facit quidquam, nec prodeſt. Quid ergo, inquiunt, non dicimus, Bonum eſt ſapere? dicimus, referentes ad id ex quo pendet, id eſt, ad ipſam ſapientiam. Aduerſus hos quid ab aliis reſpondeatur, audi, antequam ego [1] incipio ſecedere, & in aliâ parte conſidere. Iſto modo, inquiunt, nec beatè viuere bonum eſt. Velint nolint, reſpondendum eſt, beatam vitam bonum eſſe, & beatè viuere bonum non eſſe. Etiamnum quoque noſtris illud opponitur. Vultis ſapere? ergo expetenda res eſt ſapere: ſi expetenda res eſt, bonum eſt. Coguntur noſtri verba torquere, & vnam ſyllabam expetendo interponere, quam ſermo noſter inferi non ſinit. Ego illam, ſi pateris, adiungam. Expetendum eſt, inquiunt, quod bonum eſt: [2] adexpetendum, quod bono contingit: quod, cùm bonum conſecuti ſumus, non petitur tamquam bonum, ſed petito bono accedit.
C Ego non idem ſentio, & noſtros iudico in hoc deſcendere: quia iam primo vinculo tenentur, & mutare illis formulam non licet. Multum dare ſolemus [3] præſumptioni omnium hominum. Apud nos [4] veritatis argumentum eſt, aliquid omnibus videri: tamquam deos eſſe, inter alia ſic colligimus, quòd omnibus de diis opinio inſita eſt: nec vlla gens vſquam eſt adeò extra leges moreſque proiecta, vt non aliquos deos credat. Cùm de animarum æternitate diſſerimus, nō leue momentum apud nos habet conſenſus hominum, [5] aut timentium inferos, [6] aut colentium. Vtor hac publicâ perſuaſione: neminem inuenies, qui non putet & ſapientiam bonum, & ſapere. Non faciam [7] quod victi ſolent, vt prouocem ad populum: noſtris incipiemus armis confligere. Quod accidit alicui, vtrùm extra id cui accidit eſt, an in eo cui accidit? Si in eo eſt cui accidit, tam corpus eſt, quàm illud cui accidit. Nihil enim accidere ſine tactu poteſt: quod tangit, corpus eſt. Si extra eſt, poſtquam acciderat, receſſit: quod receſſit, motum habet: quod motum habet, corpus eſt. Speres me dicturum, non eſſe aliud curſum, aliud currere: nec aliud calorem, aliud calere: nec aliud lucem, aliud lucere. Concedo iſta alia eſſe, ſed
D non ſortis alterius. Si valetudo indifferens eſt, & valere indifferens eſt. Si forma indifferens eſt: & formoſum eſſe indifferens eſt. Si iuſtitia bonum eſt: & iuſtum eſſe bonum eſt. Si turpitudo malum eſt: & turpem eſſe malum eſt. tam mehercules quàm ſi lippitudo

EPIST. CXVII. 1. INCIPIO SECEDERE.] *A Senatu ſumptum, vbi diſceſſione à conſule permiſſâ, in hanc aut illam ſubſelliorum partem ibant. Hoc erat, Pedibus in ſententiam ire.*

2. ADEXPETENDVM.] *Expetendum, eſt αἱρετὸν, adexpetendum, προσαιρετόν.*

3. PRÆSVMPTIONI.] *Id eſt, præceptæ opinioni.* προλήψει.

4. VERITATIS ARGVMENTVM.] *Meritò. nam ipſa Veritas Græcis dicta ἀλήθεια, ὡς τὸ μὴ λῆθον: quòd non lateat, ſitq́, omnibus nota.*

5. AVT TIMENTIVM INFEROS.] *Quaſi pœnæ illic pendendæ: ergo animæ viuunt ſentiuntq́.*

6. AVT COLENTIVM.] *Quia Deos manes illic ponebant, & venerabantur. Superſunt igitur.*

7. QVOD VICTI SOLENT.] *In arenâ & gladiatorijs pugnis. vbi qui ſuccubuerat, populi opem & miſericordiam implorabat. Ego in Saturnal. II. cap. XXII.*

tudo malum est, & lippire malum est. Hoc vt scias, neutrum esse sine altero potest. A
Quod sapit, sapiens est: quod sapiens est, sapit. Adeò non potest dubitari, an quale illud sit, tale hoc sit, vt quibusdam vtrumque vnum videatur atque idem. Sed illud libenter quæsierim: Cùm omnia aut bona sint, aut mala, aut indifferentia, sapere in quo numero sit? Bonum negant esse. malum vtique non est: sequitur, vt medium sit. Id autem medium atque indifferens vocamus, quod tam malo contingere quàm bono potest: tamquam pecunia, forma, nobilitas. Hoc, vt sapiat, contingere nisi bono non potest: ergo indifferens non est. Atqui ne malum quidem est, quod contingere malo non potest: ergo bonum est. Quod nisi bonus non habet, bonum est: sapere non nisi bonus habet: ergo bonum est. Accidens est, inquit, sapientiæ. Hoc ergo quod vocas sapere, vtrùm facit sapientiam, an patitur? siue facit illud, siue patitur, vtroque modo corpus est. Nam & [8] quod fit, & quod facit, corpus est. si corpus est, bonum est: vnum enim deerat illi, quò minùs bonum esset, quòd incorporale erat. Peripateticis placet, nihil interesse inter sapientiam & sapere, cùm in vtrolibet eorum & alterum sit. Numquid enim B
quemquam existimas sapere, nisi qui sapientiam habet? Numquid quemquam qui sapiat, non putas habere sapientiam? Dialectici veteres ista distinguunt: ab illis diuisio vsque ad Stoicos venit. Qualis sit hæc, dicam. Aliud est ager, aliud agrum habere. Quid ni? cùm habere agrum ad habentem, non ad agrum pertineat. Sic aliud est sapientia, aliud sapere. Puto concedes duo esse hæc, id quod habetur, & eum qui habet: habetur sapientia: habet, qui sapit. Sapientia est mens perfecta, vel ad summum optimumque perducta: ars enim vitæ est. Sapere quid est? non possum dicere mens perfecta, sed id quod contingit perfectam mentem habenti. Ita alterum est, mens bona: alterum, quasi habere mentem bonam. Sunt, inquit, naturæ corporum: tamquam, hic homo est, hic equus: has deinde sequuntur motus animorum enunciatiui corporum. Hi habent proprium quiddam, & à corporibus seductum: tamquam, video Catonem ambulantem: hoc sensus ostendit, animus credit. Corpus est quod video, cui & oculos, & animum intendi. Dico deinde, Cato ambulat: [9] non corpus quidem est quod nunc loquor, sed C
enunciatiuum quiddam de corpore: quod alij effatum vocant, alij enunciatum, alij edictum. Sic cùm dicimus [10] sapientiam, incorporale quiddam intelligimus: cùm dicimus, Sapit: de corpore loquimur. Plurimum autem interest, vtrùm illud dicas, an de illo. Putemus in præsentiâ ista duo esse: nondum enim quid mihi videatur, pronuncio: quid prohibet, quò minùs aliud quidem sit, sed nihilominus bonum? Dicebas paullò antè, aliud esse agrum, aliud habere agrum. Quid ni? in aliâ enim naturâ est qui habet, in aliâ quod habetur. illa terra est, hic homo est. At in hoc de quo agitur, eiusdem naturæ sunt vtraque, & qui habet sapientiam, & ipsa quæ habetur. Præterea illîc aliud est quod habetur, alius qui habet: hîc in eodem est, & quod habetur, & qui habet. Ager iure possidetur: sapientia naturâ. ille abalienari potest, & alteri tradi: hæc non discedit à domino. Non est itaque quòd compares inter se dissimilia. Cœperam dicere, posse ista duo esse, & tamen vtraque bona. Sapientia, & sapiens duo sunt: & vtrumque bonum esse concedis. Quomodo nihil obstat, quo minùs & sapientia bonum sit, & habens sapientiam: sic nihil obstat, quò minus & sapientia bonum sit, & habere sapientiam, id est, sapere. Ego in hoc volo sapiens esse, vt sapiam. Quid ergo? non est id bonum, sine quo nec illud bonum est? Vos certè dicitis, sapientiam, si sine vsu detur, accipiendam non esse. Quis est vsus sapientiæ? Sapere: hoc est in illâ pretiosissimum: quo detracto, superuacua fit. Si tormenta mala sunt, torqueri malum est: adeò quidem, vt illa non sint mala, si quod

8. QVOD FIT, ET QVOD FACIT, CORPVS EST.] *Vide Physiol.* II. *Dissert.* IV.

9. NON CORPVS QVIDEM EST.] *Hoc illud quod notat Empiricus lib.* I. *aduers. Mathem. cap.* III. Incorporeum aliquid apud Stoicos dici λεκτὸν: *quod noster hîc vertit* Effatum, Edictum, Enunciatum. *Vide Physiol.* II. *Dissert.* V.

10. SAPIENTIAM, INCORPORALE QVIDDAM INTELLIGIMVS.] *O falsum! pro Stoicis quidem aut Senecâ. Hæc omnia planissimè ijs corpora, Scientia, Sapientia, Veritas, Virtus: & docui in loco. Non dubiè legendum,* corporale quiddam, *cum meis etiam libris: & puto in alijs sic fuisse. sed omiserunt dicere, quia inopinatus hic sensus.*

II. DE

A si quod sequitur, detraxeris. Sapientia habitus perfectæ mentis est: sapere, vsus perfectæ mentis. Quomodo potest vsus eius bonum non esse, quæ sine vsu bonum non est? Interrogo te, an sapientia sit expetenda. fateris. Interrogo, an vsus sapientiæ sit expetendus. fateris. negas enim te illam recepturum, si vti eâ prohibearis. quod expetendum est, bonum est. Sapere, sapientiæ vsus est: quomodo eloquentiæ, loqui: quomodo oculorum, videre: ergo sapere, sapientiæ vsus est. vsus autem sapientiæ expetendus est: sapere ergo expetendum est: si expetendum est, bonum est. Olim ipse me damno, qui illos imitor dum accuso, & verba apertæ rei impendo. Cui enim dubium potest esse, quin si æstus malum est, & æstuare malum sit? si algor malum est, malum sit algere? si vita bonum est, & viuere bonum est? Omnia ista circa sapientiam, non in ipsâ sunt: at nobis in ipsâ commorandum est. etiamsi quid euagari libet, amplos habet illa spatiososque secessus. De deorum naturâ quæramus, [11] de siderum alimento, de his tam variis stellarum discursibus: an ad illarum motus nostra moueantur corpora, an corporibus omB nium, animisque illinc impetus veniat. An & hæc quæ fortuita dicuntur, certâ lege constricta sint, nihilque in hoc mundo repentinum, aut expers ordinis volutetur. Ista iam à formatione morum recesserunt: sed leuant animum, & ad ipsarum quas tractant rerum magnitudinem attollunt. Hæc verò de quibus paullò antè dicebam, minuunt & deprimunt, nec vt putas exacuunt, sed extenuant. Obsecro vos, cur tam necessariam curam maioribus melioribusque debitam, in re nescio an falsâ, certè inutili, terimus? Quid mihi profuturum est scire, an aliud sit sapientia, aliud sapere? quid mihi profuturum est scire, illud bonum esse, hoc non esse? Temerè me geram, subibo huius voti aleam. tibi sapientia, mihi sapere contingat: pares erimus. Potiùs id age, vt mihi viam monstres, quâ ad ista perueniam. Dic mihi quid vitare debeam, quid appetere: quibus animum labantem studiis firmem: quemadmodum quæ me ex transuerso ferunt aguntque, procul à me repellam. Quomodo par esse tot malis possim: quomodo istas calamitates remoueam, [12] quæ ad me irruperunt: quomodo illas, [13] ad quas ego irrupi. Doce,
C quomodo feram ærumnam sine gemitu meo, felicitatem sine alieno: quomodo vltimum necessarium vitæ terminum non exspectem, sed ipsemet, cùm visum erit, profugiam. Nihil mihi videtur turpius, quàm optare mortem. Nam si vis viuere, quid optas mori? si non vis, quid deos rogas, quod tibi nascenti dederunt? Nam vt quandoque moriaris, etiam inuito positum est: vt cùm voles, in tuâ manu est. Alterum tibi necesse est, alterum licet. Turpissimum his diebus principium diserti mehercules viri legi: *Ita*, inquit, *quamprimùm moriar*. Homo demens, optas rem tuam. *Ita quamprimùm moriar*. Fortasse inter has voces senex factus es. Alioqui quid in morâ est? nemo te tenet, euade quà visum est. Elige quamlibet rerum naturæ partem, quà tibi præberi exitum iubeas. Hæc nempe sunt elementa, quibus [14] hic mundus administratur: aqua, terra, [15] spiritus. Omnia ista tam caussa viuendi sunt, quàm viæ mortis. *Ita quamprimùm moriar*. Quamprimum istud, quod esse vis? quem illi diem pohis? citiùs fieri quàm optas, potest. Imbecillæ mentis ista sunt verba, & [16] hac detestatione misericordiam captantis. Non vult mori, qui optat. Deos vitam roga, & salutem: si mori placuit, hic mortis est fructus,
D optare desinere. Hæc, mi Lucili, tractemus, his formemus animum. Hæc est sapientia, hoc est sapere, non disputatiunculis inanibus subtilitatem vanissimam agitare. Tot quæstiones tibi fortuna posuit. nondum illas soluisti: iam cauillaris. Quàm stultum est, cùm signum pugnæ acceperis, [17] ventilare? remoue ista lusoria arma: [18] decretoriis opus est.

Dic

11. De siderum alimento.] *Quod è mari & aquis Stoici attribuebant. Physiol.* 11. *Diss.* XIV.

12. Quæ ad me irrvpervnt.] *Aliunde, à Deo aut Fato: non accersitæ.*

13. Ad quas ego irrvpi.] *Ipse mihi struxi, in quas sponte me indui.*

14. Hic mvndvs.] *Nempe inferior: & ideò tria tantùm nominat. quartum superioris Mundi est, siue Cæli, id est Ignis.*

15. Spiritvs.] *Aër: sic passim ipse vocat.*

16. Hac detestatione.] *Significat hic Obtestationem, nec compositio minuit vim verbi simplicis, sed auget. Est enim precatio & votum.*

17. Ventilare.] *Proludere, & brachia atque arma in speciem ventumq; iactare. A theatris areniscq; sumptum. Ego in Saturn.* 11. *cap.* XIX.

18. Decretoriis opvs est.] *Veris armis, & quibus de victoriâ vitaq; cernatur. Suprà, epist.* C11.

19. Lvdo-

Dic quâ ratione nulla animum triſtitiâ, nulla formido perturbet: quâ ratione hoc ſecre- A
tarum cupiditatum pondus effundam. Agatur aliquid. Sapientia bonum eſt, ſapere
non eſt bonum. Sic ſit. negemus, ſapere bonum eſſe: vt hoc totum ſtudium deride-
atur, tamquam operatum ſuperuacuis. Quid ſi ſcires etiam illud quæri, an bonum ſit fu-
tura ſapientia? Quid enim dubij eſt, oro te, an nec meſſem futuram iam ſentiant horrea,
nec futuram adoleſcentiam pueritia viribus aut vllo robore intelligat? Ægro interim ni-
hil ventura ſanitas prodeſt, non magis quàm currentem luctantemque, poſt multos ſe-
cuturum ſenſus otium reficit. Quis neſcit hoc ipſo non eſſe bonum id quod futurum
eſt, quia futurum eſt? nam quod bonum eſt, vtique prodeſt: niſi præſentia, prodeſſe non
poſſunt. Si non prodeſt, bonum non eſt vtique: ſi prodeſt, iam eſt. Futurus ſum ſapiens:
hoc bonum erit, cùm fuero: interim non eſt. Priùs aliquid eſſe debet, deinde quale eſſe.
Quomodo, oro te, quod adhuc nihil eſt, iam bonum eſt? Quomodo autem tibi magis
vis probari, non eſſe aliquid, quàm ſi dixero, futurum eſt? nondum enim veniſſe appa-
ret, quod venit. Ver ſecuturum eſt: ſcio nunc hiemem eſſe. æſtas ſecutura eſt: ſcio æſta- B
tem non eſſe. Maximum argumentum habeo nondum præſentis, futurum eſſe. Sapiam,
ſpero: ſed interim non ſapio. ſi illud bonum haberem, iam hoc carerem malo. Futurum
eſt, vt ſapiam. ex hoc licet nondum me ſapere intelligas. non poſſum ſimul & in illo bo-
no, & in hoc malo eſſe. Duo iſta non coëunt, nec apud eumdem ſunt vnà, bonum & ma-
lum. Tranſcurramus ſolertiſſimas nugas, & ad illa quæ nobis aliquam opem ſunt latura,
properemus. Nemo qui obſtetricem parturienti filiæ ſolicitus accerſit, edictum & [19] lu-
dorum ordinem perlegit. nemo qui ad incendium domus ſuæ currit, tabulam [20] la-
truncullariam perſpicit, vt ſciat quomodo [21] alligatus exeat calculus. At mehercules
omnia tibi vndique nunciantur, & incendium domus, & periculum liberorum, & obſi-
dium patriæ, & bonorum direptio: adiice iſtis naufragium, motuſque terrarum, & quid-
quid aliud timeri poteſt. Inter iſta diſtrictus, rebus, nihil aliud quàm animum oblectan-
tibus, vacas? Quid inter ſapientiam, & ſapere interſit, inquiris? nodos nectis ac ſoluis,
tantâ mole impendente capiti tuo? Non tam benignum ac liberale tempus natura no- C
bis dedit, vt aliquid ex illo vacet perdere: & vide, quàm multa etiam diligentiſſimis
pereant. Aliud valetudo ſua cuique abſtulit, aliud ſuorum: aliud neceſſaria negotia,
aliud publica occupauerunt: vitam nobiſcum diuidit ſomnus. Ex hoc tempore tam
anguſto, & rapido, & nos auferente, quid iuuat maiorem partem mittere in vanum?
Adiice nunc, quòd aſſueſcit animus delectare ſe potiùs, quàm ſanare: & philoſophiam
oblectamentum facere, cùm remedium ſit. Inter ſapientiam, & ſapere quid interſit, ne-
ſcio: ſcio mea non intereſſe, ſciam iſta, an neſciam. Dic mihi, cùm quid inter ſapien-
tiam & ſapere interſit, didicero, ſapiam? Cur ergo potiùs inter vocabula me ſapientiæ
detines, quàm inter opera? Fac me fortiorem, fac me ſecuriorem, fac fortunæ parem,
fac ſuperiorem. poſſum autem ſuperior eſſe, [22] ſi fecero omne quod diſco.

19. LVDORVM ORDINEM.] *Libelli aut tabulæ proponi ſolent in publico, vbi apparatus omnis ludorum deſcriptus: atque id mouendæ & alliciendæ plebi. Vide Saturnal.* II. *cap.* XVIII. *Adde De Benef.* VI. *cap.* I.

20. LATRVNCVLARIAM.] *De Breuit. vit. cap.* XIII. *De Tranquill. cap.* XIV.

21. ALLIGATVS EXEAT.] *Pugna enim erat, & alterius coloris calculi alteros ad lineam vltimam vrgebant: artis, implexum vel obſeſſum* D
euadere.

22. SI FECERO.] *Scripti & antiquitùs cuſi,* ſi dixero: *fuit,* ſi vixero.

EPIST.

A

EPIST. CXVIII.

INANES epistolas nolle se scribere: potiùs monitorum vtilium vberes: & iam facit. Suadet sua, non aliena tractare; à Fortunâ nihil petere, nec ab eâ pendêre. Verum bonum quærendum: & quid illud sit, definitum. Itemque quid ab Honesto differat. Omne Bonum, secundùm Naturam esse: nec tamen quidquid secundùm Naturam, Bonum.

EXIGIS à me frequentiores epistolas. Rationes conferamus: soluendo non eris. Conuenerat quidem, vt tua priora essent; tu scriberes, ego rescriberem: sed non ero difficilis. benè credi tibi scio: itaque [1] in antecessum dabo. Nec faciam, quod Cicero vir disertissimus facere Atticum iubet, vt etiam si rem nullam habebit, *quod in buc-*
B *cam venerit, scribat.* Numquam potest deesse quod scribam, vt omnia illa quæ [2] Ciceronis implent epistolas, transeam: quis candidatus laboret, quis alienis, quis suis viribus pugnet, quis consulatum fiduciâ Cæsaris, quis Pompeij, [3] quis apertè petat: quàm durus sit fenerator Cæcilius, à quo minoris centesimis propinqui nummum mouere non possunt. Sua satius est mala, quàm aliena tractare: se excutere, & videre, quàm [4] multarum rerum candidatus sit, & non suffragari. Hoc est, mi Lucili, egregium, hoc securum ac liberum, nihil petere, & tota fortunæ comitia transire. Quàm putas esse iucundum, tribubus vocatis, cùm candidati [5] in templis suis pendeant, & alius nummos pronunciet; alius [6] per sequestrum agat; alius eorum [7] manus osculis conterat, quibus designatus contingendam manum negaturus est; omnes attoniti, [8] vocem præconis exspectant, stare otiosum, & [9] spectare illas nundinas, nec ementem quidquam, nec vendentem? Quanto hic maiore gaudio fruitur, qui non prætoria, aut consularia comitia securus intuetur, [10] sed magna illa, in quibus [11] alij honores anniuersarios petunt, [12] alij
C perpetuas potestates, alij bellorum euentus prosperos triumphosque, alij diuitias, alij matrimonia ac liberos, alij salutem suam suorumque! Quanti animi res est, solum nihil petere, nulli supplicare, & dicere: Nihil mihi tecum fortuna: non facio mei tibi copiam. scio apud te Catones repelli, Vatinios fieri: nihil rogo. Hoc est [13] priuatam facere fortunam.

EPIST. CXVIII. 1. IN ANTECESSVM.] *Fori verbum aut argentariorum. valet, soluere priusquàm dies cesserit. Vide De Benef.* IV. *cap.* XXXII.

2. CICERONIS IMPLENT EPIST.] *Ad Atticum pleraque ista libro* I.

3. QVIS APERTE PETAT.] *Alij libri*, quis arte; *meus & quidam*, aptè. *An fortè*, abs se?

4. MVLTARVM RERVM CANDIDATVS.] *Externarum, & inanium: quas adspernetur iudicio & ratione, etsi opinio & inclinatio eò vocent.* Non
D *igitur* suffragatur: *id est, petitioni suæ tali non subscribit.*

5. IN TEMPLIS SVIS.] *Editio Mureti*, intenti suis: *sanequàm licenter. Nam libri omnes, vt edidi. & capere licet vel templum, id est tabernaculum candidati, vbi contra solem tecti exspectabant: si tamen illud inauguratum, & templum fuit. Scio quidem Consulem, & qui præerat comitijs tale Tabernaculum habuisse, ab Auguribus captum, & religione atque obseruatione quadam suâ: haud memini legere, de Candidatis. nisi hactenus, quòd in campo, vt dixi, tabernulâ aliquâ vsi ad inumbrandum. Varro De Re rust.* III. *cap.* II. Vis potiùs villæ publicæ vtamur vmbrâ, quàm priuati candidati tabellâ *(vel magis,* vmbellâ *)* domificemus nobis? *Ita hæc legenda putem: & de more liquet. Sed nondum de Templo. An ergo magis est, Senecæ æuo, cùm iam totus ille Campus Martius templis ædificijsq; publicis insessus; Candidatos non sibi priuatim vmbracula parasse, sed ad propinqua Templa diuertisse, ibi euentum comitiorum exspectantes? Et auidè quidem: atque hoc est, quod* pependisse *eos scribit.*

6. PER SEQVESTREM.] *Non pronunciet solùm & promittat, sed nummos deponat, & apud alium, fidei causâ, consignet.*

7. MANVS OSCVLIS CONTERAT.] *Vile, & seruile. Nam illi Dominis sic solent. Electa nostra altera vide, cap. de Osculis.*

8. VOCEM PRÆCONIS.] *Qui designatos renunciet.*

9. SPECTARE ILLAS NVNDINAS.] *Vetus hoc est. vitam esse vt Panegyrim aut nundinas: quò alij veniant vendendi, alij emendi causâ; honestissimus quisque spectandi tantùm: noster palàm aptat.*

10. SED MAGNA ILLA.] *Totius mundi comitia, præside Fortunâ.*

11. ALII HONORES ANNIVERSARIOS.] *Tribunatus, Præturas, Consolatus.*

12. ALII PERPETVAS POTEST.] *Regna & Principatus.*

13. PRIVATAM FACERE FORT.] *Id est, redigere in ordinem.*

14. QVID

tunam. Libet ergo hæc inuicem ſcribere, & hanc integram ſemper egerere materiam, A
circumſpicientibus tot millia hominum inquieta: qui vt aliquid peſtiferi conſequantur, per mala nituntur in malum, petuntque mox fugienda, aut etiam faſtidienda. Cui enim aſſecuto ſatis fuit, quod optanti nimium videbatur? Non eſt, vt exiſtimant homines, auida felicitas, ſed puſilla. itaque neminem ſatiat. Tu iſta credis excelſa, quia longè ab illis iaces: ei verò qui ad illa peruênit, humilia ſunt. Mentior, niſi adhuc quærit adſcendere. Iſtud quod tu ſummum putas, gradus eſt. Omnes autem malè habet ignorantia veri. tamquam ad bona feruntur, decepti rumoribus. Deinde mala eſſe, aut inania, aut minora quàm ſperauerint, adepti ac multa paſſi vident: maiorque pars miratur ex interuallo fallentia, & vulgò magna pro bonis ſunt. Hoc ne nobis quoque eueniat, quæramus [14] quid ſit bonum. Varia eius interpretatio fuit. Finiuit hoc alius alio modo, alius illud aliter expreſſit. Quidam ita finiunt: Bonum eſt, quod inuitat animos, quod ad ſe vocat. Huic ſtatim opponitur: Quid ſi inuitat quidem, ſed in perniciem? ſcis quàm multa mala, blanda ſint. Verum, & veriſimile, inter ſe differunt ita: Quod B
bonum eſt, vero iungitur: non eſt enim bonum, niſi verum eſt. At quod inuitat ad ſe, & allicit facie, veriſimile eſt: ſubrepit, ſollicitat, attrahit. Quidam ita finierunt: Bonum eſt, quod appetitionem ſui mouet, vel quod impetum animi tendentis ad ſe mouet. Et huic idem opponitur: multa enim impetum animi mouent, quæ petuntur petentium malo. Melius illi qui ſic finierunt: Bonum eſt, quod ad ſe impetum animi ſecundùm naturam mouet: & ita demum petendum eſt, cùm cœpit eſſe expetendum. Iam & honeſtum eſt: hoc enim perfectè eſt petendum. Locus ipſe me admonet, vt quid interſit inter bonum honeſtumque, dicam. Aliquid inter ſe habent mixtum, & inſeparabile: nec poteſt bonum eſſe, niſi cui aliquid honeſti ineſt: & honeſtum vtique bonum eſt. Quid ergo inter duo intereſt? Honeſtum eſt perfectum bonum, quo beata vita completur, cuius contactu alia quoque bona fiunt. Quod dico, tale eſt. Sunt quædam [15] neque bona, neque mala: tamquam militia, legatio, iuriſdictio. Hæc cùm honeſtè adminiſtrata ſunt, bona eſſe incipiunt, & ex dubio in bonum tranſeunt. Bonum ſocietate ho- C
neſti fit, honeſtum per ſe bonum eſt. Bonum ex honeſto fluit, honeſtum ex ſe eſt. Quod bonum eſt, malum eſſe potuit: quod honeſtum eſt, niſi bonum eſſe non potuit. Hanc quidam finitionem reddiderunt: Bonum eſt, quod ſecundùm naturam eſt. Attende quid dicam. Quod bonum eſt, & ſecundùm naturam eſt: non protinus quod ſecundùm naturam eſt, & bonum eſt. Multa quidem naturæ conſentiunt: ſed tam puſilla ſunt, vt non conueniat illis boni nomen. Leuia enim ſunt, & contemnenda: nullum nec minimum contemnendum bonum. Nam quamdiu exiguum eſt, bonum non eſt: cùm bonum eſſe cœpit, non exiguum eſt. Vnde aliquid cognoſcitur bonum? ſi perfectè ſecundùm naturam eſt. Fateris, inquis, quod bonum eſt, ſecundùm naturam eſſe: hæc eius proprietas eſt. Fateris & alia ſecundùm naturam quidem eſſe; ſed bona non eſſe. Quomodo ergo illud bonum eſt, cùm hæc non ſint? quomodo ad aliam proprietatem peruenit, cùm vtrique præcipuum illud commune ſit, ſecundùm naturam eſſe? ipsâ ſcilicet magnitudine. Nec hoc nouum eſt, quædam creſcendo mutari. Infans fuit, factus eſt pubes: alia eius proprietas ſit: ille irrationalis eſt, hic rationalis. Quædam incremen- D
to non tantùm in maius exeunt, ſed in aliud. Non fit, inquit, aliud quod maius fit. Vtrùm lagenam an dolium impleas vino, nihil refert: in vtroque proprietas vini eſt. Exiguum mellis pondus, & magnum, ſapore non differt. Diuerſa ponis exempla. in iſtis enim eadem qualitas eſt: quamuis augeantur, manent. Quædam amplificata in ſuo genere, in ſuâ proprietate perdurant: quædam poſt multa incrementa, vltima demum vertit adiectio, & nouam illis, aliamque quàm in quâ fuerant, conditionem imprimit. Vnus lapis fecit fornicem, ille qui latera inclinata cuneauit, & interuentu ſuo vinxit. Summa adiectio quare plurimum facit, vel exigua? quia non auget, ſed implet. Quædam proceſſu priorem exuunt formam, & in nouam tranſeunt. Vbi animus aliquid diu protulit, &
magni-

14. QVID SIT BONVM.] *Vide Manud.* II. *Diſſert.* XXII.

15. NEQVE BONA, NEQVE MALA.] *Ea ſunt, Media.*

A magnitudinem eius sequendo lassatus est, infinitum cœpit vocari; quod longè aliud factum est quàm fuit, cùm magnum videretur, sed finitum. Eodem modo aliquid difficulter secari cogitauimus: nouissimè crescente difficultate, insecabile inuentum est. Sic ab eo quod vix & ægrè mouebatur, processimus ad immobile. Eâdem ratione aliquid secundùm naturam fuit: hoc in aliam proprietatem magnitudo sua transtulit, & bonum fecit.

EPIST. CXIX.

B DIVITIAS *à nobis peti posse, & accipi, nil superuacuum petendo. Finem omnium rerum spectandum, qui Naturam non excedit. Satis ea habere, non multum, quærit. Ostendit deinde diuites vulgò, omnes pauperes esse. Pulchra, & (Deus bone!) vera sunt.*

QVOTIES aliquid inuéni, non exspecto donec dicas, [1] *In commune*: ipse mihi dico. Quid sit quod inuenerim, quæris? sinum laxa, merum lucrum est. Docebo quomodo fieri diues celerrimè possis, quod valdè cupis audire. Nec immeritò: ad maximas te diuitias compendiariâ ducam. [2] Opus erit tamen tibi creditore, vt negotiari possis, æs alienum facias oportet: sed nolo per intercessorem mutueris, [3] nolo proxenetæ nomen tuum iactent. Paratum tibi creditorem dabo, [4] Catonianum illud: à te mutuum sumes. *Quantulumcumque est, satis erit, si quidquid deerit, id à nobis petierimus*. Nihil enim, mi Lucili, interest, vtrùm non desideres, an habeas. Summa rei in vtroque est eadem: non torqueberis. Nec illud præcipio, vt aliquid naturæ neges: contumax est, non potest vinci, suum poscit: sed vt quidquid naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium. Esurio: edendum est. vtrùm hic panis sit plebeius, an siligineus, ad
C naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, sed impleri. Sitio. vtrùm hæc aqua sit [5] ex lacu proximo excepta, an ea quam [6] multâ niue clusero, vt rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc vnum iubet, sitim exstingui. Vtrùm sit aureum poculum, an crystallinum, an murrhinum, an [7] Tiburtinus calix, an manus concaua, nihil refert. Finem omnium rerum specta, & superuacua dimittes. Fames me appellat: ad proxima quæque tendatur manus: ipsa mihi commendabit, quodcumque comprehendero. Nihil contemnit esuriens. [8] Quid sit ergo, quod me delectauerit, quæris? Videtur mihi egregiè dictum: *Sapiens, diuitiarum naturalium est quæsitor acerrimus.* Inani me, inquis, lance muneras. [9] Quid est illud inane? iam ego [10] praueram fiscos: circumspiciebam in quod me mare negotiaturus immitterem, [11] quod publicum agitarem, quas accerserem merces. Decipere est istud, docere paupertatem, cùm diuitias promi-

EPIST. CXIX. 1. IN COMMVNE.] *Græcorum erat prouerbium, in re quam in viâ fortè inuenissent,*
D Κοινὸς Ἑρμῆς: Communis Mercurius: *quasi dicerent, & mihi pars esto. Phurnutus, de Mercurio:* Siquis aliquid in itinere inuenerit, moris est profari, Communi Mercurio: qui certè rei inuentæ conscius est, vt qui in vijs versetur.

2. OPVS ERIT TAMEN CREDITORE.] *Quo? ipso te, vt argutando subdit.*

3. NOLO PROXENETÆ.] *Græco nomine* προξενητὴς, *qui est velut pararius, conciliator, & interpres: qui partes contracturas medius ipse iungit.*

4. CATONIANVM ILLVD.] *Malim*, Hecatonianum, *cum Pinciano: & significatur sequens gnome*, Quantulumcumque, *& quæ sequuntur.*

5. EX LACV PROXIMO.] *Propertius:*
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.

6. MVLTA NIVE CLVSERO.] *Teneri potest. nam & aqua in vase circumdari niue solet, vt frigus capiat, niuis ipsius & vitij expers. Hodie etiam faciunt. Tamen alij,* elisero.

7. TIBVRTINVS CALIX.] *Fictilis.*

8. QVID SIT ERGO.] *De quo initio dixi,* In commune *debere proferri.*

9. QVID EST ILLVD INANE?] *Improba vox*, Inane: *& faciam*, In commune: *vt ad ea verba alludat. Si tamen non superuacua: & certè in meo est*, Quid est istud? iámne ego.

10. PARAVERAM FISCOS.] *In quos pecuniam conýcerem.*

11. QVOD PVBLICVM.] *Nam vectigalium redempturis prompta sæpè ad opes via.*

promiseris. Ita tu pauperem iudicas, cui nihil deest? Suo, inquis, & patientiæ suæ bene- A
ficio, non fortunæ. Ideò ergo illum non iudicas diuitem, quia diuitiæ eius definere non possunt? Vtrùm malis habere multum, an satis? qui multum habet, plus cupit; quod est argumentum, nondum illum satis habere: qui satis habet, cõsecutus est, quod numquam diuiti contingit, finem. An has ideò non putas esse diuitias, quia propter illas nemo proscriptus est? quia propter illas nulli venenum filius, nulli vxor impegit? quia in bello tutæ sunt? quia in pace otiosæ? quia nec habere illas periculosum est, nec operosum disponere? An parum habet, qui tantùm non alget, non esurit, non sitit? plus Iupiter non habet. Numquam parum est, quod satis est: numquam multum est, quod satis non est. Post Darium & Indos pauper est Alexander Macedo: quærit quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in Oceanum classes mittit nouas, &, vt ita dicam, mundi claustra perrumpit. Quod naturæ satis est, homini non est. Inuentus est qui concupisceret aliquid post omnia. Tanta est cæcitas mentium, & tanta initiorum suorum vnicuique, cùm processit, obliuio. Ille modò [12] ignobilis anguli non sine controuersiâ domi- B
nus, [13] de tanto fine terrarum per suum rediturus orbem tristis est. Neminem pecunia diuitem fecit: imò contrà, nulli non maiorem sui cupiditatem incussit. Quæris, quæ sit huius rei caussa? plus incipit habere posse, qui plus habet. Ad summam, quem voles mihi ex his quorum nomina [14] cum Crasso Licinoque numerantur, in medium licet protrahas: afferat censum, & quidquid habet, & quidquid sperat, simul computet: iste, si mihi credis, pauper est; si tibi, potest esse. At hic qui se ad id quod natura exigit, composuit, non tantùm extra sensum est paupertatis, sed extra metum. Sed vt scias, quàm difficile sit res suas ad naturalem modum coarctare, hic ipse quem circa naturam diximus, quem tu vocas pauperem, habet aliquid & superuacui. At excæcant populum, & in se conuertunt opes, si numerati multum ex aliquâ domo effertur, si multum auri tecto quoque eius illinitur, si familia aut corporibus electa, aut spectabilis cultu est. Omnium istorum felicitas in publicum spectat: ille quem nos & populo & fortunæ subduximus, beatus introrsum est. Nam quod ad illos pertinet, apud quos falsò diuitiarum C
nomen inuasit occupata paupertas: sic diuitias habent, quomodo habere dicimur febrem, cùm illa nos habeat. Econtrariò dicere debemus: Febris illum tenet. eodem modo dicendum est, Diuitiæ illum tenent. Nihil ergo monuisse te malim, quàm hoc, quod nemo monetur satis: vt omnia naturalibus desideriis metiaris, quibus aut gratis satis fiat, aut paruo. Tantum miscere vitia desideriis noli. Quæris quali mensâ, quali argento, [15] quàm paribus ministeriis, [16] & leuibus, afferatur cibus? nihil præter cibum natura desiderat.

Num tibi, cùm fauces vrit sitis, aurea quæris
Pocula? num esuriens fastidis omnia, præter
Pauonem rhombumque?

Ambitiosa non est fames: contenta definere est: quo desinat, non nimis curat. Infelicis luxuriæ ista tormenta sunt. quærit quemadmodum post saturitatem quoque esuriat; quemadmodum non impleat ventrem, sed farciat; quemadmodum sitim primâ D
potione sedatam reuocet. Egregiè itaque Horatius negat ad sitim pertinere, quo poculo aqua, aut quàm eleganti manu ministretur. Nam si pertinere ad te iudicas, [17] quàm

12. IGNOBILIS ANGVLI.] *Macedoniæ. cui prima claritas à Philippo.*

13. DE TANTO FINE TERRARVM.] *Diuinet aliquis*, detecto.

14. CVM CRASSO LICINOQVE.] *De Crasso notum, nec de Licino ignotum. Iungit vtrumque & Persius:*

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.

Fuit Augusti prædiues libertus, de quo Dio lib. LIV. *etsi Αικίννιον, siue* Licinium *vocat: Iuuenalis Sat.* I. *& Scholiastes, Sidonius epist.* VII. *libri* V. *Carmen de eo epitaphium:*

Marmoreo hoc tumulo Licinus iacet, at Cato nullo,
Pompeius paruo. credimus esse Deos?

Nominat iterùm noster in epist. seq.

15. QVAM PARIBVS MINISTERIIS.] *Aetate, aut colore paribus. De Breuit. vit. cap.* XII. *& alibi in his Epistolis.*

16. ET LEVIBVS.] *Glabris, vt alibi vocat, & sine pilis.*

17. QVAM

A [17] quàm crinitus puer, & quàm perlucidum tibi poculum porrigat, non ſitis. Inter reliqua, hoc nobis natura præſtitit præcipuum, quòd neceſſitati faſtidium excuſſit. Recipiunt ſuperuacua delectum. Hoc parùm decens, illud [18] parùm lautum, oculos hoc meos lædit. Id actum eſt ab illo mundi conditore, qui nobis viuendi iura deſcripſit, vt ſalui eſſemus, non delicati. Ad ſalutem omnia parata ſunt, & in promptu: deliciis omnia miſerè ac ſolicitè comparantur. Vtamur ergo hoc naturæ beneficio inter magna numerando: & cogitemus, nullo nomine meliùs illam meruiſſe de nobis, quàm quia quidquid ex neceſſitate deſideratur, ſine faſtidio ſumitur.

EPIST. CXX.

B BONI *notitia quomodo ad nos venerit? obſeruatione, & collatione: Naturâ etiam ducente. Venit & ex contrario: id eſt, vitij deteſtatione. Deſcribit Sapientem, & vulgo petenda aut timenda calcantem, etiam ipſam mortem. Denique vnum ſemper, & ſibi conſtantem.*

EPISTOLA tua per plures quæſtiunculas vagata eſt, ſed in vnâ conſtitit, & hanc expediri deſiderat: Quomodo ad nos boni honeſtiqúe prima notitia peruenerit. Hæc duo apud alios diuerſa ſunt, [1] apud nos tantùm diuiſa. Quid ſit hoc, dicam. Bonum putant eſſe aliqui, quod vtile eſt. itaque hoc & diuitiis, & equo, & vino, & calceo nomen imponunt: tanta eſt apud illos boni vilitas, & adeò vſque ad ſordida deſcendit. Honeſtum putant, cui ratio recti officij conſtat: tamquam piè curatam patris ſenectutem, adiutam amici paupertatem, fortem expeditionem, prudentem moderatamqúe ſententiam. [2] Iſta duo quidem facimus, ſed ex vno. Nihil eſt bonum, niſi quod honeſtum eſt: quod honeſtum eſt, vtique bonum. Superuacuum iudico adiicere, quid inter iſta diſcriminis ſit, cùm ſæpè dixerim. Hoc vnum dicam: Nihil nobis bonum videri,
C quo quis & malè vti poteſt. Vides autem, diuitiis, nobilitate, viribus quàm multi malè vtantur. Nunc ergo ad id reuertor, de quo deſideras dici: Quomodo ad nos prima boni honeſtiqúe notitia peruenerit. Hoc nos docere natura non potuit: ſemina nobis ſcientiæ dedit, ſcientiam non dedit. Quidam aiunt nos in notitiam incidiſſe: quod eſt incredibile, virtutis alicui ſpeciem caſu occurriſſe. Nobis videtur obſeruatio collegiſſe, & rerum ſæpè factarum inter ſe collatio, per analogiam noſtro intellectu & honeſtum & bonum iudicante. Hoc verbum cùm Latini grammatici ciuitate donauerint, ego damnandum non puto, nec in ciuitatem ſuam redigendum. Vtar ergo illo non tantùm tamquam recepto, ſed tamquam vſitato. Quæ ſit hæc analogia, dicam. Noueramus corporis ſanitatem: ex hac collegimus eſſe aliquam & animi. noueramus corporis vires: ex his collegimus eſſe & animi robur. Aliqua benigna facta, aliqua humana, aliqua fortia, nos obſtupefecerant: hæc cœpimus tamquam perfecta mirari. Suberant illis multa vitia, quæ ſpecies alicuius conſpicui facti fulgorqúe celabat: hæc diſſimulauimus. Natura iu-
D bet augere laudanda: nemo non gloriam vltra verum tulit. Ex his ergo ſpeciem ingentis boni traximus. Fabricius Pyrrhi regis aurum repulit, maiuſqúe regno iudicauit, regias opes poſſe contemnere. Idem, medico Pyrrhi promittente venenum ſe regi daturum, monuit Pyrrhum, caueret inſidias. Eiuſdem animi fuit, auro non vinci, veneno non vincere. Admirati ſumus ingentem virum, quem non regem, non contra regem promiſſa flexiſſent, boni exempli tenacem: quod difficillimum eſt, in bello innocentem: qui aliquod

17. QVAM CRINITVS PVER.] *Qui à poculis, muliebri plerumque habitu erant, capillitio fluente & longo. Imò & alij Pædagogiani ferè pueri. Vnde Martialis*: Crinite, Line, pædagoge turbæ. *Horatius de tali mollicello:*

Diſcrimen obſcurum ſolutis
Crinibus, ambiguoqúe vultu.

18. PARVM LAVTVM.] *Olim correxi: nam libri,* laudatum.

EPIST. CXX. 1. APVD NOS TANTVM DIVISA.] *Quomodo, & quatenus, epiſt.* CXVIII. *circa medium, copiosè.*

2. ISTA DVO QVIDEM FACIMVS.] *Nempe nos Stoici.*

quod esse crederet etiam in hoste nefas: qui in summâ paupertate, quâ sibi decus fece- A
rat, non aliter refugit diuitias quàm venenum. Viue, inquit, beneficio meo Pyrrhe, & gaude, quod adhuc dolebas, Fabricium non posse corrumpi. Horatius Cocles solus impleuit pontis angustias, adimique à tergo sibi reditum, dummodò iter hosti auferretur, iussit: & tam diu restitit prementibus, donec reuulsa ingenti ruinâ tigna sonuerunt. Postquam respexit, & extra periculũ esse patriam periculo suo sensit: *Veniat si quis vult*, inquit, *sic euntem sequi*: deditque se in præceps: & non minùs solicitus in illo rapido alueo fluminis, [3] vt armatus, quàm vt saluus exiret, retento armorum victricium decore, tam tutus rediit, [4] quàm si ponte venisset. Hæc & huiusmodi facta imaginem nobis ostendêre virtutis. Adiiciam quod mirum fortasse videatur: mala interdum speciem honesti obtulerunt, & optimum ex contrario nituit. Sunt enim, vt scis, virtutibus vitia confinia, & perditis quoque ac turpibus recti similitudo est. Sic mentitur prodigus liberalem: cùm plurimum intersit, vtrùm quis dare sciat, an seruare nesciat. Multi, inquam, sunt, Lucili, qui non donant, sed proiiciunt. non voco ego liberalem, pecuniæ suæ ira- B
tum. Imitatur negligentia facilitatem, temeritas fortitudinem. Hæc nos similitudo coegit attendere, & distinguere specie quidem vicina, re autem plurimùm inter se dissidentia. Dum obseruamus eos, quos insignes egregium opus fecerat, cœpimus annotare, quis rem aliquam generoso animo feciset & magno impetu, sed semel. Hunc vidimus in bello fortem, in foro timidum; animosè paupertatem ferentem, humiliter infamiam: factum laudauimus, contempsimus virũ. Alium vidimus aduersus amicos benignum, aduersus inimicos temperatum, & publica & priuata sanctè ac religiosè administrantem: non deesse ei, & in his quæ toleranda erant, patientiam, & in his quæ agenda, prudentiam. Vidimus vbi tribuendum esset, plenâ manu dantem: vbi laborandum, [5] pertinacem & obnoxium, & lassitudinem corporis animo subleuantem. Prætereà idem erat semper, & in omni actu par sibi, iam non consilio bonus, sed [6] more eò perductus, vt non tantùm rectè facere posset, sed nisi rectè facere non posset. Intelleximus in illo perfectam esse virtutem: hanc in partes diuisimus. Oportebat cupiditates refrænari, metus C
comprimi, facienda prouideri, reddenda distribui: comprehendimus temperantiam, fortitudinem, prudentiam, iustitiam, & suum cuique dedimus officium. Ex quo ergo virtutem intelleximus? Ostendit illam nobis ordo eius, & decor, & constantia, & omnium inter se actionum concordia, & magnitudo super omnia efferens sese. Hinc intellecta est illa beata vita, [7] secundo defluens cursu, arbitrij sui tota. Quomodo ergo hoc ipsum nobis apparuit? dicam. Numquam vir ille perfectus adeptusque virtutem, fortunæ maledixit: numquam accidentia tristis excepit, ciuem esse se vniuersi & militem credens, labores velut imperatos subiit. Quidquid inciderat, non tamquam malum aspernatus est, & in se casu delatum, sed quasi delegatum sibi. Hoc qualecumque est, inquit, meum est. asperum est, durum est: in ipso nauemus operam. Necessariò itaque magnus apparuit, qui numquam malis ingemuit, numquam de fato suo quæstus est, fecit multis intellectum sui, & non aliter quàm in tenebris lumen effulsit: aduertitque in se omnium animos, cùm esset placidus & lenis, & humanis diuinisque rebus pariter
æquus. Habebat perfectum animum, ad summam sui adductus, supra quam nihil est D
nisi mens Dei, [8] ex quâ pars & in hoc pectus mortale defluxit: quod numquam magis diuinum est, quàm vbi mortalitatem suam cogitat, & scit in hoc natum hominem, vt vitâ defungeretur: nec domum esse hoc corpus, sed hospitium, & quidem breue hospitium: quod relinquendum est, vbi te grauem esse hospiti videas. Maximum, inquam,

mi Lu-

3. VT ARMATVS.] *Ex lege militari, nequis arma abiceret aut amitteret.*

4. QVAM SI PONTE.] *Tam tutò per aquam, quàm si per pontem. Malè, qui legunt,* si è ponte.

5. PERTINACEM ET OBNOXIVM.] *Volunt*, obnixum: *ego non mutem. Nam & obnoxius est, qui laborem subit susci-pitque: & sic dat.*

6. MORE EÒ PERDVCTVS.] *Cui in habitum scientia iuerat.*

7. SECVNDO DEFLVENS CVRSV.] *Est Stoicorum εὐροια.*

8. EX QVA PARS ET IN HOC.] *Stoicorum opinio, animos nostros ex illo diuino delibatos esse. Physiol.* III. *Differt.* VIII.

9. CAR-

A mi Lucili, argumentum eſt animi ab altiori venientis ſede, ſi hæc in quibus verſatur, humilia iudicat, & anguſta, ſi exire non metuit. Scit enim quò exiturus ſit, qui vnde venerit, meminit. Non videmus, quàm multa nos incommoda exagitant, quàm malè nobis conueniat hoc corpus? Nunc de ventre, nunc de capite, nunc de pectore ac faucibus querimur: aliàs nerui nos, aliàs pedes vexant: nunc deiectio, nunc deſtillatio: aliquando ſupereſt ſanguis, aliquando deeſt: hinc atque illinc tentamur, & expellimur. Hoc euenire ſolet in alieno habitantibus. At nos corpus tam putre ſortiti, nihilominus æterna proponimus, & in quantum poteſt ætas humana protendi, tantùm ſpe occupamus, nullâ contenti pecuniâ, nullâ potentiâ. Quid hac re fieri impudentiùs, quid ſtultiùs poteſt? Nihil ſatis eſt morituris, imò morientibus. quotidie enim propiùs ab vltimo ſtamus, & illò vnde nobis cadendum eſt, hora nos omnis impellit. Vide in quantâ cæcitate mens noſtra ſit! Hoc quod futurum dico, cummaximè fit, & pars eius magna iam facta eſt. nam quod viximus tempus, eo loco eſt, quo erat antequam viximus. Erramus autem,
B qui vltimum timemus diem: cùm tantumdem in mortem ſinguli conferant. Non ille gradus laſſitudinem facit, in quo deficimus, ſed ille profitetur. Ad mortem dies extremus peruenit, accedit omnis. [9] Carpit nos illa, non corripit. Ideò magnus animus, conſcius ſibi melioris naturæ, dat quidem operam, vt in hac ſtatione, quâ poſitus eſt, honeſtè ſe atque induſtriè gerat: ceterùm nihil horum quæ circa ipſum ſunt, ſuum iudicat, ſed vt commodatis vtitur, peregrinus & properans. Cùm aliquem huius videremus conſtantiæ, quídni ſubiret nos ſpecies non vſitatæ indolis? vtique ſi hanc, vt dixi, magnitudinem veram eſſe oſtendebat. Qualitatis veræ tenor permanet, falſa non durant. Quidam alternis Vatinij, alternis Catones ſunt: & modò parùm illis ſeuerus eſt Curius, parùm pauper Fabricius, parùm frugi & contentus vili Tubero: modò Licinum diuitiis, Apicium cænis, Mecænatem deliciis prouocant. Maximum indicium eſt malæ mentis, fluctuatio, & inter ſimulationem virtutum, amoremque vitiorum, aſſidua iactatio.

C
—— habebat ſæpè ducentos,
Sæpè decem ſeruos: modò reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens: modò, ſit mihi menſa tripes, &
Concha ſalis puri, & toga quæ defendere frigus,
Quamuis craſſa, queat. decies centena dediſſes
Huic parco paucis contento: quinque diebus
Nil erat in loculis.

Omnes iſti tales ſunt, qualem hunc deſcribit Horatius: numquam eumdem, nec ſimilem quidem ſibi. adeò in diuerſum aberrat. Multos dixi: propè eſt vt omnes ſint. Nemo non quotidie & conſilium mutat, & votum. modò vxorem vult habere, modò amicam: modò regnare vult; modò id agit, ne quis ſit officioſior ſeruus: modò dilatat ſe vſque ad inuidiam; modò ſubſidit, & contrahitur infra humilitatem verè iacentium: nunc pecuniam ſpargit, nunc rapit. Sic maximè coarguitur animus imprudens: alius prodit atque alius, & (quo turpius nihil iudico) impar ſibi eſt. Magnam rem puta,
D [10] vnum hominem agere. Præter ſapientem autem nemo vnum agit: ceteri multiformes ſumus. Modò frugi tibi videbimur & graues, modò prodigi & vani. Mutamus ſubinde perſonam, & contrariam ei ſumimus, quam exuimus. Hoc ergo à te exige, vt qualem inſtitueris præſtare te, talem vſque ad exitum ſerues. Effice vt poſſis laudari: ſi minùs, vt agnoſci. De aliquo, quem vidiſti heri, meritò dici poteſt: Hic quis eſt? tanta mutatio eſt.

9. CARPIT NOS ILLA.] *Paullatim mors ad ſe ducit, non impetu rapit.*

10. VNVM HOMINEM AGERE.] *Qui finis eſt Zenonius, Vita conueniens. Vide Manuduct. II. Diſſert. XV. At Mureti etiam nota hîc opportuna. Nam quod in Sacris de Iobo ſcribitur,* Fuit vnus vir: *id ita Hieronymus interpretatur.* Non per diuerſa mobilis & inſtabilis ferebatur, ſed firmus atque inconcuſſus perſiſtens, erat vir vnus. *Eſt planè Zenonium.*

A

EPIST. CXXI.

ALIQVID pro argutiis prætendit: tum proponit, An omnibus animalibus conſtitutionis ſuæ ſenſus? id eſt, ſponte & naturâ eant, quò debent & ſunt facta. Dicit eſſe, & exemplis rationibuſque variè docet.

LITIGABIS, ego video: cùm tibi hodiernam quæſtiunculam, in quâ ſatis diu hæſimus, expoſuero. Iterum enim clamabis, Hoc quid ad mores? Sed exclama, dum tibi primùm alios opponam, cum quibus litiges, Poſidonium & [1] Archidemum. [2] Hi iudicium accipient, deinde dicam. [3] Non quidquid morale eſt, bonos mores facit. Aliud ad hominem alendum pertinet, aliud ad exercendum, aliud ad veſtiendum, aliud ad docendum, aliud ad delectandum. Omnia tamen ad hominem pertinent, etiamſi B non omnia meliorem eum faciunt. Mores alia aliter attingunt. Quædam illos corrigunt & ordinant, quædam naturam eorum & originem ſcrutantur. Cùm quæritur, quare hominem natura produxerit, quare prætulerit animalibus ceteris, longè me iudicas mores reliquiſſe? falſum eſt. Quomodo enim ſcies, qui habendi ſint, niſi quid homini ſit optimum, inueneris? niſi naturam eius inſpexeris? Tunc demum intelliges, quid faciendum tibi, quid vitandum ſit, cùm didiceris quid naturæ tuæ debeas. Ego, inquis, volo diſcere, quomodo minùs cupiam, minùs timeam. Superſtitionem mihi excute, doce leue eſſe vanumque hoc, quod felicitas dicitur: [4] vnam illi ſillabam facillimè accedere. Deſiderio tuo ſatisfaciam, & ad virtutes exhortabor, & vitia conuerberabo, licet aliquis nimium immoderatumque in hac parte me iudicet, non deſiſtam perſequi nequitiam, & affectus efferatiſſimos inhibere, & voluptates ituras in dolorem compeſcere, & votis obſtrepere. Quidni? cùm maxima malorum optauerimus, & [5] ex gratulatione natum ſit quidquid obloquimur. Interim permitte mihi ea quæ paullò remotio- C ra videntur, excutere. Quærebamus, an eſſet omnibus animalibus [6] conſtitutionis ſuæ ſenſus? Senſum autem eſſe ex eo maximè apparet, quòd membra aptè & expeditè mouent, non aliter quàm in hoc erudita. Nulli non partium ſuarum agilitas eſt. Artifex inſtrumenta ſua tractat ex facili: rector nauis ſcit gubernaculum flectere: pictor colores quos ad reddendam ſimilitudinem multos variosque ante ſe poſuit, celerrimè denotat, & [7] inter ceram opuſque facili vultu ac manu commeat. Sic animal in omnem vſum ſui mobile. Mirari ſolemus [8] ſcænæ peritos, quòd in omnem ſignificationem rerum & effe-

EPIST. CXXI. 1. ARCHIDEMVM.] *Inter primores Stoicos fuit, etſi hodie minùs, olim maximè in famâ. Vide in Manuduct. I. Diſſert. XII.*

2. HI IVDICIVM ACCIPIENT.] *Non diffugient, litem tecum conteſtabuntur.*

3. NON QVIDQVID MORALE.] *Meliùs interrogatione hoc efferas, & claudas, vt ſit affirmantis. Nam ex ſequelâ hoc velle dicas: Moralia etiam eſſe, quæ ſi non apertè & ſtatim, flexu vel ſubſidio aliquo ducunt ad bonos mores. Tale iſtud.*

4. VNAM ILLI SILLABAM.] *Vt ſiat* Infelicitas.

5. EX GRATVLATIONE NATVM.] *Ex eo quòd votorum compotes facti, gratulationes exceperimus, quaſi rebus bonis: at malæ illæ erant.*

6. CONSTITVTIONIS SVÆ SENSVS.] *Ipſum hoc Stoicum verbum, & ſcitum, Laërtius breuiter ex Chryſippo:* πρῶτον οἰκεῖον εἶ) παντὶ ζῴῳ τὴν ἑαυτῆ σύϛασιν, καὶ τὴν ταύτης συνείδησιν: Primum cognatum eſſe omni animali, ſua ipſius conſtitutionem, & eius cognitionem ac ſenſum. *Cicero, in Catonis perſonâ, III. de Finibus*: Placet ijs (*Stoicis*) quorum ratio mihi probatur, ſimul atque natum ſit animal, ipſum ſibi conciliari & commendari ad ſe conſeruandum, & ad ſuum ſtatum (*ita dicit σύϛασιν, ſiue* Conſtitutionem) & ad ea quæ conſeruantia ſunt eius ſtatus diligenda. *Tractat eumdem locum* V. *de Finibus: &* D *erat creber in eorum ſcriptis, quia Finem ex eo ducebant. Quomodo, Laërtius tibi dicet in Zenone, initio partis Ethicæ.*

7. INTER CERAM OPVSQVE.] *Turnebus notat,* ceram *eſſe fucum ſiue picturam: quia veteres ceris pingere ſolebant. Ceris dico, variè coloratis. Varro*: Pictores loculatas magnas habent arculas, vbi diſcolores ſunt ceræ.

8. SCÆNÆ PERITOS.] *Scripti,* ſatiat peritos. *ex quo idem ille doctiſſimus optimúſque Turnebus,* ſaltationis. *Et verò ad Pantomimos, quorum ſaltatio erat, hæc propriè pertinent: qui geſtibus ſolis hiſtorias fabulaſque ſcitè exprimebant & agebant.*

9. MAGNÆ

A effectuum parata illorum est manus, & verborum velocitatem gestus assequitur. Quod illis ars præstat, his natura. Nemo ægrè molitur artus suos, nemo in vsu sui hæsit: ad hoc edita, protinus faciunt. Cum hac scientiâ prodeunt, instituta nascuntur. Ideò, inquit, partes suas animalia aptè mouebunt: quia si aliter mouerint, dolorem sensura sunt. Ita, vt vos dicitis, coguntur, metusque illa in rectum, non voluntas mouet: quod est falsum. Tarda enim sunt, quæ necessitate impelluntur. Agilitas, spontaneus motus est. Adeò autem non adigit illa ad hoc doloris timor, vt in naturalem motum etiam dolore prohibente nitantur. Sic infans qui stare meditatur, & ferre se assuescit, simul tentare vires suas cœpit, cadit: & cum fletu toties resurgit, donec se per dolorem ad id quod natura poscit, exercuit. Animalia quædam tergi durioris inuersa tamdiu se torquent, ac pedes exserunt, & obliquant, donec ad locum reponantur. Nullum tormentum sentit supinata testudo. inquieta est tamen desiderio naturalis status: nec antè desinit niti, quatere se, quàm in pedes constitit. Ergo omnibus constitutionis suæ sensus est, & inde mem-
B brorum tam expedita tractatio: nec vllum maius indicium habemus, cum hac illa ad viuendum venire notitiâ, quàm quòd nullum animal ad vsum sui rude est. Constitutio est, inquit, vt vos dicitis, principale animi quodam modo se habens erga corpus. Hoc tam perplexum & subtile, & vobis quoque vix enarrabile, quomodo infans intelligit? Omnia animalia dialectica nasci oporteret, vt istam finitionem [9] magnæ parti togatorum obscuram intelligant. Verum erat quod opponis, si ego ab animalibus constitutionis finitionem intelligi dicerem. Nam ipsa constitutio faciliùs naturâ intelligitur, quàm enarratur. Itaque infans ille, quid sit constitutio, non nouit: constitutionem suam nouit: & quid sit animal nescit, animal esse se sentit. Prętereà ipsam constitutionem suam crassè intelligit, & summatim, & obscurè. Nos quoque animum habere nos scimus: quid sit animus, vbi sit, qualis sit, & vnde, nescimus. Qualis ad nos peruenit animi nostri sensus, quamuis naturam eius ignoremus, ac sedem, talis ad omnia animalia constitutionis suæ sensus. Necesse est enim id sentiant, per quod alia quoque sentiunt: necesse est sensum
C eius habeant, cui parent, à quo reguntur. Nemo non ex nobis intelligit esse aliquid, quod impetus suos moueat: quid sit illud, ignorat. & conatum sibi esse scit: quid sit, aut vnde sit, nescit. Sicut infantibus, sic quoque animalibus, principalis partis suæ sensus est, non satis dilucidus, non expressus. Dicitis, inquit, omne animal primùm constitutioni suæ conciliari: hominis autem constitutionem rationalem esse: & ideò conciliari hominem sibi, non tamquam animali, sed tamquam rationali. Eâ enim parte sibi carus est homo, quâ homo est. Quomodo ergo infans conciliari constitutioni rationali potest, cùm rationalis nondum sit? Vnicuique ætati sua constitutio est: alia infanti, alia puero, alia seni. Omnes enim constitutioni conciliantur, in quâ sunt. Infans sine dentibus est: huic constitutioni suæ conciliatur. enati sunt dentes: huic constitutioni conciliatur. Nam & illa herba, quæ in segetem frugemque ventura est, alienam constitutionem habet tenera, & vix eminens sulco: aliam cùm conualuit, & molli quidem culmo, sed qui ferat onus suum, constitit: aliam cùm flauescit, & [10] ad aream spectat, & spica eius in-
D duruit: in quamcumque constitutionem venit, eam tuetur, in eam componitur. Alia est ætas infantis, pueri, adolescentis, senis: ego tamen idem sum, qui & infans fui, & puer, & adolescens. Sic quamuis alia atque alia cuique constitutio sit, conciliatio constitutionis suæ eadem est. Non enim puerum mihi aut iuuenem, aut senem, sed me natura commendat. Ergo infans ei constitutioni suæ conciliatur, quæ tunc infanti est, non quæ futura iuueni est. Neque enim si aliquid illi maius, in quo transeat, restat; non hoc quoque in quo nascitur, secundùm naturam est. Primùm sibiipsi conciliatur animal: debet enim aliquid esse, ad quod alia referantur. Voluptatem peto. cui? mihi. ergo mei curam ago. Dolorem refugio. pro quo? pro me. ergo mei curam ago. Si omnia propter curam mei facio,

9. MAGNÆ PARTI TOGATORVM.] *Id est, primorum ciuium. nam hoc ipso, quòd* Togatos *dicit*, Tunicatæ *plebi opponit. Illi autem primores, ferè docti.*

10. AD AREAM SPECTAT.] *Quò trituræ gratiâ solent deportari.*

facio, ante omnia est mei cura. Hæc animalibus ineſt cunctis: nec inſeritur, ſed innaſci- A
tur. Producit fœtus ſuos natura, non abiicit: & quia tutela certiſſima ex proximo eſt, ſibi quiſque commiſſus eſt. Itaque vt in prioribus dixi, tenera quoque animalia è materno vtero vel quoquo modo effuſa, quid ſit infeſtum ipſis, protinus norunt, & mortifera deuitant: vmbram quoque tranſuolantium reformidant, obnoxia auibus rapto viuentibus. Nullum animal ad vitam prodit ſine metu mortis. Quemadmodum, inquit, editum animal intellectum habere, aut ſalutaris aut mortiferæ rei poteſt? Primùm quæritur, an intelligat, non quemadmodum intelligat. Eſſe autem illis intellectum, ex eo apparet, quòd nihil ampliùs, ſi intellexerint, faciant. Quid eſt quare pauonem, quare anſerem gallina non refugiat, cùm tanto minorem, & ne notum quidem ſibi, accipitrem fugiat? quare pulli felem timent, canem non timent? Apparet illis ineſſe ſcientiam nociturі, non experimento collectam. nam antequam poſſint experiri, cauent. Deinde, ne hoc caſu exiſtimes fieri, nec metuunt alia quàm debent, nec vmquam obliuiſcuntur huius tutelæ & diligentiæ, æqualis eſt illis à pernicioſo fuga. Præterea, non fiunt timidiora B
viuendo. Ex quo quidem apparet, non vſu illa ad hoc peruenire, ſed naturali amore ſalutis ſuæ. Et tardum eſt & varium, quod vſus docet: quidquid natura tradit, & æquale eſt omnibus, & ſtatim. Si tamen exigis, dicam quomodo omne animal pernicioſa intelligere conetur. Sentit ſe carne conſtare: itaque ſentit, quid ſit, quo ſecari caro, quo vri, quo obteri poſſit. Quæ ſunt animalia armata ad nocendum, horum ſpeciem trahit inimicam & hoſtilem. Inter ſe iſta coniuncta ſunt. Simul enim conciliatur ſaluti ſuæ quidque: & quæ iuuant, illa petit; læſura formidat. Naturales à contrariis aſpernationes ſunt. ſine vllâ cogitatione, ſine conſilio fit, quidquid natura præcipit. Non vides, quanta ſubtilitas ſit apibus ad fingenda domicilia? quanta [11] diuidui laboris obeundi concordia? Non vides quàm nulli mortalium imitabilis ſit, illa araneæ textura? quanti operis ſit, fila diſponere? alia in rectum immiſſa firmamenti loco, alia in orbem currentia ex denſo rara, quæ minora animalia, in quorum perniciem illa tenduntur, velut retibus implicata teneant. Naſcitur ars iſta, non diſcitur. Itaque nullum eſt animal altero doctius. vide- C
bis aranearum pares telas, par [12] in fauis angulorum omnium foramen. Incertum eſt & inæquale, quidquid ars tradit: ex æquo venit, quod natura diſtribuit. Hæc nihil magis, quàm tutelam ſui, & eius peritiam tradidit: ideoque etiam ſimul incipiunt, & diſcere & viuere. Nec eſt mirum, cum eo naſci illa, ſine quo fruſtrà naſcerentur. Primum hoc inſtrumentum illis natura contulit, ad permanendum in conciliatione & caritate ſui. Non poterant ſalua eſſe, ni vellent. Nec hoc per ſe profuturum erat: ſed ſine hoc nulla res profuiſſet. Sed in nullo deprehendes [13] vilitatem ſui, ne negligentiam quidem. Tacitis quoque & brutis, quamuis in cetera torpeant, ad viuendum ſolertia eſt. Videbis quæ aliis inutilia ſunt, ſibi ipſa non deeſſe.

EPIST. CXXII.

INGENIVM *luxuriæ, aduerſa moribus facere. Aliter cænare, bibere, dormire, ſurgere:* D
& tales aliquot Antipodas facetè deſcribit.

DETRIMENTVM iam dies ſenſit: reſiliuit aliquantulum: ita tamen, vt liberale adhuc ſpatium ſit, ſi quis cum ipſo, vt ita dicam, die ſurgat, officioſior, meliorque, quàm ſi quis illum exſpectat, [1] vt luce primâ exeat. Turpis, qui alto ſole ſemiſomnis

11. DIVIDVI LABORIS.] *Nam partiuntur inter ſe munera.*

12. IN FAVIS ANGVLORVM.] *Alij libri*, in filis, *quod in Araneis probem.*

13. VILITATEM SVI.] *Vt ſe contemnat, vile habeat.*

EPIST. CXXII. 1. VT LVCE PRIMA EXEAT.] *Hæc vera habeo, & pro Romano more ſcripta. Satis notum, ſalutatores cum primâ luce, ſæpè antè, exire ſolitos & diſcurrere: qui Officioſi dicebantur, & res ipſa Officium. Ait nunc Seneca: Dies quidem minuit, & tardior lux eſt: tamen vel ſic ſatis longus, ſiquis*

A somnis iacet, cuius vigilia medio die incipit: & adhuc multis hoc antelucanum est. Sunt qui officia lucis noctisque peruertunt: nec antè diducunt oculos hesternâ graues crapulâ, quàm appetere nox cœpit. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura (vt ait Virgilius) pedibus nostris subditos econtrariò posuit,

Nosque vbi primus equis oriens afflauit anhelis,
Illis sera rubens accendit lumina vesper:

talis horum contraria omnibus non regio, sed vita est. Sunt quidam in eâdem vrbe antipodes, qui, [2] vt M. Cato ait, *nec orientem vmquam solem viderunt, nec occidentem*. Hos tu existimas scire, quemadmodum viuendum sit, qui nesciunt quando? & hi mortem timent, in quam se viui condiderunt: tam infausti ominis, quàm nocturnæ aues sunt? Licet in vino vnguentoque tenebras suas exigant, licet epulis, & in multa quidem fercula distinctis, totum peruersæ vigiliæ tempus diducant: non conuiuantur, sed [3] iusta sibi faciunt. Mortuis certè interdiu parentatur. At mehercules nullus agenti dies longus
B est. Extendamus vitam: huius & officium, & argumentum, actus est. circumscribatur nox, & aliquid ex illâ in diem transferatur. Aues, quæ conuiuiis comparantur, vt immotæ facilè pinguescant, in obscuro continentur: ita sine vllâ exercitatione iacentibus, tumor pigrum corpus inuadit, [4] & super membra iners sagina succrescit. Ita istorum corpora, qui se tenebris dicauerunt, fœda visuntur. Quippe non speciosior illis, quàm morbo pallentibus, color est: languidi, & euanidi albent, & in viuis caro morticina est. Hoc tamen minimum in illis malorum dixerim: quanto plus tenebrarum in animo est? ille in se stupet, ille caligat, inuidet cæcis. Quis vmquam oculos tenebrarum caussâ habuit? Interrogas, quomodo hæc animo prauitas fiat, auersandi diem, & totam vitam in noctem transferendi? Omnia vitia contra naturam pugnant: omnia debitum ordinem deserunt. hoc est luxuriæ propositum, gaudere peruersis: nec tantùm discedere à recto, sed quàm longissimè abire, deinde etiam è contrario stare. Isti non videntur tibi contra naturam viuere, [5] qui ieiuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum
C ebrij transeunt? Atqui frequens hoc adolescentium vitium est, qui vires excolunt. [6] in ipso pænè balnei limine, inter nudos bibunt, imò potant: vt sudorem, quem mouerunt potionibus crebris ac feruentibus, [7] subinde distringant. Post prandium aut cænam bibere, vulgare est: hoc patres-familiæ rustici faciunt, & veræ voluptatis ignari. Merum illud delectat, quod non innatat cibo, quòd liberè penetrat ad neruos: illa ebrietas iuuat, quæ in vacuum venit. Non videntur tibi contra naturâ viuere, qui [8] commutant cum

fæmi-

siquis cum luce surgat sed melioris officij caussâ, quàm vt salutatum alios eat. Cuius? vt se curet, & saluum velit faciátque.

2. VT M. CATO AIT.] *Vbi Cato, scire non licet: Ciceronem dixisse*, II. *de Finibus, & item Pisoni obiecisse legimus, Oratione in ipsum. Sicut & Græcos tale vsurpasse: sed in epulis aut poculis deditos, qui ante occasum Solem in mensâ sunt, post ortum sertunt. De ijsdem Catonem dixisse opinandum est: neque*
D *tunc adhuc peruersi isti Senecæ Antipodes.*

3. IVSTA SIBI FACIVNT.] *Vide in epist.* XII.

4. ET SVPER MEMBRA.] *Libri alij*, & sub ipsâ vmbrâ: *bono item sensu.*

5. QVI IEIVNI BIBVNT.] *Antè de istis dictum. & dignus adscribi Nouatiani locus, qui & suo æuo durasse ostendit, in Epistolâ de cibis Iudaicis*: Nec desunt, qui cùm sibi Christiani vocem induerint, exempla prębeant intemperantię & magisteria. quorum vsque eò vitia venerunt, vt & ieiuni matutino tempore bibant: non putantes Christianum esse potare post cibum, nisi in vacuas & inanes adhuc venas infusa statim per *(lego,* post) somnum vina descenderint. *Et addit elegantissimè*: Videas ergo tales nouo genere adhuc ieiunos, & iam ebrios, non ad popinam currentes, sed popinam secum circumferentes: quorum si quisquis salutat, non osculum dat, sed propinat. *Plutarchus hoc inter caussas morborum habet, Quæstion. Conuiu.* VIII. *cap.* IX. Nec minimum, *inquit*, momentum habent ea quæ Propomata vocantur *(potus qui præbibuntur.)* Veteres enim ante cibum ne aquam quidem sumebant: nunc ieiuni priùs onerant se vino, tum cibum gustant, corpore madido & perfuso.

6. IN IPSO PÆNE BALNEI.] *Arnobius ostendit factitasse, post insolationem & vnctionem, lib.* I. Numquid ideò dicenda sunt nubila inimicâ obductione pendêre, quia libidini non permittitur, otiosè rutilare se flammis, & caussas potionibus præparare?

7. SVBINDE DISTRINGANT.] *Ad Strigiles adspectum, quibus sordes & sudorem defricabant, & linteis deinde tergebant. Græcis est* ἀπυξύεσθαι.

8. COMMVTANT CVM FÆMINIS.] *Magis placeat, cum alijs libris*, communicant. *Fæminæ autem Sericis Coísque vtebantur: & quidam è viris.*

9. QVI

fæminis veſtem? Non viuunt contra naturam, [9] qui exſpectant, vt pueritia ſplendeat A
tempore alieno? Quid fieri vel crudeliùs, vel miſeriùs poteſt? numquam vir erit, vt diu virum pati poſſit: & cùm illum contumeliæ ſexus eripuiſſe debuerat, ne ætas quidem eripiet? Non viuunt contra naturam, qui hieme concupiſcunt roſam? fomentoq; aquarum calentium, & calorum [10] aptâ mutatione, brumâ lilium, florem vernum, exprimunt? Non viuunt contra naturam, qui [11] pomaria in ſummis turribus ſerunt? quorum ſiluæ in tectis domorum ac faſtigiis nutant, inde ortis radicibus, quò improbè cacumina egiſſent? Non viuunt contra naturam, qui fundamenta [12] thermarum in mare iaciunt: nec delicatè natare ipſi ſibi videntur, niſi calentia ſtagna fluctu ac tempeſtate feriantur? Cùm inſtituerunt omnia contra naturæ conſuetudinem velle, nouiſſimè in totum ab illâ deſciſcunt. [13] Lucet: ſomni tempus eſt. quies eſt: nunc exerceamur, nunc geſtemur, nunc prandeamus. Iam lux propiùs accedit: tempus eſt cænæ. Non oportet id facere, quod populus: res ſordida eſt, tritâ ac vulgari viâ viuere. Dies publicus relinquatur: proprium nobis ac peculiare manè fiat. Iſti verò mihi defunctorum loco ſunt. B
quantulum enim à funere abſunt, & quidem acerbo, qui [14] ad faces & cereos viuunt? Hanc vitam agere eodem tempore multos meminimus: inter quos & Atilium Butam prætorium, cui poſt patrimonium ingens conſumptum, Tiberius paupertatem confitenti: *Serò*, inquit, *experrectus es*. Recitabat Montanus Iulius carmen, [15] tolerabilis poëta, & [16] amicitiâ Tiberij notus, & frigore. Ortus & occaſus libentiſſimè inſerebat. itaque cùm indignaretur quidam illum totâ die recitaſſe, & negaret accedendum ad recitationes eius, [17] Natta Pinarius ait: *Numquid liberaliùs poſſum agere? Paratus ſum illum audire ab ortu ad occaſum*. Cùm hos verſus recitaſſet:

Incipit ardentes Phœbus producere flammas,
Spargere ſe rubicunda dies, iam triſtis hirundo
Argutis reditura cibos immittere nidis
Incipit, & molli partitos ore miniſtrat:

Varus eques Romanus L. Vinicij comes, cænarum bonarum aſſectator, quas improbi- C
tate linguæ merebatur, exclamauit: *Incipit Buta dormire.* Deinde cùm ſubinde recitaſſet:

Iam ſua paſtores ſtabulis armenta locarunt,

Jam

9. QVI EXSPECTANT.] *Aliàs*, ſpectant: *ſed cur non*, expetunt? *Nam quæ exſpectatio hîc ſit neſcio, ſed meditatio & cura. Intelligit porrò diuites, qui glabros ſuos vltra ætatem retinebant: & ita epiſtolâ* XLVII. *ſcripſit*, vini miniſtrum, cum ætate luctari. *Velle videri iuuenem ac puerum, cùm iam non eſſet.*

10. APTA MVTATIONE.] *Imò verò*, imitatione, *vt quidam libri. Imitantur calores æſtiuos aut vernos, qui à naturâ.*

11. POMARIA IN SVMMIS.] *Horti & ſiluæ in tectis aut ſummis ædibus, vt nos quoque vidimus in vrbe regiâ Bruxellæ. Sed in tectis ſcilicet planis, & ſine faſtigio: vbi terra ſuper trabes, ſiue & fornices latericios, aggerebatur. Seneca* 1. *De Irâ cap. vlt. appellat*, Nemora ſuſpendere. *Alter Seneca tangit, in Thyeſte:*

—— nulla culminibus meis
Impoſita nutat ſilua.

Et ſiluæ in tecta ſcandunt, *apud Plinium lib.* XV. *cap.* XIV. *Apud Senecam patrem Controuerſiâ* V. *lib.* V. Alunt in ſummis culminibus mentita nemora, & nauigabilium piſcinarum freta. *Portentum & hoc vltimum nota.*

12. THERMARVM IN MARE.] *Quod Baÿs, aut illo tractu, fiebat crebrò.*

13. LVCET, SOMNI TEMPVS.] *De his peruerſis hominibus, etiam Horatius:*

— noctes vigilabat ad ipſum
Manè, diem totum ſtertebat.

Lampridius de Heligabalo: Traiecit & dierum actus noctibus, & nocturnos diebus, æſtimans hoc inter inſtrumenta luxuriæ: ita vt ſerò de ſomno ſurgeret, & ſalutari inciperet, manè autem dormire inceptaret. *Tacitus de C. Petronio*: Namque illi dies per ſomnum, nox officijs & oblectamentis vitæ tranſigebatur.

14. AD FACES ET CEREOS.] *Ad quos pueri ſolent efferri. Vide De Breu. vit. in fine.* D

15. TOLERABILIS POETA.] *Seneca pater de illo, in Controu.* 1. *lib.* VII. Montanus Iulius, qui comis fuit, quique egregius poëta: *paullò honeſtiùs ſentit. Scripſit heroos & elegos. Ideoq; Ouidius lib.* IV. *de Ponto*:

Quique vel imparibus numeris, Montane, vel æquis
Sufficis, & gemino carmine nomen habes.

16. AMICITIA TIB. NOTVS ET FRIGORE.] *Quem & amauit valdè Tiberius, & poſteà faſtidiuit. Calor enim, amor eſt: frigus, remiſſio & neglectus. Exemplis affirmaui Animaduerſ. in Patereulum, lib.* II.

17. NATTA PINARIVS.] *Nominatur iſte Tacito, inter Seiani clientes, libro* V. *ſi tamen iſte.*

18. PEDO-

A *Iam dare ſopitis nox nigra ſilentia terris*
Incipit:

Idem Varus inquit: *Quid dicit? iam nox eſt: ibo, & Butam ſalutabo.* Nihil erat notius hac eius vitâ in contrarium circumactâ: quam, vt dixi, multi eodem tempore egerunt. Cauſſa autem eſt ita viuendi quibuſdam, non quia aliquid exiſtiment noctem ipſam habere iucundius, ſed quia nihil iuuat obuium, & grauis malæ conſcientiæ lux eſt: & omnia concupiſcenti aut contemnenti, prout magno aut paruo empta ſunt, faſtidio eſt lumen gratuitum. Præterea, luxurioſi vitam ſuam eſſe in ſermonibus, dum viuunt, volunt. nam ſi tacetur, perdere ſe putant operam. Itaque malè habent, quoties non faciunt, quod excitet famam. Multi bona comedunt, multi amicas habent: vt inter iſtos nomen inuenias, opus eſt non tantùm luxurioſam rem, ſed notabilem facere. In tam occupatâ ciuitate, fabulas vulgaris nequitia non inuenit. [18] Pedonem Albinouanum narrantem audieramus (erat autem fabulator elegantiſſimus) habitaſſe ſe ſupra domum Sp. Papi-
B nij. is erat ex hac turbâ lucifugarum. Audio, inquit, circa horam tertiam noctis, [19] flagellorum ſonos: quæro, quid faciat? Dicitur rationes accipere. Audio, circa horam ſextam noctis, clamorem concitatum: quæro, quid ſit? Dicitur vocem exercere. Quæro circa octauam horam noctis, quis ſit ille [20] ſonus rotarum? velle geſtari dicitur. Circa lucem diſcurritur, pueri vocantur, cellarij, coqui tumultuantur. Quæro quid ſit? Dicitur [21] mulſum & alicam popoſciſſe, à balneo exiſſe. Excedebat, inquit, cæna eius diem? minimè. valdè enim frugaliter viuebat, nihil conſumebat niſi noctem. Itaque crebrò dicentibus illum quibuſdam auarum, & ſordidum: *Vos*, inquit, *illum & [22] lichnobium dicetis*. Non debes admirari, ſi tantas inuenis vitiorum proprietates: varia ſunt, & innumerabiles habent facies: comprehendi eorum genera non poſſunt. Simplex recti cura eſt; multiplex praui, & quantumuis nouas declinationes capit. Idem moribus euenit. naturam ſequentium, faciles ſunt, ſoluti ſunt, exiguas differentias habent: ab his diſtorti plurimùm, & omnibus & inter ſe diſſident. Cauſſa tamen præcipua mihi videtur hu-
C ius morbi, vitæ communis faſtidium. Quomodo cultu ſe à ceteris diſtinguunt, quomodo elegantiâ cænarum, mundiciis vehiculorum, ſic volunt ſeparare etiam temporum diſpoſitione. nolunt ſolita peccare, quibus [23] peccandi præmium infamia eſt. Hanc petunt omnes iſti, qui, vt ita dicam, retrò viuunt. Ideò, Lucili, tenenda nobis via eſt, quam natura præſcripſit, nec ab illâ declinandum. illam ſequentibus, omnia facilia & expedita ſunt: contra illam nitentibus, non alia vita eſt, quàm contra aquam remigantibus.

18. PEDONEM ALBINOVANVM.] *Qui item poëta.*

19. FLAGELLORVM SONOS.] *Nam diurna ante balneum videntur accepiſſe: & tum ſerui ſæpè vapulabant. Docet Iuuenalis, de fœminis Sat.* VI.

— longi relegit tranſuerſa diurni,
Et cædit, donec laſſis cædentibus, Exi,
Intonat horrendùm.

D 20. SONVS ROTARVM.] *Palàm de eſſedo, in quo geſtandus erat.*

21. MVLSVM ET ALICAM.] *Hæc Promulſis, ſiue Guſtus erat: & ſumebant ſub ipſam cænam. Iungit & Martialis hæc duo:*

Nos alicam, mulſum poterit tibi mittere diues.

Alica autem (ait Plinius) res Romana eſt, nec pridem excogitata. alioqui non ptiſanæ potiùs laudes ſcripſiſſent Græci. Eſſe autem eximiè vtilem nemo dubitat, ſiue eluta detur ex aquâ mulsâ, ſiue in ſorbitiones decocta, ſiue in pultem. *Triplicem modum ſumendi notes. Fuit autem optimi tritici pollen, & flos ipſe.*

22. LYCHNOBIVM DICETIS.] *Qui ad lucernam viuit. & aſſentior Pinciano, alluſum eſſe ſimul ad* lychnobium, *quaſi cupediarium & catillonem.*

23. PECCANDI PRÆMIVM, INFAMIA EST.] *Non mnto, & ita habet: qui ad vltima vitiorum venerunt, gaudent ipsâ infamiâ, & illa iactant. Tacitus egregiè, de Meſſallinâ:* Nomen tamen matrimonij concupiuit, ob magnitudinem infamiæ: cuius, apud prodigos, nouiſſima voluptas eſt.

EPIST. CXXIII.

TENVEM aut vilem victum decreto animi, & fame, bonum optandumque fieri. Hoc vsurpandum etiam diuitibus: quis scit an non opus habituris? Consuetudo, & alieni mores, ne abducant. Sperne & iudicia aut voces alienas.

ITINERE confectus incommodo magis, quàm longo, in Albanum meum nocte multâ perueni. Nihil habeo paratum, nisi me. Itaque in lecto lassitudinem pono: hanc coqui, hanc pistoris moram boni consulo. Mecum enim de hoc ipso loquor, quàm nihil sit graue, quod leuiter excipias: quàm indignandum nihil, nisi ipse indignando adstruas. Non habet panem meus pistor: sed habet villicus, sed habet atriensis, sed habet colonus. Malum panem, inquis. Exspecta, bonus fiet: etiam illum tenerum tibi & siligineum fames reddet. Ideò non est antè edendum, quàm illa imperet. Exspectabo ergo: nec antè edam, quàm aut bonum panem habere cœpero, aut malum fastidire desiero. Necessarium est, paruo assuescere. Multæ difficultates locorum, multæ temporum etiam locupletibus & instructis [1] à diis optantem prohibent & occurrunt. Quidquid vult, habere nemo potest: illud potest, nolle quod non habet: rebus oblatis hilaris vti. Magna pars libertatis est, benè moratus venter, & contumeliæ patiens. Æstimari non potest, quantam voluptatem capiam ex eo, quòd lassitudo mea sibiipsi acquiescit. Non vnctiones, non balneum, non vllum aliud remedium quàm temporis quæro. Nam quod labor contraxit, quies tollit: hæc qualiscumque cæna [2] adiiciali iucundior erit. Aliquando enim experimentum animi sumpsi subitum: hoc est, simplicius & verius. nam vbi se præparauit, & indixit sibi patientiam, non æquè apparet, quantum habeat veræ firmitatis. Illa sunt certissima argumenta, quæ ex tempore dedit, si non tantùm æquus molesta, sed placidus adspexit: si non excanduit, non litigauit, si quod dari deberet, ipse sibi non desiderando suppleuit, & cogitauit, aliquid consuetudini suæ, sibi nihil deesse. Multa quàm superuacua essent, non intelleximus, nisi cùm deesse cœperunt. Vtebamur enim illis, non quia debebamus, sed quia habebamus. Quàm multa autem paramus, quia alij parauerunt? quia apud plerosque sunt? Inter causas malorum nostrorum est, quòd viuimus ad exempla: nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Quod, si pauci facerent, nollemus imitari: cùm plures facere cœperunt, quasi honestius sit, quia frequentius, sequimur: & recti apud nos locum tenet error, vbi publicus factus est. Omnes iam sic peregrinantur, vt illos [3] Numidarum præcurrat equitatus, vt agmen cursorum antecedat. turpe est, nullos esse, qui occurrentes viâ deiiciant, qui honestum hominem venire magno puluere ostendant. [4] Omnes iam mulos habent, qui crystallina & murrhina, & cælata magnorum artificum manu, portent. turpe est, videri, eas te habere sarcinas, quæ tutò concuti possint. Omnium pædagogia [5] oblitâ facie vehuntur, ne sol, ne frigus teneram cutem lædat. turpe est, neminem esse in comitatu puerorum, cuius sana facies [6] medicamentum desideret. Horum omnium sermo vitandus est. hi sunt, qui vitia

EPIST. CXXIII. 1. A DIIS OPTANTEM.] *Corrupta sunt. libri variant: meus*, locupletibus cum instructis duobus optantem: *alij*, à diebus optantem. *Occurrebat mihi*, à diu optatis: *si quis sagacior, promat. Nam Muretus hîc obtenebrat:* instructis ac regibus octauam prohibent: *videturque ad horam cænæ referre, de quâ non est sermo.*

2. ADIICIALI.] *Siue* Aditiali, *de quâ suprà epist.* XCV. *E libris tamen magis est vt legas*, Diali: *& capias Iouis epulum, in Capitolio.*

3. NVMIDARVM PRÆCVRRAT.] *Suprà, epist.* LXXXVII. Cursores & Numidas, & multum ante se pulueris agentem. *Nam prauâ ambitione scilicet, ob famam veterem Numidici equitatus, tales in itinere adesse sibi diuites isti volebant, & agmen ducebant. Notaui, & firmaui exemplis ad* II. *Hist. Taciti.*

4. OMNES IAM MVLOS HABENT.] *Alij*, multos. *nec malè Pincianus*, famulos.

5. OBLITA FACIE.] *Succo, aut offâ, siue alio contra solem medicamento: ne tenera cutis scilicet læderetur, aut nigresceret.*

6. MEDICAMENTVM.] *Sic appellat & Iuuenalis, de fœminis:*

Sed quæ mutatis inducitur atque fouetur

Tot

A vitia tradunt, & aliò aliunde transferunt. Peſſimum genus hominum videbatur, [7] qui verba geſtarent: ſunt quidam qui [8] vitia geſtant. Horum ſermo multùm nocet. nam etiamſi non ſtatim officit: ſemina in animo relinquit, ſequiturque nos etiam cùm ab illis diſceſſerimus, reſurrecturum poſteà malum. Quemadmodum qui audierunt ſymphoniam, ferunt ſecum in auribus modulationem illam ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad ſeria patitur intendi: ſic adulatorum, & praua laudantium ſermo, diutiùs hæret quàm auditur: nec facile eſt, animo dulcem ſonum excutere. proſequitur & durat, & ex interuallo recurrit. Ideò claudendæ ſunt aures malis vocibus, & quidem primis. Nam cùm initium fecerunt, admiſſæque ſunt, plus audent. Inde ad hæc peruenitur verba: Virtus & philoſophia, & iuſtitia, verborum inanium crepitus eſt. Vna felicitas eſt, bona vita: [9] facere omnia liberè, frui patrimonio. hoc eſt viuere, hoc eſt ſe mortalem eſſe meminiſſe. Fluunt dies, & irreparabilis vita decurrit. Dubitamus [10] quod iuuat facere, & ætati non ſemper voluptates decerpturæ, interim dum poteſt,
B dum poſcit, ingerere? Quid iuuat frugalitate vltrò mortem præcurrere, & quidquid illa ablatura eſt, iam ſibi interdicere? Non amicam habes, non puerum, qui amicæ moueat inuidiam. quotidie ſobrius prodis: ſic cænas, [11] tamquam ephemeridem patri approbaturus. Non eſt iſtud viuere, ſed alienæ vitæ intereſſe. Quanta dementia eſt, heredi ſuo procurare, & ſibi negare omnia, vt tibi ex amico inimicum magna faciat hereditas? Plus enim gaudebit tuâ morte, quò plus acceperit. Iſtos triſtes & ſupercilioſos alienæ vitæ cenſores, ſuæ hoſtes, publicos pædagogos, aſſis ne feceris: nec dubitaueris, bonam vitam, quàm opinionem bonam malle. Hæ voces non aliter fugiendæ ſunt, quàm illæ, quas Vlyxes niſi alligatus, præteruehi noluit. Idem poſſunt: abducunt à patriâ, à parentibus, ab amicis, à virtutibus, & in turpem vitam miſeros turpiùs illidunt. Quanto ſatius eſt, rectum ſequi limitem, & eò ſe perducere, vt ea demum ſint tibi iucunda, quæ honeſta? Quod aſſequi poterimus, ſi fecerimus duo eſſe genera rerum, quæ nos aut inuitent, aut fugent. Inuitent; vt diuitiæ, voluptates, forma, ambitio, cetera
C blanda & arridentia. Fugent; labor, mors, dolor, ignominia, victus aſtrictior. Debemus itaque exerceri, ne hæc timeamus, ne illa cupiamus. In contrarium pugnemus, & ab inuitantibus recedamus, [12] aduerſus petentia concitemur. Non vides, quàm diuerſus ſit aſcendentium habitus, & deſcendentium? qui per pronum eunt, reſupinant corpora: qui in arduum, incumbunt. Nam ſi deſcendas, pondus ſuum in priorem partem dare: ſi aſcendas, retrò abducere, cum vitio, Lucili, conſentire eſt. In voluptates deſcenditur: in res aſperas & duras, ſubeundum eſt. hîc impellamus corpora, illîc refrænemus. Hoc nunc me exiſtimas dicere, eos tantùm pernicioſos eſſe auribus noſtris, qui voluptatem laudant, qui doloris metum, per ſe formidabilis rei, incutiunt? Illos quoque nocere nobis exiſtimo, qui nos ſub ſpecie Stoicæ ſectæ hortantur ad vitia. Hoc enim iactant: ſolum [13] ſapientem & doctum, eſſe amatorem. [14] ſolus aptè ad hanc artem, æquè combi-

Tot medicaminibus, coctæque ſiliginis offas
Accipit, & madidæ, facies dicetur, an vlcus?
D *Tertullianus de Virgin. velandis*: Et faciem moroſiorem lauacro macerant, forſitan & aliquo eam medicamento interpolant.

7. QVI VERBA GESTARENT.] *Accipio de calumniatoribus, ſuſurronibus, lingulacis. qui ab alijs accepta ſeruant, & velut alios ferunt, & deponunt. Non enim patiuntur perire verba, ſed ea tollunt & geſtant.*

8. VITIA GESTANT.] *Transferenda in alios.*

9. FACERE OMNIA LIBERE.] *Pincianus vellet è ſuis*, facere, eſſe, bibere. *vt* Facere *res Venereas notaret, eſſetq; illud Sardanapali*, Lude, ede, bibe: *& ſanè noſtri etiam libri illuc eunt. Sed tum ego malim*, Vna felicitas eſt, bonam vitam facere: eſſe, bibere, frui. *Felicitas eſt, inquit, agere bonam vitam: quam illam? edere, bibere, & quæ ſequuntur. Ita poſt aliquot lineas* Bonam vitam *appellat, hodierno etiam idiotiſmo noſtro.*

10. QVOD IVVAT FACERE.] *Fortè*, Quoad.

11. TAMQVAM EPHEMERIDEM.] *Diarium tuum, & rationes.*

12. ADVERSVS PETENTIA.] *Scripti libri*, potentia: *fortaſis*, impotentia: *ſuperba, dura, minantia. Sententiam tale poſcere, clarum eſt. Gruterus*, impetentia, *nec malè.*

13. SAPIENTEM ET DOCTVM.] *Sic diſtinxi, & iungi illa duo velim: nam* Doctus, *Stoicâ linguâ eſt Sapiens, vt monui Manuduct. II. Diſſert. I. Neque enim audio, qui Doctum ad* Amatorem *referunt, & coniungunt.*

14. SOLVS APTE.] *Corrupta ſunt. fortaſis*, Solus æquè ad hanc artem combibendi: *vt ſequens illud*, æquè, *tollatur.*

combibendi & conuiuandi, ſapiens eſt peritiſſimus. Quæramus, ad quam vſque ætatem iuuenes amandi ſint. Hæc Græcæ conſuetudini data ſint: nos ad illa potiùs aures dirigamus: Nemo eſt caſu bonus: diſcenda virtus eſt. Voluptas humilis res & puſilla eſt, & in medio habenda pretio, communis cum mutis animalibus, ad quam minima & contemptiſſima aduolant. Gloria vanum & volatile quiddam eſt, auraque mobilius. Paupertas nulli malum eſt, niſi repugnanti. Mors malum non eſt: quid quereris? ſola ius æquum eſt generis humani. Superſtitio error inſanus eſt: amandos timet; [15] quos colit, violat. Quid enim intereſt, vtrùm deos neges, an infames? Hæc diſcenda, imò ediſcenda ſunt. non debet excuſationes vitio philoſophia ſuggerere. Nullam habet ſpem ſalutis æger, quem ad intemperantiam medicus hortatur. A

EPIST. CXXIV.

B

CONTRA *Epicuréos, in Ratione, non Senſu, Bonum eſſe. Itaque infantes nondum eius capaces: neque plenum eſt, niſi vbi plena Ratio. Quomodo intelligam in me eſſe? ſi extra me nihil quæram.*

POSSVM *multa tibi veterum precepta referre,*
Ni refugis, tenuisque piget cognoſcere curas.

Non refugis autem, nec vlla te ſubtilitas abigit. Non eſt elegantiæ tuæ, tantùm magna ſectari. Sicut illud probo, quòd omnia ad aliquem profectum redigis, & tunc tantùm offenderis, vbi ſummâ ſubtilitate nihil agitur: quod ne nunc quidem fieri laborabo. Quæritur, vtrùm ſenſu an intellectu comprehendatur bonum. Huic adiunctum eſt, in mutis animalibus & infantibus non eſſe. Quicumque voluptatem in ſummo ponunt, ſenſibile iudicant bonum: nos contrà intelligibile, qui illud animo damus. Si de bono ſenſus iudicarent, nullam voluptatem reiiceremus: nulla enim non inuitat, C nulla non delectat. Et econtrariò nullum dolorem volentes ſubiremus: nullus enim non offendit ſenſum. Præterea, non eſſent digni reprehenſione, quibus nimiùm voluptas placet, quibuſque ſummus eſt doloris timor. Atqui improbamus gulæ ac libidini addictos; & contemnimus illos qui nihil viriliter auſuri ſunt doloris metu. Quid autem peccant, ſi ſenſibus, id eſt, iudicibus boni ac mali, parent? his enim tradidiſtis appetitionis & fugæ arbitrium. Sed videlicet ratio iſti rei præpoſita eſt, quemadmodum debeat de vitâ, quemadmodum de virtute, de honeſto, ſic & de bono maloque conſtitui. Nam apud iſtos viliſſimæ parti datur de meliore ſententia, vt de bono pronunciet ſenſus, obtuſa res & hebes, & in homine quàm in aliis animalibus tardior. Quid ſi quis velit non oculis, ſed tactu minuta diſcernere? ſubtilior ad hoc nulla acies, quàm oculorum, & intentior daretur, bonum malumque dignoſcere. Vides in quantâ ignorantiâ veritatis verſetur, & quàm humi ſublimia ac diuina proiecerit, apud quem de ſummo bono malo- D que iudicat tactus. Quemadmodum, inquit, omnis ſcientia atque ars aliquid debet habere manifeſtum, ſenſu comprehenſum, ex quo oriatur & creſcat: ſic beata vita fundamentum & initium à manifeſtis ducit, & eo quod ſub ſenſum cadit. Nempe vos à manifeſtis beatam vitam ſui initium capere dicitis. Dicimus beata eſſe, quæ ſecundùm naturam ſunt: quid autem ſecundùm naturam ſit, palàm & protinus apparet, ſicut quid ſit integrum. Quid eſt ſecundùm naturam? quod contingit & protinus nato, non dico bonum, ſed initium boni. Tu ſummum bonum voluptatem infantiæ donas, vt inde incipiat naſcens, quò conſummatus homo peruenit. Cacumen radicis loco ponis. Si quis diceret illum in materno vtero iacentem vixque incœptum, tenerum, & imperfectum, & informem, iam in aliquo bono eſſe, apertè videretur errare. Atqui quantulum inter-

15. QVOS COLIT, VIOLAT.] *De Clem.* II. *cap.* V. Religio Deos colit, Superſtitio violat.

EPIST.

A intereſt inter eum qui cummaximè vitam accipit, & illum qui maternorum viſcerum latens onus eſt? Vterque, quantum ad intellectum boni ac mali, æquè maturus eſt: & non magis infans adhuc boni capax eſt, quàm arbor, aut mutum aliquod animal. Quare autem bonum in arbore animaliqúe muto non eſt? quia nec ratio. ob hoc in infante quoque non eſt: nam & huic deeſt. Tunc ad bonum perueniet, cùm ad rationem peruenerit. Eſt aliquod irrationale animal: eſt aliquod nondum rationale: eſt rationale, ſed imperfectum. In nullo horum bonum: ratio illud ſecum affert. Quid ergo inter iſta, quæ retuli, diſtat? Numquam erit bonum in eo quod irrationale eſt: in eo quod nondum rationale eſt, tunc eſſe bonum non poteſt: in imperfecto iam poteſt eſſe bonum, ſed non eſt. Ita dico, Lucili, bonum non in quolibet corpore, non in qualibet ætate inuenitur: & tantum abeſt ab infantiâ, quantum à primo vltimum, quantum ab initio perfectum. ergo nec in tenero modò coaleſcente corpuſculò eſt. Quid ni non ſit? non magis quàm in ſemine. Vt ſi dicas, aliquod arboris, aut ſati bonum: hoc non eſt
B in primâ fronde, quæ emiſſa cummaximè ſolum rumpit. Eſt aliquod bonum tritici: hoc nondum eſt in herbâ lactente: nec cum folliculo ſe exſerit ſpica mollis, ſed cùm frumentum æſtas & debita maturitas coxit. Quemadmodum omnis natura bonum ſuum niſi conſummata non profert: ita hominis bonum non eſt in homine, niſi cùm in illo ratio perfecta eſt. Quod autem hoc ſit bonum, dicam. Liber animus eſt ac rectus, alia ſubiiciens ſibi, ſe nulli. Hoc bonum adeò non recipit infantia, vt pueritia non ſperet, adoleſcentia improbè ſperet. Benè agitur cum ſenectute, ſi illuc longo ſtudio intentoque peruenit: vbi hoc & bonum, & intelligibile eſt. Dixiſti, inquit, aliquod bonum eſſe arboris, aliquod herbæ: poteſt ergo eſſe aliquod & infantis. Verum bonum nec in arboribus, nec in mutis animalibus eſt: hoc quod in illis bonum eſt, precariò bonum dicitur. Quod eſt? inquis. hoc quod ſecundùm naturam cuiuſque eſt. Bonum quidem cadere in mutum animal, nullo modo poteſt: felicioris melioriſque naturæ eſt. Niſi vbi rationi locus eſt, bonum non eſt. Quattuor hæ naturæ ſunt, arboris, animalis,
C hominis, & Dei. Hæc duo quæ irrationalia ſunt, eamdem naturam habent: illa diuerſa ſunt, quòd alterum immortale, alterum mortale eſt. Ex his ergo vnius bonum natura perficit, Dei ſcilicet: alterius cura, hominis. Cetera in ſuâ naturâ perfecta ſunt, non verè perfecta, à quibus abeſt ratio. Hoc enim demum perfectum eſt, quod [1] ſecundùm vniuerſam naturam perfectum eſt: vniuerſa autem natura rationalis eſt: cetera poſſunt in ſuo genere perfecta eſſe. In quo non poteſt beata vita eſſe, nec id poteſt quo beata vita efficitur: beata autem vita bonis efficitur: in muto animali non eſt quo beata vita efficitur: ergo in muto animali bonum non eſt. Mutum animal ſenſu comprehendit præſentia: præteritorum reminiſcitur, cùm id incidit, quo ſenſus admonetur: tamquam equus reminiſcitur viæ, cùm ad initium eius admotus eſt. In ſtabulo quidem nulla viæ, quamuis ſæpè calcatæ, memoria eſt. Tertium verò tempus, id eſt, futurum, ad muta non pertinet. Quomodo ergo poteſt eorum videri perfecta natura, quibus vſus perfecti temporis non eſt? Tempus enim tribus partibus conſtat: præterito, præſente, & futuro.
D Animalibus tantùm quod breuiſſimum eſt in tranſcurſu datum, præſens: præteriti rara memoria eſt, nec vnquam reuocatur, niſi præſentium occurſu. Non poteſt ergo perfectæ naturæ bonum in imperfectâ eſſe naturâ. Aut ſi natura habet, hoc habet, quod habent & ſata. Nec illud nego, ad ea quæ videntur ſecundùm naturam, magnos eſſe mutis animalibus impetus & concitatos, ſed inordinatos ac turbidos. Numquam autem aut inordinatum eſt bonum, aut turbidum. Quid ergo, inquis, muta animalia perturbatè & indiſpoſitè mouentur? Dicerem illa perturbatè & indiſpoſitè moueri, ſi natura illorum ordinem caperet: nunc mouentur ſecundùm naturam ſuam. Perturbatum enim id eſt, quod eſſe aliquando & non perturbatum poteſt. Sollicitum eſt, quod poteſt eſſe ſecurum. Nulli vitium eſt, niſi cui virtus poteſt eſſe. Mutis animalibus talis ex

ſuâ

EPIST. CXXIV. 1. SECVNDVM VNIVERSAM NATVRAM.] *Id eſt, Communem: de quâ primo Phyſiologiæ.*

suâ naturâ motus est. Sed ne te diu teneam, aliquod erit bonum in muto animali, erit A
aliqua virtus, erit aliquid perfectum: sed quale? nec bonum absolutè, nec virtus, nec perfectum. Hæc enim rationalibus solis contingunt, quibus datum est scire, quare, quatenus, quemadmodum. Ita bonum in nullo est, nisi in quo ratio. Quò nunc pertineat ista disputatio, quæris, & quid animo tuo profutura sit? dico. & exercet illum, & acuit, & vtique aliquid acturum occupatione honestâ tenet. Prodest autem, & quod moratur ad praua properantem. Sed illud dico, nullo modo prodesse tibi possum magis, quàm si tibi bonum tuum ostendo, si te à mutis animalibus separo, si cum Deo pono. Quid, inquam, vires corporis alis & exerces? pecudibus istas maiores ferisque natura concessit. Quid excolis formam? cùm omnia feceris, à multis animalibus decore vinceris. Quid capillum ingenti diligentiâ comis? cùm illum vel effuderis more Parthorum, vel [2] Germanorum nodo vinxeris, vel vt Scythæ solent, sparseris: in quolibet equo densior iactabitur iuba, horrebit in leonum ceruice formosior. Cùm te ad velocitatem paraueris, par lepusculo non eris. Vis tu, relictis in quibus vinci te necesse est, dum in aliena niteris, ad bonum reuerti tuum? Quod hoc est? animus scilicet emendatus ac purus, æmulator Dei, super humana se extollens, nihil extra se sui ponens. Rationale animal es. quod ergo in te bonum est? perfecta ratio. Hanc tu ad summum finem euoca, in quantum potest plurimum crescere. Tunc beatum esse te iudica, cùm tibi ex te gaudium omne nascetur. cùm in his quæ [3] homines eripiunt, optant, custodiunt, nihil inueneris, non dico quod malis, sed quod velis. Breuem tibi formulam dabo, quâ te metiaris, quâ perfectum esse iam sentias: Bonum tunc habebis tuum, cùm intelliges infelicissimos esse felices. B

2. GERMANORVM NODO.] *De Irâ* III. *cap.* XXVI. *& nos ad Germaniam Taciti.*

3. HOMINES ERIPIVNT.] *Ego iam olim,* cupiunt.

L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ

AD LVCILIVM

NATVRALIVM QVÆSTIONVM

LIBRI SEPTEM.

ARGVMENTVM ET ORDO.

PHYSIOLOGIAE *partem eam his libris tractat, quam* μετεωρολογίαν *appellant: quia pleraque de sublimibus est, & quæ inter cælum terramq; versantur. Tractat tamen etiam de terræ ipsius motu, itémque de fluminibus vel aquis: sed ideò, quia à spiritu siue aëre caussam vel ortum habent: atque ita ad sublimem etiam naturam spectant. Pulchri & docti libri sunt, Aristotelicis in hoc argumento non dicam priores, tamen vberiores: & quos senex admodum, quo tempore ferè ipsas Epistolas, scripsit. Aptè ergo his adiunguntur. Id liquet è variis locis, vbi de senili ætate memorat; vbi de C. Balbillo, qui fuit Præfectus Ægypti sub Nerone; sed clarissimè è libri sexti initio, vbi de terræmotu, qui Campaniam concussit Verginio & Memmio Coss. At hi fuerunt circiter biennio ante Senecæ mortem.*

L. ANNÆI SENECÆ

AD LVCILIVM

NATVRALIVM QVÆSTIONVM

LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

QVANTVM inter philoſophiam intereſt, Lucili virorum B optime, & ceteras artes: tantum intereſſe exiſtimo in ipsâ philoſophiâ, inter illam partem quæ ad homines, & hanc quæ ad deos ſpectat. Altior eſt hæc, & animoſior: multum permiſit ſibi: non fuit oculis contenta. maius eſſe quiddam ſuſpicata eſt, ac pulchrius, quod extra conſpectum natura poſuiſſet. Denique tantum inter duas intereſt, quantum inter Deum & hominem. Altera docet, quid in terris agendum ſit: altera, quid agatur in cælo. Altera errores noſtros diſcutit, & lumen admouet, quo diſcernantur ambigua vitę: altera multò hanc ſupra caliginem in quâ volutamur excedit, & è tenebris ereptos, illò perducit, vnde lucet. Equidem tunc naturę rerum gratias ago, cùm illam non ab hac parte video, quæ publica eſt, ſed cùm ſecretiora eius intraui: cùm diſco, quæ [a 1] vniuerſi materia ſit, [b 2] quis auctor, aut cuſtos: [3] quid ſit Deus, [c 4] totus in ſe intendat, an [d] ad C nos aliquando reſpiciat: [e 5] faciat quotidie aliquid, an ſemel fecerit: [f 6] pars mundi ſit, [g] an mundus: [7] liceat illi hodieque decernere, & ex lege fatorum aliquid derogare; an maieſtatis deminutio ſit, & confeſſio erroris, mutanda feciſſe. Neceſſe eſt enim ei eadem placere, cui niſi optima placere non poſſunt: nec ob hoc minùs liber & potens eſt. ipſe enim eſt neceſſitas ſua. Niſi ad hæc admitterer, non fuerat operæpretium naſci. Quid enim erat, cur in numero viuentium me poſitum eſſe gauderem? An vt [8] cibos & potiones percolarem? vt hoc corpus cauſſarium ac fluidum, perituramque niſi ſubinde impleatur, farcirem, & viuerem ægri miniſter? vt mortem timerem, cui omnes naſcimur? Detrahe hoc inæſtimabile bonum, non eſt vita tanti, vt ſudem, vt æſtuem. O quàm contempta res eſt homo, niſi ſupra humana ſe erexerit! Quamdiu cum affectibus colluctamur, quid magnifici facimus? etiamſi ſuperiores ſumus, [h] portenta vincimus. Quid eſt, cur ſuſpiciamus noſmetipſos, quia diſſimiles deterrimis ſumus? non video quare ſibi placeat, qui robuſtior eſt inualetudinario. Multum intereſt inter vires & bo- D nam valetudinem. Effugiſti vitia animi: non eſt tibi frons ficta, nec in alienam voluntatem

COMMENTARIVS.

a. VNIVERSI MATERIA.] *Illa prima.*

b. QVIS AVCTOR.] *Deus, ſiue Ratio.*

c. TOTVS IN SE INTENDAT.] *Vt Epicuréi. qui Deum nihil alienum agere, ſibi vacare & acquieſcere tantùm volebant.*

d. AD NOS ALIQVANDO.] *Imò ſemper, & opus ſuum aſſiduâ, & nullâ curâ, curat.*

e. FACIAT COTTIDIE.] *Nouas ſpecies minimè: ſemel in ortu mundi fecit.*

f. PARS MVNDI SIT.] *Anima ipſa illa Mundi.*

g. AN MVNDVS.] *An & totus (vt Stoicis) veniat in hoc nomen.*

h. PORTENTA VINCIMVS.] *Iram, libidinem, & fœdos affectus.*

i. NISI

A tatem ſermo compoſitus, nec cor inuolutum, nec auaritia, quæ quidquid omnibus abſtulit, ſibi ipſi negat: nec luxuria pecuniam turpiter amittens, quam turpiùs reparet: nec ambitio, quæ te ad dignitatem [i] niſi per indigna non ducet. Nihil adhuc conſecutus es. multa effugiſti: te nondum. Virtus enim quam affectamus, magnifica eſt. non quia per ſe beatum eſt, malo caruiſſe, ſed quia animum laxat, ac præparat ad cognitionem cæleſtium, dignumque efficit, qui in conſortium Dei veniat. Tunc conſummatum habet plenumque bonum ſortis humanæ, cùm, calcato omni malo, petit altum, & in interiorem naturæ ſinum venit. Tunc iuuat inter ſidera ipſa vagantem, diuitum pauimenta ridere, & totam cum auro ſuo terram: non illud tantùm dico quod egeſſit, & ſignandum monetæ dedit, ſed & illud quod in occulto ſeruat poſterorum auaritiæ. Nec poteſt antè contemnere portieus, & lacunaria ebore fulgentia, [k] & tonſiles ſiluas, & [l] deriuata in domos flumina, quàm totum circumeat mundum, & terrarum orbem ſupernè deſpiciens, anguſtum, & magnâ ex parte opertum mari, etiam quà exſtat, latè ſqualiB dum, & aut vſtum aut rigentem. ſibi ipſe ait: Hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni diuiditur? O quàm ridiculi ſunt mortalium termini. Vltra Iſtrum Dacus non exeat: [m] Strymo Thracas includat: Parthis obſtet Euphrates: Danubius Sarmatica ac Romana diſterminet: Rhenus Germaniæ modum faciat: Pirenæus medium inter Gallias & Hiſpanias iugum extollat: inter Ægyptum & Æthiopias harenarum inculta vaſtitas iaceat. Si quis formicis det intellectum hominis, nónne & illę vnam aream in multas prouincias diuident? Cùm te in illa verè magna ſuſtuleris; quotiens videbis exercitus ſubrectis ire vexillis, & quaſi magnum aliquid agatur, equitem modò vlteriora explorantem, modò à lateribus affuſum, libebit dicere:

Jt nigrum campis agmen.

Formicarum iſte diſcurſus eſt, in anguſto laborantium. Quid illis & nobis intereſt, niſi exigui menſura corpuſculi? Punctum eſt iſtud in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis: minima, etiam cùm illis [n] vtrimque Oceanus occurrit. Surſum ingenC tia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur: at ita minimum ſecum ex corpore tulit, ſi ſordidum omne deterſit, & expeditus leuiſque ac contentus modico emicuit. Cùm illa tetigit, alitur, creſcit: ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum diuinitatis ſuæ, quòd illum diuina delectant: nec vt alienis intereſt, ſed vt ſuis. Securè ſpectat occaſus ſiderum atque ortus, & tam diuerſas concordantium vias. Obſeruat vbi quæque ſtella primum terris lumen oſtendat, vbi culmen eius ſummum, quà curſus ſit, quouſque deſcendat. Curioſus ſpectator excutit ſingula, & quærit. Quid ni quærat? Scit illa ad ſe pertinere. Tunc contemnit domicilij priotis anguſtias. Quantum enim eſt, quod ab vltimis littoribus Hiſpaniæ vſque ad Indos iacet? Pauciſſimorum dierum ſpatium, ſi nauem ſuus ventus impleuit. At illa regio cæleſtis per triginta annos [o] velociſſimo ſideri viam præſtat, nuſquam reſiſtenti, ſed æqualiter cito. Illic demum diſcit, quod diu quæſiuit: illic incipit Deum noſſe. Quid eſt Deus? Mens vniuerſi. [p] Quid eſt Deus? Quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo ſua illi redditur, quâ nihil maius excogitari poteſt, ſi ſolus eſt D omnia, opus ſuum & extrà & intrà tenet. Quid ergo intereſt inter naturam Dei, & noſtram? Noſtri melior pars, animus eſt: in illo, nulla pars extra animum. totus ratio eſt. Cùm

i. NISI PER INDIGNA.] *Vt blandiaris, inſeruias, corrumpas.*

k. ET TONSILES SILVAS.] *Quidam editi*, penſiles: *quod pænè eſt vt probem. Adi epiſt.* CXXII.

l. DERIVATA IN DOMOS FLVMINA.] *Siue ad Euripos in hortis; ſiue potiùs in ipſa membra domus, ad varios vſus aut delectationes, etiam in triclinia. Epiſt.* C. *vide.*

m. STRYMO THRACAS.] *Meus*, Aſtimunſamothracas: *nec longè abeunt alij. Fuerit*, Æmus mons Thracas. *Nam ea veritas, quà longiſſimè Thracia ad vtramque Mæſiam porrigitur, Aemo continuo monte diſparatur. At Strymon diuidit quidem, ſed exiguâ parte, à Macedoniâ.*

n. VTRIMQVE OCEANVS.] *Pincianus faciebat*, vndecumque Oceanus. *Cur enim* vtrimque *tantùm? Sed cauſſam huic dictioni eſſe docui, Phyſiol.* II. *Diſſert.* XVII. *& nihil igitur mutandum.*

o. VELOCISSIMO SIDERI.] *Saturno.*

p. QVID EST DEVS?] *Hæc omnia explicamus* I. *Phyſiol. Diſſ.* VIII. *& prioribus.*

Cùm interim tantus error mortalia teneat, vt hoc quo neque formosius est quidquam, A
nec dispositius, nec in proposito constantius, existiment homines fortuitum & casu volubile, ideoque tumultuosum inter fulmina, nubes, tempestates, & cetera quibus terræ ac terris vicina pulsantur. Nec hæc intra vulgum dementia est, [q] sapientiam quoque professos contigit. Sunt qui putent, sibi ipsis animum esse, & quidem prouidum ac dispensantem singula, & sua, & aliena: hoc autem vniuersum, in quo nos quoque sumus, expers esse consilij, & aut ferri temeritate quadam, aut [r] naturâ nesciente quid faciat. Quàm vtile existimas ista cognoscere, & rebus terminos ponere? quantum Deus possit: [s] materiam ipse sibi formet, an datâ vtatur: [t] vtrùm idea materiæ priùs superuenit, an materia ideę: Deus quidquid vult efficiat, an in multis rebus illum tractanda destituant: & à magno artifice praue formentur multa, non quia cessat ars, sed quia [u] id in quo exercetur, sæpè inobsequens arti est. Hæc inspicere, hæc discere, his incumbere, nónne transilire est mortalitatem suam, & in meliorem transcribi sortem? Quid tibi, inquis, ista proderunt? Si nihil aliud, hoc certè sciam, omnia angusta esse. Sed hæc deinde. B

CAP. I. Nunc ad propositum veniam opus. [y] Audi quid de ignibus philosophia velit, quos aër transuersos agit. Magnâ vi illos excuti argumentum est, quòd obliqui feruntur, & prærapidâ celeritate. Apparet illos non ire, sed proiici. Ignium multæ variæque facies sunt. [10] Aristoteles quoddam genus illorum [x] Capram vocat. Si me interrogaueris, quare: prior mihi rationem reddas oportet, quare Hædi vocentur. Si autem, quod commodissimum est, conuenerit inter nos, ne alter alterum interroget, Quid dicit ille? satius erit de re ipsâ quærere, quàm mirari, quid ita Aristoteles globum ignis appellauerit Capram. Talis fuit forma eius, qui, bellum aduersus Perseum Paullo gerente, [y] lunari magnitudine, apparuit. Nos quoque vidimus non semel flammam ingentis pilæ specie, quæ tamen in ipso cursu suo dissipata est. Vidimus circa diui Augusti excessum simile prodigium: vidimus cùm [z] de Seiano actum est: nec Germanici mors sine denunciatione tali fuit. Dices mihi: Ergo tu in tantis erroribus es, vt existimes deos mortium signa præmittere, & quidquam esse in terris tam magnum, quod perire mundus sciat? Erit aliud C
isti rei tempus. Videbimus, an certus omnium rerum ordo ducatur, & alia alijs ita complexa sint, vt quod antecedit, aut caussa sit sequentium, aut signum. Videbimus, an dijs humana sunt curæ; an series ipsa, quid factura sit, certis rerum notis nunciet. Interim illud existimo, huiusmodi ignes exsistere, aëre vehementiùs trito, cùm inclinatio eius in alteram partem facta est, & non cessit, sed intra se pugnauit. Ex hac vexatione nascuntur trabes, & globi, & faces, & ardores. At cùm leuiùs collisus, & (vt ita dicam) strictus est, minora lumina excutiuntur, crinemque volantia sidera ducunt. Tunc ignes tenuissimi iter exile designant, & cælo producunt. Ideò nulla sine huiusmodi spectaculis nox est. non enim opus est ad efficienda ista magno aëris motu. Denique, vt breuiter dicam, eâdem ratione fiunt ista, quâ fulmina, sed vi minore. Quemadmodum nubes mediocriter collisæ, fulgurationes efficiunt; [11] maiore impetu pulsæ, fulmina. Aristoteles eiusmodi rationem reddit: Varia & multa terrarum orbis exspirat, quædam humida, quædam sicca, [12] quædam algentia, quædam concipiendis ignibus idonea. Nec mi- D
rum

q. SAPIENTIAM PROFESSOS.] *Epicuréos, & alios.*

r. NATVRA NESCIENTE.] *Naturâ brutâ, & non sentiente: vt Strato. Nos Physiol.* I. *Dissert.* V.

s. MATERIAM IPSE FORMET.] *Ita hercules. sed in aliâ mente Stoici, & plerique omnes philosophi: Deo scilicet coæternam esse.*

t. VTRVM IDEA.] *Vide super hoc loco* II. *Physiol. Dissert.* III.

u. ID IN QVO EXERCETVR.] *Id est Materia. in quam caussam malorum & defectuum reiciebant. Explico Physiol.* I. *Dissert.* XIV.

CAP. I. *x.* CAPRAM VOCAT.] *Non ipse primus, sed ante eum alij, & vulgò, vt benè hîc Muretus. Quare autem* Capra? *dubitat Seneca, & transit: putant, vel à barbulâ, quam pendentem præfert; vel quia saltant, & locum lasciuè mutant, vt capræ.*

y. LVNARI MAGNITVDINE.] *Illo bello nihil tale apparuisse equidem lego: sed ipsam Lunam defecisse, & id triste Macedonibus habitum, Liuius & Plutarchus tradunt. An alij, si fortè, non veram hanc Lunam fuisse dixerint? An spectat ad Senecam, quod in Iulio Obsequente est, hoc bello:* Lauinij fax ardens in cælo visa?

z. DE SEIANO ACTVM.] *In Senatu mors ei decreta.*

a. ALIMEN-

A rum eſt, ſi terræ omnis generis & varia euaporatio eſt: cùm in cælo quoque non vnus appareat color rerum, ſed acrior ſit caniculæ rubor, Martis remiſſior, Iouis nullus, in lucem puram nitore perducto. Neceſſe eſt ergo in magnâ copiâ corpuſculorum, quæ terræ eiectant, & in ſuperiorem agunt partem, aliqua in nubes peruenire [a] alimenta ignium, quæ non tantùm colliſa poſſint ardere, ſed etiam afflata radiis ſolis. Nam apud nos quoque, ſtramenta ſulphure aſperſa, ignem ex interuallo trahunt. Veri ergo ſimile eſt, talem materiam intra nubes congregatam facilè ſuccēdi, & maiores minoréſve ignes exſiſtere, prout illis fuit plus aut minus virium. Illud enim ſtultiſſimum eſt exiſtimare, aut ſtellas decidere, aut tranſilire, aut aliquid illis auferri & abradi: nam ſi hoc fuiſſet, iam defuiſſent. Nulla enim nox eſt, quâ non plurimæ ire, & in diuerſum videantur abduci. Atqui, quo ſolent, quæque inueniuntur loco: magnitudo ſua ſingulis conſtat. Sequitur ergo, vt infra illas iſta naſcantur: & citò intercidant, quia ſine fundamento ſunt & ſede certâ. Quare ergo etiam non interdiu transferuntur? [b] Quid ſi dicam ſtellas in-

B terdiu non eſſe, quia non apparent? Quemadmodum illæ latent, & ſolis fulgore obumbrantur: ſic faces quoque tranſcurrunt etiam interdiu, ſed abſcondit eas diurni luminis claritas. Si quando tamen tanta vis emicuit, vt etiam aduerſus diem vindicare ſibi ſuum fulgorem poſſint, apparent. Noſtra certè ætas non ſemel vidit diurnas faces, alias ab oriente in occidentem verſas, alias ab occaſu in ortum. Argumentum tempeſtatis nautæ putant, cùm multæ tranſuolant ſtellæ. quod ſi ſignum ventorum eſt, ibi eſt, vbi venti ſunt, id eſt, in aëre, qui medius inter lunam & terram eſt. In magnâ tempeſtate apparent, quaſi ſtellæ vela inſidentes. Adiuuari ſe tunc periclitantes exiſtimant [13] Pollucis & Caſtoris numine. Cauſſa autem melioris ſpei eſt, quòd iam apparet frangi tempeſtatem, & deſinere ventos. Aliquando feruntur ignes, non ſedent. Gylippo Syracuſas petenti, viſa eſt ſtella ſuper ipſam lanceam conſtitiſſe. In Romanorum caſtris, viſa ſunt ardere pila, ignibus ſcilicet in illa delapſis: qui ſæpè, fulminum more, animalia ferire ſolent & arbuſta. Sed ſi minore vi mittuntur, defluunt tantùm & inſident, non feriunt nec

C vulnerant. Alij inter nubes eliduntur, alij ſereno, ſi aër ad exprimendum ignem aptus fuit. [14] Nam ſereno quoque cælo aliquando tonat, ex eâdem cauſsâ, quâ nubilo, aëre inter ſe colliſo. Qui etiam ſi eſt lucidior ac ſiccior, coire tamen & facere corpora quædam ſimilia nubibus poteſt, quæ percuſſa reddant ſonum. Quandoque igitur fiunt trabes, quandoque [15] clypei, & vaſtorum imagines ignium, vbi in talem materiam incidit ſimilis cauſſa, ſed maior.

a. ALIMENTA IGNIVM.] *Cæleſtium ignium. nam ita Stoici, ſidera & ſtellas vaporibus ali. In Phyſiol.* II. *Diſſert.* XIIII.

b. QVID SI DICAM.] *Malim*, dicas.

ABSTINEO, *Lector, & calamum pono, illum tuis commodis quadraginta iam annos operatum. Vtinam, quod volui, fecerim! ſed & ſic mihi debes, quia volui. Alij alia; mihi qua ad vitam & mores, qua ſcientiam cum prudentiâ haberent, qua ſapientiam, placuiſſe fateor, & pro ingenij copiâ produxiſſe. vltrà vetor: à quo? quem ſequi & obſequi prima ſapientia eſt, Deo. Valetudinem fregit, & diu labentem impetu abiecit: pareo, & ſcribere deſino, non benè tibi velle. Tu mihi, & ſalue.*

D

Videamus

II. Videamus nunc, quemadmodum fiat is fulgor, qui ſidera circumnectit. Memoriæ A
proditum eſt, [16] quo die diuus Auguſtus vrbem, ex Apolloniâ reuerſus, intrauit, circa ſolem viſum coloris varij circulum, qualis eſſe in arcu ſolet: hunc Græci Halo vocant, nos dicere Coronam aptiſſimè poſſumus. Quemadmodum fieri dicatur, exponam. Cùm in piſcinam lapis miſſus eſt, videmus in multos orbes aquam diſcedere, & fieri primùm anguſtiſſimum orbem, deinde latiorem, ac deinde alios maiores, donec euaneſcat impetus, & in planiciem immotarum aquarum ſoluatur. Tale quiddam cogitemus fieri etiam in aëre. cùm ſpiſſior factus, plagam ſentire poteſt, lux ſolis aut lunæ vel cuiuſlibet ſideris incurrens, recedere illum in circulos cogit. Nam humor, & aër, & omne quod ex ictu formam accipit, in talem habitum impellitur, qualis eſt eius quod impellit. Omne autem lumen rotundum eſt: ergo & aër in hunc modum percuſſus lumine, exibit. Ob hoc tales ſplendores Græci Areas vocauere: quia ferè terendis frugibus loca deſtinata ſunt rotunda. Nos autem non exiſtimemus iſtas ſiue areæ, ſiue coronæ ſint, in vicinia ſiderum fieri. Plurimum enim abſunt, quamuis cingere ea & coronare videan- B
tur. Non longè à terrâ fit talis effigies: quam viſus noſter ſolitâ imbecillitate deceptus, circa ipſum ſidus putat poſitam. In vicinia autem ſolis & ſtellarum nihil tale poteſt fieri: quia illis æther tenuis eſt. Nam formæ craſſis demum ſpiſſiſque corporibus imprimi ſolent: in ſubtilibus non habent vbi conſiſtant, aut hæreant. In balneis quoque circa lucernam tale quiddam adſpici ſolet, ob aëris denſi obſcuritatem: frequentiſſimè autem auſtro, cùm cælum maximè graue & ſpiſſum eſt. [17] Nonnumquam paullatim diluuntur & deſinunt, nonnumquam ab aliquâ parte rumpuntur: & inde ventum nautici exſpectant, vnde contextus coronæ perit. Si enim à ſeptentrione diſceſſerit, Aquilo erit: ſi ab occidente, Fauonius. Quod argumentum eſt, intra eam partem cæli has fieri coronas, intra quam venti quoque ſolent. Superiora autem non habent coronas: quia ne ventos quidem. His argumentis & illud adiice, numquam coronam colligi, niſi ſtabili aëre & pigro. Aliter non ſolet adſpici. Nam qui ſtat aër, impelli & deduci, & in aliquam faciem fingi poteſt. Is autem qui fluit, nec feritur quidem lumine. Non enim formatur, nec re- C
ſiſtit: quia prima quæque pars eius diſſipatur. Numquam ergo vllum ſidus talem ſibi effigiem circumdabit, niſi cùm aër erit denſus atque immotus, & ob hoc cuſtodiens incidentem in ſe rotundi lineam luminis: nec ſine cauſſâ. Repete enim exemplum, quod paullò antè propoſui. Lapillus in piſcinam aut lacum & aliquam alligatam aquam miſſus, circulos facit innumerabiles: & hoc idem non facit in flumine. Quare? quia omnem figuram fugiens aqua diſturbat. Idem ergo in aëre euenit, vt ille qui manet, poſſit figurari: at ille qui rapitur & currit, non det ſui poteſtatem, & omnem ictum venientemque formam exturbet. Hæ de quibus dixi, coronæ, cùm dilapſæ ſunt æqualiter, & in ſemetipſis euanuerint, ſignificatur aëris quies & otium & tranquillitas. [18] Cùm ab vnâ parte ceſſerunt, illinc ventus eſt vnde finduntur. Si ruptæ pluribus locis ſunt, tempeſtas fit. Quare id accidat, ex his quæ iam expoſui, intelligi poteſt. Nam ſi facies vniuerſa ſubſedit, apparet temperatum eſſe aëra, & ſic placidum. Si ab vnâ parte interciſa eſt, apparet inde aëra incumbere, & ideò illa regio ventum dabit. At cùm vndique & concer- D
pta & lacerata eſt, manifeſtum eſt à pluribus partibus in illam impetum fieri, & inquietum aëra hinc atque illinc aſſilire. Itaque ex hac inconſtantiâ cæli tam multa tentantis, & vndique laborantis, futura tempeſtas & ventorum prœlium apparet. Hæ coronæ noctibus ferè circa lunam & alias ſtellas notantur, interdiu rarò: adeò vt quidam ex Græcis negauerint eas omnino fieri, cùm illos hiſtoriæ coarguant. Cauſſa autem raritatis hæc eſt, quòd ſolis fortius lumen eſt, & aër ipſe agitatus ab illo, calefactuſque ſolutior eſt: lunæ autem inertior vis eſt, & ideò à circumpoſito aëre faciliùs ſuſtinetur, quòd ſidera cetera infirma ſunt, nec perrumpere aëra vi ſuâ poſſunt. Excipitur itaque illorum imago, & in materiâ ſolidiore ac minùs cedente verſatur. Debet enim aër nec tam ſpiſſus eſſe, vt excludat ac ſubmoueat à ſe lumen immiſſum, nec tam tenuis & ſolutus, vt nullam venientibus radiis moram præbeat. Hæc noctibus temperatura contingit, cùm ſidera conlectum aëra luce leui non pugnaciter, nec aſperè feriunt, ſpiſſioremque, quàm ſolet eſſe

inter-

A interdiu,inficiunt. [19] At contrà arcus in nocte non fit, nisi admodum rarò: quia luna non habet tantum virium,vt nubes transeat,& illis colorem suffundat,qualem accipiunt sole perstrictæ. Sic enim formam arcus discoloris efficiunt: quia aliæ partes in nubibus tumidiores sunt, aliæ submissiores: quædam crassiores,quàm vt solem transmittant; aliæ imbecilliores,quàm vt excludant. Hæc inæqualitas alternis lucem vmbramque permiscet, & exprimit illam mirabilem arcus varietatem. Altera caussa eiuscemodi arcus redditur. Videmus,cùm fistula aliquo loco rupta est, aquam per tenue foramen elidi: quæ sparsa contra solem obliquè positum, faciem arcus repræsentat. Idem videbis accidere, si quando volueris obseruare fullonem: cùm os aqua impleuit, & vestimenta [20] rediculis diducta leuiter aspergit, apparet varios edi colores in illo aëre aspersо, quales in arcu fulgere solent. Huius rei caussam in humore esse ne dubitaueris. Non fit enim vmquam arcus,nisi nubilo. Sed quæramus quomodo fiat. Quidam aiunt esse aliqua stillicidia, quæ solem transmittant, quædam magis coacta, quàm vt transluceant: B itaque ab illis fulgorem reddi,ab his vmbram,& sic vtriusque intercursu effici arcum;in quo pars fulgeat,quæ solem recipit,pars obscurior sit,quæ excluserit,& ex se vmbram proximis fecit. Hoc ita esse quidam negant. Poterat enim verum videri, si arcus duos tantùm haberet colores, & si ex lumine vmbraque constaret.

Sed nunc diuersi niteant cùm mille colores,
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.
Vsqueadeò quod tangit idem est, tamen vltima distant.

videmus in eo aliquid flammei, aliquid lutei,aliquid cærulei,& alia in picturæ modum subtilibus lineis ducta, vt ait Poëta,vt an dissimiles colores sint,scire non possis, nisi cùm primis extrema contuleris. Nam commissura decipit,vsque adeò mirâ arte naturæ,quod à simillimis cœpit, in dissimilia desinit. Quid ergo istic duo colores faciunt luminis atque vmbræ, cùm innumerabilium ratio reddenda sit? Quidam ita existimant arcum fieri. dicunt in eâ parte in quâ pluit, singula stillicidia pluuiæ cadentis, singula specula C esse: à singulis ergo imaginem reddi solis. deinde multas imagines, imò innumerabiles,& deuexas, & in præceps transeuntes confundi: itaque & arcum esse multarum imaginum solis confusionem. Hoc sic colligunt. Pelues,inquiunt, mille die sereno pone, & omnes habebunt imaginem solis. in singulis foliis dispone singulas guttas: singulæ habebunt imaginem solis. At contrà ingens stagnum non habebit nisi imaginem vnam. Quare, quia omnis circumscripta leuitas & circumdata suis finibus, speculum est. Itaque piscinam ingentis magnitudinis,insertis parietibus diuide: totidem illa habebit imagines solis, quot lacus habuerit. Relinque illam sicut est diffusa: semel tibi imaginem reddet. Nihil refert, quàm exiguus sit humor aut lacus. Si circumseptus est, speculum est. Ergo stillicidia illa infinita,quæ imber cadens defert,totidem specula sunt, totidem solis facies habent. Hæ contrà intuenti perturbatæ apparent: nec dispiciuntur interualla, quibus singula distant, spatio prohibente discerni. Deinde pro singulis apparet vna facies turbida ex omnibus. Aristoteles idem iudicat. Ab omni,inquit,læuita- D te acies radios suos replicat. Nihil autem læuius aquâ & aëre. Ergo etiam ab aëre spissò visus noster in nos redit. Vbi verò hebes & infirma est acies, quolibet aëris ictu deficit. [21] Quidam hoc genere valetudinis laborant, vt ipsi sibi videantur occurrere, vt vbique imaginem suam cernant. Quare? quia infirma vis oculorum non potest ne proximum quidem sibi aërem perrumpere,sed resistit. Itaque quod in aliis efficit densus aër, in his facit omnis. Satis enim valet qualiscumque, ad imbecillem aciem repellendam: longè autem magis visum nostrum nobis remittit, qui crassior est, & peruinci non potest, sed radios luminum nostrorum moratur, & eò vnde exierint, reflectit. Ergo cùm multa stillicidia sint, totidem specula sunt. Sed quia parua sunt,solis colorem sine figurâ exprimunt. Deinde cùm in stillicidiis innumerabilibus, & sine interuallo cadentibus, reddatur idem color, incipit facies esse non multarum imaginum intermissarum, sed vnius longæ atque continuæ. Quomodo, inquis, tu mihi multa millia istic imaginum esse dicis, vbi nullam video? Et quare cùm solis color vnus sit, imaginum diuersus est?

Vt &

Vt & hæc quæ propoſuiſti, refellam, & alia quæ non minùs refellenda ſunt, illud dicam A
oportet: nihil acie noſtrâ fallacius, non tantùm in his à quibus ſubtiliter peruidendis illam colorum diuerſitas ſummouet, ſed & in his quoque, quæ ad manum cernit. Remus integer in tenui aquâ fracti ſpeciem reddit. Poma per vitrum adſpicientibus multo maiora ſunt. Columnarum interualla porticus longiores iungunt. Ad ipſum ſolem reuertere: hunc quem toto orbe terrarum maiorem probat ratio, acies noſtra ſic contraxit, vt ſapientes viri pedalem eſſe contenderint. Quem velociſſimum omnium eſſe ſcimus, nemo noſtrûm videt moueri: nec ire crederemus, niſi appareret iſſe. Mundum ipſum præcipiti velocitate labentem, & ortus occaſuſque intra momentum temporis reuoluentem, nemo noſtrûm ſentit procedere. Quid ergo miraris, ſi oculi noſtri imbrium ſtillicidia non ſeparant, ingenti ſpatio intuentibus minutarum imaginum diſcrimen interit? Illud eſſe dubium nulli poteſt, quin arcus imago ſolis ſit, roſcidâ & cauâ nube concepta. Quod ex hoc tibi apparet. Numquam non aduerſa ſoli eſt, ſublimis aut humilis, prout ille ſe ſubmiſit, aut ſuſtulit, contrario motu. Illo enim deſcendente altior eſt, alto de- B
preſſior. Sæpe talis nubes à latere ſolis eſt, nec arcum efficit, quia non ex recto imaginem trahit. Varietas autem non ob aliam cauſſam fit, quàm quia pars coloris à ſole eſt, pars à nube illâ: humor autem modò cæruleas lineas, modò virides, modò purpuræ ſimiles, & luteas aut igneas ducit, duobus coloribus hanc varietatem efficientibus, remiſſo & intento. Sic enim & purpura eodē conchylio non in vnum modum exit. Intereſt, quamdiu macerata ſit, craſſius medicamentum an aquatius traxerit, ſæpiùs merſa ſit & excocta, an ſemel tincta. Non eſt ergo mirum, cùm duæ res ſint, ſol & nubes, id eſt corpus & ſpeculum, ſi tam multa genera colorum exprimuntur, quæ in multis generibus poſſunt aut incitari, aut relangueſcere. Alius enim eſt color ex igneo lumine, alius ex obtuſo & leniore. In aliis rebus vaga inquiſitio eſt, vbi non habemus quod manu tenere poſſimus, & latè coniectura mittenda eſt: hîc apparet duas cauſſas eſſe arcus, ſolem, nubemque, quia nec ſereno vmquam fit, nec ita nubilo, vt ſol lateat. Ergo vtique ex his eſt, quo-
IV. rum ſine altero non eſt. Iam illud accedit, quod æquè manifeſtum eſt, ſpeculi ra- C
tione imaginem reddi, quia numquam niſi è contrario redditur: id eſt, niſi ex alterâ parte ſteterit quod apparet, ex alterâ quod oſtendit. Rationes quæ non perſuadent, ſed cogunt, à geometris adferuntur. Nec dubium cuiquam relinquitur, quin arcus imago ſolis ſit malè expreſſi, ob vitium figuramque ſpeculi. Nos interim tentemus alias probationes. Inter argumenta ſic naſcētis arcus pono, quòd celerrimè naſcitur: igneum enim variumque corpus cælo intra momentum ſubtexitur, & æquè celeriter aboletur. nihil autem tam citò redditur, quàm à ſpeculo imago. Non enim facit quidquam, ſed oſtendit. Parianus Artemidorus adiicit, & quale genus nubis eſſe debeat, quod talem ſolis imaginem reddit. Si ſpeculum, inquit, concauum feceris, quod ſit ſectæ pilæ pars, ſi extra medium conſtiteris, quicumque iuxta te ſteterint, vniuerſi à te videbuntur, propiores tibi quàm ſpeculo. Idem, inquit, euenit, cùm rotundam & cauam nubem intuemur à latere, vt ſolis imago à nube diſcedat, priorque nobis ſit, & in nos magis conuerſa. Color
V. igitur igneus à ſole eſt, cæruleus à nube: ceteri vtriuſque mixturæ. Contra hæc D
illa dicuntur. De ſpeculis duæ opiniones ſunt: alij enim in his ſimulacra cerni putant, id eſt, corporum noſtrorum figuras, à noſtris corporibus emiſſas ac ſeparatas: alij imagines aiunt non eſſe in ſpeculo, ſed ipſa adſpici corpora, retortâ oculorum acie, & in ſe rurſus reflexâ. Nunc nihil ad rem pertinet, quomodo videamus quodcumque videmus: ſed quomodo imago ſimilis debet è ſpeculo reddi. Quidnam eſt tam diſſimile, quàm ſol, & arcus, in quo neque color, neque figura ſolis, neque magnitudo apparet? Arcus enim longior ampliorque eſt, longeque eâ parte, quâ fulget, rubicundior quàm ſol; ceteris verò coloribus diuerſus. Deinde cùm velis ſpeculum aēri comparare, des oportet mihi eamdē leuitatem corporis, eamdem æqualitatem, eumdem nitorem. Atqui nullæ nubes habent ſimilitudinem ſpeculi. per medias ſæpè tranſimus, nec in illis nos cernimus. Qui montium ſumma conſcendunt, ſpectant nubem: nec tamen imaginem ſuam in illa cernunt. Singula ſtillicidia ſingula ſpecula ſunt. Concedo: ſed illud nego, ex ſtillicidiis

A cidiis constare nubem. Habet enim quædam ex quibus fieri stillicidia possunt, non ipsa. Nec aquam quidem habet nubes, sed materiam futuræ aquæ. Concedam etiam tibi & guttas innumerabiles in nubibus esse, & illas faciem reddere: non tamen omnes vnam reddunt, sed singulæ singulas. Deinde inter se specula coniunge: in vnam imaginem non coibunt: sed quæque particula in se rei similitudinem claudet. Sunt quædam specula ex multis minutisque composita: quibus si vnum ostenderis hominem, populus apparet, vnaquâque parte faciem suam exprimente. Hæc cùm sint coniuncta & simul collocata, nihilominus seducunt imagines suas, & ex vno turbam efficiunt. Ceterùm cateruam illam non confundunt, sed diremptam in facies singulas distrahunt. arcus vno circumscriptus est ductu: vna totius est facies. Quid ergo? non & aqua, ruptâ fistulâ, sparsa, & ore excussa, habere quiddam simile his quos videmus in arcu, coloribus solet? Verum est: sed non ex hac caussâ, ex quâ tu videri vis: quia vnaquæque stilla recipit imaginem solis. Citiùs enim cadunt stillæ, quàm vt concipere imaginem possint. Stan-
B dum est, vt id quod imitantur, excipiant. Quid ergo fit? Colorem, non imaginem ducunt: alioquin, vt ait Nero Cæsar disertissimè,

Colla Cytheriacæ splendent agitata columbæ:

& variis coloribus pauonum ceruix, quoties aliquò deflectitur, nitet. Numquid ergo dicemus specula eiusmodi plumas, quarum omnis inclinatio in colores nouos transit? Non minùs nubes diuersam speculis naturam habent, quàm aues quas retuli, & chamæleontes, & reliqua animalia, quorum color aut ex ipsis mutatur, cùm irâ vel cupidine accensa, cutem suam variant humore suffuso, aut positione lucis, quam prout rectam vel obliquam receperint, ita colorantur. Quid enim simile speculis habent nubes: cùm illa non perluceant, hæ transmittant lucem? Illa densa & coacta, hæ raræ sint: illa eiusdem materiæ tota, hæ diuersis temerè compositæ, & ob hoc discordes, nec diu cohæsuræ? Præterea videmus, ortu solis partem quandam cæli rubere: videmus nubes aliquando ignei coloris. Quid ergo prohibet, quomodo hunc colorem vnum accipiunt solis occursu, sic
C multos ab illis trahi, quamuis non habeant speculi potentiam? Modò, inquit, inter argumenta ponebas, semper arcum contra solem excitari, quia nec à speculo quidem imago redderetur, nisi aduerso. Hoc, inquit, commune nobis est. Nam quemadmodum opponendum est speculo id, cuius imaginem in se transferat: sic vt nubes infici possint, ita solis ad hoc opus est radiorum idoneus ictus. Hæc dicuntur ab iis qui videri volunt nubem colorari. Posidonius, & hi qui speculari ratione effici iudicant visum, hoc respondent. Si vllus esset in arcu color, permaneret, & videretur eò manifestiùs, quò propiùs. Nunc imago arcus ex longinquo clara est: interit, cùm in vicino est. Huic contradictioni non consentio, cùm ipsam sententiam probem. Quare? dicam. Quia coloratur quidem nubes: sed ita, vt color eius non vndique appareat. Nam ne ipsa quidem vndique apparet. Nubem enim nemo qui in ipsâ est, videt. Quid ergo mirum, si color eius non videtur ab eo, à quo ipsa non visitur? Atqui, quamuis ipsa non videatur, est: ergo & color. Ita non est argumentum falsi coloris: quia idem apparere accedentibus desinit. Idem enim in ipsis euenit nubibus: nec ideò falsæ sunt, quia non videntur. Præ-
D tereà cùm dicitur tibi, nubem sole esse suffectam, non dicitur tibi colorem illum immixtum esse velut duro corpori ac stabili & manenti, sed vt fluido & vago, & nihil ampliùs quàm perbreuem speciem recipienti. Sunt etiam quidam colores, qui ex interuallo vim suam ostendunt. [22] Purpuram Tyriam quò melior saturiorque est, eò oportet altiùs teneas, vt fulgorem suum ostendat. Non tamen ideò non habet illa colorem: quia quem optimum habet, non quomodocumque explicetur, ostendit. In eadem sententiâ sum, quâ Posidonius, vt arcum iudicem fieri nube formatâ in modum concaui speculi & rotundi, cui forma sit partis è pilâ sectæ. Hoc probari, nisi geometræ adiuuerint, non potest: qui argumentis nihil dubij relinquentibus docent, solis illam esse effigiem, non similem. Neque enim omnia ad verum specula respondent. Sunt, quæ videre extimescas: tantâ deformitate corruptam faciem visentium reddunt, seruatâ similitudine in peius. Sunt, quæ cùm videris, placere tibi vires tuæ possint: in tantum lacerti crescunt, &

tius corporis ſupra humanam magnitudinem habitus augetur. Sunt, quæ dextras facies A oſtendant, ſunt quæ ſiniſtras, ſunt quæ torqueant vel euertant. Quid ergo mirum eſt, eiuſcemodi ſpeculum quo ſolis ſpecies vitioſa reddatur, in nube quoque fieri?

VI. Inter cetera argumenta & hoc erit, quòd numquam maior arcus dimidio circulo apparet: & quòd eò minor eſt, quò altior eſt ſol.

—— [23] *Et bibit ingens Arcus*, ——

vt ait Virgilius noſter, cùm aduentat imber: ſed non eaſdem, vndecumque apparuit, minas affert. A meridie ortus magnam vim aquarum vehet. Vinci enim non potuerunt valentiſſimo ſole, tantum eſt illis virium. Si circa occaſum refulſit, rorabit, & leuiter impluet. Si ab ortu circáue ſurrexit, ſerena promittit. Quare tamen ſi imago ſolis eſt arcus, longè ipſo ſole maior apparet? Quia eſt alicuius ſpeculi natura talis, vt maiora multo quàm videat, oſtendat, & in portentoſam magnitudinem augeat formas: alicuius inuicem talis eſt, vt minuat. Illud mihi dic, quare in orbem eat facies, niſi orbi redditur? Dices fortaſſe, vnde ſit ille color varius: vnde talis figura ſit, non dices, niſi aliquod ex- B emplar, ad quod formetur, oſtenderis. Nullum autem aliud, quàm ſolis eſt, à quo fatearis illi colorem dari: ſequitur vt detur & forma. Denique inter me & te conuenit, colores illos quibus regio cæli depingitur, à ſole eſſe. Illud vnum inter nos non conuenit: tu dicis illum colorem eſſe, ego videri. Qui ſiue eſt, ſiue videtur, à ſole, tu non expedies, quare ſubitò deſinat, cùm omnes fulgores paullatim diſcutiantur. Pro me eſt & repentina eius facies, & repentinus interitus. Proprium enim eſt ſpeculi hoc, quòd non per partes ſtruitur, quod apparet, ſed ſtatim totum fit. Æquè citò omnis imago in illo aboletur, quàm componitur. Nihil enim aliud ad iſta efficienda vel remouenda opus eſt, quàm oſtendi & abduci. Non eſt propria in iſtâ nube ſubſtantia, nec corpus; ſed mendacium, & ſine re ſimilitudo. Vis ſcire hoc ita eſſe? Deſinet arcus, ſi obtexeris ſolem. Oppone, inquam, ſoli alteram nubem: huius varietas peribit. At maior eſt aliquanto arcus, quàm ſol. Dixi modò, fieri ſpecula, quæ multiplicent omne corpus quod imitantur. Illud adijciam, omnia per aquam videntibus longè eſſe maiora. Litteræ quamuis C minutæ & obſcuræ, per vitream pilam aquâ plenam maiores clarioreſque cernuntur. Poma formoſiora quàm ſint videntur, ſi innatant vitro. Sidera ampliora per nubem adſpicienti videntur: quia acies noſtra in humido labitur, nec apprehendere quod vult, fideliter poteſt. Quod manifeſtum fiet, ſi poculum impleueris aquâ, & in id conieceris annulum. Nam cùm in ipſo fundo iaceat annulus, facies eius in ſummo aquæ redditur. Quidquid videtur per humorem, longè amplius vero eſt. Quid mirum, maiorem reddi imaginem ſolis, quæ in nube humidâ viſitur, cùm de cauſſis duabus hoc accidat? quia in nube eſt aliquid vitro ſimile, quod poteſt perlucere, eſt aliquid & aquæ: quam

VII. ſi nondum habet, tamen iam apparet eius natura, in quam ex ſuâ vertatur. Quoniam, inquis, vitri feciſti mentionem, ex hoc ipſo contra te argumentum ſumam. Virgula ſolet fieri vitrea, ſtricta, vel pluribus angulis in modum clauæ toroſa: hæc ſi ex tranſuerſo ſolem accipit, colorem talem qualis in arcu videri ſolet, réddit: vt ſcias hîc non imaginem ſolis eſſe, ſed coloris imitationem ex repercuſſu. In hoc argumento multa D ſunt pro me. Primùm, quòd apparet quiddam læue eſſe debere, ſimile ſpeculo, quo ſolem repercutiat: deinde, quòd apparet non fieri vllum colorem, ſed ſpeciem falſi coloris, qualem (vt dixi) columbarum ceruix & ſumit & ponit, vtcumque deflectitur. hoc autem & in ſpeculo eſt, cuius nullus videtur color, ſed ſimulatio quædam coloris alieni. Vnum tamen hoc ſoluendum eſt, quòd non viſitur in illâ virgulâ ſolis imago, cuius benè exprimendæ capax non eſt. Ita conatur quidem reddere imaginem, quia leuis eſt materia, & ad hoc habilis: ſed non poteſt, quia enormiter facta eſt. Si aptè fabricata foret, totidem redderet ſoles, quot habuiſſet inſecturas. Quæ quia non diſcernuntur inter ſe, non ſatis in vicem ſpeculi nitent: inchoant tantùm imagines, nec exprimunt: & ob

VIII. ipſam viciniam turbant, & in ſpeciem coloris vnius adducunt. At quare arcus non implet orbem, ſed dimidia pars eius videtur, cùm plurimùm porrigitur, incurua-tùrque? Quidam ita opinantur. Sol cùm ſit multò altior nubibus, à ſuperiore tantùm

illas

A illas percutit parte. ſequitur vt inferior pars earum non tangatur lumine. Ergo cùm ab vnâ parte ſolem accipiant, vnam partem eius tantùm imitantur, quæ numquam dimidiâ maior eſt. Hoc argumentum parùm potens eſt. Quare? quia quamuis ſol à ſuperiori parte ſit, totam tamen percutit nubem. Ergo & tingit. Quid ni? cùm radios tranſmittere ſoleat, & omnem denſitatem perrumpere. Deinde contrariam rem propoſito ſuo dicunt. Nam ſi ſuperior eſt ſol, & ideò tantùm ſuperiori parte nubium affunditur, numquam terrâ tenus deſcendit arcus. Atqui vſque in humum demittitur. Præterea numquam non contra ſolem eſt arcus. Nihil ad rem pertinet, ſuprà infráve ſit: quia totum, quod contra eſt, latus verberatur. Deinde aliquando arcum & occidens facit, cùm certè ex inferiore parte nubes ferit, terris propinquus. Atqui & tunc dimidia pars eſt, quamuis ſolem nubes ex humili & ſordido accipiant. Noſtri qui ſic in nube, quomodo in ſpeculo, lumen reddi volunt, nubem cauam faciunt, & ſectæ pilæ partem: quæ non poteſt totum orbem reddere, quia ipſa eſt pars orbis. Propoſito accedo, argumento non conſen-
B tio. Nam ſi in concauo ſpeculo tota facies oppoſiti orbis exprimitur, & in ſemiorbe nihil prohibet adſpici totam pilam. etiamnum diximus circulos apparere ſoli lunæque in ſimilitudine arcus circumdatos: quare in illis circulus iungitur, in arcu numquam? Deinde quare ſemper concauæ nubes ſolem accipiunt, nec aliquando planæ & tumentes?

24 Ariſtoteles ait, poſt autumnale æquinoctium, qualibet horâ diei arcum fieri, æſtate non fieri, niſi aut incipiente aut inclinato iam die. Cuius rei cauſſa manifeſta eſt. Primùm, quia medio die ſol calidiſſimus nubes euincit: nec poteſt ab his imaginem ſuam recipere, quas ſcindit. At matutino tempore, & vergens ad occaſum, minus virium habet: & ideò à nubibus & ſuſtineri & repercuti poteſt. Deinde cùm arcum facere non ſoleat, niſi aduerſus his, in quibus facit, nubibus: cùm breuiores dies ſunt, ſemper obliquus eſt. Itaque qualibet diei parte, etiam cùm altiſſimus eſt, habet aliquas nubes, quas ex aduerſo ferire poteſt. At temporibus æſtiuis ſupra noſtrum verticem fertur. Itaque medio die excelſiſſimus terras rectiore adſpicit lineâ, quàm vt vllis nubibus poſſit oc-
C curri. Omnes enim tunc ſub ſe habet. Nunc dicendum eſt de virgis, quas mi- IX.
nùs pictas variaſque, & æquè pluuiarum ſigna ſolemus accipere. In quibus non multum operæ conſumendum eſt: quia virgæ nihil aliud quàm imperfecti arcus ſunt. Nam facies quidem illis eſt picta, ſed nihil curuati habent. In rectum iacent. Fiunt autem iuxta ſolem ferè in nube humidâ, & iam ſe ſpargente. Itaque idem eſt in illis qui in arcu color, tantùm figura mutatur: quia nubium quoque, in quibus extenduntur, alia eſt.

Similis varietas in coronis eſt: ſed hoc differunt, quòd coronæ vbique fiunt, vbi- X.
cumque ſidus eſt: arcus non niſi contra ſolem: virgæ non niſi in viciniâ ſolis. Poſſum & hoc modo differentiam omnium reddere. Coronam ſi diuiſeris, arcus erit: ſi direxeris, virga. In omnibus color multiplex eſt, ex cæruleo fuluoque varius. Virgæ ſoli tantùm adiacent. Arcus ſolares lunareſque omnes ſunt. Coronæ omnium ſiderum.

Aliud quoque virgarum genus apparet, cùm radij per anguſta foramina nubium te- XI.
nues, intenti diſtanteſque inter ſe diriguntur: & ipſi ſigna imbrium ſunt. Quomodo
D nunc me hoc loco geram? Quid eas vocem? imagines ſolis? Hiſtorici ſoles vocant, & binos ternoſque apparuiſſe memoriæ tradunt. Græci parelia appellant: quia in propinquo ferè à ſole viſuntur, aut quia accedunt ad aliquam ſimilitudinem ſolis. Non enim totum imitantur, ſed imaginem eius, figuramque. Ceterùm nihil habent ardoris, hebetes ac languidi. His quod nomen imponimus? An facio quod Virgilius, qui dubitauit de nomine, deinde id de quo dubitauerat, poſuit?

—— & quo te nomine dicam,
Rhetica? nec cellis ideò contende Falernis.

Nihil ergo prohibet illas parelia vocari. Sunt autem imagines ſolis in nube ſpiſsâ & vicinâ, in modum ſpeculi. Quidam parelion ita definiunt, Nubes rotunda, & ſplendida, ſimiliſque ſoli. Sequitur enim illum, nec vmquam longiùs relinquitur, quàm fuit cùm apparuerit. Numquis noſtrûm miratur, ſi ſolis effigiem in aliquo fonte, aut placido lacu vidit? Non, vt puto. Atqui tam in ſublimi facies eius poteſt, quàm inter nos,

XII. reddi: si modò idonea est materia, quæ reddat. Quoties defectionem so- A
lis volumus deprehendere, ponimus pelues, quas aut oleo aut pice implemus: quia pinguis humor minùs facilè turbatur, & ideò quas recipit imagines, seruat. Apparere autem imagines non possunt, nisi in liquido & immoto. Tunc solemus notare, quemadmodum se luna soli opponat, vt illum tanto maiorem, subiecto corpore abscondat, modò ex parte, si ita contigit, vt latus occurrerit, modò totum. Hæc dicitur perfecta defectio, quæ stellas quoque ostendit, & intercipit lucem, tunc scilicet, cùm vterque orbis sub eodem libramento stetit. Quemadmodum ergo vtriusque imago in terris adspici potest: ita in aëre, cùm sit coactus aër & limpidus constitit, vt faciem solis acciperet, quam & aliæ nubes accipiunt, sed transmittunt, si aut mobiles sunt, aut raræ, aut sordidæ. Mobiles enim sparguntillam, raræ emittunt, sordidæ turpesque non
XIII. sentiunt, sicut apud nos imaginem maculosa non reddunt. Solent & bina fieri parelia, eadem ratione. Quid enim impedit quò minus tot sint, quot nubes fuerunt aptæ ad exhibendam effigiem solis? Quidam in illâ sententiâ sunt, quotiens duo simulacra B
talia exsistunt, vt iudicent vnum esse solis, alterum imaginis. Nam apud nos quoque cùm plura specula disposita sunt ita, vt alteri sit conspectus alterius, omnia implentur, & vna imago à vero est, ceteræ imaginum effigies sunt. Nihil enim refert quid sit, quod speculo ostendatur. Quidquid enim videt, reddit. Ita illîc quoque in sublimi, si nubes sors aliqua disposuit, vt inter se adspiciant, altera nubes solis imaginem, altera imaginis reddit. Debent autem hæ nubes, quæ hoc præstant, densæ esse, læues, splendidæ, planè naturæ solis. Ob hoc omnia quæ huiusmodi sunt simulacra, candida sunt, & similia lunaribus circulis: quia ex percussu obliquè accepto sole resplendent. Nam si infra solem nubes fuerit, & propior, ab eo dissipatur: longè autem posita radios non remittit, nec imaginem efficit. Quia apud nos quoque specula cùm à nobis procul abducta sunt, faciem non reddunt, quia acies nostra non habet vsque ad nos recursum. Pluuiarum autem & hi soles (vtar enim historicâ linguâ) indicia sunt: vtique si à parte Austri constiterunt, vnde maximæ nubes ingraueſcunt: cùm vtrimque solem cinxit talis effigies C
XIV. ([25] si Arato credimus) tempestas surgit. Tempus est, alios quoque ignes percurrere, quorum diuersæ figuræ sunt. Aliquando emicat stella, aliquando ardores sunt, aliquando fixi & hærentes, nonnumquam volubiles. Horum plura genera conspiciuntur. Sunt enim velut coronâ cingente introrsus ignes. Cæli recessus est similis effossæ in orbem speluncæ. Sunt Pithyæ, cùm magnitudo vasti rotundique ignis dolio similis, vel fertur, vel in vno loco flagrat. Sunt Chasmata, cùm aliquando cæli spatium discedit, & flammam dehiscens velut in abdito ostentat. Colores quoque horum omnium plurimi sunt. Quidam ruboris acerrimi, quidam euanidæ ac leuis flammæ, quidam candidæ lucis, quidam micantes, quidam æqualiter & sine eruptionibus aut radiis fului. Videmus ergo *Stellarum longos à tergo albescere tractus.*
Hæc velut stellæ exsiliunt & transuolant, videnturque longum ignem porrigere, propter immensam celeritatem: cùm acies nostra non discernat transitum earum, sed quacumque cucurrerunt, id totum igneum credat. Tanta enim est velocitas motus, vt partes D
eius non dispiciantur, sed tantùm summa prendantur. Intelligimus magis, quà appareat stella, quàm quà eat. Itaque velut igne continuo totum iter signat: quia visus nostri tarditas non subsequitur momenta currentis, sed videt simul & vnde exsilierit, & quò peruenerit. Quod fit in fulmine, longus nobis videtur ignis eius: quia citò spatium suum transilit, & oculis nostris occurrit vniuersum per quod deiectus est. At ille non est extenti corporis, per omne quà venit. Neque tam longa & extenuata in impetum valent. Quomodo ergo prosiliunt? Attritu aëris ignis incensus, vento præceps impellitur: non semper tamen vento attritúve fit. Nonnumquam ex aliquâ opportunitate aëris nascitur. Multa enim sunt in sublimi sicca, calida, terrena, inter quæ oritur, & pabulum suum subsequens defluit, ideoque velociter rapitur. At quare color diuersus est? Quia refert, quale sit id quod incenditur, & quàm vehemens quo incenditur. Ventum autem significat eiusmodi lapsus, & quidem ab eâ parte quâ erumpit.

Fulgo-

A Fulgores, inquis, quomodo fiunt, quos Græci Sela appellant? Multis, vt aiunt, modis. Potest illos ventorum vis edere, potest superioris cæli feruor. Nam cùm latè fusus sit ignis, inferiora aliquando, si sunt idonea accendi, corripit. Potest stellarum motus cursu suo excitare ignem, & in subiecta transmittere. Quid porrò? non potest fieri, vt aër vim igneam vsque in æthera elidat, ex quâ fulgor ardórve sit stellæ, vel similis excursus? Ex his fulgoribus quædam in præceps eunt, similia prosilientibus stellis: quædam certo loco permanent, & tantum lucis emittunt, vt fugent tenebras, & diem repræsentent, donec consumpto alimento, primùm obscuriora sint, deinde flammæ modo, quæ in se cadit, per assiduam diminutionem redigantur in nihilum. Ex his quædam in nubibus apparent, quędam supra nubes, cùm aër spissus ignem, quem propior terris diu pauerat, vsque in sidera expressit. Horum aliqua non patiuntur moram, sed transcurrunt aut exstinguuntur subinde quâ reluxerant. Hi fulgores dicuntur: quia breuis facies illorum & caduca est, nec sine iniuriâ decidens: sæpè enim fulminum noxas ediderunt. Ab B his tecta videmus icta, quæ Astrapoplecta Gręci vocant. At quibus longior mora & fortior ignis est, motumque cæli sequens, aut qui proprios cursus agunt, Cometas nostri putant: de quibus dicendum est. Horum genera sunt pogoniæ, lampades, & cyparissiæ, & alia omnia: quorum ignis in exitu sparsus est. Dubium, an inter hos ponantur trabes, & pithiæ, quæ rarò sunt visæ. Multâ enim conglobatione ignium indigent, cùm ingens illorum orbis aliquando matutini amplitudinem solis exsuperet. Inter hæc ponas licet, & quod frequenter in historiis legimus, cælum ardere visum: cuius nonnumquam tam sublimis ardor est, vt inter ipsa sidera videatur: nonnumquam tam humilis, vt speciem longinqui incendij præbeat. Sub Tiberio Cæsare cohortes in auxilium Ostiensis coloniæ cucurrerunt, tamquam conflagrantis: cùm cæli ardor fuisset per magnam partem noctis, parùm lucidus, crassi fumidique ignis. De his nemo dubitat quin habeant flammam quam ostendunt: certa illis substantia est. De prioribus quæritur, de arcu dico & coronis, an decipiant aciem, & mēdacio constent: an illis quoque verum sit, quod C apparet. Nobis non placet, in arcu aut coronis subesse aliquid corporis certi. nihil enim iudicamus in speculis, nisi fallaciam esse, nihil aliud quàm alienum corpus mētientibus. Non enim est in speculo, quod ostenditur. Alioquin non exiret, nec aliâ protinus imagine obduceretur: nec innumerabiles modò interirent, modò exciperentur formæ. Quid ergo? Simulacra ista sunt, & inanis verorum corporum imitatio: suntque ista à quibusdam ita composita, vt possint detorquere in prauum. Nam (vt dixi) sunt specula, quæ faciem prospicientium obliquent: sunt, quæ in infinitum augeant, & humanum habitum excedant, modumque nostrorum corporum. Hoc loco volo tibi nar- XVI. rare fabellam, vt intelligas, quàm nullum instrumētum irritandæ voluptatis libido contemnat, & ingeniosa sit ad incitandum furorem suum. Hostius quidam fuit obscęnitatis vsque in scænam productæ. Hunc diuitem auarum sestertiûm millies seruum diuus Augustus indignū vindictâ iudicauit, cùm à seruis occisus esset: & tamen non pronunciauit iure cæsum videri. Non erat ille tantummodo ab vno sexu impurus, sed tam virorum D quàm fæminarum auidus fuit. Fecitque specula eius notæ, cuius modò retuli, imagines longè maiores reddentia, in quibus digitus brachij mensuram & longitudine & crassitudine excederet. Hæc autem ita disponebat, vt cùm virum ipse pateretur, auersus omnes admissarij sui motus in speculo videret, ac deinde falsâ magnitudine ipsius membri tamquam verâ gauderet. In omnibus quidem balneis agebat ille dilectum, & apertâ mensurâ legebat viros: sed nihilominus mendaciis quoque insatiabile malum delectabat. I nunc, & dic, speculum munditiarum causſâ repertum. Fæda dictu sunt, quæ portentum illud lacerandum ore suo dixerit, feceritque, cùm illi specula ab omni parte opponerentur, vt ipse flagitiorum suorum spectator esset: & quæ secretâ quoque conscientiâ premuntur, & quæ accusatus quisque feciſſe se negat, non in os tantùm, sed in oculos suos ingereret. At hercules scelera conspectum suum reformidant. In perditis quoque, & ad omne dedecus expositis, tenerrima est oculorum verecundia. Ille autem, quasi parum esset inaudita & incognita pati, oculos suos ad illa aduocauit: nec quantum pec-

cabat videre contentus, ſpecula ſibi per quæ flagitia ſua diuideret, diſponeretque, circumdedit: & quia non tam diligenter intueri poterat, cùm compreſſus erat, & caput merſerat, inguinibuſq; alienis obhæſerat, opus ſibi ſuum per imagines offerebat. Speculabatur illam libidine oris ſui, ſpectabat ſibi admiſſos pariter in omnia viros. Nonnumquam inter marem & fæminam diſtributus, & toto corpore patientiæ expoſitus, ſpectabat nefanda. Quídnam homo impurus reliquit, quod in tenebris faceret? Non pertimuit diem, ſed ipſos concubitus portentoſos ſibi ipſe oſtẽdit, ſibi ipſe approbauit. Quid? non putas, eò ipſo habitu voluiſſe pingi? Eſt aliqua etiam proſtitutis modeſtia: & illa corpora, publico obiecta ludibrio, aliquid, quo infelix patientia lateat, obtendunt: adeò quodam modo lupanar quoque verecundum eſt. At illud monſtrum obſcænitatem ſuam, ſpectaculum fecerat, & ea ſibi oſtentabat, quibus abſcondendis nulla ſatis alta nox eſt. Simul, inquit, & virum & fæminam patior: nihilominus illâ quoque ſuperuacuâ mihi parte, alicuius contumeliâ marem exerceo. Omnia membra ſtupris occupata ſunt. Oculi quoque in partem libidinis veniant, & teſtes eius exactoreſque ſint. Etiam ea quæ ab adſpectu corporis noſtri poſitio ſubmouit, arte viſantur, ne quis me putet neſcire, quid faciam. Nihil egit natura, quòd humanæ libidini miniſteria tam maligna dedit, quòd aliorum animalium concubitus meliùs inſtruxit. Inueniam, quemadmodum morbo meo imponam & ſatisfaciam. Quò nequitiam meam, ſi ad naturæ modum pecco? Id genus ſpeculorum circumponam mihi, quod incredibilem imaginum magnitudinem reddat. Si liceret mihi, ad verum iſta perducerem: quia non licet, mendacio paſcar. Obſcænitas mea, plus quàm capit, videat, & patientiam ſuam ipſa miretur. Facinus indignum. Hic fortaſſe citò, & antequam hæc videret, occiſus eſt. Ad ſpeculum
XVII. ſuum immolandus fuit. Derideantur nunc philoſophi, quòd de ſpeculi naturâ differant, quòd inquirant, quid ita facies noſtra nobis, & quidem in nos obuerſa redditur. Quid ſibi rerum natura voluit, quòd cùm vera corpora dediſſet, etiam ſimulacra eorum adſpici voluit. Quorſus pertinuerit, hanc comparare materiam, excipiendarum imaginum potentem. Non in hoc ſcilicet, vt ad ſpeculum barbam faciemque vellere-
mus, aut vt faciem viri poliremus. In nullâ re illa negotium luxuriæ conceſſit: ſed primùm omnium, quia imbecilli oculi ad ſuſtinendum cominus ſolem, ignoraturi erant formam eius, hebetato illum lumine oſtendit. Quamuis enim eum orientem occidentemque contemplari liceat: tamen habitum eius, ipſum qui verus eſt, non rubentis, ſed candidâ luce fulgentis, neſciremus, niſi in aliquo nobis humore læuior & adſpici facilior occurreret. Prætereà duorum ſiderum occurſum, quo interpolari dies ſolet, non videremus, nec ſcire poſſemus, quid eſſet, niſi liberiùs humi ſolis lunæque imagines videremus. Inuenta ſunt ſpecula, vt homo ipſe ſe noſceret. Multa ex hoc conſecuta, primò ſui notitia, deinde & ad quædam conſilium. Formoſus, vt vitaret infamiam: deformis, vt ſciret redimendum eſſe virtutibus, quidquid corpori deeſſet: iuuenis, vt flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia audendi: ſenex, vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit, noſmetipſos videndi. Fons cuique perlucidus aut læue ſaxum imaginem reddit.

——— Nuper me in littore vidi,
Cùm placidum ventis ſtaret mare.

Qualem fuiſſe cultum putas ad hoc ſpeculum ſe comentium? Ætas illa ſimplicior, & fortuitis contenta, nondum in vitium beneficium detorquebat, nec inuentum naturæ in libidinem luxumq; rapiebat. Primò faciem ſuam cuique caſus oſtendit: deinde cùm inſitus ſui mortalibus amor, dulcem adſpectum formæ ſuæ faceret, ſæpiùs ea deſpexere, in quibus priùs effigies ſuas viderant. Poſtquam deterior populus ipſas ſubiit terras, effoſſurus obruenda, ferrum primò in vſu fuit, & id homines impunè eruerant, ſi ſolum eruiſſent. Tunc demum alia terræ mala, quorum læuitas aliud agentibus ſpeciem ſuam obtulit, quàm hic in poculo, ille in ære ad alios vſus comparato vidit. & mox prius huic miniſterio præparatus eſt orbis: nondum argenti nitor, ſed fragilis viliſque materia. Tunc quoque cùm antiqui illi viri inconditè viuerent, ſatis nitidi, ſi ſqualorem

opere

A opere collectum aduerſo flumine eluerent, cura comere capillum fuit, ac prominentem barbam depectere: & in hac re quiſque ſibi, alteriſque operam dabat inuicem. Coniugum quidem manu crinis ille, quem effundere olim mos viris fuit, attrectabatur: ſed illum ſibi ſine vllo artifice formoſi quatiebant, non aliter quàm iubam generoſa animalia. Poſteà rerum iam potiente luxuriâ, ſpecula totis paria corporibus auro argentoque cælata ſunt, denique gemmis adornata: & pluris vnum ex his fæminæ conſtitit, quàm antiquarum dos fuit illa, quæ publicè dabatur imperatorum pauperum filiabus. An tu exiſtimas, ex auro nitidum habuiſſe Scipionis filias ſpeculum, cùm illis dos fuiſſet æs graue? O paupertas felix, quæ tanto titulo locum fecit. Non feciſſet illis Senatus dotem, ſi habuiſſent. At quiſquis ille fuit, cui ſoceri loco ſenatus fuit, intellexit ſe accepiſſe dotem, quam fas non eſſet reddere. Iam libertinorum virgunculis in vnum ſpeculum non ſufficit illa dos, quam dedit ſenatus pro Scipione. Proceſſit enim immodeſtiùs, paullatim opibus ipſis inuitata luxuria: & incrementum ingens vitia acceperunt. Adeoque omnia
B indiſcreta ſunt peruerſiſſimis artibus, vt quidquid mundus muliebris vocabatur, ſarcinæ viriles ſint: minus dico, etiam militares. Iam ſpeculum ornatus tantùm cauſsâ adhibitum, nulli non vitio neceſſarium factum eſt.

M. ANTONII MVRETI

AD PRIMVM E LIBRIS

SENECÆ NATVRALIVM

C

QVÆSTIONVM, NOTÆ.

HI LIBRI, *maximam partem, ſumpti ſunt ex Ariſtotelis Meteorologicis: quod è ſingulis partibus magis intelligetur. Hoc autem proœmio tractatur quæſtio multis contentionibus agitata apud veteres: cùm duæ partes ſint Philoſophiæ, vna quæ ad cognitionem ac contemplationem refertur, quam Græci theoreticen; altera quæ ad actionem, quam ÿdem practicen vocant: vtra alteri anteponenda ſit. Et Seneca quidem theoreticen, vt pulchriorem ac diuiniorem, anteponit: quæ eadem ſententia eſt, cùm aliorum, tum Ariſtotelis libro decimo ad Nicomachum, & ſeptimo Politicorum: qui etiam non obſcurè idem confirmat libro ſexto Ethicorum, vbi ſa-*
D *pientiam prudentiâ ſuperiorem facit. Et certè cùm prudentia referatur ad agendum; omnis autem actio ad finem aliquem dirigatur: at cognitio expetatur ipſa per ſe, neque aliò reſpiciat: ne dubitari quidem videtur poſſe, quin maius quiddam & ſublimius ſit cognitio. Imò verò, ſi quis vim verbi accuratiùs inſpiciat, ea demùm verè ac propriè philoſophia eſt. Nam cùm ſapientes propriè vocemus eos, qui ſublimia quædam & à vulgi captu remota intelligunt: quomodo Anaxagoram, Democritum, Thalem Mileſium ſapientes nominauit antiquitas: certè qui ad ea perquirenda omni ſtudio incumbunt, quæ qui tenent ſapientes habentur, ÿ propriè dicendi ſunt Philoſophari. Et quod Ariſtoteles ait, admirationem hominibus cauſſam ac principium philoſophandi fuiſſe, ad hanc partem philoſophiæ manifeſtò refertur. Admirari enim homines tum certos ac definitos ſiderum curſus, tum ea quæ in ſublimi fierent, tum ſtatas tempeſtatum anni varietates, aliaq; eiuſmodi, cauſſas quæ quidque eorum efficerent, curiosè perquirere ac perueſtigare cæperunt. Ea origo philoſophiæ fuit. Magnum tamen earum rerum tractatio contemptum, magnam etiam inuidiam in vulgus philoſophis comparauit. Nam & meteoroleſchas eos vocabant, id eſt, de ſublimibus rebus nugantes: & Thaletem à vetulâ irriſum ferunt, cùm in ſiderum contemplatione defixus in foueam decidiſſet: & de toto genere illud à Pacuuio dictum eſt:*

Quod ante pedes eſt, nemo ſpectat: cæli ſcrutantur plagas.

& parùm religioſos eſſe opinabantur, qui tam curiosè atque anxiè rimarentur ea, quæ dÿ hominibus tecta atque abdita eſſe voluiſſent. Itaque Socrates vſus notiſſimo dicto, quæ ſupra nos eſſent, nihil ad nos attinere, philoſophiam à rebus occultis, & à naturâ ipsâ inuolutis, vt ait Varro apud Ciceronem, auocauit, & ad vitam communem adduxit, vt de virtutibus ac vitÿs, omninóque de bonis rebus & malis quæreret. Qui etiam dictitabat, vno Homerico verſu ſummam totius philoſophiæ contineri:

Ὅττι τοι ἐν μελάθροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Omnes autem illas quæſtiones, quomodo imbres, grandines, tonitrua fierent, ſtultas & inutiles eſſe dicebat, vt apertè conſtat è libro primo Commentariorum Xenophontis. Ex quo facilè intelligitur omnia illa quæ impudenter & malitiosè Ariſtophanes in Ne-

bulis aduersus Socratem deblaterauit, non falsa modò, sed à Socratis ingenio ac moribus alienissima fuisse. Nos, his omissis, Senecam, vt instituimus excutiamus, & vt maculæ, quas ei aliorum negligentia adsperſit, per nos aliquâ ex parte eluantur, operam demus.

AD LIBRI PRIMI PRÆFATIONEM.

1. QVÆ VNIVERSI MATERIA SIT.] *Vna omnium materia est à parente omnium Deo ex nihilo condita.*

2. QVIS AVCTOR AVT CVSTOS.] *Idem & auctor & custos Deus.*

3. QVID SIT DEVS.] *Hoc maius est, quàm vt ab homine aut quæri debeat, aut percipi possit.*

4. TOTVS IN SE INTENDAT, AN AD NOS ALIQVANDO RESPICIAT.] *Et perpetuâ sui cognitione fruitur, & humana respicit, vt qui propter hominem alia condiderit omnia.*

5. FACIAT QVOTIDIE ALIQVID, AN SEMEL FECERIT.] *Quæ semel fecit, semper conseruat: quod ipsum genus quoddam perpetuæ productionis est.*

6. PARS MVNDI SIT, AN MVNDVS.] *Neutrum. neque enim opifex opus suum, aut operis sui pars est.*

7. LICEAT ILLI HODIEQVE.] *Licet Deo quidquid libet. Ipse autem non mutatur: sed perpetuò idem est: etsi nobis interdum, propter imbecillitatem nostram, mutari videtur.*

2. AN VT CIBOS ET POTIONES PERCOLAREM?] *Hæc est quam charadriy vitam vocat Plato in Gorgiâ. vbi vetus scholion habet charadrium esse auiculam, cuius adspectu sanentur arquati: eius autem esse naturæ, vt simul cibum & sumat & egerat.*

AD CAP. I. 9. AVDI QVID DE IGNIBVS.] *Idem argumentum tractatur ab Aristotele libro primo Meteorologicon.*

10. ARISTOTELES QVODDAM GENVS ILLORVM CAPRAM VOCAT.] *Ita loquitur, quasi Aristoteles illius appellationis auctor fuerit. Quod tamen verum non est. sed vulgò ita vocabantur: quod ostendunt illa philosophi verba, ἢ οἱ καλούμενοι ὑπό τινων δαλοὶ ἢ αἶγες. Caussam autem cur capræ vocentur, hanc esse aiunt, quòd in caprarum morem quasi barbulas quasdam pendentes habeant.*

11. MAIORE IMPETV PVLSÆ FVLMINA.] *Voces aliquot quæ hîc accreuerant, & sententiam corrumpebant, veteris libri nixus auctoritate deleui.*

12. QVÆDAM ALGENTIA.] *Vetus liber,* alentia. *ex quo fecerant,* calentia. *Ego* algentia *malui. Vt enim humidis sicca, sic algentia idoneis ad concipiendos ignes opponuntur. ἀτμίδα & ἀναθυμίασιν Aristoteles vocat: illam potestate aquam, hanc potestate ignem.*

13. POLLVCIS ET CASTORIS NVMINE.] *Celebrata ab omnibus poëtis & mythologis fabula. Vide Plinium lib. II. cap. XXXVII.*

14. NAM SERENO QVOQVE CÆLO ALIQVANDO TONAT.] *Neque tonat tantùm: sed & fulmen deïcitur. Cicero:* A

Aut cum terribili perculsus fulmine ciuis,
Luce serenanti vitalia lumina liquit.

Quâ ipsâ de re ita Iulius Obsequens: Sereno Varguenteius Pombius de cælo exanimatus. *Fortassis autem apud Senecam quoque vox* cælo *delenda sit. At Plinius hunc ipsum M. Herennium decurionem ex Pompeiano municipio vocat.*

15. CLYPEI.] *Plinius:* Clypeus ardens ab occasu ad ortum scintillans transcurrit solis occasu, L. Valerio, C. Mario Cos. *Narratur & idem ab Obsequente.*

AD CAP. II. DIXIT *de capris, trabibus, facibus, ceterisque eiusmodi fulgoribus. Nunc exponit quemadmodum area siue corona fiat. Videndus Aristoteles capite tertio libri tertij Meteorologicon.* B

16. QVO DIE DIVVS AVGVSTVS.] *Plinius cap.* XXVIII. *lib.* II. *Obsequens cap.* CXXVIII.

17. NONNVMQVAM PAVLLATIM DILVVNTVR ET DESINVNT, NONNVMQVAM AB ALIQVA PARTE RVMPVNTVR.] *Illud Aristoteles vocat* μαραίνεσθαι, *hoc* διαπάσθαι: *qui etiam eadem, quæ hîc Seneca, & ob easdem caussas significari docet.*

18. ET TVNC AQVAM EXSPECTA.] *Non erant in libris veteribus: eoq; deleui. Addita videntur ab aliquo, ex Aristotelis sententiâ: qui ita scribit:* Ἐὰν μὲν γὰρ μήτε καταμαρανθῇ, μήτε διαπασθῇ, ἀλλ' ἐαθῇ τὴν φύσιν ἀπολαμβάνειν ἑαυτῆς, ὕδατος εἰκότως σημεῖον ἐστι.

AD CAP. III. ABSOLVTA *tractatione* C *areæ, trabis, facum, & similium, ordinem Aristotelis secutus, de arcu siue iride disputare incipit. in cuius caussâ reddendâ Aristoteleus est.*

19. AT CONTRA ARCVS IN NOCTE NON FIT, NISI ADMODVM RARO.] *Veteres quidem eum noctu numquam fieri opinabantur: sed raritas eis caussa errandi fuit. Aristoteles:* Καὶ μεθ' ἡμέραν μὲν ἴρεις γίγνεται, νύκτωρ δὲ ἀπὸ σελήνης, ὡς μὲν οἱ ἀρχαῖοι ᾤοντο, οὐκ ἐγίγνετο. τοῦτο δὲ ἔπαθον διὰ τὸ σπάνιον. ἐλάνθανε γὰρ αὐτούς. γίγνεται μὲν γὰρ, ὀλιγάκις δὲ γίγνεται. *Addit id fieri tantùm plenilunio: atque ita rarò, vt ipse totis quinquaginta annis bis tantùm id notauerit.*

20. RIDICVLIS.] *Alij* tendiculis. *Ego veteri libro fidem habui. Est autem* ridicula *nomen imminutum à* ridica. D

21. QVIDAM HOC GENERE VALETVDINIS LABORANT.] *Aristoteles:* Οἷον ποτε συνέβαινέ τινι πάθος, ἠρέμα καὶ οὐκ ὀξὺ βλέποντι. ἀεὶ γὰρ εἴδωλον ἐδόκει προηγεῖσθαι βαδίζοντι αὐτῷ, ἐξ ἐναντίας βλέπων πρὸς αὐτόν. τοῦτο δὲ ἔπαθε διὰ τὸ τὴν ὄψιν ἀνακλᾶσθαι πρὸς αὐτόν. εἶτα γὰρ ἀσθενὴς ἦν καὶ λεπτὴ πάμπαν ὑπὸ τῆς ἀῤῥωστίας, ὥστε ἔνοσφον ἐγίνετο καὶ ὁ πλησίον ἀὴρ, καὶ οὐκ ἠδύνατο ἀπωθεῖν. *Sunt qui hunc Antipherontem fuisse dicant, hominem motæ mentis, de quo quiddam legitur etiam in libro de memoriâ. Mihi hoc satis exploratum non est.*

AD CAP. V. 22. PVRPVRAM TYRIAM.] *Huc referendum est illud dictum Augusti, quod his verbis à Macrobio exponitur:* Cùm de Tyriæ purpuræ, quam emi iusserat, obscuritate quereretur: dicente

A dicente venditore, Erige altiùs & ſuſpice: his vſus eſt ſalibus: Quid ergo? vt me populus R. dicat benè cultum, in ſolario ambulaturus ſum?

AD CAP. VI. 23. ET BIBIT INGENS ARCVS.] *Hinc vrbaniſsimè dictum eſt à Palinuro Plautino, qui anum, ſenio incuruam, bibentem videret:*

—— Ecce autem bibit arcus: pluet,
Credo, hercle hodie.

AD CAP. VIII. 24. ARISTOTELES AIT, POST AVTVMNALE ÆQVINOCTIVM.] *Vide Ariſtotelem capite* v. *libri* III. *Meteorologicôn.*

AD CAP. XIII. 25. SI ARATO CREDIMVS.] *Arati hac de re verſus hi ſunt:*

Οὐδὲ τ' ἀμφοτέρωθεν ὁμῶ περὶ μέσον ἔχωσιν
Ἠέλιον κεῖναι νεφέλαι, χεδὸν ὠκεανοῖο
Γίγνεται ἀμβολίη, διόθεν χειμῶνος ἰόντος.

L. ANNÆI SENECÆ

B

AD LVCILIVM

NATVRALIVM QVÆSTIONVM

LIBER SECVNDVS.

C OMNIS de vniuerſo quæſtio in cæleſtia, ſublimia, & terrena diuiditur. Prima pars naturam ſiderum ſcrutatur, & magnitudinem, & formam ignium quibus mundus includitur: [1] ſolidum ne ſit cælum, ac firmæ concretæque materiæ, an ex ſubtili tenuique nexum: agatur, an agat: & infra ſe ſidera habeat, an in contextu ſui fixa: quemadmodum ſol anni vices ſeruet: an retrò flectat: cetera deinceps his ſimilia. Secunda pars tractat inter cælum terramque verſantia. Hæc ſunt nubila, imbres, niues, & humanas motura tonitrua mentes: quæcumque aër facit, patitúrve. Hæc ſublimia dicimus, quia editiora imis ſunt. Tertia illa pars de agris, terris, arbuſtis, ſatis quærit, & (vt Iuriſconſultorum verbo vtar) de omnibus quæ ſolo continentur. Quomodo, inquis, de terrarum motu quæſtionem eo poſuiſti loco, quo de tonitruis fulgoribuſque dicturus? Quia cùm motus terræ fiat ſpiritu, ſpiritus autem ſit aët agitatus, & ſi ſubeat terras, non ibi ſpectandus eſt: cogitetur in eâ ſede in quâ illum natura diſpoſuit. Dicam, quod magis videbitur mirum: inter cæleſtia & de terrâ dicendum erit. Quare? inquis. quia cùm propria terræ excutimus ſuo loco, vtrùm lata ſit & inæqualis, & enormiter proiecta, an tota in formam pilæ ſpectet, & in orbem partes ſuas agat, alliget aquas, an aquis alligetur ipſa: animal ſit an iners corD pus, & ſine ſenſu, plenum quidem ſpiritus, ſed alieni, & cetera huiuſmodi quotiens in manus venerint, terram ſequentur, & in imis collocabuntur. At vbi quæretur, quis terræ ſit ſitus, quâ parte mundi ſubſederit, quomodo aduerſus ſidera cælumque poſita ſit, hæc quæſtio cedit ſuperioribus, & (vt ita dicam) meliorem conditionem ſequitur. CAP. I.

Quoniam dixi de partibus, in quas omnis rerum naturæ materia diuiditur, quædam in commune ſunt dicenda, & hoc primùm præſumendum, inter ea corpora, à quibus vnitas eſt, aëra eſſe. Quid ſit hoc & quare præcipiendum fuerit, ſcies, ſi paullò altiùs repetiero, & dixero [2] aliquid eſſe continuum, aliquid commiſſum. Continuatio eſt partium inter ſe non intermiſſa coniunctio. Vnitas eſt ſine commiſſurâ continuatio, & duorum inter ſe coniunctorum corporum tactus. Numquid dubium eſt, quin ex his corporibus quæ videmus tractamuſque, quæ aut ſentiuntur aut ſentiunt, quædam ſint compoſita? Illa conſtant aut nexu, aut aceruatione: vt puta funis, frumentum, nauis. Rurſus non compoſita: vt arbor, lapis. Ergo concedas oportet, ex his quoque quæ ſenII.

ſum

ſum quidem effugiunt, ceterùm ratione prenduntur, eſſe in quibuſdam vnitatem cor- A
porum. Vide, quomodo auribus tuis parcam. Expedire me poteram, ſi philoſophorum linguâ vti voluiſſem, vt dicerem vnita corpora: hoc cùm tibi remittam, tu inuicem mihi refer gratiam. Quare iſtud? ſi quando dixero vnum, memineris me non ad numerum referre, ſed ad naturam corporis, nullâ ope externâ, ſed vnitate ſuâ cohærentis. Ex
III. hac notâ corporum aër eſt. Omnia quæ in notitiam noſtram cadere poſſunt, mundus complectitur. Ex his quædam ſunt partes, quædam materiæ loco relicta. Deſiderat omnis natura materiam, ſicut ars omnis quæ manu conſtat. Quid ſit hoc, apertius faciam. Pars eſt noſtri, manus, oſſa, nerui, oculi: materia, ſuccus retenti cibi, iturus in partes. Rurſus, quaſi pars noſtri eſt ſanguis: qui tamen & materia eſt. Præparat enim & alia: & nihilominus in numero eſt eorum, quibus totum corpus efficitur.

IV. Sic mundi pars eſt aër, & quidem neceſſaria. hic eſt enim qui cælum terramque connectit, qui ima ac ſumma ſic ſeparat, vt tamen iungat. Separat, quia medius interuenit: iungit, quia vtrique per hoc inter ſe conſenſus eſt. Supra ſe dat, quidquid accipit à terris. B
Rurſus vim ſiderum in terrena transfundit. Quem ſic partem mundi voco, vt animalia & arbuſta. Nam genus animalium arbuſtorumque, pars eſt vniuerſi: quia in conſummationem totius aſſumptum: & quia non eſt ſine hoc vniuerſum. Vnum autem animal, & vna arbor quaſi pars eſt: quia quamuis perierit, tamen id ex quo perit, totum eſt. Aër autem, vt dicebam, & cælo & terris cohæret. Vtrique innatus eſt. Habet autem vnitatem, quidquid alicuius rei natiua pars eſt. Nihil enim naſcitur ſine vnitate.

V. Terra & pars eſt mundi, & materia. Pars quare ſit, non puto te interrogaturum, aut æquè interroges, quare cælum pars ſit: quia ſcilicet non magis ſine hoc, quàm ſine illâ vniuerſum eſſe poteſt, quod cum his vniuerſum eſt, ex quibus, id eſt tam ex illo, quàm ex iſtâ, alimenta omnibus animalibus, omnibus ſatis, omnibus ſtellis diuiduntur. Hinc quidquid eſt virium ſingulis, hinc ipſi mundo tam multa poſcenti ſubminiſtratur: hinc profertur quo ſuſtineantur tot ſidera, tam exercitata, tam auida, per diem noctemque, vt in opere, ita & in paſtu. Et omnium quidem rerum natura, quantum in nutrimen- C
tum ſui ſatis ſit, apprehendit. Mundus autem, quantum in æternum deſiderabat, inuaſit. Puſillum tibi exemplum magnæ rei ponam. Oua tantum complectuntur humoris,
VI. quantum ad effectum animalis exituri ſatis eſt. Aër continuus terræ eſt, & ſic appoſitus, vt ſtatim ibi futurus ſit, vnde illa diſceſſit. Pars eſt totius mundi: ſed idem tamen, quidquid terra in alimentum miſit, recipit: vt ſcilicet materia, non pars intelligi debeat. Ex hoc omnis inconſtantia tumultuſque eſt. Hunc quidam ex diſtantibus corpuſculis, vt puluerem ſtruunt, plurimumque à vero recedunt. Numquam enim contexti niſi per vnitatem corporis niſus eſt, cùm partes conſentire ad intenſionem debeant, & conferre vires. Aër autem, ſi in atomos diuiditur ſparſus eſt. Teneri verò diſiecta non poſſunt. Intenſionem aëris oſtendent tibi inflata, nec ad ictum cedentia. Oſtendent pondera, per magnum ſpatium ablata, geſtante vento. Oſtendent voces, quę remiſſæ elatæque ſunt, prout aër ſe concitauit. Quid enim eſt vox, niſi intenſio aëris, vt audiatur, linguæ formata percuſſu? Quid curſus & motus omnis, nónne intenti ſpiritus ope- D
ra ſunt? Hic facit vim neruis, & velocitatem currentibus. Hic cùm vehementer concitatus ipſe ſe torſit, arbuſta ſiluaſque conuellit, & ædificia tota corripiens in altum frangit. Hic mare per ſe languidum & iacens incitat. Ad minora veniamus. Quis enim ſine intenſione ſpiritus cantus eſt? cornua & tubæ, & ea quæ aliquâ preſſurâ maiorem ſonitum reddunt, quàm qui ore reddi poteſt, nónne aëris intenſione partes ſuas explicant? Conſideremus quàm ingentem vim per occultum agant paruula admodum ſemina: & quorum exilitas in commiſſurâ lapidum vix locum inueniat, in tantum conualeſcunt, vt ingentia ſaxa diſtrahant, & in momenta diſſoluant; ſcopulos rupesque, radices minutiſſimæ, ac tenuiſſimæ. Hoc quid eſt aliud, quàm intenſio ſpiritus, ſine quâ nil validum, & cõtra quam nil validius eſt? Eſſe autem vnitatem in aëre, vel ex hoc intelligi poteſt, quòd corpora noſtra inter ſe cohærent. Quid enim aliud eſt quod tenet ea, quàm ſpiritus? Quid eſt aliud quo animus noſter agitetur? Quis eſt illi motus, niſi intenſio? Quæ in-

tenſio,

A tenſio, niſi ex vnitate? Quæ vnitas, niſi hæc eſſet in aëre? quid autem aliud producit fruges & ſegetem imbecillam, ac virentes erigit arbores, ac diſtendit in ramos, aut in altum erigit, quàm ſpiritus intenſio & vnitas? VII. Quidam aëra diſcerpunt, & in particulas diducunt, ita vt illi inane permiſceant. Argumentum autem exiſtimant non pleni corporis, ſed multum vacui habentis, quòd auibus in illo tam facilis motus, quòd maximis minimisque per illum tranſcurſus eſt. Sed falluntur. Nam aquarum quoque ſimilis facilitas eſt: nec de vnitate illarum dubium eſt, quæ ſic corpora accipiunt, vt ſemper in contrarium acceptis refluant. Hanc noſtri circumſtantiam, Græci autem περίςασιν appellant, quæ in aëre quoque ſicut in aquâ fit. Circumſtat enim omne corpus à quo impellitur. Nihil autem opus erit inani admiſto. Sed hoc aliàs. VIII. Nunc autem eſſe quamdam in rerum naturâ vehementiam, magni impetus, eſt colligendum. Nihil enim niſi intenſione vehementius eſt: & tamen mehercules per aliud nihil intendi poterit, niſi per ſemetipſum fuerit intentum. Dicimus enim, eodem modo non poſſe quidquam ab
B alio moueri, niſi aliquid fuerit mobile ex ſemetipſo. Quid autem eſt, quod magis credatur ex ſemetipſo habere intenſionem, quàm ſpiritus? Hunc intendi quis negabit, cùm viderit iactari terram cum montibus, tecta, muroſque plures, & magnas cum populis vrbes, cum totis maria littoribus? Oſtendit intẽſionem ſpiritus, velocitas eius & diductio. Oculus ſtatim per multa millia aciem ſuam intendit: vox vna totas vrbes ſimul percutit: lumen non paullatim prorepit, ſed ſemel vniuerſis infunditur rebus. IX. Aqua autem ſine ſpiritu quemadmodum poſſet intendi? Numquid dubitas, quin ſparſio illa quæ ex fundamentis mediæ arenæ creſcens in ſummam altitudinem amphitheatri peruenit, cum intenſione aquæ fiat? Atqui nec tolleno magis, nec vllum aliud tormentum aquam poterit mittere aut agere, quàm ſpiritus. Huic ſe commodat: hoc inſerto & cogente attollitur, & contra naturam ſuam multa conatur, & aſcendit, nata defluere. Quid nauigia ſarcinâ depreſſa, parum oſtendunt, non aquam ſibi reſiſtere quò minùs mergantur, ſed ſpiritum? Aqua enim cederet: nec poſſet pondera ſuſtinere, niſi ipſa ſuſtinere-
C tur. Diſcus ex loco ſuperiore in piſcinam miſſus, non deſcendit, ſed reſilit. quemadmodum, niſi ſpiritu referente? Vox autem quâ ratione per parietum munimenta tranſmittitur, niſi quòd ſolido quoque aër ineſt, qui ſonum extrinſecus miſſum & accipit & remittit? ſcilicet ſpiritu non aperta tantùm intendens, ſed etiam abdita & incluſa. Quod illi facere expeditum eſt, quia nuſquam diuiſus, ſed per ipſa quibus ſeparari videtur, coit ſecum. Interponas licet muros & mediam altitudinem montium, per omnia iſta prohibetur nobis eſſe peruius, non ſibi. id enim intercluditur tantùm, per quod illum nos ſequi poſſumus. Ipſe quidem tranſit per ipſum quod ſcinditur, & media nõ circumfundit tantùm, ſed vtrimque cingit. X. Permeat ab æthere lucidiſſimo aër, in terram vſque diffuſus: agilior quidem, tenuiorque, & altior terris, nec minùs aquis: ceterùm æthere ſpiſſior grauiorque, frigidus per ſe & obſcurus. lumen illi calorque aliunde ſunt; ſed per omne ſpatium ſui ſimilis non eſt: mutatur enim à proximis. Summa pars eius eſt ſicciſſima calidiſſimaque, & ob hoc etiam tenuiſſima, propter viciniam æternorũ ignium, & illos tot motus ſiderum, aſſiduumque cæli circumactum. Illa pars ima & vicina ter-
D ris, denſa & caliginoſa eſt: quia terrenas exhalationes receptat. Media pars temperatior, ſi ſummis imisque conferas, quantum ad ſiccitatem tenuitatemque pertinet: ceterùm vtraque parte frigidior. Nam ſuperiora eius calorem vicinorum ſiderum ſentiunt: inferiora quoque tepent, primùm terrarum halitu, qui multum ſecum calidi affert, deinde quia radij ſolis replicantur, & quouſque redire potuerunt, replicato calore benigniùs fouent. Deinde etiam illo ſpiritu, qui omnibus animalibus, arbuſtisque ac ſatis calidus eſt. Nihil enim viueret ſine calore. Adiice nunc ignes, non tantùm manu factos & certos, ſed opertos terris: quorum aliqui eruperunt, innumerabiles in abſcondito flagrant & obſcuro ſemper. Etiamnum tot partes eius fertiles rerum, habent aliquid teporis: quoniam ſterile eſt frigidum, calor autem gignit. Media ergo pars aëris ab his ſubmota in frigore ſuo manet. Natura enim aëris gelida eſt. XI. Quia cùm ſic diuiſus ſit, imâ ſui parte maximè varius & inconſtans & mutabilis eſt. Circa terram plurimum agit, pluri-

plurimum patitur, exagitat & exagitatur: nec tamen eodem modo totus afficitur, ſed A
aliter alibi: ac partibus inquietus eſt ac turbidus. Cauſſas autem illius mutationis & inconſtantiæ alias terra præbet, cuius poſitiones huc aut illò verſæ, magna ad aëris temperiem momenta ſunt: alias ſiderum curſus. Ex quibus ſoli plurimum imputes. Illum ſequitur annus: ad illius flexum hiemes æſtatesque vertuntur. Lunæ proximum ius eſt. Sed & ceteræ quoque ſtellæ non minùs terrena quàm incumbentem ſpiritum terris afficiunt, & ortu ſuo occaſúve contrario, modò frigora, modò imbres, aliasque terrarum iniurias turbidæ mouent. Hoc neceſſarium fuit præloqui, dicturo de tonitruo ac fulminibus & fulgurationibus. Nam quia in aëre fiunt, naturam eius explicare oportebat: quò

XII. faciliùs appareret, quid facere aut pati poſſet. Tria ſunt ergo quæ accidunt, fulgurationes, fulmina, & tonitrua: quæ vnà facta, ſeriùs audiuntur. Fulguratio oſtendit ignem: fulminatio emittit. Illa (vt ita dicam) comminatio eſt, & conatio ſine ictu: iſta, iaculatio cum ictu. Quædam ſunt ex his, de quibus inter omnes conuenit: quædam, in quibus diuerſæ ſententiæ ſunt. Conuenit illis, omnia iſta in nubibus & è nubibus B
fieri: etiamnum conuenit, & fulgurationes & fulminationes, aut igneas eſſe, aut igneâ ſpecie. Ad illa nunc tranſeamus, in quibus lis eſt. Quidam putant ignem eſſe in nubibus, quidam ad tempus fieri: nec priùs eſſe, quàm mitti. Nec inter illos quidem quid proferat ignem, conuenit. Alius enim à lumine illum colligit. Quidam autem radios ſolis intercurrentis recurrentiſque, ſæpiùs in ſe relatos, ignem excitare dicit. Anaxagoras ait illum ex æthere diſtillari, & ex tanto ardore cæli multa decidere, quæ nubes diu incluſa cuſtodiant. Ariſtoteles multò antè ignem colligi non putat, ſed eodem momento exſilire, quo fiat. Cuius ſententia talis eſt: Duæ mundi partes in imo iacent, terra & aqua: vtraque ex ſe reddit aliquid. Terrenus vapor ſiccus eſt, & fumo ſimilis, qui ventos, tonitrua & fulmina facit: aquarum halitus humidus eſt, & imbres & niues creat. Sed ſiccus ille terrarum vapor, vnde ventis origo eſt, quia coaceruatus eſt, cum coitu nubium vehementer impactarum à latere eliditur: deinde, vbi latiùs ferit nubes proximas, plagâ & cum ſono incutitur, qualis in noſtris ignibus redditur, cùm flamma vitio lignorum C
virentium crepat. Et vt ille ſpiritus habens aliquid humidi ſecum, cùm eſt conglobatus, rumpitur flamma: eodem modo ſpiritus ille, quem paullò antè exprimi colliſis nubibus dixi, impactus aliis, nec rumpi nec exſilire ſilentio poteſt. Diſſimilis autem crepitus fit, ob diſſimilem impactionem nubium. Quare aliæ maiorem ſonitum habent, aliæ minorem. Ceterùm illa vis expreſſi ſpiritus ignis eſt, qui fulgurationis nomen habet, leui impetu accenſus & varius. Antè autem videmus fulgurationem, quàm ſonum audia-

XIII. mus: quia oculorum velocior eſt ſenſus, & multùm aures antecedit. Falſam autem eſſe opinionem eorum, qui ignem in nubibus ſeruant, per multa colligi poteſt. Si de cælo cadit, quomodo non quotidie fit, cùm tantumdem illîc ſemper ardeat? Deinde nullam rationem reddiderunt, quare ignis, quem natura ſurſum vocat, defluat. Alia enim conditio noſtrorum ignium eſt, ex quibus fauillæ cadunt, quæ ponderis ſecum aliquid habent. Ita non deſcendit ignis, ſed præcipitatur & deducitur. Huic ſimile nihil accidit in igne puriſſimo, in quo nihil eſt quod deprimatur: aut ſi vlla pars eius deciderit, in pe- D
riculo totus eſt: quia totum poteſt excidere, quod poteſt carptim. Deinde illud quod quotidie leuitas cadere prohibet, ſi in abdito ſuo tenet graue, quomodo illîc eſſe potuit, vnde caderet? Quid ergo? Non aliqui ignes in inferiora ferri ſolent, ſicut hæc ipſa de quibus quærimus fulmina? Fato enim non eunt, ſed feruntur. Aliqua illos potentia deprimit, quæ non eſt in æthere. Nihil enim iniuriâ illîc cogitur, nihil rumpitur, nihil præter ſolitum euenit. Ordo rerum eſt, & expurgatus ignis in cuſtodiâ mundi, ſummas ſortitus oras, operas pulcherrimè circumit: hinc diſcedere non poteſt, ſed ne ab externo quidem exprimi: quia in æthere nulli incerto corpori locus eſt. Certa enim & ordinata

XIV. non pugnant. Vos, inquam, dicitis, cùm cauſſas ſtellarum tranſuolantium reddi-
tis, poſſe aliquas partes aëris ad ſe trahere ignem, ex æthere decidentem, & ex eo ſuperioribus locis ardore hîc accendi. Sed plurimum intereſt, vtrùm aliquis dicat ignem ex æthere decidere, quod natura non patitur: an dicat, ex igneâ vi calorem in ea, quæ ſub-

iecta

A iecta ſunt, tranſilire, an hîc accendi. Non enim illinc ignis cadit, quod non poteſt fieri, ſed hîc naſcitur. Videmus certè apud nos latè incendio peruagante, quaſdam inſulas, quæ diu concaluerant, ex ſe concipere flammam. Itaque veriſimile eſt in aëre ſummo, qui naturam rapiendi ignis habet, aliquid accendi calore ætheris ſuperpoſiti. Neceſſe eſt enim, vt & imus æther habeat aliquid aëri ſimile, & ſummus aër non ſit diſſimilis imo ætheri: quia non fit ſtatim ex diuerſo in aduerſum tranſitus. Paullatim iſta confinio vim ſuam miſcent ita, vt dubitare poſſis, an aër, an hîc iam æther ſit. Quidam ex noſtris exiſtimant, aëra, cùm in ignem & aquam mutabilis ſit, non trahere aliunde cauſſas flammarum nouas: ipſe enim ſe mouendo accendit, & cùm denſos compactosque nubium ſinus diſſipat, neceſſariò vaſtum in tam magnorum corporum diruptione reddit ſonum. Illa porrò nubium difficulter cedentium pugna, aliquid confert ad concitandum ignem. Sic, quemadmodum ferro aliquid manus ad ſecandum confert: ſed ſecare, ferri eſt. XV. Quid ergo inter fulgurationem & fulmen intereſt? dicam. Fulgura- XVI.
B tio, eſt latè ignis explicitus: Fulmen, eſt coactus ignis, & impetu iactus. Solemus duabus manibus inter ſe iunctis aquam concipere, & compreſſâ vtrimque palmâ in modum ſiphonis exprimere. Simile quiddam & illîc fieri puta. Nubium inter ſe compreſſarum anguſtię medium ſpiritum emittunt, & hoc ipſo inflammãt, & tormenti modo eliciunt. Nam baliſtæ quoque & ſcorpiones tela cum ſono expellunt. Quidam exiſtimant XVII. ipſum ſpiritum per frigida atque humida euntem, ſonum reddere. Nam ne ferrum quidem ardens ſilentio tingitur. Sed quemadmodum, ſi in aquam feruens maſſa deſcendit, cum multo murmure exſtinguitur: ita, vt Anaximenes ait, ſpiritus incidens nubibus tonitrua edit, & dum luctatur, per obſtantia & interciſa vadens, ipſâ ignem fugâ accendit.

Anaximander omnia ad ſpiritum retulit. Tonitrua, inquit, ſunt nubis ictæ ſonus. XVIII. Quare inæqualia ſunt? quia & ipſe ictus inæqualis eſt. Quare & ſereno tonat? quia tunc quoque per craſſum & ſiccum aëra ſpiritus proſilit. At quare aliquando non fulgurat & tonat? quia tenuior & infirmior ſpiritus, quo in flammam non valuit, in ſonum
C valuit. Quid eſt ergo ipſa fulguratio? aëris diducentis ſe, corruentiſque iactatio; languidum ignem, nec exiturum aperiens. Quid eſt fulmen? acrioris denſiorisque ſpiritus curſus. XIX. Anaximandrus ait, omnia iſta ſic fieri, vt ex æthere aliqua vis in inferiora deſcendit. Ita ignis impactus nubibus frigidis ſonat. At cùm illas interſcindit, fulget: & minor vis ignium, fulgurationes facit, maior fulmina. Diogenes Apolloniates XX. ait, quædam tonitrua igne, quædam ſpiritu fieri. Illa ignis facit, quæ ipſe antecedit & nunciat: illa ſpiritus, quæ ſine ſplendore crepuerunt. Vtrumque ſine altero fieri, & eſſe aliquando, concedo: ita tamen, vt non diſcreta illis poteſtas ſit, ſed vtrumque ab vtroque effici poſſit. Quis enim negabit ſpiritum magno impetu latum, cùm efficit ſonum, effecturum & ignem? Quis & hoc non concedet, aliquando ignem quoque rumpere poſſe nubes, & non exſilire, ſi plurimarum aceruo nubium, cùm paucas perſcidiſſet, oppreſſus eſt? Ergo & ignis ibit in ſpiritum, perdetque fulgorem & ſpeciem, dum ſecuta in terrâ incendit. Adiice nunc, quòd neceſſe eſt, vt impetus fulminis & præmittat ſpiritus,
D & agat ante ſe, & à tergo trahat ventum, cùm tam vaſto ictu aëra inciderit. Itaque omnia, antequam feriantur, intremiſcunt vibrata vento, quem ignis ante ſe preſſit.

Dimiſſis nunc præceptoribus incipiamus per nos moueri, & à confeſſis tranſeamus XXI. ad dubia. Quid enim confeſſi eſt? Fulmen ignem eſſe: æquè fulgurationem: quæ nihil aliud eſt, quàm flamma; futura fulmen, ſi plus virium habuiſſet. Non naturâ iſta, ſed impetu diſtant. Eſſe illum ignem, calor oſtendit: qui ſi non eſſet, oſtendit effectus. Magnorum enim ſæpè incẽdiorum cauſſa fulmen fuit. Siluæ illo cremantur, & vrbium partes: etiam quæ non percuſſa ſunt, tamen aduſta cernuntur: quædam verò velut fuligine colorantur. Quid, quòd omnibus fulguritis odor ſulphureus eſt? Ergo & vtramque rem ignem eſſe conſtat, vtramque rem inter ſe meando diſtare. Fulguratio eſt fulmen, non in terras vſque perlatum. Et rurſus licet dicas, fulmen eſſe fulgurationem, vſque in terras perductam. Non ad exercendum verba, hæc diutiùs pertracto: ſed vt iſta cognata eſſe, & eiuſdem notæ ac naturæ, probem. Fulmem eſt quiddam plus, quàm fulguratio.

XXII. Vertamus istud. Fulguratio est pænè fulmen. Quoniam constat esse vtramque A rem ignem, videamus quemadmodum apud nos fieri soleat ignis. Eâdem enim ratione & suprà fit. Duobus modis: vno, si excitatur sicut ex lapide percusso: altero, si attritu inuenitur, [3] sicut cùm duo ligna inter se diutiùs trita sunt. Nō omnis hoc tibi materia præstabit, sed idonea eliciendis ignibus: sicut laurus, hederæ, & alia in hunc vsum nota pastoribus. Potest ergo fieri, vt nubes quoque ignem eodem modo vel percussæ reddant, vel attritæ. Videamus quantis procellæ viribus ruant, quanto vertantur impetu turbines. Id tormentum in quod obuium fit, dissipatur, & rapitur, & longè à loco suo proiicitur. Quid ergo mirum, si tanta vis ignem excutit, vel aliundè, vel sibi? Vides enim quantum feruorem sensura corpora sunt, horum transitu trita, exanimata. Nihil tamen tantum

XXIII. in his debet credi, ac in vi siderum, quorum ingens & confessa potentia est. Sed fortasse nubes quoque in nubes incitatæ, fremente vento, & leuiter vrgente, ignem euocabunt, qui exsplendescat, nec exsiliat. Minore enim vi ad fulgurandum opus est, quàm ad fulminandum. Superioribus collegimus, in quantum feruorem quædam attrita perB ducerentur. Cùm autem aër mutabilis in ignem, maximis viribus suis in ignem conuersus, atteratur, credibile est & verisimile, ignem caducum excuti, & citò interiturum, quia non ex solidâ materiâ oritur, nec in quâ possit consistere. Transit itaque: tantum-

XXIV. que habet moræ, quantum itineris: & cursus sine alimento coniectus est. Quomodo, inquis, cùm dicas hanc ignis esse naturam, vt petat superiora, fulmen tamen terram petit: an falsum est, quod de igne dixisti? Est enim illi æquè sursum iter, atque deorsum. Vtrumque verum potest esse. Ignis enim naturâ in verticem surgit, & si nihil illum prohibet, ascendit. Sicut aqua naturâ defertur: si tamen aliqua vis accessit, quæ illam in contrarium ageret, illò intenditur, vnde imbre deiecta est. Fulmen autem cadit eâdem necessitate, quâ excutitur. In his ignibus accidit quod arboribus: quarum cacumina si tenera sunt, ita deorsum trahi possunt, vt etiam terram attingant, sed cùm permiseris, in locum suum exsilient. Itaque non est, quòd eum spectes cuiusque rei habitum, qui illi non ex voluntate est. Si ignem permittis ire quò velit, cælum, id est, leuissimi cuiusque C sedem repetet: vbi est aliquid, quod eum ferat, & ab impetu suo auertat, id non naturâ,

XXV. sed seruitus eius fit. Dicitis, inquis, nubes attritas edere ignem, cùm sint humidæ, imò vdæ: quomodo ergo possunt gignere ignem, quem non magis verisimile est ex

XXVI. nube, quàm ex aquâ generari? Ignis qui nascitur, primùm in nubibus non est aqua, sed aër spissus, ad gignendam aquam præparatus, nondum in illam mutatus, sed iam pronus & vergens. Non est quòd eam existimes tunc colligi, sed effundi. Simul & fit, & cadit. Deinde si concessero humidam esse nubem, conceptis aquis plenam: nihil tamen prohibet, ignem ex humido quoque educi, imò ex ipso (quod magis mireris) humore. [4] Quidam negauerunt in ignem quidquam posse mutari, priusquam mutatum esset in aquam. Potest ergo nubes, saluâ, quam continet, aquâ, ignem parte aliquâ sui reddere: vt sæpè alia pars ligni ardet, alia sudat. Nec hoc dico, non contraria inter se ista esse, & alterum altero perimi: sed vbi valentior ignis, quàm humor est, vincit. Rursus vbi copia humoris exsuperat, tunc ignis sine effectu est. Itaque non ardent virentia. ReD fert ergo, quantum aquæ sit. Exigua enim non resistit, nec ignem impedit. Quid ni? Maiorum nostrorum memoriâ, vt Posidonius tradit, cùm insula in Ægæo mari surgeret, spumabat interdiu mare, & fumus ex alto ferebatur. Nam demum prodebat ignem, non continuum, sed ex interuallis emicantem, fulminum more, quotiens ardor inferiùs iacens, superum pondus euicerat. Deinde saxa reuoluta, rupesque partim illæsæ, quas spiritus antequam verteretur, expulerat, partim exesæ, & in leuitatem pumicis versæ, nouissimè cacumen exusti montis emicuit. Posteà altitudini adiectum, & saxum illud in magnitudinem insulæ creuit. Idem nostrâ memoriâ, Valerio Asiatico consule iterùm accidit. Quorsus hæc retuli? vt appareret, nec exstinctum ignem mari superfuso, nec impetum eius, grauitate ingentis vndæ prohibitum exire. Ducentorum passuum fuisse altitudinem Asclepiodotus Posidonij auditor tradidit, per quam diruptis aquis, ignis emersit. Quòd si immensa aquarum vis, subeuntium ex imo flammarum vim non

potuit

A potuit comprimere: quanto minùs in aëre exſtinguere ignem poterit, nubium tenuis humor & roſcidus? Adeò res iſta non adfert vllam moram, quæ contra cauſſas ignium ſit; quos non videmus emicare, niſi impendente cælo. Serenum ſine fulmine eſt. Non habet iſtos metus dies purus, nec nox quidem, niſi obſcura nubibus. Quid ergo? Non aliquando etiam apparentibus ſtellis, & nocte tranquillâ fulgurat? Sed ſcias licet nubes illîc eſſe, vnde ſplendor effertur: quas videri à nobis terrarum tumor non ſinit. Adiice nunc, quod fieri poteſt, vt nubes ſudæ & humiles attritu ſuo ignem reddant: qui in ſuperiora expreſſus, in parte ſincerâ puraque cæli viſatur: ſed fit in ſordidâ.

Tonitrua diſtinxere quidam ita, vt dicerent, vnum eſſe genus, cuius ſit graue mur- XXVII.
mur, quale terrarum motum antecedit, clauſo vento & fremente. Hoc quomodo illis videatur fieri, dicam. Cùm ſpiritum intra ſe clauſere nubes, in concauis partibus earum volutatus aër, ſimilem agit mugitibus ſonum, raucum & æqualem, & continuum. Itaque etiam vbi illa regio humida eſt, exitum claudit. Ideò huiuſmodi tonitrua venturi
B prænuncia imbris ſunt. Aliud genus eſt acre, quod crepitum magis dixerim, quàm ſonum: qualem audire ſolemus, cùm ſuper caput alicuius dirupta veſica eſt. Talia edun-
tur tonitrua, cùm globata diſſoluitur nubes, & ſpiritum, quo diſtenta fuerat, emittit Hoc propriè fragor dicitur, ſubitus & vehemens: quo edito concidunt homines, & exanimantur, quidam verò viui ſtupent, & in totum ſibi excidunt, quos vocamus attonitos, quorum mentes ſonus ille cæleſtis loco pepulit. Hic fieri illo quoque modo poteſt, vt incluſus aër cauâ nube & motu ipſo extenuatus diffundatur. Deinde cùm maiorem ſibi locum quærit, à quibus inuolutus eſt, ſonum patitur. Quid autem? non quemadmodum illiſæ manus inter ſe plauſum edunt, ſic illiſarum inter ſe nubium ſonus poteſt eſſe magnus, quia magna concurrunt? Videmus, inquit, nubes impingi montibus, nec XXVIII.
ſonum fieri. Primùm omnium non quocumque modo illiſæ ſunt, ſonant, ſed ſi aptè ſunt compoſitæ ad ſonum edendum. Auerſæ inter ſe manus colliſæ non plaudunt, ſed palma cum palmâ collata plauſum facit. Et plurimùm intereſt, vtrùm cauæ concutian-
C tur, an planæ & extentæ. Deinde non tantùm nubes ire oportet, ſed agi magnâ vi, & procelloſâ. Etiam mons non ſcindit nubem, ſed dirigit, & primam quamque partem eius ſoluit. Ne veſica quidem, quocumque modo ſpiritum emiſit, ſonat. Si ferro diuiſa eſt, ſine vllo aurium ſenſu exit. Rumpi illam oportet, vt ſonet, non ſecari. Idem de nubibus dico: niſi multo impetu diſſiluere, non ſonant. Adiice nunc, quòd nubes in monte actæ, non franguntur, ſed circumfunduntur in aliquas partes montis, arboris ramos, frutices, aſpera ſaxa & eminentia. Et ita diſcutiuntur, & ſi quem habent ſpiritum, multifariam emittunt: qui niſi vniuerſus erumpit, nec crepat. Hoc vt ſcias, ventus qui circa arborem funditur, ſibilat, non tonat. Lato (vt ita dicam) ictu, & totum globum ſemel diſſipante opus eſt, vt ſonitus erumpat: qualis auditur cùm tonat. Præter hæc natu- XXIX.
râ aptus eſt aër ad voces. Quid ni? cùm vox nihil aliud ſit, quàm ictus aër. Debent ergo nubes vtrimque diſſecari, & cauæ & intentæ. Vides enim quanto vocaliora ſunt vacua quàm plena, quanto intenta quàm remiſſa. Ita tympana & cymbala ſonant: quia illa
D repugnantem ex vlteriore parte ſpiritum pulſant, hæc ad ipſum aërem acta, niſi concauo non tinniunt. Quidam, inter quos Aſclepiodotus eſt, iudicant ſic, quorum- XXX.
dam quoque corporum concurſu tonitrua & fulmina excuti poſſe. Ætna aliquando multo igne abundauit: ingentem vim arenæ vrentis effudit. Inuolutus eſt dies puluere, populosque ſubita nox terruit. Illo tempore aiunt plurima fuiſſe tonitrua & fulmina: quæ concurſu aridorum corporum facta ſunt, non nubium: quas veriſimile eſt, in tanto feruore aëris nullas fuiſſe. Aliquãdo Cambyſes ad Ammonem miſit exercitum: quem arena Auſtro mota, & more niuis incidens, texit, deinde obruit. Tunc quoque veriſimile eſt fuiſſe tonitrua fulminaque, attritu arenæ ſeſe affricantis. Non repugnat propoſito noſtro iſta opinio. Diximus enim, vtriuſque naturæ corpora efflare terras, & ſicci aliquid & humidi in toto aëre vagari. Itaque ſi quid tale interuenit, nubem facit ſolidiorem craſſioremque, quàm ſi tantùm ſimplici ſpiritu intexeretur. Illa frangi poteſt, & edere ſonum: iſta quæ dixi, ſiue incendiis vaporantibus aëra repleuerunt, ſiue ventis

terras verrentibus, neceſſe eſt nubem faciant antequam ſonum. Nubem autem tam aridam quàm humida conferunt. Eſt autem nubes (vt diximus) ſpiſſitudo aëris craſſi.

XXXI. [5] Ceterùm mira fulminis, ſi intueri velis, opera ſunt, nec quidquam dubij relinquentia, quin diuina inſit illis & ſubtilis potentia. Loculis integris ac illæſis conflatur argentum. Manente vaginâ, gladius liqueſcit. Et inuiolato ligno, circa pila ferrum omne diſtillat. Stat fracto dolio vinum, nec vltra triduum rigor ille durat. Illud æquè inter annotanda ponas licet, quòd & hominum, & ceterorum animalium quæ icta ſunt caput ſpectat ad exitum fulminis: quòd omnium percuſſarum arborum contra fulmina haſtulæ ſurgunt. Quid, quòd malorum ſerpentium, & aliorum animalium, quibus mortifera vis ineſt, cùm fulmine icta ſunt, venenum omne conſumitur? Vnde, inquit, ſcis? In venenatis corporibus vermis non naſcitur. Fulmine icta, intra paucos dies verminant.

XXXII. Quid, quòd futura portendunt: nec vnius tantùm aut alterius rei ſigna dant, ſed ſæpè totum fatorum ſequentium ordinem nunciant, & quidem decretis euidentibus, longeque clarioribus, quàm ſi ſcriberentur? Hoc autem inter nos & Tuſcos, quibus ſumma perſequendorum fulminum eſt ſcientia, intereſt. Nos putamus, quòd nubes colliſæ ſunt, ideò fulmina emitti. Ipſi exiſtimant, nubes collidi, vt fulmina emittantur. Nam cùm omnia ad Deum referant, in eâ ſunt opinione, tamquam, non quia facta ſunt, ſignificent; ſed quia ſignificatura ſunt, fiant: eâdem tamen ratione fiunt, ſiue illis ſignificare propoſitum eſt, ſiue conſequens. Quomodo ergo ſignificant, niſi à Deo mittãtur? Quomodo aues non in hoc motæ, vt nobis occurrerent, dextrum auſpicium, ſiniſtrúmve fecerunt. Et illas, inquit, Deus mouit. Nimis illum otioſum, & puſillæ rei miniſtrum facis, ſi aliis ſomnia, aliis exta diſponit. Iſta nihilominus diuinâ ope geruntur. Sed non à Deo pennæ auium reguntur, nec pecudum viſcera ſub ipsâ ſecuri formantur. Aliâ ratione fatorum ſeries explicatur, indicia venturi vbique præmittens, ex quibus nobis quædam familiaria, quædam ignota ſunt. Quidquid fit, alicuius rei futuræ ſignum eſt: fortuita, & ſine ratione vaga, diuinationem non recipiunt. Cuius rei ordo eſt, etiam prædictio eſt. Cur ergo aquilæ hic honor datus eſt, vt magnarum rerum faceret auſpicia: aut coruo, aut pauciſſimis auibus: ceterarum ſine præſagio vox eſt? Quia quædam in artem nondum redacta ſunt. Quædam verò ne redigi quidem poſſunt, ob nimium remotam conuerſationem. Ceterùm nullum animal eſt, quod non motu & occurſu ſuo prædicat aliquid. Non omnia ſcilicet, ſed quædam notantur. Auſpicium eſt obſeruantis. Ad eum itaque pertinet, qui in ea direxerit animum. Ceterùm & illa quæ pereunt. Quinque ſtellarum poteſtatem Chaldæorum obſeruatio excepit. Quid tu? tot millia ſiderum iudicas otioſa lucere? Quid eſt porrò aliud, quod errorem incutiat peritis natalium, quàm quòd paucis nos ſideribus aſſignant: cùm omnia quæ ſupra nos ſunt, partem ſibi noſtri vindicent? Submiſſiora forſitan in nos propiùs vim ſuam dirigunt, & ea quæ frequentiùs mota, aliter nos, aliter cetera animalia proſpiciunt. Ceterùm & illa quæ aut immota ſunt, aut propter velocitatem vniuerſo mundo parem immotis ſimilia, non extra ius dominiumque noſtri ſunt. Aliud adſpice, & diſtributis rem efficis, tractas. Non

XXXIII. magis autem facile eſt, ſcire quid poſſint, quàm dubitari debet, an poſſint. Nunc ad fulmina reuertamur: [6] quorum ars in tria diuiditur: quemadmodum exploremus, quemadmodum interpretemur, quemadmodum exoremus. Prima pars ad formulam ſpectat; ſecunda, ad diuinationem; tertia, ad propitiandos deos: quos bona rogare oportet, mala deprecari. Rogare vt promiſſa firment: deprecari, vt remittant minas.

XXXIV. Summam eſſe vim fulminum iudicant: quia quidquid alia portendunt, interuentus fulminis tollit. Quidquid ab hoc portenditur, fixum eſt, nec alterius oſtenti ſignificatione mutatur. Quidquid exta, quidquid aues minabuntur, ſecundo fulmine abolebitur. Quidquid fulmine denunciatum eſt, nec extis, nec aue contrariâ refellitur. In quo mihi falli videntur. Quare? Quia vero verius nihil eſt. Si aues futura cecinerunt, non poteſt hoc auſpicium fulmine irritum fieri. aut ſi poteſt, non futura cecinêre. Non enim nunc auem comparo & fulmen, ſed duo veri ſigna: quæ ſi vnum ſignificant, paria ſunt. Itaque ſi fulminis interuentus ſubmouet extorum vel augurum iudicia, malè inſpecta

exta,

A exta, malè obſeruata auguria ſunt. Non enim refert, vtrius rei maior potentiórve natura ſit, ſed vtra vim attulit. ſignum, quantum ad hoc, pars eſt. Si dicas, flammæ vim maiorem eſſe, quàm fumi, non mentieris: ſed ad indicandum ignem, idem valet flamma, quod fumus. Itaque ſi hoc dicunt, quoties exta aliud ſignificabunt, aliud fulmina, fulminum erit auctoritas maior, fortaſſe conſentiam: ſed ſi hoc dicunt, quamuis altera ſigna verum prædixerint, fulminis ictus priora deleuit, & ad ſe fidem traxit, falſum eſt. Quare? quia nihil intereſt, quàm multa auſpicia ſint. fatum vnum eſt: quod ſi benè primo auſpicio intellectum eſt, ſecundo non interit: idem eſt. Ita dico, non refert, idem an aliud ſit, per quod quærimus: quoniam de quo quærimus, idem eſt. Fatum XXXV.
fulmine mutari non poteſt. Quid ni? Nam fulmen ipſum fati pars eſt. Quid ergo expiationes, procurationesque, quò pertinent, ſi immutabilia ſunt fata? Permitte mihi illam rigidam ſectam tueri eorum, qui excipiunt iſta, & nihil aliud eſſe exiſtimant, quàm ægræ mentis ſolatia. Fata aliter ius ſuum peragunt, nec vllâ commouentur prece, non
B miſericordiâ flectuntur, non gratiâ. Seruant curſum irreuocabilem, ex deſtinato fluunt. Quemadmodum rapidorum aqua torrentium in ſe non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem ſuperueniens præcipitat: ſic ordinem rerum fati æterna ſeries rotat, cuius hæc prima lex eſt, ſtare decreto. Quid enim intelligis fatum? Exiſtimo neceſſi- XXXVI.
tatem rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat. Hanc ſi ſacrificiis, & capite niueæ agnæ, exorari iudicas: diuina non noſti. Sapientis quoque viri ſententiam negatis poſſe mutari. Quanto magis Dei? cùm ſapiens quid ſit optimum in præſentiâ ſciat, illius diuinitati omne præſens ſit. Agere tamen nunc eorum volo cauſſam, qui procuranda exiſtimant fulmina: & expiationes non dubitant prodeſſe, aliquando ad ſubmouenda pericula, aliquando ad leuanda, aliquando ad differenda. Quid ſit quod XXXVII
ſequitur, paullò pòſt proſequar. Interim hoc habent commune nobiſcum, quòd nos quoque exiſtimamus vota proficere, ſaluâ vi ac poteſtate fatorum. quædam enim à diis immortalibus ita ſuſpenſa relicta ſunt, vt in bonum vertant, ſi admotæ diis preces fue-
C rint; ſi vota ſuſcepta. Ita non eſt hoc contra fatum, ſed ipſum quoque in fato eſt. Aut futurum, inquit, eſt, aut non. Si futurum eſt, etiam ſi non ſuſceperis vota, fiet. Si non eſt futurum, etiamſi ſuſceperis vota, non fiet. Falſa eſt iſta interrogatio: quia illam mediam inter iſta exceptionem præteris. Futurum, inquam, hoc eſt, ſed ſi vota ſuſcepta fuerint. Hoc quoque neceſſe, inquit, eſt, fato comprehenſum ſit, aut ſuſcipias vota, aut non. Puta me tibi manus dare, & fateri, hoc quoque fato eſſe comprehenſum, vt XXXVIII
vtique fiant vota. Ideò fient. Fatum eſt, vt hic diſertus ſit, ſed ſi litteras didicerit: ab eodem fato continetur, vt litteras diſcat, ideò diſcet. Hic diues erit, ſed ſi nauigauerit. An in illo fati ordine, quo patrimonium illi grande promittitur, hoc quoque protinus fatum eſt, vt nauiget. Ideò nauigabit. Idem dico tibi de expiationibus. Effugiet pericula, ſi expiauerit prædictas diuinitus minas. At hoc quoque in fato eſt, vt expiet: ideò expiabit. Iſta nobis opponi ſolent, vt probetur nihil voluntati noſtræ relictum, & omne ius fato traditum. Cùm de iſtâ re agetur, dicam, quemadmodum, manente fato, aliquid ſit
D in hominis arbitrio. Nunc verò id de quo agitur, explicaui, quomodo ſi fati certus eſt ordo, expiationes procurationesque prodigiorum, pericula auertant: quia cum fato non pugnant, ſed ipſa in lege data ſunt. Quid ergo, inquis, aruſpex mihi prodeſt? Vtique enim expiare, etiam non ſuadente illo, mihi neceſſe eſt. Hoc prodeſt, quòd fati miniſter eſt. Sic cùm ſanitas videatur eſſe de fato, debetur & medico: quia ad nos beneficium fati per huius manus venit. Genera fulminum tria eſſe ait Cæcinna: Conſilia- XXXIX.
rium, Auctoritatis, & quod Status dicitur. Conſiliarium ante rem fit, ſed poſt cogitationem: cùm aliquid in animo verſantibus, aut ſuadetur fulminis ictu, aut diſſuadetur. Auctoritatis eſt, vbi poſt rem factam venit, quam futuram bono maloue ſignificat. Status eſt, vbi quietis nec agentibus quidquam, nec cogitantibus quidem, fulmen interuenit. Hoc aut minatur, aut promittit, aut monet. Hoc monitorium vocat: ſed neſcio quare non idem ſit, quòd conſiliarium. Nam & qui monet, conſilium dat: ſed habet aliquã diſtinctionem. Ideoque ſeparatur à conſiliario: quia illud ſuadet diſſuadetque,

hoc ſolam impendentis periculi euitationem continet. Vt cùm timemus ignem aut frau- A
dem à proximis, aut inſidias à ſeruis. Etiamnum tamen aliam diſtinctionem vtriuſque
video: Conſiliarium eſt, quod cogitanti factum eſt: monitorium, quod nihil cogitanti.
Habet autem vtraque res ſuam proprietatem. Suadetur deliberantibus, at vltrò monen-
XL. tur. Primò omnium non ſunt fulminum genera, ſed ſignificationum. Nam ful-
minum genera ſunt illa, quod terebrat, quod diſcutit, quod vrit. Quod terebrat, ſubtile
eſt & flammeum, cui per anguſtiſſimum fuga eſt, ob ſinceram & puram flammæ tenui-
tatem: quod diſſipat, conglobatum eſt, & habet admixtam vim ſpiritus coacti & pro-
celloſi. Itaque illud fulmen per id foramen, quod ingreſſum eſt, redit & euadit. Huius
latè ſparſa vis, rumpit icta, non perforat. Tertium illud genus, quod vrit, multum ter-
reni habet, & igneum magis eſt quàm flammeum. Itaque relinquit magnas ignium no-
tas, quæ percuſſis inhæreant. Nullum quidem ſine igni fulmen venit: ſed hoc propriè
igneum dicimus, quod manifeſta ardoris veſtigia imprimit. Quod aut vrit, aut fuſcat,
tribus modis vrit: aut enim afflat, & leui iniuriâ lædit, aut comburit, aut accendit. Om- B
nia iſta vrunt, ſed genere & modo differunt. Quodcumque combuſtum eſt, vtique &
vſtum eſt. At non omne quod vſtum, vtique & combuſtum eſt. Item quod accenſum
eſt. Poteſt enim illud ipſo tranſitu ignis vſliſſe. Quis neſcit quædam vri quidem, nec
ardere? Nihil autem poteſt ardere, quod non vratur. Vnum hoc adiiciam. Poteſt aliquid
eſſe combuſtum, quod non ſit accenſum. Poteſt accenſum eſſe, nec combuſtum.
XLI. Nunc ad id tranſeo genus fulminis, quo icta fuſcantur. Hoc aut decolorat, aut colo-
rat. Vtrique diſtinctionem ſuam reddam. Decoloratur, id cuius color vitiatur, non mu-
tatur. Coloratur, id cuius alia fit quàm fuit facies: tamquam cærulea, vel nigra, vel pal-
lida. Hæc adhuc Etruſcis & philoſophis communia ſunt. In illo diſſentiunt, quòd ful-
mina dicunt à Ioue mitti, & tres illi manubias dant. Prima (vt aiunt) monet, & placata
eſt, & ipſius conſilio Iouis mittitur. Secundam mittit quidem Iupiter, ſed ex conſilij ſen-
tentiâ. Duodecim enim deos aduocat. Hoc fulmen boni aliquid aliquando facit, ſed
tunc quoque non aliter, quàm vt noceat. Ne prodeſt quidem impunè. Tertiam manu- C
biam idem Iupiter mittit: ſed adhibitis in conſilium diis, quos ſuperiores & inuolutos
vocant. Quæ vaſtat & includit, & mutat ſtatum priuatum vtique & publicum, quem
XLII. inuenit. Ignis enim nihil eſſe, quod ſit, patitur. In his primâ ſpecie ſi intueri ve-
lis, errat antiquitas. Quid enim tam imperitum eſt quàm credere fulmina è nubibus Io-
uem mittere, columnas, arbores, ſtatuas ſuas nonnumquam petere, vt, impunitis ſacri-
legis, percuſſis ouibus, incenſis aris, pecudes innoxias feriat, & ad ſuum concilium à
Ioue deos, quaſi in ipſo parùm conſilij ſit, aduocari: illa læta & placata eſſe fulmina,
quæ ſolus excutiat: pernicioſa, quibus mittendis maior numinum turba interfuit? Si
quæris à me, quid ſentiam, non exiſtimo tam hebetes fuiſſe, vt crederent Iouem, aut non
æquæ voluntatis, aut certè minùs paratum eſſe. Vtrùm enim cùm emiſit ignes, quibus
innoxia capita percuteret, ſcelerata tranſiret, aut noluit iuſtiùs mittere, aut non ſucceſ-
ſit? Quid ergo ſecuti ſunt, cùm hoc dicerent? Ad coërcendos animos imperitorum, ſa-
pientiſſimi viri iudicauerunt ineuitabilem metum, vt ſupra nos aliquid timeremus. D
Vtile erat in tantâ audaciâ ſcelerum aliquid eſſe, aduerſum quod nemo ſibi ſatis potens
videretur. Ad conterrendos itaque eos, quibus innocentia niſi metu non placet, po-
XLIII. ſuere ſuper caput vindicem, & quidem armatum. Quare ergo id fulmen
quod ſolus Iupiter mittit, placabile eſt: pernicioſum id, de quo deliberauit, & quod aliis
quoque diis auctoribus miſit? Quia Iouem, id eſt, regem, prodeſſe etiam ſolum opor-
tet, nocere non, niſi cùm pluribus viſum eſt. Diſcant hoc ij, quicumque magnam po-
tentiam inter homines adepti ſunt, ſine conſilio nec fulmen quidem mitti: aduocent,
conſiderent multorum ſententias, placita temperent, & hoc ſibi proponant, vbi ali-
XLIV. quid percuti debet, ne Ioui quidem ſuum ſatis eſſe conſilium. In hoc quo-
que tam imperiti non fuêre, vt Iouem exiſtimarent tela mutare. poëticam iſta licen-
tiam decent.

Eſt aliud leuius fulmen, cui dextra Cyclopum,

Sæuitiæ

A *Sæuitiæ flammæque minus, minus addidit iræ.*
Tela secunda vocant superi.

Illos verò altissimos viros error iste non tenuit, vt existimarent Iouem modò leuioribus fulminibus & lusoriis vti: sed voluerũt admonere eos quibus aduersus peccata hominũ fulminandũ est, non eodem modo omnia esse percutienda: quædã frangi debere, quædam elidi & distringi, quædã admoueri. Ne hoc quidẽ crediderunt, Iouem, qualem XLV.
in Capitolio & in ceteris ædibus colimus, mittere manu fulmina, sed eũdem quem nos Iouem intelligunt, custodem rectoremque vniuersi, animum ac spiritum, mundani huius operis dominum & artificem, cui nomen omne conuenit. Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic est, ex quo suspensa sunt omnia, caussa caussarum. Vis illum prouidentiam dicere? rectè dices. Est enim, cuius consilio huic mundo prouidetur, vt inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis. Est enim, ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu viuimus. Vis illum vocare mundum? non falleris.
B Ipse enim est, totum quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens vi suâ. Idem Etruscis quoque visum est: & ideò fulmina à Ioue mitti dixerunt, quia sine illo nihil geritur. At quare Iupiter aut ferienda transit, aut innoxia ferit? In maiorem me XLVI.
quæstionem vocas: cui suus locus, suus dies dandus est. Interim hoc dico, fulmina non mitti à Ioue, sed sic omnia dispositа, vt ea etiam quæ ab illo non fiunt, tamen sine ratione non fiant: quæ illius est. Vis eorum, illius permissio est. Nam etsi Iupiter illa nunc non facit, fecit, vt fierent. Singulis non adest: sed signum, & vim, & caussam dedit omnibus. Huic illorum diuisioni non accedo. Aiunt aut perpetua, aut finita esse XLVII.
fulmina, aut prorogatiua. Perpetua, quorum significatio in totam vitam pertinet, nec vnam rem id enunciat, sed contextum rerum per omnem deinceps ætatem futurarum complectitur. Hæc sunt fulmina, quæ prima accepto patrimonio, & in nouo hominis aut vrbis statu fiunt. Finita ad diem vtique respondent. Prorogatiua sunt, quorum minæ differri possunt, auerti tollique non possunt. Dicam quid sit, quare huic diui- XLVIII.
C sioni non consentiam. Nam & quod perpetuum vocant fulmen, finitum est. Æquè enim talia ad diem respondent. Nec ideò finita non sunt, quia multum tempus significant. Et quod prorogatiuum videtur, finitum est. Nam illorum quoque confessione certum est, quousque impetretur dilatio. Priuata enim fulmina negant vltra decimum annum, publica vltra tricesimum posse deferri. Hoc modo & ista finita sunt: quia vltra quod non prorogentur, incluſum est. Omnium ergo fulminum & omnis euentus dies stata est. Non potest enim vlla incerti esse comprehensio. Quæ inspicienda sint in fulgure, passim & vagè dicunt, cùm possint sic diuidere, quemadmodum ab Attalo philosopho, qui se huic disciplinæ dederat, diuisa sunt, vt inspiciatur vbi factum sit, quando, cui, in quâ re, quale, quantum. Hæc si digerere in partes suas voluero, quid posteà faciam, nisi in immensum procedam? Nunc nomina fulminum, quæ à XLIX.
Cæcinnâ ponuntur, perstringam: & quid de his sentiam, exponam. Ait esse postulatoria, quibus sacrificia intermissa, aut non ritè facta repetuntur. Monitoria, quibus docetur, quid cauendum sit. Pestifera, quæ mortem exsiliumque portendunt. Fallacia, quæ
D per speciem alicuius boni nocent. Dant consulatum, malo futurum gerentibus; & hereditatem, cuius compendium magno sit luendum incommodo. Deprecanea, quæ speciem periculi sine periculo afferunt. Peremptalia, quibus tolluntur priorum fulminum minæ. Attestata, quæ prioribus consentiunt. Atterranea, quæ in incluso fiunt. Obrutа, quibus iam priùs percussa nec procurata feriuntur. Regalia, quorum vi tangitur vel comitium, vel principalia vrbis liberæ loca: quorum significatio regnum ciuitati minatur. Inferna, cùm è terrâ exsiliunt ignes. Hospitalia, quæ sacrificiis ad nos Iouem arcessunt, & (vt verbo eorum molliori vtar) inuitant. sed si irascente domino inuitant, tunc venire cum magno inuitantium periculo affirmat. Auxiliaria, quæ aduocata dicuntur, sed aduocantium bono veniunt. Quanto simplicior diuiso est, quâ L.
vtebatur Attalus noster, egregius vir, qui Etruscorum disciplinam Græcâ subtilitate miscuerat. Ex fulminibus quædam sunt, quæ significant id, quod ad nos pertinet: quæ-

dam aut nihil significant, aut id cuius intellectus ad nos non peruenit. Ex his quæ signi- A
ficant, quædam sunt læta, quædam aduersa, quædam nec aduersa nec læta. Aduersorum
hæ species sunt. Aut ineuitabilia mala portendunt, aut euitabilia, aut quę minui possunt,
aut quæ prorogari. Læta aut mansura significant, aut caduca. Mixta aut partem habent
boni, partem mali: aut mala in bonum, aut bona in malum vertunt. Nec aduersa nec
lęta sunt, quæ aliquam nobis actionem significant, quâ nec terreri nec lætari debemus:
LI. vt peregrinationem, in quâ nec metus, nec spei quidquam sit. Reuertar ad ea
fulmina, quæ significant quidem aliquid, sed quod ad nos non pertineat. tamquam,
vtrùm eodem anno idem futurum sit fulmen, quod factum est. Nihil significant fulmi-
na, aut id cuius notitia nos effugit: vt illa quæ in vastum mare sparguntur, aut in deser-
LII. tas solitudines: quorum significatio vel nulla est, vel perit. Pauca adhuc adii-
ciam ad enarrandam vim fulminis, quæ non eodem modo omnem materiam vexat.
Valentiora, quia resistunt, vehementiùs dissipat: cedentia nonnumquam sine iniuriâ
transit. Cum lapide ferroque, & durissimis quibusque, confligit: quia viam necesse est B
per illa impetu quærat. Itaque facit viam quâ effugiat. teneris & rarioribus parcit, quam-
quam & flammis opportuna videantur: quia transitu patente minùs sæuit. Loculis ita-
que, vt dixi, integris, pecunia quæ in his fuerat, conflata reperitur: quia ignis tenuissimus
per occulta foramina transcurrit. Quidquid autem in tigno solidum inuenit, vt contu-
max vincit. Non vno autem, vt dixi, modo sæuit: sed quid quæque vis fecerit, ex ipso
genere iniuriæ intelligis, & fulmen opere cognoscis. Interdum in eâdem materiâ, multa
diuersa, eiusdem vis fulminis facit: sicut in arbore, quod aridissimum est, vrit: quod so-
lidissimum & durissimum est, terebrat & frangit: summos cortices dissipat, interiores
libros interioris arboris rumpit ac scindit, folia perstringit ac tundit: vinum gelat, fer-
LIII. rum & æs fundit. Illud est mirum, quòd vinum fulmine gelatum, cùm ad prio-
rem habitum redit, potum aut exanimat, aut dementes facit. Quare id accidat quærenti
mihi, illud occurrit. Inest fulmini vis pestifera. Ex hoc aliquem remanere spiritum in
eo humore quem coëgit gelauitque, verisimile est. Nec enim alligari potuisset, nisi ali- C
quod illi esset additum vinculum. Præterea olei quoque, & omnis vnguenti, tæter post
fulmen odor est. Ex quo apparet, inesse quamdam subtilissimo igni, & contra naturam
acto, pestilentem potentiam, quâ non tantùm icta cadunt, sed etiam afflata. Præterea
quocumque decidit fulmen, ibi odorem sulphuris esse certum est: qui quia naturâ gra-
uis est, sæpiùs haustus alienat. Sed ad hoc vacui reuertemur. Fortasse enim libebit osten-
dere, quantum omnia ista à philosophiâ artium parente fluxere. Illa primùm & quæsi-
uit causas rerum, & obseruauit effectus: & quod fulminis inspectione longè melius est,
LIV. initiis rerum exitus contulit. Nunc ad opinionem Posidonij reuertar. E terrâ
terrenisque omnibus pars humida efflatur, pars sicca & fumida. Hæc fulminibus ali-
mentum est: illa imbribus. Quidquid in aëra sicci fumosique peruenit, id includi se
nubibus non fert, sed rumpit claudentia. Inde est sonus, quem nos tonitruum vocamus.
In ipso quoque aëre quidquid attenuatur, simul siccatur & calet. Hoc quoque si inclu-
sum est, æquè fugam quærit, & cum sono euadit. Et modò vniuersam eruptionem fa- D
cit, eoque vehementiùs intonat; modò per partes & minutatim. Ergo tonitrua hic spi-
ritus exprimit, dum aut rumpit nubes, aut peruolat. Volutatio autem spiritus, in nube
LV. concluſi, valentissimum est accendendi genus. Tonitrua nihil aliud sunt, quàm
sicci aëris sonitus, qui fieri, nisi dum aut terit, aut rumpitur, non potest. Et si colliduntur, inquit, nubes inter se, fit is quem desideras ictus, sed non vniuersus. Neque enim tota totis concurrunt, sed partibus partes. Nec sonant mollia, nisi illisa duris sint. Itaque non auditur fluctus, nisi impactus. Ignis, inquit, missus in aquam, sonat, dum exstinguitur. Puta ita esse. pro me est. Non enim ignis tunc sonum efficit, sed spiritus per exstinguentia effugiens. Vt dem tibi, & fieri ignem in nube, & exstingui, è spiritu nascitur & attritu. Quid ergo? inquit. non potest aliqua ex his transcurrentibus stellis incidere in nubem, & exstingui? Existimemus posse aliquando & hoc fieri. Nunc naturalem caussam quærimus & assiduam, non raram & fortuitam. Puta me confiteri verum esse, quod

dicis.

A dicis: aliquando post tonitrua emicare ignes, stellis transuersis & cadentibus similes. Non ob hoc tonitrua facta sunt: sed cùm hoc fieret, tonitrua facta sunt. Clidemus ait, fulgurationem speciem inanem esse, non ignem. Sic enim per noctem splendorem motu remorum videri. Dissimile est exemplum. illîc enim splendor intra ipsam aquam apparet: hîc qui fit in aëre, erumpit & exsilit. Heraclitus existimat fulgurationem LVI.
esse velut apud nos incipientium ignium conatus, & primam flammam incertam, modò intereuntem, modò resurgentem. Hæc antiqui fulgetra dicebant: tonitrua nos pluraliter dicimus. Antiqui aut tonitruum dixerunt, aut tonum. Hoc apud Cæcinnam inuenio, facundum virum; qui habuisset aliquod in eloquentiâ nomen, nisi illum Ciceronis vmbra pressisset. Etiamnum illo verbo vtebantur antiqui, correpto, quo nos productâ vnâ sillabâ vtimur. Dicimus enim vt splendere, sic fulgere. At illis ad significandum hanc è nubibus subitæ lucis eruptionem mos erat, mediâ sillabâ correptâ, vt dicerent fulgere. Quid ipse existimem, quæris? Adhuc enim alienis opinionibus LVII.
B accommodaui manum. Dicam: Fulgurat, cùm repentinum latè lumen emicuit. Id euenit, vbi in ignem extenuatus in nubibus aër vertitur, nec vires, quibus longiùs prosiliat, inuenit. Non miraris puto, si aëra aut motus extenuat, aut extenuatio incendit. Sic liquescit excussa glans fundâ, & attritu aëris velut igne distillat. Ideò æstate plurima fiunt fulmina, quia plurimum calidi est. Faciliùs autem attritu calidorum ignis existit. Eodem modo fit fulgor qui tantùm splendet, & fulmen quod mittitur. Sed illi leuior vis, alimentique est minus. Et, vt breuiter dicam quod sentio: Fulmen est fulgur intentum. Ergo vbi calidi fumidique natura, emissa terris in nubes incidit, & diu in illarum sinu volutata est, nouissimè erumpit. Et quia vires non habet, splendor est. At vbi fulgura plus habuêre materiæ, & maiore impetu arserunt, non apparent tantùm, sed decidunt.

Quidam vtique existimant fulmen reuerti: quidam subsidere, vbi alimenta præ- LVIII.
grauauerunt, & fulmen ictu languidiore delatum est. At quare fulmen subitum appareat, nec continuatur assiduus ignis? Quia celerrimi motus est: simul & nubes rumpit,
C & aëra incendit. Deinde desinit flamma quiescente motu. Non enim est assiduus spiritus cursus, vt ignis possit extendi, sed quoties fortiùs ipsâ iactatione se accendit, fugiendi impetum capit. Deinde cùm euasit, & pugna desiit, ex eâdem causâ modò vsque ad terram profertur, modò dissoluitur, si minore vi depressus est. Quare obliquè fertur? Quia spiritu constat. Spiritus obliquus est, flexuosusque. Et quia natura ignem sursum vocat, iniuria deorsum premit, incipit obliquus esse. Interdum dum neutra vis alteri cedit, & ignis in superiora nititur, & in inferiora deprimitur. Quare frequenter cacumina montium feriuntur? Quia opposita sunt nubibus, & è cælo cadentibus, per hæc transeundum est. Intelligo quid iam dudum desideres, quid efflagites. Malo, inquis, LIX.
fulmina non timere, quàm nosse. Itaque alios doce, quemadmodum fiant. Ego mihi metum illorum excuti malo, quàm naturam indicari. Sequar quò vocas. omnibus enim rebus, omnibusque sermonibus aliquid salutare miscendum est. Cùm imus per occulta naturæ, cùm diuina tractamus, vindicandus est à malis suis animus, ac subinde firman-
D dus: quod etiam eruditis, & hoc vnum agentibus, necessarium est: non vt effugiamus ictus rerum (vndique enim tela in nos iaciuntur) sed vt fortiter constanterque patiamur. Inuicti esse possumus, inconcussi non possumus: quamquam interim spes subit, inconcussos quoque esse nos posse. Quomodo, inquis? Contemne mortem, & omnia quæ ad mortem ducunt, contempta sunt: siue illa bella sint, siue naufragia, seu morsus ferarum, seu ruinarum subito lapsu procidentium pondera. Numquid ampliùs facete possunt, quàm vt corpus ab animâ resoluant? Hæc nulla diligentia euitat, nulla felicitas domat, nulla potentia euincit. Alia fortuitò disponuntur: Mors omnes æquè vocat. Iratis diis propitiisque moriendum est. Animus ex ipsâ desperatione sumatur. Ignauissima animalia, quæ natura ad fugam genuit, vbi exitus non patet, tentant fugam corpore imbelli. Nullus pernicior hostis est, quàm quem audacem angustiæ faciunt: longeque violentiùs semper ex necessitate, quàm ex virtute corrigimur. Maiora, aut certè paria conatur animus magnus ac perditus. Cogitemus, nos, quantum ad mortem, proditos

ditos esse: & sumus. Ita est, Lucili. Omnes reseruamur ad mortem. Totum hunc quem A
vides populum, quousque cogitas esse? citò natura reuocabit & condet. Nec de re, sed de die queritur. Eódem citiùs tardiúsve veniendum est. Quid ergo? Non tibi timidissimus omnium videtur, & insipientissimus, qui magno ambitu rogat moram mortis? Nónne contemneres eum, qui inter perituros constitutus, beneficij loco peteret, vt vltimus ceruicem præberet? Idem facimus. Magno æstimamus, mori tardiùs. In omnes constitutum est capitale supplicium, & quidem constitutione iustissimâ. Nam, quod maximum solet esse solatium extrema passuris, omnium caussa eadem est. Sequeremur traditi à iudice aut magistratu, & carnifici nostro præstaremus obsequium: quid interest, vtrùm ad mortem iussi eamus, an vltronei? O te dementem, & oblitum fragilitatis tuæ, si tunc mortem times, cùm tonat. Ita ne salus tua in hoc vertitur? Viues, si fulmen effugeris? Petet te gladius, petet lapis, petet febris. Non maximum ex periculis, sed speciosissimum fulmen est. Malè scilicet erit actum tecum, si sensum mortis tuæ celeritas infinita præuenerit, si mors tua procurabitur, si tu tunc quoque cùm exspiras, non superuacuæ, sed alicuius magnæ rei signum es. Malè scilicet tecum agitur, si cum fulmine conderis. Sed paueſcis ad cæli fragorem, & ad inane nubilum trepidas, & quoties aliquid effulsit, exspiras. Quid ergo? Honestiùs iudicas deiectione animi perire quàm fulmine? Eò itaque fortior aduersus cæli minas surge, & cùm mundus vndique exarserit, cogita te nihil habere de tantâ mole perdendum. Quòd si tibi parari credis illam cæli confusionem, illam tempestatum discordiam, si propter te ingestæ illisæque nubes strepunt, si in tuum exitium tanta vis ignium excutitur: at tu solatij loco numera tanti esse mortem tuam. Sed non erit huic cogitationi locus. Casus iste donat metum. Est inter cetera quoque hoc commodum eius, quòd exspectationem tuam antecedit. Nemo vmquam fulmen timuit, nisi qui effugit.

M. ANTONII MVRETI

AD LIBRVM SECVNDVM NATVRALIVM SENECÆ QVÆSTIONVM, NOTÆ.

AD CAP. I. *Disputaturus de fulguratione, tonitruo, fulmine, terræmotu, quædam de vi & potestate aëris ei disputationi necessaria præmunit.*

I. SOLIDVMNE SIT CÆLVM.] *Vt significat Homerus, cùm illud aheneum esse dicit.*

AD CAP. II. 2. ALIQVID ESSE CONTINVVM, ALIQVID COMMISSVM.] *Ex hac Stoicorum disciplinâ sumpta sunt, quæ disputantur à Pomponio in l. Rerum mixtura, D. de vsurp. & vsucapionibus.*

AD CAP. XXII. 3. SICVT CVM DVO LIGNA INTER SE DIVTIVS TRITA SVNT.] *Lignorum attritu excitari ignem, multi graues scriptores prodiderunt. Thucydides:* Η᾽δη γὰρ ἐν ὄρεσιν ὕλη ξιφθεῖσα ὑφ᾽ ἀνέμων πρὸς ὠυτὴν, ἀπὸ ταυτομάτε πῦρ κὴ φλόγα ἀνῆκε. *Lucretius:*

Emicat interdum flammai feruidus ardor,
Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur. D

Vitruuius: Intereà quodam in loco ab tempestatibus & ventis densæ crebritatibus arbores agitatæ & inter se terentes ramos, ignem excitauerunt. *Inde apud veteres ignaria ex ligno: quæ ex quâ materiâ optimè parentur, docet Plinius cap.* XL. *lib.* XVI. *Lucianus:* Αὐτοὶ δὲ τὰ πυρεῖα συντρίψαντες, κὴ ἀναξύσαντες, δεῖπνον ἐκ τῶν παρόντων ἑτοιμάζεθα.

AD CAP. XXVI. 4. QVIDAM NEGAVERVNT.] *Theophrastus quidem disertè scribit,* ἄνυδ ὑγρότητος οὐδὲν εἰς καυσόν. *Est enim humor, ignis alimentum.*

AD CAP. XXXI. 5. CETERVM MIRA FVLMINIS.] *Quædam iis consimilia narrat & Plinius lib.* II. *cap.* LI. *Mihi hoc contigit, vt paucis mensibus antequam Hippolytus Cardinalis Ferrariensis*

A *rienſis, qui ita de me meritus eſt, vt perpetuò animæ ipſius benè precari debeam, ex hac vitâ diſcederet, fulmen, in palatium ipſius decidens, ad mea vſque cubicula peruenerit. Ibi gladij qui ad lectum vnius è famulis meis pendebat, mucronem ipſum ita colliquefecit, vt in globulum conuerterit, vaginâ prorſus illæsâ.*

AD CAP. XXXIII. 6. QVORVM ARS IN TRIA DIVIDITVR.] *Mirum cur non & pro quarto addiderit artem fulminum eliciendorum, ſiue euocandorum, de quâ eſt apud Ouidium libro* III. *Faſtorum; & apud Plinium cap.* LIIII. *lib.* II. *& alios. ſed illam fortaſis, tamquam nimis periculoſam, abiecerant. Poſſem multa notare ad ea quæ ſequuntur, de variis generibus fulminum. Sed me, vt verum fateor, ineptiarum piget.*

L. ANNÆI SENECÆ

B # AD LVCILIVM

NATVRALIVM QVÆSTIONVM

LIBER TERTIVS.

Qui eſt de aquis.

C NON præterit me, Lucili virorum optime, quàm magnarum rerum fundamenta ponam ſenex, qui mundum circuire conſtitui, & cauſſas ſecretaque eius eruere, atque aliis noſcenda prodere. Quando tam multa cõſequar? tam ſparſa colligam? tam occulta perſpiciam? Premit à tergo ſenectus, & obiicit annos inter vana ſtudia conſumptos. tanto magis vrgeamus, & damna ætatis malè exactæ labor ſarciat. Nox ad diem accedat. Occupationes recidantur: patrimonij longè à domino iacentis cura ſoluatur: ſibi totus animus vacet, & ad contemplationem ſui ſaltem in ipſo fine reſpiciat. Faciet, ac ſibi inſtabit, & quotidie breuitatem temporis metietur. Quidquid amiſſum eſt, id diligenti vſu præſentis vitæ recolliget. Fideliſſimus eſt ad honeſta ex pœnitentiâ tranſitus. Libet mihi exclamare illum poëtæ inclyti verſum: PRÆFATIO.

Tollimus ingentes animos, & maxima paruo
Tempore molimur. ———

Hoc dicerem, ſi puer iuuenísve molirer. Nullum enim non tam magnis rebus tempus
D anguſtum eſt. Nunc verò ad rem ſeriam, grauem, immenſam, poſtmeridianis horis acceſſimus. Faciamus quod in itinere fieri ſolet. Qui tardiùs exierunt, velocitate penſant moram. Feſtinemus, & opus neſcio an ſuperabile, magnum certè, ſine ætatis excuſatione tractemus. Creſcit animus, quoties cœpti magnitudinem attendit, & cogitat, quantum propoſito, non quantum ſibi ſuperſit. Conſumpſêre ſe quidam, dum acta regum externorum componunt, quæque paſſi inuicem auſique ſunt populi. Quanto ſatius eſt, ſua mala exſtinguere, quàm aliena poſteris tradere? Quanto potius deorum opera celebrare, quàm Philippi aut Alexandri latrocinia, ceterorumque, qui exitio gentium clari, non minores fuere peſtes mortalium, quàm inundatio, quâ planum omne perfuſum eſt; quàm conflagratio, quâ magna pars animantium exaruit? Quemadmodum Hannibal ſuperauerit Alpes, ſcribunt: quemadmodum confirmatum Hiſpaniæ cladibus bellum Italiæ inopinatus intulerit: infractisque rebus etiam poſt Carthaginem pertinax, reges pererrauerit, contra Romanos ducem ſe promittens, etiam ſine exercitu.

quem-

quemadmodum non desierit senex omnibus angulis bellum quærere. adeò sine patriâ A esse pati poterat, sine hoste non poterat. Quanto satius, quid faciendum sit, quàm quid factum sit, quærere; ac docere eos qui sua permisêre fortunæ, nihil stabile ab illâ datum esse, eius omnia fluere aurâ mobiliùs? nescit enim quiescere, gaudet lætis tristia substituere, & vtraque miscere. Itaque in secundis nemo confidat, in aduersis nemo deficiat. alternæ sunt vices rerum. Quid exsultas? Ista quibus veheris in summum, nescis vbi te relictura sint: habebunt suum, non tuum, finem. Quid iaces? ad imum delatus es: nunc est resurgendi locus. In melius aduersa, in deterius optata flectuntur. Ita concipienda est animo varietas, non priuatarum tantùm domuum, quas leuis casus impellit, sed etiam publicarum. Regna ex infimo coorta supra imperantes iacuerũt. Vetera imperia in ipso flore cecidêre. Iniri non potest numerus, quàm multa ab aliis fracta sint. nunc cummaximè Deus alia exaltat, alia submittit, nec molliter ponit, sed ex fastigio suo nullas habitura reliquias iactat. Magna ista, quia parui sumus, credimus. Multis rebus non ex naturâ suâ, sed ex humilitate nostrâ magnitudo est. Quid præcipuum in rebus humanis B est? Non classibus maria complesse, nec in rubri maris littore signa fixisse, nec deficiente terrâ ad iniurias aliorum errasse in oceano, ignota quærentem: sed animo omne vidisse, & quâ nulla est maior victoria, vitia domuisse. Innumerabiles sunt, qui vrbes, qui populos habuêre in potestate: pauciſſimi, qui se. Quid est præcipuum? Erigere animum supra minas & promissa fortunæ. Nihil dignum putare quod speres. Quid enim habet dignum, quod concupiscas? qui à diuinorum contemplatione quoties ad humana recideris, non aliter caligabis, quàm quorum oculi in densam vmbram ex claro sole redière. Quid est præcipuum? Posse læto animo aduersa tolerare: quidquid acciderit, sic ferre, quasi tibi volueris accidere. Debuisses enim velle, si scisses omnia ex decreto Dei fieri. Flere, queri, ingemere, descisscere est. Quid est præcipuum? Animus contra calamitates fortis & contumax, luxuriæ non aduersus tantùm, sed & infestus: nec auidus periculi, nec fugax, qui sciat fortunam non exspectare, sed facere: & aduersus vtramque intrepidus inconfususque prodire, nec illius tumultu, nec huius fulgore percussus. Quid est C præcipuum? non admittere in animum mala consilia, putas ad cælum manus tollere: nullum petere bonum, quod vt ad te transeat, aliquis dare debet, aliquis amittere: optare, quod sine aduersario optatur, bonam mentem: cetera magno æstimata mortalibus, etiam si quis domum casus attulerit, sic intueri, quasi exitura, quà venerint. Quid est præcipuum? Altos supra fortuita spiritus attollere: hominis meminisse, vt, siue felix eris, scias hoc non futurum diu: siue infelix, scias hoc te non esse, si non putes. Quid est præcipuum? in primis labris animam habere. Hæc res efficit non è iure Quiritium liberum, sed è iure naturæ. Liber autem est, qui seruitutem effugit sui. Hæc est assidua seruitus, & ineluctabilis, & per diem ac noctem æqualiter premens, sine interuallo, sine commeatu. Sibi seruire, grauissima seruitus est: quam discutere facile est, si desieris multa te poscere, si desieris tibi referre mercedem, si ante oculos & naturam tuam posueris & ætatem, licet prima sit. ac tibi ipse dixeris: Quid insanio? quid anhelo? quid sudo? quid terram verso? quid forum viso? Nec multo opus est, nec diu. Ad hoc proderit nobis in- D spicere rerum naturam. primò discedemus à sordidis, deinde animum ipsum, quo magno summoque opus est, seducemus à corpore. Deinde in occultis exercitata subtilitas, non erit in aperto deterior. Nihil autem est apertius his salutaribus, quę contra nequitiam

CAP. I. nostram furoremque discuntur, quæ damnamus, nec ponimus. Quæramus ergo de aquis, & inuestigemus, quâ ratione fiant. Siue, vt ait Ouidius,

Fons erat illimis nitidis argenteus vndis:

siue, vt ait Virgilius,

Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arua sonanti:

siue vt apud te, Iunior carissime, inuenio:

Eleus Siculis de fontibus exsilit amnis.

si qua ratio aquas subministret: quomodo tot flumina ingentia per diem noctemque decur-

A decurrant: quare alia hibernis aquis intumeſcant, alia in defectu ceterorum amnium creſcãt. Nilum interim ſeponamus à turbâ, propriæ naturæ & ſingularis: illi diem ſuum dabimus, nunc vulgares aquas proſequemur, tam frigidas quàm calentes. In quibus quærendum erit, vtrùm calidæ naſcantur, an fiant. De ceteris quoque differemus, quas inſignes aut ſapor, aut aliqua reddit vtilitas. Quædam enim oculos, quædam neruos iuuant, quædam inueterata & deſperata à medicis vitia percurrunt. Quædam medentur vlceribus, quædam interiora fouent potu, & pulmonis ac viſcerum querelas leuant. Quædam ſupprimunt ſanguinem: tam varius ſingulis vſus, quàm guſtus eſt.

[2] Aut ſtant omnes aquæ, aut fluunt, aut colliguntur, aut varias habent venas. Aliæ II.
ſunt dulces, aliæ variæ: aſperæ quippe interueniunt, ſalſæ aut medicatæ: ex quibus ſulphuratas dicimus, ferratas, aluminoſas. Indicat vim ſapor. Habent præterea multa diſcrimina. Primùm tactus: frigidæ calidæque ſunt. deinde ponderis: leues & graues ſunt. deinde coloris: puræ ſunt & turbidæ, cęruleæ, lucidæ. deinde ſalubritatis: ſunt enim
B ſalubres & vtiles, ſunt mortiferæ, ſunt quæ cogantur in lapidem. Quædam tenues, quædam pingues: quædam alunt, quædam ſine vllâ bibentis ope tranſeunt, [3] quædam hauſtæ fœcunditatem afferunt. Vt ſtet aqua, aut fluat, loci poſitio efficit: in deuexo III.
fluit, in plano continetur & ſtagnat, & aliquando in aduerſum ſpiritu impellitur: tunc cogitur, non fluit. Colligitur ex imbribus: ex ſuo fonte natiua eſt. Nihil tamen prohibet, eodem loco aquam colligi, & naſci: quod in Fucino videmus, in quem montis circumiecti fluuij deriuantur. Sed & magnæ latentesque in ipſo vndæ ſunt. itaque etiam cùm hiberni defluxêre torrentes, faciem ſuam ſeruant. Primùm ergo quæramus, IV.
quomodo ad continuandos fluminum curſus terra ſufficiat, vnde tantum aquarum exeat. Miramur, quòd acceſſionem fluminum maria non ſentiant. Æquè mirandum eſt, quòd detrimenta exeuntium terra non ſentit. Quid eſt, quod illam ſic impleuit, vt præbere tantum ex recondito poſſit, ac ſubinde ſuppleat? Quamcumque rationem reddiderimus de flumine, eadem erit riuorum ac fontium. [4] Quidam iudicant, terram V.
C quidquid aquarum emiſit, rurſus accipere: & ob hoc maria non creſcere, quia quod influxit, non in ſuum vertunt, ſed protinus reddunt. Occulto enim itinere ſubit terras, & palàm venit, ſecretò reuertitur, colaturque in tranſitu mare: quod per multiplices anfractus terrarum verberatum, amaritudinem ponit, & prauitatem ſaporis in tantâ ſoli varietate exuit, & in ſinceram aquam tranſit. Quidam exiſtimant, quidquid ex VI.
imbribus terra concipit, in flumina rurſus emitti. Et hoc argumenti loco ponunt, quòd pauciſſima flumina ſunt in his locis, in quibus rarus eſt imber. Ideò ſiccas eſſe aiunt Æthiopiæ ſolitudines, paucosque inueniri in interiore Africâ fontes: quia feruida cæli natura ſit, & pænè ſemper æſtiua. Squalidæ itaque ſine arbore, ſine cultore arenæ iacent, raris imbribus ſparſæ, quos ſtatim combibunt. At contrà conſtat, Germaniam Galliamque, & proximè ab his Italiam, abundare riuis & fluminibus: quia cælo humido vtuntur, & ne æſtas quidem imbribus caret. Aduerſus hæc multa dici poſſe vides. VII.
Primùm ego tibi vinearum diligens foſſor affirmo, nullam pluuiam eſſe tam magnam,
D quæ terram vltra decem pedes in altitudinem madefaciat. Omnis humor intra primam cruſtam conſumitur, nec in inferiora deſcendit. Quomodo ergo poteſt imber ſuggerere amnibus vires, qui ſummam humum tingit? Pars maior eius per fluminum alueos in mare aufertur. Exiguum eſt quod ſorbet terra, nec id ſeruat. Aut enim arida eſt, & abſumit quidquid in ſe fuſum eſt: aut ſatiata, ſi quid ſupra deſiderium cecidit, excludit. Et ideò primis imbribus non augentur amnes: quia totos in ſe ſitiens terra trahit. Quid quòd quædam flumina erumpunt ſaxis & montibus? His quid conferent pluuiæ, quæ per nudas rupes deferuntur, nec habent terram cui inſideant? Adiice, quòd in ſicciſſimis locis putei in altum acti, per ducenûm aut tricenûm pedum ſpatia, inueniunt aquarum vberes venas, in eâ altitudine, in quam aqua non penetret: vt ſcias illîc non cæleſtem eſſe, nec collectitium humorem, ſed quod dici ſolet, viuam aquam. Illo quoque argumento hæc opinio refellitur, quòd quidam fontes in ſummo montis cacumine redundant. Apparet ergo, illos ſurſum agi, aut ibi concipi, cùm omnis aqua pluuialis decurrat.

VIII. Quidam existimant, quemadmodũ in exteriore parte terrarum vastæ paludes iacent, magni & nauigabiles lacus, quemadmodum ingenti spatio terræ maria porrecta sunt, infusa vallibus: sic interiora terrarum abundare aquis dulcibus, nec minùs illas stagnare, quàm apud nos Oceanum, & sinus eius: imò eò latiùs, quò plus terra in altum patet. Ergo ex illâ profundâ copiâ isti amnes egeruntur: quos quid miraris si terra detractos IX. non sentiat, cùm adiectos maria non sentiant? Quibusdam hæc placet caussa. Aiunt habere terram intra se cauos recessus, & multum spiritus: qui necessariò frigescit, vmbra graui pressus. Deinde piger & immotus, in aquam, cùm se desiit ferre, conuertitur. Quemadmodum supra nos mutatio aëris vmbram facit, ita infra terras flumen aut riuum agit. Supra nos stare non potest segnis diu & grauis. Aliquando enim sole tenuatur, aliquando ventis expanditur. Itaque interualla magna imbribus sunt. Sub terrâ verò quidquid est, quod illum in aquam conuertat, idem semper est, vmbra perpetua, frigus æternum, inexercitata densitas: semper ergo præbebit fonti aut flumini caussas. Placet nobis terram esse mutabilem. Hoc quoque quidquid efflauit, quia non aëre libe- B
X. ro concipitur, crassescit, & protinus in humorem conuertitur. Habes primam aquarum sub terrâ nascentium caussam. Adiicias etiam licet, quòd fiant omnia ex omnibus. Ex aquâ aër. Ex aëre aqua. Ignis ex aëre. Ex igne aër. Quare ergo non terra fiat ex aquâ, & ex terrâ aqua? quæ si in alia mutabilis est, & in aquam: imò maximè in hanc. Vtraque cognata res est, vtraque grauis, vtraque densa, vtraque in extremum mũdi compulsa. Ex aquâ terra fit. Cur non aqua fiat è terrâ? At magna flumina sunt. Cùm videris, quanta sunt: rursus ex quanto prodeant, adspice. Rursus miraris, cùm labantur assiduè, quædam verò concitata rapiantur, quæ præstò sit illis semper aqua noua. Quid si mireris quòd cùm venti totum aëra impellant, non deficit spiritus, sed per dies noctesq; æqualiter fluit: nec vt flumina certo alueo fertur, sed per vastum cæli spatium lato impetu vadit? Quid si vllam vndam supersse mireris, quæ superueniat tot fluctibus fractis? Nihil deficit quod in se redit. Omnium elementorum alterni recursus sunt. Quidquid alteri perit, in alterum transit. Et natura partes suas velut in ponderibus constitu- C
tas examinat: ne portionum æquitate turbatâ, mundus præponderet. [6] Omnia in omnibus sunt. Non tantùm aër in ignem transit, sed numquam sine igne est. Detrahe illi calorem: rigescet, stabit, durabitur. Transit aër in humorem: sed nihilominus non sine humore. Et aëra & aquam facit terra: sed non magis vmquam sine aquâ est, quàm sine aëre. Et ideò facilior inuicem transitus est: quia illis in quæ transeundum est, iam mixta est. Habet ergo terra humorem: hunc exprimit. Habet aëra: hunc vmbra hiberni frigoris densat, vt faciat humorem. Ipsa quoque mutabilis est in humorem. naturâ
XI. suâ vtitur. Quid ergo, inquis, si perpetuæ sunt caussæ, quibus flumina oriuntur, ac fontes: quare aliquando siccantur, aliquando quibus non fuêre locis, exeunt? Sæpè motu terrarum itinera turbantur, & ruina interscindit aquas, quæ retentæ nouos exitus quærunt, & aliquo impetu faciunt, aut ipsius quassatione terræ aliundè aliò transferuntur. Apud nos euenire solet, vt amisso canali suo flumina primùm refundantur: deinde quia perdiderunt viam, faciant hoc, quod accidisse ait Theophrastus [7] in Coryco D
monte, in quo post terrarum tremorem noua vis fontium emersit. Sed & alios quoque casus interuenire quidam opinantur, qui aliter euocent aquas, aut à cursu suo deiiciant, atque auertant. Fuit aliquando aquarum inops [8] Hæmus: sed cùm Gallorum gens à Cassandro obsessa in illum se contulisset, & siluas cecidisset, ingens aquarum copia apparuit, quas videlicet in alimentum suum nemora ducebant: quibus excisis, humor, qui desiit in arbusta consumi, superfusus est. Idem ait & circa Magnesiam accidisse. Sed pace Theophrasti dixisse liceat, non hoc est simile veri: quia ferè aquosissima sunt, quæcumque vmbrosissima. Quod non eueniret, si aquas arbusta siccarent; quibus alimentum ex proximo est: fluminum verò vis ex intimo manat, vltraque excipitur, quàm radicibus euagari licet. Deinde succisæ arbores plus humoris desiderant. Non enim tantùm id quo viuant, sed & id quo crescant trahunt. [9] Idem ait, circa Arcadiam, quæ vrbs in Cretâ insulâ fuit, fontes & lacus substitisse, quia desierit coli terra, dirutâ vrbe:

postea

A poſteà verò quàm cultores receperit, aquas quoque recepiſſe. Cauſſam ſiccitatis hanc ponit, quòd obduruerit conſtricta tellus, nec potuerit imbres inagitata tranſmittere. Quomodo ergo plurimos videmus in locis deſertiſſimis fontes? Plura denique inuenimus, quæ propter aquas coli cœperunt, quàm quæ aquas habere cœperint, quia colebantur. Non enim eſſe pluuialem hanc aquam, quæ vaſtiſſima flumina à fonte ſtatim, magnis apta nauigiis defert, ex hoc intelligas licet, quòd per hiemem æſtatemque par eſt à capite deiectus. Pluuia poteſt facere torrentem: non poteſt autem æquali inter ripas ſuas tenore labentem. Aquam non faciunt imbres, ſed excitant. Paullò repetamus XII.
hoc altiùs, ſi videtur: & ſcies non habere quod quæris, cùm ad veram amnium originem acceſſeris. Flumen nempe fecit copia curſuſque aquæ perennis. Ergo ſi quæris à me, quomodo aqua fiat: interrogabo inuicem, quomodo aër fiat, aut terra. Si rerum elementa ſunt quattuor, non potes interrogare vnde aqua ſit: quarta enim pars eſt naturæ. Quid ergo miraris, ſi rerum naturæ portio tam magna, poteſt aliud ex ſe ſemper
B effundere? Quomodo aër, & ipſe quarta pars mundi, ventos & auras mouet, ſic aqua riuos & flumina. Si ventus eſt fluens aër, & flumen eſt fluens aqua. Satis multum illi virium dedi, cùm dixi, elementum eſt. Intelligis, quod ab illo proficiſcitur, non poſſe deficere. I° Aqua, ait Thales, valentiſſimum elementum eſt. hoc fuiſſe primùm XIII.
putat, ex hoc ſurrexiſſe omnia. Sed & nos quoque aut in eâdem ſententiâ, aut in vltimâ ſumus. Dicimus enim ignem eſſe, qui occupet mundum, & in ſe cuncta conuertat. Hunc euanidum conſidere, & nihil relinqui aliud in rerum naturâ, igne reſtincto, quàm humorem: in hoc futuri mundi ſpem latere. Ita ignis exitus mundi eſt, humor primordium. Miraris amnes ex hoc poſſe exire ſemper, qui pro omnibus fuit, & ex quo ſunt omnia? Hic humor in diductione rerum ad quartas redactus eſt, ſic poſitus, vt fluminibus edendis ſufficere, vt riuis, vt fontibus poſſet. Quæ ſequitur, Thaletis inepta ſententia eſt. Ait enim, terrarum orbem aquâ ſuſtineri, & vehi more nauigij, mobilitateque eius fluctuare, tunc cùm dicitur tremere. Non eſt ergo mirum, ſi abundat humor ad flumina
C fundenda, cùm mundus in humore ſit totus. Hanc veterem & rudem ſententiam explode. Nec eſt quòd credas, in hunc orbem aquam ſubire per rimas & facere ſentinam.

Ægyptij quattuor elementa fecere: deinde ex ſingulis bina, marem & fœminam. Aë- XIV.
rem marem iudicant, quâ ventus eſt: fœminam, quâ nebuloſus & iners. Aquam virilem vocant mare: muliebrem omnem aliam. Ignem vocant maſculum, quâ ardet flamma: & fœminam, qua lucet innoxius tactu. Terram fortiorem marem vocant, ſaxa cautesque: fœminæ nomen aſſignant huic tractabili ad culturam. Mare vnde XV.
eſt? ab initio ſcilicet ita conſtitutum: habet ſuas venas, quibus impellitur atque æſtuat. Quomodo maris, ſic & huius aquæ mitioris vaſta in occulto via eſt, quam nullius fluminis curſus exhauriet. Abdita eſt virium eius ratio. Tantum ex illâ, quantum ſuperfluum fit, emittitur. Quædam ex iſtis ſunt, quibus aſſentire poſſumus: II ſed hoc ampliùs cenſeo. Placet naturâ regi terram: & quidem ad noſtrorum corporum exemplar, in quibus & venæ ſunt & arteriæ: illæ ſanguinis, hæ ſpiritus receptacula. In terrâ
D quoque ſunt alia itinera, per quæ aqua: & alia, per quæ ſpiritus currit: adeoque illam ad ſimilitudinem humanorum corporum natura formauit, vt maiores quoque noſtri aquarum appellauerint venas. Sed quemadmodum in nobis non tantùm ſanguis eſt, ſed multa genera humoris, alia neceſſarij, alia corrupti, ac paullò pinguioris, in capite cerebrum, in oſſibus medullæ, muci, ſaliuæque & lacrimæ, & quiddam additum articulis, per quod citiùs flectantur ex lubrico: ſic in terrâ quoque ſunt humoris genera complura. Quædam quæ matura durentur. Hinc eſt omnis metallorum humus, ex quibus aurum argentumque petit auaritia: & quæ in lapidem ex liquore vertuntur. In quibuſdam verò locis terra humorque liqueſcit: ſicut bitumen, & cetera huic ſimilia. Hæc eſt cauſſa aquarum, ſecundùm legem naturæ, voluntatemque naſcentium. Ceterùm vt in noſtris corporibus, ita in illâ ſæpè humores vitia concipiunt: aut ictus, aut quaſſatio aliqua, aut loci ſenium, aut frigus, aut æſtus corrupere naturam, & ſulphuratio contraxit humorem, qui modò diuturnus eſt, modò breuis. Ergo vt in corporibus noſtris ſan-

guis, cùm percussa vena est, tamdiu manat, donec omnis effluxit, aut donec venæ scis- A
sura subsedit, atque intercluſit, vel aliqua alia causſa retrò dedit sanguinem: ita in terrâ, solutis ac patefactis venis, riuus aut flumen effunditur. Interest, quantum aperta sit vena, quomodo consumpta aqua sit: modò exsiccatur aliquo impedimento, modò coit velut in cicatricem, comprimitque quam fecerat viam: modò illa vis terræ, quam esse mutabilem diximus, desinit posse alimenta in humorem conuertere: aliquando autem exhausta replentur: modò per se viribus recollectis, modò aliunde translatis. Sæpè enim inania apposita plenis humorem in se attrahunt. Sæpè terra si facilis est, ipsa in tabem resoluitur, & humescit. Idem euenit sub terrâ, quod in nubibus, vt spissetur, grauioremque, quàm vt manere in naturâ suâ possit, gignat humorem. Sæpè colligitur roris modo, tenuis & dispersus liquor, qui ex multis in vnum locis confluit. Sudorem aquileges vocant: quia guttæ quædam vel pressurâ loci eliduntur, vel æstu euocantur. Hîc tenuis vnda vix fonti sufficit. At ex magnis causſis, magnisque conceptibus excidunt amnes, nonnumquam leuiter, si aqua pondere suo se tantùm detulit: nonnumquam vehementer B
XVI. & cum sono suo, si illam spiritus intermixtus eiecit. [12] Sed quare quidam fontes senis horis pleni, senisque sicci sunt? Superuacuum est nominare singula flumina, quæ certis mensibus magna, certis angusta sunt: & occasionē singulis quærere, cùm possim eamdem causſam omnibus reddere. Quemadmodum quartana ad horam venit, quemadmodum podagra ad tempus respondet, quemadmodum purgatio, si nihil obstitit, statum diem seruat, quemadmodum præstò est ad mensem suum partus: sic aquæ interualla habent, quibus se retrahant, & quibus reddant. Quædam autem interualla minora sunt, & ideò notabilia: quædam maiora, nec minùs certa. Et quid hoc mirum est, cùm videas ordinem rerum & naturam per constituta procedere? Hiems numquam aberrauit. Æstas suo tempore incaluit. Autumni, verisque, vt solet, facta mutatio est. Tam solstitium, quàm æquinoctium, suos dies retulit. Sunt & sub terrâ minùs nota nobis iura naturæ, sed non minùs certa. Crede infrà, quidquid vides suprà. Sunt & illîc specus vasti, sunt ingentes recessus, & spatia suspensis hinc & inde montibus laxa. Sunt C
abrupti in infinitum hiatus, qui sæpè illapsas vrbes receperunt, & ingentem in alto ruinam condiderunt. Hæc spiritu plena sunt. Nihil enim vsquam inane est, & stagna obsessa tenebris & locis amplis. Animalia quoque illis innascuntur, sed tarda & informia: vt in aëre cæco pinguique concepta, & [13] in aquis torpentibus situ: pleraque ex his cæca, vt talpæ & [14] subterranei mures, quibus deest lumen, quia superuacuum est. [15] In-
XVII. de, vt Theophrastus affirmat, pisces quibusdam locis eruuntur. Multa hoc loco tibi in mentem venient, quæ vrbanè in re incredibili fabulam dicas. Non cum retibus aliquem, aut cum hamis, sed cum dolabrâ ire piscatum. Exspecto vt aliquis [16] in mari venetur. Quid est autem, quare pisces in terram non transeant, si nos maria transimus? Permutabimus sedes. Hoc miraris accidere. Quanto incredibiliora sunt opera luxuriæ, quoties naturam aut mentitur, aut vincit. In cubili natant pisces: & sub ipsâ mensâ capitur, qui statim transferatur in mensam. Parum videtur recens mullus, nisi qui in conuiuæ manu moritur. [17] Vitreis ollis inclusi offeruntur, & obseruatur morientium color, D
quem in multas mutationes mors luctante spiritu vertit, alios necant in garo, & condiunt viuos. Et sunt qui fabulas putant, piscem viuere posse sub terrâ, & effodi, non capi. Quàm incredibile illis videretur, si audirent natare in garo piscem: & cænæ causſâ occisum esse super cænam, cùm multùm in deliciis fuit; & oculos, antequam gulam,
XVIII. pauit. Permitte mihi, quæstione sepositâ, castigare luxuriam. Nihil est, inquis, mullo exspirante formosius. Ipsâ colluctatione animam agenti rubor primùm, deinde pallor suffunditur: quàm æquè variatur, & incerta facies inter vitam & mortem coloris est. Vacatio longa somniculosæ inertisque luxuriæ. Quàm serò experrecta, circumscribi se & fraudari tanto bono sensit. Hoc adhuc tanto spectaculo & tam pulchro piscatores fruebantur, qui coctum piscem & exanimem in ipso ferculo etiam experirentur. Mirabamur tantum in illis esse fastidium, vt nollent attingere, nisi eodem die captum piscem: qui, vt aiunt, saperet ipsum mare. Ideò cursu aduehebatur, ideò gerulis

cum

A cum anhelitu & clamore properantibus dabatur via. Quò peruenere deliciæ? [18] Is pro putrido iam piſcis affertur, qui non hodie eductus, hodie occiſus eſt. Neſcio de re magnâ tibi credere. Ipſe oportet mihi credam: huc afferatur, coram me animam agat. Ad hunc faſtum peruenit venter delicatorum, vt guſtare non poſſint piſcem, niſi quem in ipſo conuiuio natantem, palpitantemque viderint. Quantum ad ſollertiam luxuriæ pereuntis accedit, tanto ſubtilius quotidie & elegantius aliquid excogitat furor, vſitata contemnens. Illa audiebamus, Nihil eſſe melius ſaxatili mullo. At nunc audimus: Nihil eſt moriente formoſius. Da mihi in manus vas vitreum, in quo exſultet, in quo trepidet. Vbi multùm diuque laudatus eſt, ex illo perlucido viuario extrahitur: tunc vt quiſque peritior eſt, monſtrat: Vide quomodo exarſerit rubor, omni acrior minio: vide quas per latera venas agat: ecce ſanguineum putes ventrem: quàm lucidum quiddam, cæruleumque ſub ipſo tempore effulſit! iam porrigitur & pallet, & in vnum colorem componitur. Ex his nemo morienti amico aſſidet, nemo videre mortem patris
B ſui ſuſtinet, quam optauit. Quotus quiſque funus domeſticum ad rogum proſequitur? Fratrum, propinquorumque extrema hora deſeritur: ad mortem mulli concurritur. Nihil enim eſt illo formoſius. Non tempero mihi, quin vtar interdum temerariis verbis, & proprietatis modum excedam. Non ſunt ad popinam, dentibus, & ventre, & ore contenti: oculis quoque guloſi ſunt. Sed vt ad propoſitum reuertar, ac- XIX.
cipe argumentum: magnam vim aquarum in ſubterraneis occultis, fertilem fœdorum ſitu piſcium. Si quando erupit, affert ſecum immenſam animalium turbam, horridam adſpici, & turpem, ac noxiam guſtu. Certè cùm [19] in Cariâ circa Lorymam vrbem talis exſiliſſet vnda, periere quicumque illos ederant piſces, quos ignoto ante eum diem cælo nouus amnis oſtendit. Nec id mirum. Erant enim pinguia & differta, vt ex longo otio, corpora: ceterùm inexercitata, & in tenebris ſaginata, & lucis expertia, ex quâ ſalubritas ducitur. Naſci autem poſſe piſces in illo terrarum profundo, ſit indicium, quòd anguillæ quoque latebroſis locis naſcuntur: grauis & ipſe cibus ob ignauiam, vti-
C que ſi altitudo illas luti penitus abſcondit. Habet ergo non tantùm venas aquarum terra, ex quibus corriuatis flumina effici poſſunt, ſed & amnes magnitudinis vaſtæ: quorum aliis ſemper in occulto curſus eſt, donec aliquo ſinu deuorentur; alij ſub aliquo lacu emergunt. Iam quis ignorat, eſſe quædam ſtagna ſine fundo? Quorſus hoc pertinet? Vt appareat, hanc magnis amnibus æternam eſſe materiam, cuius non tanguntur extrema, ſicut fluminum & fontium. At quare aquis ſapor varius? propter XX.
quattuor cauſſas. Ex ſolo prima eſt, per quod feruntur. Secunda, ex eâdem ſimulatione eius naſcitur. Tertia ex ſpiritu, qui in aquam transfiguratus eſt. Quarta ex vitio, quod ſæpe concipiunt corruptæ per iniuriam. Hæ cauſſæ ſaporem dant aquis varium: hæ medicaminum potentiam: hæ grauem ſpiritum, odoremque peſtiferum: hę leuitatem grauitatemque, aut calorem, aut nimium rigorem. Intereſt, vtrùm per loca ſulphure, an nitro, an bitumine plena tranſeant. Hac ratione corruptæ, cum vitę periculo bibuntur. Hinc illud, de quo Ouidius ait:

D *Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit*
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.

Medicamentum eſt, & eius naturæ habet limum, vt corpora & adglutinet & induret. Quemadmodum Puteolanus puluis, ſi aquam attigit, ſaxum eſt: ſic è contrariò, hæc aqua ſi ſolidum tetigit, hæret & affigitur. Inde eſt, quòd res abiectæ in eumdem lacum, lapideæ ſubinde extrahuntur. Quod in Italiâ quibuſdam locis euenit, ſiue virgam, ſiue frondem demerſeris, lapidem poſt paucos dies extrahis. Circumfunditur enim corpori limus, alliniturque paullatim. Hoc minùs videbitur tibi mirum, ſi notaueris, albulam, & ferè ſulphuratam aquam, circa canales ſuos tuboſque durari. Aliquam harum habent cauſſam illi lacus, quos quiſquis faucibus hauſit, vt idem poëta ait,

Aut furit, aut patitur mirum grauitate ſoporem.

Similem habet vim mero, ſed vehementiorem. Nam quemadmodum ebrietas, donec exſiccetur, dementia eſt, & nimiâ grauitate defertur in ſomnum: ſic aquæ huius ſul-

phurea vis habet quoddam acrius ex aëre noxio virus, quod mentem aut furore mouet, A
aut ſopore opprimit. [20] Hoc habet mali & Lynceſtius amnis:

Quem quicumque parùm moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quàm ſi mera vina bibiſſet.

XXI. [21] In quoſdam ſpecus qui deſpexêre, moriuntur: tam velox malum eſt, vt tranſuolantes aues deiiciat: talis eſt aër, talis locus, ex quo lethalis aqua diſtillat. Quòd ſi remiſſior fuerit aëris & loci peſtis, ipſa quoque temperatior noxa, nihil ampliùs quàm tentat neruos, velut ebrietate torpentes. Nec miror, ſi locus atque aër aquas inficit, ſimilesque regionibus reddit, per quas, & ex quibus veniunt. Pabuli ſapor apparet in lacte, & vini vis exſiſtit etiam in aceto. nulla res eſt, quæ non eius à quo naſcitur, notas reddat.

XXII. Aliud eſt etiam aquarum genus, quod nobis placet cœpiſſe cum mundo. Siue ille æternus eſt, hoc quoque fuit ſemper: ſiue initium aliquod eſt illi, hoc quoque cum toto diſpoſitum eſt. Quid ſit hoc, quæris? Oceanus, & quodcumque ex illo mare terras interluit. Iudicant quidam flumina quoque, quorum inenarrabilis natura eſt, cum ipſo B
mundo traxiſſe principia, vt Iſtrum, vt Nilum, vaſtos amnes, magisque inſignes, quàm
XXIII. vt dici poſſit, eamdem illis originem, quam ceteris eſſe. Hæc eſt ergo aquarum diuiſio, vt quibuſdam videtur. Poſt illam cæleſtes, quas ex ſuperioribus nubila eiiciunt. Ex terrenis aliæ ſunt, vt ita dicam, ſupernatantes, quæ in ſummâ humo repunt: aliæ ab-
XXIV. ditæ, quarum reddita eſt ratio. Quare quædam aquæ caleant, quædam etiam ferueant in tantum, vt non poſſint eſſe vſui, niſi aut in aperto euanuere, aut mixturâ frigidæ intepuere, plures cauſſæ redduntur. Empedocles exiſtimat ignibus, quos multis locis terra opertos tegit, aquam caleſcere, ſi ſubiecti ſunt ſolo, per quod aquis tranſcurſus eſt. Facere ſolemus [22] dracones & miliaria & complures formas, in quibus aëre tenui fiſtulas ſtruimus, per decliue circumdatas: vt ſæpè eumdē ignem ambiens aqua per tantum fluat ſpatij, quantum efficiendo calori ſat eſt. Frigida itaque intrat, effluit calida. Idem ſub terrâ Empedocles exiſtimat fieri: quem non falli credent ij, quibus balnearia ſine igne calefiunt. Spiritus in illâ feruens loco æſtuanti infunditur. Hic per tubos la- C
pſus, non aliter quàm igne ſubdito, parietes & vaſa balnei calefacit. Omnis denique frigida tranſitu mutatur in calidam: nec trahit ſaporem euaporatio, quia clauſa perlabitur. Quidam exiſtimant, per loca ſulphure plena exeuntes vel introëuntes aquas, calorem beneficio materiæ, per quam fluunt, trahere: quod ipſo odore guſtuque teſtantur. Reddunt enim qualitatem eius, quâ caluerunt, materiæ. Quod ne accidere mireris,
XXV. viuæ calci aquam infunde, feruebit. Quædam aquæ mortiferæ ſunt, nec odore notabiles, nec ſapore. [23] Circa Nonacrin in Arcadiâ Styx appellata ab incolis, aduenas fallit: quia non facie, non odore ſuſpecta eſt: qualia ſunt magnorum artificum venena, quæ deprehendi niſi morte non poſſunt. Hæc autem, de quâ paullò antè retuli, aqua, ſummâ celeritate corrumpit: nec remedio locus eſt, quia protinus hauſta duratur: nec aliter quàm gypſum ſub humore conſtringitur, & alligat viſcera. [24] Eſt autem noxia aqua in Theſſaliâ circa Tempe, quam & feræ & pecus omne deuitat: per ferrum & æs exit: tanta vis illi ineſt, etiam dura molliendi: nec arbuſta quidem vlla alit, & herbas D
necat. Quibuſdam fluminibus vis ineſt mira. [25] Alia enim ſunt, quæ pota inficiunt greges ouium: intraque breue tempus, quæ fuêre nigræ, albam ferunt lanam: quæ albæ venerant, nigræ abeunt. Hoc etiam in Bœotiâ amnes duo efficiunt: quorum alteri ab effectu Melas nomen eſt: vterque ex eodem lacu exeunt, diuerſa facturi. In Macedoniâ quoque, vt ait Theophraſtus, eſt flumen, ad quod qui facere albas oues volunt, adducunt. Quod vt diuitiùs potauere, non aliter quàm infecta mutantur. At ſi illis lanâ opus fuerit pullâ, paratus gratuitus infector eſt: ad Ceronem eumdem gregem appellunt. Auctores nouos habeo, eſſe in Galatiâ flumen, quod idem in omnibus efficiat: eſſe in Cappadociâ, quo poto equis, nec vlli præterea animali, color mutatur, & ſpargitur albo cutis. Quoſdam lacus eſſe, qui nandi imperitos ferant, notum eſt. Erat in Siciliâ, eſt adhuc in Syriâ ſtagnum, in quo natant lateres, & mergi proiecta non poſſunt, licet grauia ſint. Huius rei palàm cauſſa eſt. quamcumque vis rem expende, & contra aquam ſtatue,

dum-

A dummodò vtriuſque par ſit modus: ſi aqua grauior eſt, leuiorem rem, quàm ipſa eſt, feret, & tanto ſupra ſe extollet: quanto erit leuior, grauiora deſcendent. At ſi aquæ, & eius rei quam contrà penſabis, par pondus erit: nec peſſum ibit, nec exſtabit, ſed æquabitur aquæ: & natabit quidem, ſed pænè merſa, ac nullâ eminens parte. Hoc eſt cur quædam tigna ſupra aquam, pænè tota efferantur: quædam ad medium ſubmerſa ſint, quædam ad æquilibrium aquæ deſcendant. Namque cùm vtriuſque pondus par eſt, neutraque res alteri cedit, grauiora deſcendunt, leuiora geſtantur. Graue autem & leue eſt, non æſtimatione noſtrâ, ſed comparatione eius quo vehi debet. Itaque vbi aqua grauior eſt hominis corpore, aut ſaxi, non ſinit id quo non vincitur, mergi. Sic euenit, vt in quibuſdam ſtagnis ne lapides quidem peſſum eant. de ſolidis & duris loquor. Sunt enim multi pumiçoſi & leues, ex quibus quæ conſtant [26] inſulæ, in Lydiâ natant. Theophraſtus eſt auctor. Ipſe ad Cutylias natantem inſulam vidi. Alia in Vadimonis lacus vehitur, alia in lacu Stationenſi. Cutyliarũ inſula & arbores habet, & herbas nutrit, tamen aquâ
B ſuſtinetur: & in hanc atque illam partem non tantùm vento impellitur, ſed & aurâ. Nec vnquam illi per diem & noctem in vno loco ſtatio eſt: adeò mouetur leui flatu. Huic duplex cauſſa eſt. Aquæ grauitas medicatæ, & ob hoc ponderoſæ; & ipſius inſulæ materia vectabilis, quæ non eſt corporis ſolidi, quamuis arbores alat. Fortaſſe enim leues truncos, frondeſque in lacu ſparſas pinguis humor apprehendit, ac vinxit. Itaque etiam ſi qua in illâ ſaxa ſunt, inuenies exeſa & fiſtuloſa: qualia ſunt quæ duratus humor efficit, vtique circa medicatorum fontium riuos: quæ vbi purgamenta aquarum coaluerunt, ex ſpumâ ſolidantur. Neceſſariò leue eſt, quod ex ventoſo inanique concretum eſt. Quorumdam cauſſa non poteſt reddi, quare aqua Nilotica fæcundiores fæminas faciat, adeò vt quarumdam viſcera longâ ſterilitate præcluſa, ad conceptum relaxauerit: quare quædam in Lyciâ aquæ conceptum fæminarum cuſtodiant, quas ſolent petere, quibus parùm tenax vulua eſt. Quod ad me attinet, pono iſta inter temerè vulgata. Creditum eſt, quaſdam aquas ſcabiem adferre corporibus, quaſdam vitiliginem,
C & fædam ex albo varietatẽ, ſiue infuſa ſiue pota ſit. quod vitium dicunt habere aquam ex rore collectam. Quis non grauiſſimas eſſe aquas credat, quæ in cryſtallum coëunt? Contrà autem eſt. tenuiſſimis enim hoc euenit, quas frigus ob ipſam tenuitatem facillimè gelat. Vnde autem fiat eiuſmodi lapis, apud Græcos ex ipſo nomine apparet: κρύσταλλον enim appellant æquè hunc perlucidum lapidem, quàm illam glaciem, ex quâ fieri creditur. Aqua enim cæleſtis minimum in ſe terreni habens, cùm induruit, longioris frigoris pertinaciâ ſpiſſatur magis ac magis: donec omni aëre excluſo in ſe tota compreſſa eſt, & humor qui fuerat, lapſus effectus eſt. Æſtate quædam flumina au- XXVI.
gentur, [27] vt Nilus: cuius aliàs ratio reddetur. Theophraſtus eſt auctor, in Ponto quoque quoſdam amnes creſcere tempore æſtiuo; quattuor autem eſſe iudicant cauſſas. Aut quia tunc maximè in humorem mutabilis terra eſt: aut quia maiores in remoto imbres ſunt, quorum aqua per ſecretos cuniculos reddita, tacitè ſuffunditur. Tertia, ſi crebrioribus ventis oſtium cæditur, & reuerberatur fluctu, amnis reſtitit: qui creſcere videtur,
D quia non effunditur. Quarta ratio eſt ſiderum. Hæc enim quibuſdam menſibus magis vrgent, & exhauriunt flumina: cùm longiùs receſſerunt, minus conſumunt, atque trahunt. Itaque quod impendio ſolebat, id incremento accedit. Quædam flumina palàm in aliquem ſpecum decidunt, & ſic ex oculis auferuntur: quædam conſumuntur paullatim, & intercidunt: eadem ex interuallo reuertuntur, recipiuntque & nomen & curſum. Cauſſa manifeſta eſt, ſub terrâ vacat locus. Omnis autem humor naturâ ad inferius, & ad inane defertur. Illò itaque recepta flumina curſus egere ſecretò: ſed cùm primùm aliquid ſolidi, quod obſtaret, occurrit, præruptâ parte, quæ minùs ad exitum repugnabat, repetiere curſum ſuum.

[28] *Sic vbi terreno Lycus eſt epotus hiatu,*
Exſiſtit procul hinc, alioque renaſcitur ore.
Sic modò combibitur, tacito modò gurgite lapſus,
Redditur Argolicis ingens Eraſinus in vndis.

Idem & in Oriente Tigris facit: abſorbetur, & deſideratus diu, [29] tandem longè re- A
moto loco, non tamen dubius, an idem ſit, emergit. Quidam fontes certo tempore purgamenta eiectant: [30] vt Arethuſa in Siciliâ, quintâ quaque æſtate per Olympia. Inde opinio eſt, Alphæon ex Achaiâ eò vſque penetrare, & agere ſub mare curſum, nec antè quàm in Syracuſano littore emergere. Ideoque iis diebus quibus Olympia ſunt, victimarum ſtercus ſecundo traditum flumini illîc redundare. Hoc & à te traditum eſt in poëmate, Lucili cariſſime, & à Virgilio qui alloquitur Arethuſam:

Sic tibi cùm fluctus ſubter labere Sicanos,
Doris amara ſuam non intermiſceat vndam.

Eſt in Cherſoneſo Rhodiorum fons, qui poſt magnum interualłum temporis, fæda quædam turbidus ex intimo fundat, donec liberatus eliquatuſque eſt. Hoc quibuſdam locis fontes faciunt, vt non tantùm lutum, ſed folia, teſtasque, & quidquid putre iacuit, expellant: vbique autem facit mare: cui hæc natura eſt, vt omne immundum ſtercoroſumque littoribus impingat. Quædam verò partes maris id certis temporibus faciunt: B
vt [31] circa Meſſanam & Mylas ſimo quiddam ſimile, turbulentum in littus mare profert, feruetque & æſtuat, non ſine odore fædo. Vnde illîc ſtabulare Solis boues, fabula eſt. Sed difficilis ratio eſt quorundam: vtique inibi tempus eius rei, de quâ quæritur, inobſeruatum & incertum eſt. Itaque proxima quidem inueniri, & vicina non poteſt cauſſa, ceterùm publica eſt illa. Omnis aquarum ſtantium clauſarumque natura ſe purgat. Nam in his quibus curſus eſt, non poſſunt vitia conſiſtere, quæ ſecunda vis defert & exportat. Illæ quæ non emittunt quidquid inſedit, magis minúſve æſtuant. Mare verò cadauera, ſtramentaque, & naufragorum reliquiis ſimilia, ex intimo trahit, nec tan-
XXVII. tùm tempeſtate fluctuque, ſed tranquillum quoque placidumque purgatur. Sed monet me locus, vt quæram, cùm fatalis dies diluuij venerit, quemadmodum magna pars terrarum vndis obruatur. Vtrùm Oceani viribus fiat, & externum in nos pelagus exſurgat: an crebri ſine intermiſſione imbres, & eliſâ æſtate hiems pertinax, immenſam vim aquarum ruptis nubibus deiiciat. An flumina tellus largiùs fundat, aperiatque fon- C
tes nouos: aut non ſit vna tanto malo cauſſa, ſed omnis ratio conſentiat, & ſimul imbres cadant, flumina increſcant, maria ſedibus ſuis excita percurrant, & omnia vno agmine ad exitium humani generis incumbant. Ita eſt. Nihil difficile eſt naturæ, vtique vbi in finem ſui properat. Ad originem rerum parcè vtitur viribus, diſpenſatque ſe incrementis fallentibus: ſubitò ad ruinam toto impetu venit. Quàm longo tempore opus eſt, vt conceptus ad puerperium perducatur infans? quantis laboribus tener educatur? quàm diligenti nutrimento obnoxium nouiſſimè corpus adoleſcit? at quàm nullo negotio ſoluitur? Vrbes conſtituit ætas: hora diſſoluit. Momento fit cinis: diu ſilua. Magnâ tutelâ ſtant ac vigent omnia: citò ac repentè diſſiliunt. Quidquid ex hoc ſtatu rerum natura flexerit, in exitium mortalium ſatis. Ergo cùm affuerit illa neceſſitas temporis, multâ ſimul fata cauſſas mouent: nec ſine concuſſione mundi tanta mutatio eſt, vt quidam putant, inter quos Fabianus eſt. Primò immodici cadunt imbres, & ſine vllis ſolibus triſte nubilo cælum eſt: nebulaque continua, & ex humido ſpiſſaque caligine, numquam ex- D
ſiccantibus ventis. Inde vitium ſatis, & ſegetum ſine fruge ſurgentium marcor. Tunc corruptis quæ ſerũtur manu, paluſtris omnibus campis herba ſuccreſcit: mox iniuriam & validiora ſenſere. Solutis quippe radicibus, arbuſta procumbunt & vitis; atque omne virgultum non tenetur ſolo, quod molle fluidumque eſt: iam nec gramina aut pabula læta aquis ſuſtinet, fame laboratur, & manus ad antiqua alimenta porrigitur: quare ilex & quercus excutitur, & quæcumque in his arduis arbor commiſſurâ aſtricta lapidum ſtetit. Labant ac madent tecta, & in imum vſque receptis aquis fundamenta deſidunt, ac tota humus ſtagnat, fruſtrà titubantium fulcra tentantur. Omne enim fundamentum in lubrico figitur, & lutoſâ humo nihil ſtabile eſt. Poſtquam magis magisque nimbi ingruunt, & congeſtæ ſæculis tabuerunt niues, deuolutus torrens altiſſimis montibus rapit ſiluas malè hærentes, & ſaxa reuolutis remiſſa compagibus rotat. Abluit villas, & intermixtos ouium greges deuehit, vulſisque minoribus tectis, quæ in tranſitu abduxit,

tandem

A tandem in maiora violentus oberrat. Vrbes, & implicitos trahit mœnibus ſuis populos, ruinam an naufragium querantur, incertos: adeò ſimul, & quod opprimeret, & quod mergeret, venit. Auctus deinde proceſſu aliquo in ſe torrentibus raptis plana paſſim populatur. Nouiſſimè ruinâ magnâ gentium clarus onuſtuſque diffunditur. Flumina verò ſuapte naturâ vaſta, & tempeſtatibus rapta, alueos relinquunt. Quid tu eſſe Rhodanum, quid putas Rhenum atque Danubium, quibus torrens etiam in canali ſuo curſus eſt, cùm ſuperfuſi nouas ſibi fecêre ripas, ac ſciſſâ humo ſimul exceſſere alueo? Quantâ cum præcipitatione voluuntur, vbi per campeſtria fluens Rhenus, ne ſpatio quidem languidus, ſed latiſſimè velut per anguſtum aquas implet? Cumque Danubius non iam radices, nec media montium ſtringit, ſed iuga ipſa ſollicitat, ferens ſecum madefacta montium latera, rupeſque deiectas, & magnarum promontoria regionum, quæ fundamentis laborantibus à continente receſſerunt. Deinde non inueniens exitum (omnia enim ſibi ipſe præcluſerat) in orbem redit, ingentemque terrarum ambitum atque
B vrbium vno vortice inuoluit. Interim permanent imbres, fit cælum grauius, ac ſic diu malum ex malo colligit. Quod olim fuerat nubilum, nox eſt: & quidem horrida & terribilis, intercuſſu luminis diri. crebra enim micant fulmina, procellæ quatiunt mare: tũc primùm auctum fluminum acceſſu, & ſibi anguſtum, iam promouet littus: non continetur ſuis finibus, ſed prohibent exire torrentes, aguntque fluctus retrò: pars tamen maior, vt maligno oſtio retenta, reſtagnat, & agros in formam vnius lacus redigit. Iam omnia, quà proſpici poteſt, aquis obſidentur. Omnis tumulus in profundo latet, & immenſa vbique altitudo eſt. tantùm in ſummis montium iugis vada ſunt. In ea excelſiſſima cum liberis coniugibuſque fugere, actis ante ſe gregibus: diremptum inter miſeros commercium ac tranſitus: quoniam quidquid ſubmiſſius erat, id vnda compleuit. Editiſſimis quibuſque adhærebant reliquiæ generis humani: quibus in extrema perductis, hoc vnum ſolatio fuit, quòd tranſierat in ſtuporem metus, non vacabat timere mirantibus: nè dolor quidem habebat locum. Quippe vim ſuam perdit in eo, qui vltra ſenſum mali
C miſer eſt. Ergo inſularum modo eminent montes, & ſparſas Cycladas augent, vt ait ille
32 poëtarum ingenioſiſſimus egregiè, ſicut illud pro magnitudine rei dixit:

Omnia pontus erat: deerant quoque littora ponto.

niſi tantum impetum ingenij & materiæ ad pueriles ineptias reduxiſſet.

Nat lupus inter oues, fuluos vehit vnda leones.

Non eſt res ſatis ſobria, laſciuire deuorato orbe terrarum. Dixit ingentia, & tantæ confuſionis imaginem cepit, cùm dixit:

Exſpatiata ruunt per apertos flumina campos.

——— Preßæque labant ſub gurgite turres.

Magnificè hoc, ſi non curauit, quid oues & lupi faciant. Natari autem in diluuio & in illâ rapinâ poteſt? aut non eodem impetu pecus omne, quo raptum erat, merſum eſt? Concepiſti imaginem quantam debebas, obrutis omnibus terris, cælo ipſo in terram ruente. Perfer. Scies, quid deceat, ſi cogitaueris orbem terrarum natare. Nunc ad propo-
D ſitum reuertamur. Sunt qui exiſtiment, immodicis imbribus vexari terras poſſe, XXVIII.
non obrui. Magno impetu magna ferienda ſunt. Faciet pluuia ſegetes malas, fructum grando decutiet, intumeſcent riuis flumina: ſed reſident. Quibuſdam placet moueri mare, & illinc cauſſam tantæ cladis accerſi. Non poteſt torrentium, aut imbrium, aut fluminum iniuriâ fieri tam grande naufragium. Vbi inſtat illa pernicies, mutariq; genus humanum placuit, fluere aſſiduos imbres, & non eſſe modum pluuiis conceſſerim: ſuppreſſis aquilonibus, & flatu ſicciore: auſtris nubes & imbres & amnes abundare.

——— Sed adhuc in damna profectum eſt.

Sternuntur ſegetes, & deplorata colonis
Vota iacent, longique perit labor irritus anni.

Non lædi debent terræ, ſed abſcondi. Denique cùm per iſta proluſum eſt, creſcunt maria, ſed ſuper ſolitum, & fluctum vltra extremum tempeſtatis maximæ veſtigium mittunt. Deinde à tergo ventis ſurgentibus, ingens æquor euoluunt; quod longè à conſpectu

litto-

littoribus frangitur. Deinde vbi littus bis terque prolatum est, & pelagus in alieno con- A
stitit, velut admoto malo cominus procurrit æstus ex imo recessu maris. Nam vt aëris,
vt ætheris, sic huius elementi larga materia est, multoque in abdito plenior. Hæc fatis
mota, non æstu, (nam æstus fati ministerium est) attollit vasto sinu fretum, agitque an-
te se. Deinde in miram altitudinem erigitur: & illis tutis hominum receptaculis super-
est. Nec id aquis arduum est, quoniam æquo terris fastigio ascenderet. Si quis excelsa
perlibret, maria paria sunt. Nam par vndique sibi ipsa tellus est. Caua & plana vndique
inferiora sunt. Sed istis adeò in rotundum orbis æquatus est, in parte autem eius & ma-
ria sunt, quæ in vnius æqualitatem pilæ coëunt. Sed quemadmodũ campos intuentem,
quæ paullatim deuexa sunt, fallunt: sic non intelligimus curuaturas maris, & videtur
planum quidquid apparet. at illud æquale terris est. Ideoque vt effluat, non magnâ mo-
le se tollet: dum satis est illi, vt supra paria veniat, leuiter exsurgere: nec à littore vbi in-
ferius est, sed à medio, vbi ille cumulus est, defluit. Ergo vt solet æstus æquinoctialis,
sub ipsum lunæ solisque coitum, omnibus aliis maior vndare: sic hic qui ad occupandas B
terras emittitur, solitis maximisque violentior, plus aquarum trahit: nec antequam su-
pra cacumina eorum, quos perfusurus est, montium creuit, deuoluitur. Per centena mil-
lia quibusdam locis æstus excurrit innoxius, & ordinem seruat. Ad mensuram enim cre-
scit, iterúmque decrescit. At illo tempore solutus legibus, sine modo fertur. Quâ ratio-
ne, inquis? Eâdem, quâ conflagratio futura est. Vtrũque fit, cùm Deo visum ordiri me-
liora, vetera finiri. Aqua & ignis terrenis dominantur. Ex his ortus, & ex his interitus
est. Ergo quandoque placuere res nouæ mundo, sic in nos mare emittitur desuper, vt
XXIX. feruor ignis, cùm aliud genus exitij placuit. Quidam existimant terram quoque
concuti, & dirupto solo noua fluminum capita detegere, quę ampliùs vt è pleno profun-
dant. Berosus, qui Belum interpretatus est, ait cursu ista siderum fieri: & adeò quidem
id affirmat, vt conflagrationi atque diluuio tempus assignet: arsura enim terrena conten-
dit, quando omnia sidera, quæ nunc diuersos agunt cursus, in Cancrum conuenerint, sic
sub eodem posita vestigio, vt recta linea exire per orbes omnium possit: inundationem C
futuram, cùm eadem siderũ turba in Capricornum conuenerit. Illîc solstitium, hîc bru-
ma conficitur. Magnæ potentiæ signa: quando in ipsâ mutatione anni momenta sunt.
Et istas ego receperim caussas (neque enim ex vno est tanta pernicies) & illã quæ in con-
flagratione nostris placet, huc quoque transferendam puto: siue anima est mundus, siue
corpus: naturâ gubernante, vt arbores, vt fata, ab initio eius vsque ad exitum quidquid
facere, quidquid pati debeat, inclusum est: vt in semine omnis futuri ratio hominis
comprehensa est. Et legem barbæ & canorum nondum natus infans habet. totius enim
corporis, & sequentis ætatis in paruo occultoque lineamenta sunt. Sic origo mundi, non
minùs solem & lunam, & vices siderum, & animalium ortus, quàm quibus mutaren-
tur terrena, continuit. In his fuit inundatio, quæ non secùs quàm hiems, quàm æstas, le-
ge mundi venit. Itaque non pluuia istud fiet, sed pluuia quoque: non incursu maris, sed
maris quoque incursu: non terræ motu, sed terræ quoque motu. Omnia adiuuabunt na-
turam, vt naturæ constituta peragantur. Maximam tamen caussam, ad se inundandam, D
terra ipsa præstabit: quam diximus esse mutabilem, & solui in humorem. Ergo quan-
doque erit terminus rebus humanis, cùm partes eius interire debuerint, abolerive fundi-
tus totæ, vt de integro totæ, rudes innoxiæque generentur: nec superst in deteriora ma-
gister: plus humoris, quàm semper fuit, fiet. Nunc enim elementa ad id, quod debetur,
pensa sunt. Aliquid oportet alteri accedat, vt quæ libramento stant, inæqualitas turbet.
Accedet humori. Nunc enim habet quo ambiat terras, non quo obruat. Quidquid illi
accesserit, necesse est in alienum locum exundet. Vndare ergo terra debet, vt validiori in-
firma succumbat. Incipiet ergo putrescere, dehinc laxata ire in humorem, & assiduâ ta-
be defluere. Tunc exsilient sub montibus flumina, ipsosque impetu quatient: inde au-
râ tacitâ manabunt. Solum omne aquas reddet, summi scaturient montes: quemadmo-
dum in morbum transeunt sana, & vlceri vicina consentiunt: vt quæque proxima ter-
ris fluentibus fuerint, eluentur, stillabunt, & deinde current, & hiante pluribus locis

saxo

A ſaxo, per fretum ſalient, & maria inter ſe component. Nihil erunt Hadriatici, nihil Siculi æquoris fauces, nihil Charybdis, nihil Scylla. Omnes nouum mare fabulas obruet, & hic qui terras cingit Oceanus extremas, veniet in medium. Quid ergo eſt? nihilominus tenebit alienos menſes hiems, æſtas prohibebitur, & quodcumque terras ſidus exſiccat, compreſſo ardore ceſſabit. Peribunt tot nomina, Caſpium & Rubrum mare, Ambracij & Cretici ſinus, Propontis & Pontus. Peribit omne diſcrimen. Confundetur quidquid in ſuas partes natura digeſſit. Non muri quemquam, non turres tuebuntur. Non proderunt templa ſupplicibus, nec vrbium ſumma: quippe fugientes vnda præueniet, & ex ipſis arcibus deferet. Alia ab occaſu, alia ab oriente concurrent: vnus humanum genus condet dies. Quidquid tam longa fortunæ indulgentia excoluit, quidquid ſupra ceteros extulit, nobilia pariter atque adornata, magnarumque gentium regna peſſumdabit.

Sunt omnia, vt dixi, facilia naturæ: vtique quæ à primo facere conſtituit, ad quæ xxx.
non ſubitò, ſed ex denunciato venit. Iam autem à primo die mundi, cùm in hunc ha-
B bitum ex informi vnitate diſcederet, quando mergerentur terrena, decretum eſt: & ne ſit quandoque velut in nouo opere, dura molitio, olim ad hæc maria ſe exercent. Non vides, vt fluctus in littora, tamquam exiturus, incurrat? Non vides, vt æſtus fines ſuos tranſeat, & in poſſeſſionem terrarum mare inducat? Non vides, vt illi perpetua cum clauſtris ſuis pugna ſit? Quis porrò iſtinc, vnde tantum tumultum vides, metus eſt è mari, & magno impetu erumpentibus fluuiis? Vbi non humorem natura diſpoſuit, vt vndique nos, cùm voluiſſet, aggredi poſſet? Mentior, niſi eruentibus terram humor occurrit, & quoties nos auaritia aut defodit, aut aliqua cauſſa penetrare altiùs cogit, eruendi finis vnda eſt. Adiice nunc, quòd immanes ſunt in abdito lacus, & multum maris conditi, multum fluminum per operta labentium. Vndique ergo erunt cauſſæ diluuio, cùm aliæ aquæ ſubinfluunt terras, aliæ circumfluunt, quæ diu coërcitæ vincent, & amnes amnibus iungent, paludibus ſtagna. Omnium tunc mare ora fontium implebit, & maiore hiatu ſoluet. Quemadmodum corpora noſtra ad egeſtum venter exhaurit,
C quemadmodum eunt in ſudorem vires: ita tellus liquefiet, & aliis cauſſis quieſcentibus, intra ſe, quo mergatur, inueniet: ſic magna omnia coitura crediderim. Nec erit longa mora exitij. Tentatur diuelliturque concordia, cùm ſemel aliquid ex hac idoneâ diligentiâ remiſerit mundus: ſtatim vndique ex aperto ſupernè, ex abdito ab imo aquarum fiet irruptio. Nihil eſt tam violentum & incontinens ſui, tam contumax, infeſtumque retinentibus, quàm magna vis vndæ: vtetur libertate permiſſâ, & iubente naturâ, quæ ſcindit circuitque, complebit. Vt ignis diuerſis locis ortus, citò miſcet incendium, flammis coire properantibus: ſic momento redundantia maria ſe committent. Nec ea ſemper licentia vndis erit: ſed peracto exitio generis humani, exſtinctiſque pariter feris, in quarum homines ingenia tranſierant, iterùm aquas terra ſorbebit: natura pelagus ſtare, aut intra terminos ſuos furere coget: & reiectus è noſtris ſedibus, in ſua ſecreta pelletur Oceanus: antiquus ordo reuocabitur. Omne ex integro animal generabitur, dabiturq; terris homo inſcius ſcelerum, & melioribus auſpiciis natus. Sed illis quoque innocentia
D non durabit, niſi dum noui ſunt. Citò nequitia ſubrepit: virtus difficilis inuentu eſt, rectorem ducemque deſiderat. Etiam ſine magiſtro vitia diſcuntur.

M. AN-

M. ANTONII MVRETI
AD LIBRVM TERTIVM
NATVRALIVM SENECÆ
QVÆSTIONVM, NOTÆ.

AD PROOEMIVM. 1. DEVS ALIA EXALTAT, ALIA SVBMITTIT.] *Hoc Aesopus quasi proprium Dei opus esse respondit. Et notum est illud Hesiodi,*

Ῥέα μὲν γὰρ βελάει, ῥέα δὲ βελάοντα χαλέπτει,
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἄεξει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει.

AD CAP. II. 2. AVT STANT OMNES AQVÆ, AVT FLVVNT, AVT COLLIGVNTVR.] *Prima diuisio aquarum.* Τῶν ὑδάτων τὰ μὲν ϛάσιμα, τὰ δὲ ῥυτά, τὰ δὲ συλλογιαῖα.

3. QVÆDAM HAVSTÆ FOECVNDITATEM ADFERVNT.] *Theophrastus libro* IX. περὶ φυτῶν: Ἐνιαχοῦ μὲν γάρ φασι τὸ ὕδωρ παιδογόνον εἶναι γυναιξίν, ὥσπερ καὶ ἐν Θεσπίαις· ἐνιαχοῦ δὲ ἄγονον, ὡς ἐν πυρᾷ. *Plinius libro* XXXI. Thespiarum fons conceptus mulieribus repræsentat. Item in Arcadiâ flumen Elatum. Custodit autem partum Linus fons in eâdem Arcadiâ, abortusque fieri non patitur. E diuerso in Pyrâ flumen quod Aphrodisium vocant, steriles facit. *Solinus in capite de Siciliâ:* Ibi & fontes duo. Alterum si sterilis sumpserit, fœcunda fiet: alterum si fœcunda hauserit, vertitur in sterilitatem.

AD CAP. V. 4. QVIDAM IVDICANT.] *De causâ & origine fluuiorum ac fontium videndus Aristoteles cap.* XIII. *libri* I. *Meteorologicon.*

AD CAP. X. 5. FIVNT OMNIA EX OMNIBVS.] *Vide eumdem Aristotelem capite quarto libri* II. περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς.

6. OMNIA IN OMNIBVS SVNT.] *Vetus dictum Anaxagoræ:* Πᾶν ἐν παντὶ μέμικται.

AD CAP. XI. 7. IN CORICO MONTE.] *Plinius*, In Coryco monte amnis erupit, postquam cœptus est coli.

8. HÆMVS.] *Hac de re ita idem Plinius*: Nascuntur fontes decisis plerumque siluis, quos arborum alimenta consumebant: sicut in Hæmo, obsidente Gallos Cassandro, cùm valli gratiâ siluas cecidissent.

9. IDEM AIT CIRCA ARCADIAM.] *Plinius:* Et coli mouerique terram, callumq. summæ cutis solui, aquarum interest. Proditur certè in Cretâ expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia, cessasse fontes, amnesq; qui in eo situ multi erant. Rursus condito, post sex annos emersisse, vti quæque cœpissent partes coli.

AD CAP. XIII. 10. AQVA, AIT THALES.] *Aquam principium rerum omnium esse tradidit Thales, vt auctor est Aristoteles libro primo maiore* τῶν μετὰ τὰ φυσικά. *Eamdem putabant fuisse sententiam vetustissimorum poëtarum, quos illi Theologos vocabant. Nam & eôdem respexisse Homerum illo versu,*

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.

& cùm Odysseas v', Neptunum ab Ioue ipso vocari facit deorum antiquissimum & optimum.

AD CAP. XV. 11. SED HOC AMPLIVS CENSEO.] *Senatorium loquendi genus: cùm qui sententiam dicturus erat, probabat quidem quæ ab aliis dicta erant, sed addebat aliquid etiam de suo.*

AD CAP. XVI. 12. SED QVARE QVIDAM FONTES SENIS HORIS PLENI, SENISQVE SICCI SVNT?] *Huic simile quiddam de Dodoneo fonte scriptum reliquit Plinius libro* II. Meridie, *inquit*, semper deficit: quâ de caussâ anapauomenon vocant. Mox increscens ad medium noctis exuberat: ab eo rursus sensim deficit. *Paullò pòst addit, fontes esse calidos contra Timauum amnem, qui pariter cum æstu maris crescunt, minuuntúrve. Vide quæ de fonte Comensi scribit Plinius Cæcilianus epistolâ vltimâ libri quarti: quæ eadem & Plinius auunculus, sed breuiùs, tradiderat.*

13. ET IN AQVIS TORPENTIBVS SITV.] *Malè in aliis libris,* facta.

14. SVBTERRANEI MVRES.] *Ita veteres libri, non, vt alij,* vermes.

15. INDE, VT THEOPHRASTVS AFFIRMAT, PISCES QVIBVSDAM LOCIS ERVVNTVR.] *Hunc ipsum, vt opinor, Theophrasti locum citat Athenæus principio lib. octaui, Plinius etiam copiosiùs cap.* LVII. *libri noni.*

AD CAP. XVII. 16. IN MARI VENETVR.] *Multò hæc scripturâ melior, quàm illa vulgata,* in mari versetur.

17. VITREIS OLLIS INCLVSI OFFERVNTVR.] *De his ipsis deliciis vide quæ scribit Plinius lib. nono.*

AD CAP. XVIII. 18. IS PRO PVTRIDO.] *Totus hic locus quanto melius in veteribus, quàm in vulgatis libris legatur, cupio ex collatione cognosci. Ita enim scriptum est in illis:* Is pro putrido iam piscis est, qui hodie eductus, *& cetera, & paullò pòst:* Vt gustare possint, nisi quem. *Vox* piscem *redundat. de mullo enim tantùm loquitur.*

AD CAP. XIX. 19. IN CARIA CIRCA LORYMA VRBEM.] *Ita iampridem legendum docui*

docui capite septimo libri duodecimi Variarum lectionum: idq; ex libro vetere, Strabone, Melâ, Plinio, Ptolemæo. Mentio eius oppidi est apud Liuium libro XXXVII.

AD CAP. XX. 20. HOC HABET MALI LYNCESTIVS AMNIS.] *Ita legendum ex vetere libro & ex historiâ. Theopompus* ἐν Λυγκήσῳ φησὶ πηγὴν εἶ τῇ μὲν γεύσει ὀξίζουσαν, τοὺς δὲ πίνοντας μεθύσκεσθ. *Athenæus libro* II. *Meminit & Vitruuius, & Plinius, & Oribasius.*

AD CAP. XXI. 21. IN QVOSDAM SPECVS.] *Noti sunt Virgiliani versus de Auerno.*

Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumq; tenebris:
Quam super haud vllæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis. talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad cõuexa ferebat.

AD CAP. XXIIII. 22. DRACONES ET MILIARIA.] *Vtraque vasa sunt ad aquam calefaciendam. Dracones à figurâ dicti. Miliariorum & apud iuris auctores, & apud alios mentio.*

AD CAP. XXV. 23. CIRCA NONACRIN.] *Vitruuius:* Item est in Arcadiâ Nonacris nominata terræ regio, quæ habet in montibus è saxo stillantes frigidissimos humores. Hæc autem aqua στυγὸς ὕδωρ nominatur, quam neque argenteum, neque æneum, neque ferreum vas potest sustinere: sed desilit & dissipatur. Conseruare autem eam & continere nihil aliud potest, nisi mulina vngula, quâ etiam memoratur ab Antipatro in prouinciam, vbi erat Alexander, per Iollam filium perlata esse, & ab eo eâ aquâ regem necatum. *Huius aquæ Herodotus, Curtius, Plinius, Plutarchus, alij eamdem esse vim tradiderunt.*

24. EST AVTEM NOXIA AQVA IN THESSALIA.] *Meminit huius & Vitruuius libro octauo, & Plinius capite secundo libri* XXXI.

25. ALIA ENIM SVNT, QVÆ POTA.] *Vitruuius:* Sunt Bœotiæ flumina Cephisus & Melas, Lucaniæ Crathis, Troiæ Xanthus, inque agris Clazomeniorum & Erythreorum & Laodicensium fontes ac flumina. cùm pecora suis temporibus anni parantur ad conceptionem partus, per id tempus adiguntur eò quotidie potum: ex eoque quamuis sint alba, procreant aliis locis leucophæa, aliis pulla, aliis coracino colore. *Ouidius:*

Crathis & hinc Sybaris vestris conterminus oris,
Electro similes faciunt, auroque capillos.

Νυμφόδωρος καὶ Θεόφραστός φασι, τὸ Κράθιδος τὸ ὕδωρ ξανθίζειν: *Scholiastes Theocriti in eidyllium quintum. Vide & Plinium libri* II. *cap.* CIII. *& capite secundo libri* XXXI. *ex quo intelliges, rectè à me scriptum paullò infra hæc verba,* ad Ceronem, *vbi alij legebant,* ad Penenion. *De Xantho idem ab Aristotele traditur libro* III. *de historiâ animalium, nisi quòd pro Xantho Scamandrum vocat.*

26. INSVLÆ IN LYDIA NATANT.] *Vide Plinium cap.* XCV. *libri* II. *Talem insulam paruam quidem, sed quæ tamen arbores habeat, & in quâ & pecudes & armenta pascantur, in viâ Tiburtinâ. sæpè magnâ cum voluptate spectaui.*

AD CAP. XXVI. 27. VT NILVS, CVIVS ALIAS RATIO REDDETVR.] *Libro proximè sequenti.*

28. SIC VBI TERRENO LYCVS.] *De Lyco, Erasino, Tigride, idem & apud Plinium legitur.*

29. TANDEM LONGE REMOTO LOCO.] *Locus hic fædè mutilatus ab aliis, ita in vetere libro meo legitur:* Tandem longè remoto loco, non tamen dubius an idem sit, emergit. Quidam fontes certo tempore purgamenta eiectant. *Ego autem, qui iam pridem ita restituissem, monueram decem ab hinc annos, ita restituendum esse, capite septimo libri duodecimi Variarum lectionum. Sed negligentiâ eius, cuius operâ in eis libris, grauiter tunc ægrotus, vtebar, factum est, vt ea omnia omissa sint, quæ ex vetere libro addenda erant.*

30. VT ARETHVSA.] *Plinius libri secundi cap.* CIII.

31. CIRCA MESSANAM ET MYLAS.] *Plinius libri secundi cap.* XCVIII.

AD CAP. XXVII. 32. POETARVM INGENIOSISSIMVS.] *Notanda eximia, eademq; verissima laus Ouidij, quem hodie nonnulli ineptè fastidiosi contemnere audent. Notandum etiam, quanto iudicio Seneca in eo reprehendat ea, in quibus luxurianti ingenio nimis indulsit. Hæc nos in scribendo cautiores & consideratiores facere debent.*

L. ANNÆI SENECÆ
AD LVCILIVM
NATVRALIVM QVÆSTIONVM
LIBER QVARTVS.

In quo de niue, grandine & pluuiâ agitur.

PRÆFATIO

DELECTAT te, quemadmodum ſcribis, Lucili virorum optime, Sicilia, & officium procurationis otioſæ. Delectabit, ſi continere id intra fines ſuos volueris, nec efficere imperium, quod eſt procuratio. Facturum te hoc, non dubito. Scio quàm ſis ambitioni alienus, quàm familiaris otio & litteris. Turbam rerum hominumque deſiderent, qui ſe pati neſciunt. Tibi tecum optimè conuenit. Nec mirum paucis iſtud contingere, imperioſi nobis ipſis & moleſti ſumus: modò amore noſtri, modò tædio laboramus: infelicem animum nunc ſuperbiâ inflamus, nunc cupiditate diſtendimus: aliàs voluptate laxamus, aliàs ſolicitudine exurimus. Quod eſt miſerrimum, numquam ſumus ſinguli. Neceſſe eſt itaque aſſidua ſit, in tam magno vitiorum contubernio, rixa. Fac ergo, mi Lucili, quod facere conſueſti. A turbâ quantum potes, te ſepara, nec adulatoribus latus præbeas, artifices ſunt ad captandos ſuperiores. Par illis, etiam ſi benè caueris, non eris. Mihi crede capieris, ſi proditioni ipſe te trades. Habent hoc in ſe naturale blanditiæ: etiam cùm reiiciuntur, placent: ſæpè excluſæ, nouiſſimè recipiuntur. Hoc enim ipſum imputant, quòd repelluntur, & ſubigi ne contumeliâ quidem poſſunt. Incredibile eſt, quod dicturus ſum, ſed tamen verum. Eâ maximè quiſque patet, quâ petitur. Fortaſſe enim ideò, quia patet, petitur. Sic ergo formare, vt ſcias non poſſe te conſequi, vt ſis impenetrabilis. cùm omnia caueris, per ornamenta feriet. Alius adulatione clàm vtetur parcè: alius ex aperto, palàm ruſticitate ſimulatâ, quaſi ſimplicitas illa, non ars ſit. Plancus artifex ante Villeium maximus, aiebat nõ eſſe occultè, nec ex diſſimulato blandiendum. Perit, inquit, procari, ſi latet. Plurimùm adulator cùm deprehenſus eſt, proficit: plus etiamnum ſi obiurgatus eſt, ſi erubuit. Futuros multos in perſonâ tuâ Plancos cogita: & hoc non eſſe remedium tanti mali, nolle laudari. Criſpus Paſſienus, quo ego nil cognoui ſubtilius in omnibus rebus, maximè in diſtinguendis & curandis vitiis, ſæpè dicebat, adulationi nos opponere, non claudere oſtium. Et quidem ſic, quemadmodum opponi amicæ ſolet. Quæ ſi impulit, grata eſt: gratior, ſi effregit. Demetrium egregium virum memini dicere cuidam libertino potenti, facilem ſibi eſſe ad diuitias viam, quo die pænituiſſet bonæ mentis. Nec inuidebo, inquit, vobis hanc artem, ſed docebo eos quibus quæſito opus eſt, quemadmodum non dubiam fortunam maris, non emendi vendendique aleam ſubeant, non incertam fidem ruris, incertiorem fori tentent, quemadmodum non ſolùm facili, ſed etiam hilari viâ pecuniam faciant, gaudenteſque diſpolient. Te, inquit, longiorem Fido Annæo iurabo, & Apollonio Pyctâ, quamuis ſtaturam habeas Thracæ incompoſiti. Hominem quidem non eſſe vllum liberaliorem, non mentiar, cùm poſſis videri omnibus donaſſe, quidquid dereliquiſti. Ita eſt, mi Iunior, quò apertior eſt adulatio, quò improbior, quò magis frontem ſuam perfricuit, cecidit alienam, hoc citiùs expugnat. Eò enim iam dementiæ venimus, vt qui parcè adulatur, pro maligno ſit. Solebam tibi dicere, Gallionem fratrem meum (quem nemo non parùm amat, etiam qui amare plus non poteſt) alia vitia non noſſe, hoc etiam odiſſe. ab omni

illum

A illum parte tentasti. Ingenium suspicere cœpisti, omnium maximum & dignissimum, quod consecrari mallet, quàm conteri: pedes abstulit. Frugalitatem laudare cœpisti. prima statim verba præcidit. Cœpisti mirari comitatem & incompositam suauitatem: quæ illos quoque, quos transit, abducit, gratuitum etiam in obuios meritum. Nemo enim mortalium vni tam dulcis est, quàm hic omnibus: cùm interim tanta naturalis boni vis est, vti artem simulationemque non redoleat. Nemo non imputari sibi bonitatem publicam patitur. Hoc quoque loco blanditiis tuis restitit, vt exclamares inuenisse te inexpugnabilem virum aduersus insidias, quas nemo non in sinũ recipit. Eò quidem magis hanc eius prudentiam, & in euitando ineuitabili malo pertinaciam te suspicere confessus es, quia speraueras posse apertis auribus recipi, quamuis blanda diceres, quia vera dicebas. Sed eò magis intellexit obstandum. Semper enim falsis à vero petitur veritas. Nolo tamen tibi displiceas, quasi mali egeris mimum, & quasi ille aliquid iocorum aut doli suspicatus sit. Non deprehendit te, sed repulit. Ad hoc exemplar componere.

B Cùm quis ad te adulator accesserit, dicito: I tu, ista verba, quæ iam ab alio magistratu ad alium cum lictoribus transeunt, ferto ad aliquem, qui paria facturus, vult quidquid dixeris, audire. Ego nec decipere volo, nec decipi possum. Laudari me à vobis, nisi laudaretis etiam malos, vellem. Quid autem necesse est in hoc descendere, vt te petere cominus possint? Longum inter vos interuallum sit. Cùm cupieris benè laudari, quare hoc vlli debeas? Ipse te lauda. dic: Liberalibus me studiis tradidi, quamquam paupertas alia suaderet, & ingenium eò duceret, vbi præsens studij pretium est. Ad gratuita carmina deflexi me, & ad salutare philosophiæ studium contuli. Ostendi in omne pectus cadere virtutem: & eluctatus natalium angustias, nec sorte me, sed animo mensus, par maximis steti. Non mihi inimicitia Getulici Caij fidem eripuit, non in aliorum personam infeliciter amatorum, Messala & Narcissus, diu publici hostes, antequam sui, propositũ meum potuerunt euertere. Ceruicem pro fide opposui. Nullum verbum mihi, quod non saluâ conscientiâ procederet, excussum est. Pro amicis omnia timui, pro me nihil. nisi ne pa-

C rùm bonus amicus fuissem. Non mihi muliebres fluxêre lacrimæ, non è manibus vllius supplex pependi. Nihil indecorum nec bono, nec viro feci. Periculis meis maior, paratus ire in ea quæ minabantur, egi gratias fortunæ, quòd experiri voluisset, quanti æstimarem fidem. Non debebat mihi paruo res tanta constare. Nec examinauit me quidem diu: neque enim paria pendebant, vtrùm satius esset me perire pro fide, an fidem pro me. Non præcipiti impetu in vltimum consilium, quo me eriperem furori potentium, misi. Videbam apud Caium tormenta, videbam ignes. Sciebam olim sub illo in eum statum res humanas decidisse, vt inter misericordiæ opera haberetur, occidi. Non tamen ferro incubui, nec in mare aperto ore delilui, ne viderer pro fide tantùm mori posse. Adiice nunc inuictum muneribus animum, & in tanto auaritiæ certamine numquam suppositam manum lucro. Adiice nunc victus parsimoniam, sermonis modestiam, a duersus minores humanitatem, aduersus maiores reuerentiam. Post hoc ipse te consule, veráne an falsa memoraueris. Si vera sunt, coram magno teste laudatus es: si falsa, sine te-

D ste derisus es. Possum & ipse nunc videri te aut captare, aut experiri. Vtrumlibet crede, & omnes timere à me incipe. Virgilianum illud excute:

Nusquam tuta fides.

Aut Ouidianum,

—— *Quà terra patet, fera regnat Erynnis.*
In facinus iurasse putes. ——

Aut illud Menandri: (Quis enim non in hoc magnitudinem ingenij sui concitauit, detestatus consensum humani generis, tendentis ad vitia?) Omnes, ait, malos viuere: & in scænam velut rusticus poëta prosiluit. Non senem excepit, non puerum, non fœminam, non virum: & adiicit, non singulos peccare, nec paucos, sed iam scelus esse contextum. Fugiendum ergo, & in se redeundum est, imò etiam à se recedendum. Hoc tibi, etsi diuidimur mari, præstare tentabo, vt dubium viæ, iniectâ manu, ad meliora perducam. Et ne solitudinem sentias, hinc tecum miscebo sermones. Erimus vnà, quâ parte

optimi ſumus : dabimus inuicem conſilia, non ex vultu audientis pendentia. Longè te A
ab iſtâ prouinciâ abducam, ne fortè magnam hiſtoriis eſſe fidem credas, & placere tibi
incipias, quotiens cogitaueris. Hanc ego habeo ſub meo iure prouinciam, quæ maxima-
rum vrbium exercitus & ſuſtinuit & fregit, cùm inter Carthaginem & Romam ingen-
tis belli pretium iacuit, cùm quattuor Romanorum principum, id eſt, totius imperij vi-
res contractas in vnum locum vidit, altamque Pompeij fortunam erexit, Cæſaris fatiga-
uit, Lepidi tranſtulit, omniumque cepit: quæ illi ingenti ſpectaculo interfuit; ex quo li-
quere mortalibus poſſet, quàm velox foret ad imum lapſus ex ſummo, quamque diuer-
ſâ viâ magnam potentiam fortuna deſtrueret. Vno enim tempore vidit Pompeium Le-
pidumque, ex maximo faſtigio aliter ad extrema deiectos, cùm Pompeius alienum exer-
CAP. citum fugeret, Lepidus ſuum. Itaque vt te totâ mente abducam, quamuis
I. multa habeat Sicilia in ſe, circaque ſe mirabilia, omnes interim prouinciæ tuæ quæſtio-
nes præteribo, & in diuerſum cogitationes tuas abſtraham. Quæram enim tecum id
quod libro ſuperiore diſtuli: [2] Quid ita Nilus æſtiuis menſibus abundet. Cui Danu- B
bium ſimilem habere naturam philoſophi tradiderunt, quòd & fontis ignoti, & æſtate
quàm hieme maior ſit. Vtrumque apparuit falſum. Nam & caput eius in Germaniâ eſ-
ſe comperimus: & æſtate quidem incipit creſcere, ſed adhuc manente intra menſuram
ſuam Nilo, primis caloribus, cùm ſol vehementior inter extrema veris niues emollit, quas
antè conſumit, quàm intumeſcere Nilus incipiat. Reliquo verò æſtatis minuitur, & ad
II. hibernam magnitudinem redit, atque ex eâ demittitur. At Nilus ante exortum
caniculæ augetur mediis æſtibus, vltra æquinoctium. Hunc nobiliſſimum amnem na-
tura extulit ante humani generis oculos, & ita diſpoſuit, vt eo tempore inundaret Ægy-
ptum, quo maximè vſta feruoribus terra vndam altiùs traheret, tantum hauſura, quan-
tum ſiccitati annuæ ſufficere poſſit. Nam in eâ parte, quæ in Æthiopiam vergit, aut nul-
li imbres ſunt, aut rari, & qui inſuetam aquis cæleſtibus terram non adiuuent. Vnam, vt
ſcis, Ægyptus in hoc ſpem ſuam habet. [3] Proinde aut ſterilis annus aut fertilis eſt, prout
ille magnus influxit, aut parcior. Nemo aratorum adſpicit cælum. Quare non [4] cum C
poëtâ meo iocor, & illi [5] Ouidium ſuum impingo? qui ait:

—— *Nec pluuio ſupplicat herba Ioui.*

Vnde creſcere incipiat ſi comprehendi poſſet, cauſſæ quoque incrementi inuenirentur.
Nunc verò magnas ſolitudines peruagatus, & in paludes diffuſus, gentibus ſparſus, circa
Philas primùm ex vago & errante colligitur. Philæ inſula eſt aſpera & vndique præru-
pta: duobus in vnum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur, & eius nomen fe-
runt. Vrbem totam complectitur. Hanc Nilus magnus magis quàm violentus, egreſſus
Æthiopiam arenaſque, per quas iter ad cõmercia Indici maris eſt, prælabitur. Excipiunt
eum cataractæ, nobilis inſigni ſpectaculo locus. Ibi per arduas exciſaſque pluribus locis
rupes Nilus inſurgit, & vires ſuas concitat. Frangitur enim occurrentibus ſaxis, & per an-
guſta eluctatus, vbicumque vincit, aut vincitur, fluctuat: & illîc excitatis primùm aquis
quas ſine tumultu leni alueo duxerat, violentus, & torrens per malignos tranſitus pro-
ſilit, diſſimilis ſibi. Quippe ad id lutoſus & turbidus fluit. At vbi ſcopulos verberauit, D
ſpumat: & illi non ex naturâ ſuâ, ſed ex iniuriâ loci color eſt. Tandemque eluctatus
obſtantia, in vaſtam altitudinem ſubitò deſtitutus cadit, cum ingenti circumiacentium
regionum ſtrepitu. Quem perferre gens ibi à Perſis collocata non potuit, obtuſis aſſi-
duo fragore auribus, & ob hoc ſedibus ad quietiora tranſlatis. Inter miracula fluminis
incredibilem incolarum audaciam accepi. Bini paruula nauigia conſcendunt, quorum
alter nauem regit, alter exhaurit. Deinde multum inter rapidam inſaniam Nili, & reci-
procos fluctus volutati, tandem tenuiſſimos canales tenent, per quos anguſta rupium ef-
fugiunt: & cùm toto flumine effuſi, nauigium ruens manu temperant, magnoque ſpe-
ctantium metu in caput nixi, cùm iam adploraueris, merſoſque atq; obrutos tantâ mole
credideris, longè abeo, in quem ceciderant, loco nauigant, tormenti modo miſſi. Nec
mergit cadens vnda, ſed planis aquis tradit. Primum incrementum Nili circa inſulam
quam modò retuli, Philas noſcitur. Exiguo ab hac ſpatio petra diuiditur, ἄβατον Græci
vocant:

A vocant: nec illam vlli, niſi antiſtites calcant: illa primùm ſaxa auctum fluminis ſentiunt. Poſt magnum deinde ſpatium duo eminent ſcopuli, Nili venas vocant incolæ: ex quibus magna vis funditur, non tamen quanta operire poſſet Ægyptum. In hæc ora ſtipem ſacerdotes, & aurea dona præfecti, cùm ſollenne venit ſacrum, iaciunt. Hinc iam manifeſtus nouarum virium Nilus, alto ac profundo alueo fertur, ne in latitudinem excedat obiectu montium preſſus. Circa Memphim demum liber, & per campeſtria vagus, in plura ſcinditur flumina, manuque canalibus factis, vt ſit modus in deriuantium poteſtate, per totam diſcurrit Ægyptum. Initiò diducitur, deinde continuatis aquis in faciem lati ac turbidi maris ſtagnat: curſum illi violentiamq; eripit latitudo regionum, in quas extenditur, dextrâ læuaque totam amplexus Ægyptum. Quantum creuit Nilus, tantum ſpei in annum eſt. Nec computatio fallit agricolam: adeò ad menſuram fluminis reſpondet, quam fertilem facit Nilus. Is arenoſo & ſitienti ſolo & aquam inducit & terram. Nam cùm turbulentus fluat, omnem in ſiccis atque hiantibus locis fæcem re-
B linquit: & quidquid pingue ſecum tulit, arentibus locis allinit: iuuatque agros duabus ex cauſſis, & quòd inundat, & quòd oblimat. Ita quidquid non adiit, ſterile ac ſqualidum iacet. Si creuit ſuper debitum, nocuit. Mira æquè natura fluminis, quòd cùm ceteri amnes abluant terras & euiſcerent, Nilus tanto ceteris maior, adeò nihil exedit, nec abradit, vt contrà adiiciat vires, minimumque in eo ſit quod ſolum temperet. Illato enim limo, arenas ſaturat ac iungit. Debetque illi Ægyptus non tantùm fertilitatem terrarum, ſed ipſas. Illa facies pulcherrima eſt, cùm iam ſe in agros Nilus ingeſſit. Latent campi, opertæque ſunt valles: oppida inſularum modo exſtant. Nullum in mediterraneis, niſi per nauigia commercium eſt. Maiorque eſt lætitia gentibus, quò minus terrarum ſuarum vident. Sic quoque cùm ſe ripis continet Nilus, per ſeptena oſtia in mare emittitur: quodcumque elegeris ex his, mare eſt. Multos nihilominus ignobiles ramos in aliud atque aliud littus porrigit. Ceterùm beluas, marinis vel magnitudine vel noxâ pares, educat. Et ex eo quantus ſit, æſtimari poteſt, quòd ingentia animalia, & pabulo ſufficienti, &
C ad vagandum loco, continet. Babillus virorum optimus, in omni litterarum genere rariſſimus, auctor eſt, cùm ipſe præfectus obtineret Ægyptum, Heracleotico oſtio Nili, quod eſt maximum, ſpectaculo ſibi fuiſſe delphinorum à mari occurrentium, & crocodilorum à flumine aduerſum agmen agentium, velut pro partibus prælium. Crocodilos ab animalibus placidis morſuque innoxiis victos. His ſuperior pars corporis dura & impenetrabilis eſt etiam maiorũ animalium dentibus; at inferior mollis ac tenera: [6] hanc delphini ſpinis, quas dorſo eminentes gerunt, ſubmerſi vulnerabant, & in aduerſum enixi diuidebant. Reciſis hoc modo pluribus, ceteri velut acie verſâ refugerunt. Fugax animal audaci, audaciſſimum timido. Nec illos Tentyritæ generis aut ſanguinis proprietate ſuperant, ſed contemptu & temeritate. Vltrò enim inſequuntur, fugienteſque iniecto trahunt laqueo: plerique pereunt, quibus minùs præſens animus ad perſequendum fuit. Nilum aliquando marinam aquam detuliſſe, Theophraſtus eſt auctor. Biennio continuo, regnante Cleopatrâ, non aſcendiſſe, decimo regni anno & vndecimo conſtat. Signi-
D ficatam aiunt duobus rerum potientibus defectionem. Antonij enim Cleopatræque defecit imperium. Per nouem annos non aſcendiſſe Nilum ſuperioribus ſæculis, Callimachus eſt auctor. Sed nunc ad inſpiciendas cauſſas, propter quas æſtate Nilus creſcat, accedam, & ab antiquiſſimis incipiam. Anaxagoras ait, ex Æthiopiæ iugis ſolutas niues ad Nilum vſque decurrere. In eâdem opinione omnis vetuſtas fuit. Hoc Æſchylus, Sophocles, Euripides tradunt. Sed falſum eſſe, argumentis plurimis patet. Primò Æthiopiam feruentiſſimam eſſe, indicat hominum aduſtus color, & Troglodytæ, quibus ſubterraneæ domus ſunt. Saxa velut igni feruescunt, non tantùm medio, ſed inclinato quoque die: ardens puluis, nec humani veſtigij patiens: argentum replumbatur: ſignorum coagmenta ſoluuntur: nullum materiæ ſuperadornatæ manet operimentum. Auſter quoque, qui ex illo tractu venit, ventorum calidiſſimus eſt. Nullum ex his animalibus quæ latent brumâ, vmquam reconditur. Etiam per hiemem in ſummo & aperto ſerpens eſt. Alexandriæ quoque, quæ longè ab huiuſmodi immodicis caloribus eſt poſita,

niues non cadunt: ſuperiora etiam pluuiâ carent. Quemadmodum ergo regio tantis A
ſubiecta feruoribus duraturas per totam æſtatem niues recipit? Quas ſanè aliqui montes illîc quoque excipiant: numquam tamen magis quàm Thraciæ iuga aut Caucaſus. Atqui horum montium flumina vere & primâ æſtate intumeſcunt, deinde hibernis minora ſunt. Quippe vernis temporibus imbres niuem diluunt: reliquias eius primus calor diſſipat. Nec Rhenus, nec Rhodanus, nec Iſter, nec Cayſtrus ſubiacent malo: æſtate proueniunt. Altiſſimæ ſunt & in illis Septemtrionalibus iugis niues. Phaſis quoque per id tempus [7] & Boryſthenes creſceret, ſi niues flumina poſſent contra æſtatem magna producere. Prætereà ſi hæc cauſſa attolleret Nilum, æſtate primâ pleniſſimus flueret. Tunc enim maximæ & integræ adhuc niues, ex molliſſimoque tabes eſt. Nilus autem per menſes quattuor liquitur, & illi æqualis acceſſio eſt. Si Thaleti credis, Eteſiæ diſcedenti Nilo reſiſtunt, & curſus eius acto contra oſtia mari ſuſtinent: ita reuerberatus in ſe recurrit: nec creſcit, ſed exitu prohibitus reſiſtit, & quacumque mox potuit, inconceſſus erumpit. [8] Euthymenes Maſſilienſis teſtimonium dicit: Nauigaui, inquit, Atlan- B
ticum mare. Inde Nilus fluit maior, quamdiu Eteſiæ tempus obſeruant: tunc enim eiicitur mare inſtantibus ventis. Cùm reſederint, & pelagus conquieſcit: minorque diſcedenti inde vis Nilo eſt. Ceterùm dulcis maris ſapor eſt, & ſimiles Niloticis beluæ. Quare ergo, ſi Nilum Eteſiæ prouocant, & ante illos incipit incrementum eius, & poſt eos durat? Prætereà non fit maior, quò illi flauere vehementiùs? Nec remittitur incitaturque, prout illis impetus fuit: quod fieret, ſi illorum viribus creſceret. Quid, quòd Eteſiæ littus Ægyptium verberant, & contra illos Nilus deſcendit, inde venturus, vnde illi, ſi origo ab illis eſſet. Prætereà ex mari purus & cæruleus efflueret, non vt nunc turbidus venit. Adde, quòd teſtimonium eius teſtium turbâ coarguitur. Tunc erat mendacio locus, cùm ignota eſſent externa. Licebat illis fabulas mittere. Nunc verò tota exteri maris ora mercatorum nauibus ſtringitur: quorum nemo narrat nunc cæruleum Nilum, aut mare ſaporis alterius. quod & natura credi vetat: quia dulciſſimum quodque & leuiſſimum ſol trahit. Prætereà quare hieme non creſcit? & tunc poteſt ventis concitari mare, aliquanto quidem maioribus. Nam Eteſiæ temperati ſunt. Quòd ſi è mari ferretur Atlantico, ſemel oppleret Ægyptum. At nunc per gradus creſcit. Oenopides Chius ait, hieme calorem ſub terris contineri: ideò & ſpecus calidos eſſe, & tepidiorem puteis aquam: itaque venas interno calore ſiccari. Sed in aliis terris augentur imbribus flumina. Nilum, quia nullo imbre adiuuetur, tenuari, deinde creſcere per æſtatem: quo tempore frigent interiora terrarum, & redit rigor fontibus. Quod ſi verum eſſet, æſtate flumina creſcerent, omneſque putei æſtate abundarent. Deinde non calorem hieme ſub terris eſſe maiorem. Aqua & ſpecus & putei tepent: quia aëra rigentem extrinſecus non recipiunt. Ita non calorem habent, ſed frigus excludunt. Ex eâdem cauſſâ æſtate refrigeſcunt: quia illò remotus ſeductuſque aër calefactus non peruenit. Diogenes Apolloniates ait: Sol humorem ad ſe rapit: hunc exſiccata tellus tum ex mari ducit, tum ex ceteris aquis. Fieri autem non poteſt, vt vna ſicca ſit tellus, alia humeat. Sunt enim perforata omnia, & inuicem peruia. Sicca ab humidis ſumunt aliquando. Niſi aliquid terra D
acciperet, exaruiſſet. Ergo vndas ſol trahit: ſed ex his quæ premunt, maximè hæc meridiana ſunt. Terra cùm exaruit, plus ad ſe humoris adducit. vt in lucernis oleum illò fluit, vbi exuritur: ſic aqua illò incumbit, quò vis caloris & terræ æſtuantis arceſſit. Vnde ergo trahitur? ex illis ſcilicet partibus ſemper hibernis, Septemtrionalibus, vnde exundat. Ob hoc pontus in infernum mare aſſiduè fluit rapidus, non vt cetera maria, alternatis vltrò citrò æſtibus, in vnam partem ſemper pronus & torrens. Quod niſi faceret, hiſque itineribus, quod cuique deeſt, redderetur, quod cuique ſupereſt, emitteretur; iam aut ſiccata eſſent omnia, aut inundata. Interrogare Diogenem libet, quare, cùm pontus & amnes cuncti inuicem commeent, non omnibus locis æſtate maiora ſunt flumina? Ægyptum ſol magis percoquit. Itaque Nilus magis creſcit. Sed in ceteris quoque terris aliqua fluminibus fiat adiectio. Deinde quare vlla pars terræ ſine humore eſt, cùm omnis ad ſe ex aliis regionibus trahit: eoque magis, quò calidior eſt. Deinde quare

A Nilus dulcis est, si illi è mari vnda est? Nec enim vlli flumini dulcior gustus.

' Grandinem hoc modo fieri, si tibi affirmauero, quo apud nos glacies fit, gelatâ nu- III.
be totâ, nimis audacem rem fecero. Itaque ex his me testibus numera secundæ notæ, qui vidisse quidem se negant, sed audisse. Aut quod historici faciunt, & ipse faciam. Illi cùm multa mentiti sunt ad arbitrium suum, vnam aliquam rem nolunt spondere: sed adiiciunt, Penes auctores fides erit. Ergo si mihi parùm credis, Posidonius tibi auctoritatem promittet, tam in illo quod præteritum, quàm in hoc quod secuturum est. Grandinem enim fieri ex nube aquosâ, etiam in humorem versâ, sic affirmabit, tamquam interfuerit. Quare autem rotunda sit grando, etiam sine magistro scire potes, cùm adnotaueris, stillicidium omne conglomerari. Quod & in speculis apparet, quæ humorem halitu colligunt, & in poculis sparsis, aliaque omni læuitate: nam & in herbarum vel arborum foliis, si quæ guttæ adhæserunt, in rotundum iacent.

Quid magis est saxo durum? quid mollius vndâ?
B *Dura tamen molli saxa cauantur aquâ.*

aut, vt alius poëta ait:

Stillicidî casus lapidem cauat. ——

& hæc ipsa excauatio rotunda fit. Ex quo apparet illud, huic quoque simile esse quod cauat. Locum enim sibi ad formam & habitum suum exsculpit. Præterea potest, etiam si non fuerit grando talis, cùm defertur, corrotundari, & toties per spatium aëris densi deuoluta æquabiliter atque in orbem teri. Quod nix pati non potest: quia non est tam solida, imò fusa est, & non per magnam altitudinem cadit, sed circa terras initium eius est. Ita non longiùs illi per aëra, sed ex proximo lapsus est. Quare non & ego idem mihi permittam, quod Anaxagoras: cùm inter nullos magis quàm inter philosophos esse debeat æqua libertas? Grando nihil aliud est quàm suspensa glacies. Nix, in pruinâ pendens congelatio. Illud enim iam diximus, quod inter aquam & rorem interest, hoc inter pruinam & glaciem, necnon inter niuem & glaciem interesse. Poteram me, per- IV.
C actâ quæstione, dimittere: sed [10] benè emensum dabo: & quoniam cœpi tibi molestus esse, quidquid in hoc loco quæritur, dicam. Quæritur autem, quare hieme ningat, non grandinet: & vere, iam frigore infracto, grando cadat. Nam, vt fallar tibi, verum mihi quidem persuadetur, qui me vsque ad mendacia hæc leuiora, in quibus [11] os præcidi, non oculi erui solent, credulum præsto. Hieme aër riget: & ideò nondum in aquam vertitur, sed in niuem, cui aër propior est. Cùm ver cœpit, maior inclinatio aëris sequitur, & calidiore cælo maiora fiunt stillicidia. Ideò, vt ait Virgilius noster,

—— *cùm ruit imbriferum ver,*

vehementior immutatio est aëris vndique patefacti & soluentis se, ipso tempore adiuuante. Ob hoc nimbi graues magis vastique quàm pertinaces deferuntur. Bruma lentas pluuias habet & tenues: quales sæpè solent interuenire, cùm pluuia rara & minuta, niuem quoque admixtam habet. Dicimus niualem diem, cùm altum frigus, & triste cælum est. Præterea Aquilone flante, & suum cælum habente, minutæ pluuiæ sunt: Austro
D imber improbior est, & guttæ pleniores sunt. Rem à nostris positam nec dicere audeo, quia infirma videtur: nec præterire. Quid enim mali est, aliquid & faciliori iudici scribere? Imò si omnia argumenta ad lancem cœperimus exigere, silentium indicetur. Pauca enim admodum sunt sine aduersario. Cetera etiam si vincunt, litigant. Aiunt, quidquid circa Scythiam & Pontum & Septemtrionalem plagam glaciatum & adstrictum est, vere relaxari. tunc flumina gelata discedere, tunc obrutos montes niuem soluere. Credibile est ergo, frigidos spiritus inde fieri, & verno cælo immiscerì. Illud quoque adiiciunt, quod nec sum expertus, nec experiri cogito. Tu quoque, censeo, si volueris verum exquirere, niuem ita caue experiaris. Minùs algere aiunt pedes eorum, qui fixam & duram niuem calcant, quàm eorum qui teneram & labefactam. Ergo, si non mentiuntur, quidquid ex illis Septemtrionalibus locis iam distributâ niue, & glacie frangente se fertur, id meridianæ partis tepentem iam humidumque aëra alligat, & perstringit. Itaque cùm pluuia futura erat, grando fit, iniuriâ frigoris. V.

VI. [12] Non tempero mihi, quò minùs omnium noſtrorum ineptias proferam. Quoſdam A peritos obſeruandarum nubium eſſe affirmant, & prædicere cùm grando futura ſit: & hoc intelligere vſu ipſo potuiſſe, cùm colorem nubium notaſſent, quem grando toties inſequebatur. Illud incredibile, Cleonis fuiſſe publicè præpoſitos χαλαζοφύλακας, ſpeculatores futuræ grandinis. Hi cùm ſignum dediſſent, adeſſe iam grandinem, quid exſpectas? vt homines ad penulas diſcurrerẽt, aut ad ſcortea? Imò pro ſe quiſque alius agnum immolabat, alius pullum. Protinus autem illæ nubes aliò declinabant, cùm aliquid guſtaſſent ſanguinis. Hoc rides. Accipe, quod rideas magis. Si quis nec agnum nec pullum habebat, quod ſine damno fieri poterat, manus ſibi afferebat. Et ne tu auidas aut crudeles exiſtimes nubes, digitum ſuum benè acuto graphio pungebat, & hoc ſanguine litabat. Nec minùs ab huius agello grando ſe auertebat, quàm ab illo, in quo maioribus hoVII. ſtiis exorata erat. Rationem huius rei quidam quærunt. Alteri, vt homines ſapientiſſimos decet, negant poſſe fieri, vt cum grandine aliquis paciſcatur, & tempeſtates munuſculis redimat, [13] quamuis munera etiam deos vincant. Alteri ſuſpicari ipſos B aiunt, eſſe in ipſo ſanguine vim quandam potentem auertendæ nubis, ac repellendæ. Sed quomodo in tam exiguo ſanguine poteſt eſſe vis tanta, vt in altum penetret, & eam ſentiant nubes? Quanto expeditius erat dicere, Mendacium & fabula eſt? At Cleonis iudicia reddebant in illos, quibus delegata erat cura prouidendę tempeſtatis: quòd negligentiâ eorum vineæ vapulaſſent, aut ſegetes procidiſſent. Et apud nos in duodecim tabulis cauetur, ne quis alienos fructus excantaſſit. Rudis adhuc antiquitas credebat & attrahi imbres cantibus, & repelli: quorum nihil poſſe fieri, tam palàm eſt, vt huius rei cauſſâ
VIII. nullius philoſophi ſchola intranda ſit. [14] Vnam rem adhuc adiiciam, & fauere ac plaudere te iuuabit. Aiunt niuem in eâ parte aëris fieri, quæ prope terras eſt. Hanc enim plus habere caloris ex tribus cauſſis. Vna, quòd omnis terrarum euaporatio, cùm multum intra ſe feruidi aridiq́ue habeat, hoc eſt calidior, quò recentior. Altera, quòd radij ſolis à terrâ reſiliunt, & in ſe recurrunt. Horum duplicatio proxima quæque à terris calefacit. Quæ ideò plus habent teporis, quia ſolem bis ſentiunt. Tertia cauſſa eſt, quòd C magis ſuperiora perflantur. At quæcumque depreſſa ſunt, minùs ventis verberantur.

IX. Accedit his ratio Democriti. Omne corpus quò ſolidius eſt, hoc calorem citiùs concipit, & diutiùs ſeruat. Itaque ſi in ſole poſueris æneum vas & vitreum & argenteum, æneo citiùs calor accedet, diutiùs hærebit. Adiicit deinde, quare hoc exiſtimet fieri. His, inquit, corporibus, quæ duriora, & preſſiora denſioraq́ue ſunt, neceſſe eſt minora foramina eſſe, & tenuiorem in ſingulis ſpiritum. Sequitur vt quemadmodum minora balnearia & minora miliaria citiùs calefiunt, ſic hæc foramina occulta & oculos effugientia, & celeriùs feruorem ſentiant, & propter eaſdem anguſtias quidquid receperunt, tardiùs
X. reddant. Hæc longè præparata ad id perducunt, de quo nunc quæritur. Omnis aër quò proprior eſt terris, hoc craſſior. Quemadmodum in aquâ & in omni humore fæx ima eſt: ita in aëre ſpiſſiſſima quæque deſidunt. Iam autem probatum eſt, omnia quò craſſioris ſolidioriſq́ue materiæ ſunt, hoc fideliùs cuſtodire calorem receptum: ſed quò editior eſt aër, & quò longiùs à terrarum colluuie receſſit, hoc ſincerior puriorq́ue D eſt. Itaque ſolem non retinet, ſed velut per inane tranſmittit: ideò minùs calefit.

XI. Contrà autem quidam aiunt, cacumina montium hoc calidiora eſſe debere, quò ſoli propiora ſunt. Qui mihi videntur errare, quòd Apenninum & Alpes, & alios notos ob eximiam altitudinem montes intantum putant creſcere, vt illorum magnitudo ſentire ſolis viciniam poſſit. Excelſa ſunt iſta, quamdiu nobis comparantur: at verò vbi ad vniuerſum reſpexeris, manifeſta eſt omnium humilitas. Inter ſe vincuntur, & vincunt. Ceterùm intantũ nihil attollitur, vt collatione totius nulla ſit vel maximis portio: quod niſi eſſet, non diceremus, totum orbem terrarum pilam eſſe. Pilæ proprietas eſt, cum æqualitate quadam rotunditas: æqualitatem autem hanc accipe, quam vides in luſoriâ pilâ. Non multum illi commiſſuræ & rimæ earum nocent, quò minùs par ſibi ab omni parte dicatur. quomodo in hac pilâ, nihil illa interualla officiunt ad ſpeciem rotundi, ſic nec in vniuerſo quidem orbe terrarum editi montes, quorum altitudo totius mundi

colla-

A collatione consumitur. Qui dicit altiorem montem, quia solem propiùs excipiat, magis calere debere: idem dicere potest, longiorem hominem citiùs quàm pusillum debere calefieri, & citiùs caput eius quàm pedes. At quisquis mundum mensurâ suâ æstimauerit, & terram cogitauerit tenere puncti locum, intelliget nihil in illâ posse ita eminere, vt cælestia magis sentiat, velut in propinquum illis accesserit. Montes isti quos suspicimus, & vertices æternâ niue obsessi, nihilominus in imo sunt. & propiùs quidem soli est mons, quàm campus aut vallis: sed sic, quo modo est pilus pilo crassior. Isto enim modo, & arbor alia magis quàm alia dicetur vicina cælo: quod falsum est: quia inter pusilla non potest esse magnum discrimen, nisi dum inter se comparantur. Vbi ad collationem immensi corporis ventum est, nihil interest quanto alterum altero sit maius: quia etiam si magno discrimine, tamen minima dicuntur. Sed vt ad propositum reuertar, XII.
propter has quas retuli causas, plerisque placuit, in eâ parte aëris niuem concipi, quæ vicina terris est: & ideò minùs alligari, quia minore frigore coit. Nam vicinus aër & plus
B habet frigoris, quàm vt in aquã & imbrem transeat, & minus quàm vt duretur in grandinem. Hoc medio frigore non nimis intento niues fiunt coactis aquis. Quid XIII.
istas, inquis, ineptias, quibus nec literatior fit quisquam, nec melior, tam operosè persequeris? Quomodo fiant niues, dicis: cùm multò magis ad nos dici à te pertineat, quare emendæ non sint niues. Iubes me cum luxuriâ litigare. Quotidianum istud & sine effectu iurgium est. Litigemus tamen: etiamsi superior futura est, pugnantes ac reluctantes vincat. Quid porrò? Hanc ipsam inspectionem naturæ nihil iudicas ad id, quod vis, conferre? Cùm quærimus, quomodo nix fiat, & dicimus illam pruinæ similem habere naturã, plus illi spiritus quàm aquæ inesse, non putas exprobrari illis: cùm emere aquam turpe sit, si nec aquam quidem emunt? Nos verò quæramus potiùs, quomodo fiant niues, quàm quomodo seruentur: quoniam non contenti vina diffundere veterana, & per sapores ætatesque disponere, inuenimus quomodo stiparemus niuem, vt ea æstatẽ euinceret, & contra anni feruorem defenderetur loci frigore. Quid hac diligentiâ consecuti
C sumus? Nempe vt gratuitam mercemur aquam. Nobis dolet, quòd spiritum, quòd solem emere non possumus, quòd hic aër etiam delicatis diuitibusque ex facili nec emptus venit. O quàm nobis malè est, quòd quidquam à rerum naturâ in medio relictum est. Hoc quod illa fluere & patere omnibus voluit, cuius haustum vitæ publicum fecit: hoc quod tam homini, quàm feris auibusque, & inertissimis animalibus, in vsum largè ac beatè profudit, contra se ingenioſa luxuria redegit ad pretium. Adeò nihil potest illi placere, nisi carum. Vnum hoc erat, quod diuites in æquum turbæ deduceret, quo vno non possent antecedere pauperrimum. Illi cui diuitiæ molestæ sunt, excogitatum est, quemadmodum etiam aqua caperet luxuriam. Vnde ad hoc peruentum sit, vt nulla nobis aqua satis frigida videretur quæ flueret, dicam. Quamdiu sanus & salubris cibi capax stomachus est, impleturque, non premitur, naturalibus fomentis cõtentus est. Vbi quotidianis cruditatibus non temporis æstus, sed suos sentit, vbi ebrietas continua visceribus insedit, & præcordia bile, in quam vertitur, torret, aliquid necessariò quæritur, quo
D æstus ille frangatur, qui ipsis aquis incalescit, remediis incitat vitium. Itaque non æstate tantùm, sed & mediâ hieme niuem hac caussâ bibunt. Quæ huius rei caussa est, nisi intestinum malum, & luxu corrupta præcordia, quibus nullum interuallum vmquam quo interquiescerent, datum est, sed prandia cænis vsque in lucem perductis ingesta sunt, & distentos copiâ ferculorum ac varietate, comessatio altiùs mersit? Deinde numquam intermissa intemperantia, quidquid antè decoxerat, efferauit, & in desiderium semper noui rigoris accendit. Itaque quamuis cænationem velis ac specularibus muniant, & igne multo dolent hiemem, nihilominus stomachus ille solutus, & æstu suo languidus, quærit aliquid quo erigatur. Nam sicut animo relictos stupentesque frigidâ spargimus, vt ad sensum sui redeant: ita viscera istorum vitiis torpentia nihil sentiunt, nisi frigore illa vehementiore perusseris. Inde est, inquam, quòd nec niue quidem contenti sunt, sed glaciem, velut certior illi ex solido rigor sit, exquirunt, ac sæpè repetitis aquis diluunt: quæ non è summo tollitur, sed vt vim maiorem habeat, & pertinacius frigus, ex abdito effodi-

effoditur. Itaque ne vnum quidem eius est pretium : sed habet institores aqua, & annonam, prô pudor, variam. Vnguentarios Lacedæmonij vrbe expulerunt, & properè cedere finibus suis iusserunt, quia oleum disperderent. Quid illi fecissent, si vidissent reponendæ niuis officinas, & tot iumenta portandæ aquæ deseruientia, cuius colorem saporemque paleis, quibus custodiunt, inquinant? At dij boni, quàm facile est exstinguere sitim sanam. Sed quid sentire possunt emortuæ fauces, & occallatæ cibis ardentibus? Quemadmodum nihil illis satis frigidum, sic nihil satis calidum est. Sed ardentes boletos, & raptim condimento suo mersatos, demittunt pænè fumantes, quos deinde restinguant niuatis potionibus. Videbis, inquam, quosdam graciles, & palliolo focalique circumdatos, pallentes & ægros, non sorbere solùm niuem, sed etiam esse, & frusta eius in scyphos suos deiicere, ne inter ipsam bibendi moram tepescant. Sitim istam esse putas? Febris est: & quidem eò acrior, quòd non tactu venarum, nec in cutem effuso calore deprehenditur. Sed cor ipsum excoquit luxuria, inuictum malum, & ex molli fluidoque durum atque patiens. Non intelligis, omnia consuetudine vim suam perdere? Itaque nix ista, in quâ etiamnum natatis, eò peruenit vsu, & quotidianâ stomachi seruitute, vt aquæ locum obtineat. Aliquid adhuc quærite illi frigidius, quia pro nihilo est familiaris rigor. A B

M. ANTONII MVRETI

AD LIBRVM QVARTVM

NATVRALIVM SENECÆ C

QVÆSTIONVM, NOTÆ.

VT omnes disputationes suas, vsitatâ sibi consuetudine, sermone aliquo, qui ad formandos mores pertineat, condiat; de Nilo, grandine, niue, pluuiaq; dicturus, elegantissimo proœmio vtitur de vitandis adulatoribus: & quantopere eorum consuetudo tum periculosa, tum pernicioſa sit. In eo emendando, quid præstiterim & ipse mihi conscius sum, & sciet, si quis hos libros cum anteà editis conferre voluerit.

1. ANTE VILLEIVM.] *Parùm abest, quin legendum suspicer* Velleium, *vt intelligatur Velleius Paterculus, cuius fragmenta quædam historiarum exstant. Ille quidem certè perfrictæ frontis adulator fuit.*

AD CAP. I. 2. QVID ITA NILVS ÆSTIVIS MENSIBVS ABVNDET.] *De hac nobilissimâ quæstione multa disputat Herodotus libro secundo, sed multo copiosiùs multoq; eruditiùs Diodorus Siculus libro primo bibliothecæ. Vide & Solinum capite* XLV. *& Plinium capite nono libri quinti, & Heliodorum libro secundo Aethiopicôn.*

AD CAP. II. 3. PROINDE AVT STERILIS ANNVS.] *Plinius:* duodecim cubitis famem sentit: in tredecim etiamnum esurit: XIIII. cubita hilaritatem afferunt, XV. securitatem, XVI. delicias.

4. CVM POETA MEO.] *Id est, tecum. erat enim & hic Lucilius poëta. Alij inepte* cum poëtâ in eo.

5. OVIDIVM.] *Memoriæ lapsus. Tibulli enim versus est, non Ouidij.*

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluuio supplicat herba Ioui.

6. HANC DELPHINI.] *Et de hoc naturali æstu delphinorum aduersus Crocodylos, & Tentyritarum audaciâ, vide Plinium cap.* XXV. *libri octaui.* D

7. ET BORYSTHENES.] *Ineptè alij*, eas oras tenens.

8. EVDIMENES MASSILIENSIS.] *Legendum* Euthymenes, *è libro quarto eorum qui Plutarcho tribuuntur, de placitis philosophorum.*

AD CAP. III. 9. GRANDINEM.] *Aristoteles capite* XII. *libri* I. *Meteorologicôn.*

AD CAP. IV. 10. BENE EMENSVM DABO.] *Benè emensum vocat* ὑπόμετρον, *auctarium, corollarium. vt cùm multis modiis tritici pugillos aliquot pro cumulo adijciunt.*

11. OS PRÆCIDI, NON OCVLI ERVI SOLENT.] *Præcidere, aut fortassis præcludere os audientibus videntur, qui ita mentiuntur, vt contrà*

dici

A *dici non facilè posit: at oculos eruere, qui non verentur ea pro veris affirmare, quæ adspectu ipso mendacij coarguí possunt. Excæcare enim eos qui audiunt, quantum in ipsis est, videntur.*

AD CAP. VI. 12. NON TEMPORE MIHI.] *Horum speculatorum futuræ grandinis meminit & Plutarchus libri septimi Symposiacon capite secundo. Et ne tota res, quæ alioqui primo adspectu ridicula est, fabulosa existimetur, grauis & sanctus scriptor, Clemens Alexandrinus, putat magos fuisse, qui longâ eorum quæ in sublimi fierent obseruatione, grandinem imminentem prænoscerent, & illis impiis sacrificiis, aut sanguinis è digito effusione, populum in impietate ac superstitione retinerent. Vide eum libro* VI. *Stromat.*

AD CAP. VII. 13. QVAMVIS MVNERA ETIAM DEOS VINCANT.] *Respicit ad illud Homericum,*

Δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας.

AD CAP. VIII. 14. *De origine niuis, de quâ hîc agitur, videndus Aristoteles capite* XI. *lib.* I. *Meteorologicon.*

B

L. ANNÆI SENECÆ
AD LVCILIVM
NATVRALIVM QVÆSTIONVM
LIBER QVINTVS.

In quo de ventis & aëris motu agitur.

C VENTVS[1] est fluens aër. Quidam ita definierunt: Ventus est aër fluens in vnam partem. Hæc definitio videtur diligentior: quia numquam aër tam immobilis est, vt non in aliquâ sit agitatione. Sic tranquillum mare dicitur, cùm leuiter commouetur, nec in vnam partem inclinatur. Itaque si legeris, CAP. I.

Cùm placidum ventis staret mare:

scito illud non stare, sed succuti leuiter: & dici tranquillum, quia nec huc nec illò impetum capiat. Idem & de aëre iudicandum est, non esse vmquam immobilem, etiam si quietus sit. Quod ex hoc intelligas licet. Cùm sol in aliquem clausum locum infusus est, videmus corpuscula minuta in aduersum ferri, alia sursum, alia deorsum, variè concursantia. Ergo parùm diligenter comprehendet quod vult, qui dixerit, Fluctus est maris agitatio: quia tranquillum quoque agitatur. At ille abundè sibi cauerit, cuius hæc definitio fuerit: Fluctus est maris D in vnam partem agitatio. Sic in hac quoque re, de quâ cummaximè quærimus, non circumscribetur, qui ita se gesserit, vt dicat: Ventus est fluens aër in vnam partem: aut, Ventus aër est fluens impetu, aut vis aëris in vnam partem euntis, aut cursus aëris aliquo concitatior. Scio quid responderi pro definitione alterâ possit. Quid necesse est adiicere te, in vnam partem fluens aër? Vtique enim quod fluit, in vnam partem fluit. Nemo aquam fluere dicit, si tantùm intra se mouetur, sed si aliquò fertur. Potest ergo aliquid moueri, & non fluere: at è contrario non potest fluere, nisi in vnam partem. Sed si hæc breuitas satis à calumniâ tuta est, hac vtamur. Si verò aliquis circumspectior est, verbo non parcat, cuius adiectio cauillationem omnem poterit excludere. Nunc ad ipsam rem accedamus, quoniam satis de formulâ disputatum est. Democritus ait, cùm in angusto inani multa sunt corpuscula, quæ ille atomos vocat, sequi ventum. At contrà, quietum & placidum aëris statum esse, cùm in multo inani pauca sunt corpuscula. Nam quemadmodum in foro aut vico quamdiu paucitas est, sine tumultu ambulatur: II.

bulatur: vbi turba in anguſtum cucurrit, aliorum in alios incidentium rixa fit: ſic in A
hoc quo circumdati ſumus ſpatio, cùm exiguum locum multa corpora impleuerint, neceſſe eſt alia aliis incidant, & impellantur ac repellantur, implicenturque & comprimantur, ex quibus naſcitur ventus, cùm illa quæ colluctabantur incubuêre, & diu fluctuata ac dubia inclinauêre ſe. At vbi in magnâ laxitate corpora pauca verſantur, nec arietare
III. poſſunt, nec impelli. Hoc falſum eſſe, vel ex eo colligas licet, quòd tunc interim minimè ventus eſt, cùm aër nubilo grauis eſt. Atqui tunc plurima corpora ſe in anguſtum contulêre: & inde ſpiſſior nubium grauitas eſt. Adiice nunc, quòd circa flumina & lacus frequens nebula eſt, arctatis coniunctiſque corporibus, nec tamen ventus eſt. Interdum verò tanta caligo effunditur, vt conſpectum in vicino ſtantium eripiat: quod non eueniret, niſi in paruum locum corpora ſe multa compellerent. Atqui nullum tempus magis, quàm nebuloſum, caret vento. Adiice nunc, quod è contrario venit, vt ſol matutinum aëra ſpiſſum & humidum orto ſuo tenuet. Tunc ſurgit aura, cùm datum
IV. eſt laxamentum corporibus, & ſtipatio illorum ac turba reſoluta eſt. Quomodo, B
inquis, ergo venti fiunt, quos non negas fieri? Non vno modo. Aliàs enim terra ipſa magnam vim aëris eiicit, & ex abdito ſpirat: aliàs cùm magna & continua ex imo euaporatio in altum agit quæ merſerat, immutatio ipſa halitus mixti in ventum vertitur. Illud enim nec vt credam, mihi perſuaderi poteſt, nec vt taceam: [2] quomodo in noſtris corporibus ex cibo fit inflatio, quæ non ſine magnâ narium iniuriâ emittitur, & ventrem interdum cum ſono exonerat, interdum ſecretiùs: ſic putant & hanc magnam rerum naturam alimenta mutantem emittere ſpiritum. Benè nobiſcum agitur, quòd ſemper excoquit. Alioquin immundius aliquid timeremus. Numquid ergo hoc verius eſt, dicere, multa ex omni parte terrarum & aſſidua ferri corpuſcula: quæ, cùm coaceruata ſunt, deinde extenuari ſole cœperint, quia omne quod in anguſto dilatatur, ſpatium
V. maius deſiderat, ventus exſiſtit? Quid ergo? hanc ſolam eſſe cauſſam venti exiſtimas, aquarum terrarumque euaporationes? Ex his grauitatem aëris fieri, deinde ſolui impetu, cùm quæ denſa ſteterant, vt eſt neceſſe, extenuata nituntur in ampliorem C
locum? Ego verò & hanc iudico. Ceterùm illa eſt longè verior cauſſa, valentiorque, habere aëra naturalem vim mouendi ſe: nec aliundè concipere, ſed ineſſe illi vt aliarum rerum, ita huius potentiam. An hoc exiſtimas, nobis quidem datas vires eſſe, quibus nos moueremus, aëra autem inertem, inagitabilem relictum eſſe? cùm aqua motum ſuum habeat, etiam ventis quieſcentibus: nec enim aliter animalia edere poſſet. Muſcum quo-
VI. que innaſci aquis, & herboſa quædam videmus, ſummo innatantia. Eſt ergo aliquid in aquâ vitale. De aquâ dico? Ignis qui omnia conſumit, quædam etiam creat: & quod videri non poteſt ſimile veri, ſed tamen verum eſt, [3] animalia igne generantur. Habet ergo aliquam vim talem aër, & ideò modò ſpiſſat ſe, modò expandit & purgat: aliàs contrahit, aliàs diducit, ac differt. Hoc ergo intereſt inter aëra & ventum, quod inter lacum & flumen. Aliquando per ſe ipſe ſol cauſſa venti eſt, fundens rigentem aëra,
VII. & ex denſo coactoque explicans. In vniuerſum de ventis diximus: [4] nunc viritim incipiemus illos excutere. Fortaſſe apparebit quemadmodum fiant, ſi apparuerit, D
quando & vnde procedant. Primùm ergo antelucanos flatus inſpiciamus, qui aut ex fluminibus, aut ex conuallibus, aut ex aliquo ſinu feruntur. Nullus ex his pertinax eſt, ſed cadit fortiore iam ſole: nec fertur vltra terrarum adſpectum. Hoc ventorum genus incipit vere, nec vltra æſtatem durat. Et inde maximè venit, vbi aquarum plurimum & montium eſt. Plana licet abundent aquis, tamen carent aurâ: hac dico, quæ pro vento
VIII. valet. Quomodo ergo talis flatus concipitur, quem Græci ἐχιολαῖον vocant? Quidquid ex ſe paludes & flumina emittunt (id autem & multum eſt, & aſſiduum) per diem ſolis alimentum eſt: nocte non exhauritur, ſed montibus incluſum, in vnam regionem colligitur. Cùm illam impleuit, & iam ſe non capit, ſed exprimitur aliquo, & in vnam partem procedit: hic ventus eſt. Itaque eò incumbit, quò liberior exitus inuitat, & loci laxitas, in quam coaceruata incurrant. Huius rei argumentum eſt, quòd primâ noctis parte non ſpirat. Incipit enim fieri tunc illa collectio, quæ circa lucem iam plena

eſt, &

A eſt, & onerata, quærit quò defluat: & eò potiſſimùm exit, vbi plurimum vacui eſt, & magna ac patens area. Adiicit autem ei ſtimulos ortus ſolis, feriens gelidum aëra. Nam etiam antequam appareat, lumine ipſo valet: & nondum quidem aëra radiis impellit, iam tamen laceſſit & irritat, luce præmiſſa. Nam cùm ipſe proceſſit, alia ſuperiùs rapiuntur, alia diffunduntur tepore. Ideò non vltra matutinum illis datur flare. omnis illorũ vis conſpectu ſolis exſtinguitur: etiamſi violentiores flauêre, circa medium tamen diem relangueſcunt: nec vmquam vſque in meridiem aura producitur. Alia autem imbecillior ac breuior eſt, prout valentioribus minoribúſve collecta cauſſis eſt. Quare IX.
tamen tales venti vere & æſtate validiores ſunt? Leuiſſimi enim ceterâ parte anni, nec qui vela impleant, ſurgunt. Quia ver aquoſius eſt, & ex plurimis aquis, locíſve ob humidam cæli naturam ſaturis & redundantibus, maior euaporatio eſt. At quare æſtate æquè profunditur? Quia poſt occaſum ſolis remanet diurnus calor, & magnâ noctis parte perdurat: qui euocat exeuntia, ac vehementiùs trahit, quidquid ex his ſponte reddi ſo-
B let: deinde non tantum habet virium, vt quod euocauit, abſumat. Ob hoc diutiùs corpuſcula emanare ſolita, & efflare, terra ex ſe atque humor emittit. Facit autem ventum ſol ortus, non calore tantùm, ſed etiam ictu. Lux enim (vt dixi) quæ ſolem antecedit, nondum aëra calefacit, ſed percutit tantùm: percuſſus autem in latus cedit. Quamquam ego ne illud quidem conceſſerim, lucem ipſam ſine calore eſſe, cùm ex calore fiat. Non habet forſitan tantum teporis, quantum actu appareat. Opus tamen ſuum facit, & denſa diducit ac tenuat. Præterea loca, quæ aliquâ iniquitate naturæ ita clauſa ſunt, vt ſolem accipere non poſſint, illa quoque nubilâ & triſti luce calefiunt, & per diem minùs quàm noctibus rigent. Etiamnum naturâ calor omnis abigit nebulas, & à ſe repellit. Ergo ſol quoque idem facit. Et ideò quibuſdam videtur, inde flatus eſſe, vnde ſol. Hoc falſum eſſe ex eo apparet, quòd aura in omnem partem vehit, & contra ortum plenis velis nauigatur. Quod non eueniret, ſi ſemper ventus ferretur à ſole. Eteſiæ quoque, X.
qui in argumentum à quibuſdam aduocantur, non nimis propoſitum adiuuant. Dicam
C primùm quid illis placeat: deinde, cur diſpliceat mihi. Eteſiæ, inquiunt, hieme non ſunt: quia breuiſſimis diebus ſol deſinit, priuſquam frigus euincatur. Itaque niues & ponuntur, & durantur. Æſtate incipiunt flare, cùm & longiùs extenditur dies, & recti in nos radij diriguntur. Veri ergo ſimile eſt, concuſſas calore magno niues plus humidi efflare. Item terras exoneratas niue, retectaſque ſpirare liberiùs. Itaque plura ex Septemtrionali parte cæli corpora exire, & in hæc loca quæ remiſſiora ac tepidiora ſunt, deferri. Sic impetum Eteſias ſumere: & ob hoc à ſolſtitio illis initium eſt, vltraque ortum caniculæ non valent: quia iam multum è frigidâ cæli parte in hanc egeſtum eſt. At ſol mutato curſu in noſtram rectior tenditur: & alteram partem aëris attrahit, aliam verò impellit. Sic ille Eteſiarum flatus æſtatem frangit: & à menſium feruentiſſimorum grauitate defendit. Nunc, quod promiſi, dicendum eſt, quare Eteſiæ illos non adiu- XI.
uent, nec quidquam huic conferant cauſſæ. Dicimus autem luce auram incitari, tamdem ſubſidere, cùm illam ſol attigit. Atqui Eteſiæ ob hoc ſomniculoſi à nautis, & deli-
D cati vocantur, quòd (vt ait Gallio) manè neſciunt ſurgere: eo tempore incipiunt prodire, quo ne pertinax quidem aura eſt. quod non accideret, ſi vt auras, ita illos ſol commoueret. Adiice nunc, quòd ſi cauſſa illis flatus eſt, ſpatium diei ac longitudo, etiam ante ſolſtitium flarent, cùm longiſſimi dies ſunt, & cummaximè niues tabeſcunt. Iulio enim menſe iam diſpoliata ſunt omnia, aut certè admodum pauca iacent adhuc ſub niue.

Sunt quædam genera ventorum, quæ ruptæ nubes & in pronum ſolutæ præmittunt. XII.
Hos Græci ventos ἐκνεφίας vocant. Qui hoc (vt puto) modo fiunt. Cùm magna inæqualitas ac diſſimilitudo corporum, quæ vapor terrenus emittit, in ſublime eat, & alia ex his corporibus ſicca ſint, alia humida: ex tantâ diſcordiâ corporum inter ſe pugnantium, cùm in vnum conglobata ſunt, veriſimile eſt quaſdam cauas effici nubes, & interualla inter illas relinqui fiſtuloſa, & in modum tibiæ anguſta. His interuallis tenuis includitur ſpiritus: qui maius deſiderat ſpatium, cùm euerberatus curſu parùm libero incaluit: & ob hoc amplior fit, ſcinditque cingentia, & erumpit in ventum: qui ferè pro-

 celloſus

celloſus eſt, quia ſupernè demittitur, & in nos cadit vehemens & acer : quia non fuſus, A
nec per apertum venit, ſed laborat, & iter ſibi vi ac pugnâ parat. Hic ferè breuis flatus
eſt. Quia receptacula nubium per quę ferebatur, ac munimenta perrumpit, ideò tumul-
tuoſus venit aliquando, non ſine igne ac ſono cæli. Hi venti multò maiores diuturnio-
reſque ſunt, ſi alios quoque flatus ex eâdem cauſſâ ruentes in ſe abſtulêre, & in vnum
confluxêre plures : ſicut torrentes modicæ magnitudinis eunt, quamdiu ſeparatis ſuus
curſus eſt : cùm verò plures in ſe aquas conuertêre, fluminum iuſtorum ac perennium
magnitudinem excedunt. Idem credibile eſt fieri & in procellis, vt ſint breues quamdiu
ſingulæ ſunt : vbi verò ſociauêre vires, & ex pluribus cæli partibus eliſus ſpiritus eódem
XIII. ſe contulit, & impetus illis accedit, & mora. Facit ergo ventum reſoluta nubes:
quæ plurimis modis ſoluitur. Nonnumquam conglobationem illam ſpiritus rumpit
incluſi & in exitum nitentis luctatio : nonnumquam calor, quem modò ſol fecit, modò
ipſa arietatio, vt magnorum inter ſe corporum attritus. Hoc loco, ſi tibi videtur, quæri
poteſt, cur turbo fiat : qui euenire in fluminibus ſolet, vt quàm diu ſine impedimento B
feruntur, ſimplex & rectum illis iter ſit : vbi incurrere in aliquod ſaxum ad latus ripæ
prominens, retorqueantur, & in orbem aquas ſine exitu flectant, ita vt circumlatæ in ſe
ſorbeantur, & vorticem efficiant. Sic ventus, quamdiu nihil obſtitit, vires ſuas effundit.
Vbi aliquo promontorio repercuſſus eſt, aut vi locorum coëuntium in canalem conue-
xum tenuemque collectus, ſæpiùs in ſe volutatur, ſimilemque illis, quas diximus con-
uerti, aquis facit vorticem. Hic ventus circumactus, & eumdem ambiens locum, & ſe
in ipſâ vertigine concitans, turbo eſt. Qui ſi pugnacior eſt, ac diutiùs volutatur, inflam-
matur, & efficit quem πρηςῆρα Græci vocant. Hic eſt igneus turbo. Hi ferè omnia peri-
cula venti erupti de nubibus produnt, quibus armamenta rapiuntur, & totæ naues in
ſublime tollantur. Etiamnum quidam venti diuerſos ex ſe generant, & impulſum aëra
in alias quoque partes, quàm in quas ipſi inclinauêre, diſpergunt. Illud quoque dicam,
quod mihi occurrit, quemadmodum ſtillicidia, quamuis iam inclinent ſe & labantur,
nondum tamen effecêre lapſum, ſed vbi plura coiêre, & turba vires dedit, tunc fluere & C
ire dicuntur : ſic quamdiu leues ſunt aëris motus, agitati pluribus locis, nondum ventus
eſt : tunc eſſe incipit, cùm omnes illos miſcuit, & in vnum impetum contulit. Spiritum
à vento modus ſeparat : vehementior enim ſpiritus ventus eſt : inuicem ſpiritus leuiter
XIV. fluens aër. Repetam nunc quod primò dixeram, edi è ſpecu ventos, receſ-
ſuque interiore terrarum. Non tota ſolida contextu terra in vnum vſque fundatur, ſed
multis partibus caua,

—— & cæcis ſuſpenſa latebris.

alicubi habet inania ſine humore. Ibi etiam ſi nulla lux diſcrimen aëris monſtrat, dicam
tamen nubes nebulaſque in obſcuro conſiſtere. Nam ne hæ quidem ſupra terras, quia
videntur, ſunt : ſed quia ſunt, videntur. Illîc quoque nihilominus ob id ſunt, quòd non
videntur. Flumina illîc ſcias licet, noſtris paria, ſublabi : alia leuiter ducta, alia in confra-
goſis locis præcipitando ſonantia. Quid ergo ? non illud æquè dabis, eſſe aliquos & ſub
terrâ lacus, & quaſdam aquas ſine exitu ſtagnare ? Quæ ſi ita ſunt, neceſſe eſt & illud, aë- D
ra onerari, oneratumque incumbere, & ventum propulſu ſuo concitare. Ex illis ergo ſub-
terraneis nubibus ſciemus nutriri inter obſcura flatus, cùm tantũ virium fecerint, quanto
aut terræ obſtantia auferant, aut aliquod apertum ad hos afflatus iter occupent, & per
hanc cauernam in noſtras ſedes efferantur. Illud verò manifeſtum eſt, magnam eſſe ſub
terris vim ſulphuris, & aliorum non minùs ignem alentium. Per hæc loca cùm ſe, exi-
tum quærens, ſpiritus torſit, accendat flammam ipſo obſtrictu neceſſe eſt. Deinde flam-
mis latiùs fuſis, etiam ſi quid ignaui aëris erat, extenuatum moueri, & viam cum fremitu
vaſto atque impetu quærere. Sed hoc diligentiùs perſequar, cùm quæram de motibus
XV. terræ. Nunc mihi permitte narrare fabulam. Aſclepiodotus auctor eſt, de-
miſſos quamplurimos à Philippo in metallum antiquum olim deſtitutum, vt explora-
rent quæ vbertas eius eſſet, quis ſtatus, an aliquid futuris reliquiſſet vetus auaritia : de-
ſcendiſſe illos cum multo lumine, & multos duraſſe dies : deinde longâ viâ fatigatos, vi-

diſſe

A diſſe flumina ingentia, & conceptus aquarum inertium vaſtos, pares noſtris, nec compreſſos quidem terrâ ſupereminente, ſed liberæ laxitatis, non ſine horrore viſos. Cum magnâ hæc legi voluptate. intellexi enim ſæculum noſtrum, non nouis vitiis, ſed iam antiquitus traditis laborare: nec noſtrâ ætate primùm auaritiam, venas terrarum lapidumque rimatam, in tenebris malè obſtruſa quæſiſſe. Illi quoque maiores noſtri, quos celebramus laudibus, quibus diſſimiles querimur nos eſſe, ſpe ducti, montes ceciderunt, & ſupra lucrum ſub ruinâ ſteterunt. Ante Philippum Macedonem reges fuêre, qui pecuniam in altiſſimis vſque latebris ſequerentur, & relicto ſpiritu libero, in illos ſe demitterent ſpecus, in quos nullum noctium dierumque peruenirent diſcrimen, & à tergo lucem relinquerent. Quæ tanta ſpes fuit? Quæ tanta neceſſitas hominem ad ſidera erectum incuruauit, & defodit, & in fundum telluris intimæ merſit, vt erueret aurum, non minore periculo quærendum, quàm poſſidendum? Propter hoc cuniculos egit, & circa prædam lutulentam incertamque raptauit, oblitus dierum, oblitus naturæ melioris, à
B quâ ſe auertit. Nulli ergo mortuo terra tam grauis eſt, quàm iſtis ſupra quos auaritia vrgens terrarum pondus iniecit, quibus abſtulit cælum, quos in imo, vbi illud malum vitus latitat, infodit. Illò deſcendere auſi ſunt, vbi nouam rerum poſitionem, terrarumque pendentium habitus, ventoſque per cæcum inane experirẽtur, & aquarum in illis fluentium horridos fontes, & altam perpetuamque noctem. Deinde cùm iſta fecerint, inferos metuunt. Sed vt ad id de quo agitur, reuertar, venti quattuor ſunt, in or- XVI.
tum, occaſum, meridiem, ſeptemtrionemque diuiſi. Ceteri, quos variis nominibus appellamus, his applicantur.

Eurus ad auroram Nabatheaque regna receſſit,
Perſidaque, & radiis iuga ſubdita matutinis.
Veſper & occiduo quæ littora ſole tepeſcunt,
Proxima ſunt Zephyro. Scythiam ſeptemque triones
Horrifer inuaſit Boreas. contraria tellus
C *Nubibus aſſiduis, pluuioque madeſcit ab Auſtro.*

Vel, ſi breuiùs illos complecti mauis, in vnam tempeſtatem (quod fieri nullo modo poteſt) congregentur:

Vnà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, ——

& qui locum in illâ rixâ non habuit, Aquilo. Quidam illos duodecim faciunt. Quattuor enim cæli partes in ternas diuidunt, & ſingulis ventis binos ſuffectos dant. Hac arte Varro, vir diligens, illos ordinat: nec ſine cauſſâ. Non enim eodem ſemper loco ſol oritur, aut occidit. Sed alius eſt ortus occaſuſque æquinoctialis (bis autem æquinoctium eſt:) alius ſolſtitialis, alius hibernus. Qui ſurgit ab oriente æquinoctiali, Subſolanus apud nos dicitur: Græci illum ἀφηλιώτην vocant. Ab oriente hiberno Eurus exit: quem noſtri vocauêre Vulturnum. Et Liuius hoc illum nomine appellat, in illâ pugnâ Romanis parùm proſperâ, in quâ Hannibal & contra ſolem orientem exercitum noſtrum, & con-
D tra ventum conſtituit: cùm venti adiutorio ac fulgoris præſtringentis oculos hoſtium vicit. Varro quoque hoc nomen vſurpat. Sed & Eurus iam ciuitate donatus eſt, & noſtro ſermoni non tamquam alienus interuenit. Ab oriente ſolſtitiali excitatum, Græci καικίαν appellant: apud nos ſine nomine eſt. Æquinoctialis occidens Fauonium mittit: quem Zephyrum eſſe dicent tibi, etiam qui Græcè neſciunt loqui. A ſolſtitiali occidente Corus venit, qui apud quoſdam Argeſtes dicitur. Mihi non videtur: quia Cori violenta vis eſt, & in vnam partem rapax; Argeſtes ferè mollis eſt, & tam euntibus communis, quàm redeuntibus. Ab occidente hiberno Africus furibundus & ruens, apud Græcos λίψ dicitur. A ſeptemtrionali latere ſummus eſt Aquilo, medius Septemtrio, imus Thracias. Huic deeſt apud nos vocabulum. A meridiano axe Euronotus eſt. deinde Notus, Latinè Auſter. deinde Libonotus, qui apud nos ſine nomine eſt.

Placet autem duodecim ventos eſſe: non quia vbique tot ſint (quoſdam enim incli- XVII.
natio terrarum excludit) ſed quoniam plures nuſquam ſunt. Sic caſus ſex dicimus: non

quia omne nomen ſex recipit, ſed quia nullum plures quàm ſex. Qui duodecim ventos A
eſſe dixerunt, hoc ſecuti ſunt, totidem ventorum eſſe, quot cæli diſcrimina. Cælum enim diuiditur in circulos quinque, qui per mundi cardines eunt. Eſt ſeptemtrionalis, eſt ſolſtitialis, eſt æquinoctialis, eſt brumalis, eſt contrarius ſeptemtrionali. His ſextus accedit, qui ſuperiorem partem mundi ab inferiore ſecernit, vt ſcis. Dimidia enim pars mundi ſemper ſuprà, dimidia infrà eſt. Hanc lineam, quæ inter aperta & occulta eſt, Græci ὁρίζοντα vocant: noſtri finitorem dixêre, alij finientem. Adiiciendus eſt ad hunc meridianus circulus, quo horizonta rectis angulis ſecat. Ex his quidam circuli in tranſuerſa currunt, & alios interuentu ſuo ſcindunt. Neceſſe autem eſt, tot aëris diſcrimina eſſe, quot partes. Ergo horizon ſiue finiens circulus, quinque illos orbes, quos modò dixi fieri, ſecat, & efficit decem partes, quinque ab ortu, quinque ab occaſu. Meridianus circulus, qui in horizonta incurrit, regiones duas adiicit. Si duodecim aër diſcrimina accipit, & totidem facit ventos. Quidam ſunt quorumdam locorum proprij, qui non tranſmittunt, ſed in proximum ferunt. Non eſt illis à latere vniuerſi mundi impetus. Atabulus B
Apuliam infeſtat, Calabriam Iapyx, Athenas Sciron, Pamphyliam Catægis, ſ Galliam Circius: cui ædificia quaſſanti, tamen incolæ gratias agunt, tamquam ſalubritatem cæli ſui debeant ei. Diuus certè Auguſtus templum illi, cùm in Galliâ moraretur, & vouit & fecit. Infinitum eſt, ſi ſingulos velim perſequi. Nulla enim propemodum regio eſt,
XVIII. quæ non habeat aliquem flatum ex ſe naſcentem, & circa ſe cadentem. Inter cetera itaque prouidentiæ opera, hoc quoque aliquis, vt dignum admiratione ſuſpexerit. Non enim ex vnâ cauſſâ ventos, aut inuenit, aut per diuerſa diſpoſuit: ſed primùm vt aëra non ſinerent pigreſcere, ſed aſſiduâ vexatione vtilem redderent, vitalemque tracturis. Deinde vt imbres terris ſubminiſtrarent, iidemque nimios compeſcerent. Nam modò adducunt nubes, modò diducunt, vt per totum orbem pluuiæ diuidi poſſent. In Italiam Auſter impellit, Aquilo in Africam reiicit: Eteſiæ non patiuntur apud nos nubes conſiſtere. Iidem totam Indiam & Æthiopiam continuis per id tempus aquis irrigant. Quid, quòd fruges percipi non poſſunt, niſi flatu ſuperuacua admixta ſeruandis ventila- C
rentur, niſi eſſet quod ſegetem excitaret, & latentem frugem, ruptis velamentis ſuis, quæ folliculos agricolæ vocant, adaperiret? Quid, quòd omnibus inter ſe populis commercium dedit, & gentes diſſipatas locis miſcuit? Ingens naturæ beneficium, ſi illud in iniuriam ſuam non vertat hominum furor. Nunc quod de Cæſare olim maiore vulgò dictitatum eſt, & à Tito Liuio poſitum, in incerto eſſe, vtrùm illum magis naſci Reip. profuerit, an non naſci; dici etiam de ventis poteſt: adeò quidquid ex illis vtile & neceſſarium eſt, non poteſt his repenſari, quæ in perniciem ſuam generis humani dementia excogitat. Sed non ideò non ſunt iſta naturâ ſuâ bona, ſi vitio malè vtentium nocent. Nimirum in hoc prouidentia, ac diſpoſitor ille mundi Deus, aëra ventis exercendum dedit, & illos ab omni parte, ne quid eſſet ſitu ſqualidum, effudit: non vt nos claſſes partem freti occupaturas compleremus milite armato, & hoſtem in mari aut poſt mare inquireremus. Quæ nos dementia exagitat, & in mutuum compellit exitium? Vela ventis damus bellum paraturi, & periclitamur periculi cauſsâ. Incertam fortunam experimur: D
vim tempeſtatum nullâ ope humanâ ſuperabilem, mortem ſine ſpe ſepulturæ. Non erat tanti, ſi ad pacem per iſta veheremur. Nunc autem cùm euaſerimus tot ſcopulos latentes, & inſidias vadoſi maris: cùm effugerimus procelloſos deſuper montes, in quos præceps nauigantes ventus impingit: cùm inuolutos nubilo dies, & nimbis ac tonitruis horrendas noctes, cùm turbinibus diuulſa nauigia: quis erit huius laboris ac metus fructus? quis nos feſſos tot malis portus excipiet? Bellum ſcilicet, & obuius in littore hoſtis, & trucidandæ gentes tracturæ magnâ ex parte victorem, & antiquarum vrbium flamma. Quid in arma cogimus populos? Quid exercitus ſcribimus, directuros aciem in mediis fluctibus? Quid maria inquietamus? parùm videlicet ad mortes noſtras terra latè patet. Nimis delicatè fortuna nos tractat. Nimis dura dedit nobis corpora, felicem valetudinem. Non depopulatur nos caſus incurrens. Emetiri cuique annos ſuos ex commodo licet, & ad ſenectutem decurrere. Itaque eamus in pelagus, & vocemus in nos fata ceſ-

ſantia.

A ſantia. Miſeri, quid quæritis? mortem, quæ vbique ſupereſt? Petet illa vos & ex lectulo, ſed vbique innocentes petat: occupabit vos in veſtrâ domo, ſed occupet nullum molientes malum. Hoc verò quid aliud quis dixerit, quàm inſaniam, circumferre pericula, & ruere in ignotos, iratum ſine iniuriâ, occurrentia deuaſtantem ac ferarum more occidere, quem non oderis? Illis tamen in vltionem, aut ex fame morſus eſt: nos ſine vllâ parſimoniâ noſtri alieniſque ſanguinis, mouemus maria, & nauigia deducimus, ſalutem committimus fluctibus, ſecundos optamus ventos, quorum felicitas eſt ad bella perferri. Quouſque nos malos mala noſtra rapuêre? Parùm eſt, intra orbem ſuum furere. Sic Perſarum rex ſtolidiſſimus in Græciam traiicit, quam exercitus non vincet, cùm impleuerit. Sic Alexander vlterior Bactris & Indis volet quærere, quid ſit vltra magnum mare, & indignabitur aliquid eſſe vltimum ſibi. Sic Parthis auaritia Craſſum dabit. Non horrebit reuocantis diras tribuni, non tempeſtates longiſſimi maris, non circa Euphratem præſaga fulmina, & deos reſiſtentes. Per hominum deorumque iras ad aurum ibi-
B tur. Ergo non immeritò quis dixerit, rerum naturam meliùs acturam fuiſſe nobiſcum, ſi ventos flare vetuiſſet, & inhibito diſcurſu furentium, in ſuâ quemque terrâ ſtare iuſſiſſet. Si nihil aliud, certè ſuo quiſque tantùm ac ſuorum malo naſceretur. Nunc parùm vi domeſticâ, externis quoque laborandum eſt. Nulla terra tam longè remota eſt, quæ non mittere aliquò ſuum malum poſſit. Vnde ſcio an nunc aliquis magnæ gentis in abdito dominus, fortunæ indulgentiâ tumens, non contineat intra terminos arma, an paret claſſes ignota moliens? Vnde ſcio, hic mihi, an ille ventus bellum inuehet? Magna pars erat pacis humanæ, maria præcludi. Non tamen (vt paullò antè dicebam) queri poſſumus de auctore noſtri Deo, ſi beneficia eius corrumpimus, & vt eſſent contraria, efficimus. Dedit ille ventos ad cuſtodiendam cæli terrarumque temperiem, ad euocandas ſupprimendaſque aquas, ad alendos ſatorum atque arborum fructus: quos ad maturitatem, cum aliis cauſſis adducit ipſa iactatio, attrahens cibum in ſumma, & ne torpeat, promouens. Dedit ventos ad vlteriora noſcenda. fuiſſet enim imperitum animal,
C & ſine magnâ experientiâ rerum homo, ſi circumſcriberetur natalis ſoli fine. Dedit ventos, vt commoda cuiuſque regionis fierent communia: non vt legiones equitemque geſtarent, nec vt pernicioſa gentibus arma tranſueherent. Si beneficia naturæ vtentium prauitate perpendimus, nihil non noſtro malo accepimus. Cui videre expedit? Cui loqui? Cui non vita tormentum eſt? Nihil inuenies tam manifeſtæ vtilitatis, quod non in contrarium transferat culpa. Si ventos quoque natura bonos futuros inuenerat: ipſi illos contrarios fecimus. Omnes in aliquod nos malum ducunt. non eadem eſt his & illis cauſſa ſoluendi: ſed iuſta nulli. Diuerſis enim irritamentis ad tentandum iter impellimur. Itaque alicui vitio nauigatur. Egregiè Plato dicit, qui nobis circa exitum iam teſtium loco dandus eſt, minima eſſe quæ homines emant vitâ. Imò, Lucili cariſſime, ſi benè furorem illorum æſtimaueris, id eſt noſtrum (in eâdem enim turbâ volutamur) magis ridebis, cùm cogitaueris vitâ parari ea, in quibus vita conſumitur.

M. ANTONII MVRETI

AD LIBRVM QVINTVM NATVRALIVM SENECÆ QVÆSTIONVM, NOTÆ.

1. VENTVS EST FLVENS AER.] *Hanc definitionem non à Stoicis primùm proditam, sed vetustam esse ostendit Aristoteles: & certè Hippocratis in libro de flatibus eam sententiam esse constat: quam tamen multis modis Aristoteles secundo Meteorologicon erroris mendaciiq; conuincit.*

AD CAP. IIII. 2. QVOMODO IN NOSTRIS CORPORIBVS.] *Ridicula opinio. Itaque Aristophanes Socratem vt populi ludibrio exponeret, eodem propè modo de tonitrui & fulminis origine differentem facit.*

AD CAP. VI. 3. ANIMALIA IGNE GENERANTVR.] *Contrà Ouidius,*

Nec tu aliud Vestam, quàm puram intellige flammam.
Nataque de flammâ corpora nulla vides.

Sed hac de re vide Aristotelem libro V. *de historiâ animalium, & Plinium capite* XXXVI. *lib.* XI.

AD CAP. VII. 4. NVNC VIRITIM INCIPIEMVS ILLOS EXCVTERE.] *De his omnibus, quæ hoc loco de ventorum varietate narrantur, vide Plinium libro* II. *à cap.* XLV. *vsque ad cap.* L. *& scriptorem noctium Atticarum cap.* XXII. *libri secundi.*

AD CAP. XVII. 5. GALLIAM CIRCIVS.] *Galliam Narbonensem: vbi hodieq; & vehementiam & nomen retinet. Cercium M. Cato vocat, si emendata sunt exemplaria.*

L. ANNÆI SENECÆ

AD LVCILIVM NATVRALIVM QVÆSTIONVM LIBER SEXTVS.

In quo de terræ motu agitur.

CAP. I. POMPEIOS, [1] celebrem Campaniæ vrbem, in quam ab alterâ parte Surrentinum Sabianumque littus, ab alterâ Herculanense conueniunt, mareque ex aperto conductum amœno sinu cingit, desedisse terræ motu, vexatis quæcumque adiacebant regionibus, Lucili virorum optime, audiuimus: [2] & quidem diebus hibernis: quos vacare à tali periculo maiores nostri solebant promittere. Nonis Febr. fuit motus hic Regulo & Virginio consulibus, qui Campaniam numquam securam huius mali, indemnem tamen, & totiens defunctam metu, magnâ strage vastauit. Nam & Herculanensis oppidi pars ruit, dubieque stant etiam quæ relicta sunt. Et Nucerinorum colonia, vt sine clade, ita non sine querelâ est. Neapolis quoque priuatim multa, publicè nihil amisit, leuiter ingenti malo perstricta. Villæ verò præruptæ passim sine iniuriâ tremuere. Adiiciunt his [3] sexcentarum ouium gregem exanimatum, & diuisas statuas: motæ post hoc mentis aliquos atque impotes sui errasse. Quorum vt causas excutiamus, & pro-

A & propositi operis contextus exigit, & ipse in hoc tempus congruens casus. Quærenda sunt trepidis solatia, & demendus ingens timor. Quid enim cuiquam satis tutum videri potest, si mundus ipse concutitur, & partes eius solidissimæ labant? Si, quod vnum immobile est in illo, fixumque, vt cuncta in se intenta sustineat, fluctuat: si quod proprium habet terra, perdidit, stare: vbi tandem resident metus nostri? Quod corpora receptaculum inuenient? quò solicita confugient, si ab imo metus nascitur, & funditus trahitur? Consternatio omnium est, vbi tecta crepuêre, & ruina signum dedit: tunc præceps quisque se proripit, & penates suos deserit, ac se publico credit. Quam latebram prospicimus, quod auxilium, si orbis ipse ruinas agitet? si hoc, quod nos tuetur ac sustinet, supra quod vrbes sitæ sunt, quod fundamentum quidam orbis esse dixerunt, discedit ac titubat? Quid tibi esse non dico auxilij, sed solatij potest, vbi timor fugam perdidit? Quid est, inquam, satis munitum? Quid ad tutelam alterius ac suî firmum? Hostem muro repellam: præruptæ altitudinis castella, vel magnos exercitus difficultate aditus
B morabuntur. A tempestate nos vindicant portus. Nimborum vim effusam, & sine fine cadentes aquas tecta propellunt: fugientes non sequitur incendium: aduersus tonitrua & minas cæli, subterraneæ domus, & defossi in altum specus remedia sunt. Ignis ille cælestis non transuerberat terram, sed exiguo eius obiectu retunditur. In pestilentiâ mutare sedes licet. Nullum malum sine effugio est. Numquam fulmina populos perusserunt. Pestilens cælum exhausit vrbes, non abstulit. Hoc malum latissimè patet, ineuitabile, auidum, publicè noxium. Non enim domos solùm, aut familias, aut vrbes singulas haurit, sed gentes totas, regionesque subuertit: & modò ruinis operit, modò in altam voraginem condit: ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non est, saltem fuisse; sed supra nobilissimas vrbes, sine vllo vestigio prioris habitus, solum extenditur. Nec desunt qui hoc genus mortis magis timeant, quo in abruptum cum sedibus suis eunt, & è viuorum numero viui auferuntur, tamquam non omne fatum ad eumdem terminum veniat. Hoc habet inter cetera iustitiæ suæ natura præcipuum, quòd
C cùm ad exitum ventum est, omnes in æquo sumus. Nihil itaque interest, vtrùm me lapis vnus elidat, an monte toto premar: vtrùm supra me domus vnius onus veniat, & sub exiguo eius tumulo ac puluere exspirem, an totus caput meum terrarum orbis abscondat: in luce hunc & in aperto spiritum reddam, an in vasto terrarum dehiscentium sinu: solus in illud profundum, an cum magno comitatu populorum concidentium ferar. Nihil interest meâ quantus circa mortem meam tumultus sit: ipsa vbique tantumdem est. Proinde magnum sumamus animum aduersus istam cladem, quæ nec euitari, nec prouideri potest. Desinamus audire istos, qui Campaniæ renunciauere, quique post hunc casum emigrauerunt, negantq; se vmquam ipsam regionem accessuros. quis enim illis promittet melioribus fundamentis hoc aut illud solum stare? Omnia eiusdem sortis sunt, & si nondum mota, tamen mobilia: hunc fortasse in quo securiùs consistis locum, hæc nox, aut hic ante noctem dies scindet. Vnde scies an melior eorum locorum conditio sit, in quibus iam vires suas fortuna consumpsit, & quæ in futurum ruinâ suâ
D fulta sunt? Erramus enim, si vllam terrarum partem exceptam immunemque ab hoc periculo credimus. Omnes sub eâdem iacent lege. Nihil ita, vt immobile esset, natura concepit. Alia temporibus aliis cadunt. Et quemadmodum in vrbibus magnis, nunc hæc domus, nunc illa suspenditur: ita in hoc orbe terrarum nunc hæc pars facit vitium, nunc illa. Tyros aliquando infamis ruinis fuit. Asia duodecim vrbes simul perdidit. Anno priore Achaiam & Macedoniam, quæcumque est ista vis mali quæ incurrit; nunc Campaniam læsit. Circuit fatum, & si quid diu præteriit, repetit. Quædam rariùs solicitat, sæpiùs quædam. Nihil immune esse & innoxium sinit. Non homines tantùm, qui breuis & caduca res nascimur, vrbes oræque terrarum & littora, & ipsum mare in seruitutem fati venit. Nos tamen nobis permansura promittimus bona fortunæ, & felicitatem, cuius ex omnibus rebus humanis velocissima est leuitas, habituram in aliquo pondus ac moram credimus. Et perpetua sibi omnia promittentibus in mentem non venit, idipsum, supra quod stamus, stabile non esse. Neque enim Campaniæ istud aut

Achaiæ, ſed omnis ſoli vitium eſt, malè cohærere, & ex cauſſis pluribus reſolui, & ſum- A
II. mam manere, partibus ruere. Quid ago? Solatium aduerſus pericula dare promiſeram: ecce vndique timenda denuncio. Nego quidquam eſſe quietis æternæ: quod & perire non poſſit, & perdere. Ego verò hoc ipſum ſolatij loco pono, & quidem valentiſſimi: quandoquidem ſine remedio timor ſtultus eſt. ratio terrorem prudentibus excutit: imperitis fit magna ex deſperatione ſecuritas. Hoc itaque generi humano dictum puta, quod illis ſubitâ captiuitate inter ignes & hoſtem ſtupentibus dictum eſt,

Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

Si vultis nihil timere, cogitate omnia eſſe timenda: circumſpicite quàm leuibus cauſſis diſcutiamur. Non cibus nobis, non humor, non vigilia, non ſomnus, ſine menſurâ quadam ſalubria ſunt. Iam intelligitis nugatoria eſſe noſtra, & imbecilla corpuſcula, fluida, non magnâ molitione perdenda. Sine dubio id vnum periculi ſatis eſſet, quòd tremunt terræ, quòd ſubitò diſſipantur, ac ſuperpoſita diducunt. Magni ſe æſtimat, qui fulmina & motus terrarum hiatuſque formidat: vult ille imbecillitati ſuæ conſcius timere pitui- B
tam. ita videlicet nati ſumus, tam felicia ſortiti membra, & in hanc magnitudinem creuimus, & ob hoc niſi mundi partibus motis, niſi cælum intonuerit, niſi terra ſubſederit, perire non poſſumus. Vnguiculi nos, & ne totius quidem dolor, ſed aliqua à latere eius ſciſſura conficit: & ego timeam terras trementes, quem craſſior ſaliua ſuffocat? Ego extimeſcam emotum ſedibus ſuis mare, & ne æſtus, maiore quàm ſolet curſu, plus aquarum trahens ſuperueniat: cùm quoſdam ſtrangulauerit potio, malè lapſa per fauces? Quàm ſtultum eſt, mare horrere: cùm ſcias, ſtillicidiò perire te poſſe? Nullum eſt maius ſolatium mortis, quàm ipſa mortalitas. nullum autem omnium iſtorum quæ extrinſecus terrent, quàm quòd innumerabilia pericula in ipſo ſinu ſunt. Quid enim dementius, quàm ad tonitrua ſuccidere, & ſub terram correpere fulminum metu? Quid ſtultius, quàm timere nutationem aut ſubitos montium lapſus, irruptiones maris extra littus eiecti: cùm mors vbique præſtò ſit, & vndique occurrat: nihilque ſit tam exiguum, quod non in perniciem generis humani ſatis valeat? Adeò non debent nos iſta confundere, C
tamquam plus in ſe mali habeant, quàm vulgaris mors: vt contrà, cùm ſit neceſſarium è vitâ exire, & aliquando emittere animam, maiore perire ratione iuuet. Neceſſe eſt mori vbicumque, quandoque. Stet licet iſta humus, & ſe teneat ſuis finibus, nec vllâ iactetur iniuriâ: ſupra me quandoque erit. Intereſt ergo, illam ego mihi, an ipſa ſe mihi imponat? Diducitur ingenti potentiâ neſcio cuius mali: rumpitur, & me in immenſam altitudinem abducit. Quid porrò? Mors leuior in plano eſt? Quid habeo quod querar, ſi rerum natura non vult me iacere in ignobili loco? ſi mihi iniicit ſui partem? Egregiè Vagellius meus in illo inclyto carmine:

Si cadendum eſt, inquit, *mihi, cælo cecidiſſe velim.*

Idem licet dicere: Si cadendum eſt, cadam orbe concuſſo: non quia fas eſt optare publicam cladem, ſed quia ingens mortis ſolatium eſt, terram quandoque videre mortalem.

III. Illud quoque proderit præſumere animo, nihil horum deos facere, nec irâ numinum, aut cælum concuti, aut terram. Suas iſta cauſſas habent: nec ex imperio ſæuiunt, ſed ex D
quibuſdam vitiis, vt corpora noſtra, turbantur: & tunc, cùm facere videntur iniuriam, accipiunt. Nobis autem ignorantibus verum, omnia terribilia ſunt, vtpote quorum metum raritas auget. Leuiùs accidunt familiaria: ex inſolito formido eſt maior. Quare autem quidquam nobis inſolitum eſt? quia naturam oculis, non ratione comprehẽdimus: nec cogitemus, quid illa facere poſſit, ſed tantùm quid fecerit. Damus itaque huius negligentiæ pœnas, tamquam nouis territi: cùm illa non ſint noua, ſed inſolita. Quid ergo? Non religionem incutit mentibus, & quidem publicè, ſiue deficere ſol viſus eſt, ſiue luna, cuius obſcuratio frequentior, aut parte ſui, aut tota delituit? Longeque magis illæ actæ in tranſuerſum faces, & cæli magna pars ardens, & crinita ſidera, & plures ſolis orbes, & ſtellæ per diem viſę, ſubitique tranſcurſus ignium, multam poſt ſe lucem trahentium? nihil horum ſine timore miramur: & cùm timendi ſit cauſſa, neſcire; non eſt tanti ſcire, ne timeas? Quanto ſatius eſt, cauſſas inquirere, & quidem toto in hoc intentum animo?

A animo? Neque enim illo quidquam inueniri dignius poteſt, cui ſe non tantùm commodet, ſed impendat. Quæramus ergo, quid ſit quod terram ab infimo moueat, IV.
quid tanti molem corporis impellat, quid ſit illâ valentius, quid tantum onus vi ſuâ labefactet: cur modò tremat, modò luxata ſubſidat, nunc in partes diuiſa diſcedat: & aliàs interuallum ruinæ ſuæ diu ſeruet, aliàs citò comprimat: nunc amnes magnitudinis notæ conuertat introrſus, nunc nouos exprimat: aperiat aliquando aquarum calentium venas, aliquando refrigeret: igneſque nonnumquam per aliquod ignotum anteà montis aut rupis foramen emittat, aliquando notos & per ſæcula nobiles comprimat. Mille miracula mouet, faciemque mutat locis, & defert montes, ſubrigit plana, valles extuberat, nouas in profundo inſulas erigit. Hæc ex quibus cauſſis accidant, digna res eſt excuti. Quod, inquis, erit pretium operæ? quo nullum maius eſt, noſſe naturam. Neque enim quidquam habet in ſe huius materiæ tractatio pulchrius, cùm multa habeat futura vſui, quàm quòd hominem magnificentiâ ſui detinet; nec mercede, ſed miraculo co-
B litur. Inſpiciamus ergo quid ſit, propter quod accidant hæc: quorum eſt adeò mihi dulcis inſpectatio, vt quamuis aliquando de motu terrarum volumen iuuenis ediderim, tamen tentare me voluerim, & experiri, an ætas aliquid nobis aut ad ſcientiam, aut certè ad diligentiam adiecerit. Cauſſam, quâ terra concutitur, alij in aquâ eſſe, alij in V.
ignibus, alij in ipsâ terrâ, alij in ſpiritu putauêre: alij in pluribus, alij in omnibus his. Quidam liquere ipſis aliquam ex iſtis cauſſam eſſe dixerunt; ſed non liquere, quæ eſſet. Nunc ſingula perſequamur. Illud ante omnia mihi dicendum eſt, opiniones veterum parùm exactas eſſe & rudes. Circa verum adhuc errabatur. Noua omnia erant primò tentantibus, pòſt eadem illa limata ſunt: & ſi quid inuentum eſt, illis nihilominus referri debet acceptum. Magni animi res fuit, rerum naturæ latebras dimouere, nec contentum exteriori eius conſpectu, introſpicere, & in deorum ſecreta deſcendere. Plurimùm ad inueniendum contulit, qui ſperauit poſſe reperiri. Cum excuſatione itaque veteres audiendi ſunt. Nulla res conſummata eſt, dum incipit. Nec in hac tantùm re omnium
C maximâ atque inuolutiſſimâ, in quâ etiam cùm multum actum erit, omnis tamen ætas quod agat, inueniet, ſed in omni alio negotio, longè ſemper à perfecto fuêre principia.

In aquâ cauſſam eſſe, nec ab vno dictum eſt, nec vno modo. Thales Mileſius totam VI.
terram ſubiecto iudicat humore portari & innatare: ſiue illud oceanum vocas, ſiue magnum mare, ſiue alterius naturæ, ſimplicem adhuc aquam & humidum elementum. Hac, inquit, vndâ ſuſtinetur orbis, velut aliquod grande nauigium & graue his aquis quas premit. Superuacuum eſt reddere cauſſas, propter quas exiſtimat, grauiſſimam partem mundi non poſſe ſpiritu tam tenui fugacique geſtari: non enim nunc de ſitu terrarum, ſed de motu agitur. Illud argumenti loco ponit, aquas eſſe in cauſsâ, quibus hic orbis agitatur, quòd in omni maiore motu erumpunt ferè noui fontes: ſicut in nauigiis quoque euenit, vt ſi inclinata ſunt, & abiêre in latus, aquam ſorbeant, quæ in omni onere eorum quæ vehit, ſi immodicè depreſſa ſunt, aut ſuperfunditur, aut certè dextrâ ſiniſtraque ſolito magis ſurgit. Hanc opinionem falſam eſſe, non eſt diu colligendum. Nam
D ſi terram aqua ſuſtineret, tota aliquando concuteretur, ſemper moueretur: nec agitari illam miraremur, ſed manere. Tum tota concuteretur, non ex parte: numquam enim nauis dimidia iactatur. nunc verò non terrarum vniuerſarum, ſed ex parte motus eſt. Quomodo ergo fieri poteſt, vt quod totum vehitur, totum non agitetur, ſi id quo vehitur, agitatum eſt? At quare aquæ erumpunt? Primùm omnium ſæpè tremuit terra, & nihil humoris noui fluxit. Deinde ſi ex hac cauſsâ vnda prorumperet, à lateribus terræ circumfunderetur: ſicut in fluminibus ac mari videmus accidere, vt incrementum aquarum, quotiens nauigia deſidunt, in lateribus maximè appareat. Ad vltimum non tam exigua fieret quàm dicit eruptio, nec velut per rimam ſentina ſubreperet, ſed fieret ingens inundatio, vt ex infinito liquore, & ferente vniuerſa. Quidam motum ter- VII.
rarum aquæ imputauêre: ſed non ex eâdem cauſsâ. Per omnem, inquiunt, terram, multa aquarum genera decurrunt. Alicubi perpetui amnes, quorum nauigabilis etiam ſine adiutorio imbrium magnitudo eſt. Hinc Nilus per æſtatem ingentes aquas inuehit:

hinc

hinc qui medius inter pacata & hostilia fluit, Danubius ac Rhenus, alter Sarmaticos A
impetus cohibens, & Europam Asiamque disterminans, alter Germanos, auidam gentem belli, repellens. Adiice nunc patentissimos lacus, & stagna populis inter se ignotis circumdata, & ineluctabiles nauigio paludes, nec ipsis quidem inter se peruias, quibus incoluntur. Deinde tot fontes, tot capita fluminum, subitos, & ex occulto amnes vomentia. Tot deinde ad tempus collectos torrentium impetus: quorum vires quàm repentinæ, quàm breues? Omnis hæc aquarum, etiam intra terram, natura faciesque est. Illîc quoque aliæ vasto cursu deferuntur, & in præceps volutæ cadunt: aliæ languidiores in vadis refunduntur, & leniter ac quietè fluunt. Quis autem neget, vastis illas receptaculis concipi, & cessare multis inertes locis? Non est diu probandum, ibi multas aquas esse, vbi omnes sunt. Neque enim sufficeret tellus ad tot flumina edenda, nisi ex repositò multoque funderet. Si hoc verum est, necesse est aliquando illîc amnis excrescat, & relictis ripis violentus in obstantia incurrat. Sic fiet motus alicuius partis, in quam flumen impetum dedit, & quam donec decrescat verberabit. Potest fieri, vt aliquam regionem B
riuus affluens exedat, ac secum trahat aliquam molem: quâ lapsâ, superposita quatiantur. Iam verò nimis oculis permittit, nec vltra illos scit producere animum, qui non credit esse in abscondito terræ sinus maris vasti. Nec enim video, quid prohibeat vel obstet, quò minùs illîc habeatur aliquod etiam in abscondito littus, & per occultos aditus receptum mare, quod illîc quoque tantumdem loci tenet, aut fortassis hoc amplius, quòd superiora cum tot animalibus erant diuidenda: abstrusa enim, & sine possessore deserta, liberiùs vndis vacant. Quas quis vetat illîc fluctuare, & ventis, quos omne interuallum terrarum, & omnis aër creat, impelli? Potest ergo maior solito exorta tempestas, aliquam partem terrarum impulsam vehementiùs mouere. Nam apud nos quoque multa, quæ procul à mari fuerant, subito eius accessu vapulauêre; & villas in conspectu collocatas, fluctus, qui longè audiebatur, inuasit. Illîc quoque potest accedere ac decedere pelagus
VIII. infernum: quorum neutrum fit sine motu superstantium. Non quidem exi- C
stimo diu te hæsitaturum, an credas esse subterraneos amnes & mare absconditum. Vnde enim ista prorumpunt, vnde ad nos veniunt, nisi quòd origo humoris inclusa est? Age, cùm vides interruptum Tigrim in medio itineris siccari, & non vniuersum auerti, sed paullatim, non apparentibus damnis, minui primùm, deinde consumi: quò illum putas abire nisi in obscura terrarum: vtique cùm videas emergere iterùm, non minorem eo qui prior fluxerat? Quid cùm vides Alpheum, celebratum poëtis, in Achaiâ mergi, & in Siciliâ rursus transiecto mari effundere amœnissimum fontem Arethusam? Nescis autem, inter opiniones, quibus narratur Nili æstiua inundatio, & hanc esse, à terrâ illum erumpere, & augeri non supernis aquis, sed ex intimo redditis? Ego quidem centuriones duos, quos Nero Cęsar, vt aliarum virtutum, ita veritatis in primis amantissimus, ad inuestigandum caput Nili miserat, audiui narrantes, longum illos iter peregisse, cùm à Rege Æthiopiæ instructi auxilio, commendatique proximis regibus, penetrassent. Ad vlteriora quidem, aiebant, peruenimus, ad immensas paludes, quarum exitum nec incolæ nouerant, nec spirare quisquam potest, ita implicitæ aquis herbæ sunt, & aquæ nec D
pediti eluctabiles, nec nauigio, quod nisi paruum & vnius capax, limosa & obsita palus non ferat. Ibi, inquit, vidimus duas petras, ex quibus ingens vis fluminis excidebat. Sed siue caput illa, siue accessio est Nili, siue tunc nascitur, siue in terras ex priore recepta cursu redit: nónne tu credis, illam, quidquid est, ex magno terrarum lacu ascendere? Habeant enim oportet pluribus locis sparsum humorem, & in imo coactum, vt eructare
IX. tanto impetu possint. Ignem caussam motus quidam, & quidem non eamdem iudicant. Inprimis Anaxagoras, qui existimat, simili pænè ex caussâ & aëra concuti, & terram: cùm in inferiore parte spiritus crassum aëra, & in nubes coactum, eâdem vi quâ apud nos quoque nubila frangi solent, rumpit, & ignis ex hoc collisu nubium, cursuq. elisi aëris emicuit. Hîc ipse in obuia incurrit, exitum quærens, ac diuellit repugnantia: donec per angusta aut nactus est viam exeundi ad cælum, aut vi atque iniuriâ fecit. Alij in igne caussam quidem esse, sed non ob hoc iudicant: sed quia pluribus obrutus

locis

A locis ardeat, & proxima quæque consumat. Quæ si quando exesa ceciderint, tunc sequi motum earum partium, quæ subiectis adminiculis destitutæ labant, donec corruêre: nullo occurrente, quod onus exciperet. Tunc chasmata, tunc hiatus vasti aperiuntur: aut cùm diu nutauêre, super ea se, quæ supersunt stantque, componunt. Hoc apud nos quoque videmus accidere, quotiens incendio pars ciuitatis laborat, cùm exustæ trabes sunt, aut corrupta quæ superioribus firmamentum dabant: tunc diu agitata fastigia concidunt, & tam diu differuntur atque incerta sunt, donec in solido resederunt.

Anaximenes ait, terram ipsam sibi esse caussam motus, nec extrinsecus incurrere quod illam impellat: sed intra ipsam & ex ipsâ quasdam partes eius decidere, quas aut humor soluerit, aut ignis exederit, aut spiritus violentia excusserit. Sed his quoque cessantibus non deesse, propter quod aliquid abscedat aut reuellatur. Nam primùm omnia vetustate labuntur, nec quidquam tutum à senectute est. Hæc solida quoque & magni roboris carpit. Itaque quemadmodum in ædificiis veteribus quædam non percussa tamen deci- X.
B dunt, cùm plus ponderis habuêre quàm virium: ita in hoc vniuerso terræ corpore euenit, vt partes eius vetustate soluantur, solutæ cadant, & tremorem superioribus afferant: primùm dum abscedunt (nihil enim vtique magnum sine motu eius, cui hæsit, abscinditur) deinde cùm deciderunt, solido exceptæ resiliant, pilæ more, quæ cùm cecidit exultat, ac sæpiùs pellitur, totiens à solo in nouum impetum missa. Si verò in stagnantibus aquis delata sunt, hic ipse casus vicina concutit fluctu, quem subitum vastumque illisum ex alto pondus eiicit. Quidam ignibus quidem assignant hunc tremorem, XI. sed aliter. Nam cùm pluribus locis ferueant, necesse est ingentem vaporem sine exitu voluant, qui vi suâ spiritum intendit: & si acriùs institit, opposita diffundit: si verò remissior fuit, nihil ampliùs quàm mouet. Videmus aquam spumare, igne subiecto. Quod in hac aqua facit inclusa & angusta, multò magis illum facere credamus, cùm violentus ac vastus ingentes aquas excitat. Tunc ille vaporatione inundantium aquarum, quidquid pulsauerit, agitat. Spiritum esse qui moueat, & plurimis & maximis au- XII.
C ctoribus placet. Archelaus antiquitatis diligens, ait ita: Venti in concaua terrarum deferuntur: deinde vbi iam omnia spatia plena sunt, & inquantum aër potuit densatus est, is qui superuenit spiritus, priorem premit & elidit, ac frequentibus plagis primò cogit, deinde perturbat. Tunc ille quærens locum, omnes angustias dimouet, & clausstra sua conatur effringere. Sic euenit, vt terræ, spiritu luctante, & fugam quærente, moueantur. Itaque cùm terræ motus futurus est, præcedit aëris tranquillitas & quies: videlicet, quia vis spiritus, quæ concitare ventos solet, in infernâ sede detinetur. Nunc quoque cùm hic motus in Campaniâ fuit, quamuis hiberno tempore, & inquieto, per superiores dies aër stetit. Quid ergo? Numquam flante vento terra concussa est? Admodum rarò duo flauere simul venti. Fieri tamen & potest, & solet. quod si recipimus, & constat duos ventos rem simul gerere: quid ni accidere possit, vt alter superiorem aëra agitet, alter inferum? In hac sententiâ licet ponas Aristotelem, & discipulum eius Theophra- XIII.
D stum, non, vt Græcis visum est, diuini, tamen & dulcis eloquij virum, & nitidi sine labore. Quid vtrique placeat, exponam. Semper aliqua euaporatio est è terrâ, quæ modò arida est, modò humido mixta. Hæc ab infimo edita, & in quantum potuit, elata, cùm vlteriorem locum in quem exeat non habet, retrò fertur, atq; in se reuoluitur: dumque rixa spiritus reciprocantis iactat obstantia, & siue intercluſus, siue per angusta enisus est, motum ac tumultum ciet. Straton ex eâdem scholâ est, qui hanc partem philosophiæ maximè coluit, & rerum naturæ inquisitor fuit. Huius tale decretum est: Frigidum & calidum semper in contraria abeunt, & vnà esse non possunt: eò frigidum confluit, vnde vis calida discessit: & inuicem ibi calidum est, vnde frigus expulsum est. Hoc quod dico verum est: sed vtrumque in contrarium agi, ex hoc tibi appareat. Hiberno tempore, cùm supra terram frigus est, calent putei, nec minùs specus, atque omnes sub terrâ recessus: quia eò se calor contulit, superiora possidenti frigori cedens: qui cùm in inferiora peruenit, & eò se quantum poterat ingessit, quò densior, hoc validior est: huic alius superuenit, cui necessariò congregatus ille iam & in angustum pressus, loco cedit.

Idem

Idem è contrario euenit,cùm vis maior frigidi illata in cauernis eſt.Quidquid illîc calidi latet,frigori cedens abit in anguſtum, & magno impetu agitur : quia non patitur vtriuſque natura concordiam,nec in vno moram. Fugiens ergo, & omni modo cupiens excedere,proxima quæque remolitur ac iactat. Ideoque antequam terra moueatur,ſolet mugitus audiri,ventis in abdito tumultuantibus : nec enim aliter poſſet, vt ait noſter Virgilius, *Sub pedibus mugire ſolum, & iuga celſa moueri :* niſi hoc eſſet ventorum opus. Vices deinde huius pugnæ ſunt : deſinit calidi congregatio, ac rurſus eruptio. Tunc frigida compeſcuntur & ſuccedunt, mox futura potentiora. Dum ergo alterna vis curſat, & vltrò citroque ſpiritus commeat,concutitur. A

XIV. Sunt qui exiſtiment, ſpiritu quidem, & nullâ aliâ ratione tremere terram, ſed ex aliâ cauſſâ, quàm Ariſtoteli placuit. Quid ſit quod ab his dicatur,audi. Corpus noſtrum & ſanguine irrigatur,& ſpiritu, qui per ſua itinera diſcurrit. Habemus autem quædam anguſtiora animæ receptacula, per quæ nihil ampliùs quàm meat:quædam patentiora, in quibus colligitur, & vnde diuiditur in partes. Sic hoc totum terrarum omnium corpus, & aquis,quæ vicem ſanguinis tenent,& ventis, quos nihil aliud quis quàm animam vocauerit,peruium eſt. Hæc duo alicubi concurrunt, alicubi conſiſtunt. Sed quemadmodum in corpore noſtro,dum bona valetudo eſt,venarum quoque imperturbata mobilitas modum ſeruat : vbi aliquid aduerſi eſt,micat crebriùs,& ſuſpiria atque anhelitus,laborantis ac feſſi ſigna ſunt : ita terræ quoque, dum illis poſitio naturalis eſt, inconcuſſæ manent. Cùm aliquid peccatur,tunc velut ægri corporis motus eſt, ſpiritu illo qui modeſtiùs perfluebat, icto vehementiùs, & quaſſante venas ſuas : nec, vt illi paullò antè dicebant, quibus animal placet eſſe terram. nam ſi hoc eſt quemadmodum animal, tota vexationem ſentiet. Neque enim in nobis febris alias partes moderatiùs impellit,ſed per omnes pari æqualitate diſcurrit. Vide ergo, numquid intret in illam ſpiritus ex circumfuſo aëre : qui quamdiu habet exitum, ſine iniuriâ labitur : ſi offendit aliquid, & incidit quod viam claudat,tunc oneratur primò infundente ſe à tergo aëre.Deinde per aliquam rimam malignè fugit,& hoc acriùs fertur, quo anguſtiùs. Id ſine pugnâ non poteſt fieri,nec pugna ſine motu. At ſi nec rimam quidem per quam effluat inuenit, conglobatus ille furit,& huc atque illò circumagitur, aliaque deiicit, alia intercidit : cùm tenuiſſimus,idemque fortiſſimus, & irrepat quamuis in obſtructa, & quidquid intrauit, vi ſuâ diducat & diſſipet : tunc terra iactatur. Aut enim datura vento locum diſcedit, aut cùm dedit,in ipſam,quà illum emiſit,cauernam fundamento ſpoliata conſidit. B C

XV. Quidam ita exiſtimant.Terra multis locis perforata eſt, nec tantùm primos illos aditus habet, quos velut ſpiramenta ab initio ſui recepit, ſed multos illîc caſus impoſuit. Alicubi diduxit,quidquid ſupernè terreni erat, aqua : alia torrentes exedêre, illa æſtibus magnis dirupta patuêre. Per hæc interualla intrat ſpiritus : quem ſi incluſit mare, & adegit,nec fluctus retrò abire permiſit,tunc ille exitu ſimul redituque præcluſo, volutatur. Et quia in rectum non poteſt tendere,quod illi naturale eſt,in ſublime ſe intendit,& terram prementem reuerberat.

XVI. Etiamnum dicendum eſt, quod pleriſque auctoribus placet, & in quo fortaſſe fiet diſſenſio. Non eſſe terram ſine ſpiritu, palàm eſt. Non tantùm illo dico,quo ſe tenet,ac partes ſui iungit, qui ineſt etiam ſaxis mortuiſque corporibus : ſed illo dico vitali, & vegeto, & alente omnia. Hunc niſi haberet, quomodo tot arbuſtis ſpiritum infunderet,non aliunde viuentibus, & tot ſatis ? Quemadmodum tam diuerſas radices aliter atq; aliter in ſe merſas foueret,quaſdam ſummâ receptas parte,quaſdam altiùs tractas, niſi multum haberet animæ, tam multa, tam varia generantis, & hauſtu atque alimento ſuo educantis ? Leuibus adhuc argumentis ago. Totum hoc cælum,quod igneus æther, mundi ſumma pars, claudit, omnes hæ ſtellæ, quarum iniri non poteſt numerus,omnis hic cęleſtium cœtus,&(vt alia prætream)hic tam propè à nobis agens curſum ſol,omni terrarum ambitu non ſemel maior,alimentum ex terreno trahunt, & inter ſe partiuntur : nec vllo alio ſcilicet, quàm halitu terrarum ſuſtinentur.Hoc illis alimentum,hic paſtus eſt. Non poſſet autem tam multa, tantaque, & ſe ipsâ maiora, terra nutrire, niſi plena eſſet animæ, quam per diem & noctem ab omnibus D

A nibus partibus ſuis fundit. Fieri enim non poteſt, vt non multum illi ſuperſit, ex quâ tantum petitur ac ſumitur: & ad tempus quidem, quod exeat, naſcitur. Nec enim eſſet perennis illi copia ſuffecturi in tot cæleſtia ſpiritus, niſi inuicem iſta excurrerent, & in aliud alia ſoluerentur. Sed tamen neceſſe eſt abundet ac plena ſit, & ex condito proferat. Non eſt ergo dubium, quin multum ſpiritus lateat intus, & cæca ſub terrâ ſpatia aër latus obtineat. Quod ſi verum eſt, neceſſe eſt id ſæpè moueatur, quod re mobiliſſimâ plenum eſt. Numquid enim dubium eſſe poteſt cuiquam, quin nihil ſit tam inquietum quàm aër, & tam verſabile & vagatione gaudens? Sequitur ergo, vt naturam XVII.
ſuam exerceat, & quod ſemper moueri vult, aliquando & alia moueat. Id quando fit? Cùm illi curſus interdictus eſt. Nam quamdiu non impeditur, placidè fluit: cùm offenditur & retinetur, inſanit, & moras ſuas abrumpit, non aliter, quàm ille poëtæ

—— *pontem indignatus Araxes.*

Quamdiu illi facilis & liber eſt alueus, primas quaſque aquas explicat. Vbi ſaxa manu
B vel caſu illata preſſère venientem, tunc impetum morâ quærit: & quò plura oppoſita ſunt, plus inuenit virium. Omnis enim illa vnda quæ à tergo ſuperuenit, & in ſe creſcit, cùm onus ſuum ſuſtinere non potuit, vim ruinâ parat, & prona cum his quæ iacebant fugit. Idem ſpiritu fit: qui quò valentior agiliorque eſt, citiùs rapitur, & vehementiùs ſeptum omne diſturbat. Ex quo motus fit ſcilicet eius partis, ſub quâ pugnatum eſt. Quod dicitur, verum eſſe ex illo probatur: ſæpè enim cùm terræ motus fuit, ſi modò pars eius aliqua dirupta eſt, inde ventus per multos dies fluxit: vt traditur factum eo terræmotu, quo Chalcis laborauit: quod apud Aſclepiodotum inuenies, auditorem Poſidonij, in ipſis quæſtionum naturalium cauſſis. Inuenies & apud alios auctores, hiaſſe vno loco terram, & inde non exiguo tempore ſpiraſſe ventum: qui ſcilicet illud iter ipſe ſibi fecerat, per quod ferebatur. Maxima ergo cauſſa eſt, propter quam terra mo- XVIII.
ueatur, ſpiritus naturâ citus, & locum è loco mutans. Hic quamdiu impellitur, & in vacanti ſpatio latet, iacet innoxius, nec circumiectis moleſtus eſt. Vbi illum extrinſecus
C ſuperueniens cauſſa ſolicitat, compellitq; & in arctum agit, ſcilicet adhuc cedit tantùm, & vagatur. Vbi erepta diſcedendi facultas eſt, & vndique obſiſtitur, tunc

—— *magno cum murmure montis*
Circum clauſtra fremit,

quæ diu pulſata conuellit ac iactat: eò acrior, quò cum valentiore morâ luctatus eſt. Deinde cùm circà perluſtrauit omne quo tenebatur, nec potuit euadere, inde quo maximè impactus eſt, reſilit: & aut per occulta diuiditur, ipſo terræmotu raritate factâ, aut per nouum vulnus emicuit. Ita eius vis tanta non poteſt cohiberi, nec ventum tenet vlla compages: ſoluit enim quodcumque vinculum, & omne onus fert ſecum, infuſusque per minima, laxamentum ſibi parat, indomitâ naturæ potentiâ liber, vtique concitatus, ſibi ius ſuum vindicat. Spiritus verò inuicta res eſt: nihil enim erit quod

Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras
Imperio premat, ac vinclis & carcere frænet.

D Sine dubio poëtæ hunc voluerant videri carcerem, in quo ſub terrâ clauſi laterent. Sed hoc non intellexerunt, nec id quod clauſum eſt, eſſe adhuc ventum: nec id quod ventus eſt, poſſe iam claudi. Nam quod in clauſo eſt, quieſcit, & aëris ſtatio eſt. Omnis in fugâ ventus eſt. Etiamnum & illud accedit his argumentis, per quod appareat, motum effici ſpiritu, quòd corpora quoque noſtra non aliter tremunt, quàm ſi ſpiritum aliqua cauſſa conturbat: cùm timore contractus eſt, cùm ſenectute langueſcit, & venis torpentibus marcet, cùm frigore inhibetur, aut ſub acceſſionem curſu ſuo deiicitur. Nam quamdiu ſine iniuriâ perfluit, & ex more procedit, nullus eſt tremor corpori. cùm aliquid occurrit quod inhibeat eius officium, tunc parùm potens perferendis his quæ ſuo vigore tenebat, deficiens concutit, quidquid integer tulerat. Metrodorum Chium ne- XIX.
ceſſe eſt audiamus, quod vult ſententiæ loco dicentem. Non enim permitto mihi nec eas quidem opiniones præterire, quas improbo: cùm ſatius ſit omnium copiam fieri, & quæ improbamus, damnare potiùs, quàm præterire. Quid ergo dicit? Quomodo in

dolio cantantis vox, per totum cum quadam discussione percurrit ac resonat, & tam leA
uiter mota, tamen circuit, non sine tactu eius tumultuque, quo inclusa est: sic spelunca-
rum sub terrâ pendentium vastitas habet aëra suum; quem simul alius supernè incidens
percussit, agitat non aliter, quàm illa de quibus paullò antè retuli, inania indito clamore
XX. sonuerunt. Veniamus nunc ad eos, qui omnia ista quæ retuli, in caussâ esse dixe-
runt, aut ex his plura. Democritus plura putat. Ait enim, motum aliquando spiritu fieri, aliquando aquâ, aliquando vtroque: & id hoc modo prosequitur. Aliqua pars terræ concaua est, & in hanc aquæ magna vis confluit. Ex hac est aliquid tenue, & ceteris liquidius. Hoc cùm superueniente grauitate reiectum est, terris illiditur, & illas mouet. Nec enim fluctuari potest sine motu eius, in quod impingitur. Etiamnum quod modò de spiritu dicebamus, de aquâ quoque dicendum est. Vbi in vnum locum congesta est, & capere se desiit, aliquò incumbit, & primò viam pondere aperit, deinde impetu. Nec enim exire nisi per deuexum potest, diu inclusa, nec in directum cadere moderatè, aut sine concussione eorum, per quæ & in quæ cadit. Si verò cùm iam rapi cœperit, aliquo B
loco substitit, & illa vis fluminis in se reuoluta est, in continentem terram repellitur, & illam, quâ parte maximè tendit, exagitat. Præterea aliquando madefacta tellus, liquore penitus accepto, altiùs sidit, & fundus ipse vitiatur: tunc ea pars premitur, in quam maximè aquarum vergentium pondus inclinat. Spiritus verò nonnumquam impellit vndas, & si vehementiùs institit, eam scilicet terræ partem mouet, in quam coactas aquas intulit. Nonnumquam in coacta itinera coniectus, & exitum quærens, mouet omnia: terra autem penetrabilis ventis est, & spiritus subtilior est, quàm vt possit excludi, & vehementior, quàm vt sustineri concitatus ac rapidus. Omnes istas esse posse caussas Epicurus ait, pluresque alias tentat: & alios, qui aliquid vnum ex istis esse affirmauerunt, corripit: cùm sit arduum, de iis quæ coniecturâ sequenda sunt, aliquid certi promittere. Ergo, vt ait, potest terram mouere aqua, si partes aliquas eluit, & abrasit, quibus desiit posse extenuatis sustineri, quod integris ferebatur. Potest terram mouere impressio spiritus. Fortasse enim aër extrinsecus aliò intrante aëre agitatur. Fortasse aliquâ parte sub- C
ito decidente percutitur, & inde motum capit. Fortasse aliquâ parte terræ velut columnis quibusdam ac pilis sustinetur: quibus vitiatis ac recedentibus, tremit pondus impositum. Fortasse calida vis spiritus in ignem versa, & fulmini similis, cum magnâ strage obstantium fertur. Fortasse palustres & iacentes aquas aliquis flatus impellit, & inde aut ictus terram quatit, aut spiritus agitatio, ipso motu crescens, & se incitans, ab imo in summa vsque perfertur: nullam tamen illi placet caussam motus esse maiorem,
XXI. quàm spiritum. Nobis quoque placet, hunc spiritum esse, qui tanta possit conari, quo nihil est in rerum naturâ potentius, nihil acrius, sine quo nec illa quidem, quæ vehementissima sunt, valent. Ignem spiritus concitat: aquæ, si ventum detrahas, inertes sunt. Tunc demum impetum sumunt, cùm illas agit flatus: qui potest dissipare magna spatia terrarum, & nouos montes subrectos extollere; & insulas non antè visas, in medio mari ponere. Therasiam nostræ ætatis insulam, spectantibus nautis in Ægæo mari enatam, quis dubitat, quin in lucem spiritus vexerit? Duo genera sunt (vt Posido- D
nio placet) quibus mouetur terra: vtrique nomen est proprium. Altera succussio est, cùm terra quatitur, & sursum ac deorsum mouetur: altera inclinatio, quâ in latera nutat nauigij more. Ego & tertium illud existimo, quod nostro vocabulo signatum est: non enim sine caussâ tremorem terræ dixêre maiores, qui vtrique dissimilis est. nam nec succutiuntur tunc omnia, nec inclinantur, nec vibrantur. Res minimè in huiusmodi casu noxia, sicut longè pernicioſior est inclinatio concussione. Nam nisi celeriter ex alterâ parte properabit motus, qui inclinata restituat, ruina necessariò sequitur. Cùm dissimi-
XXII. les ij motus inter se sint, caussæ eorum diuersæ sunt. Priùs ergo de motu quatiente dicamus. Si quando magna onera per vices vehiculorum plurium tracta sunt, & rotæ maiore nisu in salebras inciderunt, terram concuti senties. Asclepiodotus tradit, cùm petra è latere montis abrupta cecidisset, ædificia vicina tremore collapsa. Idem sub terris fieri potest, vt ex his quæ impendent rupibus aliqua resoluta, magno pondere ac

sono

A ſono in ſubiacentem cauernam cadat, eò vehementiùs, quò aut plus ponderis habuit, aut venit altiùs. Et ſic commouetur omne tectum cauatæ vallis. Nec tantùm pondere ſuo abſcindi ſaxa credibile eſt, ſed cùm flumina ſuprà ferantur, aſſiduus humor commiſſuras lapidis extenuat, & quotidie his ad quæ religatus eſt aufert, & illam (vt ita dicam) cutem quâ continetur, abradit. Deinde longa per æuum diminutio vſque eò infirmat illa, quæ quotidie attriuit, vt deſinant eſſe oneri ferendo. Tunc ſaxa vaſti ponderis decidunt, tunc illa præcipitata rupes, quidquid ab imo repercuſſit, non paſſura conſiſtere, ſuccutit,

——— *Et ruere omnia viſa repentè:*

vt ait Virgilius noſter. Huius motus ſuccutientis terras hæc erit cauſſa. Ad alteram tranſeo. Rara terræ natura eſt, multumque habens vacui. per has raritates ſpi- XXIII.
ritus fertur: qui vbi maior influxit, nec emittitur, concutit terram. Hæc placet & aliis, vt paullò antè retuli, cauſſa: ſi quid apud te profectura teſtium turba eſt. Hanc etiam
B Calliſthenes probat non contemptus vir. Fuit enim illi nobile ingenium, & furibundi regis impatiens. Hoc eſt Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Nam quotiens quis dixerit: Occidit Perſarum multa millia: opponetur, Et Calliſthenem. Quotiens dictum erit, Occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat: opponetur, Et Calliſthenem. Quotiens dictum erit, Omnia oceano tenus vicit, ipſum quoque tentauit nouis claſſibus, & imperium ex angulo Thraciæ vſque ad Orientis terminos protulit: dicetur, Sed Calliſthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum regumque exempla tranſierit, ex his quæ fecit, nihil tam magnum erit, quàm ſcelus Calliſthenes. Hic Calliſthenes in libris, quibus deſcribit quemadmodum [5] Helice Buriſque merſæ ſunt, quis illas caſus in mare, vel in illas mare immiſerit, dicit id quod in priore parte dictum eſt. Spiritus intrat terram per occulta foramina, quemadmodum vbique, ita & ſub mari. Deinde cùm eſt obſtructus ille trames, per quem deſcenderat, reditum autem illi à tergo reſiſtens aqua abſtulit, huc & illuc fertur, & ſibi
C ipſe occurrens terram labefactat. Ideò frequentiſſimè mari oppoſita vexantur, & inde Neptuno hæc aſſignata eſt mouendi potentia. Quiſquis primas litteras Græcas didicit, ſcit illum apud Homerum ἐνοσίγαιον vocari. Spiritum eſſe huius mali cauſ- XXIV.
ſam, & ipſe conſentio: de illo diſputabo, quomodo intret hic ſpiritus: vtrùm per tenuia foramina, nec oculis comprehenſibilia, an per maiora ac patentiora: & vtrùm ab imo, an etiam per ſumma terrarum. Hoc incredibile eſt. Nam in noſtris quoque corporibus cutis ſpiritum reſpuit: nec eſt illi introitus, niſi per quem trahitur: nec conſiſtere quidem à nobis receptus poteſt, niſi in laxiore corporis parte. Non enim inter neruos pulpáſve, ſed in viſceribus & patulo interioris partis receſſu commoratur. Idem de terrâ ſuſpicari licet, vel ex hoc, quòd motus non in ſummo terræ, circáve ſumma eſt, ſed ſubter & ab imo. Huius indicium eſt, quòd altitudinis profundæ maria iactantur, motis ſcilicet his, ſupra quæ fuſa ſunt. Ergo veriſimile eſt, terram ex alto moueri, & illîc ſpiritum in cauernis ingentibus concipi. Imò, inquit, [6] ceu cùm frigore inhorruimus, tre-
D mor ſequitur, ſic terras quoque ſpiritus extrinſecus accidens quaſſat. Quod nullo modo poteſt fieri. Algere enim debet, vt idem illi accidat, quod nobis, quos externa cauſſa in horrorem agit. Accidere autem terræ ſimile quiddam noſtræ affectionis, ſed non ex ſimili cauſſâ, conceſſerim. Illam interior & altior iniuria debet impellere: cuius rei argumentum vel maximum hoc poteſt eſſe, quòd cùm vehementi motu adapertum ingenti ruinâ ſolum eſt, totas nonnumquam vrbes & recipit hiatus ille, & abſcondit. [7] Thucydides ait, circa Peloponneſiaci belli tempus, Atalantam inſulam aut totam, aut certè maximâ ex parte ſuperfuſam. [8] Idem Sidoni accidiſſe, Poſidonio credè. Nec ad hoc teſtibus opus eſt. Meminimus enim terris interno motu diuulſis, loca diſiecta, & campos interiſſe. Quod iam dicam, quemadmodum exiſtimem fieri. Cùm ſpiritus XXV.
magnâ vi in vacuum terrarum locum penitus applicuit, cœpitque rixari, & de exitu cogitare, latera ipſa intra quæ latet, ſæpiùs percutit, ſupra quæ vrbes interdum ſitæ ſunt, hæc nonnumquam adeo concutiuntur, vt ædificia ſuperpoſita procumbant: nonnum-

quam in tantum, vt parietes quibus fertur omne tegimen caui, decidant in illum ſubter- A
uacantem locum, totæque vrbes in immenſam altitudinem mergantur. Si velis credere, aiunt, aliquando Oſſam Olympo cohæſiſſe, deinde terrarum motu receſſiſſe, & ſciſſam vnius magnitudinem montis in duas partes. Tunc effugiſſe Peneum, qui paludes quibus laborabat Theſſalia, ſiccauit, abductis in ſe quæ ſine exitu ſtagnauerant aquis. Ladon flumen inter Helim & Megalen polin medius eſt, quem terrarum motus effudit. Per hoc quid probo? In laxos ſpecus (quid enim aliud appellem loca vacua ſub terris?) ſpiritum conuenire. Quod niſi eſſet, magna terrarum ſpatia commouerentur, & vnà multa titubarent. Nunc exiguę partes laborant, nec vmquam per ducenta milliaria motus extenditur. Ecce hic qui impleuit fabulis vrbem, non tranſcendit Campaniam. Quid dicam, cùm Chalcis tremuit, Thebas ſtetiſſe?[9] Cùm laborauit Ægium, tam propinquas illi Patras de motu nihil audiſſe? Illa vaſta concuſſio, quæ duas ſuppreſſit vrbes, Helicen & Burin, citra Ægium conſtitit. Apparet ergo, in tantum ſpatium motum protendere, quantum illa ſub terris vacantis loci inanitas pateat. Poteram ad hoc B
XXVI. probandum abuti auctoritate magnorum virorum, qui [10] Ægyptum numquam tremuiſſe tradunt. Rationem autem huius rei hanc reddunt, quòd ex limo tota concreuerit. Tantum enim ([11] ſi Homero fides eſt) aberat à continenti Pharos, quantum nauis diurno curſu metiri plenis lata velis poteſt: ſed continenti admota eſt. Turbidus enim defluens Nilus, multumque ſecum limum trahens, & eum ſubinde apponens prioribus terris, Ægyptum annuo incremento ſemper vltrà tulit. Inde pinguis & limoſi ſoli eſt, nec vlla interualla in ſe habet, ſed creuit in ſolidum areſcente limo: quo preſſa erat & ſedens ſtructura, cùm partes glutinarentur, nec quidquam inane interuenire poterat, cùm ſolido liquidum ac molle ſemper accederet. Sed mouetur & Ægyptus [12] & Delos, quam Virgilius ſtare iuſſit:

Immotamque coli dedit, & contemnere ventos.

Hanc philoſophi quoque, [13] credula natio, dixerunt non moueri, [14] auctore Pindaro. [15] Thucydides ait, anteà quidem immotam fuiſſe, ſed circa Peloponneſiacum bellum C
tremuiſſe. Calliſthenes & alio tempore ait hoc accidiſſe: Inter multa, inquit, prodigia quibus denunciata eſt duarum vrbium Helices & Buris euerſio, fuêre maximè notabilia, columna ignis immenſi, & Delos agitata. Quam ideò ſtabilem videri vult, quia mari impoſita, habeat concauas rupes & ſaxa peruia, quæ dent deprehenſo aëri reditum. Ob hoc etiam inſulas eſſe certioris ſoli, vrbeſque eò tutiores, quò propiùs ad mare acceſſerunt. Falſa hæc eſſe, Pompeij & Herculaneum ſenſêre. Adiice nunc, quòd omnis ora maris obnoxia eſt motibus. Sic Paphos non ſemel corruit, ſic nobilis & huic iam familiaris malo Nicopolis. Cyprum ambit altum mare & agitatur. Tyros & ipſa tam mouetur, quàm diluitur. Hæ ferè cauſſæ redduntur, propter quas tremit terra.

XXVII. Quædam tamen propria in hoc Campano motu accidiſſe narrantur, quorum ratio reddenda eſt. Aiunt enim ſexcentarum ouium gregem exanimatum in Pompeianâ regione. Non eſt quare hoc putes ouibus illis timore accidiſſe. Diximus ſolere poſt magnos terrarum motus peſtilentiam fieri. Nec id mirum eſt: multa enim mortifera in alto latent. At aër ipſe qui vel terrarum culpâ, vel pigritiâ, & æternâ nocte torpeſcit, grauis haurientibus eſt: vel corruptus internorum ignium vitio, cùm eſt longo ſitu emiſſus, purum hunc liquidumque maculat ac polluit, inſuetumque ducentibus ſpiritum, affert noua genera morborum. Quid, quòd aquæ inutiles peſtilenteſque in abdito latent, vt quas numquam vſus exerceat, numquam aura liberior verberet? Craſſæ itaque, & graui caligine ſempiternaque tectæ, nihil niſi peſtiferum in ſe & corporibus noſtris contrarium habent. Aër quoque qui admixtus eſt illis, quique inter illas paludes iacet, cùm emerſit, latè vitium ſuum ſpargit, & haurientes necat. Faciliùs autem pecora ſentiunt, in quæ peſtilentia incurrere ſolet, quò auidiora ſunt: aperto cælo plurimùm vtuntur, & aquis, quarum maxima in peſtilentiâ culpa eſt. Oues verò mollioris naturæ, quò propiora terris ferunt capita, corruptas eſſe non miror, cùm afflatum diri aëris circa ipſam humum exceperint. Nocuiſſet ille & hominibus, ſi maior exiiſſet; ſed illum co-

pia

A pia aëris ſinceri exſtinxit, antequam vt ab homine poſſet trahi, ſurgeret. Multa autem terras habere mortifera, vel ex hoc intellige, quòd tot venena naſcuntur, non manu ſparſa, ſed ſponte: ſolo ſcilicet habente, vt boni, ita mali ſemina. Quid, quòd pluribus Italiæ locis per quædam foramina peſtilens exhalatur vapor, quem non homini ducere, non feræ tutum eſt? Aues quoque ſi in illum inciderint, antequam cælo meliore leniatur, in ipſo volatu cadunt, liuentque corpora, & non aliter quàm per vim eliſæ fauces tument. Hic ſpiritus quamdiu terris continetur, tenui foramine fluens, non plus potentiæ habet, quàm vt deſpectantia & vltrò ſibi illata conficiat. Vbi per ſæcula conditis tenebris, ac triſtitiâ loci creuit in vitium, ipſâ ingraueſcit morâ: hoc peior, quò ſegnior. Cùm autem exitum nactus eſt, æternum illud vmbroſi frigoris malum, & infernam noctem ſoluit, ac regionis noſtræ aëra infuſcat. Vincuntur enim meliora peioribus. Tunc etiam ille ſpiritus purior tranſit in noxium. Inde ſubitæ continuæque mortes, & monſtroſa genera morborum, vt ex nouis orta cauſſis. Breuis aut longa clades eſt, prout vitia
B valuêre. Nec priùs peſtilentia deſinit, quàm ſpiritum illum grauem exercuit laxitas cæli, ventorumque iactatio. Nam quod aliquot inſanis attonitiſque ſimiles diſ- XXIX.
currere fecit metus, qui excutit mentes, vbi priuatus ac modicus eſt, quid vbi publicè terret, vbi cadunt vrbes, populi opprimuntur, terra concutitur: quid mirum eſt, animos inter dolorem & metum deſtitutos aberraſſe? Non eſt facile, inter magna non deſipere. Itaque leniſſima ferè ingenia in tantum venêre formidinis, vt ſibi exciderent. Nemo quidem ſine aliquâ iacturâ ſanitatis expauit, ſimiliſque furenti, quiſquis timet: ſed alios citò timor ſibi reddit, alios vehementiùs perturbat, & in dementiam transfert. Inde inter bella errauêre lymphatici: nec vſquam plura exempla vaticinantium inuenies, quàm vbi formido mentes religione mixtâ percuſſit. Statuam diuiſam non miror, cùm dixerim montes à montibus receſſiſſe, & ipſum diruptum eſſe ab imo ſolum.

Hæc loca, vi quondam & vaſtâ conuulſa ruinâ,
(Tantum æui longinqua valet mutare vetuſtas)
C *Diſſiluiſſe ferunt, cùm protinus vtraque tellus*
Vna foret, venit medio vi pontus, & vndis
Heſperium Siculo latus abſcidit, aruaque & vrbes
Littore diductas, anguſto interluit æſtu.

Vides totas regiones à ſuis ſedibus reuelli, & trans mare iacere, quod in confinio fuerat: vides & vrbium fieri gentiumque diſcidium, cùm pars naturæ concitata eſt ex ſe, vel aliquod mare ingens ſpiritus impegit, quorum mira, vt ex toto, vis eſt. Quamuis enim parte ſæuiat, mundi tamen viribus ſæuit. Sic & Hiſpanias à contextu Africæ, mare eripuit. Sic hac inundatione, quam poëtarum maximi celebrant, ab Italiâ Sicilia reiecta eſt. Aliquando autem plus impetus habent, quæ ex infimo veniunt. Acriora enim ſunt, in quibus niſus eſt per anguſta. Quantas res ij terrarum tremores, quamque mira ſpectacula ediderint, ſatis dictum eſt. Cur ergo aliquis ad hoc ſtupet, quòd æs vnius ſtatuæ, ne XXX.
ſolidũ quidem, ſed concauum ac tenue diruptũ eſt: cùm fortaſſe in illud ſe ſpiritus, quæ-
D rens fugam, incluſerit? Illud verò quis neſcit? Diductis ædificia angulis vidimus moueri, iterumque componi. Quædam verò parùm aptata poſitu ſuo, & à fabris negligentiùs ſolutiuſque compoſita, terræmotus ſæpiùs agitata compegit. Quòd ſi totos parietes & totas findit domos, & latera magnarum turrium, quæ ſolida ſunt ſcindit, & pilas operibus ſubditas diſſipat: quid eſt, quare quiſquam dignum annotari putet, ſectam eſſe æqualiter ab imo ad caput in partes duas ſtatuam? Quare tamen per plures dies motus fuit? Non deſiit enim aſſiduè tremere Campania, clementiùs quidem, ſed ingenti damno, quia preſſa & quaſſa quatiebat: quibus ad cadendum malè ſtantibus, non erat impelli, ſed agitari. Nondum videlicet ſpiritus omnis exciderat, ſed adhuc emiſſâ parte maiore oberrabat. Inter argumenta quibus probatur, ſpiritu iſta fieri, non eſt quòd XXXI.
dubites & hoc ponere. Cùm maximus editus tremor eſt, quo in vrbes terraſque ſæuitum eſt, non poteſt par illi ſubſequi alius, ſed poſt maximum leues motus ſunt, quia vehementiùs exitum ventis luctantibus fecit. Reliquiæ deinde reſidui ſpiritus non

idem possunt,nec illis pugna est:cùm iam viam inuenerint, sequanturque ea quà prima A
vis ac maxima euasit. Hoc quoque dignum memoriâ iudico, ab eruditissimo & grauis-
simo viro cognitum: fortè enim cùm hoc euenit, lauabatur. vidisse se affirmabat in bal-
neo tessellas,quibus solum erat stratum,alteram ab alterâ separari,iterumque committi:
& aquam modò recipi in commissuras,pauimento recedente, modò,compresso, bullire
& elidi.Eumdem audiui narrantem, vidisse se molles materias, molliùs crebriusque tre-
XXXII. mere, quàm naturâ duras. Hæc, Lucili virorum optime, quantum ad ipsas
causas. Illa nunc quæ ad confirmationem animorum pertinent: quos magis refert no-
strâ fortiores fieri, quàm doctiores. Sed alterum sine altero non fit. Non enim aliundè
animo venit robur,quàm à bonis artibus,quàm à contemplatione naturæ. Quem enim
non hic ipse casus aduersus omnes firmauerit & erexerit? Quid est cur ego hominem aut
feram,quid est cur sagittam aut lanceam tremam? maiora me pericula exspectant. Flu-
minibus & terris, & magnis naturæ partibus petimur. Ingenti itaque animo mors pro-
uocanda est, siue nos æquo vastoque impetu aggreditur, siue quotidiano & vulgari exi- B
tu: nihil refert quàm minax veniat, quantumque sit, quod in nos trahat: quod à nobis
petit,minimum est. Hoc senectus à nobis ablatura est,hoc auriculæ dolor, hoc in nobis
humoris corrupti abundantia,hoc cibus parùm obsequens stomacho,hoc pes leuiter of-
fensus. Pusilla res est hominis anima, sed ingens res est contemptus animæ. Hanc qui
contempserit, securus videbit maria perturbari: etiam si illa omnes excitauerint venti,
etiamsi æstus aliquâ perturbatione mundi, totum in terras verterit oceanum. Securus
adspiciet fulminantis cæli trucem & horridam faciem: frangatur licet cælum, & ignes
suos in exitium omnium, in primis suum,misceat. Securus adspiciet ruptis compagibus
dehiscens solum. Illa licet inferorum regna retegantur, stabit super illam voraginem in-
trepidus: & fortasse quò debet cadere, desiliet. Quid ad me, quàm sint magna quibus
pereo? Ipsum perire non est magnum. Proinde si volumus esse felices,si nec hominum,
nec deorum,nec rerum timore vexari, si despicere fortunam superuacua promittentem,
leuia minitantem, si volumus tranquillè degere, & ipsis diis de felicitate controuersiam C
facere,anima in expedito est habenda. Siue illam insidiæ,siue morbi petèt,siue hostium
gladij,siue insularum cadentium fragor,siue ipsarũ ruina terrarum,siue vasta vis ignium,
vrbes agrosque pari clade complexa, cùm libet illi, eam accipiat. Quid aliud debeo,
quàm exeuntem hortari, & cum bonis omnibus emittere? Vade fortiter, vade feliciter.
Nihil dubitaueris reddere. Non de re, sed de tempore est quæstio. Facis quod quando-
que faciendum est. Nec rogaueris, nec timueris, nec te velut in aliquod malum exitu-
rum tuleris retrò. Rerum natura te,quæ genuit, exspectat, & locus melior ac tutior. Illîc
non tremunt terræ, nec inter se venti cum magno nubium fragore concurrunt, non in-
cendia regiones vrbesque vastant, non naufragiorum totas classes sorbentium metus
est, non arma contraria disposita vexillis, & in mutuam perniciem multorum millium
par furor, non pestilentia, & ardentes promiscuè, communes populis cadentibus rogi.
Istud leue est.quid timemus? Graue est. potiùs semel incidat, quàm semper impendat.
Ego autem perire timeam,cùm terra ante me pereat, cùm ista quatiantur quæ quatiunt, D
& in iniuriam nostram non sine suâ veniunt? Helicen Burinque totas mare accepit: ego
de vno corpusculo timeam? Supra oppida duo nauigatur: duo autem, quæ nouimus,
quæ in nostram notitiam memoria litteris seruata perduxit. Quàm multa alia aliis locis
mersa sunt? Quot populos aut terra in se, aut mare incluſit? Ego recusem mei finem,
cùm sciam me sine fine non esse?imò cùm sciam omnia esse finita? Ego vltimum suspi-
rium timeam? Quantum potes itaque ipse te cohortare, Lucili, contra metum mortis.
Hic est qui nos humiles facit: hic est qui ipsam vitam cui parcit,inquietat ac perdit.Hic
omnia ista dilatat, terrarum motus, & fulmina. Quæ omnia feres constanter, si cogita-
ueris nihil interesse inter exiguum tempus & longum. Horæ sunt quas perdimus. Puta
dies esse, puta menses, puta annos: perdimus illos, nempe perituros. Quid, oro te, re-
fert, num perueniam ad illos? fluit tempus, & auidissimos sui deserit. Nec quod futu-
rum est, meum est, nec quod fuit. In puncto fugientis temporis pendeo: & magni est,

modicum

A modicum fuisse. Eleganter Lælius ille sapiens dicenti cuidam, Sexaginta annos habeo: Hos, inquit, dicis sexaginta, quos non habes? Ne ex hoc quidem intelligimus incomprehensibilis vitæ conditionem & sortem temporis semper alieni, quòd annos annumeramus omissos. Hoc affigamus animo, hoc nobis subinde dicamus: Moriendum est. Quando? Quid tuâ? Mors naturæ lex est, mors tributum officiumque mortalium, malorumque omnium remedium est. Optabit illam, quisquis timet. Omnibus omissis, hoc vnum, Lucili, meditare, ne mortis nomen reformides: effice illam tibi cogitatione multâ familiarem: vt si ita tulerit, possis illi vel obuiam exire.

M. ANTONII MVRETI

AD LIBRVM SEXTVM

B

NATVRALIVM SENECÆ

QVÆSTIONVM, NOTÆ.

AD CAP. I. 1. POMPEIOS.] *Vix vlla res est, de quâ maiore contentione disputarint philosophi, quàm de terræ motu. De quo tamen nihil adhuc pro certo atque explorato statuere potuerunt. Videndus Aristoteles libro secundo Meteorologicôn, & qui in eum scripserunt: Plinius libri secundi cap.* LXXIX. *& deinceps Liber tertius de placitis philosophorum.*

2. ET QVIDEM DIEBVS HIBERNIS.] *Aristoteles quidem auctor est, vere & autumno sæpiùs*
C *terram moueri: æstate & hieme rariùs: sed tamen nullam esse anni partem ab hoc mali genere tutam, experimenta docuerunt.*

3. SEXCENTARVM OVIVM GREGEM.] *Hoc ex eo contigisse videri potest, quòd in terræ motu tætri ac pestiferi halitus afflantur è terrâ: quorum noxia vis ad pecudes citissimè ac facillimè peruenit: vt quæ humi pascantur, neque ferè vmquam caput attollant. Sic Homerica pestis greges primùm & armenta corripuit. Sed hoc Seneca ipse posteà dicturus est.*

AD CAP. XXI. 4. THERAM ET THERASIAM.] *Locum hunc, qui etiam in vetustis libris mutilus ac deprauatus est, ita legendum puto,* Inter Theram & Therasiam, hanc nostræ ætatis insulam, *&c. Plinius libro quarto:* Thera, cùm primùm emersit, Callistè dicta: ex eâ auulsa posteà
D Therasia, atque inter duas enata, mox Automate, eadem Hiera. & in nostro æuo Thia iuxta eandem Hieram nata. *Vide eumdem cap.* LXXXVII. *libri secundi.*

AD CAP. XXIII. 5. HELICE BVRISQVE.] *Vocatur & Bura. earum vnã hiatu terræ absorptam, alteram vndis obrutam fuisse scribit Strabo libro* I. *Vide eumdem & libro octauo, & Pausaniam in Achaicis, & Plinium cap.* XCI. *libri secundi.*

AD CAP. XXIV. 6. CEV CVM FRIGORE INHORRVIMVS.] *Lucretius,*

Frigus vti nostros penitus cùm venit in artus,
Cõcutit, inuitos cogens tremere atq; mouere.

7. THVCYDIDES AIT.] *Libro tertio. Athalanta autem insula est in Locris Opuntiis.*

8. IDEM SIDONI ACCIDISSE, POSIDONIO CREDE.] *Hoc ipsum narrat, & auctorem eumdem Posidonium laudat Strabo libro* I.

AD CAP. XXV. 9. CVM LABORAVIT ÆGIVM.] *Verè & eruditè locum hunc emendauit Pincianus.*

AD CAP. XXVI. 10. ÆGYPTVM NVMQVAM TREMVISSE TRADVNT.] *Aliam huius rei caussam affert Plinius, cuius hæc verba sunt, cap.* LXXX. *libri secundi:* Ideò Galliæ & Ægyptus minimè quatiuntur, quoniam hîc æstatis caussa obstat, illîc hiemis.

11. SI HOMERO FIDES EST.] *Hac de re Homeri versus sunt Odysseæ libro* IV.

Νῆσος ἔπειτά τις ἐστὶ πολυκλύσῳ ἐνὶ πόντῳ,
Αἰγύπτιη προπάροιθε. Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι.
Τόσσον ἄνω θ' ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νῆυς
Ἤνυσεν, ἢν λιγὺς οὖρος ὄπισθεν ἐπιπνείησιν ὄπιθεν.

12. ET DELOS, QVAM VIRGILIVS STARE IVSSIT.] *Eleganter quod de Apolline Virgilius dixerat, id ad ipsum Virgilium transtulit.*

13. CREDVLA NATIO.] *Plerumque enim, non tam, verum sit aliquid, nec ne sit, quàm posito verum esse, caussas cur ita fiat, inquirunt.*

14. AVCTORE PINDARO.] *Locus Pindari apud Pindarum ipsum non exstat: sed citatur à Strabone libro decimo. Apud Callimachum quidem in hymno in Delum ita legitur:*

Κείνη δ' ἠνεμόεσσα καὶ ἄτρεπτος.

Herodotus tremuisse ait Delon, quo tempore Dareus in Græciam exercitum duxit: cùm priùs oraculo ita responsum esset,

Quinetiam Delon, quamquam est immota, mouebo.

15. THVCYDIDES AIT.] *Libro* II. Ἔτι δὲ Δῆλος ἐκινήθη, ὀλίγῳ πρὸ τούτων, πρότερον ὅπω σεισθεῖσα, ἀφ' ὧν Ἕλληνες μέμνηνται. *Plinius lib.* IV. Ipsaque longè clarissima, Cycladum media, templo Apollinis & mercatu celebrata Delos: quæ diu fluctuata, vt proditur, sola motum terræ non sensit ad M. Varronis ætatem. Mucianus prodidit bis concussam.

L. ANNÆI SENECÆ
AD LVCILIVM
NATVRALIVM QVÆSTIONVM
LIBER SEPTIMVS
ET VLTIMVS.

In quo agitur de Cometis.

CAP. I.

NEMO vsque eò tardus, & hebes, & demissus in terram est, vt ad diuina non erigatur, ac totâ mente consurgat: vtique vbi nouum aliquod è cælo miraculum fulsit. Nam quamdiu solita decurrunt, magnitudinem rerum consuetudo subducit. Ita enim compositi sumus, vt nos quotidiana, etiamsi admiratione digna sunt, transeant: contrà minimarum quoque rerum, si insolitæ prodierunt, spectaculum dulce fiat. Hic itaque cœtus astrorum, quibus immensi corporis pulchritudo distinguitur, populum non conuocat. At cùm aliquid ex more mutatum est, omnium vultus in cælo est. Sol spectatorem, nisi cùm deficit, non habet. Nemo obseruat lunam, nisi laborantem. Tunc vrbes conclamant, tunc pro se quisque superstitione vanâ trepidat. Quanto illa maiora sunt, quòd sol totidem(vt ita dicam) gradus, quot dies habet, & annum circuitu suo claudit: quòd à solstitio statim inclinat, & dat spatium noctibus: quòd sidera abscondit: quòd terras, cùm tanto maior sit illis, non vrit, sed calorem suum intensionibus ac remissionibus temperando fouet: quòd lunam numquam implet, nisi aduersam sibi, nec obscurat. Hæc tamen non annotamus, quamdiu ordo seruatur. Si quid turbatum est, aut præter consuetudinem emicuit, spectamus, interrogamus, ostendimus. Adeò naturale est magis noua, quàm magna mirari. Idem in Cometis fit. Si rarus, & insolitæ figuræ ignis apparuit, nemo non scire quid sit, cupit: & oblitus aliorum, de aduentitio quærit: ignarus, vtrùm debeat mirari, an timere. Non enim desunt qui terreant, qui significationes eius graues prædicent. Sciscitantur itaque, & cognoscere volunt, prodigium sit, an sidus. At mehercules non aliud quis aut magnificentius quæsierit, aut didicerit vtilius, quàm de stellarum siderumque naturâ: vtrùm flamma contracta, quod & visus noster affirmat, & ipsum ab illis fluens lumen, & calor inde descendens: an non sint flammei orbes, sed solida quædam terrenaque corpora, quæ per igneos tractus labentia inde splendorem trahant, coloremque, non de suo clara. In quâ opinione magni fuêre viri, qui sidera crediderunt ex duro concreta, & ignem alienum pascentia. Nam per se, inquiunt, flamma diffugeret, nisi aliquid haberet quod teneret, & à quo teneretur, conglobatamque nec
II. stabili inditam corpori, profectò iam mundus turbine suo dissipasset. Ad hæc inuestiganda proderit quærere, num Cometæ eius conditionis sint, cuius superiora. Videntur enim cum illis quædam habere communia, ortus & occasus, ipsam quoque, quamuis spargantur & longiùs exeant, faciem. æquè enim ignei splendidique sunt. Itaque si omnia terrena sidera sunt, his quoque eadem sors erit. Si verò nihil aliud sunt quàm purus ignis, manentque mensibus senis, nec illos conuersio mundi soluit & velocitas: illa quoque possunt & tenui constare materiâ, nec ob hoc discuti assiduo cæli circumactu. Illò quoque pertinebit hoc excussisse, vt sciamus, [2] vtrùm mundus terrâ stante circumeat, an mundo stante terra vertatur. Fuerunt enim qui dicerent, nos esse, quos

rerum

A rerum natura neſcientes ferat, nec cæli motu fieri ortus & occaſus, ſed ipſos oriri & occidere. Digna res eſt contemplatione, vt ſciamus in quo rerum ſtatu ſimus: pigerrimam ſortiti, an velociſſimam ſedem: circa nos Deus omnia, an nos agat. Neceſſarium eſt autem, veteres ortus Cometarum habere collectos. Deprehendi enim propter raritatem eorum curſus adhuc non poteſt, nec explorari, an vices ſeruent, & illos ad ſuum diem certus ordo producat. Noua hæc cæleſtium obſeruatio eſt, & nuper in Græciam inuecta. III. Democritus quoque, ſubtiliſſimus antiquorum omnium, ſuſpicari ait ſe, plures ſtellas eſſe quæ currant: ſed nec numerum illarum poſuit, nec nomina, nondum comprehenſis quinque ſiderum curſibus. Eudoxus primus ab Ægypto hos motus in Græciam tranſtulit. Hic tamen de Cometis nihil dicit. Ex quo apparet, ne apud Ægyptios quidem, quibus maior cæli cura fuit, hanc partem elaboratam. Conon poſteà diligens & ipſe inquiſitor, defectiones quidem ſolis ſeruatas ab Ægyptiis collegit, nullam autem mentionem fecit Cometarum: non prætermiſſurus, ſi quid explorari apud illos

B comperiſſet. Duo certè, qui apud Chaldæos ſtuduiſſe ſe dicunt, Epigenes & Apollonius Myndius, peritiſſimus inſpiciendorum naturalium, inter ſe diſſident. Hic enim ait, Cometas in numero ſtellarum errantium poni à Chaldæis, teneriſque curſus eorum. Epigenes contrà ait, Chaldæos nihil de Cometis habere comprehenſi, ſed videri illos accendi turbine quodam aëris concitati & intorti. IV. Primùm ergo, ſi tibi videtur, opiniones huius ponamus, ac refellamus. Huic videtur plurimum virium habere, ad omnes ſublimium motus, ſtella Saturni. Hæc cùm proxima ſigna Marti premit, aut in Lunæ viciniam tranſit, aut in Solis incidit radios, naturâ ventoſa & frigida contrahit pluribus locis aëra, conglobatque. Deinde ſi radios Solis aſſumpſit, tonat, fulguratque. Si Martem quoque conſentientem habet, fulminat. Prætereà, inquit, aliam materiam habent fulmina, aliam fulgurationes. Aquarum enim, & omnis humidi euaporatio, ſplendores tantùm cæli citra ictum minaces mouet. Illa autem calidior ſicciorque terrarum exhalatio, fulmina extundit. Trabes verò & faces, quæ nullo alio inter ſe quàm ma-

C gnitudine diſtant, hoc modo fiunt. Cùm humida terrenaque in ſe globus aliquis aëris clauſit, quem turbinem dicimus, quacumque fertur, præbet ſpeciem ignis extenti. Quæ tamdiu durat, quàdiu manſit aëris illa complexio, humidi intra ſe terreniq; multum vehens. V. Vt à proximis mendaciis incipiam, falſum eſt, faces & trabes exprimi turbine. Turbo enim circa terras concipitur ac fertur. Ideoque arbuſta radicitus vellit, & quocumque incubuit, ſolum nudat: ſiluas interim & tecta corripiens, inferior ferè nubibus, vtique numquam altior. At contrà trabes editior cæli pars oſtentat. Ita numquam nubibus obſtiterunt. Prætereà turbo omni nube velocior rapitur, & in orbem vertitur. Super iſta velociter deſinit, & ipſe ſe ſuâ vi rumpit. Trabes autem non tranſcurrunt, nec præteruolant, vt faces, ſed commorantur, & in eâdem parte cæli collucent. Charimander quoque in eo libro quem de Cometis compoſuit, ait Anaxagoræ viſum, grande inſolitumque cælo lumen magnitudine amplæ trabis, & id per multos dies fulſiſſe. Talem effigiem ignis longi fuiſſe, Calliſthenes tradit, antequam Burin & Helicen mare abſcon-

D deret. Ariſtoteles ait, non trabem illam, ſed Cometem fuiſſe: ceterùm ob nimium ardorem non apparuiſſe ſparſum ignem, ſed procedente tempore cùm iam minùs flagraret, redditam ſuam Cometæ faciem. In quo igne multa quidem fuerunt digna quæ notarentur: nihil tamen magis, quàm quòd vt ille fulſit in cælo, ſtatim ſupra Burin & Helicen mare fuit. Numquid ergo Ariſtoteles non illam tantùm, ſed omnes trabes Cometas eſſe credebat? Hanc habetis differentiam, quòd iis continuus ignis eſt, ceteris ſparſus. Trabes enim flammam æqualem habent, nec vllo loco intermiſſam aut languidam, in vltimis verò partibus coactam, qualem fuiſſe illam, quam modò retuli, Calliſthenes tradit. VI. Duo, inquit Epigenes, Cometarum genera ſunt. Alij ardorem vndique effundunt, nec locum mutant: alij in vnam partem ignem vagum in modum comæ porrigunt, & ſtellas prætermeant: quales duo ætate noſtrâ viſi ſunt. Illi priores criniti, vndique etiam immoti, humiles ferè ſunt, & eiſdem cauſſis quibus trabes faceſque conflantur, & ex intemperie aëris turbidi, multa ſecum arida humidaque terris exhalata verſan-

verſantis. Poteſt enim ſpiritus per anguſta eliſus accendere ſupra ſe poſitum aëra, plenum alimentis idoneis igni. Deinde propellere ex nitido, ne ex aliquâ cauſſâ refluat rurſus, ac remittatur: deinde iterùm proximo die ac ſequentibus conſurgere, & eumdem locum inflammare. Videmus enim ventos per complures dies ad conſtitutum redire. Pluuiæ quoque, & alia tempeſtatum genera, ad præſcriptum reuertuntur. Vt breuiter autem voluntatem eius exprimam, eâdem ferè ratione hos fieri Cometas exiſtimat, quâ fiunt ignes turbine eiecti. Hoc vnum intereſt, quòd illi turbines ex ſuperiori parte in ter-

VII. ras deprimuntur, hi de terrâ in ſuperiora eleuantur. Aduerſus hæc multa dicuntur. Primùm ſi ventus in cauſſâ eſſet, numquam Cometes ſine vento appareret. nunc autem & quietiſſimo aëre apparet. Deinde ſi vento fieret, cum vento caderet. Et ſi vento inciperet, creſceret vento, eoque eſſet ardentior, quò ille incitatior. His accedit illud quoque. Ventus multas aëris partes impellit, Cometes in vno loco apparet: ventus in ſublime non peruenit, Cometæ autem viſuntur ſuprà quàm ventis ire licet. Tranſit deinde ad illos, quos ait certiorem habere ſtellarum ſpeciem, qui & procedunt, & ſigna præ- B
tereunt. Hos ait ex iiſdem cauſſis fieri, quibus illos, quos dixit humiliores. Hoc tantùm intereſſe, quòd terrarum exhalationes multa ſecum arida ferentes, celſiorem petant partem, & in editiora cæli aquilone pellantur. Deinde ſi illos aquilo propelleret, ad meridiem ſemper ageretur, quò ventus hic nititur. Atqui variè concurrunt, alij in ortum, alij in occaſum, omnes in flexum: quod iter non daret ventus. Deinde ſi aquilonis illos impetus à terris in altum leuaret, aliis ventis non orirentur Cometæ. atqui oriuntur.

VIII. Illam nunc rationem eius (vtraque enim vtitur) refellamus. Quidquid humidi aridique terra efflauit, cùm in vnum coit, ipſa diſcordia corporum, ſpiritum verſat in turbinem. Tunc illa vis venti circumeuntis quidquid intra ſe comprehendit, curſu ſuo accendit, & leuat in altum: ac tam diu manet ſplendor ignis expreſſi, quàm diu alimenta ſufficiunt: quibus deſinentibus, & ipſe ſubſidit. Qui hoc dicit, non notat qualis ſit turbinum curſus, & qualis Cometarum. Illorum rapidus ac violentus, & ipſis ventis citatior eſt: Cometarum lenis, & quod per diem & noctem quantum tranſierit, abſcondat. De- C
inde turbinum motus vagus eſt & diſiectus, & (vt Salluſtij vtar verbis,) verticoſus: Cometarum autem compoſitus, & deſtinatum iter carpens. Num quis noſtrûm crederet, aut lunam, aut quinque ſidera rapi vento, aut turbine rotari? Non vt puto. Quare? quia non eſt illis perturbatus & impotens curſus. Ad Cometas idem transferamus. Non confusè nec tumultuosè eunt, vt aliquis credat illos cauſſis turbulentis & inconſtantibus pelli. Deinde etiam ſi vertices iſti comprehendere terrena humidaque, & ex humili in altum exprimere poſſent: non tamen ſupra lunam efferrent. Omnis illis vſque in nubilum vis eſt. Cometas autem immixtos ſtellis videmus per ſuperiora labentes. Ergo veriſimile non eſt, in tantum ſpatium perſeuerare turbinem: qui quò maior eſt, maturiùs

IX. corrumpitur. Vtrumlibet itaque eligat: aut vis leuis tam altè peruenire non poterit, aut magna & concitata citiùs ipſa ſe franget. Præterea humiliores illi Cometæ ob hoc (vt putant) non exeunt altiùs, quia plus terreni habent. Grauitas illos ſua in proximo tenet. Atqui neceſſe eſt, his Cometis diuturnioribus & celſioribus, plenior mate- D
ria ſit. Neque enim diutiùs apparerent, niſi maioribus nutrimentis ſuſtinerentur. Dicebam modò, non poſſe diu verticem permanere, nec ſupra lunam, aut vſque in ſtellarum locum creſcere. Nempe efficit turbinem, plurium ventorum inter ipſos luctatio. Hæc diu non poteſt eſſe. Nam cùm vagus & incertus ſpiritus conuolutatus eſt, nouiſſimè vni vis omnium cedit. Nulla autem tempeſtas magna perdurat. Procellæ quanto plus habent virium, tanto minus temporis. Venti cùm ad ſummum venerunt, remittuntur omni violentiâ. Neceſſe eſt iſtâ concitatione in exitium ſui tendant. Nemo itaque turbinem toto die vidit, ne horâ quidem. Mira velocitas eius, & mira breuitas eſt. Præterea violentiùs celeriuſque in terrâ circaque eam voluitur: quò celſior, eò ſolutior, laxiorque eſt, & ob hoc diffunditur. Adiice nunc, quòd etiamſi in ſummum pertenderet, vbi ſideribus iter eſt, vtique ab eo motu, qui vniuerſum trahit, ſolueretur. Quid enim eſt illâ conuerſione mundi citatius? hac omnium ventorum in vnum coniecta vis diſſipare-

tur, &

A tur,& terræ ſolida fortiſque compages, nedum particula aëris torti. Prætereà in alto manere non poteſt ignis turbine illatus, niſi ipſe quoque permaneret turbo. Quid porrò tam incredibile eſt, quàm in turbine longior mora? Vtique motus motu contrario vincitur: habet enim ſuam locus ille vertiginem,quæ rapit cælum, X.

Sideraque alta trahit,celeriſque volumine torquet.

Et vt det eis aliquam aduocationem, quod fieri nullo modo poteſt: quid de his Cometis dicetur, qui ſenis menſibus apparuerunt? Deinde duo debent eſſe motus eodem loco: alter ille diuinus & aſſiduus, ſuum ſine intermiſſione peragens opus: alter nouus & recens,& turbine illatus. Neceſſe eſt ergo alter alteri impedimento ſit. Atqui lunaris illa orbita,ceterorumque ſupra lunam meantium motus irreuocabilis eſt: nec hæſitat vſquam,nec reſiſtit,nec dat vllam nobis ſuſpicionem obiectæ ſibi moræ. Fidem non habet,turbinem,violentiſſimum & perturbatiſſimum tempeſtatis genus, in medios ſiderum ordines peruenire,& inter diſpoſita ac tranquilla verſari.Credamus ignem circum-
B acto turbine accendi,& hunc expulſum in ſublime, præbere nobis opinionem ſpeciemque ſideris longi. At puto tale eſſe debet, quale eſt id quod ignem efficit. Turbinis autem rotunda facies eſt. In eodem enim veſtigio verſatur, & in columnæ modo circumagentis ſe voluitur. Ergo ignem quoque qui incluſus eſt,ſimilem eſſe illi oportet. Atqui longus eſt, & diſiectus, minimeque ſimilis in orbem coacto. Epigenem relin- XI.
quamus,& aliorum opiniones perſequamur. Quas antequam exponere incipiam, illud in primis preſumendum eſt,Cometas non in vnâ parte cæli adſpici,nec in ſignifero tantùm orbe,ſed tam in ortu quàm in occaſu, frequentiſſimè tamen circa Septemtrionem. Forma eis non eſt vna. Quamuis enim Græci diſcrimina fecerint eorum quibus in morem barbæ flamma dependet, & eorum qui vndique circa ſe velut comam ſpargunt, & eorum quibus fuſus quidem eſt ignis, ſed in verticem tendens: tamen omnes iſti eiuſdem notæ ſunt, Cometæque rectè dicuntur. Quorum cùm poſt longum tempus appareant formæ, inter ſe eos comparare difficile eſt. Illo ipſo tempore, quo apparent, inter
C ſpectantes de habitu illorum non conuenit: ſed prout cuique acrior acies aut hebetior, ita dicit aut lucidiorem eſſe aut rubicundiorem, & crines aut in interiora deductos, aut in latera diuiſos. Sed ſiue ſint aliquæ differentiæ illorum, ſiue non ſint, eâdem fiant ratione neceſſe eſt Cometæ. Illud vnum conſtare debet, præter ſolitum adſpici nouam ſideris faciem, circa ſe diſſipatum ignem trahentis. Quibuſdam antiquorum hæc placet ratio. Cùm ex ſtellis errantibus altera ſe alteri applicuit, confuſo in vnum duarum lumine, faciem longioris ſideris reddi. Nec hoc tunc tantùm euenit, cùm ſtella ſtellam attigit, ſed etiam cùm appropinquauit. Interuallum enim, quod inter duas eſt, illuſtratur ab vtraque, inflammaturque, & longum ignem efficit. His illud reſponde- XII.
bimus, certum eſſe numerum ſtellarum mobilium. Solere autem eodem tempore & has apparere, & Cometen. Ex quo manifeſtum fit, non illarum coitu fieri Cometen,ſed proprium & ſui iuris eſſe. Etiamnum frequenter ſtella ſub altioris ſtellæ veſtigium venit: & Saturnus aliquando ſupra Iouem eſt, & Mars Venerem aut Mercurium rectâ li-
D neâ deſpicit: nec tamen propter hunc curſum, cùm alter alterum ſubit, Cometes fit: alioquin annis omnibus fieret: omnibus enim aliquæ ſtellæ in eodem ſigno ſimul ſunt. Si cometam faceret ſtella ſtellæ ſuperueniens, momento eſſe deſineret. Summa enim velocitas tranſeuntium eſt. Ideò omnis ſiderum defectio breuis eſt: quia citò illas idem curſus,qui admouerat,abſtrahit. Videmus ſolem & lunam intra exiguum tempus, cùm obſcurati cœperint, liberari: quanto celerior debet fieri in ſtellis congreſſio, tanto minoribus? Atqui Cometæ ſenis menſibus manent. quod non accideret,ſi duarum ſtellarum conuentu gignerentur. Illæ enim diu cohærere non poſſunt, & neceſſe eſt illas lex celeritatis ſeparet.Prætereà iſta nobis vicina videntur,ceterùm interuallis ingentibus diſſident. Quomodo ergo poteſt altera ſtella vſque ad alteram ſtellam ignem mittere, ita vt vtraque iuncta videatur, cùm ſint ingenti regione diductæ? Stellarum, inquit, duarum lumen miſcetur, & præbet vnius ſpeciem. Nempe ſic, quemadmodum rubicunda fit nubes ſolis incurſu,quemadmodum veſpertina aut matutina flaueſcunt,quemadmodum

dum alternè arcus ſolis viſitur. Hæc omnia primùm magnâ vi efficiuntur. Sol enim eſt, A
qui iſta ſuccendit. Stellarum non eſt eadem potentia. Deinde nihil horum, niſi infra
lunam in terrarum viciniâ naſcitur. Superiora pura & ſincera ſunt, & coloris ſui ſemper.
Præterea ſi quid tale accideret, non haberet moram, ſed exſtingueretur citò: ſicut coro-
næ, quæ ſolem lunámve cingunt, & intra breuiſſimum ſpatium exoleſcunt. Nec arcus
quidem diu perſeuerat. Si quid eſſet tale, à quo medium inter duas ſtellas ſpatium con-
funderetur, æquè citò dilaberetur. Vtique non in tantum maneret, quantum morari
Cometæ ſolent. Stellis intra ſigniferum curſus eſt, hunc gyrum premunt: at Cometæ
vbique cernuntur. Non magis certum eſt illis tempus quo appareant, quàm locus vl-
XIII. lus, vltra quem non exeant. Aduerſus hoc ab Artemidoro illa dicuntur, non has
tantùm ſtellas quinque diſcurrere, ſed ſolas obſeruatas eſſe. Ceterùm innumerabiles
ferri per occultum, aut propter obſcuritatem luminis nobis ignotas, aut propter circulo-
rum poſitionem talem, vt tunc demum, cùm ad extremam eorum venêre, viſantur. Er-
go intercurrunt quædam ſtellæ, vt ait, nobis nouæ, quæ lumen ſuum cum ſtantibus mi- B
ſceant, & maiorem quàm ſtellis mos eſt, porrigant ignem. hoc ex his quæ mentitur, le-
uiſſimum eſt: tota eius narratio mundi, mendacium impudens eſt. Nam ſi illi credi-
mus, ſumma cæli ora ſolidiſſima eſt, in modum tecti durata, & alti craſſiqúe corporis,
quod atomi congeſtæ coaceruatæque fecerunt. Huic proxima ſuperficies eſt ignea, ita
compacta, vt ſolui vitiariqúe non poſſit. Habet tamen ſpiramenta quædam, & quaſi fe-
neſtras, per quas ex parte exteriore mundi influant ignes, non tam magni, vt interiora
conturbent. Rurſus ex mundo in exteriora labuntur. Itaque hæc quæ præter conſuetu-
dinem apparent, influxerunt ex illâ vtraque mundi iacente materiâ. Soluere iſta quid
XIV. aliud eſt, quàm manum exercere, & in ventum iactare brachia? Velim tamen
mihi dicat iſte, qui mundo tam firma lacunaria impoſuit, quid ſit quare credamus illi
tantam eſſe craſſitudinem cæli. Quid fuit, quod illò tam ſolida corpora adduceret, & ibi
detineret. Deinde quod tantæ craſſitudinis eſt, neceſſe eſt & magni ponderis ſit. Quo-
modo ergo in ſummo manent grauia? Quomodo illa moles non deſcendit, & ſe onere C
ſuo frangit? Fieri enim non poteſt, vt tanta vis ponderis, quantam ille ſubſtituit, pen-
deat, & leuibus innixa ſit. Nec illud quidem poteſt dici, extrinſecus aliqua eſſe retinacu-
la, quibus cadere prohibeatur. nec rurſus de medio aliquid eſſe oppoſiti, quod imminens
corpus excipiat ac fulciat. Illud etiamnum nemo dicere audebit, mundum ferri per im-
menſum, & cadere quidem, ſed non apparere an cadat: quia præcipitatio eius æterna
eſt, nihil habens nouiſſimum, in quod incurrat. Hoc quidam de terrâ dixerunt, cùm ra-
tionem nullam inuenirent, propter quam pondus in aëre ſtaret. Fertur, inquiunt, ſem-
per: ſed non apparet an cadat, quia infinitum eſt in quod cadit. Quid eſt deinde quo
probes, non quinque tantùm ſtellas moueri, ſed multas eſſe, & in multis mundi regioni-
bus? Aut ſi hoc ſine vllo probabili argumento licet reſpondere, quid eſt, quare non ali-
quis aut omnes ſtellas moueri, aut nullam dicat? Præterea nihil te adiuuat iſta ſtellarum
paſſim euntium turba. Nam quò plures fuerint, ſæpiùs in alias incident: rari autem
Cometæ, & ob hoc mirabiles ſunt. Quid, quòd teſtimonium dicet contra te omnis D
XV. ætas, quæ talium ſtellarum exortus & annotauit, & poſteris tradidit? Poſt mor-
tem Demetrij Syriæ regis, cuius Demetrius & Antiochus liberi fuêre, paullò ante Achai-
cum bellum Cometes effulſit, non minor ſole. Primò igneus ac rubicundus orbis fuit,
clarumque lumen emittens, quanto vinceret noctem. Deinde paullatim magnitudo
eius diſtricta eſt, & euanuit claritas. Nouiſſimè autem totus intercidit. Quot ergo coire
ſtellas oportet, vt tantum corpus efficiant? Mille in vnum licet congreges, numquam
hunc ambitum ſolis æquabunt. Attalo regnante, initio Cometes apparuit modicus.
Deinde ſuſtulit ſe diffuditque, & vſque in æquinoctialem circulum venit, ita vt illam
plagam cæli, cui lactea nomen eſt, in immenſum extentus æquaret. Quot ergo conue-
niſſe debent erraticæ, vt tam longum cæli tractum occuparent igne continuo?
XVI. Contra argumentum dictum eſt: contra teſtes dicendum eſt. Nec magnâ molitione
detrahenda eſt auctoritas Ephoro: hiſtoricus eſt. Quidam incredibilium relatu com-

menda-

A mendationem parant,& lectorem aliud acturum,si per quotidiana duceretur,miraculo excitant. Quidam creduli,quidam negligentes sunt: quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet. Illi non euitant, hi appetunt. Et hoc in commune de totâ natione: quæ approbare opus suum, & fieri populare non putat posse, nisi illud mendacio aspersit. Ephorus verò non religiosissimæ fidei, sæpè decipitur, sæpè decipit. Sicut hic Cometen, qui omnium mortalium oculis custoditus est, quia ingentis rei traxit euentus, cùm Helicen & Burin ortu suo mersit, ait illum discessisse in duas stellas: quod præter illum nemo tradidit. Quis enim posset obseruare illud momentum, quo Cometes solutus,& in duas partes redactus est? Quomodo autem si est qui viderit Cometen in duas dirimi,nemo vidit fieri ex duabus? Quare autem non adiecit, in quas stellas diuisus sit, cùm aliqua ex quinque stellis esse debuerit? Apollonius Myndius in diuersâ XVII.
opinione est. Ait enim,Cometen non vnum ex multis erraticis effici,sed multos Cometas erraticos esse. Non est, inquit, species falsa, nec duarum stellarum confinio ignis ex-
B tentus: sed & proprium sidus Cometes est, sicut solis aut lunæ. Talis illi forma est,non in rotundum restricta,sed procerior,& in longum producta. Ceterùm non est illi palàm cursus: altiora mundi secat: & tunc demum apparet, cùm in imum cursus sui venit. Nec est quòd putemus, eumdem visum esse sub Claudio, quem sub Augusto vidimus: nec hunc qui sub Nerone Cæsare apparuit, & Cometis detraxit infamiam, illi similem fuisse, qui post necem diui Iulij, ludis Veneris genitricis, circa vndecimam horam diei emersit. Multi variiq́ue sunt, dispares magnitudine, dissimiles colore: aliis rubor est sine vllâ luce: aliis candor, & purum liquidumq́ue lumen: aliis flamma, & hæc non sincera,nec tenuis,sed multum circa se voluens fumidi ardoris. Cruenti quidam,minaces, qui omen post se futuri sanguinis ferunt. hi minuunt augentq́ue lumen suum, quemadmodum alia sidera: quæ clariora, cùm descendere, sunt, maioraq́ue ex loco propiore visuntur: minora, cùm redeunt,& obscuriora, quia abducunt se longiùs. Ad- XVIII.
uersus hoc protinus respondetur,non idem accidere in Cometis,quod in ceteris. Come-
C tæ enim quo primùm die apparuerint, maximi sunt. Atqui deberent crescere, quò propiùs accederent. Nunc autem manet illis prima facies, donec incipiant exstingui. Deinde quod aduersus priores, etiam aduersus hunc dicitur: Si erraret Cometes, essetq́ue sidus, intra signiferi terminos moueretur, intra quod omne sidus cursus suos colligit. Numquam apparet stella per stellam. Acies nostra non potest per medium sidus exire, vt per illud superiora prospiciat. Per Cometen autem non aliter quàm per nubem vlteriora cernuntur:ex quo apparet,illum non esse sidus,sed leuem ignem ac tumultuarium.

Zenon noster in illâ sententiâ est: congruere iudicat stellas, & radios inter se com- XIX.
mittere: hac societate luminis exsistere imaginem stellæ longioris. Ergo quidam nullos esse Cometas existimant, sed species illorum per repercussionem vicinorum siderum, aut per coniunctionem cohærentium reddi. Quidam aiunt esse quidem,sed habere cursus suos, & post certa lustra in conspectum mortalium exire. Quidam esse quidem, sed non quibus siderum nomen imponas: quia dilabuntur, nec diu durant, & exigui tem-
D poris morâ dissipantur. In hac sententiâ sunt plerique nostrorum: nec id pu- XX.
tant veritati repugnare. Videmus enim,in sublimi varia ignium concipi genera, & modò cælum ardere, modò

Longos à tergo flammarum albescere tractus,

modò faces cum igne vasto rapi: ipsa etiam fulmina, etsi velocitate mirâ, simul & perstringunt aciem, & relinquunt ignes suos, aëris attriti, & impetu inter se maiore collisi. Ideò ne resistunt quidem, sed expressi fluunt, & protinus pereunt. Alij verò ignes diu manent: nec antè discedunt, quàm consumptum est omne, quo pascebantur, alimentum. Hoc loco sunt illa à Posidonio scripta miracula, columnæ, clypeiq́ue flagrantes, aliæq́ue insigni nouitate flammæ: quæ non aduerterent animos, si ex consuetudine & lege decurrerent. Ad hæc stupent omnes, & repentinum ignem ex alto effecerunt,siue emicuit aliquid & fugit, siue compresso aëre & in ardorem coacto, loco miraculi stetit. Quid ergo? Non aliquando lacuna cedentis retrò ætheris patuit, & vastum

in concauo lumen? Exclamare posses: Quid est hoc? A

—— medium video discedere cælum,
Palantesque polo stellas.

quæ aliquando non exspectatâ nocte fulserunt, & per medium eruperunt diem. Sed alia huius rei ratio est, quare alieno tempore apparent, quas esse, etiam cùm laterent, constat. Multos Cometas non videmus, quòd obscurantur radiis solis: quo deficiente, quemdam Cometen apparuisse, quem sol vicinus obtexerat, Posidonius tradit. Sæpè autem cùm occidit sol, sparsi ignes non procul ab eo videntur. Videlicet ipsa stella sole perfun-
XXI. ditur, & ideò adspici non potest. Cometæ autem radios solis effugiunt. Placet ergo nostris, Cometas, sicut faces, sicut tubas, trabesque, & alia ostenta cæli, denso aëre creari. Ideò circa Septemtrionem frequentissimè apparent, quia illîc plurimum est aëris pigri. Quare ergo non stat Cometes, sed procedit? dicam. Ignium modo alimentum suum sequitur. Quamuis enim illi ad superiora nisus est: tamen deficiente materiâ retroiens ipse descendit in aëra quoque, si dextram læuamque premit partem. Nulla enim B
illi via est: sed quâ illum vena pabuli sui duxit, illò repit, nec vt stella procedit, sed vt ignis pascitur. Quare ergo per longum tempus apparet, & non citò exstinguitur? [4] Sex enim mensibus hic, quem nos Neronis principatu lætissimo vidimus, spectandum se præbuit, in diuersum illi Claudiano circumactus. Ille enim à Septemtrione in verticem surgens, Orientem petiit semper obscurior: hic ab eâdem parte cœpit, sed in Occidentem tendens, ad Meridiem flexit, & ibi se subduxit oculis. Videlicet ille humidiora habuit, & aptiora ignibus, quæ prosecutus est: huic rursus vberior fuit & plenior regio. Huc itaque descendunt, inuitante materiâ, non itinere. Quod apparet duobus, quos spectauimus, fuisse diuersum: cùm hic in dextrum motus sit, ille in sinistrum. Omnibus autem stellis in eamdem partem cursus est, id est, contrarius mundo. Hic enim ab ortu voluitur in occasum, illæ ab occasu in ortum eunt. Et ob hoc duplex his motus est:
XXII. ille quo eunt, & hic quo auferuntur. Ego nostris non assentior. Non enim existimo Cometen subitaneum ignem, sed inter æterna opera naturæ. Primùm quæcum- C
que aër creat, breuia sunt. Nascuntur enim in re fugaci & mutabili. Quomodo potest enim in aëre aliquid idem diu permanere, cùm ipse aër numquam idem maneat? fluit semper, & breuis illi quies est. Intra exiguum momentum in alium, quàm in quo fuerat, statum vertitur. Nunc pluuius, nunc serenus, nunc inter vtrumque varius: nubesque illi familiarissimæ, in quas coit, & ex quibus soluitur. modò congregantur, modò digeruntur, numquam immotæ iacent. Fieri non potest, vt ignis certus in corpore vago sedeat, & ita pertinaciter hæreat, quàm quem natura, ne vmquam excuteretur, aptauit. Deinde si alimento suo hæreret, semper descenderet. Eò enim crassior aër est, quò terris propior: numquam Cometes in imum vsque demittitur, neque appropinquat solo. Etiamnum ignis aut it quò illum natura sua ducit, id est sursum: aut eò quò trahit ma-
XXIII. teria, cui adhæsit, & quam depascitur. Nullis ignibus ordinariis & cælestibus iter flexum est. Sideris proprium est, ducere orbem. Atqui hoc an Cometæ alij fecerint, nescio: duo nostrâ ætate fecerunt. Deinde omne quod caussa temporalis accendit, citò D
intercidit. Sic faces ardent, dum transeunt: sic fulmina in vnum valent ictum: sic quæ transuersæ dicuntur stellæ & cadentes, præteruolant & secant aëra. Nullis ignibus nisi in suo mora est. Illis dico diuinis, quos habet mundus æternos, quia partes eius sunt, & opera. Hi autem aliquid agunt, & vadunt, & tenorem suum seruant, paresque sunt. Nam alternis diebus maiores minoresve fierent, si ignis esset collecticius, & ex aliquâ caussâ repentinus. Minor enim esset ac maior, prout pleniùs aleretur aut maligniùs. Dicebam modò, nihil diuturnum esse, quod exarsit aëris vitio: nunc ampliùs adiicio. Morari ac stare nullo modo potest. Nam & fax & fulmen & stella transcurrens, & quisquis alius est ignis aëre expressus, in fugâ est: nec apparet, nisi dum cadit. Cometes habet suam sedem: & ideò non citò expellitur, sed emetitur spatium suum: nec exstinguitur, sed excedit. Si erratica, inquit, stella esset, in signifero esset. Quis vnum stellis limitem ponit? Quis in angustum diuina compellit? Nempe hæc ipsa sidera, quæ sola moueri credis,

alios

A alios & alios circulos habent. Quare ergo non aliqua ſint, quæ in proprium iter & ab iſtis remotum ſeceſſerint? Quid eſt, quare in aliquâ parte cęlum peruium non ſit? Quòd ſi iudicas, non poſſe vllam ſtellam niſi ſigniferum attingere: Cometes poteſt ſic latum habere circulum, vt in hunc tamen parte aliquâ ſui incidat: quod fieri non eſt neceſſarium, ſed poteſt. Vide ne hoc magis deceat magnitudinem mundi, vt in multa XXIV.
itinera diuiſus ſit: nec hanc vnam deterat ſemitam, ceteris partibus torpeat. Credis autem in hoc maximo & pulcherrimo corpore inter innumerabiles ſtellas, quæ noctem decore vario diſtinguunt, quæ aëra minimè vacuum & inertem eſſe patiuntur, quinque ſolas eſſe, quibus exercere ſe liceat, ceteras ſtare, fixum & immobilem populum? Si quis hoc loco me interrogauerit: Quare ergo non quemadmodum quinque ſtellarum, ita harum obſeruatus eſt curſus? Huic ego reſpondebo: Multa ſunt quæ eſſe concedimus: qualia ſint, ignoramus. Habere nos animum, cuius imperio & impellimur & reuocamur, omnes fatebuntur: quid tamen ſit animus ille rector dominusque noſtri, non
B magis tibi quiſquam expediet, quàm vbi ſit. Alius illum dicet eſſe ſpiritum, alius concentum quemdam, alius vim diuinam & Dei partem, alius tenuiſſimum aërem, alius incorporalem potentiam. Non deerit qui ſanguinem dicat, qui calorem. Adeò animo non poteſt liquere de ceteris rebus, vt adhuc ipſe ſe quærat. Quid ergo mi- XXV.
ramur, Cometas, tam rarum mundi ſpectaculum, nondum teneri legibus certis: nec initia illorum fineſque noteſcere, quorum ex ingentibus interuallis recurſus eſt? Nondum ſunt anni mille quingenti, ex quo Græcia

—— *ſtellis numeros & nomina fecit.*

Multæque hodie ſunt gentes, quæ tantùm facie nouerint cælum, quæ nondum ſciant cur luna deficiat, quare obumbretur. Hoc apud nos quoque nuper ratio ad certum perduxit. Veniet tempus, quo iſta quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris æui diligentia. Ad inquiſitionem tantorum ætas vna non ſufficit, vt tota cælo vacet. Quid, quòd tam paucos annos inter ſtudia ac vitia non æquâ portione diuidimus? Itaque per
C ſucceſſiones iſtas longas explicabuntur. Veniet tempus, quo poſteri noſtri tam aperta nos neſciſſe mirentur. Harum quinque ſtellarum, quæ ſe ingerunt nobis, quæ alio atque alio occurrentes loco, curioſos nos eſſe cogunt, qui matutini veſpertinique ortus ſint, quæ ſtationes, quando in rectum ferantur, quare aguntur retrò, modò cœpimus ſcire. Vtrùm emergeret Iupiter, an occideret, an retrogradus eſſet (nam hoc illi nomen impoſuêre cedenti) ante paucos annos didicimus. Inuenti ſunt qui nobis dicerent: Erratis, qui vllam ſtellam aut ſupprimere curſum iudicatis, aut vertere. Non licet ſtare cæleſtibus, nec auerti: prodeunt omnia: vt ſemel miſſa ſunt, vadunt. Idem erit illis curſus, qui ſui finis. Opus hoc æternum irreuocabiles habet motus: qui ſi quando conſtiterint, alia ex aduerſo incident, quæ nunc tenor & æqualitas ſeruat. Quid eſt ergo, cur aliqua redi- XXVI.
re videantur? Solis occurſus ſpeciem illis tarditatis imponit, & natura viarum circulorumque ſic poſitorum, vt certo tempore intuentes fallant. Sic naues quamuis plenis velis eant, videntur tamen ſtare. Erit qui demonſtret aliquando, in quibus Cometæ partiD bus errent, cur tam ſeducti à ceteris eant, quanti qualeſque ſint. Contenti ſimus inuentis: aliquid veritati & poſteri conferant. Per ſtellas, inquit, vlteriora non cernimus, per Cometas aciem tranſmittimus. Primùm ſi fit iſtud, non in eâ parte fit, quâ ſidus ipſum eſt ſpiſſi ac ſolidi ignis, ſed quâ rarus ſplendor excurrit, & in crines diſpergitur. Per interualla ignium, non per ipſos vides. Stellæ, inquit, omnes rotundæ ſunt, Cometæ porrecti: ex quo apparet, ſtellas non eſſe. Quis enim tibi concedet, Cometas longos eſſe? Quorum natura quidem, vt ceterorum ſiderum, globus eſt, ceterùm fulgor extenditur: Quemadmodum ſol radios ſuos longè lateque dimittit, ceterùm ipſi alia eſt forma, alia ei quod ex ipſo fluit lumini: ſic Cometarum corpus ipſum corrotundatur, ſplendor autem longior quàm ceterorum ſiderum apparet. Quare? inquis. Dic tu mihi priùs, qua- XXVII.
re luna diſſimillimum ſoli lumen accipiat, cùm accipiat à ſole? Quare modò rubeat, modò palleat? Quare liuidus illi & ater color ſit, cùm à conſpectu ſolis excluditur? Dic mihi, quare omnes ſtellæ inter ſe diſſimilem habeant aliquatenus faciem, diuerſiſſimam

ſoli. Quomodo nihil prohibet, iſta ſidera eſſe, quamuis ſimilia non ſint: ita nihil pro- A
hibet, Cometas æternos eſſe & ſortis eiuſdem, cuius cetera, etiamſi faciem illis non ha-
bent ſimilem. Quid porrò? mundus ipſe, ſi conſideres illum, nónne ex diuerſis compo-
ſitus eſt? Quid eſt quare in leone ſemper ſol ardeat, & terras æſtibus torreat: in aqua-
rio adſtringat hiemem, flumina gelu claudat? Et hoc tamen & illud ſidus eiuſdem con-
ditionis eſt, cùm effectu & naturâ diſſimile ſit. Intra breuiſſimum tempus aries extol-
litur, libra tardiſſimè emergit: & tamen hoc ſidus & illud eiuſdem naturæ eſt: cùm il-
lud exiguo tempore adſcendat, hoc diu proferatur. Non vides, quàm contraria inter ſe
elementa ſint? grauia & leuia ſunt, frigida & calida, humida & ſicca. Tota huius mundi
concordia ex diſcordibus conſtat. Negas Cometen ſtellam eſſe, quia forma eius non re-
ſpondeat ad exemplar, nec ſit ceteris ſimilis. Vides enim quàm ſimillima ſit illa, quæ tri-
ceſimo anno reuertitur ad locum ſuum, huic quæ intra annum reuiſit ſedem ſuam. Non
ad vnam natura formam opus ſuum præſtat, ſed ipſâ varietate ſe iactat. Alia maiora, alia
velociora aliis fecit. Alia validiora, alia temperatiora: quædam autem eduxit à turbâ, vt B
ſingula & conſpicua procederent: quædam in gregem miſit. Ignorat naturæ potentiam,
qui illi non putat aliquando licere, niſi quod ſæpiùs facit. Cometas non frequéter oſten-
dit, attribuit illis alium locum, alia tempora, diſſimiles ceteris motus. Voluit & his ma-
gnitudinem operis ſui colere, quorum formoſior facies eſt, quàm vt fortuitam putes, ſi-
ue amplitudinem eorum conſideres, ſiue fulgorem, qui maior eſt ardentiorque quàm
ceteris. Facies verò habet inſigne quiddam & ſingulare, non in anguſtum coniecta & ar-
XXVIII ctata, ſed dimiſſa liberiùs, & multarum ſtellarum amplexa regionem. Ariſtoteles
ait, Cometas ſignificare tempeſtatem, & ventorum intemperantiam atque imbrium.
Quid ergo? non iudicas ſidus eſſe, quod futura denunciat? Non enim ſic hoc tempeſta-
tis ſignum eſt, quomodo futuræ pluuiæ,

Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos:

aut quomodo indicium eſt ſæuituri maris, ſi marinæ

In ſicco ludunt fulicæ: notaſque paludes C
Deſerit, atque altam ſupra volat ardea nubem:

ſed ſic, quomodo æquinoctium in calorem friguſque flectentis anni, quomodo illa quæ
Chaldæi canunt, quid ſtella naſcentibus triſte lætúmve conſtituat. Hoc vt ſcias ita eſſe,
non ſtatim Cometes ortus ventos & pluuias minatur, vt Ariſtoteles ait, ſed annum to-
tum ſuſpectum facit. Ex quo apparet, illum non ex proximo, quæ in proximum daret
ſigna traxiſſe, ſed habere repoſita & compreſſa legibus mundi. Fecit is Cometes, qui Pa-
terculo & Vopiſco conſulibus apparuit, quæ ab Ariſtotele Theophraſtoque ſunt præ-
dicta. Fuerunt enim maximæ & continuæ tempeſtates vbique. At in Achaiâ, Macedo-
niaque, vrbes terrarum motibus prorutæ ſunt. Tarditas, inquit, illorum argumentum
eſt, grauiores eſſe, multumque in ſe habere terreni: ipſi præterea curſus. ferè enim com-
XXIX. pelluntur in cardines. Vtrumque falſum eſt. De priore dicam priùs. Quare
quæ tardiùs feruntur, grauia ſunt? Quid ergo? Stella Saturni, quæ ex omnibus iter ſuum
lentiſſimè efficit, grauis eſt? Atqui leuitatis argumentum habet, quòd ſuper ceteras eſt. D
Sed maiore, inquam, ambitu circuit, nec tardiùs it quàm ceteræ, ſed longiùs. Succurrat
tibi, idem me de Cometis poſſe dicere, etiamſi ſegnior illis curſus ſit. Sed mendacium
eſt, ire eos tardiùs. Nam intra ſextum menſem dimidiam cęli partem tranſcurrit hic pro-
ximus. Prior intra pauciores menſes recepit ſe. Sed quia graues ſunt, inferiùs deferuntur.
Primùm non defertur, quod circumfertur. Deinde hic proximus à Septemtrione mo-
tus ſui initium fecit, & per Occidentem in Meridiana peruenit, erigenſque ſuum curſum
oblituit. Alter ille Claudianus à Septemtrione primùm viſus, non deſiit in rectum aſſi-
duè celſior ferri, donec exceſſit. Hæc ſunt quæ aut alios mouere ad Cometas pertinen-
tia, aut me. Quæ an vera ſint, dij ſciunt, quibus eſt ſcientia veri. Nobis rimari illa &
coniecturare in occulto tantùm licet, nec cum fiduciâ inueniendi, nec ſine ſpe.
XXX. Egregiè Ariſtoteles ait, numquam nos verecundiores eſſe debere, quàm cùm de diis
agitur. Si intramus templa compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus,

togam

A togam adducimus, ſi in omne argumentum modeſtiæ fingimur? quanto hoc magis facere debemus, cùm de ſideribus, de ſtellis, de deorum naturâ diſputamus, ne quid temerè, ne quid impudenter, aut ignorantes affirmemus, aut ſcientes mentiamur? Nec miremur tam tardè erui, quæ tam altè iacent. Panætio, & his qui videri volunt Cometen non eſſe ordinarium ſidus, ſed falſam ſideris faciem, diligenter tractandum eſt, an æquè omnis pars anni edendis Cometis ſatis apta ſit: an omnis cæli regio idonea in quâ creentur: an quacumque ire, ibi etiam concipi poſſint: & cetera, quæ vniuerſa tolluntur, cùm dico illos fortuitos non eſſe ignes, ſed intextos mundo, quos non frequenter educit, ſed in occulto mouet. Quàm multa præter hos per ſecretum eunt, numquam humanis oculis orientia? Neque enim omnia Deus humanis oculis nota fecit. Quota pars operis tanti noſtris oculis committitur? Ipſe qui ea tractat, qui condidit, qui totum hoc fundauit deditque circa ſe, maiorque eſt pars operis ſui, ac melior, effugit oculos, cogitatione viſendus eſt. Multa præterea cognata numini XXXI.
B ſummo, & vicinam ſortita potentiam, obſcura ſunt. Aut fortaſſe, quod magis mireris, oculos noſtros & implent & effugiunt: ſiue illis tanta ſubtilitas eſt, quantam conſequi acies humana non poſſit: ſiue in ſanctiore ſeceſſu maieſtas tanta delituit, & regnum ſuum, id eſt ſe, regit, nec vlli aditum dat, niſi animo. Quid ſit hoc, ſine quo nil eſt, ſcire non poſſumus: & miramur, ſi quos igniculos parùm nouimus, cùm maxima pars mundi Deus lateat? Quàm multa animalia hoc primùm cognouimus ſæculo? & quidem multa venientis æui populus ignota nobis ſciet. Multa ſæculis tunc futuris cùm memoria noſtri exoleuerit, reſeruantur. Puſilla res mundus eſt, niſi in illo quod quærat omnis mundus habeat. Non ſemel quædam ſacra traduntur: Eleuſis ſeruat, quod oſtendat reuiſentibus. Rerum natura, ſacra ſua non ſimul tradit. Initiatos nos credimus: in veſtibulo eius hæremus. Illa arcana non promiſcuè nec omnibus patent: reducta & in interiore ſacrario clauſa ſunt. Ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ poſt nos ſubibit, adſpiciet. Quando ergo iſta in notitiam noſtram perducentur? Tar-
C dè magna proueniunt, vtique ſi labor ceſſat. Id quod vnum toto agimus animo, nondum perfecimus, vt peſſimi eſſemus. Adhuc in proceſſu vitia ſunt. Inuenit luxuria aliquid noui, in quod inſaniat. Inuenit impudicitia nouam contumeliam ſibi. Inuenit delitiarum diſſolutio & tabes aliquid tenerius molliuſque, quo pereat. Nondum ſatis robur omne proiecimus. Adhuc quidquid eſt boni moris, exſtinguimus leuitate & politurâ corporum. Muliebres munditias anteceſſimus, colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri ſumimus. Tenero & molli ingreſſu ſuſpendimus gradum: non ambulamus, ſed incedimus. Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma diſponitur. Quotidie comminiſcimur, per quæ virilitati fiat iniuria, vt traducatur, quia non poteſt exui. Alius genitalia excidit, alius in obſcœnam partem ludi fugit, & locatus ad mortem, infamiæ armatur. Egenus etiam, in quo morbum ſuum exerceat, legit. Miraris, ſi nondum ſapientia omne opus ſuum impleuit? XXXII
Nondum tota ſe nequitia protulit. Adhuc naſcitur, & huic omnes operam damus:
D huic oculi noſtri, huic manus ſeruiunt. Ad ſapientiam quis accedit? Quis dignam iudicat, niſi quam in tranſitu nouerit? Quis philoſophiam, aut vllum liberale reſpicit ſtudium, niſi cùm ludi intercalantur, cùm aliquis pluuius interuenit dies, quem perdere licet? Itaque tot familiæ philoſophorum ſine ſucceſſore deficiunt. Academici & veteres & minores nullum antiſtitem reliquerunt. Quis eſt qui tradat præcepta Pyrrhonis? Pythagorica illa inuidioſæ turbæ ſchola præceptorem non inuenit. Sextiorum noua & Romani roboris ſecta, inter initia ſua, cùm magno impetu cœpiſſet, exſtincta eſt. At quantâ curâ laboratur, ne cuius pantomimi nomen intercidat? Stat per ſucceſſores Pyladis & Batilli domus: harum artium multi diſcipuli ſunt, multique doctores. Priuatim vrbe totâ ſonat pulpitum. In hoc viri, in hoc fæminæ tripudiant. Mares inter ſe vxoreſque contendunt, vter det latus illis. Deinde ſub perſonâ, cùm diu trita frons eſt, tranſitur ad ganeam. Philoſophiæ nulla cura eſt. Itaque adeò nihil inuenitur ex his quæ parùm inueſtigata antiqui reliquerunt, vt multa quæ inuenta erant,

oblitterentur. At mehercules si hoc totis membris premeremus, si in hoc iuuentus so- A
bria incumberet, hoc maiores docerent, hoc minores addiscerent, vix ad fundum veniretur: in quo veritas posita est, quam nunc in summâ terrâ & leui manu quærimus.

Naturalium quæstionum finis.

M. ANTONII MVRETI

AD LIBRVM SEPTIMVM NATVRALIVM SENECÆ B QVÆSTIONVM, NOTÆ.

DE *Cometis, quæ propria huius libri materia est, videndus Aristoteles cap. sexto, & cap. septimo primi Meteorologicôn. Plinius cap.* XXV. *lib. secundi, & alij.*

AD CAP. I. 1. QVOD A SOLSTITIO AD MINVENDOS DIES VERTITVR.] *Hæc omnia & absunt à veteribus libris, & planè redundant. Quare deleri iussi.*

AD CAP. II. 2. VTRVM MVNDVS TERRA STANTE.] *Cicero in Academicis*: Hicetas *(ita enim iampridem legendum docui, non vt vulgò*, Nicetas) Syracusius, vt ait Theophrastus, cælum, solem, lunam, stellas, supera denique omnia stare censet: neque, præter terram, rem vllam in mundo moueri: quæ cùm circum axem se summâ celeritate conuertat & torqueat, eadem effici omnia, quæ, si, stante terrâ, cælum moueretur. Atque hoc etiam Platonem in Timæo dicere quidam arbitrantur, sed paullò obscuriùs. *Laërtius ab aliis hunc, ab aliis Philolaum huius admirabilis sententiæ auctorem putari ait. Sed & Heraclides Ponticus, & Ecphantus Pythagoreus idem sensisse traduntur.*

AD CAP. XI. 3. QVIBVSDAM ANTIQVORVM.] *Anaxagoræ & Democriti opinio hæc fuisse dicitur.*

AD CAP. XXI. 4. SEX ENIM MENSIBVS.] *Quomodo igitur tuebimur Plinium, cuius hæc verba sunt?* breuissimum quo cernerentur spatium septem dierum annotatum est, longissimum octoginta. *Nimirum addenda est Plinio vna littera* C: *vt sit*, C. octoginta. *Totidem enim diebus sex menses constant.* C

L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ
CLAVDII CAESARIS
ΑΠΟΚΟΛΟΚΥΝΤΟΣΙΣ.

VID actum sit in cælo ante diem tertium eidus Octobris, Asinio Marcello, Acilio Auiolâ Cos. anno nouo, initio sæculi felicissimi, vol memoriæ tradere. Nihil offensæ vel gratiæ dabitur. Hæc ita vera si quis quæsierit vnde sciam: primùm, si noluero, non respondebo. Quis coacturus est? Ego scio me liberum factum, ex quo suum diem obiit ille, qui verum prouerbium fecerat, Aut regem, aut fatuum nasci oportere. Si libuerit respondere, dicam quod mihi in buccam venerit. Quis vmquam ab historico iurato res exegit? Tamen si necesse fuerit auctorem producere, quærite ab eo qui Drusillam euntem in cælum vidit. Idem Claudium vidisse se dicet iter facientem, non passibus æquis. Velit, nolit, necesse est illi omnia videre, quæ in cælo agantur. Appiæ viæ curator est: quâ scis & diuum Augustum, & Tiberium Cæsarem, ad deos isse. Hunc si interrogaueris, soli narrabit: coram pluribus numquam verbum faciet. Nam ex quo in senatu iurauit se Drusillam vidisse cælum adscendentem, & illi pro tam bono nuntio nemo credidit quid viderit, verbis conceptis adfirmauit, se non indicaturum etiamsi in medio foro hominem vidisset occisum. Ab hoc ego quæcumque audiui, certè clara affero, ita illum saluum & felicem habeam.

Jam Phœbus breuiore viâ contraxerat ortum
Lucis, & obscuri crescebant [2] tempora somni:
Jamque suum victrix augebat Cynthia regnum;
Et deformis hiems gratos carpebat honores
Diuitis autumni, visoque senescere Baccho
Carpebat raras serus vindemitor vuas.

Puto magis intelligi si dixero, mensis erat October, dies tertius eidus Octobris. Horam non possum tibi certam dicere. faciliùs inter philosophos, quàm inter horologia conueniet. Tamen inter sextam & septimam erat. Nimis rusticè [3] acquiescunt oneri poëtæ, non contenti ortus & occasus describere, vt etiam medium diem inquietent. Tu sic transibis horam tam bonam?

Jam medium cursu Phœbus diuiserat orbem,
Et propior nocti fessas quatiebat habenas,
Obliquo flexam deducens tramite lucem.

Claudius animam agere cœpit, nec inuenire exitum poterat. Tum Mercurius, qui semper ingenio eius delectatus esset, vnam de tribus Parcis educit, & ait: Quid fœmina crudelissima hominem miserum torqueri pateris, [4] nec vmquam meritum, vt tamdiu cruciaretur? Annus sexagesimus & quartus est, ex quo cum animâ luctatur. Quid huic inuides? Patere mathematicos aliquando verum dicere, qui illum ex quo princeps factus est, [5] omnibus annis, omnibus mensibus efferunt. Et tamen non est mirum si erarant. horam eius nemo nouit. Nemo enim illum vmquam natum putauit. Faciendum est. *Dede neci. melior vacuâ sine regnet in aulâ.*

Sed Clotho: Ego mehercule, inquit, pusillum temporis adiicere illi volebam, dum hos pauculos, qui supersunt, ciuitate donaret. Constituerat enim omnes Græcos, Gallos,

Hiſpanos,[6] Britannos,togatos videre. Sed quoniam placet aliquos peregrinos in ſemen A
relinqui,& tu ita iubes fieri, fiat. Aperit tum capſulam, & treis fuſos profert. Vnus erat
Augurini,[7] alter Babæ, tertius Claudij. Hos, inquit, treis vno anno exiguis interual-
lis temporum diuiſos mori iubebo: nec illum incomitatum dimittam. Non oportet
enim eum, qui modò ſe tot millia hominum ſequentia videbat, tot præcedentia, tot cir-
cumfuſa, ſubitò ſolum deſtitui. Contentus erit his interim conuictoribus.

Hæc ait: & turpi conuoluens ſtamina fuſo,
Abrupit ſtolidæ regalia tempora vitæ.
At Lacheſis redimita comas, ornata capillos,
Pieriâ crinem lauro frontemque coronans,
Candida de niueo ſubtemina vellere ſumit,
Felici moderanda manu: quæ ducta colorem
Aſſumpſere nouum: mirantur penſa ſorores.
Mutatur vilis pretioſo lana metallo: B
Aurea formoſo deſcendunt ſæcula filo.
Nec modus eſt illis, felicia vellera ducunt,
Et gaudent implere manus, ſunt dulcia penſa.
Sponte ſuâ feſtinat opus, nulloque labore
Mollia contorto deſcendunt ſtamina fuſo.
Vincunt Tithoni, vincunt & Neſtoris annos.
Phœbus adeſt, cantuque iuuat, gaudetque futuris:
Et lætus nunc plectra mouet, nunc penſa miniſtrat.
Detinet intentas cantu, fallitque laborem.
Dumque nimis citharam, fraternaque carmina laudant,
Plus ſolito neuere manus: humanaque fata
Laudatum tranſcendit opus. Ne demite Parcæ, C
Phœbus ait: vincat mortalis tempora vitæ,
Ille mihi ſimilis vultu, ſimilisque decore,
Nec cantu, nec voce minor: felicia laſſis
Sæcula præſtabit, legumque ſilentia rumpet.
Qualis diſcutiens fugientia lucifer aſtra;
Aut qualis ſurgit redeuntibus heſperus aſtris:
Qualis cùm primùm tenebris aurora ſolutis
Induxit rubicunda diem, ſol adſpicit orbem
Lucidus, & primos è carcere concitat axes:
Talis Cæſar adeſt, talem iam Roma Neronem
Adſpiciet, flagrat nitidus fulgore remiſſo
Vultus, & affuſo ceruix formoſa capillo.

Hæc Apollo. At Lacheſis, quæ & ipſa homini fortiſſimo faueret, fecit, & plenâ orditur D
manu, & Neroni multos annos de ſuo donat. Claudium autem iubent omnes χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων. Et ille quidem animam ebulliit, & eò deſiit viuere videri. Ex-
ſpirauit autem dum comœdos audit, vt ſcias me non ſine cauſſâ illos timere. Vltima vox
eius hæc inter homines audita eſt, cùm maiorem ſonitum emiſiſſet illâ parte, quâ faci-
liùs loquebatur: Væ me, puto, concacaui me. Quid autem fecerit, neſcio:[8] omnia cer-
tè concacauit. Quæ in terris poſteà ſint acta, ſuperuacuum eſt referre. Scitis enim opti-
mè: nec periculum eſt, ne excidant,[9] quæ memoriæ publicum gaudium impreſſerunt.
Nemo felicitatis ſuæ obliuiſcitur. In cælo quæ acta ſint, audite: fides penes auctorem
erit. Nunciatur Ioui, veniſſe quemdam bonæ ſtaturæ, benè canum, neſcio quid illum
minari: aſſiduè enim caput mouere, pedem dextrum trahere. quæſiſſe ſe, cuius nationis
eſſet? reſpondiſſe, neſcio quid perturbato ſono, & voce confuſâ, non intelligere ſe lin-
guam eius: nec Græcum eſſe, nec Romanum, nec vllius gentis notæ. Tum Iupiter Her-
culem, quia totum orbem terrarum pererrauerat, & noſſe videbatur omnes nationes,

iubet

A iubet ire & explorare, quorum hominum esset. Tum Hercules primo adspectu sanè perturbatus est, vt qui etiam non omnia monstra timuerit: vt vidit noui generis faciem, insolitum incessum, vocem nullius terrestris animalis, sed (qualis esse marinis belluis solet) raucam & implicatam, putauit sibi tertium decimum laborem venisse. Diligentiùs intuenti, visus est quasi homo. Accessit itaque, & quod facillimum fuit Græculo, ait: Τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοὶ πόλις; Vbi hæc Claudius, gaudet esse illîc philologos homines, sperat futurum aliquem historiis suis locum. Itaque & ipse Homerico versu Cæsarem se esse significans, ait:

Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσεν.

Erat autem sequens versus verior, æquè Homericus:

Ἔνθα δ' ἐγὼν πόλιν ἔπραθον, ὤλεσα δ' αὐτούς.

Et imposuerat Herculi homini minimè vafro, nisi fuisset illîc Febris, quæ fano suo relicto sola cum illo venerat: ceteros omnes deos Romæ reliquerat. Iste, inquit, mera
B mendacia narrat. Ego tibi dico, quæ cum ipso tot annos vixi. Lugduni natus est: [10] Marci municipem vides: quod tibi narro, ad sextumdecimum lapidem à Viennâ natus est, Gallus germanus. Itaque quod Gallum facere oportebat, Romam cepit. Hunc ego tibi recipio Lugduni natum, vbi Licinius multos annos regnauit. Tu autem qui plura loca calcasti, quàm vllus mulio perpetuarius, Lugdunenses scire debes, & multa millia inter Xanthum & Rhodanum interesse. Excandescit hoc loco Claudius, & quanto potest murmure irascitur. Quid diceret, nemo intelligebat. Ille autem Febrim duci iubebat, illo gestu solutæ manus, & ad hoc vnum satis firmæ, quo decollare homines solebat. Iusserat illi collum præcidi. Putares omnes illius esse libertos, adeò illum nemo curabat. Tum Hercules: Audi me, inquit, tu, & desine fatuari: venisti huc, vbi mures ferrum rodunt. Citiùs mihi verum, ne tibi alogias excutiam. Et quò terribilior esset, tragicus fit, & ait:

Exprome properè, sede quâ genitus cluas,
C *Hoc ne peremptus stipite, ad terram accidas.*
Hæc claua reges sæpè mactauit feros.
Quid nunc profatu vocis incerto sonas?
Quæ patria, quæ gens mobile eduxit caput,
Edissere. equidem regna tergemini petens
Longinqua regis, vnde ab Hesperio mari
Inachiam ad vrbem nobile aduexi pecus,
Vidi duobus imminens fluuiis iugum
Quod Phœbus ortu semper obuerso videt:
Vbi Rhodanus ingens amne prærapido fluit,
Araráque dubitans quò suos cursus agat,
Tacitus quietis alluit ripas vadis.
Estne illa tellus spiritus altrix tui?

D Hæc satis animosè & fortiter. Nihilominus mentis suæ non est, & timet μωροῦ πληγήν. Claudius vt vidit virum valentem, oblitus nugarum, intellexit neminem parem sibi Romæ fuisse: illîc non habere se idem gratiæ: Gallum in suo sterquilinio plurimum posse. Itaque quantum intelligi potuit, hæc visus est dicere: Ego te fortissime deorum Hercules, speraui mihi affuturum apud alios: & si quis à me [11] nototem petisset, te fui nominaturus, qui me optimè nosti. Nam si memoriâ repetis, ego eram, qui tibi ante templum tuum ius dicebam totis diebus mense Iulio & Augusto. Tu scis quantum illîc miserim tuum, cùm causidicos audirem, & diem & noctem: in quos si incidisses, valdè fortis licet, maluisses Cloacas Augiæ purgare: multò plus ego stercoris exhausi. * Sed quoniam volo, non mirum, quòd impetum in curiam fecisti: nihil tibi clusi est. Modò dic nobis, qualem deum istum fieri velis: ἐπικούρειος θεὸς non potest esse: οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτε ἄλλοις παρέχει. Stoicus? quomodo potest rotundus esse (vt ait Varro) sine capite, sine præputio? Est aliquid in eo Stoici Dei: iam video, nec cor, nec caput

put habet. * Si mehercules à Saturno petiſſet hoc beneficium, [12] cuius menſem toto A
anno celebrauit Saturnalia eius princeps non tuliſſet. [13] Illum Deum ab Ioue, quem quantum quidem in illo fuit, damnauit incesti. L. Syllanum enim generum ſuum occidit. Oro per quod ſororem ſuam, feſtiuiſſimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare. [14] Quare, inquit, quæro enim, ſororem ſuam ſtultè ſtudere; Athenis dimidium licet, Alexandriæ totum? Quia Romæ, inquit, mures molas lingunt: [15] hic nobis cutua corrigit. Quid in cubiculo ſuo faciat, neſcio: etiam cæli ſcrutatur plagas, deus fieri vult. Parùm eſt quòd templum in Britanniâ habet, quòd hunc barbari colunt, & vt deum orant. Ἀλώρου φιλάτου χθών. Tandem Ioui venit in mentem, priuatis intra curiam morantibus ſententiam dicere, [16] nec diſputare. Ego, inquit, P.C. interrogare vobis permiſeram, vos mera mapalia feciſtis. Volo ſeruetis diſciplinam curiæ. Hic qualiſcumque eſt, quid de nobis exiſtimabit? illo dimiſſo, primus interrogatur ſententiam Ianus pater: is deſignatus erat in Kal. Iulias poſtmeridianus Coſ. homo quantumuis vafer, qui ſemper videt ἅμα πρόσω καὶ ὀπίσω. Is multa B
diſertè, quòd in foro viuat, dixit, quæ notarius perſequi non potuit: & ideò non refero: ne aliis verbis ponam, quæ ab illo dicta ſunt. Multa dixit de magnitudine deorum: non debere hunc vulgo dari honorem. Olim, inquit, magna res erat, Deum fieri: [17] iam fama nimium feciſti. Itaque ne videar in perſonam, non in rem ſententiam dicere, cenſeo ne quis poſt hunc diem Deus fiat ex his, qui ἀρότρης καρπὸν ἔδουσιν: aut ex his, quos alit ζείδωρος ἄρουρα. Qui contra hoc S. C. deus factus, fictus, pictúſve erit, eum dedi laruis, & proximo munere inter nouos auctoratos, ferulis vapulare placet. Proximus interrogatur ſententiam Dieſpiter [18] Vicæ Potæ filius, & ipſe deſignatus Coſ. nummulariolus. Hic quæſtu ſe ſuſtinebat, vendere ciuitatulas ſolebat. Ad húncce bellè acceſſit Hercules, & auriculam ei tetigit. Itaque in hæc verba cenſet: Cùm Diuus Claudius Diuum Auguſtum ſanguine contingat, nec minùs Diuam Auguſtam auiam ſuam, quam ipſe Deam eſſe iuſſit, longeque omnes mortales ſapientiâ antecellat, ſitque è rep. eſſe aliquem, qui cum Romulo poſſit C

——*feruentia rapa vorare:*

cenſeo, vt D. Claudius ex hac die Deus fiat, ita vti ante eum quis optimo iure factus ſit: eamque rem ad μεταμορφώσεις Ouidij adiiciendam. Variæ erant ſententiæ, & videbatur Claudius ſententiâ vincere. Hercules enim, qui videret ferrum ſuum in igne eſſe, modò huc, modò illuc curſabat: & aiebat: Noli mihi inuidere, mea res agitur: deinde ſi quid volueris, inuicem faciam: Manus manum lauat. Tunc Diuus Auguſtus ſurrexit ſententiæ ſuæ dicendæ, & ſummâ facundiâ diſſeruit. P. C. vos teſtes habeo, ex quo deus factus ſum, nullum verbum me feciſſe. ſemper meum negotium ago. Sed non poſſum ampliùs diſſimulare, & dolorem quem grauiorem pudor facit, continere. In hoc terrâ marique pacem peperi? ideò ciuilia bella compeſcui? ideò legibus vrbem fundaui, operibus ornaui? Et quid dicam P. C. non inuenio: omnia infra indignationem verba ſunt. Confugiendum eſt itaque à me ad Meſſalæ Coruini diſertiſſimi viri illam ſententiam: [19] Præcidit ius imperij. hic, P. C. qui nobis non poſſe videtur muſcam excitare, tam fa- D
cilè homines occidebat, [20] quàm canis exta edit. Sed quid ego de tot acribus viris dicam? Non vacat deflere publicas clades, intuenti domeſtica mala. Itaque illa omittam, hæc referam. [21] Etiamſi Phormea Græcè neſcit, ego ſcio. ΕΝΤΙΚΟΝΤΟΝΥΚΗΝΔΙΗC. ſeneſcit. Iſte, quem videtis, per tot annos ſub meo nomine latens, hanc mihi gratiam retulit, vt [22] duas Iulias proneptes meas occideret, alteram ferro, alteram fame: vnum abnepotem L. Syllanum. Videris Iupiter, an in cauſſâ malâ, certè in tuâ, ſi hic inter nos futurus eſt. Dic mihi, Diue Claudi, quare quemquam ex his, quos, quaſque occidiſti, antequam de cauſſâ cognoſceres, antequam audires, damnaſti? hoc fieri ſolet? in cælo non fit. Ecce Iupiter, qui tot annos regnat, vni Vulcano crus fregit, quem

Ῥίψε ποδὸς τετραχὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο,

& iratus fuit vxori, & ſuſpendit illam: numquid occidit? Tu Meſſalinam, cuius æquè auunculus maior eram, quàm tuus, occidiſti. Neſcio, inquis? Dij tibi malefaciant: adeò

iſtud

A istud turpius est, quòd nescis, quàm quòd occidisti. Iste C. Cæsarem non desiit mortuum prosequi. Occiderat ille socerum: hic & generum. Caius Cæsar Crassi filium vetuit Magnum vocari: hic nomen illi reddidit, caput tulit. Occidit in vnâ domo Crassum Magnum, Scriboniam, Tristioniam, Assarionem, nobiles tamen: Crassum verò tam fatuum, vt etiam regnare posset. Cogitate P. C. quale portentum [23] in numerum deorum se recipi cupiat. Hunc nunc deum facere vultis? Videte corpus eius, diis iratis natum. Ad summam tria verba citò dicat, & [24] seruum me ducat. Hunc deum quis colet? quis credet? denique dum tales deos facitis, nemo vos deos esse credet. Summa rei, P. C. si honestè inter vos gessi, si nulli duriùs respondi, vindicate iniurias meas. Ego pro sententiâ meâ hoc censeo. Atque ita ex tabellâ recitauit: Quandoquidem diuus Claudius occidit [25] socerum suum Appium Syllanum, generos duos, Pompeium Magnum & L. Syllanum, socerum filiæ suæ Crassum, frugi hominem, tam similem sibi, quàm ouo ouum, Scriboniam socrum filiæ suæ, Messalinam vxorem suam, & ceteros, quorum
B numerus iniri non potuit: placet mihi in eum seuerè animaduerti, nec illi rerum iudicandarum vocationem dari, eumque quamprimùm exportari, & cælo intra dies XXX. excedere, olympo intra diem tertium. Pedibus in hanc sententiam itum est. Nec mora, Cyllenius illum collo obtorto trahit ad inferos,

Illuc vnde negant redire quemquam.

Dum descendunt per viam sacram, interrogat Mercurius, quid sibi velit ille concursus hominum, num Claudij funus esset? Et erat omnium formosissimum, & impensâ curâ plenum, vt scires deum efferri, tibicinum, cornicinum, omnisque generis æneatorum tanta turba, tantus conuentus, vt etiam Claudius audire posset. Omnes læti, hilares, P. Ro. ambulabat tamquam liber. Agatho, & pauci causidici plorabant, sed planè ex animo. Iurisconsulti è tenebris procedebant, pallidi, graciles, vix habentes animam, tamquam qui cummaximè reuiuiscerent. Ex his vnus cùm vidisset capita conferentes, & fortunas suas deplorantes causidicos, accedit, & ait: Dicebam vobis, Non semper Sa-
C turnalia erunt. Claudius vt vidit funus suum, intellexit se mortuum esse. [26] Ingenti enim μεγαλιγορίᾳ nænia cantabatur anapæstis:

Fundite fletus,
Resonet tristi
[27] Cordatus homo,
Fortior orbe.
Poterat celeres:
Leuibusque sequi
Tendere neruum:
Figeret hostes,
Ille Britannos
Et cæruleos
Colla cathenis
D *Jura securis*
Quo non alius
Vnâ tantùm
Quis nunc iudex
Tibi iam cedet
Iura silenti,
Cædite mœstis
Venale genus.
Vosque in primis
Lucra fritillo.

Edite planctus,
Clamore forum:
Quo non alius
Ille citato
Ille rebelles
Perfida telis,
Qui præcipites
Pictaque Medi
Vltra noti
Scuta Brigantas
Iussit, & ipsum
Tremere Oceanum.
Potuit citiùs
Parte auditâ,
Toto lites
Sede relictâ,
Cretæa tenens
Pectora palmis
Vosque Poëtæ
Qui concusso

Fingite luctus,
Cecidit pulchrè
Fuit in toto
Vincere cursu
Fundere Parthos,
Certaque manu
Vulnere paruo
Terga fugacis.
Littora ponti,
Dare Romuleis
Noua Romanæ
Deflete virum,
Discere causſas,
Sæpè & neutrâ.
Audiet anno?
Qui dat populo
Oppida centum.
O causidici,
Lugete noui,
Magna parastis

Delectabatur laudibus suis Claudius, & cupiebat diutiùs spectare. Iniicit illi manum Talthybius deorum nuncius, & trahit capite obuoluto, ne quis eum possit agnoscere, per campum Martium: & inter Tyberim & [28] viam rectam descendit ad inferos. Antecesserat

cesserat iam compendiariâ viâ Narcissus libertus,ad patronum excipiendum,& venien- A
ti [29] nitidus, vt erat à Balineo, occurrit, & ait: Quid dij ad homines? Celeriùs, inquit Mercurius,& venire nos nuncia. Ille autem patrono plura blandiri volebat. quem Mercurius iterum festinare iussit,& virgâ morantem impulit. Dicto citiùs Narcissus euolat. Omnia procliua sunt, facilè descenditur. Itaque quamuis podagricus esset, momento temporis peruenit ad ianuam Ditis: vbi iacebat, vt ait Horatius, bellua centiceps, sese mouens,villosq́ue horrendos excutiens. pusillum superturbatur,(albam canem in deliciis habere consuerat) vt illum vidit canem nigrum villosum sanè: quem non velis tibi in tenebris occurrere. Et magnâ inquit voce: Claudius Cæsar venit. Ecce extemplò cum plausu procedunt cantantes: [30] Εὑρήκαμεν, συνχαίρομεν. Hic erat C. Silius Cos. desig. Iunius Prætorius, Sex. Trallus, M. Heluius Trogus, [31] Cotta Tectus, Valens, Fabius, Equ. Rom. quos Narcissus duci iusserat. Medius erat in hac cantantium turbâ Mnester Pantomimus,quem Claudius decoris caussâ minorem fecerat. Necnon ad Messalinam citò rumor percrepuit,Claudium venisse. Conuolarunt primùm omnium liberti, [32] Po- B
lybius, Myron, Harpocras, Amphæus & Pheronactes, quos omnes, necubi imparatus esset, præmiserat. Deinde præfecti duo, Iustus Catonius, & Ruffus Pompeij F. Deinde amici, Saturnius Luscius, & Pedo Pompeius, & Lupus, & Celer Asinius, consulares. Nouissimè fratris filia, sororis filia, gener, socer, socrus, omnes planè consanguinei. Et agmine facto Claudio occurrunt.Quos cùm vidisset Claudius,exclamat,Πάντα φίλων πλήρη. Quomodo vos huc venistis? Tum Pedo Pompeius: Quid dicis homo crudelissime? Quæris quomodo? Quis enim nos alius huc misit quàm tu, omnium amicorum interfector? In ius eamus: ego tibi hîc sellas ostendam. Ducit illum ad tribunal Æaci. is lege Corneliâ,quæ de sicariis lata est,quærebat: postulat, nomen eius recipi, edit subscriptionem: Occisos Senatores xxx. Equites Rom. CCCXV. atque plures: ceteros CCXXI. ὅσα φάματός τε κόνις τε. Exterritus Claudius oculos vndecumque circumfert, vestigat aliquem patronum qui se defenderet. Aduocatum non inuenit. Tandem procedit P. Petronius,vetus conuictor eius, homo Claudianâ linguâ disertus, & postulat aduocationem. C
Non datur. Accusat Pedo Pompeius magnis clamoribus. Incipit Petronius velle respondere. Æacus, homo iustissimus, vetat. Illum tantùm alterâ parte auditâ condemnat, & ait: [33] Εἶκε παῦροι τάχ' ἔρεξε, δίκητ' ἰθεῖα γένοιτο. Ingens silentium factum est. Stupebant omnes,nouitate rei attoniti: negabant hoc vmquam factum. Claudio iniquum magis videbatur,quàm nouum. De genere pœnæ diu disputatum est, quid illum pati oporteret. Erant qui dicerent,si vni dij laturam feciissent, Tantalum siti periturum,nisi illi succurreretur:non vmquam Sisyphum onere releuari: aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam. Non placuit vlli ex veteranis missionem dari, ne vel Claudius vmquam simile speraret. Placuit nouam pœnam excogitari debere,instituendum illi laborem irritũ,& alicuius cupiditatis species sine fine & effectu. Tum Æacus iubet illum aleâ ludere pertuso fritillo. Et iam cœperat fugientes semper tesseras quærere, & nihil proficere.

Nam quotiens missurus erat resonante fritillo,
Vtraque subducto fugiebat tessera fundo: D
Cumq́ue recollectos auderet mittere talos,
Lusuro similis semper, semperq́ue petenti,
Decepêre fidem: refugit, digitosq́ue per ipsos
Fallax assiduo dilabitur alea furto.
Sic cùm iam summi tanguntur culmina montis,
Irrita Sisyphio voluuntur pondera collo.

Apparuit subitò C. Cæsar, & petere illum in seruitutem cœpit: producit testes, qui illum viderant ab illo flagris,ferulis, colaphis vapulantem. Adiudicatur C.Cæsari: illum Æacus donat. Is Menandro liberto suo tradidit, vt à cognitionibus ei esset.

AD ΑΠΟΚΟΛΟΚΥΝΤΩΣΙΝ CLAVDII CÆSARIS, NOTÆ NIC. FABRI SENATORIS.

1. AVCTORIS, *tituli, & temporis, quo ſcriptus eſt hic feſtiuiſſimus liber, fidem facit Dio ad finem libri* LX.

2. TEMPORE SOMNI.] *Quidam veteres* cornua ſomni: *quam lectionem viri magni ſecuti & interpretati ſunt. Idem etiam tentarunt ſequenti verſu legendum*, augebat Cynthia lychnum, *ſed repugnantibus membranis.*

3. ACQVIESCVNT ONERI POETÆ.] *Veteres codices habent* omnes poëtæ.

4. NEC VMQVAM MERITVM, VT TAM DIV.] *Vetus codex*, Nec vmquam tam cruciatus eſſet.

5. OMNIBVS ANNIS, OMNIBVS MENSIBVS.] *Quidam veteres habent* omnibus annis, menſibus: *alij*, omnibus annis, omnibus menſis efferunt.

6. BRITANNOS TOGATOS VIDERE.] *In ceteris editionibus hæc inſeruntur*, Britannos, Sauromatas, & ſi qui vltra glacialem Boream incolunt barbari, togatos videre. *quæ à ſex, quos contuli, codicibus abſunt, & à ſuis abeſſe notarunt tres doctiſſimi viri, qui in hoc fragmentum ſcripſere.*

7. ALTER BABÆ.] *Is eſt fortaſſe, de quo Epiſt.* 15. *notiſſimæ illis temporibus fatuitatis.*

8. OMNIA CERTE CONCACAVIT.] *Addunt ceteræ editiones*, nec poſt boletum opiparè conditum, plus cibi ſumpſit. *Quæ tamen lectio ab omnibus ſcriptis exemplaribus abeſt. Et ſanè fuiſſet nimiæ impudentiæ ſi voluit Agrippina, vel ſi noluit, confidentiæ, parricidium veneficio commiſſum prouulgare.*

9. QVÆ MEMORIÆ PVBLICVM GAVDIVM IMPRESSERVNT.] *Non video cur hæc lectio boni & elegantis ſenſus, quam omnes notarunt in ſuis exſtare manu ſcriptis, quámque in meis planè ſcriptam inueni, mutari debuerit.*

10. MARCI MVNICIPEM VIDES.] *Beatus Rhenanus vir rariſſimæ doctrinæ, qui litteris renaſcentibus plurimùm contulit, cenſuit legendum* Munatij municipem vides. *Non ſine ratione. Veterem tamen lectionem conatur interpretari magnus Turnebus Aduerſ. cap.* 4. *lib.* 26. *Porrò Licinius, quem Lugduni regnaſſe dicit, is eſt qui, vt ait Dio lib.* 54. *in Galliâ*, πλεονεξίᾳ μὲν βαρβαρικῇ, ἀξιώσει δὲ ῥωμαϊκῇ χρώμενος, πᾶν μὲν τὸ κρεῖττον ποτε ὡς καὶ νομιθὲν καθήρει, πᾶν δὲ τὸ ἐν τῷ παρόντι ἰσχυρὸν ἠφάνιζε, *& quæ ſequuntur. qui etiam cùm quoddam tributum quot menſibus à Gallis penderetur, annum quatuordecim menſium effecit, dictitans homo acutus Decembrem menſem decimum eſſe, nec vltimum duodecim menſium, quibus annus conſtaret, eſſe poſſe, ſed duos neceſſariò eum ſequi. quod quid eſt regnare, ſi hoc non eſt?*

11. NOTOREM PETISSET.] *Notorem interpretor eum, qui ignoti notitiam dat*, γνωσῆα. *Suprà in Epiſtolis*, qui notorem dat, ignotus eſt: *& Xenophon lib.* 6. κύρου παιδείας: Εἰ δέ τις χρημάτων πρόσοδον νομίζει εἰς ἐμπολὴν, γνωσήτας ἐμοὶ προσαγαγὼν καὶ ἐγγυητὰς ἢ μὴν πορεύεσθαι σὺν τῇ στρατιᾷ, λαμβανέτω ὧν ἡμεῖς ἔχομεν: *id eſt, notores adducat. quod non admonuiſſem, niſi vidiſſem doctos viros, qui in hunc librum ſcripſerunt, itémque qui locum Xenophontis Latinè reddere conati ſunt ad hæc vocabula impegiſſe.*

12. CVIVS MENSEM.] *Viri docti legerunt* menſem *ex coniecturâ, ſed fruſtrà: ita enim noſter auctor epiſt.* 18. *conqueritur olim fuiſſe menſem Decembrem: nunc autem annum eſſe. Porrò hæc tria vocabula* Saturnalia eius princeps, *quæ in omnibus exemplaribus habentur, ex gloſsâ ſunt, & meritò à Romanâ editione abſunt.*

13. ILLVM DEVM AB IOVE.] *Cuius-cuius hæc verba ſint, ſunt cenſentis Claudium inter Deos non recipiendum ab Ioue maximè, quem ipſe Claudius eius imitatorem Syllanum damnando, quantum in ſe fuit, damnauit inceſti. Porrò veterem lectionem ad viuum expreſsi, niſi quòd* qui quantum in eo fuit *habet, in quâ illam commiſerantis reticentiam* Oro per, *qui non intellexerunt*, Oropen *effecerunt: at Syllani ſoror non Orope, ſed Iunia Caluina dicta eſt. Tacit. lib.* 12. *quem vide.*

14. QVARE, INQVIT, QVÆRO ENIM.] *Hæc eſt codicum veterum lectio, recta fortaſſe, niſi quis malit legere* ſtudet. *veteres enim omnes* ſtude *habent. Studere autem eſt amare*, φιλεῖν. *Porrò quod ſequitur de ſororum connubio, ex pulcherrimo Philonis loco*, περὶ τῶν ἐν εἴδεσι νόμων, *facilè intelligitur.* Ὁ μὲν Ἀθηναῖος, *inquit*, Σόλων ὁμοπατρίους ἀδελφὰς ἐφιεὶς ἄγεσθαι, τὰς ὁμομητρίους ἐκώλυσεν· ὁ δὲ Λακεδαιμονίων νομοθετὴς ἔμπαλιν, τὰ μὲν ταῖς ὁμογαστρίοις γάμον ἐπιτρέψας, τὰ πρὸς τὰς ὁμοπατρίους ἀπείπεν· ὁ δὲ τῆς Αἰγυπτίων ὁ χλιδάζων τὰ ἑκατέρων εὐλαβείαν, ὡς ἡμίεργα διαταττομένων, εὐφόρησεν εἰς ἀσέλγειαν ὑπὸ δαψιλόμυθος δυσθεράπευτον κακὸν σώμασιν, καὶ ψυχαῖς ἀπρασίαν, καὶ πρὸς πάντας ἀδείαν ἀπάσας ἀδελφὰς ἄγεσθαι.

11. HIC NOBIS CVRVA CORRIGIT.] *Plin. Iun. Epiſt. vlt. lib.* 5.

16. NEC DISPVTARE.] *Deest fortaſse verbum* licere, *aut tale aliquid: vel potiùs, vt magno iudicio cenſet P. Pithœus, legendum*, extra curiam morantibus, *non* intra.

17. IAM FAMA NIMIVM FECISTI.] *Sic habent veteres, corruptè tamen. ex quo effecerunt*, iam fama minimum fecit. *Propiùs ad ſcriptam lectionem erit, ſi* iam fama minui feciſtis *legamus. Quæ autem ſequebantur*, & iam peſſimum quemque illum affectare, *à veteribus abſunt.*

18. VICÆ POTÆ FILIVS.] *Sic planè legendum, vt in duobus manuſcriptis codicibus, altero meo, altero eruditiſſimi P. Pithœi ſcriptum legi omiſſis diphthongis, quas ferè recentiores tranſcriptores neglexerunt. Huius Vicæ Potæ, ſiue Dei, ſiue Deæ, vt numen obſoletum, ita apud auctores obliteratum pænè nomen eſt. Primùm id corruptum latere apud Cic. lib. 2. de Leg. itemq; apud Liuium, & Plutarchum, me docuit vir clariſſimus atque ornatiſſimus Herricus Memmius, prolatisq; quibus inſtructiſſimam habet bibliothecam manuſcriptis exemplaribus probauit. Ciceronis locus ita vulgò habetur:* Quòd ſi fingenda ſunt nomina vice poëtæ, & potiùs vincendi potiundiq́ue: *& quæ ſequuntur. Manuſcripta verò ſic exhibent:* Quòd ſi fingenda ſunt nomina, Vicæ Potæ potiùs vincendi, potiundiq́ue, ſtataſſandi, quæ cognomina ſtatoris, & inuicti Iouis, rerumq́ue expetendarum nomina, *&c. quomodo etiam legit codex antiquus qui aliquando fuit F. Petrarchæ, nunc autem amiciſſimi F. Pithœi P. fratris verè in litteris Caſtorum. Rectiùs tamen fortaſſe leui mutatione legamus*: Quòd ſi fingenda ſunt nomina, Vicæ Potæ potiùs vincendi potiundiq́ue, ſtataſſandiq́ue cognomina ſtatoris & inuicti Iouis, rerumq́ue expetendarum nomina Salutis, Honoris, Opis, Victoriæ. *A'πὸ κοινοῦ enim repetendum eſt*, fingenda ſunt, *idq; verum eſſe ex præcedentibus cuique patebit. Liuius etiam lib. 2. de domo Poplicolæ loquens ſcribit*, Delata confeſtim materia infra Veliam eſt, vbi nunc Vicæ Potæ eſt. *Plutarch. in Popl. de eâdem re:* Κατεσκεύασεν οἰκίαν ἐπείνης μεζοτέραν ὅπου νῦν ἱερόν ἐςιν ἀικᾶς ποτικᾶς ὀνομαζόμενον. *Vulgò igitur apud Liuium*, vbi nunc vicus publicus eſt: *& apud Plut.* ὅπου νῦν ἱερόν ἐςιν ἀίκος ποτόπλικος ὀνομαζόμενον, *malo exemplo contra veteres, & rationem. Templum enim nominari vicum publicum abſurdum eſt, & vt Romæ fuerit vicus publicus, is tamen non templum erat, ne infra Veliam, aut in foro Romano* VIII. *vrbis regione: ſed in* VI. *quæ alta ſemita dicta eſt. Sex. Ruffus & Publ. Victor. Nec mouere nos debet quòd Plut. Vicam Pocam nominauit. quemadmodum etiam in quibuſdam exemplaribus Liuij legitur, & in ſuo exaratum fuiſſe adnotauit doctiſſimus Rhenanus. Corrupto enim vocabulo, ita vulgò vocari potuit. Nec enim de mendo Plut. lectio argui poteſt: cùm ſex manuſcripti codices Regiæ bibliothecæ, & tres ampliſſimi illius viri, quorum etiam vnus Florentiæ editus ab Iuntis, anno* 1517. *ſummo conſenſu ita legant. Vica Pota igitur, ceu Vica Poca, vis eſt & numen vincendi potiundiq́. dicta, quemadmodum Anna Perenna, vis & numen annandi, & perannandi. Vt enim ſatis non eſt annare, niſi perannes: ita parùm eſt vincere, niſi victoriâ potiaris & fruaris: de quâ fortaſſe aò alijs alij inuenientur loci.*

19. PRÆCIDIT IVS IMPERII.] *Peſſimè in editione Romanâ editum* perijt ius imperij, *contra veteres & rationem. Porrò obſcœno verbo vſurus, quod dicendi magiſtri vitium eſſe notarunt, indignationem rei, & Meſſalæ auctoritatem excuſauit.*

20. QVAM CANIS EXTA EDIT.] *Veteres omnes legunt*, quàm canis excidit. *Si* canis *accuſandi caſu in plurali accipimus, notat ſtoliditatem Claudij hoc canum ſupplicio delectati, quod tamen apud vllum auctorem non legi: quare malui coniecturam Rhenani ſequi, dum quid veriſimilius ſuppetat.*

21. ETIAMSI PHORMEA.] *Veterem lectionem exprimendam curaui: quæ enim in aliis habentur editionibus, à Rhenano ſunt, & toto cœlo ab iis quæ in membranis inueniuntur, diſſident.*

22. DVAS IVLIAS.] *Non amitas, vt vulgò legitur. Altera enim Germanici fratris, altera Druſi patruelis ex Liuillâ, ſeu Liuiâ Claudij ſorore, filia fuit. Suet. in Claud. cap. 29. & Dion lib.* LX. *vnde infrà fratris filiam, ſororis filiam inter conſanguineos à Claudio occiſos recenſet.*

23. IN NVMERVM DEORVM SE RECIPI CVPIT.] *Poſt hæc vulgò quæ ſequuntur interiecta ſunt:* Principes pietate & iuſtitiâ Dij fiunt, ſcilicet hic pius & iuſtus, quoniam Druydarum immanem religionem aduexit, noſtram prorſus exſtirpauit, vt Romæ nuptiarum ſacra eſſent, quibus ipſe, cùm ſibi Agrippina nuberet, XXX. Senatoribus, innumeris Equitibus Romanis mactatis, principium dedit: *quæ vt ſuppoſititia, ita etiam falſa ſunt. Apage enim Senecam nuptias Agrippinæ culpaſſe, eâ rerum potiente, à cuius partibus adhuc etiam priuatæ fautor Germanici domus ſtetit. Falſum autem tantam ſtragem Cannenſi ferè parem nuptiarum die editam. Infrà ait triginta Senatores occiſos, ſed toto imperij tempore, non vno nuptiarum die. Denique non Dio, non Tacitus, qui harum nuptiarum hiſtoriam narrant, id tacuiſſent. nec hoc Suetonius dicit, ſi eius verba, vt res ipſa loquitur, interpungantur, & vt interpungenda docuit Lipſius initio lib.* 12. *in Tacitum. Lipſius, inquam, cuius laudi & claritati meis verbis nihil addi poteſt.*

24. SERVVM ME DVCAT.] *Lubens delerem vocabulum* ſeruum. *Id enim per ſe ducendi verbo ſignificatur.*

25. SOCERVM SVVM APPIVM SYLLANVM.] *Contra veteres membranas ceteræ editiones* conſocerum *legunt, cui lectioni cauſſam dedit Suetonius: verumtamen ſcriptorum librorum auctoritatem eâ ratione prætuli, quia ſuprà dixit:* Occiderat ille ſocerum, hic & generum: *& infrà inter conſanguineos à Claudio occiſos, ſocerum recenſet, quæ non niſi de hoc Appio intelligi poſſunt. Erat autem Appius Syllanus Claudij ſocer & conſocer: ſocer quidem, quia Meſſalinæ vitricus. Dio lib.* LX. *conſocer, quia pater L. Syllani Octauiæ ſponſi.*

26. INGENTI ENIM μεγαληγορίᾳ NÆNIA.] *Veteres qui Græcæ ſcripturæ veſtigia retinuerunt, legunt,* ΜΕΓΑΛΩΚΟΡΙΚΟΝΕΝΙΑ.

27. CORDATVS HOMO.] *Omnes veteres* Cordatus Iano. *quid hoc ſit, ſcient fortaſſe alij.*

28. VIAM

28. VIAM RECTAM.] *Omnes veteres* Viam tectam *legunt, quam viæ denominationem numquam apud auctores legi: rectæ fit mentio apud Mart. ad finem lib.* 8.

29. NITIDVS VT ERAT A BALNEO.] *Cur hæc dicat, vide Dionem ad finem lib.* LX.

30. Εὐρήκαμεν, συνχαίρωμεν.] *Sollennia verba sunt proclamari solita in Osiridis sacris Deo inuento. Iul. Firmicus de error. profan. relig. statim initio, & commentarius antiquus à nostro Pithœo luci datus in Iuuenal. Sat.* 8. *Apud quos tamen potiùs legerem* συνχαίρωμεν, *vt hîc habetur, per* ω, *quàm per* ο.

31. COTTA TECTVS, VALENS.] *Fortassè* Cotta Vectius, Valens. *is enim summus orator & medicus inter Messalinæ adulteros iussu Narcissi ductus est. Plin. cap.* I. *lib.* XXIX. *& Tacit. ad finem* XI. *Cotta autem apud eumdem Tacitum non Tectus, sed Messallinus dicitur.*

32. POLYBIVS, MYRON.] *Sic veteres melioris notæ hæc repræsentant, vt edidi. Quidam pro* Myrone, Mytonem, *&* Heronactem *pro* Pheronacte *ponunt, & ad finem*, necubi imperatus esset, *vel*, ne nisi imperatus esset. *Ait autem Claudium illos suos libertos præmisisse, ne apud inferos imparatus esset, quia sine suis libertis nihil penitus facere, loqui, vel respondere poterat, erátque, vt ait Iulianus Imperator in Cæsaribus:* Τουτὶ τ' ϛαγῳδίας δορυφόρημα, μικροῦ δέω φάναι, καὶ ἄψυχον. *Postrema autem lectio ferri potest, vt notet eum libertorum imperiis obnoxium, vnde dictus est Saturnalia toto anno celebrasse.*

33. Εἶπε πάθοι.] *Vetus vnus hunc versum diserte sic scriptum habet,* αἶπε πάθοις τὰ κ' ἔρεξας, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο. *& paullo infrà omnes veteres legunt:* si vni Dij laturam fecissent, *& ad finem*, vt à cognitionibus abesset.

BEATI RHENANI SELESTADIENSIS,

IN LVDVM

L. ANNAEI SENECAE

DE MORTE CLAVDII CÆSARIS,

Scholia.

PAG. 673. a. QVID ACTVM SIT.] *Claudius Cæsar, Drusi Germanici filius, qui Caio proximè successit, talem egit principem, vt nescias stultior ne fuerit, an crudelior. Hunc Annæus Seneca hoc libello, quem Ludum de morte Claudij Cæsaris inscripsit, mirè taxat, & suis (quod aiunt) coloribus graphicè depingit. In caussâ autem nonnihil fuisse crediderim, cur sic Claudium insectaretur, quòd sub eo exsulauit. Cuius rei ipse meminit in lib. De breuitate vitæ ad Paullinum, his verbis de Cæsare blandiusculè loquens:* Nec enim sic me deiecit, vt nollet erigere: imò ne deiecit quidem, sed impulsum à fortunâ, & cadentem sustinuit, & in præceps euntem, leniter diuinæ manus vsus moderatione deposuit. *Hactenus Seneca. Ceterùm cùm Agrippina Claudio nupsisset, ne malis tantùm facinoribus innotesceret, veniam exsilij pro Annæo Senecâ, simul præturam impetrat, lætum in publicum rata ob claritudinem studiorum eius, vtq. Domitij pueritia tali magistro adolesceret, & consiliis eiusdem ad spem dominationis vteretur: quia Seneca fidus in Agrippinam memoriâ beneficij, & infensus Claudio dolore iniuriæ credebatur. Hæc Tacitus.*

Ibid. IN CÆLO.] *Ridiculè cœpit, pollicens se traditurum, quæ in cælo ante diem tertium Eidus Octobris acta sunt: quasi illîc sint Kalendæ. Sic Homerus subinde describit, quid intereà dij fecerint in cælo. locus est ex imitatione: nam ita exordimur Annales.*

Ibid. ANTE DIEM TERTIVM.] *Excessit enim Claudius tertiũ ante Eidus Octobris, Asinio Marcello, Acilio Auiolâ Coss.* LXXIV. *ætatis, imperij* XIV. *anno. Ac veneno quidẽ occisum conuenit: vbi autem, & per quem dato, discrepat. Auctor Tranquillus & Tacitus.* Eidus *autem per* ei *diphthongum Græcam scriptum est: quâ vtebantur antiqui in his, quæ* i *extensum habent. id quod in vetustis inscriptionibus etiamnum visitur.*

Ibid. FELICISSIMI.] *Ob Claudium sublatum.*

Ibid. b. EGO SCIO ME LIBERVM FACTVM.] *Innuit tyrannidem Claudij, vel optimis optima cùm loqui tum agere prohibentis.*

Ibid. AVT REGEM, AVT FATVVM.] *Hîc stultitiam Claudij notat: neque id falsò. Nam mater Antonia portentum eum hominis dictitabat, nec absolutum à naturâ, sed tantùm inchoatum: ac si quem socordiæ argueret, stultiorem aiebat filio suo Claudio. Auia Augusta pro despectissimo semper habuit: non affari, nisi rarissimè; non monere, nisi acerbo & breui scripto, aut per internuncios solita. Soror Liuilla cùm audisset quandoque imperaturum, tam iniquam,*

tam indignam sortem populi Romani palàm & clarè detestata est: vt scribit Tranquillus. Hoc autem prouerbio, Aut regem, aut fatuum nasci oportet, *antiqui regum vecordiam taxabant. Nam quemadmodum in fatuis, risu, quæcumque fecerint, excipimus: sic regum quoque facta nemo non probat. Proinde verissimum est, facultatibus licentiaq; & adsentationibus ali principum vitia: quod de Antonio Vellcius Paterculus scriptum reliquit. Cæterùm nisi stulti fuissent olim Reges, non essent libri illorum fatuitatibus referti, hoc est, factis nõ tam stultis sæpenumerò quàm sceleratis, ac impiis cædibus & bellis: quibus in hoc mundo nihil stultius. Qui huius prouerbij explicationem interpretationem legere cupit, Erasmi Roterodami, quem equidem vt præceptorem & veneror, & suspicio, Chiliades adeat. Illic enim præter eruditionem, quæ huic nusquam deest, etiam ad vitam rectiùs instituendam saluberrimam inueniet cohortationem.*

Pag. 763. b. QVIS VMQVAM AB HISTORICO.] *Salsissimè taxat vanitatem historicorum, qui scribunt quidquid volunt, nullo fideiussore.*

Ibid. AVCTOREM PRODVCERE.] *Auctor est, non solùm is, cuius suasu & auctoritate fit aliquid, verùm is, vnde rumor est ortus. Produci autem testes dicuntur.*

Ibid. QVÆRITE AB EO QVI DRVSILLAM.] *Caius Cæsar (vt refert Suetonius) Drusillam sororem vitiasse virginem creditus est: quam mox L. Cassio Longino consulari collocatam abduxit, & in modum iustæ vxoris propalàm habuit. Eâdem defunctâ iustitium indixit, in quo risisse, lauisse, cænasse, cum parentibus, aut coniuge, liberisve, capitale fuit: cuius amorem quanti faceret, vel hac re docuit, quòd post mortem eius repentè noctúque ab vrbe profugiens, transcursâ Campaniâ, Syracusas petiit. Rursusq; inde properè rediit, barbâ capilloq; promisso. Nec vmquam postea, quantiscumque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi per numen Drusillæ deierauit. Seneca quoque noster in libro de Breuitate vitæ Suetonio adstipulatur, adfirmans Caium post mortem Drusillæ, furiosâ inconstantiâ modò barbam capillumq; submittentem, modò Italiæ ac Siciliæ oras errabundum permetientem, numquam satis certum fuisse, vtrùm lugeri vellet, an coli sororem. Eodem enim tempore, quo templa illi constituebat & puluinaria, eos qui parùm mœsti fuerant, crudelissimâ afficiebat animaduersione. Hanc igitur Drusillam, quidam, cùm esset viæ Appiæ curator, in quâ sepeliebantur Romani, vt gratificaretur Caio, cælum adeuntem se vidisse in senatu iureiurando adfirmauit. quod cùm illi nemo crederet, sed rideretur potiùs, sanctè promisit, se nihil amplius, ne si hominem quidem in medio foro occisum vidisset, deinceps indicaturum.*

Ibid. NON PASSIBVS ÆQVIS.] *Particula est carminis Virgiliani in Aeneide. Respexit autem ad id, quod Tranquillus de eo refert, his verbis:* Cæterùm ingredientem destituebant poplites minùs firmi.

Ibid. VELIT, NOLIT.] Εἰρωνικῶς *dixit.*

Ibid. APPIÆ VIÆ.] *Hæc sic nominata fuit ab Appio, qui eam muniuit: vt auctor est Liuius in nono primæ Decadis. Estq; præcipua viarum, ducens Brundusium, in quâ erant conditoria sepulchráque Romanorum.*

Ibid. DIVVM AVGVSTVM.] *De quo sic inquit Suetonius:* Nec defuit vir prætorius, cui se effigiem cremati euntem in cælum vidisse iuraret.

Ibid. SOLI NARRABIT.] *Notat morem eorum, qui huiusmodi portenta spargunt in vulgus. Primùm vnicuipiam narrant, velut arcanũ quod sileri velint: deinde fama serpit, alio alius per manus tradente.*

Ibid. CONCEPTIS VERBIS.] *Conceptis verbis propriè iuramus, cùm (vt Latinè dicam & eleganter) alio præeunte, ac iusiurandum dictitante, aliquid expressis ad certam formulam verbis promittimus. Plautus in Bacchidibus:* Ego iusiurandum conceptis verbis dedi, daturum id me hodie, mulieri ante vesperam: nunc pater ne peierem cura.

Ibid. c. ETIAM SI IN MEDIO FORO.] *Taxat obiter vrbem Romanam: in quâ tanta erat impunitas malis, vt homines sæpenumerò in medio foro occiderentur. Id quod passim fiebat Romæ sub Alexandro, frequentissimo foro in meridie.*

Ibid. IAM PHOEBVS.] *Chronographia est. Et tacitè notat poëtas quosdam, qui huiusmodi descriptionibus explent volumina. Quos taxauit & Horatius in arte poëticâ:*

—— Cùm lucus & ara Dianæ,
Et properâtis aquę per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus.

Ibid. AVGEBAT CYNTHIA REGNVM.] *Al.* lignum *legitur: tu lege* lychnum. *eleganter vocat lychnum lunæ, quòd alieno lumine egeat, nempe solis.*

Ibid. GRATOS CARPEBAT HONORES.] *Id est, fœtus. Sic Horatius, ruris honores vocat, quidquid frugum terra producit.*

Ibid. PVTO MAGIS INTELLIGI.] *Poëtas notat, nimis anxiè tempus describentes, & id multis carminibus, cùm interim quatuor cùm maximùm verbis, & quidem expressiùs dici posset.*

Ibid. FACILIVS INTER PHILOSOPHOS.] *Festiuè dictum in horologiorum discrepantiam. Simulq; philosophorum perpetuum illud dissidium latenter taxat. Nam cui non notum est, quàm inter se philosophi omnes ἐκ διαμέτρου (quod aiunt) dissideant? Plato siquidem (vt in hanc digressiunculam exspatiemur) vnum Deum vnigenitum ex seipso natum censuit: Anaximander cælestia sidera, Deos esse: Thales animam mundi, Deum putat: Aristoteles formam separatam, sphæræ quidem vniuersi innitentem: Democritus mentem ignitam, mundi animam: Epicurus specie humanâ Deos esse: Pythagoras, monada: Stoici Deum ignem esse, necnon spiritum, qui mundum vniuersum penetret. Denique Euemerus Tegeates, & Theodorus Cyrenensis, nullos esse deos. Quid cùm de principiis rerum disputant, nõnne diuersissima sentire videntur? Anaximenes Milesius aërem esse rerum principium adstruxit: Thales aquam: Anaxagoras Clazomenius particulas similares: Heraclitus ignem: Archelaus Atheniensis, aëris infiniti raritatem ac densitatem: Empedocles amicitiam & litem: Pythagoras numeros, & horum commensiones: Plato Deum, materiam & ideam: Zeno Deum & materiam, & quatuor elementa: Aristoteles entelechiam, materiam, & priuationem, elementa quatuor, & quintum quoddam corpus. An verò de mundo inter illos conuenire putas? Nullibi magis dissident. Nam Plato Deum ad sui exemplum ait mundum effinxisse: Aristoteles sempiternum esse vult: Epicurus planè interiturum: Xenophanes sempiternum, corruptionis expertem: Pythagoras*

thagoras & Stoici genitum à Deo, sed ex suâ quidem naturâ, nequaquam interitus immunem. Plato quoque animantem esse mundum asseuerat, seq; ex tabescentibus alere: Democritus, Aristoteles, & Epicurus id constanter negant. Adde quòd Thales vnum mundum esse censuit: Democritus & Epicurus innumerabiles: ac horum discipulus Metrodorus, absurdum esse dixit, in agris vnicâ nasci spicam, vnumq; in infinito mundum: innumeros autem esse, quòd innumerabiles eorum sint caussæ: Seleucus infinibilem mundum: Empedocles mundum quidem vnum, sed vniuersi tantùm exiguam esse particulâ. Quid de animâ, nónne pugnantia statuisse videntur? Pythagoras animam desimuit, numerum seipsum cientem: Aristoteles entelechiam primam corporis: Dicearchus quatuor elementorum harmoniam: Thales naturam irrequietam, sese mouentem: Asclepiades medicus, sensuum coëxercitationem: Plato substantiam intellectu præditam: Stoici spiritum feruidum: Anaxagoras aëri similem: Democritus ignitum quiddam: Epicurus elementalem temperaturam. Neque verò secùs de animæ principatu, quâ videlicet in parte sit, longè lateq; dissident. Herophilus enim in ventriculo cerebri sedem animæ ponit: Plato & Democritus in toto capite: Erasistratus circa membranam cerebri, quam Epicranidem vocat: Strato in superciliorum interstitio: Parmenides & Epicurus in toto pectore: Diogenes in arteriaco cordis ventriculo: Stoici in toto corde vel spiritu, quia circa cor versatur: nonnulli in ceruice cordis: quidam in præcordiis: Empedocles in sanguinis concretione. Ad hæc, nónne de sole & lunâ inter se ridiculè propemodum euariant? Anaxagoras, Democritus & Metrodorus, solem esse aiunt globum ferri candentem, vel saxum ignitum: Philolaus solem vitri modo pellucentem, ab igne cælesti splendorem accipere: Xenophanes nubem flagrantem. Lunam verò Heraclitus terram dixit nebulâ obuolutam: Stoici temperamentum ex igne aëreq;. Pythagoras ignitum lunæ corpus: Xenophanes esse nubem constipatam: Democritus conglobationem ignitam. Sic de magnitudine horum discordes sunt. Anaxagoras enim solem putat Peloponneso maiorem: Heraclitus latitudine pedali: Anaximander terræ æqualem, circulum verò quo vehitur, septies & vicies terrâ maiorem. Lunam similiter terrâ maiorem Stoici censent: Parmenides soli æqualem esse contendit. Sed quid hæc verbosiùs persequimur: cùm bona pars librorum vtriusque linguæ id genus opinionibus sit referta, & quidam luculenti scriptores de his ex professo tractarint? Satis superq; sit, è tantâ copiâ nos vno atque item altero argumẽto breuiter indicasse, quàm nihil inter veteres philosophos vspiam conueniat. In quorum locum superioribus sæculis, Scotus, Thomas, Aegidius Romanus, alij (si dijs placet) successerunt: inter quos non minùs quàm antiquos illos discrepat, vt vel hac re priscos Academicos, Stoicos, Peripatcticosq; maximè referre videantur. Proinde neutiquam absurdum erit, si iocum Senecæ verterimus, vt dicamus, faciliùs inter horologia conuenire, quàm inter philosophos.

Pag. 763. c. NIMIS RVSTICE.] *Exactam poëtarum curam etiam in minimo temporis articulo describendo ridet.*

Ibid. d. ANIMAM AGERE.] *Agere animam, est niti ad mortem. Tacitè verò ridet Claudium, qui crebrò ventris crepitum solebat edere. Nam anima pro vento quoque ponitur. Agebat igitur animam: verùm ea non potuit erumpere: quod aliquoties accidit conanti ventris exprimere flatum.*

Ibid. QVI SEMPER INGENIO.] *Propter cognitiones caussarum, quibus expilabat populum. Est enim Mercurius ἀγοραῖος.*

Ibid. DE TRIBVS PARCIS.] Parcis *non est in vetere codice, sed lacuna vacua. fortassis Græcè scriptum fuit μοίραις.*

Ibid. NVMQVAM MERITVM.] *Locus est ex ambiguo: nam vtrumq; potest intelligi, indignum longo cruciatu, & dignum præsentaneo subitoq; exitio.*

Ibid. CVM ANIMA LVCTATVR.] *Rursum alluisit ad crepitum.*

Ibid. PATERE MATHEMATICOS.] *Fortè patiar. nam sunt verba Parcæ. Verba sunt Clothus. Notat Genethliacos, qui mẽdacissimi, mendaciorum præsidem Mercurium colunt: quem ne offendant, rariùs vera dicunt. De Mathematicis non minùs scitè quàm verè Tacitus in decimoseptimo: Genus hominum, inquit, potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in ciuitate nostrâ & vetabitur semper, & retinebitur. Eodem auctore de Mathematicis Italiâ pellendis sub Claudio factum senatusconsultum atrox & irritum.*

Ibid. OMNIBVS ANNIS.] *In quibusdam codicibus hæc duo verba non leguntur.*

Ibid. EFFERVNT.] *Efferimus mortuos, quod Græcis dicitur ἐκφέρεσθαι.*

Ibid. HORAM EIVS NEMO NOVIT.] *Si exspectas vt Mathematicus tibi quidquam prædicat, opus est vt illi genituram tuam edisseras: quod ab Augusto factum refert Tranquillus, cùm in Apolloniæ secessu, Theogenis Mathematici pergulam comite Agrippâ conscendisset.*

Ibid. NATVM PVTAVIT.] *Indicat Claudij obscuritatem, quem nemo senserit nascentem. Tullius se quosdam reges natos nescisse dixit, pro eo quod est prorsus ignorare.*

Ibid. DE DE NECI.] *Carmen Virgilij ex quarto Georgicon, de apibus.*

Ibid. DVM HOS PAVCVLOS.] *Multis enim iam ius ciuitatis donauerat.*

Ibid. CIVITATE DONARET.] *Donare ciuitate, est ius ciuitatis tradere, & planè facere ciuem. Hoc etiam Romanam ciuitatem dare Suetonius dixit, sic de Galbâ imperatore scribens:* Ciuitatem Romanam rarò dedit.

Ibid. CONSTITVERAT ENIM.] *Indicat indulgentiam Claudij, quâ etiam exteros, minimeq; merentes honoribus afficiebat. Nam, vt scribit Tacitus, A. Vitellio, L. Vipsano consulibus, cùm de supplendo senatu agitaretur, primoréque Galliæ, quæ Comata appellatur, fœdera & ciuitatem Romanam pridem assequuti, ius adipiscendorum in vrbe honorum expeterent, & id senatui non placeret: Claudius contrà disseruit, maiores suos origine Sabinâ simul in ciuitatem Romanam, & in familias patriciorum adscitos: hortari vt paribus consiliis Rempublicam capessat, transferendo Romam, quod vsquam egregium esset. Orationem itaque principis sequuto patrum consulto, primi Edui senatorum in vrbe ius adepti sunt. Præterea (ceu refert Tranquillus) ornamenta consularia etiam procuratoribus ducenariis indulsit. Senatoriam dignitatem recusantibus, equestrem quoque ademit. Latum clauum (quamuis initio affirmasset, non lecturum se senatorem, nisi ciuis Romani abnepotem)*

etiam libertini filio tradidit. Triumphalia ornamenta Syllano filiæ suæ sponsò nondum puberi dedit. Aulum insuper Plautium, qui suam virtutem certis experimentis in expeditione Britannicâ probarat, Imperatoriæ maiestatis oblitus, quantem sequutus est, & Capitolium conscendenti læuum latus texit.

Pag. 764. a. SAVROMATAS.] *Nouem hæc verba non sunt in veteri lectione: aliquis doctus, ad explendam fortassis lacunam, adiecit.*

Ibid. IN SEMEN RELINQVI.] *Bellè dictum, à segetibus aut leguminibus sumptâ metaphorâ.*

Ibid. QVI MODÒ SE TOT.] *Videtur alludere ad triumphum Claudij, quo ob receptam Britanniâ apparatu maximo triumphauit: ad cuius spectaculum, vt testatur Suetonius, commeare in vrbem, non solùm præsidibus prouinciarum permisit, verumetiam exsulibus quibusdam.*

Ibid. HIS INTERIM CONVICTORIBVS.] *Augurino & Balbâ.*

Ibid. ABRVPIT.] *Mortem Claudij significat.*

Ibid. REGALIA TEMPORA.] *Rursum allusit ad prouerbium:* Aut regem, aut fatuum nasci oportet. *Regis enim nomen apud Romanos, vt tyrannicum & barbarum, inuisum habebatur.*

Ibid. At LACHESIS.] *Poëticè natiuitatem Neronis describit. Sed ô vanum augurem! Putabas optime Seneca morte Claudij libertatem obuenisse Romanis. At quando Romæ sæuior vmquam tyrannis fuit, quàm sub Nerone: de quo tu tamen adeò præclara, sed planè falso Apolline vaticinaris? Id quod tandem ipse expertus es, dum ad necem te compulit.*

Ibidem b. DESCENDVNT SÆCVLA.] *Aliter* distendunt, *pro deducunt: vt Parcas intelligas.*

Ibid. MOLLIA CONTORTO DISTENDVNT.] *Castigauimus*, descendunt: *exemplar antiquum sequuti. Tametsi* distendunt *quoque possit legi, si quis ad Parcas referat.*

Ibid. VINCVNT TITHONI.] *Tithoni & Nestoris longæuitas vel vulgo nota est.*

Ibid. INTENTAS CANTV.] *Pro* cantui: *passim id apud poëtas obuium.*

Ibidem c. MIHI SIMILIS.] *Apollinem enim vt citharœdum pingunt. Talis in theatro sæpè visus est Nero: qui etiam statuas suas citharœdico cultu posuit.*

Ibid. NEC CANTV.] *Neronem imprimis musicæ studiosum fuisse, neque quidquam eorum omisisse, quæ generis eius artifices & phonasci, vel conseruandæ vocis caussâ, vel augendæ factitabant, testis est Tranquillus. Apollinem enim æquiparare cantu, Solem aurigando videri volebat.*

Ibid. FELICIA LAPSIS.] *Reposuimus* lassis, *ex veteri scripturâ. Intelligit autem lassos incommodis & calamitatibus temporum Claudianorum.*

Ibid. LEGVMQVE SILENTIA RVMPET.] *Eleganter oppressas leges, silentia legum vocat, iuxta illud:* Silent leges inter arma.

Ibid. A CARCERE.] *Sumpta est à certaminibus equorum metaphora: in quibus repagulum illud, vnde fit initium cursus, carcer dicitur, quemadmodũ meta vbi sistitur. Hinc* à carcere, *siue* à carceribus, *pro eo quod est* ab initio, *prouerbiali figurâ iactatum. Carcerem in hac significantiâ Græci* βαλβίδα *appellant.*

Ibid. AFFVSO.] *Quidam legunt* effuso: *sed* affuso *non displicet pro circumfuso. nam ceruici capillus affunditur.*

Ibid. PLENA MANV.] *Hoc est, largiter & copiosè. Prouerbium est quo vtitur Cicero ad Atticum libro secundo:* At herclè alter familiaris tuus Horatius quàm plenâ manu, quàm ornatè nostras laudes in astra sustulit.

Ibidem d. DESIIT VIVERE VIDERI.] *Sic scriptum est in exemplari veteri: significat autem eum fuisse non hominem, sed somnium hominis. Nam sequitur paullò pòst,* Visus est quasi homo.

Ibid. COMOEDOS AVDIT.] *Qui per simulationem fuerant inducti, velut desiderantem oblectaturi. Auctor Suetonius.*

Ibid. ILLA PARTE.] *Fœditatem assiduè pedentis innuit. id vel ex hoc intelligas, quòd edictum meditatus est, quo veniam daret in conuiuio flatum crepitumq; ventris emittendi.*

Ibid. POST BOLETVM.] *Quem Agrippina medicatum, venenoq; infectum, auidissimo ciborũ talium obtulerat. Hinc boletos Nero, quasi deorum cibum, Græco prouerbio collaudare solebat. Quamquam hæc nouem verba in codice VVissenburgensi non sunt.*

Ibid. SCITIS ENIM OPTIME.] *Vetus*, Scitis enim certissimè: nec periculum est ne excidant, quæ memoriæ publicum gaudium impresserunt: *Vbi legendum, aut* impressit, *aut* publica gaudia.

Ibid. NEMO FELICITATIS SVÆ.] *Epiphonema est.*

Ibid. BONÆ STATVRÆ.] *Auctoritas enim dignitasq; formæ non defuit, vel stanti vel sedenti, ac præcipuè quiescenti. nam & prolixo, nec exili corpore erat: vt refert Tranquillus.*

Ibid. BENE CANVM.] *Fuit enim specie canitieq; pulchrâ.*

Ibid. CAPVT MOVERE.] *Habuit enim Claudius caput cùm semper, tum in quantulocumque actu, vel maximè tremulum.*

Ibid. PEDEM DEXTRVM.] *Nam ingredientem destituebant poplites minùs firmi: quod sup. retulimus.*

Pag 765. a. TERTIVMDECIMVM LABOREM.] *Duodecim labores Herculis à nullo poëtâ non sunt celebrati. De his & Virgilij titulo carmen exstat.*

Ibid. GRÆCVLO.] *Nam non mediocri curâ Claudius Græca studia sequutus est. Ac sæpè in senatu legatis perpetuâ oratione respondit. Multum verò pro tribunali etiam heroicis locutus est versibus: vt scribit Suetonius. Ait:*

Τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες;] *Hoc est:*

Quinam es, vnde venis, tibi quæ patria atque parentes?

Hoc carmen ex primo Odysseæ in hunc locũ substituimus. Verba sunt Telemachi, Mineruam alloquẽtis, quæ illi Mentæ Taphiorum regis specie tum apparuerat.

Ibid. PHILOLOGOS.] *Erant philologi, qui multiplici variaq; scientiâ censebantur: qualis fuit primùm Eratosthenes: qui primus hoc cognomentum sibi vendicauit. Deinde Atteius Romæ tempore Sallustij: quemadmodum refert Tranquillus de claris Grammaticis. Hîc de Græcis dicit, tamquam loquacibus, aut verborum phaleras sectantibus.*

Ibid. HISTORIIS SVIS.] *Scripsit enim & Græcas historias, Tyrrhenicôn* XX. *Carchedonicôn octo.*

Ibid. HOMERICO VERSV.]

Σκηπτῦχος βασιλεὺς, ᾧτε Ζεὺς κῆδος ἔδωκεν: *Id est:*

Sceptra ferens rex sum, rerum à Ioue tradita cura est.

Carmen

Carmen hoc ex primo Iliados Homeri, coniecturam equuti, restituimus.

Pag. 765. a. ERAT AVTEM SEQVENS.] Ἀλλ' ὅγε φέρτερός ἐστιν, ἐπεὶ πλέονεσσιν ἀνάσσει.

Quod multis præsit, vult hic præstantior esse. *Ex eodem Homeri lib. Carmen autem hoc à superiori tertium est. Ridet stultitiam eorum, qui quòd reges sint, ac multis imperent, sese meliores putant. Nisi quis hos duos ex Odyssea secundo versiculos malit:*

Σκηπτοῦχος βασιλεὺς, ᾧ δὲ φρεσὶν αἴσιμα ἰδῶς.

Id est:

Sceptra regens rex sum, non mente decentia noscens.

Ἀλλ' αἰεὶ χαλεπώς τ' εἴη, καὶ ἄσυλα ῥέζοι. *Id est:*

Immitis fuerit, semper simul impia tractet.

Ibid. ET IMPOSVERAT HERCVLI MINIMO DISCRIMINE FIBVLAM.] *Imposuerat Herculi fibulam: hoc est, compescuerat Herculem de patriâ sciscitantem. Metaphora est duriuscula, à constrictione membri virilis sumpta, quâ arrectio prohibetur. Id fibulâ obuinciente fiebat. Erat autem citharœdis & comœdis huius fibulæ vsus familiarissimus, vocis nimirum gratia ad cohibendam Venerem, raucedinis & offuscationis matrem. Eam rem multis epigrammatibus festiuissimus poëta Martialis docet, cuius & hoc est:*

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Vt sit Comœdis omnibus vna satis.

Hunc ego crediderã (nam sæpè lauamur in vno)
Sollicitum voti parcere Flacce suæ.

Dum ludit mediâ populo spectante palæstrâ,
Delapsa est misero fibula, verpus erat.

Hinc sumptæ sunt illæ Septimij Tertulliani locutiones, Carni fibulam imponere, *in libro de Monogamiâ, cuius contrarium,* Laxare fibulam delictis: *in de Coronâ militis, decenter & verecundè exprimẽtis, quod auctor obscœni carminis impudentiùs dixit:*

Néve imponite fibulam Priapo.

Ceu docuimus in annotationibus nostris in Tertullianum, locis modò citatis. Quoniam verò volumen manuscriptum apertè fabros *continebat, non* fibulam: *putaui legendum aliquando* ἄβρὸς *propter mollitiem Claudij, vt esset,* Imposuerat Herculi, *hoc est, deceperat Herculem, similior Græco quàm Romano.*

Ibid. FEBRIS.] *Plinius indicat, Romæ Febri delubrum in palatio publico fuisse. Porrò subsignificat insaniam Claudij, quâ per omnem vitam laborauerat.*

Ibid. CETEROS OMNES.] *Tacitè notat impietatem & ἀθεότητα Cæsaris, quem nemo Deorum comitatus sit, præter Febrim, & hanc infestam.*

Ibid. b. LVGDVNI.] *Claudius natus est Iulio Antonio, Fabio Africano Coss. Kalend. Augusti, Lugduni, eo ipso die, quo primum ara ibi Augusto dedicata est. Auctor Tranquillus.*

Ibid. MARCI MVNICIPEM.] *Pro* Marci, *legendum credo* Munatij. *L. enim Munatius Plancus Lugdunum coloniam deduxit, & Rauricam, quæ supra Basileam vno milliario Germanico sita est, ex quâ Basilea deriuata est, vrbs amœnissima, necnon optimis iuxtà ciuibus ornata. Ei Munatio nuperrimè huiusmodi memoria posita est hîc in foro, non procul à Curiâ, me auctore.*

L. MVNATIO PLANCO, CIVI ROMANO, VIRO CONSVLARI, ET PRÆTORIO, ORATORIQVE, AC M. CICERONIS DISCIPVLO, QVI POST DEVICTOS RHETOS, ÆDE SATVRNI DE MANVBIIS EXSTRVCTA, NON MODO LVGDVNVM, SED ET RAVRICAM, COLONIAM DEDVXIT, QVÆ AVGVSTA FVIT APPELLATA, AB OCTAVIO AVGVSTO TVM RERVM POTIENTE, S. P. Q. BASILIENSIS. TAMETSI ALEMANORVM TRANSDVCTI COLONI, SVBACTIS RAVRACIS, ROMANISQVE DEPVLSIS, AMORE TAMEN VIRTVTIS, QVÆ ETIAM IN HOSTE VENERATIONEM MERETVR, VETVSTISSIMO TRACTVS HVIVS ILLVSTRATORI, CVLPA TEMPORVM PRORSVS ABOLITAM MEMORIAM DF POSTLIMINIO RENOVARVNT. ANNO M. D. XXVIII.

Municipes sunt, qui in ciuitatem Romanam recepti, muneribus capessendis apti fiunt. Iocatur itaque in Claudium, perinde ac si Munatio honores consulares debeat, non parenti Druso. Si Marci *legas, Ancum Marcium intelligas, quartum Romanorum regem. Meminit & T. Liuius Marci Cornelij, quem scribit in* X. *tertiæ Decadis, prorogato imperio Galliam prouinciam obtinuisse.*

Ibid. VIENNA.] *Vrbs est Galliæ.*

Ibid. GERMANVS.] *Verus. Quod enim natiuum est, germanum etiam dicere solemus. Sic Plauto germana illauies dicta. Germanum etiam appellamus quod cognatum est. Sic inuidentiam & detractionem, germana vitia dicimus. Est & Germanus, ex Germaniâ aliquis. vnde hîc amphibologia, quam iocantes affectare solent.*

Ibid. ITAQVE QVOD GALLVM.] *Quomodo Galli vrbem Romanam ceperint, narrat Liuius in quinto primæ Decadis.*

Ibid. ROMAM CEPIT.] *Iocus est in amphibologiâ. Capit hostis, qui populatur: & capit, qui suscipit.*

Ibid. L. LICINIVS.] *L. Florus meminit L. Licinij Luculli.*

Ibid. QVI PLVRA.] *Ridet Herculem, per innumeras regiones diuagatum.*

Ibid. MVLIO PERPETVARIVS.] *De quartariis mulionibus meminit Fest. hîc μιμητικῶς Seneca perpetuarium dixisse videtur, aut qui in solidum, aut semper sit vector: aut (quod magis arridet) qui perpetuâ nec interruptâ vectatione suos vectores aliquò perducat. Ad vehicula mulis vsi sunt antiqui, non equis: vnde muliones vehicularij, quiq; mulis quæstum faciebant.*

Ibid. MILIA.] *Miliaria.*

Ibid. XANTHVM.] *Fluuius est Troiæ, qui & Scamander dicitur. Taxat Claudium, qui cùm in Galliâ natus esset, Græcus videri gestiebat, vt quem patriæ suæ puderet.*

Ibid. RHODANVM.] *Rhodanus fluuius est Galliæ notissimus, qui ex Alpibus non longè quidem à Rheni Danubiiq; fontibus oritur, ac Lugdunum latus, Ararim ibi suscipiens, mox Isaram Druentiámque, tribus ostiis in mare Tyrrhenum influit. Huius Strabo meminit & Cæsar.*

Ibid. DVCI.] *Ducuntur hi propriè, quos carnifices ad supplicia rapiunt. Suetonius in Caligulâ:* Stans tantummodo intra porticum mediam, à caluo ad caluum duci imperauit.

Ibid. SOLVTÆ MANVS.] *Innuit Claudium signo solutæ manus, vt homines capite truncarentur, iubere solitum. Bellè igitur dicit, solutam etiam ma-*

num Claudij, in hoc satis adhuc fuisse firmam, vt hominem capite priuaret.

Pag. 765. b. PVTARES OMNES ILLIVS ESSE LIBERTOS.] *Notat hîc Claudium, vt qui nimiùm in libertos suos indulgens esset. Vnde fiebat, vt ab his, quos nõ modò præmiis ingentibus, sed & quæsturis prætoriusq; ornamentis ornari patiebatur, quibúsque multa per fas & nefas acquirere raperéque permittebat, contemneretur, despiceretur, illuderetur.*

Ibid. VBI MVRES FERRVM RODVNT.] *Hoc ad excitandum risum dictum. significare autem vult magnam rerum mutationẽ, lociq; diuersitatem. Quasi diceret: si mures hîc ferrum rodunt, quales nos esse putas? Theophrastus auctor est (vt refert Plinius li. 8. cap. 57.) mures in Gyaro insulâ cùm incolas fugassent, ferrum rosisse. Hîc autem ridiculè de cælo dictum, quasi & illic oporteat esse mures, sed præstantiores.*

Ibid. CITIVS MIHI VERVM.] *Subaudi* dicito, *aut huiusmodi aliud: sed non scribitur, vt irati sermonem referat.*

Ibid. ALOGIAS.] *Stultitias. ἀλογίαν Græci eam animæ partem dicunt, quæ rationis expers est.*

Ibid. TRAGICVS.] *Et hoc, vt alia multa, ad risum iocosè dixit. Nota est Tragicorum amarulentia, tumiditásque.*

Ibid. EXPROME.] *Carmen est Iambicum, quod constat in locis paribus semper ex Iambo aut Tribreui: in imparibus indiscriminatim ex Iambo, Spondeo, Dactylo, Anapæsto, Tribreui.*

Ibid. EXPROME PROPERE, SEDE QVA GENITVM DICAS.] *Exemplar vetus habet,* Exprime properè, sed quâ genitus cluas. *Hoc carmen nescio quis mutauit in editione Romanâ, quemadmodum & nos legere coacti sumus: sed prorsus infeliciter. Nam quid opus erat, pro elegantissimo & veteri verbo* cluas, *supponere* dicas? *Ego carmen sic restituendum arbitror:* Expromere properes, quâ gente natus cluas.

Ibid. c. HOC STIPITE.] *Clauam obiectat.*

Ibid. MOBILE CAPVT.] *Suprà retulimus, Claudium fuisse capite admodum tremulo.*

Ibid. TERGEMINI PETENS.] *Notum est, quo pacto Hercules Geryoni tricipiti boues eripuerit, & secum in Græciam duxerit. Qui fabulæ originem nosse volet, Palæphatum euoluat. Arrianum quoque legat de gestis Alexandri Magni, lib. secundo, qui Hecatæi Abderitæ sententiam de Hercule & Geryone refert.*

Ibid. HESPERIO MARI.] *Hispanico.*

Ibid. INACHIAM AD VRBEM.] *Hoc est, Argos, Peloponnesi caput. Inachia (auctore Stephano) Peloponnesum significat, non tantùm Argos, ab Inacho fluuio. Vnde gentile Inachius. Verba Stephani hæc sunt:* Ἰναχία ἡ Πελοπόννησος, ἐ μόνον τὸ Ἄργος, ἀπὸ Ἰνάχου τοῦ ποταμοῦ· τὸ ἐθνικὸν Ἰνάχιος.

Ibid. NOBILE PECVS.] *Boues Geryonis.*

Ibid. VIDI.] *Rediens ex Hispaniâ.*

Ibid. IVGVM.] *Cacumen montis.*

Ibid. ARARQVE.] *Araris fluuius, qui per concisionem Arar dicitur, oritur non longè à monte Vogeso (qui Germaniam à Galliâ hodie separat) in collimitio Burgundiæ, Lotharingiæq;, ac decurrens per Eduorum Sequanorumq; fines, Lugduni Rhodanum influit. Nunc Sonam vocant.*

Ibidem d. GALLVM IN SVO STERQVILINIO.] *Simili prouerbio nostrates vulgò dictitant: Canem in suo sterquilinio, siue in suarum ædium vestibulo ferociorem esse. Non deest autem in Galli vocabulo latens morsus. Nam in Galliâ, Lugduni videlicet, natus est Claudius: ceu suprà quoque retulimus.*

Ibid. FORTISSIME DEORVM.] *Bellè tribuit eam Herculi fortitudinem inter deos, quam inter homines habuit.*

Ibid. MIHI AFFVTVRVM.] *Opitulaturum.*

Ibid. ET SI QVIS A ME NOTOREM PETISSET.] *Non admodum mihi placet notoris vocabulum. Quando verò tantopere Claudius linguâ Græcâ delectabatur: quid si putemus hîc non* à me noterem, *sed* amyntorem, *à Senecâ fuisse scriptum? Significat autem ἀμύντωρ Græcis defensorem & vindicem: nisi libeat* auctorem *legere pro patrono. Paullò pòst sequitur* contulerim: *quod fortassis esse debebat* exantlarim.

Ibid. MALVISSES CLOACAS AVGIÆ PVRGARE.] *Sic enim hunc locum ex codice manuscripto restituimus. Hic Augias tantum fimi collegerat in stabulis suis, vt* Αὐγείου βοσκασία *Græcis in prouerbium abierit, quoties hominem significare volunt, aut rem supra modum immundam. Augiæ meminit Philostratus libro* VIII.

Ibid. SED NON MIROR, QVÒD IMPETVM IN CVRIAM FECISTI: QVONIAM VOLO.] *Hic locus sic legitur in libro vetusto:* Sed quoniam volo, non mirum, quòd in curiam impetum fecisti, nihil tibi clusi est. *quemadmodum & nos reposuimus. Cæterùm aut mendosus est locus, aut (quod potiùs credo) Græca hîc desunt, & diuersas sententias librarius confudit. Fuit autem in hunc fortassis sensum aliquid scriptum: Sed bono animo sis, quoniam volo tibi patronus esse. Et sunt verba Herculis, Claudio respondentis. Interim irrumpit Hercules in Curiam, quam Seneca fingit in cælo: neque enim ciuilitatem didicerat inter homines, omnia cum impetu facere solitus. Itaq; Semidei illi, qui intra curiam erant, de Claudio recipiendo consultantes, irrumpentem illum, & clausa omnia suis viribus perfringere solitum sic alloquuntur:* Non mirum, *inquiunt*, quòd impetum in Curiam fecisti. *quasi dicant: Hoc tibi nouum non est. Nihil tibi clusi est. Modò dic nobis qualem Deum, & quæ sequuntur.*

Ibid. Ἐπικούρειος θεὸς NON POTEST ESSE.] *Hæc verba* Ἐπικούρειος θεὸς, *præsidio tenuium vestigiorum eruta reposuimus: nisi mauis,* Ἐπικούρου θεός. *Restituimus & ea quæ mox sequuntur.* Οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, ἔτε ἄλλοις παρέχει. *hoc est:* Neque ipse negotium habet, neque aliis exhibet. *Quam sententiam, velut aduersantem diuinæ prouidentiæ, hactenus explosit optimus quisque, sed in primis Christiani scriptores. Cæterùm eleganter in Epicuri Deum iocantur Semidei isti, quando regnant, irascuntur, pugnant dij, si quid poëtis creditur. Epicurus autem hebetem & ignauum Deum inducit. Sed & in Stoicorum Deum iocatur, tamquam monstrosum: nam negant Deum Stoici membra habere, puta caput, pedes, ventrem, & quæ sub ventre sunt. At dij vulgares & poëtici de loco in locum migrant, comessantur, amant. Proinde Stoicus Deus, inquiunt, quomodo potest rotundus esse, sine capite & præputio? Quasi dicat: Imperfectum quiddam est Stoicus Deus, & monstri simile. Concedunt tamen, Claudium posse Stoicum Deum fieri, quòd corde & capite careat: hoc est, prudentiâ & mente, propter stultitiam.*

Pag.

Pag. 765. d. STOICVS?] *Subaudi*, Deus fiat Claudius?

Ibid. ROTVNDVS.] *Perfectus. Horatius:*

—— Graijs dedit ore rotundo
Musa loqui. ——

Figura enim orbicularis, quam & cælum possidet, perfectissima est.

Ibid. SINE CAPITE, SINE PRÆPVTIO.] *Nam negant Stoici, inesse Deo humanæ formæ lineamenta. Iocatur itaque non tam in imperfectum Stoicorum Deum, quàm in Claudium ipsum, veluti carentem capite, eò quòd stultus esset, & carentem præputio, vel ob morbum, vel quòd iam ob ætatem ad Venerem importunus & inutilis foret.*

Ibid. NEC COR, NEC CAPVT.] *Quia Stoici Deum faciunt incorporeum, & mentem dumtaxat, cui nulla sint membra. Id torquet in stultitiam & amentiam Claudij. Apud Græcos obscænus sermo, ἀνέφαλος dicitur: & cordatos vocamus prudentes.*

Pag. 766. a. HERCVLES.] *Iurantis est: & sunt verba alicuius diuorum. Ridiculum autem, iurare Deum per Herculem.*

Ibid. SI MEHERCVLES A SATVRNO PETISSET.] *Cum hoc loco, & his quæ sequuntur, diutissimè luctatus sum, nec succurrebat exemplar manuscriptum. Opinor autem legendum:* Iustissimè herclè à Saturno petisset hoc beneficium, *& quæ sequuntur. Suntq; verba semidei cuiuspiam in illâ Curiâ, quam in cælo Seneca fingit. Nam hoc animaduertere debet Lector, semideos illos nunc nullo ordine obseruato loqui. Vnde posteà Iupiter illos obiurgat:* Ego P. C. inquit, interrogare vobis permiseram, vos mera mapalia fecistis. *Quasi diceret: In dicendis sententiis non seruatis ciuilem consuetudinem, sed rusticano more, quicquid in buccam venit, promiscuè blatteratis.*

Ibid. HOC BENEFICIVM.] *Ἀποθέωσιν videlicet, hoc est, deificationem.*

Ibid. CVIVS MENSEM.] *Saturnalia Romæ celebrari mense Decembri solebant, ita vt intra quinque, aut quàm plurimum septem dies finirentur. Claudius autem, qui numquam temerè (quemadmodum testatur Tranquillus) triclinio abscessit, nisi distentus ac madens, toto anno visus fuit Saturnalia celebrare. De Saturnalibus Claudij Cæsaris, ad Lucilium his verbis scribit Seneca noster, quæ mirè faciunt ad hunc locum:* December est mensis, *inquit*, quo maximè ciuitas desudat ius luxuriæ publicè datum est, ingenti apparatu sonant omnia: tamquàm quicquam inter Saturnalia non intersit, & dies rerum agendarum. Adeò nihil interest, vt non videatur mihi errasse, qui dixit, olim mensem Decembrem fuisse, nunc annum.

Ibid. EIVS PRINCEPS NON TVLISSET.] *In his prodigiosè corruptis locis nihil prorsus erat præsidij à codice manuscripto. Deprehendi tandem legendum, non* eius princeps, *sed* Caius princeps. *Sequitur mox,* Illum deum à Ioue. *Liber vetus habet,* illum Ioue: *sic vt inter* illum *&* Ioue *sit lacuna media. Porrò persuasissimum mihi est, dictiones istas,* deum à Ioue, *nihil ad sensum facere. Doctus quispiam sic tumultuariè locum castigauit,* deum *& à præpositionem apponens, aut re diligentius perspecta. Ego legendum reor,* illum *ἀποθεοῦσθαι, hoc est, in deorum numerum referri: nam dubio procul ignota vox Græca librario occasionem dedit, vt omitteret. Sequitur,* damnauit incesti. *Lego,* damnatum incesti. *Sequitur,* Oropenque sororem suam. *In manuscripto codice est,* oro per quid sororem suam. *Coniicio scribendum,* eò quòd sororem suam. *Sequitur,* quam quoniam omnes. *scribo,* quum omnes Venerem: *dispuncto relatiuo* quam. *Sequitur adhuc:* Quam, inquit, quæro tantùm sororem suam stultè studere. *Sic & in exemplari scripto legitur propemodum, ita videlicet:* Quare, inquit, sororem suam stultè stude. *Locus est non solùm mendosus, sed & obscurus. Diuinatione planè hic opus est. Fortassis legendum:* Quare inuidit Romæ historiam suam. Auscultare Athenis dimidium licet, Alexandriæ totum. *Vt huius semidei sententia taxet, quòd Græcas historias suas Claudius Alexandriæ curarit recitandas singulis annis, & quidem opus vtrumque totum, per vices seorsim in duobus Musæis, institutis stipendijs, veluti contemptâ Româ. Quam rem his verbis narrat Suetonius:* Denique, *inquit,* & Græcas scripsit historias, Tyrrhenicôn XX. Carchedonicôn VIII. Quarum caussâ veteri Alexandriæ Musæo additum ex ipsius nomine, institutumq; vt quotannis in altero Tyrrhenicôn libri, in altero Carchedonicôn diebus statutis velut in adiutorio recitarentur toti à singulis per vices. *Hactenus ille. Vides illos libros historiarum, auctore Tranquillo, totos fuisse lectos singulis annis. Id ergo est quod dicit Seneca,* Alexandriæ totum. *Fortassis alterum tantùm volumen singulis annis apud Athenas recitabatur: non vtrumque: vt sit quod ait,* Athenis dimidium. *Porrò validum argumentum, si dijs placet, aduersus Claudium, quòd Græcis plus fauere visus sit, quàm Romanis. Iam à nobis castigatæ sententiæ sic poterunt legi, & distingui:* Iustissimè herclè à Saturno petisset hoc beneficium, cuius mensem toto anno celebrauit Saturnalia. Caius princeps non tulisset illum *ἀποθεῶσθαι,* qui, (quâtum quidem in illo fuit) damnatum incesti Syllanum generum suum occidit, eò quòd sororem suam festiuissimam omnium puellarum, quum omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare. Quare inuidit Rom. historias suas? Auscultare Athenis dimidium licet, Alexandriæ totum. Quia Romæ, inquit, mures molas lingunt. Hîc nobis curua corrigit. Quid in cubiculo suo faciat, nescio: & iam cæli scrutatur plagas. Deus fieri vult. Parùm est quòd templũ in Britanniâ, *& quæ sequuntur. Porrò eius sententiæ quæ incipit,* Caius princeps non tulisset, *hic est sensus: Caius Caligula Cæsar numquam permisisset Claudium recipi in numerum deorum, vel ob hoc quòd generum suum L. Syllanum incesti statim damnauit, accusante Vitellio, sed Agrippinâ subornante, quòd illicitò sororis suæ Iuniæ Caluinæ amore teneretur: quum eidem crimini Caius Cæsar longè magis fuerit obnoxius, ob omnes sorores suas adamatas, non vnam tantùm. Nam (vt Suetonius scribit) Caius Caligula cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit, plenoq; conuiuio singulas infra se vicissim collocabat, vxore suprà cubante. Solent enim fures furibus, incesti incestis fauere. Blandimur enim hoc modo vitijs nostris. Porrò non occidit Claudius generum suum Syllanum, sed ipso conueniente per edictum Vitellij ordine senatorio motus est, & eiurare magistrum coactus: quum fortè eo anno prætor esset, & pridie senatus lectus foret, lustrumq; conditum. Prætereà affinitatem Cæsar diremit. Quibus rebus offensus ornatissimus iuuenis, &*

aliàs clarus insigni triumphalium & gladiatorij muneris magnificentiâ, quo die Claudius incestas illas nuptias cum Agrippinâ celebrauit, ipse sibi mortem consciuit: siue eousque spem vitæ produxerat, seu delecto die ad augendam inuidiam, vt ait Tacitus. Atque hoc est quod hîc Seneca vult his verbis: Quantum quidem in illo fuit, damnatum incesti Syllanum generum suum occidit. *nimirum ob præstitam mortis occasionem. Iam satis apertum puto, quid sibi velint illa verba*, eò quòd sororem suam festiuissimam omnium puellarum, quum omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare. *Significat enim per* Venerem, *non admodum castam feminam Iuniam Caluinam, quam & Tacitus decoram, sed procacem appellat, à fratre Syllano, vxoris pænè loco habitam: id quod per Iunonem, Ioui nexu coniugali copulatam, eleganter innuit. Porrò dicterium Claudij,* Romæ mures molas lingunt, *quo frequenter vti solitus videtur, perstringit Romanos, tamquam delicatos & fastidiosos, qui non quibuslibet scriptis recitandis interesse possint, precibus iam & pretio corrogandi.*

Pag. 766. a. L. SYLLANVM.] *Hic Claudij gener à Vitellio, cùm ad id instigaret Agrippina Augusta, de incestu sororis suæ Iuniæ Caluinæ accusatus, quæ antè Vitellij nurus fuerat, ordine senatorio motus est, nec longè pòst, mortem sibi consciuit. De hoc multa apud Cornelium Tacitum in duodecimo. Fit huius quoque paullò pòst mentio.*

Ibid. MVRES MOLAS LINGVNT.] *Caussatur mollitiem Romanorum, vt qui proni sint ad libidinem, sed non nisi pulcherrimas sollicitent. Mures enim vrbani farinam absumunt, & delicatissimis ad satietatem vsque vescuntur: cùm rurestres interim fruticulos depascantur. Quin adeò molles sunt, vt nec caseum arrodant, sed lingant molitam farinam. Apparet hoc dictum fuisse familiare Claudio, de moribus ferrum arrodentibus.*

Ibid. HIC NOBIS CVRVA CORRIGIT.] *Subest, vt opinamur, sensus obscœnus: velut si diceretur, Claudius adeò circa Venerem est intemperans, vt ad libidinem suo nos exemplo incitet. Etenim vt Claudius verissimè cecinit,*

Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Corrigere, est emendare: est & rectum facere, atque arrigere. Si quis hoc simpliciter accipiendum putat, erit εἰρωνεία in censoriam Claudij seueritatem. Si referendum ad proximè præcedens dicterium, quid si legas? Hic nos scurra Cæsar regit. *vt sit alicuius Mimi clausula.*

Ibid. IN CVBICVLO.] *Alludit ad hoc, quod refert Suetonius: Mortem videlicet eius celatam fuisse, donec omnia circa successorem ordinarentur. Iacuit itaque corpus mortui Claudij dies aliquot in cubiculo. Et hæc verba & superiora, & quæ proximè sequuntur, intellige Romæ fuisse in senatu dicta, cùm deliberarent, esset ne in numerum deorum referendus Claudius: id quod etiam ex sequentibus magis patescet. Fingit autem Curiam in cælo, qualis erat Senatorum Romæ.*

Ibid. TEMPLVM IN BRITANNIA HABET.] *De hoc sic Tacitus, vbi de Camuloduno loquitur: Ad hæc templum diuo Claudio constitutum, quasi ara æternæ dominationis aspiciebatur.*

Ibid. TANDEM IOVI VENIT IN MENTEM, PRIVATIS.] *Fortassis legendum*, primateis intra Curiam moranteis sententiam dicere, nec disputare. *Vt intelligas, voluisse Iouem senatores primæ auctoritatis sententiam dicere omissâ istâ pedariorum senatorum disputatione.*

Ibid. VOS MERA MAPALIA.] *Promiscuè sententiam ferentes, non seruato ordine alius alium turbantes. Mapalia sunt tuguria rusticorum. Estq; vocabulum Punicum. Alluserit autem ad prouerbium,* Rus ciuitas. *Confine est, Epicharmicum illud, ἀγρὸν τὴ πόλιν ποιεῖς: id est,* E ciuitate rus facis.

Ibid. QVALISCVMQVE EST.] *Quàm contemptim hoc de Cæsare dicit Iupiter.*

Ibid. DIMISSO.] *Secedere iusso.*

Ibid. IANVS PATER.] *Per Ianum hîc aliquem senatorem intelligit. Sed & Acron in Satyram Horatij, cuius initium,* Sic rarò scribis, *testatur tres Iano in foro fuisse statuas: ad vnam conueniebant creditores & fœneratores: ad alteram, qui fœnus redderent: ad tertiam, qui locarent fœnus. Indicat igitur hic, fuisse maximum quæstum Claudij.*

Ibid. b. HOMO QVANTVM VIA SVA FERT.] *Ostendimus aliàs, quo sensu sit accipiendum id,* quantum via sua fert. *Quia tamen præcedit* homo, *quid si legas?* quantumuis vafer, & qui semper videt ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω. *hoc est,* simul antè & pòst. *Quæ Græca verba restitutimus ex vestigiis, quæ erant in codice manuscripto. Clausula est, quâ Homerus sæpè vtitur: vt Iliad. α, & rursum Iliad. γ.*

Οἷς δ' ὁ γέρων μετέῃσιν, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω.

Et Iliad. σ.

—ὁ δὲ οἷος ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω.

de Polydamante loquitur.

Ibid. SEMPER VIDET.] *Vel quòd bifrons, vel quòd tres haberet statuas. Et addit ridiculè,* quantum via fert, *quasi videre, sit videri.*

Ibid. QVOD IN FORO IVVAT.] *Notat ambitionem fori, quòd à patrono iam non veritas, sed eloquentia exigeretur: & iudex non tantùm doceri cuperet, sed etiam delectari. Quemadmodum indicat & Quintilianus. Non dubito autem quin hîc legendum sit* viuat, *non* iuuat. *Notat enim quempiam, qui consul factus erat ex numero nummulariorum, assiduè in foro versantium. Nam qui inter homines versantur, plus eloquentiæ plerumque habent.*

Ibid. NE ALIIS VERBIS.] *Ridicula religio in re confictâ, sed festiuiter simulatâ.*

Ibid. DE MAGNITVDINE.] *Subnotat locos communes, in quibus ostentandi ingenij caussâ nimiùm solent immorari Rhetores.*

Ibid. IAM FAMA MINIMVM FECIT.] *Duo notat, passim collectos sordidos in ordinem senatorium, & pessimos etiam imperatores, in deorum numerum relatos, magis iam ex more, quàm ex merito. Exemplar manuscriptum* nimium *habet, non* minimum. *Fortassis legendum,* mimum fecit. *Vt sit sensus: Adeò vulgaris res esse cœpit, etiam immeritos inter deos consecrare, vt scenicis ludis argumentum subinde præbeat. Nam quid est aliud hic Senecæ ludus de Apotheosi Claudij, quàm mimus quidam? Significat autem mimus modò histrionem actorem, modò carmen ipsum siue fabulam. Sic Laberius mimum quemdam, vt auctor est Gellius, Cophinum inscripsit: alium, Alexandriam: alium, Fullonem. Huiusmodi mimus fuit Laureolus quem Catulus Mimographus edidit, in quo iudex agebatur in crucem. Laureoli mimi Iuuenalis & Martialis meminerunt, & Tranquillus in Caio Caligulâ,*

ligulâ, his quidem verbis: Et quum in Laureolo Mimo, in quo actor proripiens se ruinâ sanguinem vomuit, vt plures secundarum certatim experimentum artis darent, cruore scena abundauit. *Quem locum sic opinor legi debere:* in quo actor prorepens è ruinâ, sanguinem vomuit, plures secundarum: *& quæ sequuntur. Iam arbitror liquere, quid sibi Septimius Tertullianus, omnis antiquitatis peritissimus, velit, quum in libro quo aduersum Valentinianos pugnat, sic scribit, de Enthymesi illâ Valentinianorum loquens:* Ita depulsa, *inquit*, quò minùs pergeret, nec habens, superuolare crucem, id est Horon, quia nullum Catuli Laureolum fuerit exercitata, vt destituta, vt passioni illisa, in tricâ multiplici atque perplexâ, omni genere eius cœpit adfligi. *Vult enim dicere, Enthymesin non fuisse exercitatam in scenâ, in agendâ fabulâ illâ quam Catulus Mimographus Laureolum inscripsit, in quâ iudex in crucem agebatur. Alioqui si illam scenicorum histrionum in repræsentandâ in crucem acti præsidis fabulâ dexteritatem habuisset, fortassis crucem superuolasset, id est, Horon.*

Pag. 766. b. ETIAM PESSIMVM QVEMQVE ILLVM AFFECTARE.] *Hæc clausula non est in codice VVissenburgensi,*

Ibid. ILLVM.] *Honorem.*

Ibid. IN PERSONAM, NON.] *Nam cùm in genere dicit, in rem pronunciat, non propriè in Claudium.*

Ibid. Ex HIS QVI ἀρώρης καρπὸν ἔδουσιν.] *Id est*, agrorum fructu vescuntur. *Restituimus hunc locum manuscripti libri vestigijs adiuti. Est autem apud Homerum Iliados ζ.*

Εἰδέ τις ἐσθλὸς βόσκῃ οἱ ἀρώρης καρπὸν ἔδουσιν.

Ibid. AVT EX HIS QVOS ALII ζείδωρος ἄρουρα.] *Hoc est*, frumentiferum rus. *Et hunc locum eruimus. Est autem hæc clausula apud Homerum frequenter obuia: vt Odysseæ α.*

Καὶ δὴ Κυκλώπεσσι φέρει ζείδωρος ἄρουρα.

Est verò ζείδωρος terræ epithetum.

Ibid. S. C.] *Senatusconsultum.*

Ibid. DICTVS PICTVSVE.] *Est nonnihil festiuitatis in imitatione: nam his modis loquuntur iureconsulti, & qui senatusconsulta conscribunt.*

Ibid. DEDI LARVIS.] *Terriculamentis inferorum. Laruæ sunt noxiæ inferorum vmbræ. Et dedimus noxæ animal quod læsit. Fecit iniuriam laruis, qui mortuus pro Deo voluerit haberi, cùm nihil sit nisi vmbra.*

Ibid. EVM DEDI LARVIS. SED PROXIMO MVNERE INTER NOVOS AVTORATOS.] *Reposuimus ex manuscripto codice pro* dedo, dedi: *& pro* noxios, nouos. *Porrò sententia adhuc est imperfecta, nisi pro* sed *legamus* & proximo. *Sic autem restitui debet:* Qui contra hoc S. C. Deus factus, dictus, pictúsve erit, eum dedi laruis, & proximo munere inter nouos autoratos, ferulis vapulare placet. *Nam ad hoc verbum* placet, *in fine, etiam superiora referri debent. Ex hoc loco veterem spectaculorum morem animaduertere licet, quo ferulis verberabantur, qui nuper se lanistis addixissent. Nam hos vocat autoratos, vbi rudes adhuc primùm in harenam prodissent. Solent autem in nullâ non arte ludicro aliquo tentari rudes. Sic mos tentandi nouos scholasticos Athenis obseruatus narratur in vitâ Magni Basilij, de Basilio & Gregorio Nazianzeno.*

Ibid. DIESPITER.] *Iouis cognomentum est: quem sic vocant, quasi diei patrem.*

Ibid. Cos. NVMVLARIOLVS. HIC QVÆSTV SE SVSTINEBAT, VENDERE CIVITATVLAS SOLEBAT. AD HOC VELLE ACCESSIT HERCVLES.] *Hunc locum ausim iurare corruptissimum esse. Nam istæ dictiones*, Ad hoc velle, *planè portenta quædam sunt mendarum. Diu hîc laboraui, nec quicquam venit in mentem, quod prorsus probem. Inter cetera visum est legi posse*, Cos. numulariolus. Hic quæstu se sustinebat, vendere ciuitatulis solebat olei culeos. Accessit Hercules. *&c. Tum videndum, an pro numulariolo legendum sit* cullearíolus. *Sed hæc coniectura esto.*

Ibid. ET AVRICVLAM EI TETIGIT.] *Auris memoriæ dicata. Vnde qui attestantur, aut admonent, auriculam vellere dicuntur.*

Ibid. DIVVM AVGVSTVM SANGVINE.] *Fuit enim nepos Augusti. Nam patrem Claudij Cæsaris Drusum, cùm Liuia Augusto grauida nupsisset, intra mensem tertium peperit. Auctor Tranquillus.*

Ibid. QVAM IPSE DEAM ESSE IVSSIT.] *Auiæ enim Liuiæ (vt refert Suetonius) diuinos honores, & Circensi pompâ currum elephantorum decernendum curauit.*

Ibid. E REPVB.] *Ex vsu Reipublicæ Romanæ.*

Ibid. C. QVI CVM ROMVLO POSSIT FERVENTIA REPARARE.] *Exemplar manuscriptum habet,* Qui è Romulo possit feruentia rapa notare. *Ego castigaui* vorare. *Ceterùm videndum, an pro* Romulo *scribendum sit* rhombulo: *vt hic sit sensus: Expedire esse aliquem, qui feruentia rapa voret è rhombulo: hoc est, vase eius figuræ cuius est rhombus. Fieri potest, vt huiusmodi vase peculiariter vsus sit Claudius. Boletorum, & similium ciborum, quibus & rapa annumerari possunt, auidum illum fuisse, Suetonius tradit.*

Ibid. EAMQVE REM.] *Innuit ἀποθέωσιν Claudij planè esse fabulam, ac proinde dignam, quæ fictis Ouidij transformationibus infulciatur. Describit enim Ouidius μεταμορφώσεις fabulas: vt Aegles puellæ in populum arborem, Hecubæ in canem.*

Ibid. ET VIDEBATVR CLAVDIVS SENTENTIAM VINCERE.] *Vetustior codex habet* sententia. *Coniicio scriptum à Senecâ fuisse*, Et videbatur Claudium vnâ vincere, *subaudi* sententiâ. *Pars Claudio fauentium vno tantùm calculo vincebat partem diuersam. Attende, Claudium paucis fuisse probatum.*

Ibid. FERRVM SVVM IN IGNE.] *Hoc est, rem suam agi. rogatus enim erat, vt Claudio patrocinaretur. Sumpta est metaphora à fabro ferrario. Suballudit autem ad hoc, quòd Hercules etiam ex homine Deus factus esset: id quod tantâ nunc ambitione Claudius assequi nitebatur. Ac profectò Hercules Claudium Deum Romæ effecit: hoc est, precibus & instinctu Agrippinæ, hoc modo dati veneni suspicionem euitare volentis, senatus quasi vi impulsus, Claudio diuinos honores decreuit.*

Ibid. NOLI MIHI INVIDERE.] *Expressit Seneca morem, etiamnum magis communem quàm vtilem.*

Ibid. MANVS MANVM LAVAT.] *Prouerbium est de operâ mutuùm præstandâ. Græcè sic effertur,* χεὶρ χεῖρα νίπτει.

Ibid. TVM DIVVS AVGVSTVS.] *Quoniam superiora*

periora ad ſenatum Romanum retulimus, hîc ſub Auguſti perſonâ Neronem Cæſarem intelligere poteris. Nam Nero Claudium diuinis honoribus deſtituit, omnibus rerum verborumq; contumelijs mortuum inſectatus, ac modò ſtultitiæ, modò ſæuitiæ arguens, vt refert Tranquillus.

Pag. 766. c. P.C.] *Patres conſcripti.*

Ibid. EX QVO DEVS FACTVS SVM.] *Ridet Auguſti diuinitatem. Nam huic viuo quoque diuini honores contigerunt. Mortui non loquuntur.*

Ibid. MEVM NEGOTIVM AGO.] *Salsè ſignificat, tam priuatum nec curare, quid agatur vſquam.*

Ibid. IN HOC.] *Ad hoc. Et pronunciandum cum exclamatione.*

Ibid. OPERIBVS.] *Vt foro cum æde Martis vltoris, templo Apollinis in palatio, æde tonantis Iouis in Capitolio.*

Ibid. INFRA INDIGNATIONEM.] *Quaſi dicat: Etiam ſi multa nunc allegem, adhuc non videbor indignatus, ſed iuſtè conqueri.*

Ibid. d. PRAECIDIT.] *Verba ſunt ex aliquâ oratione Meſſallæ. Subeſt autem locus ex ambiguitate. Nam* præcido *ſignificat* amputo, *& aliud obſcœnius, quàm vt libeat exponere.*

Ibid. QVAM CANIS FRVSTVM ABSCIDIT.] *Emendaui*, quàm caneis excidit, *exemplar manuſcriptum ſecutus. Videtur autem Claudius canibus exſectis delectatus fuiſſe. Porrò quando manuſcriptum exemplar mirè corruptum eſt, ſuſpicari libet hîc ſcriptum fuiſſe*, extra edit, *pro* excidit: *vt ſit ad Græcum prouerbium alluſio κύων παρ' ἐντέρους, id*, Canis iuxta inteſtina.

Ibid. DE TOT ACTIBVS TVIS.] *In cognoſcendo enim ac decernendo, mirâ varietate animi fuit, vt inquit Tranquillus.*

Ibid. SED QVID EGO DE TOT ACTIBVS IVRIS DICAM.] *Fortaſsis legendum*, de tot præſtantibus viris: *aut*, de dodrantibus vſuris.

Ibid. NAM τῆς ὀργῆς ÆGRE SENESCIT ἡ νόσος.] *Hunc locum maximo labore reſtitui, quòd Græca Latinis litteris eſſent ſcripta, & Latina non minùs depranata forent quàm Græca hoc modo:* Nam & ſi Phormea Græcè neſcit, ego ſcio. *Senſus eſt, iræ morbus ægrè ſeneſcit. Reddit rationem Auguſtus, cur domeſtica mala potiùs commemorare velit, quàm publica. Alludit ad prouerbium*, Ira omnium tardiſſimè ſeneſcit. *quod Græci dicunt*, ὁ θυμὸς ἔχατον γηράσει, *id eſt*, ira poſtremùm ſeneſcit.

Ibid. Πυργοπολινίκης ISTE, QVEM VIDETIS.] *Et hoc verbum ex qualibuſcumque veſtigijs repoſui. Thraſonicum nomen eſt, ab expugnatis arcibus & oppidis deductum: quo glorioſum militem Plautus vocauit. Notatur autem hîc Claudius, qui potentiam ſuam in miſeros, & qui reſiſtere non poſſent, oſtendere voluerit.*

Ibid. DVAS AMITAS.] *Nam Iulias, alteram Druſi, alteram Germanici filiam, crimine incerto, nec defenſione vllâ datâ occidit. Hic Druſus autem & Germanicus Tiberij Cæſaris fuerunt filij.*

Ibid. VIDERIS IVPITER, AN IN TVA CERTE MALA.] *Codex vetuſtior habet:* Videris Iup. an in cauſſâ, certè in tuâ. *Scriptum opinor à Senecâ*, Videris Iupiter non mea mala, certè in tua, ſi hic inter nos futurus eſt.

Ibid. QVOS QVASQVE.] *Imitatio feſtiuitatem habet, ſimul & emphaſin. Sic enim loquuntur in iudicialibus cauſsis. Et intelligimus illum nec feminis pepercisse.*

Ibid. ECCE IVPITER.] *Alludit ad id quod eſt apud Homerum, in fine primi Iliados. Iupiter aliquando cum Iunone, quod inter coniuges non ita rarum eſt, rixatus, cùm verba huic infligere cœpisſet, Vulcanus qui fortè tum aderat, accurrens Iunoni ſubſidium ferre volebat. At Iupiter iratus hunc pedibus arreptum è cælo rotauit: qui cùm totum diem decidendo conſumpſisſet, tandem in Lemnon inſulam (manè enim deiectus fuerat) ſub veſperam lapſus, ibi ſtatim ab indigenis ſubleuatus eſt. Quod apud Homerum his carminibus ipſe teſtatur, dum Iunonem monet, ne marito aduerſetur: ſin illius in ſe furorem concitet, Vulcanum nequaquam ſuppetias laturum, vtpote qui Iouis iram olim ſenſerit:*

Ἦ δηγάρ με καὶ ἄλλοτ' ἀλεξέμεναι μεμαῶτα,
Ῥῖψε ποδὸς τετραγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο.
Πᾶν δ' ἦμαρ φερόμην, ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι
Κάππεσον ἐν Λήμνῳ (ὀλίγος δέ τι θυμὸς ἐνῆεν)
Ἔνθά με Σίντιες ἄνδρες ἄφαρ κομίσαντο πεσόντα.

Quos verſus ſic nos, vt ſententiam redderemus, extempore Latinos fecimus:

Me quidem læſæ nuper tibi adeſſe volentem,
Arreptum pede de magno deiecit Olympo.
Atque diem totum delapſus ab æthere, tandem
In Lemnon cecidi, exanimi vix pectore ſpirãs.
Hîc vbi me pia gens delapſum attollere curat.

Huius fabulæ ſic meminit Phurnutus, ſimúlque rationem reddit: Ῥιφθῆναι δὲ ὑπὸ τοῦ Διὸς ἐξ οὐρανοῦ εἰς γῆν λέγεται, διὰ τὸ τοὺς πρώτους ἴσως ἀρχομένους χρῆσθαι πυρὶ, ἐκ κεραυνοβόλου καιομένου τούτου περιτυχεῖν, μηδὲ πω δύναμίαν τοῖς πυρίοις ὄπτεσθαι δυναμένας. *id eſt*, Vulcanus à Ioue proiectus in terram è cælo dicitur: quòd hi forſan, apud quos primùm in vſu fuit ignis, ex iactu fulminis hunc nacti fuerint, quum inſtrumenta, quibus ignem excuterent, nullo adhuc ingenio reperiſſent.

Ibid. VNI VVLCANO CRVS FREGIT, QVEM Ῥῖψε ποδὸς τετραγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο: ET IRATVS FVIT VXORI.] *Sic nos hunc locum reſtituimus, præſidio manuſcripti codicis. Nam verba quæ in priore editione legebantur*, Et in Lemnon cælo deturbauit, non exſtinxit: *doctus aliquis adiecerat, vt lacunam Græci carminis expleret, Verſus eſt apud Homerum Iliados α. quem ſic reddere poſſis:*

Arreptum pede de magno deiecit Olympo.

Ibid. IRATVS FVIT VXORI.] *Cùm Hercules olim ex inſſu Iunonis nauigationem inſtituiſſet, hæc vt ſuum odium nuſquam non oſtenderet, illi, exorato Boreâ, ventos aduerſos immiſit. Iupiter obid indignatus, Iunonem ex alto ſuſpendit, geminam incudem pedibus appendens. Sic enim Iliados ο. loquitur, hoc illi in memoriam reducens:*

Ἦ ἐμεμνῆστο τ' ἐπιρρέμω ὑψόθεν, ἐκ δὲ ποδοῖιν
Ἄκμονας ἤκα δύω; ——

Quorum verſuum hic ſenſus eſt:

Ex altóne tenes quòd cùm ſuſpenſa fuiſti
Nos pedibus geminam incudem demiſimus?

Cuius fabulæ, quemadmodum & ſuperioris, cauſſam aſsignat.

assignat Phurnutus, περὶ τῶν δεδομένων μύθων: his verbis: Ἔοικεν ὁ ποιητὴς μύθῳ παλαιῷ διαφέρειν τοῦτο, καθ' ὃν ὁ Ζεὺς ἐμυθεύετο κεκρεμακέναι ἢ Ἦεν χρυσαῖς ἀλύσεσι, πῦρ χρυσοφανές τι ἔχειν τὰ ἄστρα. καὶ ἐκ τῶν ποδῶν ὠτῆς δύω ἄκμονας ἐξηρτηκέναι, τὴν γῆν δηλονότι, καὶ τὴν θάλατταν· ὑφ' ὧν τείνεσθαι κάτω· ὁ ἀὴρ μηδετέρωθεν ἀποπαλῆναι δυνάμενος. Ex antiquâ fabulâ videtur, *inquit*, poëta hoc afferre, quâ Ioué fabulabantur, Iunonẽ aureis catenis suspẽdisse, nempe quòd auri fulgorẽ stellæ possideãt. Ac ad pedes eius appẽdisse duas incudes, mare videlicet & terrã: à quibus deorsum tenditur aër, sic vt ab horũ neutro diuelli possit. *Huius etiã fabulæ meminit enarrator* τῶν Στηλιτευτικῶν *Greg. Nazian.*

Pag. 766. a. MESSALINAM.] *Hæc fuit vxor Claudij: quam mori compulit, vt est apud Tacitum. Fuit igitur immitior Ioue.*

Ibid. NESCIO INQVIS.] *Alludit ad hoc quod Tacitus refert. Messalinæ enim iam mortem exspectãti, Claudius vbi vino incaluerat, nunciari iubet, ad dicendam caussam postero die adesset. quod Narcissus accusator intelligens, ne, si euaderet, in se pernicies verteretur, denunciat centurionibus & tribuno, qui tum aderant, exsequi cædem, ita imperatorem iubere: illi eam interfecerunt. Nescire autem visus est. Nam occisâ Messalinâ (inquit Suetonius) paullò pòst quàm in triclinio decubuit, cur domina non veniret, requisiuit. tantæ fuit & obliuionis & inconsiderantiæ.*

Pag. 767. a. C. CAESAREM.] *Caium Caligulam putat. is fuit Claudij ex fratre nepos: qui incredibili sæuitiâ aduersus omne genus hominum grassatus est. Quem rerũ natura (velut alio loco scribit Seneca) non nisi in exitium opprobriumq; humani generis edidit.*

Ibid. OCCIDERAT ILLE SOCERVM.] *Syllanum enim socerum Caius ad necem secandasq; nouaculâ fauces compulit, caussatus in eo, quòd ingressum se turbatius mare non esset secutus, ac spe occupandi vrbem, si quid sibi per tempestatem accideret, remansisset: quum Syllanus impatientiam nauseæ vitasset, & nauigandi molestiam. Auctor Tranquillus.*

Ibid. HIC GENERVM.] *L. Syllanum, de quo antè & paullò pòst.*

Ibid. CRASSI FILIVM VETVIT.] *Cn. enim Pompeio stirpis antiquæ, Magni cognomen Caius ademit: vt meminit etiam Suetonius.*

Ibid. HIC NOMEN.] *Fecit enim generum suum: nam Antoniam filiam maiorem, illi vxorem dedit.*

Ibid. CAPVT TVLIT.] *Ambiguum est. Potest enim intelligi* caput tulit, *hoc est, exseruit caput, & ad honores eleuauit: &* caput tulit, *hoc est, amputauit.*

Ibid. TAM FATVVM, VT ETIAM REGNARE POSSET.] *Alludit ad vulgi dicterium, quo regũ stultitiã passim notabãt. In quam & ab Erasmo declamatum est in prouerbio, Aut regẽ, aut fatuũ nasci oportet. quod in huius ludi exordio statim vsurpauit Seneca.*

Ibid. COGITATE P.C.] *Hæc verba, & quæ sequũtur vsq; ad eam sententiam, quæ incipit,* Hunc nunc deũ facere vultis? *non erant in codice VVissenburgẽsi.*

Ibid. SCILICET,] *Ironiæ cũ infitiatione accommodata est particula. Quemadmodũ & illud apud Poëtã:*

Scilicet hic superis labor est.

Ibid. DRYVDARVM.] *Dryudarum religionem (inquit Suetonius) apud Gallos diræ immanitatis, & tantùm ciuibus sub Augusto interdictam penitus aboleuit. De Dryudibus Gallorum sacerdotibus multa meminit Cæsar in sexto.*

Ibid. IMMANEM RELIGIONEM.] *Nam pro victimis homines mactabant: vt refert Cæsar.*

Ibid. VT ROMÆ NVPTIARVM.] *Sensus est: Claudius hanc ob caussam Dryudarũ religionem deleuit, vt fratris sui filiam Agrippinam ducere posset: quod non licebat antè. Nam Claudius senatum ingressus decretũ postulauit, quo iustè inter patruos fratrumq; filias nuptiæ etiam in posterũ statuerẽtur. Exstat apud Tacitum, in hanc rem Vitellij oratio coram senatu habita.*

Ibid. XXX. SENATORES.] *De hoc sic Suetonius:* Die ipso Claudij & Agrippinæ nuptiarũ, in quinque & xxx. Senatores, trecentosq; ampliùs equites Rom. tantâ facilitate animaduersum, vt de nece consularis viri renunciante centurione, factum esse quod imperasset, negaret Claudius quicquã se imperasse, nihilominùs rem comprobaret, affirmantibus libertis, officio milites functos, quòd ad vltionem imperatoris vltrò procurrissent.

Ibid. TRIA VERBA.] *Quòd balbus esset: & tamẽ iudicis est tria verba dicere, quæ diebus nefastis non licebat. Est autẽ iucũda* προσονομασία *in* dicat *&* ducat.

Ibid. SVMMA REI.] *Imperij.*

Ibid. EX TABELLA RECITAVIT.] *Alludit ad consuetudinẽ antiquã, quâ in senatu censentes, de scripto sententiã proferebãt: &* recitare *verbũ hoc significat.*

Ibid. APPIVM SYLLANVM.] *Quem cùm Messalina & Narcissus conspirassent perdere, diuisis partibus, alter ante lucem similis attonito, patroni cubiculum irrupit, affirmans somniasse se vim ei ab Appio illatam: altera in admiratione firmata sibi quoq; eamdem speciem aliquot iam noctibus obuersari retulit. Nec multò pòst ex composito irrumpere Appius nunciatus, cui pridie ad id temporis, vt adesset, præceptum erat, quasi planè repræsentaretur somni fides, arcessi statim ac mori iussus est. Hæc Suetonius.*

Ibid. b. CRASSVM FRVGI.] *Huius meminit quodam loco Tranquillus.*

Ibid. TAM SIMILEM SIBI, QVAM OVO OVVM.] *Prouerbium est, quo vtimur, propinquam similitudinem indicantes. Vide Chiliades Erasmi Roterodami.*

Ibid. NEC ILLI RERVM IVDICANDARVM VACATIONEM.] *Quemadmodum ipse viuens pro conditione cuiusque ciuis vacationem legis Papiæ constituerat: hoc est, vt eâ lege non tenerentur.*

Ibid. PEDIBVS IN HANC SENTENTIAM.] *Non pauci sunt, qui opinantur, pedarios senatores appellatos, qui sententiam non verbis dicerent, sed in alienam sententiã pedibus irent: inquit Gellius lib. 3. Vnde dictũ est,* in sententiã ire, *&* pedibus ire in sentẽtiam.

Ibid. CYLLENIVS.] *Mercurius, à Cyllene monte Arcadiæ sic dictus.*

Ibid. VNDE NEGANT.] *Versus est Catulli de passere mortuo Lesbiæ:* Illuc vnde negãt redire quẽquã.

Ibid. VIAM SACRAM.] *Via est Romæ sic dicta. In hac apparet illum fuisse sepultum.*

Ibid. VT SCIRES DEVM EFFERRI.] *Iocus est à stultitiâ. Nam hoc ipsum pugnat cum ratione Dei, efferri mortuum.*

Ibid. OMNISQVE GENERIS SENATORVM.] *In exemplari manuscripto legitur* senatorum *pro* sonatorum. *Ego castigaui* æneatorum. *Sunt autem æneatores, tubicines: quòd tubæ ex ære fiant.*

Ibid. VT ETIAM CLAVDIVS.] *Tam stupidus & somnolentus, denique mortuus.*

Ib. P.R. AMBVLABAT TAMQVAM LIBER.] *Vetus codex habet* ambulat. *Malim* iubilat, *siue* iubilabat.

Pag.767.b. PAVCI CAVSIDICI PLORABANT.] *Merito lugebant causidici ob mortuum Claudiũ, quippe qui in se nimiâ facilitate vsus esset. Scribit enim Tranquillus, se à natu maioribus audisse, causidicos adeò patientiâ Claudij abuti solitos, vt descendentem è tribunali non solùm voce reuocarent, sed & laciniâ togæ retentâ, interdum pede apprehenso, retinerent.*

Ibid. SED PLANE EX ANIMO.] *Obiter taxat publicũ morem, quo lugebant etiam conducti. Iuuenalis:*

Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.

Ibid. TAMQVAM QVI TVM MAXIME REVIVISCERENT.] *Hic erat in volumine VVissenburgensi lacunula quædam. verbum* reuiuiscerent *integrè erat perscriptum.*

Ibid. DICEBAM VOBIS, NON SEMPER.] *Hoc est: Prædicebam vobis, non semper adeò fauentẽ Cæsarem habebitis, cuius abutamini patientiâ. Saturnaliorum licentia nota est: in quibus serui quoque libertate gaudebant, & domini vicissim seruis ministrabant. Sub Claudio plus poterant aduocati quàm iureconsulti. Sapit prouerbium simile illi:* Θύραζε Κάρες, ἀκέτ' Ἀνθιστήρια: *id est,* Foras Cares, nõ ampliùs Anthisteria.

Ibid c. INGENTI ENIM ὄπτάσει χορικῶς NÆNIA CANTABANTVR ANAPÆSTIS.] *Hæc verba nos vtcumque eruimus è vestigiis, quæ erant in exemplari manuscripto. Per* ὄπτασιν, *vocis contentionem intellige. Cuius contrarium est* ἄνεσις.

Ibid. FVNDITE.] *Anapæstica sunt familiaria tragœdiis, licet recipiant Dactylos & Spondeos. Postremo tamẽ loco non admittũt nisi Spondeum, aut Anapæstũ.*

Ibid. CORDATVS HOMO.] *Volumẽ manuscriptũ habet,* cordatus iano. *Proinde censeo scribendũ,* cordatus Sino: *nam præcedentis dictionis vltimum elementum est* s: *vt ad Sinonem Virgilianum sit allusio.*

Ibid. REBELLES PARTHOS.] *De Parthis sub Claudio Mithridatem regem expetentibus, ac de eorum dissensione, lege Tacitum in* XII.

Ibid. QVI.] *Id est, quo: scilicet neruo.*

Ibid. VVLNERE PARVO.] *Sagittæ.*

Ibid PICTAQVE TERGA.] *Propter scutũ pictum.*

Ibid. BRITANNOS.] *Nam, vt inquit Suetonius, à Gessoriaco (nunc Calesium vocant) in Britanniam transmisit, ac Cn. Sentij & Auli Plautij ductu, sine vllo prælio aut sanguine, intra pauciſsimos dies parte insulæ in deditionem receptâ, sexto, quã profectus erat, mense, Romã rediit, triumphauitq; maximo apparatu.*

Ibid. BRIGANTAS.] *Populi sunt Britanniæ: de quorum discordiis meminit Cornelius Tacitus in duodecimo. nunc eam regionem Valli habitant. Ponit etiã Brigantiũ oppidũ Ptolemæus in descriptione Rhetiæ.*

Ibid. ET IPSVM NOVA.] *Hoc dixit propter Orcadas insulas, quas Claudius imperio Romano primus adiecit, vt testatur Eusebius.*

Ibid d. NON ALIVS CITIVS.] *Locus est ex ambiguo. Nam citò cognoscit, qui statim intelligit, & absoluit. Et citò cognoscit, qui pronunciat, non auditis partibus, ita vt Claudius solebat.*

Ibid. TOTO ANNO.] *Ius enim laboriosissimè dixit, etiam suis suorumq; diebus sollennibus nonnumquam, festis quoque antiquitus & religiosis. Auctor Tranquillus.*

Ibid QVI DAT.] *Iudex inferorum Minos, qui quondam Cretæ præfuit. Hunc post mortẽ ob iustitiam suam poëtæ apud inferos ius dicere finxerunt. At Cretenses, vt quos ciuilitate & moribus erudiit, ad Iouem tamquam præceptorem itasse memorant, in Idâ monte speluncam ostendentes: atque illi in nouum annum consuesse, nec non didicisse, quæ ad Rempublicam instituendam vtilia forent. Id quod Max. Tyrius his verbis innuit:* Τί δὲ οἱ Κρῆτες; ἢ σοὶ μὲ δοκοῦσιν ὑπὸ βασιλεῖ τῷ Μίνῳ κομηθέντες καλῶς ἀγαθέντες τ' ἀρετῆς, διδασκαλον αὐτῷ ὑπφημίσαι τ Δία· ἐξ μὲν αὐτόθ' ἐν τῇ Ἴδῃ ἄντρον Διὸς, φοιτῶν τα δὲ τ Μίνω δι' ἐννάτε ἔτες συγγινόμενον τῷ Διῒ μανθάνειν παρ' αὐτ τὰ πολιτικά. ἕτοι Κρητῷ λόγοι. *Meminit huius Homerus Odyssææ vndecimo.*

Ibid. O CAVSIDICI, VENALE GENVS.] *De rhetoribus dictum,* ὑποτιθεῖσι τ χεῖρα τοῖς λήμμασι καὶ τ φωνὴν πιπράσκουσιν, *qui muneribus linguam venditant. Sic Velleius Paterculus, vetustissimus scriptor, quem nos nuperrimè in Murbacensi bibliothecâ reperimus, aliquando studiosis impertituri, Plancum proditorem, qui ab Antonio ad Cæsarem transfugerat, in omnia & in omnibus venalẽ perquã elegãter appellat.*

Ibid. CONCVSSO FRITILLO.] *Nam (auctore Suetonio) Claudius aleâ studiosissimè lusit, de cuius arte librum emisit. Solitus etiam erat in gestatorio ludere, ita essedo alueoq; adaptatis, ne lusus confunderetur.*

Ibid. TALTHYBIVS.] *Est Talthybius præco apud Homerum in primo Iliad. quem Agamemnon ad tentoria Achillis misit.*

Ἀλλ' ὄγε Ταλθύβιόν τε καὶ Εὐρυβάτην προσέειπε. *id est:*
Ast hic Talthybium affatus fuit Eurybatenque.

Est & nuncij nomen apud Euripidem, qui Hecubam iussit filiam suam Polyxenam sepelire.

Pag.768.a. NARCISCVS.] *Ab epistolis Claudij, ante omnes dilectus.*

Ibid. DOMINVS DOMINI.] *Scribit Cornelius Tacitus, Claudium libertos, quos rei familiari præfecerat, sibiq; ac legibus adæquasse. De immodicis Narcissi diuitiis, & Claudij in eum indulgentiâ, sic scribit Satyricus:*

Nec Crœsi fortuna vmquam, nec Persica regna
Sufficient animo, nec diuitiæ Narcissi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia. ——

—— DOMINVS DOMINI.] *Non est in codice VVissenburgensi.*

Ibid. VIRGA.] *Caduceo.*

Ibid. FACILE DESCENDITVR.] *Alludit ad poëtã:*

— Facilis descensus auerni.

Ibid. VELVT AIT HORATIVS.] *Est apud Horatium in Odâ, quâ arborem alloquitur, cuius casu penè perierat: vbi inquit:*

Demittit atras bellua centiceps
Aures, & intortis capillis
Eumenidum recreantur angues.

Ibid. NEC QVEM VELIS.] *Superstitiosa siquidem antiquitas nigri seu deformis occursum, infelicis ominis loco ponebat. Et tempus nocturnum alioqui per se subinfaustum habetur. Hinc illud apud Satyrographũ.*

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

Ab historicis memoriæ proditum est, quo pacto quidem imperator, quòd in viâ Maurum histrionem habuisset obuium, mortem sibi sit ominatus.

Ibid. CLAVDIVS CÆSAR VENIT.] *Vetus:* Et magnâ voce, Claudius, inquit, veniet. Cum plausu, *&c. Nam duæ istæ dictiones,* Ecce extemplò, *illic non habentur.*

Ibid. PROCEDVNT CANTANTES.] *Ex notulis imperfectis litterarum Græcarum, quæ erant in libro veteri, nihil potui certi colligere. Fortè* θρηνῴδη nænian χορικῶς legendum. *Sed hæc coniectura esto.*

Pag.

Pag. 768. a. HIC ERAT COS.] *Mira hîc diuersitas exemplaris, quæ plerumque solet accidere in propriis nominibus. Primùm erat lacunula: deinde pro* Iunio prætore, vnus prætorius: *pro* Tralliano, Trallius: *pro* Coriotecto, Cortatectus: *postremò pro* Fufidio, Fabius.

Ibid. TROGVS.] *Saufelli Trogi meminit Tacitus.*

Ibid. QVOS NARCISSVS DVCI IVSSERAT.] *Hi iussu Narcissi fuerant occisi.*

Ibid. MEDIVS ERAT IN HAC CANTANTIVM TVRBA NOSTER PANTOMIMVS.] *Sic & in codice manuscripto legitur. Nos tamen pro* noster, *substituimus* Nestor. *Nam indubiè locus hic de M. Nestore est intelligendus: cuius semel atque iterùm in vitâ Caij Caligulæ meminit Suetonius, adamatũ ab illo tradens.*

Ibid. PANTOMIMVS.] *Mimus imitatorem significat: Pantomimus est, qui omnes personas effingit repræsentátque.*

Ibid. QVEM CLAVDIVS DECORIS CAVSSA.] *Nescio an sit legendum* Caius: *vt intelligas, Nestorem amasium ex obeso graciliorem factum.*

Ibid. b. CONVOLARVNT PRIMVM OMNIVM.] *Vetustus liber habet,* Conuolarunt omnium liberti. *Fortassis scribendum,* Conuolarunt obuiam liberti.

Ibid. MYRON, AMPEVS AMPYRONAS.] *Hîc rursus nominum diuersitas, & alius ordo. Pro* Ampyrona, Arropas *est in codice manuscripto: & pro* Pherona, Pheronatus. *Alius habet hoc modo:* Polybius, Myron, Arperas, Ampheus, Pheronasseus, quos, *&c.*

Ibid. POSIDES.] *Libertorũ præcipuè suspexit Posidẽ, spadonẽ; quem etiã Britannico triumpho inter militares viros hastâ purâ donauit: vt refert Suetonius.*

Ibid. FELIX.] *Hunc cohortibus & alis prouinciæq; Iudææ præposuit, trium reginarum maritum. Auctor Tranquillus & Tacitus. Apud Felicem Paulus Apostolus à Iudæis accusatus, se excusauit: vt scribit Lucas in Actis Apostolicis, & meminit Eusebius.*

Ibid. CVM PALLANTE FRATRE.] *Hic fuit à rationibus Claudij, quem & Narcissum, de quo paullò antè, decreto quoque senatus non modò præmiis ingentibus, sed & quæstoriis prætoriisq; ornamentis ornari libenter passus est. Tantum prætereà acquirere, & rapere, vt quærente eo quondam de fisci exiguitate, non absurdè sit dictum, abundaturum si à duobus libertis in consortium reciperetur: vt prodit Suetonius. De his & Plinius meminit, sic scribens:* Multos posteà cognouimus seruitute liberatos, opulentiores, pariter tres Claudij Principatu, Pallantem, Callistum, & Narcissum. *Cornelius Tacitus vbi de Pallante loquitur:* Fixum est, *inquit*, ære publico senatusconsultum, quo libertinus sestertij ter millies possessor antiquæ parsimoniæ laudibus cumulabatur. *Hinc cecinit Iuuenalis:*

Ego possidebo plus Pallante & Licinis.

De monumento Pallantis, ad Montanum Plinius iunior meminit.

Ibid. HARPOCRAS.] *Huic lectica per vrbem vehendi, spectaculaq; publicè edendi ius tribuit.*

Ibid. POLYBIVS.] *Hic à studiis Claudij, sæpè inter duos consules ambulabat.*

Ibid. QVOS OMNES CLAVDIVS.] *Volumen antiquum habet:* Quos Claudius omnes necubi imperatus esset permiserat.

Quem locum doctus aliquis castigare volens, Senecæ mentem non est assequutus, quem opinor sic scripsisse: Quos Claudius omneis, velut tibi imperaturus esset, præmiserat.

Ibid. EXCLAMAT.] *E vestigiis hîc Græcarum dictionum, quæ libellus manuscriptus continet, nihil eruere potui: nisi si quis scriptum fuisse putet* πάντας φίλους ὁρῶ, *id est, omnes amicos video.*

Ibid. IN IVS EAMVS.] *In codice VVissenburgensi tantùm est* eamus: *& loco duarum dictionum præcedentium, erat demissa lacuna. Nec est* sellas, *sed* stellas. *Nomine sellarũ intelligantur subsellia iudiciaria.*

Græci vocant columnam sepulchralem, in quâ ponitur inscriptio.

Ibid. LEGE CORNELIA.] *Lege Corneliâ de sicariis tenetur, inquit Martianus iureconsultus, libro Pandectarum quadragesimo octauo, qui hominem occiderit, cuiúsve dolo malo incendiũ factum erit, quíve hominis occidendi, furtíve faciendi caussâ cum telo ambulauerit. Pœna huius legis est, in insulam deportatio, & omnium bonorum ademptio. Sed solent hodie capite puniri, nisi honestiore loco positi fuerint, quàm vt legis pœnam sustineant: vt habetur eodem titulo. Mirè verò hîc expressit morem pristinum iudiciorum.*

Ibid. EQVITES ROMANOS.] *Hunc locum sic arbitror legi debere: Equites Romanos* CCXXI. *Ceteros* ὅσα ψάμαθός τε, κόνις τε, *id est, innumeros, quorum videlicet numerum non minùs difficile sit inire, quàm aut arenæ aut pulueris. Est Iliados 1.*

Οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε.

Ibid. EXTERRITVS CLAVDIVS OCVLOS VNDECVMQVE CIRCVMFERT, VESTIGAT ALIQVEM PATRONVM, QVI SE DEFENDERET.] *Hæc verba non sunt in codice VVissenburgensi.*

Ibid. c. CLAVDIANA LINGVA.] *Siue quòd Gallus esset, siue quòd balbus, siue quòd semper ageret Claudij negotia, locus est ex amphibologiâ.*

Ibid. HOMO IVSTISSIMVS.] *Iustum enim par pari referre. Sic ille tractauerat eos. Alioquin iniustissimum est, reum non sinere loqui.*

Ibid. NOVITATE REI.] *Quòd videlicet vnâ tantùm accusationis parte auditâ, statim iudicasset.*

Ibid QVAM NOVVM.] *Sæpè enim inauditos, reos damnauerat.*

Ibid. SI MINVS DII LATVRA FECISSENT.] *Hic locus deprauatissimus multum mihi negotij exhibuit. Liber manuscriptus habet,* si vni dij laturã fecissent. *Coniicio legendum,* Semidij laruam facesseret, *id est* abiiceret, *subaudi* Claudius. *Nam sic & Liuius hoc verbo* facesso *vtitur.*

Ibid. TANTALVM SITI.] *Tantalus stagno apud inferos labrotenus immersus & pomis circum os ex arbore propendentibus, sitit tamen & fame torquetur. nam si bibere velit, refugit aqua: si pomum arripere tentet, arbor sursum resilit. Ouidius:*

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus. ——

Ibid. SISYPHVM ONERE.] *Sisyphi saxum illud ingens apud inferos, vbi in montem protrusum fuerit, statim delabitur, iterùm inani conatu sursum ferendum. De huius & Tantali pœnis lege Homerum* 11. *Odysseæ, circa finem: vbi Vlyxes refert quæ apud inferos viderit.*

Ibid. NONVMQVAM SISYPHVM.] *Hæc clausula non erat in codice VVissenburgensi.*

Ibid. IXIONIS MISERI ROTAM SVFFLAMINANDAM.] *Ixion apud inferos rotæ alligatus, assiduè circũfertur. Meminit huius Lucianus in dialogis deorum.*

Pag. 768. c. ALIQVANDO IXIONIS MISERI ROTAM SVFFLAMINANDAM.] *Quid si legas* sublaminandam: *à laminâ deducto verbo?*

Ibid. EX VETERANIS MISSIONEM.] *Vtitur metaphorâ militari. Militibus enim datur missio, cùm citra ignominiam exauctorantur.*

Ibid. NON PLACVIT VLLIS EX VETERANIS.] *Vetustus libellus non habet hæc duo vocabula* ex veteranis: *sed horum loco lacunam.*

Ibid. POENAM EXCOGITARI DEBERE, INSTITVENDVM.] *In manuscripto volumine legitur*, constitui debere, excogitandum illi.

Ibid. ET ALICVIVS CVPIDITATIS, SPES SINE FINE EFFECTVS.] *Propemodum certus sum, sic scripsisse Senecam:* Et alicuius cupiditatis specimen sine effectu.

Ibid. ALEA LVDERE.] *Quâ viuens adeò studiosè lusit.*

Ibid. d. C. CÆSAR.] *Nam Caligula Cæsar, Claudij ex fratre nepos, hunc (vt scribit Suetonius) non nisi ad ludibrium reseruauit. Quid mirum igitur, si à Caio in seruitutem poscatur?*

Ibid. AB ILLO FLAGRIS.] *De his qui iussu Caligulæ vapularunt, in hunc modum scribit Seneca noster lib. 3. de Irâ:* Modò C. Cæsar, Sextum Papinium, cui pater erat consularis, Bethenum Bassum, quæstorem suum procuratoris sui filium, alioſque & equites Romanos & senatores, vno die flagellis cecidit.

Ibid. COGNITIONIBVS.] *Cognitiones sunt causarum: vt cùm dicimus, Senatus Romani cognitionem certæ legi non fuisse obnoxiam. Ac proculdubio Caium hîc notat, vt qui cognoscendi prouinciam sæpè libertis suis committeret, quò magis à curis liber altiori otio frueretur.*

HADRIANI IVNII HORNANI
ANNOTATIONES
IN L. ANNAEI SENECAE LVDVM
DE MORTE CLAVDII.

IVDVM *de morte Claudij Cæsaris, à Senecâ iocosè, sed non absque felleo sale, eruditis leporibus condito, conscriptũ, ostendi olim in meis Animaduersorum libris, diuerso planeq; alio fuisse titulo ab auctore inuulgatum, quàm nunc inscriptus legatur. Nec de sententiâ nunc quidquam muto, præsertim quum disertis illud verbis proditum sit à Dione Cocceio, haudquaquam dilutæ auctoritatis scriptore, qui historiarum duodesexagesimo libro scribit à Senecâ exisse opusculum titulo* Ἀποκολοκύντωσιν, *quo Claudij Cæsaris ad superos excessum consignarit. Eius hæc sunt verba:* Συνέθηκε μὲν δὴ καὶ ὁ Σενέκας σύγγραμμα, Ἀποκολοκύντωσιν αὐτὸ ὥσπερ τινα ἀποθεωτάτιτσιν, ὀνομάσας. *Quod Latinè sonat, propter Græcæ linguæ rudes:* Composuit & Seneca libellum, cui nomen est Apocolocyntosis, velut Apotheosis quædam & in immortalium cœtum adoptio. *Addita fuit & eodem in loco ratio nominis, eiusmodi fermè: quòd, quum constet Claudium medicati boleti esu fuisse consumptum, fraude quidem vxoris, sed ingenio Locustæ nobilis veneficæ, huic titulum libello dederit auctor, à præcipui vsus purgante medicamine, Colocynthide: cuius propè nulla inter deiectiora medicamenta compositio est expers apud veteres medicos, vsque adeò, vt hodie quoque in hac tam clarâ litterarum & scientiarum omnium luce proh dolor promiscuè quouis in morbo, cuilibet ætati & sexui, à circumforaneis medicastris impunè propinetur, non sine præsenti multorum exitio. Itaque tanti ego scriptoris auctoritate fretus, seruandum duxi, & quasi postliminij iure asserendum libri titulum, haud otiosè aut temerè ab auctore vsurpatum, quòd equidem existimo: neque sanè id absque certo temperamento inter auctoris delectum, & inueteratam recepti vsus necessitatem. Quòd si quis vulgatam lectionem mordicus tuendam esse existimarit, non laboro; per me licet, is etiam vt cum ratione insaniat: præiudicatæ opinioni derogatum nihil volo, modò liberum rectiùs opinaturis iudicium & integrum permittatur. Porrò vbi iam codices impressos cum manuscripto excmplari (quod Ioannes Cauchius noster, vir à Gratiis & Musis factus, & adiuuandis melioribus litteris natus, nobis communicauit) contulissem, tot loca conspurcata & peruersa offendi, vt periclitari apud me cœperit (absit inuidia dicto) Beati Rhenani auctoritas, viri alioqui longè doctissimi, sed in corrigendo nimiùm fortè præproperi & audacis: dum aut de suâ coniecturâ infarcit versus* ἀπροσδιονύσους, *nihilq; ad rem facientes: aut pro suo arbitratu immutat, quæ rectiùs legebantur anteà: ne quid addam grauius. Certè; meâ quidem sententiâ, consultius foret interdum vigiliis & valetudini, meliorúmque horarum compendio consulerent nonnulli, quàm ita famam aucuparentur. Sed hæc missa facientes, locorum aliquot restitutorum & interpolatorum rationem subiiciamus.*

Duæ illæ litteræ, S. A. Sancti Amandi codicem vetustum innuunt, quo vsi in castigando sumus.

Pagina

Pag. 763. a. NIHIL OFFENSÆ VEL GRATIAE.] *S. A.* nec gratiæ.

Ibid. b. QVIS VMQVAM AB HISTORICO IVRATORES EXEGIT.] *S. A.* iurato res.

Ibid. IDEM CLAVDIVM VIDISSE.] *S. A.* Item Claudium.

Ibid. NAM POSTEAQVAM IN SENATV IVRAVIT.] *S. A.* Nam ex quo, *&c.*

Ibid. c. AB HOC EGO QVÆCVMQVE AVDIVI, CERTA CLARAQVE AFFERO.] *S. A.* Certè clara affero.

Ibid. AVGEBAT CYNTHIA REGNVM.] *Damnat hanc lectionem Rhenanus: sed falsò. ratio enim contendit, ita esse legendum omnino, quomodo scribit & codex noster. indicat namque noctes, transacto dudum autumnali æquinoctio, creuisse, longioresq; factas: quibus adauctis, etiam lunæ, penes quam noctis imperium sit, suum regnum crescere, nil mirum est. Quid verò hîc attinuit,* lychnum *substituere: cùm non de ipso lunæ incremẽto loquatur, sed de autumno, cuius cataslasin poëtico more circumscribit, qui relictâ à tergo æstate, noctes paullatim adauget: quæ accessio efficit vt diutiùs splendeat luna, solis præsentiâ lunare iubar abolente. Neque verò noctu animam agere cœpit Claudius, sed mox à meridie: quod paullò pòst tribus versibus periphrasticè dicet: & Tacitus medio die (quo tempore videlicet Claudius animam agebat) Neronem ad cohortes exisse ait.*

Ibid. TERTIVM IDVS OCTOBREIS.] *Quod hactenus falsò lectum fuit,* dies quintus eiusdem Octobris, *nostrum exemplar manifestè exaratum habet,* dies III. Idus Octobris. *quam scripturam confirmat & initialis versus huiusce libelli, & suffragatur ceterorum historicorum consensus. etenim Suetonius excessisse illum tertio Idus Octobris scribit: & Dion exspirasse ait τῇ ἕκτῃ καὶ δεκάτῃ τοῦ Ὀκτωβρίου, id est,* decimotertio die Octobris: *hoc est, iuxta Romanæ dictionis filum, tertio Idus Octobris. nam quod dubitationis periculum creare nonnullis posset, illud Senecæ,* ante diem tertium Idus Octobris, *non ita accipiendum est, vt die vno aut altero mors Claudij tertium Idus præcesserit. imò purè puteq; idem est dicere,* ante diem tertium Kalend. vel Idus, & & tertio Kal. vel Idus: *quod ex Ciceronis epistolis notissimum est. alioqui quod sæpè in antiquis libris legas,* AD III. KAL. *non* ad tertium Kal. *denotat: sed,* ante diem tertium Kal. *quâ de re aliàs per occasionem.*

Ibid. ACQVIESCVNT ONERI POETÆ.] *S. A.* acquiescunt omnes poëtæ.

Ibid. d. TORQVERI PATERIS? NVMQVAM MERITVM, VT TAMDIV CRVCIARETVR.] *Codex S. Amandi, & VVissenburgensis, quo se vsum fuisse profitetur Beatus, in lectione istâ consentiunt,* Nec vmquam tamdiu cruciatus esset. *quæ scriptura cùm sit vtrobique constans, haud temerè immutanda meo iudicio videtur. Tametsi non eam inficias, locum esse haud immunem à vitio: quem, sequendo scripturæ vestigia, ita concinnarim:* Nec vmquam tandem cruciatus cesset.

Ibid. POSTQVAM PRINCEPS FACTVS EST.] *S. A.* ex quo princeps.

Ibid. OMNIBVS ANNIS, OMNIBVS MENSIBVS EFFERVNT.] *Non inuenustè codex noster scribit,* omnibus mensis, *eleganti paronomasiâ: vt ludens insinuet, Claudium temulentum, & crapulæ quotidianæ addictissimum sæpenumerò fallere Genethliacorum prædictiones, non in annos modò, sed in singulas etiam pastiones mensasq; exitum illius opperientium.*

Ibid. EGO MEHERCVLE, INQVIT, PVSILLVM TEMPORIS ADIICERE.] *S. A.* Ego mehercules, inquit, pusillum temporis adicere.

Pag. 764. a. HISPANOS, BRITANNOS, SAVROMATAS, ET SI QVI VLTRA GLACIALEM BOREAM INCOLVNT BARBARI, TOGATOS VIDERE.] *Codex S. Amandi concisiùs legit:* Hispanos, Britannos togatos videre. *quo pacto etiam VVissenburgense exemplar scribit: itaque vt spuria inducenda, atque extra familiam eiicienda cetera censeo. videntur enim à sciolo quopiam assuta.*

Ibid. CANDIDA DE NIVEO SVBTEGMINE.] *Codex noster ex laudatâ scripturâ sic legit:* Candida de niueo subtemina vellere sumit. Subtemen, *quasi* substamen, *absque* g *scribi debere videtur. nec enim cum tegmine quidquam illi commune: sed quòd inter tensa staminis fila subtendatur subtexatúrque.*

Ibid. d. CLAVDIVM IVBENT OMNES χαίρειν.] *Manuscriptus codex manifestis notis præfert versum Euripidis ex Cteliphonte fabulâ:*

Χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

hoc est:

Efferre læto prosequentes omine.

Locus autem Tragici, vnde hic versus desumptus est, citatur à Strabone & Stobæo:

Ἐχρῆν μὲν ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
Τὸν Φύντα θρηνεῖν, εἰς ὅσ' ἔρχεθ' οἱ κακά·
Τὸν δ' αὖ θανόντα, ὡς πόνων πεπαυμένον,
Χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

Quos hunc in modum conuertit Cicero in Tusculanarum primo:

Nam nos decebat cœtus celebrantes domum
Lugere, vbi esset aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantes mala:
At qui labores morte finisset graues,
Omnes amicos laude & lætitia exsequi.

Nam in impressis codicibus vocem Hunc *superuacuam, & de margine in contextum raptam, trimetrì lex respuit.*

Ibid. NE EXCIDANT MEMORIÆ.] *VVissenburgensi codici consentit manuscriptum exemplar in hac lectione:* ne excidant, quæ memoriæ publicum gaudium impresserunt. *vt intelligat occasiones & caussas publici gaudij, quæ rediuiuam in animis ingentis lætitiæ materiam semper sint alituræ. nisi placet potiùs mutato numero scribi* impresserat. *quæ lectio per se quoque clara fuerit.*

Ibid. RESPONDISSE ILLVM, NESCIO QVID.] *S. A.* Respondisse nescio quid.

Pag. 765. a. DILIGENTIVS AVTEM INTVENTI.] *S. A.* Diligentiùs intuenti.

Ibid. VBI HÆC CLAVDIVS, GAVDET.] *In S. A. codice non sunt illa duo verba,* Vbi hæc.

Ibid. Γλύθειν με φέρων.] *Exstat hic versus Odysseæ nono, vnde apud Alcinoum Phæacum regem narrationis suæ telam orditur Vlysses: quem ita conuerti:*

Appulsum ad Ciconas me ventus ab Ilio adegit.

Cur verò Claudius ab Ilio adesse se dicat, & Seneca hoc versu significare voluisse Claudium se esse Cæsarem testetur, eò spectat, quòd non modò Iulius Cæsar, totaq; Iulia gens, sed & Claudius, & in genere Romanus populus, ad Iulum Aenee Troiani filium, stirpis suæ originem referebat. Hinc est quòd apud Suetonium Tranquillum Claudius legitur remisisse tributa in perpetuum Iliensibus, quasi Romanæ gentis auctoribus. Ibidem meminit veteris epistolæ Græcæ, Senatus popul. q. Romani nomine ad Seleucium Syriæ regem scriptæ, quâ illi regi societatem amicitiamq; pollicebantur, si Ilienses consanguineos suos ab omni onere immunes præstitisset. Quin & apud Corn. Tacitum Annalium lib. XII. Nero Cæsar susceptâ Iliensium causâ, Romanum Troiâ demissum, & Iulæ stirpis auctorem Aeneam fuisse disserit. T. Liuius quoque lib. 37. Cornel. Scipionem Cos. Troianâ in vrbe liberaliter exceptum memorat, Ilienses in omni rerum verborúmque honore ab se oriundos Romanos proferentibus, & Romanis lætis origine suâ.

Pag. 765. a. Ἔνθα δ' ἐγὼν πόλιν ἔπραθον.] *Hic versus præcedentem ordine sequitur apud Homerum: vnde Seneca ait,* Erat autem sequens versus verior, æquè Homericus. *ita vt à latæ culpæ crimine eximi nequeat Rhenanus, alienos planè ab huius loci sensu versus inferens. Sonat autem Latinè ita:*

Hic vrbem euerti, & consumpsi corpora ferro. *Innuit autem Seneca, versum istum, qui proximè sequitur alterum, veriorem illo esse, quòd illum alio detorserit Claudius, ad insinuandam generis sui fabulosam originem: quum Vlysses inde auspicetur errorum suorum narrationem, quando post Troianæ vrbis excidium, in Ciconas gentem Thraciam appulisse, eorúmque oppidum Ismaron diripuisse, cæsis oppidanis, ait. Cur autem veriorem illo dixerit, ad eius crudelitatem referendum est: quâ constat ex Tranquillo, stato nuptiarum die triginta quinque senatores, trecentosq; equites Romanos ab eo interemptos fuisse. cuius sæuitiæ mentionem non tacuit hic libellus: quasi ex confesso vastitatem & vrbis occidionem designaturus fuerit Claudius, si hunc versum priori, vt ordine illi contiguus adhæret, subiicere studuisset.*

Ibid. Et imposverat Hercvli minimo discrimine fabvlam.] *Codex noster legit*, minimè fabro, *loco trium illorum verborum*, minimo discrimine fabulam: *nostriq; codicis lectioni adstipulatur exemplar manuscriptum Beati Rhenani. quamquam quid isti animi fuerit, reponendam censenti vocem* Allobrox, *pro* fabro, *diuinare non possum: & est alioqui satis commoda sententia,* Et imposuerat Herculi minimè fabro: *intelligendo fabrum architectum, & dolos fabricare doctum. Multò verò minùs ambigua sententia fuerit & lectio, si paullulùm deflectamus, & quasi recudamus vocem* fabro, *in* vafro: *hunc in modum legendo:* Et imposuerat Herculi minimè vafro, *eâ ratione, quâ Herculeam simplicitatem dixit in libris de Ponto Ouidius. Herculis namque simplicitas, facilitasq;, & εὐήθεια quædam in omnibus eius operibus sese prodit manifestissimè. Porrò vox addita in impressis libris* discrimine, *imposuit Andreæ Alciato in libris Parergôn, vt* fabulam in fibulam *mutarit, hanc lectionem inculcando:* Imposuerat Herculi minimo discrimine fibulam. *quasi senserit auctor de fibulâ, notissimo penis astrigmento, quo ad inhibendum Veneris vsum iniecto vsa fuit antiquitas, ἀγνπῆα Græci vocant. de quâ Corn. Celsus libro septimo. vnde refibulandi vocabulum apud Epigrammatarium: quòd Iuuenalis soluere fibulam dixit. Sed aliena est ab hoc loco ista dictio.*

Ibid. Sola cvm illo venerat.] *Venustior lectio est nostri codicis,* sola tum illo venerat, *per aduerbium locale: vt febris comitis indiuiduæ comitatum, & cum Claudio ad cælitum curiam accessum significet.*

Ibid. b. Hvnc ego reddo tibi.] *Est & ipsa scriptura verior manuscripti codicis,* Hunc ego tibi recipio: *vt genitura Claudij apud Lugdunum nati fidem confirmet.*

Ibid. Avdi me, inqvit, tv, et desine.] *S. A.* Audi me, inquit, tu desine fatuari.

Ibid. Sede qva genitvm dicas.] *Infeliciter hunc versum interpolare conatur Rhenanus, hoc pacto:* Expromere properes quâ gente natus cluas: *non seruatâ trimetri lege, quæ religiosè in nostro codice obseruata est:* Exprome properè, sede quâ genitus cluas. Cluere *enim, antiqui vsus verbum, pro* dici & perhiberi *ponitur: vt in Enniano illo:* Pergentes esse cluebat omnium miserrimus: *& apud Plautum in Trinummo Stasimus seruus:* Nimium difficile est reperiri amicum, ita vt nomen cluet.

Ibid. c. Tacitvs qvietis allvit ripas vndis.] *Versus senarij ratio postulat vt legatur* vadis: *vt & manuscriptus liber habet.*

Ibid. d. Mentis svæ non est, et timet.] *Suspensa sententia est, & hiatum istum implet codex manuscriptus, duabus immissis vocibus, ita legens,* & timet μωρῷ πληγήν. *vt innuat, Herculem, postquam Tragico cothurno animosè quædam fuisset prolocutus in Claudij barbariem (apud Lugdunum, ad confluentes præcipitis Rhodani & segnis Araris, nati) nihilominus extimuisse stolidi hominis manus, ne ab illo vapulando iniuriam acciperet, eò quòd stulti faciles esse soleant colaphis infligendis verberibusq;. Stoliditas autem insignis Claudij hoc libello passim traducitur: quam impunè etiam illi obiectam persæpè memorat Suetonius Tranquillus. Possit & τιμωρὸν πληγὴν legi, vt vindicis manus iniuriam in depalmando pati Herculem exhorruisse significet.*

Ibid. Si qvis a me notorem petisset.] *Descensurus fortè fueram in opinionem Rhenani, legentis,* si quis ἀμύητος petisset: *nisi consensus omnium codicum reclamaret, suaderetq; diuissim potiùs legi hunc in modum:* & si qui à me noto rem petisset. *nam quæ sequuntur verba,* qui me optimè nosti, ἐπεξηγητικῶς *exponere videntur vocabulum* noto: *vt sit* noto, *hoc est,* qui me optimè nosti.

Ibid. Sed qvoniam volo.] *Locus proculdubio mutilus, non modò deprauatus: vt verisimile sit, multa isthîc desiderari, siquidem ab hoc versu nouæ pagellæ initium est in manuscriptis: suspicioq; tenet, bonam dialogismi partem abesse. Quid si pro* quoniam volo, *legatur,* quòd ἐμβολή. *certè has voces ipse litterarum ductus commonstrat his qui Græcè norunt. Notatur enim passim in hoc libello Claudij philellenismus, quo Græcè loqui in quotidiano etiam sermone affectabat. Videntur autem quæ sequuntur, per dialogismum disceptari à diis indigetibus, miranitibus insolentem Herculis in cælestium curiam irruptionem,*

vt

vt ſuſcitentur, ſed quo ἐμβολή? quaſi dixerint: Quò irrumpis, impreſſionemq; facis? iſti namque lectioni fauet, quòd ſubiicitur: Non mirum, quòd in curiam impetum feciſti: nihil tibi cluſi eſt.

Pag. 766. a. SI MEHERCVLES A SATVRNO.] *Totus iſte locus ita prodigioſè eſt deprauatus, vt Pæoniâ manu ſit opus ſanandis eius vulneribus. videtur autem deeſſe tale quid: Repulſam non tuliſſet, ſi mehercules à Saturno petiſſet hoc beneficium: videlicet, vt in deos referretur. Subdit deinde cauſſam mutui beneficij:* cuius menſem toto anno celebrauit, Saturnaliaque eius: *ita namque lego. Cur verò dicat, Claudium Saturni menſem toto anno celebraſſe, & Saturnalia, referendum eſt partim ad intempeſtiuas eius comeſſationes & perpotationes, partim ad ſtudium immodicum, nimiamq; indulgentiam in libertos. Conſtat autem, Saturni tutelæ dicatum fuiſſe olim Decembrem menſem, in quo per dies aliquot Saturnalia celebrabantur magnâ procacitate, luxuſq; omnis apparatu: quo tempore ſerui non modò ingenuorum calceos ſumebant, vt Porphyrius ſcribit: aut herilem habitum mutabant, quod Dion tradit: ſed in heros quoque licenter multa agebant. Iam cum Saturnalibus Claudianos mores conferamus. Primùm omnium ſcimus ex Tranquilli lectione, Claudium conuiuia agitaſſe & ampla & aſſidua, nec temerè vmquam triclinio exceſſiſſe, niſi diſtentum ac madidum, ita vt hac ratione Saturnalitia diæta illi perennauerit. Deinde notiſſimum eſt, quantum indulſerit libertis ſuis, quibus non prætoria ſolùm ornamenta, ſed & lecticæ ius cum Imperatoribus conſulibuſq; commune, permiſit: medium quoque inter conſules locum in iiſdem paſſus, & impunitas opum immenſarum voragines, vſque eò, vt ſcomma in illum exſtiterit, abundaturum ſi libertis conſors foret. quò ſpectat & morſus, quo Narciſſum libertum, dominum domini, huius libelli auctor nominat. Quòd autem Rhenanus exiſtimat legendum eſſe*, Caius princeps non tuliſſet illum, *&c. meâ quidem opinione multùm fallitur. primùm namque repugnat codicis vetuſti fides, qui poſt vocem* eius *manifeſtum comma habet. deinde quî potuit de Caio Caligulâ iſtud vel dici vel intelligi, vt is paſſurus non fuerit Claudium ab Ioue Deum fieri? cùm Caius ceterorum Imperatorum more per apotheoſin cæleſtium augere numerum nedum non meruerit, vt etiam mortuum nouo contumeliæ ignominiæq; exemplo proſequendum ſenatus cenſuerit, nomenq; oblitterari voluerit, & expungi è catalogo eorum Imperatorum, quos & in ſacramentis & in publicis votis ſuſcipiendis religiosè nominabant: vt teſtatur Dion. Fortè non malè ſic legas:* Si mehercules à Saturno petiſſet hoc beneficium, cuius menſam toto anno celebrauit, Saturnalitius princeps non tuliſſet? *per interrogationis modum, & cum ironiæ notâ: vt quæ ſequuntur verba, deorum quiſpiam ſubiiciat cum ſtomacho: Illum Deum ab Ioue fieri, qui ſcilicet tantis flagitiis coopertus fuerit?*

Ibid. OROPENQVE SOROREM.] *S. A.* Oro per quod.

Ibid. ET VT DEVM ORANT.] *Græcas voces, quæ in manuſcripto exemplari hoc in loco leguntur, certò & indubitatè aſſerere eas eſſe, quas hîc poſiturus ſum, non eſt animus: ne fraudem lectoribus faciam, quippe cùm de iis parùm liquida mihi conſtet ratio. vſqueadeò confuſa eſt ab imperito ſcribâ Græcarum litterarum textura, vt neſcias quam ſcripturam ſis magis probaturus,* μωρὲς νε κληρεχεῖν, *an* μορᾶ ἀποχὴν, *vel* ἀποτυχίην. *interdum enim vna plus littera ſupereſt, interdum vna aut altera deficit: vt diuinare neceſſe ſit ſubinde, Delióque natatore opus habeat qui cuncta velit βυσσοδομεύειν. Breuiore eadémque certiore methodo ad artificioſas (quas Galenus nominare ſolet) coniecturas via nobis patuiſſet, ſi deſcriptor eaſdem vbique characterum formas ac typos religione quâdam obſeruaſſet; obſeruatas retinuiſſet, nec ab iis latum vnguem diſcedendum ſibi propoſuiſſet. nunc cùm typis illis temerè prorſuſq; inſcitè abutatur, definire nihil hîc auſim, nullius iudicio præiudicatum volens, ſed relicturus vnicuique liberum arbitrium ſequendi quod ſibi probabilius videatur, donec feliciorem quis nactus genium, aut meliore vſus codice, certius diuinet, aut ſtatuat. Si itaque* μωρὲς κληρεχεῖν *legamus, notari rurſus atque perſtringi Claudianam ſtultitiam intelligimus, vt ſignificet, barbaros orare, fatuos rerum potiri. in quam ſententiam bis in hoc libello ſcripſit*, Aut regem, aut fatuum naſci oportere: *& iterùm*, tam fatuum, vt etiam regnare poſſet. *Sin per o,* μορᾶ ἀποχὴν, *vel* ἀποτυχίην, *ſcribamus: ſignificabit orari ab illis, necis fruſtrationem dilationémque. Quod verò ſequitur codice excuſo*, Tamdem Ioui venit in mentem: *noſter habet*, in tantum Ioui, *&c. quæ dictio familiarior eſt Senecæ, quàm vt propterea mutandam cenſuerim.*

Ibid. VOS MERA MAPALIA FECISTIS.] *In veteri manuſcripto legitur*, vos me rapamalia feciſtis. *Legendum puto, ſecutus litterarum tractum:* Vos me rapataulem feciſtis. *vt ſuorum iuſſorum contemptum indicet: quaſi qui nihilo pluris fecerint Iouem, quàm homuncionem ſtipulam inflantem. Eſt enim* ῥαπαταύλης *ſiue* ῥαπαύλης *is qui ſtipulam calamúmve inſpirat. Quid enim commune habet cælum cum mapalibus? & de ſe loquitur iſthîc Iupiter, ſuiq; deſpectum indignabundus oſtendit.*

Ibid. b. QVANTVM VIA SVA FERT.] *Sequor hîc lectionem Andr. Alciati, longè doctiſſimi, in Parergôn libro 6. cap. 5. & ſcribo*, quantumuis vafer.

Ibid. QVOD IN FORO IVVAT.] *Legendum eſt omnino* viuat: *quam ſcripturam ſeruat clarè manuſcriptus codex.*

Ibid. NE ALIIS VERBIS PONAM, QVAM QVÆ AB ILLO.] *Codex vetuſtus puriùs legit*: Ne aliis verbis ponam, quæ ab illo dicta ſunt. *hoc eſt, diuerſis verbis.*

Ibid. IAM FAMA MINIMVM FECISTI ETIAM.] *In manuſcripto codice ita legitur:* Iam famâ nimium feciſti. Itaque ne videar, *&c. Vt inducenda videantur illa verba, ceu* ὑποβολιμαῖα, *etiam peſſimum quemque illum affectare: à naſutiore quopiam adiecta.*

Ibid. DEVS FACTVS, DICTVS, PICTVSVE ERIT.] *Fortè rectiùs*, factus, fictúſve erit.

Ibid. HIC QVÆSTV SE SVSTINEBAT.] *Codicis manuſcripti hæc eſt lectio*: Hoc quæſtu ſe ſuſtinebat vendere, ciuitatulas ſolebat adhuc velle.

Quid si legas, & adhuc velle apparebat: *aut simile quid? vt isthîc interpungatur oratio: deinde sequatur altera periodus*, Accessit Hercules, *&* auriculam illi tetigit.

Pag. 766. d. QVAM CANEIS EXCIDIT.] *Alciatus in Parergis lib. 6. cap. 5. legit hoc modo:* quàm canis exta edit. *cui lectioni libens etiam accedo.*

Ibid. DE TOT ACTIBVS IVRIS.] *Sequor manuscripti codicis fidem, qui legit*, de tot acribus viris. *quæ sententia videtur etiam Rhenano placuisse: nisi quòd pro* acribus, *legit* præstantibus: *repugnante vocis ductu.*

Ibid. NAM ὁ ὀργῆς ÆGRE SENESCIT ἡ νόσος. Πυργοπολινίκης ISTE.] *Beatus hoc loco gloriatur, se istum locum magno labore restituisse: cùm videatur eum potiùs peruertisse, si fas est dicere, ea obtrudens quæ à manuscripti codicis fide sunt alieniſsima. Equidem sic interpolandum locum censeo, obseruato anxiè characterum ductu:* Nam etiamsi φόρμιγγος nescit, ego scio, ἐντύων τὸ, Καλλίνικε Ἡρακλῆς. Iste quem videtis, *&c. verba Græca satis euidenter cum hac distinctione legere est in manuscripto nostro codice. Est autem illud*, Καλλίνικε Ἡρακλῆς, *Archilochi poëtæ carminis initium, quod ad citharam canebatur: testante etiam Pindaro in Olympiis, hoc modo:* Χαῖρε Καλλίνικε τήνελλα ἄναξ Ἡρακλῆς.

Ibid. ECCE IVPITER, QVI TOT ANNOS REGNAT, VNI VVLCANO.] *Hunc quoque locum Beatus parùm rectè restituit, qui vocem* regnatum, *quæ in manuscripto codice legitur, diuulsit, & interiecto commate dispescuit, ex* um, *faciens* vni. *Vera enim lectio est huiusmodi:* Ecce Iupiter, qui tot annos regnatum, Vulcano crus fregit. *Nemo ignorat*, quoi, *pro* cui, *vetustatem sapere, & in plerisque manuscriptis exemplaribus passim legi solere.*

Pag. 767. a. COGITATE P. C. QVALE.] *Consentit noster codex hîc cum VVissenburgensi, quo Beatus vsum se testatur. nam neque in illo leguntur verba ista omnia, ad eum vsque locum:* Hunc nunc Deum facere vultis?

Ibid. VIDETE CORPVS EIVS, DIIS IRATIS NATVM. AD SVMMAM.] *Vetus codex sic scribit:* Videte corpus eius diis iratis natum ad summa. Tria verba citò dicat. Hunc Deum quis colet? *&c. Quod si genuina auctoris sunt illa*, & seruum me ducat, *fortè non errabit, qui leget*, & in neruum me ducat. *quod argutè peruidit Ioannes Chaucus, incredibili memoriâ, & iudicio vir honestissimo, restituendæ antiquitatis studio mirificè accensus. Est autem neruus, compedis genus aut vinculi, quo ceruix & pedes vinciuntur.*

Ibid. b. EVMQVE QVAMPRIMVM EXPORTARI CÆLO.] *Codicis manuscripti integrior est lectio, quæ in hunc habet modum:* eumq; quamprimùm exportari, & cælo intra dies triginta excedere, olympo intra diem tertium. *Nimirum innuit, præfinitum fuisse Claudio emigrandi spatium, omni quidem cælo (plures enim sunt cælestium orbium ambitus) intra triceſimum diem, concesso illi tridui spatio commeandi per singulos orbes: at olympo, qui editior est & purior cæli locus, intra tertium diem. Quid enim attinuit hîc terræ mentionem inculcare: cùm in cælo drama istud agatur, non autem in terrâ?*

Ibid. OMNISQVE GENERIS ÆNEATORVM.] *S. A.* Sonatorum.

Ibid. AGATHO, ET PAVCI CAVSIDICI.] *Quid si legas?* Matho, & pauci, *&c. de quo Iuuenalis Satyrâ* 1.

Causidici noua cùm veniat lectica Mathonis.

Ibid. INGENTI ENIM ὄγκῳ τάσει χοϊκῶς.] *Legendum est* μεγαληγορίᾳ, *ex manuscripti codicis lectione: in quo* μεγαλογοϊκῳ *scriptum est perperàm. ait namque ingenti magnificentiâ næniam cantatam fuisse anapæstis. Porrò sciendum est, metrum quo nænia ista perscripta est, esse Anapæsticum, Threnicum vocitatum à luctus argumento (sic enim scribendum est in Centimetro Marij Seruij, non* Itimium*) quod constat monometro acatalectico, recipitq; præter anapæstum, & spondæum & dactylum. Itaque sic scribendum:*

Fundite fletus, Edite planctus, Resonet tristi
Clamore forum, Cecidit pulchrè Cordatus
homo, *&c.*

Ibid. CÆRVLEOS SCVTA BRIGANTAS.] *Deierare Iouem lapideum ausim, ab auctore scriptum fuisse*, Cæruleos cute Brigantas. *Solebant namque olim omnes Britanni (inter quos recensentur à Tacito & Stephano etiam Brigantes) glasto se inficere, quod cæruleum efficit colorem, vt horribiliore essent in pugnâ adspectu: vti scribit Cæsar Comment. lib. 5. & subscribit Plinius lib. 22. cap. 1. Quin & Herodianus lib. tertio de Britannis loquens:* τὰ σώματα, *inquit*, σίζουσι γραφαῖς, *hoc est*, corpora picturis notant. *Tacitus quoque Silurum (id nomen eius insulæ populo) coloratos fuisse vultus memorat. Alioqui, ne quem remoretur illa solicitudo, lex metri aptiùs constat, si legas* cute, *quàm si* scuta. *neque verò scuta cærulea pinxisse, sed cutim corpusq; omne tinxisse eo colore, quam isatis reddit, leguntur.*

Ibid. d. ET VIAM RECTAM.] *Codex manuscriptus legit* tectam. *quæ scriptura mihi probatur magis: quòd viæ tegebantur velis olim.*

Pag. 768. a. COMPENDIARIA VIA NARCISSVS.] *S. A.* Compendiaria Narcissus.

Ibid. ILLE AVTEM PATRONO PLVRA, *&c.*] *Hæc verba ad illam vsque sententiam*, Dicto citiùs Narcissus euolat, *in manuscripto nostro non exstant. nec veri dissimile est, supposititia esse: & plena est sententia, etiamsi absint.*

Ibid. BELLVA CENTICEPS.] *Magnus est & hic consensus & nostri & VVissenburgensis codicum, ita legentium:* bellua centiceps, pusillum superturbatur (albam canem in deliciis habere assueuerat) vt illum vidit canem nigrum, villosum. Sanè, non quem velis tibi in tenebris occurrere. Et magnâ voce: Claudius, inquit, veniet. *Sed noster in vno rectiùs scribens*, non quem velis: *vbi ille*, non quam velis.

Ibid. ET MAGNA INQVIT VOCE: CLAVDIVS CÆSAR VENIT.] *S. A.* Et magnâ voce: Claudius, inquit, veniet.

Ibid. PROCEDANT CANTANTES.] *Noster codex hoc loco expressas habet voces istas*, ἡρήκαμεν, συγχαίρωμεν, *hoc est*, captum tenemus, pariterque exultemus læti omnes. *Videtur autem istud initium fuisse*

fuisse Epinicij carminis, quod læti inter lætos cantabant, in laudationem alicuius compositum: vt in Nerone indicat Suetonius.

Pag. 768. a. HIC ERAT CONSVL DESIGNATVS IVNIVS PRÆTORIVS.] *Hic locus monstrosè depravatus est: quem priusquam sanare aggrediar, adscribam manuscripti codicis corruptam lectionem, sed quæ medelæ locum aperiat. in eo itaque sic scriptum inuenio:* Hic erat Consilius Consul designatus, vnus prætorius Sextus Trallus, M. Heluius, Trogus, Cotta, tectus Valens, Fabius eques Romanus, quos Narcissus duci iusserat. *Hactenus ille. nunc meam coniecturam subijciam, deinde immutationis consilium detegam. Sic itaque scribo:* Hic erat C. Silius Consul designatus, vnus prætorius Sex. Traulus Montanus, Saufellus Trogus, Cotta, Vectius Valens, Fabius eques Rom. *&c. Nunc ad remediorum rationem. Quòd pro Consilio reposuerim C. Silius, nihil temerè feci, ratus vocem illam non esse otiosam: innixusq; auctoritate Corn. Taciti augustæ historiæ scriptoris, qui ita lib.* 11. *scribit:* Igitur incipiente C. Sillio Consule designato, cuius de potentiâ & exitio in tempore memorabo. *Hunc enim C. Silium iuuentutis Romanæ pulcherrimum, maximis opibus adauctum, adulterum suum legerat Messalina, & consulem designatum fieri obtinuerat. Idem rursus loquens de nuptiarum sollennibus, inter Messalinam & C. Silium celebratis, vecordiamq; huius admirans:* Nedum consulem, *inquit*, designatum cum vxore principis. *Neque de Traulo obscura ratio est, cuius ibidem mentio fit apud Tacitum:* Ne Trauli quidem Montani equitis Romani defensio recepta est. *& alioqui in manuscripto non temerè adscriptam fuisse M. notam arbitror. De Saufello & Vectio Valente, eodem in libro ita legas:* Vectium Valentem confessum, & Pompeium Vrbicum, ac Saufellum Trogum ex conscijs tradi ad supplicium iubet. *Facilis verò fuit adulteratio Vectij in Tectum. De Fabio nihil ausim adfirmare, in æquo ponens, siue legas,* Fabius, *siue* Fusidius. *ita enim malim quàm* Fusidius.

Ibid. NESTOR PANTOMIMVS.] *Legendum est indubitatò* Mnester. *nam apud Tacitum sciolus quispiam, improbè in alieno libro ingenioſus, ratus initialem litteram Marci prænomen designare, compagem nominis dissecuit, è Mnestere faciens M. Nestorem. quod ipsum non dissimulauit aut reticuit ab se factum Beatus, apud Tacitum libro* 11. *vbi vetusti libri castigatissimè sic legunt,* Solus Mnester contationem attulit. *cùm interim ille admoneat legi debere,* M. Nestor: *vt & anteà illic,* Caussa necis, quòd domum suam Mnesteris & Poppęæ congressibus præbuissent. *Quin verò ita legendum sit, scrupulum omnem eximit Dionis historia. apud quem lib.* 58. *sic lego:* Ἀνδριάντας ἀπ' αὐτῆς ἡ Μεσσαλίνα τῷ Μνηστῆρος τῷ ὀρχηστῇ ἐποιήσατο. *id est:* Ex ære Claudiano statuas Mnesteri saltatori fecit Messalina. *& iterùm:* Τὸ δὲ καὶ τῷ Μνηστῆρος φειδόμενοι. ὅσον γὰρ ἐκείνη διὰ τὸ κάλλος, τοσοῦτον τὸν δήμῳ διὰ τὴν τέχνην ἤρεσκεν. οὕτω γὰρ πᾶς δεινὸς σοφιστὴς ἐν τῇ ὀρχήσει ἦν. *id est,* Partim etiam Mnesteri parcentes. tam enim gratiosum populo Mnesterem ars faciebat, quàm Messalinam forma. vsque adeò peritus ille saltator erat. *& posteà:* τὸν Μνηστῆρα ἐθανάτωσε. *hoc est,* Mnesterem morte mulctauit. *Eadem legas & in Xiphilino qui Dionis historias in epitomen contraxit. Meminit eiusdem nominis & Ioannes Zonaras, Græcus historicus,* ὀρχηστὴν Μνηστῆρα *nominatim recensens,* saltatorem & mimum Mnesterem. *Porrò Taciti illum locum,* Solus Mnester contationem attulit, dilaniatâ veste clamitans adspiceret verberum notas, reminiscereturque vocis, quâ se obnoxium iussis Messalinæ dedisset: *explanat Dion libro prædicto in hæc verba scribens: Vehementi Mnesteris amore flagrabat Messalina. quem cùm nec ingentibus promissis, nec minis ad sui commercium expugnare valeret, cum marito collocuta, effecit, vt ille vxoris imperio obsequentem esse iusserit, velut aliorsum eius operâ vsuræ. Quibus verbis adductus Mnester, quoties Messalina imperarat, cum illâ stupri consuetudinem habebat, ceu id ipsum à principe facere iussus.*

Ibid. b. RVMOR PERCREPVIT.] *Rectiùs in veteri codice* percrebuit.

Ibid. CONVOLARVNT PRIMVM OMNIVM.] *Totum hunc locum venustiùs rectiusq; legit vetus liber, nisi fallor, hoc modo:* Conuolarunt primùm omnium liberti, Polybius, Myrum, Harpocras, Amphæus, Pheronattus: quos Claudius omnes, necubi imparatus esset, præmiserat. *Quem locum interpolare aggressus est Beatus: sed quàm dextrè, nescio, cùm lectionis istius mens sit cuiuis obuia. Fortè doctulus quispiam congeriem illam libertorum numerosam ex Tranquillo adiecerat, cum mortuis viuos adhuc superstites confundens.*

Ibid. SATVRNIVS LVSCVS.] *Vetus codex habet* Saturninus Lusius. *Tacitus Annalium libro* 12. *Luscium quemdam nominat. At* Ruffus Pompeij F. *de quo hîc, is est Curtius Ruffus, quem consulare imperium in Africâ obtinuisse scribit Tacitus. Lupum verò, cuius etiam hîc fit mentio, non alium esse putarim, quàm quem Iunium Lupum senatorem vocat libro* 12. *Tacitus.*

Ibid. QVOS CVM VIDISSET CLAVDIVS, EXCLAMAT.] *In vetusto codice hæ voces leguntur,* πάντα φίλων πλήρη. *hoc est:* Cuncta amicorum plena. *Videtur autem alluſum esse ad Heracliti dogma, quod istiusmodi erat,* πάντα θεῶν πλήρη. *id est:* Deorum omnia plena. *quod natum è tali occasione memorat Michaël Ephesius, quòd cùm sedenti semel in furno nunciatum esset peregrinos adesse hospites, qui ipsum conuentum expeterent, iussit eos introire, dicens, non abesse etiam illinc deos.*

Ibid. EGO TIBI HIC SELLAS OSTENDAM.] *Codex manuscriptus legit* stellas. *fortè scribendum* stelas. στῆλαι *sunt cippi pilæve opere structili, quibus inscripta visebantur fœdera, aut etiam proscriptorum nomina. Isocrates in Panegyr.* Ἐν στήλαις λιθίναις ἀναγράψαντας, ἐν τοῖς κοινοῖς τῶν ἱερῶν ἀναθεῖναι. *id est,* In saxeis stelis descriptas fœderis leges publicis in templis consecrare. *Latinâ voce vsus est & Plinius lib. 6. cap.* 28. scriptæ sunt stelæ lapideæ litteris incognitis. *Neque malè scripseris* sitellas. *Sunt enim sitellæ, quas ἀμφορεῖς & καδίσκους nominant Græci, in quas calculi vel condemnantes mittebantur, vt Aristophanis scholiastes in Vespas docet. quæ binæ erant: necis vna, misericordiæ nomine insignita altera. Meminit sitellarum & Cicero pro L. Cornelio Balbo.*

Pag. 768. b. POSTVLAT NOMEN EIVS, RECIPIT, EDIT.] *Verior mihi videtur esse manuscripti codicis lectio:* postulat nomen eius recipiat, cedit subscriptionem.

Ibid. c. CONDEMNAT, ET AIT.] *In manuscripto codice versus Græcus legitur in hac lacunâ, cuius characterum vestigia sequenti mihi parùm respondere videtur carminis lex: subiiciam tamen, vt si cui lectum sit initium, cetera reponat. vnde sit desumptus, ingenuè fateor me nescire: videtur tamen aliunde è Tragœdiâ petitus esse.* Δίκη τ' ἄϊσα ὁρᾷ ἠ ἀελπῆ εὐθύνει νόμος, *vel* νόμῳ. *Videtur autem innuere Aeacus, iustitiæ oculum nihil posse fallere, nihil latere. Fuit, cùm reponendum hunc Menandri senarium censerem,* Δίκαιος ἂν ἦς δικαίῳ χρήσῃ νόμῳ.

Ibid. SI MINVS DII LATVRA FECISSENT.] *Codex vetus scribit,* si vni dij laturam fecissent: *lectione consentiente cum illâ VVissenburgensis exemplaris, quo Beatum vsum anteà indicauimus. itaque in eâ codicum concordiâ nolim præcipitantiùs immutare quidquam, sed molliter potiùs reponere luxatam particulam. Proinde legendum autumo:* Si vni dilaturam fecissent. *quod erratum descriptoris vitio irrepsit: qui dictantis verba excipiens, vocem* dilaturam *in duas dispescuit. Suffragatur nostræ sententiæ Andr. Alciatus Parergôn lib. 6. cap. 5. nisi quòd pro* vni, *legat* vllam. *Nam laruarum præstigiis simile est, quod hoc loco substitui vult Beatus.*

Ibid. SVFFLAMINANDAM.] *Ridiculè, ne dicam ineptè, reponi idem voluit,* Sublaminandam: *cùm sufflamen rotæ decurrenti propriissimum impedimentum & retinaculum addi soleat: cuiusmodi impedimentum deberetur Ixionis rotæ in leuando perpetui laboris tædio. Sufflamen enim omne id vocatur, quod decliui in loco currum remoratur, restrictâ rotâ, ne in præceps deferatur. de quo Iuuenalis satyrâ 8.*

Ipse rotam stringit multo sufflamine consul.

Vnde & sufflamen litis, idem metaphoricè dixit, pro dilatione & remorâ litis, in longum tempus extractæ. Huc facit D. Augusti dictum, quod in controuersiis repetit Seneca: Haterius noster sufflaminandus est. *ita enim legi debet locus, quo significare voluit, coërcendam fuisse & reuocandam Haterij in dicendo concitatiorem, planéque immodicam verborum affluentiam.*

Ibid. VLLI EX VETERANIS.] *Vetus codex habet,* illi ex veteris. *fortè,* Non placuit illi ex veteri S. C. *hoc est, Senatusconsulto vel instituto: aut simile quid.*

Ibid. EXCOGITARI DEBERE.] *Codici nostro consensus est cum VVissenburgensi. vterque enim legit,* Constitui debere, excogitandum illîc, *&c. transpositis vocibus.*

Ibid. d. ADIVDICATVR C. CÆSARI: ILLVM ÆACVS DONAT.] *Vetus scribit:* adiudicatur, C. Cæsar illum Æaco donat. *& meo quidem iudicio, sinceriùs.*

Ibid. VT A COGITATIONIBVS ABESSET.] *Malè: scribendum enim è manuscripti codicis fide,* vt à cognitionibus esset.

EXCER-

A

EXCERPTA QVAEDAM
E LIBRIS SENECÆ.

HONESTA, inquit Epicurus, res est paupertas læta. Illa verò iam paupertas non est, si læta est. Cui cum paupertate benè conuenit, diues est. Non qui parum habet, sed qui plura cupit, pauper est. Quid enim refert, quantum illi in arcâ, quantum in horreis lateat, quantum pascat aut feneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda concupiscit? Quis sit diuitiarum modus, quæris? Primò, habere quod necesse est: secundò, quod satis est.
B Nulli potest secura vita contingere, qui de producendâ nimis cogitat. Nullum bonum iuuat habentem, nisi ad cuius amissionem præparatus est animus. Magnæ diuitiæ sunt, lege naturæ composita paupertas. Lex autem naturæ, scis quos terminos nobis statuit? Non esurire, non sitire, non algere. Vti famem sitimque depellas, non est necesse maria tentare, nec castra sequi. Parabile est quod natura desiderat, & citò apponitur. Ad superuacua sudatur. Illa sunt quæ togam terunt, quæ nos senescere cogunt, quæ in aliena littora impingunt. Ad manum est, quod satis est. Si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, miser est. Miser est, qui se beatissimum non iudicat, licet toti mundo imperet. Non est beatus, qui se id non putat esse. Nihil habemus, quod cum magno emolumento insidiantis eripi possit. Quamminimum in corpore tuo sit spoliorum. Nemo ad humanum sanguinem venit. propter ipsum, vel admodum pauci. Nudum latro transmittit: etiam in obsessâ viâ
C pauperi pax est. Is maximè diuitiis fruitur, qui minimè indiget. Si ad naturam viues, numquam eris pauper: si ad opinionem, numquam diues. Exiguum natura desiderat, immensum opinio. Si congeratur in te quidquid multi locupletes possederunt, si vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te prouehat, auro tegat, purpurâ vestiat, eò deliciarum opumque perducat, vt terram marmoribus abscondas, non tantùm liceat habere, sed calcare diuitias: accedent statuæ & picturæ, & quidquid ars vlla luxuriæ auro & argento elaborauit: maiora cupere ab his disces. Desideria naturalia, finita sunt: ex falsâ opinione nascentia, vbi desinant, non habent. nullus enim terminus falso est. Veritati aliquid extremum est: error immensus est. Retrahe te ergo à vanis: & cùm voles scire, an naturalem, an vanam habeas cupiditatem, considera num alicubi consistat. Si longè progresso semper aliquid longiùs restat, scito id naturale non esse. Paupertas expedita, secura est. Cùm classicum cecinit, scit non se peti: cum aliquo conclamatum est, quomodo exeat, non quid efferat, quærit. At cùm nauigandum est, non strepitu por-
D tus, non vnius comitatu inquieta sunt littora. Non circumstat illum turba hominum, ad quos pascendos transmarinarum regionum optanda est fertilitas. Facile est pascere paucos ventres, & benè institutos, & nihil aliud desiderantes, quàm impleri. Paruo fames constat, magno fastidium. Paupertas contenta est desiderijs instantibus satisfacere. Sanus diues est, qui licet habeat diuitias, eas tamen vt fugientes habet. Quid ergo est, quare recuses eam contubernalem, cuius mores sanus diues imitatur? Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis curâ. Frugalitas, paupertas voluntaria est. Perpessi sunt multotiens exercitus inopiam omnium rerum, vixerunt herbarum radicibus, & dictu fœdam tulerunt famem. Et hæc omnia perpessi sunt pro regno, quò magis mireris, alieno. Dubitabit aliquis ferre paupertatem, vt animum à furoribus liberet? Multis diuitias parasse, non finis miseriarum fuit, sed mutatio. Nec hoc miror. Non in rebus vitium, sed in animo ipso est. Illud quod paupertatem grauem nobis fecerat, & diuitias graues faciet.

Quem-

Quemadmodum nihil refert, vtrùm ægrum in lecto ligneo, an in aureo colloces: quocumque illum transtuleris, morbum suum secum transferet: sic nihil refert, vtrùm æger animus in diuitiis an in paupertate sit: malum suum illum sequitur. Ad securitatem non est opus fortunâ. Quod enim necessitati sat est, dabit, licet irata. Ne imparatos nos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securiùs diuites erimus, si sciemus quàm non sit graue pauperes esse. Incipe cum paupertate habere contubernium. A

Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo.

Nemo alius dignus Deo est, nisi qui opes contempsit. Quare possessiones tibi non interdico, sed efficere volo, vt illas intrepidè possideas. Quod vno consequeris modo, si te etiam sine illis benè victurum speraueris, & si illas tamquam exituras adspexeris. Discedat quisquis non te, sed aliud in te sequebatur. ob hoc vnum est amanda paupertas, quòd à quibus ameris, ostendit. Multum est, non corrumpi diuitiarum contubernio. Magnus ille est, qui in diuitiis pauper est. Nemo nascitur diues. Quisquis exit in lucem, iussus est pane & lacte esse contentus. Ab his initiis regna nos non capiunt. Panem & aquam natura desiderat. Nemo ad hæc pauper est. Intra quæ si quis desiderium suum clusit, cum ipso Ioue de felicitate contendat. Res inquieta, felicitas est, ipsa se exagitat, mouet cerebrum, non in vno genere. Alios in cultum irritat, alios in potentiam, alios inflat, alios mollit. Si vis scire quàm nihil mali sit in paupertate, compara inter se vultum pauperis & diuitis. Sæpiùs pauper & fideliùs ridet: nullâ sollicitudine concutitur, in alto est. Cura velut nubes leuis transit. Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta est: huic grauis & suprema superbia, licet non palàm, tristitia est: eò quidem grauior, quòd interdum non licet palàm esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem. Abstrahunt à recto diuitiæ, honores, potentiæ, & cetera: quæ opinione hominum cara sunt, pretio suo vilia. Nescimus æstimare res, de quibus non cum famâ, sed cum rerum naturâ deliberandum est. Nihil habent ista magnificum, quod mentes nostras in se trahat, præter hoc quòd mirari illa consueuimus. Non enim quia concupiscenda sunt, laudantur: sed quia concupiscuntur. Hanc præcedentem caussam habent diuitiæ. Mutant animos, superbiam & arrogantiam pariunt, inuidiam trahunt, eò vsque mentem alienant, vt fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet. Bona omni culpâ carere decet: pura sunt, non corrumpunt animos, non sollicitant: extollunt quidem animos & delectant, sed sine tumore. Quæ bona sunt, fiduciam faciunt; diuitiæ audaciam. Quæ bona sunt, magnitudinem animi dant; diuitiæ insolentiam. B C

EXCER-

A

EXCERPTA ALIA.

LICET cunctorum poëtarum carmina gremium tuum semper illustrent, aliquando deliberans, hoc tibi opusculum pro accidentibus casibus dirigere curaui, quod non præcedentes, sed posteri narrabunt. Vnde ergo primum incipimus? Si tibi videtur, à morte. Ab vltimo, inquis: imò à maximo. Ad hoc præcipuè gens humana contremit: nec immeritò tibi videtur hoc facere. Ceteri timores habent aliquem post se locum: mors omnia abscindit. Alia nos torquent: mors omnia deuorat. Omnium quæ horremus, ad hanc exitus spectat aliorum quæ per circuitum. Etiam qui alioqui se nihil timere iudicant, hoc timent. Quidquid aliud extimescimus, habet aut remedium, aut solatium.
B Sic ergo te forma, vt si quis tibi palàm mortem minetur, omnes terriculas eius deludas.

Morieris. Ista hominis natura est, non pœna. Morieris. Hac conditione intraui, vt exirem. Morieris. Gentium ius est, quod acceperis, reddere. Morieris. Peregrinatio est vita. Multum cùm deambulaueris, domum redeundum est. Morieris. Putabam te aliquid noui dicere. Ad hoc veni, hoc ago, huc me singuli dies adducunt. Nascenti mihi natura protinus hunc posuit terminum. Quid habeo quod indigner? In hæc verba iuraui. Morieris. Stultum est timere, quod vitare non possis. Istud non effugit, etiam qui distulit. Morieris. Nec primus, nec vltimus. Multi me antecesserunt, omnes sequentur. Morieris. Hic est humani officij finis. Quis sanus exauctorari molestè tulit? Quò transit orbis, ego transibo. Ad hanc conditionem cuncta gignuntur. Quod cœpit, & desinit. Morieris. Nihil graue est, quod semel est. Æs alienum meum noui. Hoc quidem cum eo creditore contraxi, cui decoquere non possum. Morieris. Dij melius. Nemo hac re meliùs mortalibus minari potest.

C Sed decollaberis. Quid interest, vtrùm cæsim moriar, an punctim? Sed sæpè ferieris, & multi in te gladij concurrent. Quid refert, quàm multa sint vulnera? Non potest ampliùs quàm vnum esse mortiferum.

Peregrè morieris. Vndecumque ad inferos vna via est. Peregrè morieris. Ego quod debeo, soluere paratus sum. Videat fenerator, vbi me appellet. Peregrè morieris. Nulla terra est aliena mortuo. Peregrè morieris. Non est grauior foris quàm domi somnus. Peregrè morieris. Hoc est, in patriam sine viatico peruenire.

Sed iuuenis morieris. Optimum est, antequam optes, mori. Iuuenis morieris. Hoc vnum est, quod æquè ad iuuenem quàm ad senem pertinet. Non citamur ex censu, nec exigitur numerus annorum. Et adolescentes & impuberes eadem fati necessitas ducit. Optimum est mori, cùm iuuat viuere. Iuuenis morieris. Quicumque ad extremum fati sui venit, senex moritur. Non enim refert quæ sit hominis ætas, sed quæ sit meta. Iuuenis morieris. Fortasse alicui malo subducit me fortuna: si nulli alij, vel senectuti. Iuue-
D nis morieris. Non refert, quot annos habeam, sed quot acceperim. si plus viuere non possum, hæc est senectus mea.

Insepultus iacebis. Quid aliud respondeam, quàm illud Maronis?

——— *Facilis iactura sepulcri.*

Si nihil sentio, non pertinet ad me iactura corporis insepulti. Si sentio, omnis sepultura tormentum est. Insepultus iacebis.

——— *Cælo tegitur, qui non habet vrnam.*

Quid interest, ignis me an fera consumat, an tellus omnium sepultura? Istud non sentienti superuacuum est, sentienti onus. Insepultus iacebis. At tu combustus, at tu obrutus, at tu inclusus, at tu putridus, at tu euisceratus & constrictus, at traditus lapidi, qui te paullatim edat & exsiccet. Nulla est sepultura. non sepelimur, sed proiicimur. Non sepelieris. Quid inter tutissima trepidas? Vltra pœnarum omnium terminum iste locus est. Vitæ multa debemus, morti nihil. Non defunctorum caussâ, sed viuorum, inuenta

uenta est sepultura, vt corpora & visu, & odore fœda, amouerentur. alios terra obruit, A
alios flamma consumpsit, alios lapis ossa redditurus inclusit. Non defunctis, sed nostris oculis parcimus.

Ægroto. Venit tempus quo exprimentum mei caperem. Non in mari tantùm, aut in prœlio vir fortis apparet. Exhibetur etiam in lectulo virtus. Ægroto. Non potest istud toto sæculo fieri. Aut ego febrem relinquam, aut ipsa me. Semper vnà esse non possumus. Cum morbo mihi res est: aut vincetur, aut vincet.

Malè de te loquuntur homines. Sed mali. Mouerer, si de me Marcus Cato, si Lælius Sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur. Nunc malis displicere, laudari est. Non potest vllam auctoritatem habere sententia, vbi qui damnandus est, damnat. Malè de te loquuntur. Mouerer, si iudicio hoc facerent: nunc morbo faciunt. Non de me loquuntur, sed de se. Malè de te loquuntur. Benè nesciunt loqui: faciunt, non quod mereor, sed quod solent. Quibusdam enim canibus sic innatum est, vt non pro feritate, sed pro consuetudine latrent. B

Exsulabis. Erras: cùm omnia fecerim, patriam meam transire non possum. Omnium vna est. Extra hanc nemo proficisci potest. Exsulabis. Non patria mihi interdicitur, sed locus. In quamcumque terram venio, in meam venio. Nulla terra exsilium est, altera patria est. Non eris in patriâ. Patria est, vbicumque benè est. Illud autem per quod benè est, in homine, non in loco est. In ipsius potestate est, quæ sit illi fortuna. Si enim sapiens est, peregrinatur: si stultus, exsulat. Exsulabis. Hoc dicis: alterius loci ciuitate donaberis.

Dolor imminet. Si exiguus est, feramus: leuis est patientia. Si grauis est, feramus: non leuis est gloria. Dolor clamorem exprimat, dum secreta non exprimat. Non potest homo par dolori esse, nec rationi dolor. Dura res est dolor: imò tu mollis. Pauci dolorem ferre potuerunt. Simus ex paucis. Imbecilles naturâ sumus. Naturam infamare nolite. illa nos fortes genuit. Fugiamus dolorem. Quid, quòd ille sequitur fugientes?

Paupertas mihi grauis est, imò tu paupertati. Non in paupertate vitium est, sed in paupere. Illa expedita est, hilaris, tuta. Pauper sum. Nescis te opinione, non re laborare. C
Pauper es, quia videris. Pauper sum. Nihil deest auibus. pecora in diem viuunt. feris ad alimenta solitudo sua sufficit.

Non sum potens. Gaude, impotens non eris. Iniuriam accipere potero. Gaude: facere non poteris. Magnam pecuniam habet. Hominem illum iudicas? arca est. Quis ærario, quis plenis loculis inuidet? Et iste quem dominum pecuniæ existimas, loculus est. Multum habet. Vtrùm auarus, an prodigus est? Si auarus, non habet: si prodigus, non habebit. Iste quem beatum credis, sæpè dolet, sæpè suspirat. Multi illum comitantur. Mel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ. Prædam sequitur ista turba, non hominem.

Pecuniam perdidi. Fortasse te illa perdidisset. Pecuniam perdidi. Sed habuisti. Pecuniam perdidi. Sed habebis inde periculi minus. Pecuniam perdidi. O te felicem, si cum illâ auaritiam perdidisti. Sed si manet illa apud te, es tamen vtcumque felicior, quòd tanto malo materia subducta est. Perdidi pecuniam. & illa quidem quàm mul- D
tos. Eris nunc in viâ expeditior, domi tutior. Non habebis, sed non timebis heredem. Exonerauit te fortuna, si intelligis, & tutiore loco posuit. Damnum putas? remedium est. Defles, gemis, miserum te clamitas, quòd opibus excussus es? Tuo vitio ista tibi iactura tam tristis est. Non tam molestè ferres, si tamquam perditurus habuisses. Perdidi pecuniam. nempe quam vt tu haberes, alius antè perdiderat.

Oculos perdidi. Habet & nox suas voluptates. Oculos perdidi. Quàm multis cupiditatibus via incisa est. quàm multis rebus carebis, quas ne videres, vel eruendi erant. Non intelligis partem innocentiæ esse cæcitatem. Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum quam concupiscat, huic vrbem, & mala omnia. Certè irritamenta sunt vitiorum ducesque scelerum.

Amisi liberos. Stultus es, qui defleas mortem mortalium. Quid istud aut nouum, aut mirum est? Quàm rara est sine isto casu domus. Quid si infelicem voces arborem,

quòd

A quòd ſtante ipſâ cadunt poma? Et hic tuus fructus eſt. Nemo extra ictum vulneris poſitus eſt. Ducuntur ex plebeiâ domo immatura funera, ducuntur & ex regiâ. Non eſt idem ordo fati, qui & ætatis. Non quomodo quiſque venit, emittitur. Quid tamen eſt quod indigneris? Quid contra exſpectationem tuam euenit? Periere perituri. Sed ego illos ſuperſtites optabam. Verùm hoc nemo tibi promiſerat. Perierunt liberi mei. Habebant illi cuius eſſent magis quàm tui: apud te precariò morabantur. Educandos tibi fortuna mandauerat. recepit illos, non abſtulit.

Naufragium feci. Cogita non quid perdideris, ſed quòd euaſeris. Nudus exij. Sed exiſti. Omnia perdidi. Sed perire potuiſti vnà cum omnibus.

In latrones incidi. Sed alius in accuſatores, alius in fures, alius in fraudatores. Plena eſt inſidiis via. Noli conqueri quòd incideris: gaude quòd euaſeris. Inimicos graues habeo. Quomodo aduerſus feras munimenta conquiris, quomodo aduerſus ſerpentes: ſic aduerſus inimicos auxilia circumſpice, quibus illos aut arceas, aut compeſcas, aut quod
B optimum eſt, places. Inimicos habeo. Illud eſt peius, quòd amicos non habes.


Amicum perdidi. Iam enim te habuiſſe certum eſt? Amicum perdidi. Alium quære: & ibi eum quæras, vbi inuenire poſſis. Quære inter liberales artes, inter honeſta & recta officia, quære in laboribus. Ad menſam iſta res non quæritur. quære aliquem frugi. Perdidi amicum. Fortem animum habe, ſi vnum: erubeſce, ſi vnicum. quid tu in tantâ tempeſtate ad vnam anchoram ſtabas?

Vxorem bonam amiſi. Vtrùm inueneras bonam, an feceras? Si inueneras, habere adhuc te poſſe ex hoc intelligas licet, quòd habuiſti. Si feceras, benè ſpera. Res periit: ſaluus eſt artifex. Amiſi vxorem bonam. Quid in illâ probabas? Pudicitiam? Quàm multæ diu cuſtoditam perdidere? Decus? Quàm multæ inter probatas matronalis ordinis, eſſe cœperunt poſteà inter exempla mutatarum? Delectabat te fides eius? Quàm multas ex optimis coniugibus peſſimas videmus, ex diligentiſſimis ſolutiſſimas? Omnium quidem imperitorum animus, maximè tamen muliebris, in lubrico eſt. Si bonam
C vxorem habuiſti, non potes affirmare in illo eam permanſuram fuiſſe propoſito. Nihil tam mobile quàm feminarum voluntas, nihil tam vagum. Nouimus veterum matrimoniorum repudia; & fœdiores diuortio, malè cohærentium rixas. Quàm multæ quos in adoleſcentiâ amauerunt, in communi reliquêre ſenectute? quoties anile diuortium riſimus: quàm multarum notus amor odio notiore mutatus eſt? Sed hæc & fuit bona, & fuiſſet, ſi vixiſſet. Mors effecit, vt affirmare id ſine periculo poſſis. Bonam vxorem amiſi. Inuenies, ſi nihil quæris, niſi bonam. Tu modò ne imagines, proauoſque reſpexeris, nec patrimonium, cui iam ipſa nobilitas ceſſit. Iſta diu cum formâ non repugnabunt. Faciliùs reges animum, nullâ vanitate tumentem. Non multum abeſt à contemptu viri, quæ ſe nimis ſuſpicit. Duc benè inſtitutam, nec maternis inquinatam vitiis. non cuius auriculis vtrimque bina patrimonia dependeant. non quam margaritæ ſuffocent, cui minus ſit in dote quàm in veſte: quam in patente ſellâ circumlatam per vrbem populus ab omni parte æquè vt maritus inſpexerit: cuius ſarcinis domus ſit angu-
D ſta. Hanc facilè ad tuos mores rediges, quam nondum corruperunt publici. Vxorem bonam amiſi. Non erubeſcis flere, & intolerabilem vocare iacturam? Hoc vnum deeſt, vtrùm illam lugeas, an non. Cùm maritum te cogitaueris, cogita & virum. Amiſi vxorem bonam. Soror bona non poteſt recuperari, nec mater. Vxor aduentitium bonum eſt: non eſt inter illa, quæ ſemel vnicuique contingunt. Amiſi vxorem bonam. Multos tibi numerare poſſum, quibus bonam vxorem lugentibus ſucceſſit melior.

Mors, exſilium, luctus, dolor, non ſunt ſupplicia, ſed tributa viuendi. Neminem illæſum fata tranſmittunt. Felix eſt, non qui aliis videtur, ſed qui ſibi.

Hæc EXCERPTA *libenter omiſiſſem. Senecæ enim non eſſe, vel cæco perſpicuum eſt. Sed veritus ſum, nequis ea, cuicuimodi ſunt, ſublata quereretur. Et in eis tamen multa ex vetere libro emendauimus.*

RERVM



RERVM ET VERBORVM IN L. ANNÆO SENECA MEMORABILIORVM INDEX CERTISSIMVS.

ABaton petram non nisi antistites calcant 724.d.725.a
Abnoctare 250.a
Abscondita multa in rerum naturâ 761.a
Absoluere timoris 320.a
Abstinentia animalium cur inducta à Pythogorâ & Sextio 635.a
Abstinentia quorumdam animalium, superstitionis argumentum 635.c
Abstinentiæ laus 641.a.672.a
Academia 349.a
Academicus incerta omnia dicit 565.b
Academici veteres & minores nullum antistitem reliquerunt 761.d
Academicorum veterum opinio improbatur 511.b
Academicorum noua scientia, nihil scire 570.b
Acceptorum obliuio vnde sit 541.b
Accessio 278.c. Accessio & morbus 42.a
Accidunt nobis plura mala quàm contingunt 640.a
Accipere & dare, contraria 334.a
Accipere in aspero & probo 420.c
Accusandi rabies sub Tiberio Cæsare 301.b
Acetabula & calculi præstigiatorum 458.b
Achæis libertas cum immunitate data 338.a
Achaia terræmotu agitata 739.d
Achaiæ ciuitates Ponticis littoribus impositæ 75.b
vrbes terrarum motibus prorutæ 582.b.760.c
Acherusius lacus 476.a
Achilles 19.a. 320.a. Achilles Homericus 150.b
Achillis & Patrocli anni 565.b
Acilius Auiola cos. 763.a
in Acta beneficium non mitto 276.b
Actio ex conducto & locato 292.b
Actio ingrati ibid.
Actioni genuit nos natura 256.a.257.b
Actiones in foro separantur 347.a
Actiones omnes vitæ totius, honesti ac turpis respectu temperantur 525.b
Actiones virtutum omnes pares sunt 496.c.498.c
Actuarij vice fungi 445.c
Actuosa vita 153.a
Actuosus ignis 28.a
Actuosior animus 451.a
Actus vitæ facilis 576.b
Acuta quædam inefficacia suâ subtilitate 545.a
Adamas secari vel teri nequit 173.b
Addicere, in auspicijs vsurpatum 225.b
Additamentum 416.b
Adexpetendum & expetendum 655.b
A'διάφορα, indifferentia 543.a
Adiicialis cæna 672.b
Adiiciales cænæ tricies H-s constiterunt 603.b
Adiutorium 7.c. 10.b. 24.b. 283.b. 434.c. 568.a.d. 741.d
Adiutorium mutuum 5.a
Admirator, incitamentum est ambitionis & luxuriæ 597.b. Admissarius 689.d
Admissionis interioris prima cohors 195.b
Admissiones primæ & secundæ 360.b
Admonendi ne sint omnes promiscuè 437.a
Admonere, genus adhortandi est 592.c
Admonitio verecunda esse debet 380.c
Admonitiones in beneficiis vitandæ 275.b.277.a.b
Adolescens secretò ambulans monetur ne solitudine malè vtatur. 402.a
Adolescens tristis hilari & amabili præfertur 447.c
Adolescentis & senis corrigendi via diuersa 431.c
Adolescentium frequens vitium 669.c
Adrumentum obsessum 300.b
Aduersa non sunt metuenda 407.b. pro ijs sunt quibus eueniunt 134.c
Adulandi certamen apud principes & reges 357.c
Adulatio amicitiæ similis 458.a. pernicioſa 148.b
Adulationibus minimè credendum 486.c
Adulatores fugiendi 722.b.723.b
Adulatorum voces excludendæ 672.d.673.a. vide *Assentatio*
Adulterium Clodij cum Cæsaris vxore 686.b
Adulterium, sponsaliorum genus decentissimum 268.a
Adulterij pudor nullus 297.a
Aduocare 195.a. Aduocatio 46.a.324.c
Aduocatio ambitiosior 14.b. petita 48.a. tacita 152.b
Aduocationem dare 34.b.755.a. petere 14.b.416.a postulare 768.c
Aduocatus 21.c. 25.c.194.b.593.a.595.b.639.a.768.b
Aduocatus bonæ mentis 596.a
Aduocatus idoneus 634.c
Æacus, homo iustiss. 768.c. Eius tribunal ibid.b
Ædificia veterum qualia 575.a.b
Ædificiorum luxuria 648.b.652.b
Ædilem metuentia loca 236.b
Ædilium officium 557.b
Ædituus 453.b
Ægæum mare 573.b
in Ægæo mari insula surrexit 698.d
Æger medicinam, non regionem, quærit 627.a
Ægro assidere 294.b
Ægrum maximè reficit amicorum affectus & sermo 530.b
Ægialus diligentissimus paterfamiliæ 558.b.559.b
Ægij terræmotus, Patris non fuit auditus 741.a
Ægle Gratiarum maxima natu 264.a
Ægritudo in sapientem non cadit 211.a
Ægroti consolatio 794.a
Ægyptus 216.b.679.b. infida 80.a. Nili incremento dilatata fuit 741.b. quamuis numquam tremuisse tradatur, mouetur tamen ibidem. quando inundetur 724.b
Ægypti fertilitas ad mensuram Nili respondet 725.a. præfectus Babillus ibidem.c. & auunculus Senecæ 89.b. sacerdotes & præfecti stipem & aurea dona in ora Nili iaciunt 725.a
Ægyptiæ arenæ 652.a
Ægyptius carnifex 123.b. miles 116.a
Ægyptij alioquin studioſi siderum obseruatores, nil de Cometis tradiderunt 753.a. latrones Philetas vocant 470.a. quot elementa fecerint, & quomodo ea diuiserint 711.c
Æneatores 550.c.767.b
Æneæ pietas in parentes 306.c. 361.c
Æquinoctium 712.b
Aër an ex atomis constet 694.c. cur turbidus & inconstans

constans 696.a. frigidus per se & obscurus 695.c. inter ea corpora est à quibus vnitas 693.d. 694.d. mas & femina 711.c. naturalem vim se mouendi habet 732.c. numquam immobilis 731.c. quomodo sit pars & materia mundi 694. a.c. quò terris propior, eò crassior 728. c. vnde accendatur 695.d
Aëris & venti discrimen 732.c
Aëris partes tres 695.c. natura ibidem. vis 694. c. vitia 748.d
Æruscans ciuis 212.a
Æs alienum quis habere dicatur 336.a
Æs graue 691.a
Æs leue & graue 421.a
ad Æs exire 564.c
Æschines pauper Socratis auditor, cùm nihil haberet, seipsum donat præceptori 267.a.b
Æschyli opinio de Nili incremento 725.d
Æsopéi logi 96.a
Æsopi nobilis patina 601.b
Æstate quî loca sub terrâ refrigescant 726.c
Æstus æquinoctialis omnium maximus 718.a.b
Æstus ordo ibid.b
Ætas ad bonam mentem aptior 504. c. nihil confert beatæ vitæ 589.b. tota partibus constat 406.a. quorum breuissima sit 227.b
Ætatis humanæ breuitas 613.a.b
Ætatum omnium semina nobis insita 311.b
Ætatum quæ iucundissima 405.c
Æterno nil noxium 480.c
Æthiopia feruentissima caret niuibus 725.d
Æthiopiæ solitudines cur siccæ 709.c
Æthiopiæ,in plurali 679.b
Æthiops mimus 555.b
Æthiopis color inter suos insignitus non est 57.c
Æthiopes Macrobij Cambysen ob libera responsa irritant 54.a
Ætiologia seu caussarum inquisitio 606.b
Ætna 361.c. Siciliæ mons, vnicus à Messallâ dictus 468.b. consumatúrne & subsidat, an verò ignis minuatur 534.a. ingentem vim arenæ vrentis effundit 699. d. Lucilio saliuam mouet 534.b
Ætnæ incendium 306.d.307.a
Ætnam plures descripserunt poëtæ 534.b
Affectio naturalis rationi inexpugnabilis 480.a
Affectus indicia falsò existimata 19.b
Affectus, & morbi animi, quid differant 522.b
Affectus quid, & affectibus præludentia principia 19. b. Stoicis corpora sunt 630.c. an vt vult Aristoteles, virtuti pro armis sint 13.b. omnes disciplinâ domari possunt 25. a.b. omnes sui signa dant 2.b. quemadmodum crescant vel efferantur 20.a
Affectus habere modicos, an nullos, vtrum satius 654.a
Affectuum mediocritas impugnatur 8.a.b
Affectuum prænuntia 46.c
Affectibus carent muta animalia 3. b. prorsus careat sapiens 552.a. facem subdunt carmina 652.c. honestis indulgendum 625. b. incipientibus resistendum 654.b
Affligere pocula 15.b
Affuisse sibi nemo dicitur 332.c
Africa 80.a
Africæ deserta 597. a. solitudines 628. c. 652. a
Africam & Hispanias mare seiunxit 749.c
Africam incolunt Tyrij 76.a
in Africâ cur pauci fontes 709.c
Africus ventus, Græcis λίψ 735.c.d
Agamemnon 498.a
Agatho 767.b
Agi iubere 13.a
Agitatorum lætitia septimo spatio palmæ appropinquantium 440.c
Agnus nubibus immolari solitus 728.a
Agricolæ votum annonæ caritas 362.b
Agricolæ boni 212.c
Agriculturam Posidonius sapientũ inuentum ait 577.a
Agri donari Reip. possunt 370.a
Agro non datur beneficium colendo, sed agri domino 339.b
Agrippa Attici gener 423. c. ab Augusto desideratur 359.a
Agrippæ laus 305.a
Aiacem in mortem egit furor 39.b
Alas vellere 649.b
Albanum 103.b.672.a
Albula circa canales suos duratur 713.d
ad Album sedere 464.c
ad Album verba dirigere 485.b
in Albũ cẽsus & equestris hereditas mittit 293.b.294.a
Alcibiades ab Æschine victus 267.b
Alcibiades Socrati obiectus fuit 251.b.252.a
Alexãder Macedo à Corinthijs ciuitate donatus 270.b à pueritiâ latro, hostium & amicorum pernicies 270.c. nepos Antigoni 55. b. à nullo se beneficijs victum gloriãs,à Diogene victus fuit 331.b. Babylonis muros intrauit 176. b. Clitum carissimum sibi inter epulas transfodit 51.b.548.a. Darium occidit 747. b. falsum gessit cognomen 583. b. Geometriam' discere cœpit ibid. lætatur se Herculi æquari 270.b. lanceam in conuiuas torsit 55. b. Liberi Herculisque vestigia secutus 369. a. Lysimachum sibi familiarem, leoni obiecit 51. b. monitioni matris de veneno Philippi medici locum non dedit 30.b. post Darium & Indos pauper est 662.a. quid sit vltra mare magnum, quærit 737.a. victor ab Oriente in Oceanum vsque, affectibus succubuit 646.b. vulneratus hominem se fatetur,non Iouis filium 487.a. Xenophonte canente manum ad arma misit 19.b
Alexandri cuidam vrbem donantis vox stultissima 279. b. crimen æternum Callisthenes 747. b. crudelitas 205.b. cupido insatiabilis 369.a. fastus 270. b. furor & cupiditas 596.b. latrocinia 707.d. superbia 331. b. responsum cuidam ciuitati dimidium rerum omnium promittenti datum 473.b
Alexandro Macedoni felix temeritas pro virtute fuit 270. b
Alexandro locupletior fuit Diogenes 330.b
Alexandrum bibendi intemperantia & Herculaneus Scyphus condidit 548.b
Alexandria 622.b
Alexandriæ bibliotheca combusta 158.a. niues non cadunt 726.a. totum licet 766.a
Alexandrina perfidia 225.b
Alexandrina marmora 556.b
Alexandrinæ naues, & earum insigne 527.b.c
Alica 671.b
Alienatio & stupor 531.a
Alienatum corpus 573.a
Alimenta antiqua, ilex & quercus 716.d
Alipulus 477.a
Aliptes ibid.
Allobrogicus Fabius 322.a
Allobrogum cohors 337.a
Alogias excutere 765.b
Alpes 728.d
Alpheus poëtis celebratus,in Achaiâ mergitur,& in Siciliâ fontem Arethusam effundit 716.a. 742.c
Amantium affectus, insana amicitia 400. b. praua desideria 355.b
Amare & amicum esse diuersa 446.c
Amari vsque in delicias 310.a

Amari-

Amaritudo vini delectat 490.b
Amatorium 489.c
Ambitio 17.b. insatiabilis 285.a
Ambitio ex aspero vitæ genere vitanda 392.b
Ambitionis reprehensio 426.a.515.c.550.c.597.b
Ambracij sinus 719.a
Ambulationis definitio controuersa inter Cleanthem & Chrysippum 645.c
Ambulationes apertæ 168.a
Amicitia solùm inter sapientes 375.a. omnia facit communia 463.c. propter se,non ob aliud expetenda 399.d.400.a
Amicitiâ quidam caruerunt, non amico 393.c.394.a
Amicitiæ appetitio naturalis 401.a
Amicitiæ fidelis, laus 155.a
Amicitiæ temporariæ 400.a
Amictus ad legem compositus 38.b
Amicus quis à potentibus censeatur 360 a:b. quomodo citò fiat 399.c. quomodo eligendus is cui arcana committas 389.c. verus quis 361.a
Amicus sibi, amicus omnibus 394.b
Amici amissio quomodo ferenda 489.c.795.b
Amici nomen duplicis notationis 389.b
Amico an quicquam donari possit 369.c.375.a
Amicum facere quàm habere iucundius 399.c
Amici primi & secundi à quibus instituti 360.b
Amicorum absentia æquo animo ferenda 476.b. delectus habendus 155. b. amissione non affligitur sapiens 520.c
Amicorum omnia communia esse, quo pacto intelligatur 369.c.375.a
Amissio rerum quomodo ferenda 611.b
Amissionis filiorum & amicorum consolatio 612.b
ad Ammonem missus Cambysis exercitus 699.d
Amnis subita eruptio aras habet 453.c
Amnium origo 709.b.711.a. vide *Flumina*
Amor animos in cupiditatem formæ accendit 400.b
Amoris & amicitiæ differentia 446.c
Amphæus Claudij libertus 768.b
Amphitheatrum 695.b
Ampliùs censeo 711.c
Anacreon libidinosior,an ebriosior 569.b
Anacharsis inuenit figuli rotam 579.a
Analogia verbum à Latinis ciuitate donatum 663.c
Analectæ grammatici 435.a
Anapæsti 767.c
Anaxagoras 727.b
Anaxagoræ opinio de igne nubium 696.b de terræmotu 742.d. opinio de Nili incremento refellitur 725.d
Anaxagoræ visum in cælo lumen magnitudine trabis 753.c
Anaximandri opinio de tonitruo & fulmine 697.c
Anaximandri opinio de tonitru ibid.b
Anaximenis opinio de sono fulminis ibid. de terræmotu 743.a
Anci pater nullus, Numæ nepos dicitur 636.d
Ancillula 463.a
Ancillariolus 268.a
Anguillæ,cibus grauis 743.a
Angustare 82.a.97.c
Anhelitus 475.a
Animalis diuisio 675.a
Animalia igne generantur 732.c optima sint ne iracundissima 27.a. quomodo moueantur 675.d. quomodo suæ constitutioni primùm concilientur 667.c. sunt pars mundi 694.b. vnde nomen traxerint 643.c
Animalia muta carent affectibus humanis 3.b. boni maliq; capacia non sunt 674.b. 675.a. in hominum vsum à dijs data 310.b. nimiâ sæuitiâ iugum detrectare coguntur 231.a. prosunt, sed beneficia non dant 340.a. recèns nata intellectum habent salutaris aut mortiferæ rei 668.a.b
Animalia subterranea 712.c
Animalia ne sint virtutes 643.c
Animalium cum hominibus comparatio iniqua 285.c
Animalibus cur Pythagoras & Sextius abstinuerint 635.a
Animalibus sit ne omnibus suæ constitutionis sensus 666.c
Animalibus nihil debetur,etsi prosunt 348.a
Animalibus multis nulla futuri temporis cognitio est, licet sit aliqua præsentis & præteriti 675.c
Anima hominis magno pondere extriti an permeare non possit, vt Stoici volunt, & statim spargatur ob exitum negatum 480.b
Animæ remeantis cursus 143.b
Animam ebullire 764.d
Animæ in antiqua elementa vertentur 129.c
Animatum æternitas consensu hominum probari solet 655.c. in dubio est apud Senecam 626.a
Animaduersionis duo scopi 16.a
Animaduersionum parcitas magis mores corrigit 204.b
Animus à voluptatum blandimentis procul abstrahendus 468.c. ad contemptum mortis componendus 390.c. admonendus est 343.a. sic assuefaciendus vt externorum strepitu non moueatur 478.a. contemptor omnium est, & corporis procurator, non amator 587.c. 588.a. diuinis delectatur 679.c. dominus omnium est 627.c. exsulare numquam potest 82.b. faciliùs sequitur quàm ducitur 205.a. flexibilis est & omni humore obsequentior 467.c. formam dat rebus 266.b. in motu est, eò actuosior, quò vehementior 451.a. inuictus 330.a. inuulnerabilis aut extra omnem patientiam positus,id est, ἀπαθὴς 399.a labore exercendus, sic tamen vt ei interuallum aliquod detur 413.a. modò rex est,modò tyrannus 650.b. nobilem facit 457.a. non fœdatur corporis deformitate 495.c. nullos nisi communes & cum Deo terminos sibi poni patitur 622.b. quid sit,ignoratur 759.a. sideribus velocior 286.a. solus mirabilis 398.a. spiritus est quodammodo se habens 467.c. vt quietus esse possit 44.b
Animus boni viri depingitur 651.b
Animus animal est Senecæ, sed non actiones eius 645.c
Animus diuinus origini suæ hæret 454.a
Animus æger & in diuitiis & in paupertate malè habet 417.a
Animus impatiens, summum bonum 399.a
Animus magnus mediocribus contentus est 451.a. etiam in priuato lare se explicare potest, non solùm in reip. 151.a.b
Animus malus & bonus 610.c
Animus mutandus,non cælum 436.a
Animus rectus, bonus, magnus, Deus est in humano corpore hospitans 443.a
Animus sanus quis 514.b
Animi & corporis separatio non ægrè ferenda 622.c
Animi libertas quæ 494.b.495.a. motus qui sanissimi 38.b. origo diuina 75.a.587.c. 664.d. partes 484.b. pondus & pœna, corpus 494.b. robur vnde ostendatur 433.b. virtus vna,sed multæ huius species 496.a
Animi excellentis notæ 516.b
Animi motus fortuiti,non sunt affectus 19.b
Animi pars irrationalis duplex 585.a
Animi tranquillitas,non externorum,cõparanda 478.a vide *Tranquillitas*
Animo quædam ineuitabilia sunt 480.a
Animum sursum vocant initia sua 535.a

de Animo quàm variæ sint quæstiones 569.a
Animi citiùs carmine, quàm solutâ oratione feriuntur 634. b
Animorum inquietudo & volutatio 149.b.150.a
Animis remissio danda 167.b
Annæum Serenum immodicè fleuit Seneca 491.a
Annales Tamusij 590.a
Annulus in poculum aquâ plenum coniectus 686.c
Annulis plus creditur quàm animis 296.b
Annus 406.a
Annus septimus ætati signum imprimit 367.a
Anni totius villa 476.a
Annum nouum faciunt carycæ 560.a
Anno nouo quid fieri solitum 546.a
Anni nihil faciunt ad beatam vitam 589.a.b
Anni non consulum, sed maritorum numero computati 297.a
Annorum suorum partem paratum se dare, quàm benè dicatur 219.b
in Antecessum accipere 396.b
in Antecessum dare 659.a
in Antecessum reponere 323.b
Antelucanum quorumdam 669.a
Antenor Patauij conditor 76.b
Antigonus belli præmium patri defert 307.a Cynici petitionem cauillatur 279.c. quàm miti animo tam suorum quàm hostium maledicta tulerit 55.a.b
Antiochus Demetrij Syriæ regis F. 756.d
Antiochi victor Scipio 228.c
Antipater refellit sophisma per omnes dialecticorum scholas iactatum 564.a
Antipatri opinio de rebus fortuitis 584.d
Antipodes 669.a
Antonius Ciceronem occidit 19.a. cum muliere Augusto timendus 216.b. ingratus in suum dictatorem 338.a
Antonij defectio per Nilum significata 725.c.d
Ἀπάθεια quomodo Latinè dicatur 399.a
Apes in legendo & scribendo imitari debemus 549.c. 550.a
Apum rex cur sine aculeo 202.a. subtilitas 668.b
Apibus mellis non faciendi, sed colligendi scientia est, secundùm quosdam 549.c
Apenninus 442.b.728.d
Ἀφηλιώτης 735.c
Apicius 603.b. luxuriæ deditus 238.b.c. 239.a
Apicij popinæ scientiam professi tristis exitus 81.b
Apicium cænis prouocant quidam 665.b
Apollo 764.c
Apollodorus tyrannus 20.b.378.a
Apollonius Myndius naturalium inspiciendorum peritissimus quid de cometis statuerit 753.b.757.a
Apollonio Pyctâ longior 722.d
Apologare 461.a
Ἀπορία Latinum verbum non habet 564.a
Appiæ viæ curator 763.b
Appion grammaticus quàm curiosè scripserit de Homero 569.c.570.a
Appius cur cæcus 140.a
Appius Syllanus Claudij socer 767.a
ad Appium redire 649.a
Apuliæ deserta 560.b. ventus Atabulus 736.b
Apyrina 552.a
Aquâ & polentâ satiari quis potest 418.b.641.d
Aqua viua 709.d
Aqua elementum primum, & mundi primordium 711.b. an terræmotus sit caussa 741.c.d. animalia edit ratione sui motus 732.c. cur luxuriantibus nulla satis frigida 729.c. dura molliens 714.d. sulphurata duratur circa tubos 713.d. virilis & muliebris 711.c
Aquæ emptio 729.b. institores 730.a. vitia 748.d. intensio sine spiritu fieri non potest 695.b
Aquæ deiectus cuidam genti caussa vnica transferendi vrbem 478.a
Aquam haurire an permittendum ingrato 321.b
per Aquam visa longè maiora apparent quàm sunt 686.c
Aquæ quomodo fiant 708.d.711.a. certis interuallis se retrahunt & reddunt 712.b. cur quædam caleant vel ferueant 714.b. fœcunditatem afferentes 709.b.715.b. miræ naturæ 713.c.d. mortiferæ 714.c. quædam furorem vel soporem inducunt 713.d. subterraneæ 742.a
Aquarum diuisio 714.b. medicamina vnde 713.c. sapores varij & horum caussæ ibid. varia discrimina 709.a. vitia vnde 711.d. vtilitates 709.a
Aquarum sub terrâ nascentium caussæ 710.a.b
Aquarum quoddam genus cum mundo cœpit 714.a
Aquarum tantum vnde exeat ad fluminum continuationem 709.b
Aquis certis iniecta cur non mergantur 714.d
Aquatius medicamentum 684.b
Aquileges 712.a
Aquilo ventus 735.c.d. nubes in Africam reiicit 736.b
Aquilonis indicium 682.b
Aquilone flante minutæ pluuiæ sunt 727.c
Araneæ textura 668.b
Arar fl. 765.c
Aratrum vetustis vrbibus inducere 206.b
Aratus poëta 688.c
Arbiter & iudex 293.a
Arbitrum adigere 492.d
Arbitra bonorum & malorum, ratio 498.d
Arboretum trimum aut quadrimum 558.b
Arbores solidæ & fragiles 140.a
Arborum cacumina, ventris explementum 641.b
Arborum corticibus gentes quædam corpora tegunt 576.a
Arbustum quamuis vetus transferri potest 558.b
Arbusta, pars mundi 694.b
Arcadia Cretæ vrbs 714.c
in Arcadia Styx mortifera 710.d
Arcadum regna in Tiberis ripâ collocauit Euander 76.b
Arcana ebrijs mandata 547.a
Arcesilaus oblatam à filio familias pecuniam non accepit 282.c. puluino ægri pauperis & ignorantis sacculum subiecit 276.b. vino indulsit 168.b
Archelaus sole deficiente regiam clusit & filium totondit 331.c
Archelaum regem rogantem Socrates adire recusat ibid. b
Archelai antiquarij opinio de terræmotu 743.c
Archidemus 666.a
Architectones 575.a
Arcus cælestis quid sit 684.a. cur sole maior appareat 686.a.b. quando & quomodo fiat 682.d. 683.a.b. quid prænuntiet 686.a
Arcus colores 683.b. cur saltem dimidia pars videatur 685.d
in Arcu subsit ne corporis aliquid certi nec ne 689.c
Ardea 583.b
Ardeatinum 629.b
Ardores 680.c.688.c
ad Aream spectare 667.c

Areæ siderum 682.a
Arei philosophi oratio quâ Liuiam consolatus est 109.b
Arethusa fons 118.c.742.c. quintâ quâque æstate purgamenta eiectat 716.a
Argentum antiquis artificum nominibus nobile 82.a factum signatumque 160.b. graue, sine vllo opere & nomine artificis 146.a
Argenti paucæ lamellæ, censorium crimen erat 245.a
Argestes ventus 735.d
Argis imperans, posteà seruus quinque modios accepit & quinque denarios 537.a
Argolicæ vrbes 626.b
Argumentatio ab habitu animi proficiscitur 595.b
Argutiæ 180.a
Aridæus rex 322.a
Arietare 20.a.42.b.113 b.147.a.237.a.624.b.732.a 760.a
Arietata arma 479.b
Arietatio 734.a
Ariopagos religiosissimum iudicium 153.b
Aristâ nihil acutius 545.a
Aristarchi notæ 569.c
Aristides 320.a
Aristidis ad supplicium ducti dictum ad magistratum 84.b
Aristippi vnguento delectati dictum 380.c
Aristogiton & Harmodius tyrannicidæ. 376.c
Aristophani iocorum materiam præbuit Socrates 251.a
Aristo propter Platonem notus 304.d
Aristo Chius quas partes philosophiæ statuat 572.a
Aristo philosophus in gestatione differebat: & in eum aliquot ioci 437.c
Ariston adolescentem tristem, quàm hilarem & amabilem turbæ mauult 447.c
Aristo luxuriosos pueris simillimos ait 652.a
Aristonis Stoici opinio philosophiæ decreta præceptis præferentis refutatur 590.b.c. 592.a
Aristoteles 226.b. Alexandri præceptor 51 b an benè affectus pro armis esse dicat 13.a. citatur 169.a.753.d. iræ defensor 41.c.42.a ne damnaretur ab Athenienſibus, fugit 258.c plus ex moribus quã ex verbis Socratis traxit 394.b quam cometis tribuat significationem 760.b.c quoddam ignium genus Capram nominat 680.b
Aristotelis discipulus Theophrastus 743.c. egregium dictum 760.d. expostulatio cum naturâ 213.d. iræ finitio 3.b. opinio de iræ necessitate oppugnatur 7.b.c. 41.c.42.a.c. opinio de arcu cælesti & tempore arcus 683.c.687.b. sententia de nubium igne 696.b. de terræmotu 743.c. de meteoris igneis 680.c
Aristoteli caussa quadruplex 493.a. homo, species est 482.a. obiectum, quòd pecuniam accepit 251.b
Arithmetica quid doceat 566.b
Arma lusoria & decretoria 657.d
Armamenta 35.b.157.b.734.b
Armamenta demitti 351.a
Armamentarium 152.a
Arruntius Punici belli scriptor, Sallustianus fuit 649.b
Arruntius testamentorum captator 362.c
Ars imitatio naturæ 493.a. non casu ad effectum venit 537.b
Artes ἐγκύκλιοι 568.a
Artes liberalissimæ & decreta & præcepta sua habent 599.a
Artes multæ superuacuæ, ad luxuriam excogitatæ 576.a.c
Artes vulgares non sunt à Philosophiâ inuentæ 574.d
Artes alit laus, corrumpit laudatio 622.a
Artium quattuor genera 567.c
in Artibus excusatius est voluntate peccare quàm casu 598.d. 599.a
Artemidori Pariani sententia de arcu cæleſti 684.c opinio de stellis, cælo, & cometis, explodituꝛ 756.a.b
Arteriæ spiritus receptacula 711.c
Articulus caput collumque committens. 143.a
Articuli, dolorum sedes 531.a
Articulorum depraua tiones ex libidine. 430.b
Artifex 317.c
Artificis finis 493.b
Artificis diuini ingenium mirabile vnde appareat 644.d
Artifici triplex operis sui fructus est 287.b
Artificum antiquis nominibus argentum nobile 82.a 146.a
Artificum exquisita nomina 206.b
Artificiorum institoribus corollarium datur 352.a
Ascendentium & descendentium diuersus habitus 673.c
Asclepiadis secta 599.a
Asclepiodotus Posidonij auditor 698.d.745.b citatur 746.d
Asclepiodoti liber de quæstionum naturalium causſis 745.b iudicium de tonitrũ 699.d. historia allegatur 734.d
Asellius ait, Vinicium tractim dicere 452.c
Asia 216.b vindicat sibi Tuscos 76.a xii. vrbes simul perdidit 739.d
Asiæ molles bello viri 8.c. rex Attalus 181.a vrbes terræmotu concussæ. 582.b. Asiæ Europæque terminus 742.a
in Asiâ Athenienſis turba est 76.a
Asiaticus Valerius 185.a
Asilus, qui Græcis œstrus 481.a
Asinij Galli amicitia 475.a
Asinij Augusti clementiæ participes 195.b.196.a
Asinius Marcellus 763.a
Aspernatio 19.a
in Aspero & probo accipere 420.c
Aspis ad vmbram exsurgit 59.b
Assario 767.a
Assentatio quosdam offendit 45.b
Assentatores virandi 29.c. vide *Adulatio*
Assentio 141.a
Assessoris verba 152.a
Assignati 640.a
Asthmatis descriptio 474.b
Astrapoplecta 689.b
Astronomiæ placita 599.a
Asturcones 561.a
Atabulus ventus Apuliam infestat 736.b
Atalanta insula superfusa 747.d
Aterius testamentorum captator 362.c
Athenodorus negat se ad cænam eius iturum qui sibi nihil pro hoc debiturus sit 155.a. reip. tractationem & ciuilia officia comendat 151.a. reprehenditur 152.b
Athenodori dictum 402.c
Athenæ Socratem in carcere occiderunt 153.b
Athenatum ventus Sciron 736.b. potentia vbi fracta 119.a
Athenas tacere iussit Alexander 596.c
Athenis pænè ignotus Epicurus 535.b
Athenis dimidium licet, Alexandriæ totum 766.a
Athenis turba in Asiâ est 76.a
Athenienses Harmodium & Aristogitonem tyrannicidas vocant 376.c

Athenienſium fines 370.a. legatus procax in Philippum 55.c. reſp. an ſapienti eligenda 258.c. vrbs miſerrima ſub triginta tyrannis 153.b
Athletæ 26.b.151.a. plagas ferunt glorię cupiditate 531.d
Athletæ nouiſſimi 222.a
Athletarum exercitium 20.a. fatum 479.c
Atilius Buta prætorius vitam in contrarium ceteris circumegit 670.b
Atlanticum mare 726.b.c
Atomi 694.c.731.d
Atomi & micæ Epicuri 317.a
Atrienſis 672.a
Atrum nihil abſque tenebris 442.a
Attalus Aſiæ rex 181.a. eo regnante Cometes viam lacteam adæquauit 756.d
Attalus Stoicus philoſophus quomodo fulminum doctrinam diuiſerit 703.c.d. culcitram corpori reſiſtentem laudat 635.c. Etruſcorum diſciplinam Græca ſubtilitate miſcuit 703.d. quæ de diuitiarum contemptu dixerit 641.b. Senecæ præceptor 633.b
Attali Stoici philoſophi dictum de amico 399.c dictum, caſtra deliciis fortunæ præferenda 503.a. dictum de diſcentium & docentium propoſito 633.b. dictum de iucundâ defunctorum memoriâ 490.a. dictum, malitiam ipſam maximam partem veneni ſui bibere 540.c. efficacia in docendo 634.c. imago de cane miſſa fruſta ore aperto captante 514.c
Atterranea fulmina 703.d
Atteſtata fulmina ibid.
Attiacum mare 196.b
Atticus clarus ob epiſtolas Ciceronis 423.c
Attici gener, progener & pronepos ibid.
Atticum, quod in buccam venerit, ſcribere iubet Cicero 659.a
ad Atticum Ciceronis epiſtola flebilis 217.a
Attilij Reguli rus Senatui publicè curari placuit 83.a
apud Attium multa verba ſitu occupata 481.c
Attonat ſumma, id eſt attonita habet 420.b
Attoniti qui vocentur 699.b
Auaritia 17.b. concitatior in magnarum opum congeſtu 285.a
Auaritiæ pœna 653.b. vituperium 374.a. 580.a 596 a.634 a. 735.a
Auctoramentum 25.b. 325.a.505.b
Auctoramenti verba 449.b
Auctoramenta ſeruitutum 629.a
Auctorati noui 766.b
Auctoris incerti dictum 396.b
Auctores integri viris legendi, non floſculi carpendi 444.a.445.a
ex Auctoribus ſemper pendere, turpe 445.b
Auctoritatis fulmen 701.d
Aucupia peregrina 135.a
Audaciter 138.a
Audax non ſine timore 320.a
Auditores philoſophorum quàm varios ſcopos habeant 633.c
Ave, vulgare & publicum verbum 361.a
Auentinus mons duabus de cauſſis extra pomœrium eſt 225.b
Aufidius Baſſus, vide *Baſſus*
Augiæ cloacas purgare 765 d
Augurale 161.b
Augurales libri 637.a
Augurini fuſus 764.a
Auguſta auia Claudij 766.b
Auguſtus auunculus maior Claudij & Meſſallinæ 101.b. 766.d. Appiâ viâ ad deos iuit 763.b. Hoſtium impudicum à ſeruis occiſum, indignum vindictâ putauit 680.c. in conſilium à T. Ario de filio cognituro aduocatus 200.a. in iuuentâ crudelis, in principatu & ſenectute mitis 193.c. 194.a. 196.b. liberorum & nepotum mortem fortiter tulit 116.b. L Cinnam ex inimico amicum ſibi lenitate & clementiâ facit, vxoris Liuiæ conſilium ſecutus 194.a. L. Piſoni ebrio ſecreta mandata dedit 547.b. multorum inſidiis petitus 216.b. ob clementiam Deus & parens dictus 195.b.196.a patienter Timaginem inimicum & huius hoſpitem Pollionem tulit 56.a. publicatæ filiæ impudicitiæ verecundiâ ductus, Mecænatem & Agrippam amiſſos deſiderat 359.a. quo die vrbem ex Apolloniâ reuerſus, intrauit, viſus circulus circa Solem 682.a. ſanguine iunctus Claudio 766.b. templum in Galliâ Circio vento vouit & fecit 736.b. Vedij Pollionis ſæuitiam caſtigat 64 b.c. vltra Rhenum, Euphratem, & Danubium terminos mouit 216.b
Auguſti filia impudica & adultera 216.b. 359.a. inſidiatores 194.a. liberalitas in Rufum clementiæ coniuncta 302.a. luctus varij 101.a. nepos Caius Cæſar ibid.b. ſoror Octauia 101.a.107.c. verba ex eius epiſtolâ ad Senatum 216.a. votum de otio ibid. vxor Liuia 107.c
Auguſti acta continentes libros Timagenes combuſſit 56.a
Auguſti pater Octauius filióne dederit an acceperit maius beneficium 305.a
Auguſti tempore verba non quidem periculoſa, ſed moleſta 302.a
Auguſti iudicium, Claudij beneficium malo 272.a
circa Auguſti exceſſum prodigium 680.b
Auguſto timenda cum Antonio mulier 216.b
Auguſtum Cæſarem quomodo Furnius demeruerit 284.a
de Auguſto iniqua Lentuli Auguris querela ibid.b
Auguſtorum cognomen honori datum 199.b
Auiditas ingratos facit 283.a.285.a.
in Aulâ quomodo quidam ſenectutem ſit conſecutus 37.a
A. Cremutij Cordi collocutio cum Marciâ 128.c. laus 106.a. libri ibid. mors per inediam 105.d. 126.a. παῤῥησία 125.c
Aureæ matutinæ cauſſa 732.d
Aurei ſæculi deſcriptio 580.a
Aurem peruellere 324 c. 332.c. 595.c
Aures ſapienti claudendæ 441.c
Aurium dolor acutiſſimus 531.a. faſtidium taxatur 62.a
Auribus cenſum locupletis domus gerit vxor 242.b
Auriculam tangere 766.b
Auri odium non eſt frugalitatis indicium 392.b
Auri vſus fructuſque quomodo gratior fiat 412.a
Auſcultatio, vitium teterrimum 163.a
Auſpicium dextrum & ſiniſtrum 700.b
Auſter Græcè Notus 735.c.d. ventorum calidiſſimus 725.d. nubes in Italiam impellit 736.b. Siculo pelago infeſtus 410.b
Auſtro flante imber improbior 727.d
ab Auſtro nubes ingraueſcunt 688.c
Auxiliaria fulmina 703.d

BABA 413 b
Babæ fuſus 764.a
Babyllus Ægypti præfectus in omni litterarum genere rariſſimus 725.c

Babylonis muros Alexander vicit 176.b
Babylonem oppugnaturus Cyrus 54.b
Bactri 737.a
Bactriani 181.b
Baiæ 476. a. Baiæ, vitiorum diuersorium, fugiendæ 468.b.c
Baliſtæ 697.b
Balliſtis peti 205.c
Balnea blattaria 557.a
Balnea plebeia & libertinorum, tempore Senecę 556.b 557.a
Balneorum ſuſpenſuræ ætate Senecæ inuentæ 577.c
Balnearia 158.b
Balnearia minora 728.c
Balnearia ſine igne calefiunt 714.b.c
Balneolum ex conſuetudine antiquâ tenebricoſum 556.a
Barbam ſubmittere 103.b
Barbam vellentes aut interuellentes 649.d
Barbari iracundi 41.a.b
Barbarorum exitium eſt ira 8.b
Baſilicæ iudiciorum fremitu reſonant 61.a
à Baſilicâ occupatos eiiciunt canes immiſſi 221.c
Baſſus Aufidius quaſſo quidem corpore, ſed firmo animo, nullo mortis metu tenetur 439.a
Batilli domus 761.d
Beata vita quid 234.b.235.b.c.584.c. vna eſt 553.c. bonum in ſe perfectum habet 553.b. in quo poſita ſit 584.c
Beatæ vitæ adiuncta 234.b.235.b. cauſſa & firmamentum 441.c
ad Beatam vitam ſufficiántne philoſophiæ præcepta 598.a
Beatus quis 458.b.584.c.676.b
Beatus eſt etiam in ſummis cruciatibus poſitus 587.a
Beati hominis deſcriptio 235.a.c.236.a
Beatiſſimúſne eſſe poſſit, naturalibus bonis deſtitutus 586.a
Βεβίωκε, βεβίωκε 406.b
Belienus Baſſus quæſtor à C. Cæſare animi cauſſâ flagellis cæſus 52.a
Bellerophontes pœnas dat in fabulâ Euripidis 653.b
Bellonæ ædes 197.b
Beneficiaria res 574.b
Beneficium quid 266.a.b. quemadmodum dandum 273.c. 278.b.c. 279.a.b. quomodo repetendum 342.b. quomodo dicatur creditum 313.c. ſuâ cauſsâ nobis qui dat, vel ſuâ & noſtrâ, quo loco habendus 349.c. à quo detur, non opus eſt vt ſciatur 276.a ingratum quod 273.c. an ab impudico accipiendum 282.b. an aliquando ſit repetendum 340.c. an debeatur ei qui inuitus prodeſt 347.b. 348.a. an debeatur principi ciuitatem omnibus Gallis danti, vel Hiſpanis immunitatem 352.c. an detur, ſi frater inuiſus fratre altero inuito ab aliquo ſeruetur 340.b. an domino dari poſſit à ſeruo 298.b. an eripi poſſit 344.c. an ingrato vir bonus daturus ſit 319.c. an reddiderit qui omnia fecit vt redderet 375.c. an ſibi ipſi dari poſſit 332.a. 333.b. an tyranno aut malo dandum 378.a.c. 379.a. à ſapiente acceptum an reddendum, ſi ille ſapiens eſſe deſinit 378.a. filio datum, an etiam ad patrem pertineat 339.b. vt referri poſſit, an rectè incommoda optentur iis quibus quis obligatus eſt 355.c. qui id animo benigno accepit, an conſummauerit officium ſuum 287.a. 289.a. an detur ab eo qui gratis per flumen quempiam vehit 352.b
Beneficium à beneficij materiâ multum differt 266.a. aliquando & inuito accipiendum eſt 281.b. in animo conſiſtit, non in eo quod fit vel datur 266.b. 267.a. iniuriæ contrarium 300.a. 315.b. 332.c. mercenarium 350.c. mora corrumpitur 274.c. 275.a. non eſt id quod ſub oculos venit, ſed beneficij nota 266.b. non negligenter, nec tardè, nec contumeliosè dandum 261.a. non tangitur manu, animo cernitur 266.a
Beneficium opera vtilis eſt, ſed non contrà 321.b. quibuſlibet datum, nulli gratum 271.a. venale eſſe non debet 319.c. verecundè & parcè repetendum interdum 380.b.c. 381.a. vnum altero maius eſſe nequit: ea per quæ beneficium datur, poſſunt eſſe maiora & plura 375.c
Beneficium ab iniuriâ quid diſtinguat 348.b
Beneficium duæ res complent 321.b. 349.b. infitiari, an repetere turpius 260.d. iucundum facit tribuentis voluntas 273.c. 274.a. qui libenter accepit, reddidit 286.c. 289.a
Beneficium dare an res per ſe expetenda 308.c. 309.310.311.312.313.314.315.316. pag. dare ſcit ſolus ſapiens 539.b
Beneficium dare, & prodeſſe, differunt 333.b. 340.a
Beneficium debere non minoris animi quàm dare 364.c
Beneficium vbique iactanti quid reſponſum 277.a
ad Beneficium ſitne iniuriâ veniendum 355.b.c
Beneficij duplex ſignificatio 288.a. triplex fructus 287.b. lex inter duos 276.c. pars optima perit, ſi actio ingrati detur 292.c. proprium, de reditu non cogitare 287.a
Beneficij dati quomodo quis non meminiſſe debet 380.a
Beneficij & crediti diuerſa conditio 326.a
Beneficij gratiam intercidere peius ne ſit an memoriam 291.a
Beneficij gratiam noſmet corrumpimus 260.d
Beneficij, officij, & miniſterij diſtinctio 298.b. 299.a.c
Beneficij reddendi debito an nos ſoluat, qui cùm priùs profuerat, plus poſteà nocuerit 538.c
Beneficij quàm pecuniæ creditor diligentiùs quærendus 281.a
Beneficio accepto quid debeamus 265.c
Beneficio accepto ſtatim de reddendo cogitandum 284.a
in Beneficio dando qualis ſit eligendus 313.a. ſenſus communis, tempus, locus perſona obſeruanda 270.b
Beneficia à quibus accipienda 280.c. an Deus det 309.b. an maiora quàm acceperint, parentibus liberi dare poſſint 303.b. an non parent amicitias 421.a. qualia ad malos perueniant 335.b. quouſque obligent 339.a 340.a. accepta augenda ſeu extollenda ſunt 285.b. aſperitate verborum & ſupercilio in odium adducuntur 274.b. 275.b. cum iudicio danda 271.b. danda ſunt neceſſaria, vtilia, iucunda, vtique manſura 269.a.b.c. 270.a. data non ſunt iactanda 277.a.b. 278.a. hilari animo accipienda 283.a. impetrantibus nocitura, neganda ſunt 278.b. in turpitudinem noſtram reditura, non tribuenda 279.a. nec delicatè, nec ſubmiſsè & humiliter, nec ſupinè, nec faſtidiosè accipienda 283.c. non ſunt ſuperbè ac-

bè accipienda 280. b. quædam palàm, quædam ſecretò danda 276. a. quædam tempore magna fiunt 294. a. quædam maiora ſunt, etiamſi minùs apparent ibid. b. quædam triſtia & aſpera ſunt 340. b. ſatis comparantur 277. a. ſilentio aut loquendi tarditate corrumpuntur 274. b. ſuperbè data, ingrata & inuiſa 277. b
Beneficia gratiſſima 273. c. 274. c. illibata ibid. inæqualia 294. a. 295. b. viſcata 397. b
Beneficia vocantur etiam quæ beneficij ſpeciem habent 335. c
Beneficia Dei nobis præſtita 286. a
Beneficia non niſi ſecretò accipere nolentium reprehenſio 283. a
Beneficiorum auctor plus delectat quàm res ipſa 272. a exprobratio odioſa 276. c. 277. b. fructus non eſt ſpectandus, ſed ipſa 262. a. initia & exitus ſpectanda 278. b. nouæ tabulę 265. c. obliuio vnde 290. c. 291. b. ſacratiſſimum ius 281. a
Beneficiorum & debitorum diuerſa ratio 296. a
Beneficiorum erga dominos exempla 300. a
Beneficiorum reddendorum occaſiones obſeruandæ, non manu faciendæ ſunt 364. a
Beneficiis gratiam non referre, turpe 290. c
Beneficiis vinci an turpe ſit 329. a
à Beneficiis non debet abſterrere ingratorum turba 261. b
in Beneficiis accipiendis quomodo ſe homines gerere debeant 280. c. 283. a. c
in Beneficiis dantis & accipientis perſona conferenda 279. b
in Beneficiis tribuendis ſola accipientis vtilitas ſpectanda 312. b. 314. b
Benignitas 274. b. 275. a
Beroſi qui Belum interpretatus eſt, opinio de mundi fine 718. b
Beſtiarius à leone protectus 282. a
Beſtiariorum ludus 508. a. b
Bibentes ieiuni arguuntur 669. b
Bibere & ſudare, cardiaci vita eſt 412. c
Bibliotheca Alexandrina quot librorum fuerit 158. a
Bibliothecarum oſtentatio reprehenditur ibid.
Bilis nigra in furioſo curanda 591. d
Bilis luridę ſuffuſio 599. d
Bilem cur maximè moueat fatigatio 46. b
Bionis argumenta modò omnes ſacrilegos eſſe colligentia, modò neminem 371. a
Bionis dictum 165. c. elegans dictum 156. a
Blattaria balnea 557. a
Bocchus rex 225. a
in Bœotiâ amnes duo gregem inficientes 714. d
Boleti 601. a. 634. d
Boleti ardentes 730. a
Bonitas Dei, cauſſa mundi faciendi 493. c
Bonitas non eſt, peſſimis eſſe meliorem 534. c
Bonitas pertinax malos vincit 383. b
Bonitas ſæua 278. c
Bonitatis pars magna, velle fieri bonum 446. b
Bonum in arte muſicâ 561. a
Bonum hominis proprium 524. b
Bonum honeſtum nec intendi, nec remitti poteſt 511. c
Bonum & honeſtum apud alios diuerſa ſunt, apud Stoicos tantùm diuiſa 663. b
Bonum precariò dicitur in arboribus & animalibus 675. b
Bonum ſenſibile ne ſit an intelligibile 674. b. ſitne aliquod contra naturam 499. a ſitne omne optabile 501. b. verum vnde ſubeat 427. c.
Bonum vnum eſt, quod honeſtum eſt, cetera falſa bona ſunt 509. c. 517. c. 524. a. 553. a
Bonum an ex malo naſcatur 562. b
Bonum eſt vnica virtus 441. c
Bonum nihil eſt Stoicis quo quis malè vti poteſt 663. b. c. Stoicis corpus eſt 655. a. corpus eſſe probatur 630. b.
Bonum omne animal eſſe ridet Seneca 645. b
Bonum ſummum quid 235. a. 237. b. c. 442. b. 499. b. 509. c. nec augetur, nec minuitur 496. a. 511. b. 520. b. non poſitum eſt in voluptate 235. c. ſeipſo contentum eſt 401. a. vbi ſit 237. b. externis an augeatur 584. c. ſitne in mutis animalibus & infantibus 674. b. d
Boni ſummi locus quis 562. b
Boni variæ definitiones 660. a. b. c. proprietas ibid. c. boni honeſtique differentia ibid. b. boni honeſtique prima notitia quomodo ad nos peruenerit 663. c. boni nullius ſine ſocio iucunda poſſeſſio eſt 394. a. boni ſenſus etiam peſſimis ſubeſt 609. b
Bona quæ ſint 442. a. omnia paria 510. a. quomodo paria eſſe poſſint 495. d
Bona corporis & fortunę, non ſunt bona 517. c. 518. d. 519. d. 526. a. commoda & producta nominanda 519. b. quo loco habenda 513. a. fugienda 396. c
Bona inſidioſa 414. a. quædam ſecundùm naturam, quædam contra naturam, quædam media 499. a. præterita certiora ſunt præſentibus & futuris 291. c. triplicia 335. b. vt etiam Stoicis 495. d. 499. a. Epicuris duplicia 499. c. vera & falſa 498. b. vera tam omnium quàm ſingulorum 516. b. vulgaria omnia caduca 611. a. bona ne ſint futura 658. a
Bonorum diuiſio Epicuréa 499. d
Bonorum & commodorum diuerſa ratio 563. d
Bonorum vulgarium poſſeſſio, ſollicita 526. c
Bonus quis 446. b
Boni etiam farre ac fitillâ religioſi ſunt 266. c
Boni inter ſe proſunt 638. a
Bonorum virorum exitu malo non debemus contriſtari 166. a. vide *Vir bonus*
Bonis miſericordia vitanda eſt 210. c
Boreas 735. b
Boryſthenes 726. a
Botularius 477. a
Bracteata felicitas 652. b
Bracteatus leo 454. b
Breuia 426. a
Breuiarium, olim ſummarium 450. c
Brigantes 767. c
Britannia 99. b. 116. a. in Britanniâ Claudij templum 766. a
Britanni 767. c
Britannos togatos videre conſtituerat Claudius 764. a
Bruma 718. c
Bruma lilium exprimunt 670. a
Bruttij ſaltus 150. c
Brutus regem Romanis capitibus deiecit 117. a
Bruti turpis & erubeſcenda mors 543. b. vide *M. Brutus*
Bubulcus 462. b
Buris merſa 747. b. 748. a. c. 750. d. 753. c. 757. a
Burrus præfectus Neronis 208. c
Buſta Gallica 337. a

Cæca vitium oculorum in domum tenebroſam confert. 467. b
Cæcilius fenerator 659. b
Cæcilianum dictum 646. a
Cæcinna tria fulminum genera ſtatuit 701. d. quæ fulminibus nomina poſuerit 703. c

Cæcinnæ facundiæ Cicero obfuit 705.a
Cælator 483.c
Cæleſtia ſemper in motu ſunt 75. a deſitura ſunt 510. b. c. effectus rerum aut mouent, aut notant 566. c. 567.a
Cæleſtium obſeruatio noua eſt 753. a. ſtata magnitudo 534.c
Cæleſtibus corporibus quid debeatur 353.b. 354.a
Cælibatus viduus 268.a
Cęlius orator iracundiſſimus, etiam aſſentatione offendebatur 45.b
Cælum ardere viſum 689.b
Cæli alimentum è terrâ eſt 744. d. circuli 736.a
Cæli receſſus 688.c
Cænâ peractâ reliquiæ circumſtantibus diuiduntur 528. b
Cænæ adiiciales tricies H S conſtiterunt 603.b
Cænæ modicæ, vel potiùs Timoneæ 418.a
Cænarum luxuria 648.b
in Cænaculo dormire 537.b
Cænare cum ſeruis turpe exiſtimantes reprehenduntur 460. a
Cænatio 532. c populi capax 652. a. velis ac ſpecularibus munita 729.d
Cænationes 575.a. Cænationes ſubditus & parietibus circumfuſus calor temperat 138.a
Cænationum faſtigia 79. a. laquearia verſatilia 575. c. ornamenta 158.a
Cæpio 194.b
Cæpionis inſidiæ Auguſto ſtructæ 216.b
Cæſar quo pacto omnia habeat 371.a
Cæſaris reſponſum vni ex cuſtodiarum agmine mortem roganti datum 529.c
Cæſaris abſentis partibus Mecænas functus eſt 648.a
Cæſari Deo fiebat quotidianum ſacrum 165.a
Cæſari quidam proſcriptione triumuirali ſeruatus reddi cupit 276.c
Cæſarum funera 116.b
Cæſareum atrium 100.b
Caianæ cuſtodiæ 162.a
Caianæ cladis magna portio Canius Iulus 164.a. 165. a
Caius Cæſar Auguſti nepos Lucij fratris mortem piiſſimè tulit 101.b
C. Cæſar Caligula à Claudio flagris & ferulis vapulans 768. d. centies ſeſtertio cænauit vno die 80. c. contumeliarum faciendarum cupidiſſimus, ferendarum impatiens 184.b. 185. a.b. generum occidit 767.a. in exitium opprobriumque generis humani editus 103. a. iratus cælo, Iouem ad pugnam vocauit 17. a. cur Iulium Græcinum occiderit 282.c. 283.a. iuſſit Lepidum Decimo trib. ceruicem præbere: ipſe Chæreæ præſtitit 391.b. optauit vt pop. Rom. vnam ceruicem haberet 53.a. Paſtorem eo die ad cænam inuitauit, quo filium eius duci iuſſerat 37. a. Pompeio Penno de vitâ datâ gratias agenti ſiniſtrum pedem oſculandum porrexit 277. b. probrum iudicabat ſe Caligulam nominari 185. b. ſoccatus de capite conſularis viri audit 278. a. villam in Herculanenſi ob matrem ibi olim cuſtoditam diruit 55.a. Xerxem ſecutus pontes nauibus iunxit 229.b. humani ſanguinis auidiſſimus cur orbi terrarum præfectus 322.a
C. Cæſaris Caligulæ ambitio notatur 597. a. deformitas 184. b. dementia à Demetrio ridetur 375.a. furioſus luctus ob Druſillam ſororem amiſſam 103.b. nefanda ſæuitia 52. a 53.b. pater Germanicus 322. b. ſuperbia 278.a. exitij cauſſæ 185. a. ſub C. Cæſare myrmillo de raritate munerum queſtus 137.b. ſub C. Cæſaris morte, pop. Rom. fame laborauit 229. b
C. Iulius Cæſar 628. b. c Corfinium obſedit & Domitium ſeruauit 301. a. epiſtolas ad Pompeium miſſas combuſſit 30.c. 31.a. Mitylenas præteruectus Marcellum exſulem videre non ſuſtinuit 79. b. montibus Baianis villas impoſuit 469. b. per decem annos patriâ caruit 80. a. Pompeij hoſtis ac victor, ingratus 337.b. victoriâ clementiſſimè vſus eſt 30.c
C. Iulij Cæſaris cædes credita fuit Tillio Cimbro 547.a. caſtra in circo Flaminio poſita 338. a. coniunctio cum Rep. 191. a. dictum, ſe neminem niſi armatum occiſurum 338. a. luctus ob filiam amiſſam breuis 116. a. vires in Siciliâ fatigatæ 724.a. vox, Oderint dum metuant, exagitatur 16. b. 197. b. 209.b. cum Cæſaris vxore adulterium à Clodio commiſſum 608. b. Cæſari Cato oppoſitus 137. a. de Cæſare dictitatum, in incerto eſſe, vtrùm illum magis naſci reip. profuerit, an non naſci 736.c. vide quoque *Iulius Cæſar*.
C. Caſſius abſtemius 547.b
Caius Getulicus 723.b
Caius Gracchus 117.b. primus turbam ſuam ſegregare inſtituit 360. b
C. Marius ingratus, ad conſulatum à caligâ perductus 337. a. villas in regione Baianâ exſtructas iugis montium impoſuit 469. b. vnum conſulatum accepit, ceteros rapuit 597. a. vide *Marius*
C. Silius coſ. deſig. 768.a
C Vettius prætor Marſorum à ſeruo ſeruatus 301.a
Calabriæ ventus Iapyx 736.b
Calamitas, virtutis occaſio 138.a
Calamitatum mollimentum, conſuetudo 159.a
Calcem quid dixerint antiqui 637.a
Calda 546.a
Caldarium 558.a
Caldum 556.a
Calidum nihil abſque adiutorio ignis 442.a
Caliga dimiſit 228.c
Caligula 185. b. vide C. *Caligula*
Callimachus citatur 725.d
Calliſthenes nobili ingenio fuit, & furibundi regis Alexandri impatiens 747.b. citatur 747.b. 753.c
Calliſthenis libri de Helices Buriſque ſubmerſione 747.b
Calliſtratus exſul reditum abominatus, ſi Athenienſibus neceſſitas exſules reſtituendi eſſet 362.a
Calliſtus ſeruus quam gratiam domino retulerit 461. a
Calones 641.c
Calor in quibus corporibus diutiùs conſeruetur 728.c. hieme ſub terris maior non eſt 726.c
Caloris æſtiui vitandi rationes 576.b
Caluiſij Sabini diuitis compendiaria ad memoriam firmandam, vt eruditus haberetur 434 c. 435.a
Calui ſententia in Vatinium 592.c
Cambyſes furioſus, ac furore feliciter vſus 555.c
Cambyſis vinolenti crudelitas in Præxaſpis filium 49.b. exercitus ad Ammonem miſſus, arenis obrutus 699. d. inexplebilis cupiditas 369. a. ira in Æthiopas vix fame domatur 54. a
Camera 556.b
Camillus 320. a. exſul à Republicâ factus 338. a
Campania 150.c. 465.b. 476.b
Campaniæ fomenta Hannibalem eneruarunt 468.c

Campa-

Campaniæ quidam renuntiarunt ob terræmotus 739. c
in Campaniâ ingens terræmotus 738.d.743.c.748.a.c. 749. d
Campanorum fines 370.a
Cancer cæleſtis 718.b
Candauiæ deſerta 442.b
Candidatus 248.a
Candidatus ſacerdotiorum 382.b
Candidato vocem & manum commodare 398.a
Candidati, boni viri 389. c. ſolliciti vocem præconis exſpectant 659.b
Canendi peritus 317.c
Canentium ordo per vias olim 550.c
Caniculæ rubor 681.a
Canis bona 524.b
Canis cathenarius 63.b
Canis nomen ambiguum 288.a
Cani miſſa fruſta ore aperto captanti, hominum deſideria comparantur 514.c
Canes eiiciunt homines à baſilicâ 221.c
Canij Iuli à Caio duci iuſſi admiranda tranquillitas, & ad mortem vſque philoſophantis conſtantia 164. a. b
Cannæ 19.b.21.a
Canopus 468.b
Cantabri 77.a
Cantelio vectus Cato 560.c
Cantibus imbres attrahi & repelli credebantur 621.b
Canticis diſcendis operati 565.b
Cantorum plus in comeſſationibus Rom. quàm olim ſpectatorum in theatris 550.c
Capillorum cultus 676. a. capillorum cura qualis apud veteres 691.a
Capitolium dedicauit Puluillus 115.a
Capitolij vectigal ſingulis comeſſationibus hauſtum 81. b
in Cappadociâ flumen equos albos faciens 714.d
Capra, ignis globus Ariſtoteli 680.b
Capreæ 527.c
Capricornus 718.c
de Capſulâ tori 651.b
Captiuus an ſe ab impuro patiatur ſeruari 282.b
Captiuis & pretio partis æqui bonique natura parcere iubet 201.b
Captos ciues decem ex magno captiuorum numero redimenti, quid debeant redempti 350.a
Caput dirâ imprecatione defigere 361.b
Capitis dolor 531. a. ſanguine emiſſo leuatur 507. c
Capite demiſſo viuere 494.c
Carcer nobilis 119.a
Carceris alimenta 418.b
Cardiaci vita, bibere & ſudare 412.c
in Cariâ vnda cum piſcibus è terrâ emerſit 713.b
Caricæ annum nouum faciunt 560.a
Caricæ cum pane, pro pulmentario ibid.
Carmen veneficæ 399.c
Carminis modo incluſa faciliùs hærent 445.a.b
Carmini inſerta præcepta multum habent ponderis 592.d.593.a.
Carminum efficacia in præceptis animo tradendis 634.a. b
cum Carneade dubitare 226.a
Carthago 21.a.91.d.101.a.724.a
Carthaginis horror Scipio 556.a. mœnia vnâ manu capta 176.b
ad Carthaginienſium remp. an ſapienti accedendum 258. c. 259.a
Caſpium mare 719.a
à Caſſandro Gallorum gens obſeſſa 710.d
Caſtigatio aliquando neceſſaria 5.b. quomodo accipienda 33.a
Caſtigatio ſceleratorum iræ expers eſſe debet 12.a
Caſtor & Pollux 681.b
ad Caſtoris negotiantes 181.a
Caſtrorum primores 608.a
Caſus non obſtat philoſophiæ ſtudio 415.a
Caſus ſex 735.d
Catægis ventus Pamphiliæ 736.b
Cataractæ Nili 724.c
Cathedrarij philoſophi 220.b
Cathena in ſiniſtrâ leuior 159.a
Cathenæ fortunæ ibid.
Catilina L. Syllæ miniſter 52.a. ingratus 337.a
Catilinæ tres 124.a
Cato ædilis 557.b
M. Cato Cenſorius, proauus Catonis, minùs quàm hic poſſedit 245. a. imperator triumphalis vno caballo contentus erat, & ne quidem toto 560.c. citatur 669.a. Eius dictum 332.c. 661.b. equus ab ipſo defrictus 561.a
M. Cato iunior an modeſtè philoſophatus ſit, ſimul Cæſarem & Pompeium laceſſens 411. a. animam ſibi manu extraxit 508. a. plebis contumelias perpeſſus 172.a. Cæſarem & Pompeium prouocauit 628. c. certius ſapientis viri exemplar quàm Vlixes & Hercules 172.a. 176. c. Deorum alumnus 134.a. in Clodij iudicio teſtimonium dixit 608. b. iniuriam in balneo factam non agnoſcere maluit quàm ignoſcere 36. a. 182. a. maliuolentiæ expoſitus 243. a. mortem ferro adactam vicit 611. b. obrutus ſputis, & è ſenatu in carcerem ductus 411. b. quadragies ſeſtertiûm poſſedit 245. b. repulſæ die pilâ luſit, mortis legit 510.b. 728. c. ſimul Pompeio, Cæſari & Craſſo oppoſitus, Vatinio poſtpoſitus 137.a. vincatur, an vincat in Pharſalicâ acie, nihilne interſit 510.a. vino laxauit animum fatigatum 167.a. virtutum viua imago, gladio incumbit 166.a. vulnus ſuum iterauit ibid. b. vt intelligi poſſet, malis & bonis opus erat 155.b
Catonis conſtantia in fortunæ varietate 628.b. duo in rebus extremis inſtrumenta, Platonis liber & gladius 429.a. εἰκονισμὸς 606. d. exemplum ſemper intuendum 404. b. 432. b. felicitas 137. a. laus 172. a. b. mors deſcribitur, & oratio ante mortem habita 124.a. 133.b. 429.a. 543.b. prætura & repulſa an eodem loco habenda 510. a. b. pectus transfixum 125. b. repulſa duplex non fuit ignominia 84. a. ſciſſum manu ſuâ vulnus 502.a.c. 607.a. Catonis Vtica 469.b
Catoni cauſſam agenti in frontem mediam inſpuit Lentulus 64.a
Catoni ebrietas obiecta 168.b
Catonem diu ciuitas ignorauit 535.a. in libertatem gladius aſſeruit 408.c. in Catonem ingratus pop. Rom. 338.b
Catone ſedente negatur populus permiſiſſe poſtulare Florales iocos. 609.a
Catones quidam ſunt alternis diebus 665.b
cum Catonibus viuendum 627.b
Catoniana ætas bonorum & malorum ferax 155.b
Catoniana præcepta 593.a
Catuli verba ad iudices Clodianos 608.c
Caucaſus 726.a
Caudex quid antiquis 224.b
Caudicariæ naues 225.a
Cauea æneatoribus cincta 550.c
ad Caueam ſummam ſpectantia verba 161 a
Cauillationes, Græcis ſophiſmata 642.b

Cauſſa quotuplex Stoicis,Ariſtoteli,& Platoni 492.d. 493. a.b.c
Cauſſæ bonæ conditio quando melior 293.a
Cauſſæ aut nimis multæ,aut nimis paucæ ab Ariſtotele & Platone ponuntur 493.c
Cauſſarum inquiſitio 606.b
Cauſſariæ partes 504.a
Cauſidicus 63.a. Cauſidici 765.d.767.b.d
Cautiones 374.a
Cautionibus prolatis controuerſiam tollere 293.b
Cayſtrus 726.a
Celer Aſinius 768.b
Cella laxior 156.b
Cellæ pauperum 418.a
Cenſeo hoc amplius 234.b
Cenſorium crimen, paucæ argenti lamellæ 245.a
Cenſus in album mittit 293.b
in Cenſum deferre 265.a.605.c
Centauri 482.c
Centeſimæ ſanguinolentæ 374.b
Centiceps bellua 768.a
Centurio ſupplicio præpoſitus, à Piſone duci iuſſus 15.a
Centurio perituroru agmen trahens 164.b
Ceraſtæ 379.a
Cerberus 430.b
Cereus & fax 161.a
ad Cereos & faces funera ducenda 231.b
ad Cereos & faces viuere 670.b
Cernere ferro 481.b
Cernulat 597.b
Ceroma 479.c
in Ceromate ſpectator puerorum rixantium ſedet 222. a
ad Ceronem fl. oues vt nigreſcant, appelluntur 714. d
Certamina ſacra 179.a
Ceryx 153.a
Ceſtu decernere vetantur Lacedæmonij 329.b
Chæreas tribunus militum ob exprobratam mollitiam Caium Cæſarem occidit 185.a.391.b
Χαλαζοφύλακες, ſpeculatores futuræ grandinis 728.a
Chalcidis terræmotus 745.b.748.a
Chaldæi 760. c. quid de Cometis cenſuerint 753. b
Chaldæorum obſeruatio 700.c
Chamæleontis color cur varietur 685.b
Chaos inane Epicuréum 515.a
Χαρακτηρισμὸς 606.b
Charimander librum de cometis compoſuit 753. c
Charino magiſtratu 418.a
Charis Heſiodo, quæ Homero Muſa 265.a
Charites Iouis filiæ ibid.b
Charondæ leges 574.d
Charybdis 410.b. 442.b. 457.c. 719.a. fabuloſa 118.c. an reſpondeat fabulis, ſcire cupit Seneca 533. c
Chaſmata 688.c
Chaſmata terræ 743.a
Chelidon, vnus ex Cleopatræ mollibus, patrimonium grande poſſedit 561.c
in Cherſoneſo fons purgamenta eiiciens 716.a
Chimæra 644.b
Chiragra quomodo interquieſcat 531.a
Chirographum 283.b
Chirographum reformare 595.b
Chlamydati 233.b
Chorus veterum philoſophorum ex multorum vocibus conſtabat 550.b
Chriæ 445.b
Chryſippus à Senecâ in ordinem cogitur 265. a. etſi à republicâ remotus, multa tamen præſtitit 147.a. 257.c.258.a. fingit Gratias Iouis & Eurynomes filias 264.a. librum ſuum de beneficijs ineptijs repleuit ibid. citatur 184.a
Chryſippi viri magni, ſed Græci, acumen ſæpè retunditur,interdum pungit, non perforat 265. a. diſtinctio de ſapientis αὐταρκείᾳ 400.c. præceptum de reddendo beneficio 284. a. ſimilitudo de pilæ luſu 280 a. ſubtilitas & breuitas in ſcribendo 264. a. Chryſippi diſcipuli & Cleanthis diſſenſio de ambulatione 645. c. Chryſippi lege viuere otioſo licet 258.b
Chryſippo quid ſit ſeruus 299.c
Chryſippum aſſidua ſalutatio ad mortem perducebat 478. a
cum Chryſippo viuendum 627.b
Cibaria 299.c
Cibi opportunitas in ægris 274.a
Ciborum copia animo obeſt 412.c
Cicatrix quomodo placeat 356.a
Cicatricoſa 38.c
M. Cicero ætatem ſuam complorat 217. a. Atticum quod in buccam venerit, ſcribere iubet 659.a. cauillationum verbo pro ſophiſmatibus vſus 642.b. citatur 160.b. clientibus ſuis præbet ceruicem 166.a. gradarius fuit in orando 453. a. negat ſe habiturum tempus vt Lyricos & dialecticos legat,etſi ætas duplicetur 466.a. vocis eſſentiæ auctor 481.c
Ciceronis calamitates 123. b. 124. a. compoſitio qualis 616. b. 649. b. conſulatus non ſine cauſsâ,ſed ſine fine laudatus 217.a. epiſtolæ nomen Attici perire non ſinunt 423. c. epiſtolarum argumenta 659.b. flebiles voces in quâdam ad Atticum epiſtolâ 217.a. libri ad philoſophiam pertinentes 616.c. 617.a. libri de Rep. 636. d. poſt Catilinam exſilium 338. a. verba 415. d. 608. c
Ciceronis libri etiam, Dori eſſe poſſunt 370.c
Ciceronis exemplum ſecutus eſt Seneca 632.b
Ciceronis vrbanitatem quomodo effugerit Vatinius 184.b
Ciceronis vmbra Cæcinnam preſſit 705.a
Ciceronem expellens Clodius, Antonius occidens 19. a
Cicero F. conſul propter patrem 321.c
Ciceronis Auguſti clementiæ debentur 196.a
Ciconum flumen potum ſaxea reddit viſcera 713.d
Cimbri à Mario cæſi 597.a
Cimbrorum cladis cauſſa 8.b
Cimbricæ cædes 337.a
Cincti altè 444.b.588.b
Cinerarius 182.a
Cinna conſul 321.c
Circenſe tomentum 248.a
Circenſium clamor 546.b
Circius ventus Galliæ peculiaris 736.b. Ei templum fecit Auguſtus ibid.
Circulanti vis dicendi rapida,aptior 452.a
Circulator 349.a
Circulatores philoſophi 437.c
in Circulo aliquo tempus terere 140.b
Circulorum cæleſtium numerus 736.a
Circumagitur 398.a
Circumlitio 556.b
Circumſcriptiones 23.a.41.a.544.d
Circumſcriptores 156.a
Circumſtantia, Græcis περίστασις 695.a

Circus 22.a
in Circi certamine interiùs flectendum 157.b
Circi vitia commendant nobis 253.a
Ciſium 513.c
Ciſterna in vſum exercitus ſufficiens 556.a
Ciſternina aqua 559.b
Ciuicam mereri 207.a
Ciuilia officia geſturus quid ſpectare debeat 154.a
Ciuis boni opera numquam inutilis eſt 153.a
Ciui nocere nefas 35.b
Ciuitatis captæ imago 381.c
Ciuitatis rector quomodo caſtigare debeat 5.b
Ciuitatulas vendere 766.a
Clamor theatri & ſcholæ 471.b
Clamores varij non turbarunt Senecæ animum 476.c
Clamoſus 4.a
Claranus condiſcipulus Senecæ, ſenex & deformi corpore, ſed animo viridi 495.b
Claritas quid 621.a
Claritas quæ poſt mortem contingit, ſitne bonum 620.b
Claritatis & gloriæ diſcrimen 622.a
Claſſicum & ſymphonia 496.c
Claſſico concio conuocatur 12.b
Claudianus cometes 758.b.760.d
Claudius Cæſar mitiſſimus 95.a. animam agere cœpit 763.d. fratrum mortem æquo animo tulit 102.a. in cælum ire viſus 763.b. inducitur conſolans Polybium 100.b. plures intra quinquennium culeo inſuit, quàm omnibus ſæculs inſuti leguntur 204.c. quando exſpirauerit 764.d. quantum Polybio præſtiterit 94.a.c. 95.b. ſexaginta quattuor annos cum animâ luctatus eſt 763.d. templum in Britanniâ habet 766.a
Claudij amici 788.b. auia 766.b. auus M. Antonius 101.c. auunculus Auguſtus 101.b. 766.d. cædes 766.a.d. 767.a. 768.b. clementia 100.a. 102.b. 103.b. fuſus 764.a. generi 767.a. liberti 768.a.b. manſuetudo 99.a.b. Pater 101.b. patruus ibidem. patria 765.b. pœna apud inferos 768.c. præfecti ibid.a. ſocer 767.a. vltima vox 764.d. vxor 767.a
Claudij beneficium, Auguſti iudicium malo 272.a
in Claudium iocorum plena eſt apocolocynthoſis 793.b
pro Claudio Cæſare votum Senecæ 99.a. 102.b
Claudius Caudex primus Romanis perſuaſit nauem conſcendere 224.b
Claudij Quadrigarij duodeuiceſimus annalium 309.b
Cleanthes 492.c. aquam traxit & hortulos rigauit 456.b. præcepta cum decretis philoſophiæ coniungi vult 590.c. vtilis fuit generi humano, etſi in otio vixerit 147.a. 258.a. Zenonem expreſſit 394.a
Cleanthes & Chryſippus diſcipulus eius diſſentiunt de ambulationis definitione 645.c
Cleanthis dictum 350.a. doctrina de ingrato 335.c. egregia ſimilitudo 634.b. exemplum de duobus pueris Platonem quærentibus 349.a. verſus à Senecâ Latini facti 632.b
Clemens quis 203.b
Clementia homini maximè conuenit, regi tamen & principi præcipuè 189.c. 190.a. 196.a. 197.b. reges ſecuriores reddit 195.b.c. an non pertineat ad innocentes 189.b
Clementiæ fama 38.a. opera 212.b. plures definitiones 210.a
Clementiæ contraria crudelitas ibid.b
Cleonis publicè præpoſiti χαλαζοφύλακες fuerunt 728.a
Cleonis puniti tempeſtatis obſeruatores, cùm vineę vapulaſſent, aut ſegetes ibid.b
Cleopatræ amor Antonium perdidit 548.c
Cleopatræ & Antonij defectio per Nilum ſignificata 725.c
Cleopatræ mollium vnus Chelidon 561.c
Clepſydra 430.c
Clidemi opinio de fulguratione 705.a
Clitus ab Alexandro inter epulas transfoſſus 51.b. 548.a
Clodius adulterij reus iudices corrupit 608.b
Ciceronem expulit 19.a
Clœlia equeſtri ſtatuæ inſidens 117.a
Cloſtrum 380.a
Clotho 763.d
Clypei flagrantes 757.d
Clypei ignei 681.c
Cn. Lentulus augur maximum diuitiarum exemplum 204.b
Cn. Lentuli ex paupere diuitis facti ſumma erga Auguſtum ingratitudo ibidem.
Cn. Lentuli tanta ſermonis inopia, vt citiùs pecunias auariſſimus emitteret quàm verba ibid.
Cn. Piſonis rigor, tres ob vnius innocentiam duci iubentis 14.c
Cn. Pompeius 116.b. 510.b. 628.b.c. ingratus in Remp. 337.b. villas circa Baias exſtructas montibus impoſuit 469.b
Cn. Pompeij cupiditas & ambitio notatur 596.c. mors 123.b. nepos L. Cinna 194.a. ſocer Scipio 429.b vide quoque *Pompeius*
Cocceij 195.b
Codices, tabulæ publicæ 224.b
Codicilli 200.a
Codicillos, non epiſtolas ſcribere 476.c
Coërcitio 22.b
Cognitio 342.a
Colaphis percuſſo ſapienti quid faciendum 182.a
Collectio & vomica 504.a
Collectio, id eſt, ſyllogiſmus 458.b. 464.a. 474.a. 551.c
Collina porta 337.a
Colluſor 280.a.b
Color animalium cur variabilis 685.b
Color cæleſtium non vnus 681.a
Colores quidam vim ſuam ex interuallo oſtendunt 685.d
Colorati 181.a
Coloſſus 526.d
Columbarum colla cur varij coloris 685.b. 686.d
Columbatur labris 647.b
Columnæ flagrantes 757.d
Comæ cura exprobrata 222.a
Combibendi & conuiuandi peritiſſimus 674.a
Comere capillum 691.a
Comeſſatio fulminibus territa 17.a
Commeatum dare 474.b
ex Commentario ſapere 445.b
Cometa an ſit ſidus erraticum 757.a.c
Cometes apparuit ſub Helices & Buris euerſionem 753.c. 757.a. cur non ſtet, ſed procedat 758.a lacteam viam extentus æquauit 756.d. non eſt ſubitaneus ignis, ſed inter æterna opera naturæ, ſiue ſtella eſt 758.c.d 760.a. 761.a non minor ſole ante Achaicum bellum effulſit 756.d. Paterculo & Vopiſco coss. apparens fecit quæ ab Ariſtotele & Theophraſto prædicta fuerunt 760.c. ſex menſes durans 758.b. ſole deficiente viſus ibid.a
Cometæ an in ſe terreni quid habeant 760.c. an tardè eant ibid.d. cur non citò extinguantur 758.b. in quâ parte cæli aſpiciantur 755.b. multi non videntur 758.a. quomodo fiant 753.b. 754.a. 755.c. 756.b. 757.a.c. 758.a.c. ſub Auguſto, Claudio, Nerone Cæſare, & poſt necem diui Iulij apparuerunt 758.a.b. 760.d
Cometarum curſus cur ignotus 753.a. genera 689.b.

duo

duo genera Epigeni 753.d. natura nondum perſpecta 759.b. forma 755.b. ſignificationes 760.b. de Cometis quæ conſideranda 752. d
Comici dictum 275.a
Comiſſationibus ſingulis quantum Apicius conſumpſerit 81 b
Comitia conſularia 382.b. conſularia aut prætoria 659.b
Comitia fortunæ ibid.
Comitiale vitium 46.c
Commiſſum & continuum 693.d
Commoda ſeu producta 519.b
Commoda & incommoda extra nos ſunt 586.a
Commodorum & bonorum diuerſa conditio 563.d
in Commune, dicere ſolent aliquid inuenientes 661.b
Communia pluribus modis 375.a
Communio rerum quomodo cum proprietate ſingulorum conſiſtat 369.c.370.a
Comœdiarum ſales in Socratem 185.b
Compediti 158.b
Compendiariò 516. c
Compendiaria 435.a
Compendiaria ducere 661. b
Compendium 210. b
Comperendinatio 608.c
Complanare 141.b
Componi ad dicendum 20.a
Componi ad rumorem 233.a
Componi cum inferiore 134.c
Compoſitio alia aliis in oratione placet non nimis anxia eſſe debet 616.b 651. a
Compoſitionis genera deprauata 649.b
Comprehenſiones 237.a
Computatio ſordida 313.b
Computationes 374.b
Conceptus inchoati 165.c
Conchylia ſuperi & inferi maris 135. a
Conchyliati 489.b
Conciliaturas exercere 609.a
Concio imperatoria 336.b
Concitamenta 46.a
Conclamandi ceremoniæ 250.b
Concurrit os 50.a. 273.d
Concurſatio circumcidenda eſt 162. b
Conditio omnis verſabilis eſt 161.b
Conditiuum 488. b. 542.b
Conditura 50.a
Conducta domus, & mea, & alterius 370.b
Conflagrationis mundi tempus 718.b
Congiarium 125.c. 320.c. 516.b
Congiaria 81.b.155.a.437.c
Congiaria Alexandri vrbes 279.c
Congiaria annua 219.a
Coniugem vetare in ſellâ proſtare & vulgò admiſſis inſpectoribus vehi vndique perſpicuam, ruſticum & inhumanum 267.c.268.a
Conlatrare philoſophiam 242.a
Conon defectiones ſolis collegit, ſed non meminit cometarum 753. a
Conqueſtiones 531.c
Conſalutari 249.a
Conſcientia bona 609.b bona & mala 456.a
Conſcientia grati 318.b
Conſcientiâ flagellantur facinora mala 610.a 630.a
Conſenſus publicus, veritatis argumentum 655. c
Conſiliarium fulmen 701. d
Conſilium futuri ex præterito venit 545. c. ſub die, ſeu ſub manu naſci debet 509.b
an ingrato dandum 321.b
Conſiliorum rerumque diſſimilitudo vnde 421.c
Conſolatio Marulli de filij morte 612.b
in Conſpicuo mortem habere 231.b
Conſtitutio animalium quid 667.b
Conſuetudo omnia pati docet 158.b
Conſul factus & refectus 626.a
Conſul nummulariolus 766.b. ordinarius 60.a poſtmeridianus 766. a
Conſuli quis honor exhibitus 492.b
Conſularia comitia 382.b
Contacti 45. a
Contemplationi rerum naturam nos genuiſſe docetur 256.a
Contemplatiuæ artes ſua habent decreta 599.a
Contemnenda mirari ſolemus 652.a
Contemptus vitandus 411. a. quomodo vitandus 629.b.c
Contemptus malorum 142. c
Contextus operis 630.b
Continuatio quid 693.d
Continuum & commiſſum ibidem
Contractio & torpor letalis 542.b
Contumelia quid 179.a. vnde dicta ibid.c
Contumeliâ ſapiens affici non poteſt 179.a
Contumeliæ & iniuriæ diſcrimen 174.b
Contumeliæ videntur quædam quæ tamen non ſunt 181.b.183.c.184.a
Conuerberare vitia 666.b
Conuerſatio multorum pernicioſa 395.a. virorum bonorum vtilis 594. a. mores immutat 45.a
Conuerſatio & ſolitudo miſcenda ſunt 167.a
Conuiciator 56.b
Conuictus magnorum virorum efficacior oratione 394.a
Conuiuæ deligendi 420.c.421.a
Conuiuarum cenſura ſeruo permiſſa 461.a
Conuiuator 63.b
Conuiuij ſermo qualis 491.c
in Conuiuio iacere, & torqueri, paria ne ſint 497.b 511.c
Conuiuia tempeſtiua 34.a
Conuulnerari 160.b
Corbulo iocatus in Fidum Cornelium 184.a
ad Cordubam verſus Senecæ 69.c
Cordus, vide *A. Cremutius Cordus*
Corſinium Cæſar obſedit 301. a
Corinthia 158.a. 222. a
Corinthij Alexandrum Macedonem ciuitate donant 270. b
Corinthus 91. d
Coriolanus ingratus 337. a
Corium apud Lacedæmonios formâ publicâ percuſſum 336.a
Corium petere 182.a
Cornelia Gracchorum mater fortiter liberorum mortem tulit 86.c
Corneliæ duæ liberorum ſuorum obitus magno animo tulerunt 117. b
Cornelia lex de ſicariis 768. b
Corneliam legem Sylla tulit 136. a
Cornelius Senecio eques Rom. 617.c
Cornelius Seuerus, vide *Seuerus*
Cornicines 767. b
Cornua an quis habeat, interrogantes reprehenduntur 458.a
Corollarium 352. a
Corona principe digna 207.a non honor, ſed honoris inſigne 266.b. naualis 305.a
Corona circa ſidera quomodo fiat 682.a

Coronæ, virgæ & arcus differentia 687.c
Coronæ etiam interdiu, licet rarò fiunt 682.d
Coronis subsit ne aliquid corporis certi nec ne 689.b
ad Coronam venire, relicto iudice 9.b
Coronas mittere 37.a
Corpus non est saginandum, nec athletarum modo curandum 412.b
Corpus, animi pondus & pœna 494.b. hospitium animi 664.d. velamentum animi 585.c. vinculum animi 82.c
Corporis & animi separatio infantis ex vtero materno emissioni comparatur 622.c
Corporis & animi bona, corpora esse probatur 630.b
Corporis humani & terræ similitudo 711.c
Corporis potiùs quàm ingenij exercitatio pluribus curæ est 536.a
Corporis temperatura tolli nequit 404.a
Corporis tegumenta varia 576.a
Corporum diuisio 620.c. 693.d
Corpori non est seruiendum quantum indulgendum 409.b 397.c
de Corpore quid fiat hominem egressurus animus non est sollicitus 588.a
Corrotundari 645.b. 727.b
Corsica, Græcis Cyrnus 67.d. eius descriptio 67.d. 68.a. cultores 76.c. horridus situs 77.a
ad Coruncanum redire 649.a
Coruncanium laudabat Cato 245.a
Corus an rectè à quibusdam Argestes dicatur 735.d
Coricus mons 710.d
Cossi 195.a
Cossi vrbis præfecti, viri grauis, sed vino mersi fides in secretis continendis 547.b
Cosura 74.b
Cothurnati, & elati 526.c
Cothurnati, & excalceati 398.b
Cothurno, non tantùm sipario fortiora dicta 161.a
Cotta Tectus 768.a
Cottam filium in exsilium secuta est Rutilia 87.a
Crassus 628.b. diues 245.a. 662.b. multis nimis cultus & recens 649.a
Crasso Cato oppositus 137.a
Crassum Parthis auaritia dedit 737.a
de Crasso insolens Parthus sententiam tulit 391.b
Crassus Magnus à Claudio occisus 767.a
socer filiæ Claudij ibid.
Crassi F. Magnum vocari vetuit C. Cæsar ibid.
Crastinus sine sollicitudine expectandus 406.b
Crates Stilponis audit or quid præceperit adolescentulo secretò ambulanti 402.a
Credere omnibus, & nulli, vtrumque vitium est 390.a
Crediti nomen quomodo beneficio tribuatur 313.c
Crediti & beneficij diuersa conditio 326.a
Creditor beneficij quàm pecunię diligentiùs quærendus 281.a
Creditor sæpè debitori damnatur 346.a
Creditori etiam prodigo pecunia reddenda 377.d
Creditori præter sortem extra ordinem numeratur 540.a
Credulitas plurimum mali facit 31.a
Crepax focus 647.b
Crepitus 478.a
in Cretâ insulâ fons substitit, cùm terra coli desiit 710.d
Cretici sinus 719.a
Crimina plerisque voluptati sunt 609.b
Crisin eamdem habere 546.a
Crispare 647.b
Crispulus 498.a
Crispus amicus Senecæ 68.d
Crispi Passieni egregium dictum 272.a. subtilitas, & dictum de adulatione 722.c
Crocodili à delphinis & Tentyritis vincuntur 725.c
Crocus latentibus fistulis in altitudinẽ expressus 575.c
Crœsus rex rogum suum & escendit, & exstingui vidit 162.a seruiit 462.a
Crucibus se refigere 243.c
Crudeles qui dicendi 210.b
Crudelitas acerbissima 275.a
Crudelitas quid 210.b.c. quid pessimum habeat 198.b. ferè vinolentiæ comes 549.a
Crudelitas regia inimicorum numerum tollendo auget 193.c
Crudelitatis exsecratio 205.b. exitus ibid. regnum quale 206.a
Crudelitatis & feritatis distinctio 210.b
Crustularius 477.a
Crypta Neapolitana 479.d
Crystallina 373.a
Crystallina Vedij fregit Augustus 64.b
Cubicularij supercilium 182.a
Cubiculatæ naues 379.a
Cubile humi positum 392.b. in ambitionem compositum 145.b
Culcitra 559.c. 635.c
Culina patrimoniorum exitium 268.b
ad Cultrum vel ad gladium locare 561.a
Cumæ 475.b
Cuneare 660.d
Cupiditas hominum infinita 381.b
Cupiditas nouorum, vetera obscurat 291.b
Cupiditatis vituperium 369.a. 515.c. 573.a
Cupiditates terminandæ 159.b. 160.a. 424.a vbi terminandæ 415.b
Cupiditatum finis, timoris remedium est 393.a
Cupiditatum series infinita 420.a
Curio 114.b
Curio nonnullis nimis cultus & recens 649.a
Curiositas vitanda 47.b
Curius Dentatus primus in triumpho duxit elephantos 224.b
Curij Dentati dictum 154.a
Curius quibusdam parùm seuerus 665.b
Curium laudabat Cato 245.a
Currus non honor, sed honoris insigne 266.b
Cursor 329.b. 561.a
Cursores rarò hieran faciunt 546.a
Cursorum agmen 672.c
Curua corrigere 766.a
Custodiæ 393.a. 508.c
ex Custodiarum agmine vnus mortem rogat Cæsarem 529.c
inter Custodias quidam ad spectaculum missus cerui-cem sibi rotæ circumactu frangit 508.b.c
Cutyliarum insula natans 715.a
Cyclades sparsæ 717.c
Cylenius 767.b
Cymbala cur sonent 699.c
Cynicus nummos poscens & contemnens arguitur 279.c. 280.a
Cynici petitio Antigoni cauillatione deluditur 279.c
Cynici an rectè obuios quosque monuerint 437.a
cum Cynicis excedere hominis naturam 226.a
Cypariſſiæ 689.b
Cyprus 124.a. terræmotu agitatur 748.c
sæpiùs terræmotu vastata 582.b
Cypri imperium Antigonus patri tradidit 307.a
Cyrenaici 572.a
Cyrnus, i. Corsica 67.d
Cyri Babylonem oppugnaturi furor in Gynden fl. 54.b cupiditas 369.a

DACÆ 513.b
Dacus 679.b
Dædalus ferram commentus est 575.c
Danubius 216.b. 679.b. 717.a.
Europam Asiamque disterminat 742.a
similem Nilo naturam habere à philosophis, sed falsò traditur 724.b
Dare quid 333.c
Dare benè emensum 727.c
Dare, duos exigit 333.c
Dare & accipere contraria 334. a
Darius 662.a. primus Persas obtinuit 51.a
Darij crudelitas in Oebazi liberos ibid.
eius mater seruiit 462. a
Darium occidit Alexander 747.b
Debeatur ne aliquid ei qui inuitus profuit 347.b
Debeatur ne aliquid ei qui suâ caussâ nobis profuit 349.b
Debere, vbi locum habeat 333.a
Debitoris vasa 260. d
Debitori suo sæpè creditor damnatur 346.a
in Debitum soluere 396.b
December mensis luxuriæ & Saturnalibus dicatus 417. b
Decempeda 566 b
Decimo tribuno Lepidus ceruicem præbuit 391.b
Decius 320.a. se pro rep. deouit 502.b
Decij 361.c
Decoctor 320.a. 538.b
Decollationis remedium 13.a
Decrepitus ad ostium admotus 405.b
Decrepiti & extrema tangentes 432.c. 433.a
Decretum quid 603.c
Decreta philosophiæ 590.b. 599.b
Decreta sapientiæ necessaria esse 605.c
Decretoria arma 657.d
Decretoria hora 622.c
Decretorius stilus 199.a
Decuria prima in quâ vocem præco experitur 461.a
Decurrere sine hoste 417.c
Deductio 274.c
Deformare, i. describere 368. c
Defricare boues 350.a
Dehonestamenta 186. b
Delator 22.a
Defectio solis perfecta 688.a
Delegatione & verbis perfecta solutio 346. b
Delegationem recipere 434.c
Delicatus quidam interrogat, an sedeat 223.b
Deliciæ ad rabiem incitant 463.a
Deliciarum rabidarum vox, Quousque eadem 151.a
Deliciolum 405.b
Delos immota credita tremuit 748.b
Delphinorum & crocodilorum pugna 725.c
Demades an meritò damnauerit funeribus necessaria vendentem, indeque lucrum optantem 362.b
Demaratus Lacedæmonius à Xerxe præmiis afficitur, quia solus verum dixit 358.b
Demetrius & Antiochus Demetrij Syriæ regis liberi 756.d. post Demetrij Syriæ regis mortem effulsit cometes non minor Sole ibid.
Demetrius Cynicus magni iudicij vir 366.d.
non virtutis scientiam, sed egestatem professus est 243.b. nudus stramentis incubans, veri testis, non præceptor 422.b. eodem loco imperitorum voces habet, quo ventris crepitus 583.c.
vitam securam mari mortuo comparat 502.c
Demetrij laus 372.a. Eius dictum à Cæsare ducenta donata reiicientis 375. a. oratio quâ naturæ opes repudiat 372.a. præceptum vtrâque manu proficienti tenendum 366.d. 368.b
verba ad quemdam potentem libertinum 722.d.
vnica de diis querela 140.b. vox magnifica 134.b
Demetrium secum circumfert Seneca, & seminudum admiratur 489.b
Demetrius Pompeianus locupletior Pompeio 156.b
Demetrius Poliorcetes 401.b. Stilponem interrogat, numquid perdidisset vrbe captâ 175. a
Demetrio quid responderit Stilpon interroganti numquid perdidisset 401.b
Demochares Parrhesiastes ob procacem linguam appellatus 55.c
Democritus 226.b. antiquorum omnium subtilissimus 753.a. diu furere visus 535.a. diuitias, vti onus bonæ mentis, proiecit 142.a. semper in publico risit 24.a. 165.b
Democriti dictum 396.b. inuenta 579.a. præceptum de tranquillitate vitæ 44.a. 163.b. opinio de vento 731.d. opinio de stellis 753.a. ratio 728.c. sententia de terræmotu 746. a. volumen περὶ εὐθυμίας 149.a
Democrito obiectum, quòd pecuniam neglexerit 251.b
Denarius à seruo imputatus 61.a
Dentium dolor cur acutissimus 531.a
Dentium puerilium lapsus 311.b
Denuntiatio 593.d
Depositum non semper redditur 312.c
Deprecanea fulmina 703.d
Depudere 184.b
Descriptio virtutis cuiusque necessaria 71.b. 72.a
Desiderium suorum modicum, naturale est 110.c
Desideria ex vitio nata, insatiabilia sunt 81.c. 82.a
Desideria rerum omnium quomodo deponenda 505.b
Designatores 363.a
Despumare 29.a. 504.c. 615.a
Destillationes crebræ & longæ 530.a
Destricti pili 461.a
Deuorare verba 49.c
Deus à morte defendit etiam quę mortalia sunt 484.a.
an det beneficia 309.b. 310.a. an futura significet 700.b. cogitatione visendus est 761.a. fata quidem scripsit, sed sequitur 141.b. idem cum naturâ 311.b
in homines venit 517.a. in viris bonis habitat 453.c. magister ex occulto producit ingenia 311. b. mala omnia à bonis viris remouit 142.a. maximus potentissimusque vehit omnia 442. b. nihil habet, nudus est ibid. omnium rerum ideas in se habet 493.b. quid sit 679.c
quos probat, exercet 138.a. quomodo rogandus 402.b. sine murmuratione comitandus 632. b. vbique & omnibus præstò est 604.a. vndique in se totum redit, licet in exteriora tendat 237.a.
vniuersi arbiter & rector 415.a
Deus Epicuréus 765.d. ordinarius, & inferioris notæ 640.a. Stoicus 765.d
Deus & materia, caussæ rerum 494.a. 495.a
Deus in humano corpore hospitans est animus 443.a
Deus vndique consalutabor 249.a
Dei variæ appellationes 311.b. c. varia nomina 703. a. propositum in optimorum castigatione 140.a. vox 369.b
Dei & boni viri amicitia & necessitudo 132.a
Dei omnia plena 312.a
Deo Stoici rotundam formam tribuunt 645.b
Deo quis sit dignus 419.a

Deum inermem facit Epicurus, & extra mundum proiicit 317.a
Deum nemo nouit 442.b
Deum sequere, vetus præceptum 241.b
Deorum immortalium munus philosophia 574.a
Deorum erga nos benignitas 286.a. 309.a. 319. a. b. 354.b. cultus quis 604.b
Deorum in homines beneficia contra Epicurum asseruntur 309.b
Deorum licet omnia sint, iis tamen donum positum, & stips iacitur 370.a.b
Deorum omnia esse, quomodo intelligatur 371.a
Deos esse, ex publico consensu probatur 655.c
Deos consilij primi non pœnitet 354.a
Deos nemo sanus timet 317.a
Deos quis placatos habeat 639.d
Deos tacitè & intra nosmetipsos precamur 274.a
Deos vota & officia admonent 342.c
Deos auctores vitiis inscribere, illa incendere est 228.a
erga Deos ingrati reprehenduntur 355.a
in Deos querimonia quorumdam arguitur 285.c
per Deos fictiles olim iurabatur 81.a
Dij duodecim à Ioue in consilium vocantur 702.b. superiores & inuoluti ibid. c. gratuiti 319.c. beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perseuerant 383. b. etiam ingratis multa tribuunt 320. b. etiam malis benefaciunt 261.b. 262.a. excusantur quòd malis imperia permittant 322.a.b. 323.a. futura omnia norunt 323.a. iniuriam nec accipere queunt, nec facere 604. b. hominibus nec volunt obesse, nec possunt 32.b. nudi sunt 156. b
Diis nulla coactio, sed voluntas æterna pro lege est 354.a
Diis præter voluntatem nihil præstare possumus 377.a
Diis quæ caussa benefaciendi 604.b
Diis quæ obiici soleant 383.b
Diis nullius rei indigentibus nihilominus gratia referri potest 286.b
Diis aliter visum est, Dij melius, in diuersis dici solet 610.c
à Diis quæ petenda 402.b
cum Diis verecundè agendum 760 d
Diadumenos 493.b
Διαλεκτικὴ in duas partes diuiditur 572.c
Dialecticæ interrogationes exturbandæ sunt 544.c
Dialectica lex ibid.
Dialectica animalia 667.b
Dialectici solum curant Non & hoc 459.a
Dialecticorum libri à limine saltem salutandi, nec in iis tempus terendum 466.a. interrogationes & captiones reprehenduntur 464.a. 466.b
Dialecticorum scholis iactatum sophisma 564 a
Dialecticorum veterum distinctio inter sapere & sapientiam 656.b
Dialogorum altercatio 340.a
Dicendi celeritas in philosopho improbatur 451.c. 452.b
Dicendi genus corruptum ex corruptâ vitâ nascitur 646.c
Dicta perdere 56.a
Dictator olim magister populi dictus 636.d.637.a
Dicturi apud populum variè afficiuntur 403.b
Didymus grammaticus quattuor millia librorum scripsit 569. b
Dies quid 406.a
Dies vnus quomodo par sit omni ibid.
Dies ater 248.b. festus seruorum 462.b. muneris 590.a. niualis 727.c. rerum agendarum 417.b
Diei gyrus angustissimus 406.a
Diei noctisque officia commutantium reprehensio 669.a
Dies quibusdam longi videntur, noctes breues 227.b.c
Dierum festorum caussâ vestis mutatur 417.b
Diebus festis & voluptati dicatis quomodo sapientiæ studiosus se gerat ibidem
Diespiter Vicæ Potæ F. 766.b
Diffusio animi 235.c
Digitus ad caput relatus, impudici indicium 471.b
Digiti sanguine litatum nubibus 728.a
Digitis summis ambulare 642.c
Digitulos ducere 500.b
Dignatio 424.a.432.b
Dignitas faciliùs crescit quàm incipit 617.c
Diligentia quorumdam superuacua 224.a.225.b
Diluuij tempus 718. c. fatalis caussæ descriptio 716.b.717.d
Diodorus Epicuréus sibi gulam præsecuit 243.b
Diogenes à puero cauâ manu bibente doctus calicem frangit cum sui obiurgatione 575.c. Alexandrum vicit 331.b. an rectè obuios quosque monuerit 437.a. regias opes calcauit 330.b. seruiit 462. a
Diogenis dictum, cùm seruus vnicus ei aufugit 156.b. felicitas 156.a.b
Diogenis Apolloniatis opinio de fulmine & tonitru 697.c. opinio de Nili incremento examinata 726.c
Diogeni Stoico de irâ differenti adolescens proteruus inspuit 63.c.64.a
Diomedes 76.b
Dionysius maior iure multis regibus præferri potest 197.a
Dionysius tyrannus 119.a
Diplomata 196.a.374.a
Discendi cupiditas quomodo dirigenda 633.b
Discendum non semper, sed & præcipiendum 445.b
Discendum quàm diu sit 523.c
Discenti quod debeat esse propositum 633.b
Discessionum more respondere 233.b
Discingere 588.b
Disertus 318.a
Dispectus rerum 593.d
Displicentia sui vnde 149.b. 150.a
Disputationes quid sint 622.b
Disputationes dialecticorum improbantur 464.a.c
Disputatiunculæ inanes arguuntur 657.b
Distillatio vna tussim, assidua & vetus phthisin facit 522.b
Ditis ianua 768.a
Diues quomodo quis celerrimè fieri possit 416.c. 661.b
Diuitis & pauperis comparatio 537.a
Diuiti cuidam tandem panis & aqua defuit 161.b
Diuitem quem vulgò existiment 560.b
Diuites an animosiùs detrimenta ferant 156.a. cur magni videantur 526. c. mendicis miseriores 181.a. sæpè pauperibus similes sunt 82.c
Diuidere sententiam 234.b 424.b
Diuinatio è fulmine, auibus & animalibus irridetur 700.a
Diuisio nulla & nimia idem vitij habet 571.a
Diuitiæ quę sint 435.b. bonum non sunt 140.a. 562.b. 563.a. licet vtiles & habendæ sint, non tamen in bonis numerantur 247.c. 248.a. naturales 661.c. quæ sint magnæ 391.c. quo loco apud sapientem sint 245.b. 246.a. quomodo certæ fiant 344 d. 345.a
Diuitiæ tenent illum, non diuitias habet ille, dicendum 662.c
Diuitiarum contemptus 422.b. 641.b. instabilitas

bilitas 345.a. maximum exemplum Lentulus augur 284.b. modus quis 389.b. vituperatio 156.a.b. latentium in summâ terrâ signa dispositа 310.c
Diuitiis quis maximè fruatur 412.a
Diuitiis incommoda non rectè imputantur 563.b
Diuitias laudantes poëtæ facem subdunt affectibus 652.c
Diuitias parasse, multis non finis miseriarum fuit, sed mutatio 417.a
Diuitias quomodo & stultus & sapiens possideat 249.b
D. Iulius, vide *Iulius Cæsar*
Diurnum accipere 537.b
Docenti & discenti idem debet esse propositum 633.b
Doctrinę exemplaris efficacia 394.a
Δόγματα, decreta, scita, placita 599.a
Dogmata sapientiæ non esse superflua 605.c
cum Dolabrâ ire piscatum 712.c
Dolendi decor sapienti seruandus 614.b
Dolendi finem qui consilio non facit, tempore inuenit: quàm benè ab omnibus dicatur 491.a
Dolendum quomodo sit ob amicos amissos 489.c
Dolentium verba querula 531.c
Dolor omnis aut tolerabilis est, aut breuis ibid.a citò in odium venit 491.a. futurorum non est præoccupandus 408.b. qui extenditur, nec magnus esse, nec qui magnus est, extendi potest 591.a
Doloris contemptus 142.c.430.a. contumacitas 87.a. ostentatio 613.c. solatia & remedia 87.a 107.a.111.a. 531.a.b. 794.b
Doloris opinione vexamur 174.b
Dolore doloris sensus amittitur ob duas causas 531.a
Dolorum maximorum sedes in macerrimis corporis partibus ibid.
Domina seruorum beneficio seruata 300.b
Dominus, olim paterfamiliæ dictus 462.b
Dominus eiusdem rei quomodo duplex esse possit 370.c
Dominis sola seruorum corpora obnoxia sunt 299.b
Dominorum in seruos superbia reprehenditur 460.a
Dominorum iniuriis in seruos positus iudex 300.a
Dominos obuios salutamus, si nomen non succurrit 389.c
Domitius à seruo seruatus 301.a
Domitij clementiæ Augusti debentur 195.b. 196.a
Domus, pusilla respublica 462.b
Domus recta 616.b
Donari ne quid amicis, sapienti, regi, reip. possit 369.b.c. 370.a. 375.a.b
Donare, res difficilis 247.a
Donatio & munus diuersa 344.c
Donatio inconsulta 313.a
Dorica lingua 529.a
Dorus librarius 370.c
Doryphoros 493.b
Dossenni monumento inscriptus titulus 571.b
Dracones 714.b
Dracones inter pocula sinusque innoxij 35.b
Drusus Cæsar pronepos Attici 423.c
Drusus Germanicus pater Claudij Cæsaris 101.b
Drusus Libo adolescens nobilis consilium ab amitâ Scriboniâ petiit, mortémne sibi consciscereт an exspectaret 506.c. 507.a
Drusi Liuiæ F. res gestæ & mors 108.b
Drusilla in cælum ire visa 763.b
Drusillæ sororis mortem quàm acerbè tulerit C. Cæsar 103.b
Duci victor iubet 391.b
Duci iubere 14.b.15.a.55.a.164.a
Duillius primus nauali prœlio vicit 224.a
Duillij 195.b
Dupondio satur 418.a
Duramentum 145.a

EARINVS puer 545.a
Ebrietas 10.b Ebrietas interdum vtilis 168.a vnius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pensat 487.b. voluntaria insania est 548.a
Ebrietatis accusatio 547.c. 548.a. effectus 430.a
Ebrietati honor habitus 268.b
Ebrietate deuinctus animus non est in suâ potestate 547.c
ab Ebrietate quomodo deterreant Zeno & Posidonius 546.b.c
Ebrius duobus modis dicitur ibid.c
Ebrius & ebriosus differunt 547.a
Ebriis an committendus secretus sermo 547.a.c
Ebucij Liberalis laus 328.d
Ebullire animam 764.d
Echini 601.b
Ἐκνεφίαι venti vt fiant 733.d
Ectypa imago 301.b
Edictum, effatum & enuntiatum idem 656.c
Editio publicauit monumenta ingeniorum, etiam ad indignos peruentura 321.a
Educationis vis 27.b
Effatum & enuntiatum idem 656.c
Effectus quibusdam præstandus est, quibusdam pro effectu est, omnia attentasse vt efficerent 376.a
Effligere 11.b.36.a
Effocari bonis 214.b
Effractarius 503.c
Effricare rubiginem 602.c
Egere necessitatis est 401.a
Egestas & paupertas 481.a
Egestas non obstat philosophiæ studio 416.b
ad Egestum venter corpora exhaurit 719.b
Ἐγκολπίας ventus 732.d
Ἐγκύκλιοι artes 568.a
Egnatij Augusto insidiantur 194.b. 216.b
Εἰδῶλα quid Platoni 483.a
Εἰκονισμοὶ 606.b
Eiuratio bonæ spei 250.a
Electio vi & metu perit 281.b
Elementa mundi 657.c. prima 306.a. quattuor 711.a. & totidem eorum potestates 27.c
Elementorum diuisio secundùm Ægyptios 711.c
Elementorum alterni recursus sunt 710.b
Elementarius senex 448.a
Elephantem in genua subsidere & ambulare per funem iubet mimus Æthiops 555.b
Elephantes porcina vox terret 25.a
Elephanti cxx. ante currum ducti 225.b
Elephantorum gregem excelsissimus ducit 574.c
Elephantorum iugo colla submissa 35.b
Elephantorum duodeuiginti pugna cum noxiis hominibus 225.a
Elephantos quis primus in triumpho duxerit 224.a.b
Eleusis 761.b
Elleborus 549.a
Elleboro stultos curare 288.b
Ellius leno 140.a
Eloquentis votum litium numerus 362.b
Emi quæ putamus 455.b
Empedoclis sententia de naturali aquarũ feruore 714.b
Empta precibus, omni re cariora 274.a
Empta quædam pluris sunt quàm vænierunt 350.d
Emunire 203.a
Eneruata felicitas 138.b
Ennius Homerum imitatus 637.b
Ennij versus ex Ciceronis libris de Rep. ibid.a.b

apud Ennium situs multũ verborum occupauit 481.c
Ἐνοπτρίζει 747.c
Ens, vide *Quod est*.
Entia in sex modos Plato partitur 482.c
Enuntiatiuum, enuntiatum, effatum, edictum 656.c
Ephestios regio herbida, innoxia ab igne circumeunte 534.a
Ephesus 622.b
Ephorus historicus non religiosissimæ fidei, sæpè decipitur, sæpè decipit 756.d. 757.a. historiis componendis vtilior ab Isocrate iudicatus est 155.a
Epicurus an meritò reprehendat Stilponem & eos qui dicunt sapientem seipso esse contentum 399.a. 401.b. cum Metrodoro suo Athenis ignotus, & Græcię pænè inauditus 535.a.b. dolorem etiam appetit 258.b. dulce esse torqueri dicit 497.b. 503.a. duo bona agnoscit 499.c. exulcerati ventris dolore tortus beatissimum & vltimum se diem agere ait 500.a. 587.a. fortis est, licet manuleatus sit 444.b. honestè viuendum esse docet 424.b. immeritò mollia præcipere putatur 183.a. obiurgat & eos qui concupiscunt mortem, & eos qui timent 430.c. Senecæ iudicio, sancta & recta præcipit 239.b. seruos amicos vocat 631.b. Stilponis obiurgator 401.b.c Stoicis consentit 539.b. tria proficientium genera facit 470.b. voluptatis magister certis diebus famem experiri solitus 418.a
Epicuri angelus Seneca 422.b
Epicuri dicta 407.a. 409.a. 412.a. 415.b. 417.a. 419.a. 420.c. 422.b. 426.b. 427.c. 430.d. 432.a. 433.c. 435.b. 436.d. egregium dictum 396.b. 609.c. dictum de philosophiæ seruitute 398.a. dictum omnibus philosophis commune 438.b. dictum, Stilponis voci simile 401.c.
Epicuri dicta cur commemoret Seneca 424.b. inepta distinctio de beatitudine ex virtute & voluptate 553.a. epistola 399.a. 400.a. 401.b. 535.b.
Epicuri epistolæ ad Idomenea 423.b. epistola ad Idomeneum de occasione obseruandâ 425.c. epistolę ad Polyænum 418.a. obiurgatio quòd Deum inermem faciat, & tamen colat 317.a. præceptum 404.b. opinio de terræmotu 746.b. sententia nobilis ad Idomeneum 424.a. sententiæ eius cur notentur à Senecâ 444.b. sententiæ de paupertate 389.a. secta non otiosa est 258.b. & immeritò malè audit 240.a. voluptas sicca & sobria est 239.b. vox virilis 183.a.b. voces, publicæ sunt 398.a. 424.b
Epicuri non schola, sed contubernium magnos viros fecit 394.b
Epicuri hortulis quid inscriptum 424.b
Epicuro obiecta vitæ & doctrinæ dissensio 243.a obiectum quòd pecuniam consumpserit 251.b
Epicuro quę sit Dei felicitas 309.b
Epicuro testimonium redditum 291.c
cum Epicuro quiescere 226.a
Epicurum compilat Seneca 398.a
Epicuréa bonorum diuisio 499.d
Epicuréa cantilena de vano inferorum metu 430.b
Epicuréa voluptatis laudatio cur pernitiosa 239.b
Epicuréæ voces 504.b
Ἐπικούρειος θεὸς 765.d
Epicuréi duas philosophię partes ponunt 571.d
Epicureorum delicata & vmbratica turba voluptatem virtuti præferentium arguitur 308.d. opinio voluptatem à virtute diduci posse negantium refutatur 236.a. 238.a
Epicureorum vituperatio 314.b
Epicureorum & Stoicorum dissensio de sapientis otio 254.b.
Epicuréum chaos 515.a
Epigenes duo Cometarum genera facit 753.d
Epigenis opiniones de meteoris & cometis refutatæ 753.b.d. 754.a.b
Epistola non debet sinistram manum legentis implere 459.a
Epistolæ præmittere, Si vales, benè est, mos antiquis fuit 412.b
Epistolæ amicorum imagines sunt 451.c
Epistolæ clarorum virorum obscuros alioqui homines notos faciunt 423.b
Epistolæ Senecæ quales sint 521.b
Epistolę & codicilli 476.c
Epistolarum commercium vtile 450.a
Epistolis adscribendæ voces grauium auctorum 444.a
Epistomia argentea 557.a
Epulæ funereę 406.b
Eques Romanus 456.b. nomen ex ambitione natum 443.a
Equestria & locus in Equestribus 375.a.b
Equestris hereditas 293.b
Equum empturi, nudum adspiciunt 537.b. 538.a
Equi albi regium currum trahere solebant 54.b
Erasinus fluuius absorptus tandem rursus emergit 715.d. 716.a
Eretrici 570.b
Ergastulum 60.b
Erixonem equitem Rom. populus ob filium flagellis occisum, graphiis confodit 199.b
Errori non irascendum 56.b. 57.a
Errorum amor cũ errandi necessitate coniunctus 23.b
Escendere 162.a. 169.a
Essedæ transcurrentes 478.a
Essedarius 437.c
Essentia vox à Cicerone & Fabiano vsurpata 481.c
Est, i. *edit* 42.b. 638.c
Estur 50.a
Etesiæ à nautis somniculosi & delicati vocãtur 733.c. an caussa sint incrementi Nili 726.a. in Italiâ nubes consistere non patiuntur, at Indiam & Æthiopiam continuis aquis irrigant 736.b
Etesiarum caussa & tempus 733.b
Etrusci & philosophi in quibus de fulminibus conueniant & dissentiant 702.b. 703.b
Etruscorum disciplinam Attalus Græcâ subtilitate miscuit 703.d
Euander in Tiberis ripâ regna Arcadum collocauit 76.b
Euaporatio è terris varia 681.a
Eudoxus primus ab Ægypto in Græciam astrorum scientiam transtulit 753.a
Euphrates 216.b. 303.b. 679.b. 737.a
Euphrosyne Gratiarum media 264.a
Euripus 546.a. Eurípi 575.c
Euripidis opinio de Nili incremento 725.d
Euripidis versus recitati populum ad eiiciendum tragœdiæ actorem concitant 652.c. 653.a
Euronotus 735.d
Europæ Asiæque terminus 742.a
Eurus 735.b.c. Latinis Vulturnus ibid.c
Eurynome mater Gratiarum, & cur 264.a
Euthymenis Massilienses testimonium de Nili incremento 726.b
Εὐθυμίαι 149.a
Exarmare 439.b
Exauctoratus 444.a
Excalceari 526.c
Excalceati & cothurnati 398.b

Excar-

Excarnificare 201.a.429.d
Excarnificatus animus 42.c
Exceptiones nigræ 464.c
Excerpta 444.b
Excuſatiſſimus 254.a
Exemplar, inſtrumẽtum eſt cauſſę neceſſarium 494.a
Exemplar, Platonis Idea 493.b
Exempla plus proſunt quàm præcepta 394.a
Exempla quàm efficacia ſint 404.b
Exequias immaturas fax cereuſque præceſſit 161.a
Exerceri ad palum 418.a
Exercitationis finis 545.c
Exercitationes quæ conueniant, quæ non 412.c.
quæ deligendæ 168.a
Exercitus in centurias deſcribi ſolet 571.a
Exitus bonorũ mali non debent nos contriſtare 166.a
Exoleti 223.a
Exoletorum agmina per nationes coloreſque deſcripta 601.a plauſus 406.b
Exoletis articulos malaciſſandos præbere 500.b
Expetendum & adexpetendum quid 655.b
Expeti propter ſe quid dicatur 317.b
Expiationes quid proſint, ſi fata immutabilia 701.a.b
Exportatio 161.b
Exprobratrix memoria 380.a
Exſanguia ſcripta 491.c
Exſecrantium voces nocent 595.b
Exſibilare 42.b
Exſilium quid ſit 73.c
Exſilij metus vt demendus 794.b. remedia 77.a
Exſpuere ſpiritum 66.b
Exſulis paupertas nullum incommodum habet 80.a.
81.c. 82.c
Exſurdatus clamoribus 596.a
Extraordinaria imperia 305.b.337.b
Extrinſecus auſcultantes 445.a

FABELLA, i. *hiſtoria* 528.c. 565.a
Faber inquilinus 478.a
Fabrilia ferramenta non eſſe à ſapientibus excogitata 575.b
Fabianus arcus 171.b
Fabianus Papirius à Cicerone, Aſinio & Liuio ſaltem vincitur 616.c.617.a. dubitabat an ſatius eſſet nullis ſtudiis admoueri, quàm his implicari 226.a. diſertus & elegans 481.c. philoſophus verus & antiquus contra affectus impetu pugnandum ait 220 b. populo diſſerebat, ſed modeſtè audiebatur 471.b. citatur 127.a
Fabiani viri & vita & ſcientia & eloquentia egregij diſputatio expedita, non concitata 453.a
Fabiani Papirij libri ad philoſophiam pertinẽtes 617.a. libri de ciuilibus 615.c. opinio de fine mundi 716.c. oratio qualis 615.d
Fabiani pudor in ſenatu decens 404.a
Fabius cunctator 320.a. cunctando imperij vires recreauit 9.a
Fabius eques Rom. 768.a
Fabius Maximus 195.a.557.b
Fabius turpiſſimam imperatori aiebat excuſationem, Non putaui 35.a.b
Fabius Perſicus impurus in ſacerdotium propter maiores receptus 322.a
Fabij Perſici pecunia à Iulio Græcino repudiata 283.a
Fabij Verrucoſi dictum 275.b
Fabij 544.c. trecenti 322.a
Fabij ccc. non victi, ſed occiſi dicuntur 330.a
Fabricius diuitias imperator reiecit, cẽſor notauit 611.b. Pyrrhi regis aurum repulit 663.d. Pyrrhum monuit vt inſidias medici vitaret ibid. quibuſdam parùm pauper eſt 665.b. triumphalis ſenex rapes & herbas cænat quas in agro repurgando vulſit 135.a
Fabricij paupertas 134.c
Fabulæ vita ſimilis 530.a
Fabuloſum fretum 457.c
Facere, i. parare, exercitum 649.c
Faces, vide pòſt *Fax*
Fallacia fulmina 703.d
Fama 621.a.b
Fama multos non excipere, ſed eruere ſolet 535.a
Famas petere 649.c
Familia periculum adit, cùm incertum eſt an mors domini voluntaria fuerit 528.b
Familię nomina in prima parte ędiũ collocantur 302.b
Familiares olim dicti, qui nunc ſerui 462.b
Fames ambitioſa non eſt 662.c. malum panem, ſiligineum reddit 672.b. paruo conſtat 416.a
Fames & ſitis ſedatu facilis 391.c
Fames exercitus Perſici 54.a
Fax cereúſque immaturas exequias præceſſit 161.a
Faces diurnæ 681.b
Faces igneę 680.c. quomodo fiant 753.b.c
ad Faces & cereos funera ducenda 231.b
ad Faces & cereos viuere 670.b
Fanum 371.b
Faſces duodecim 60.a. honoris inſignia 266.b
Faſciam ſolue 538.a
Faſtos occupare vno nomine 17.b
Fatigatæ allocutiones 107.a
Fatum quid 311.c.701.b. idem cũ Deo 312.a.703.a
Fatum rerum commune 129.b.582.a
Fatum vnum eſt, nec fulmine mutari poteſt 701.a
Fatum non tollit philoſophiæ ſtudium 415.a
Fati lex prima 701.b. circuitus 739.d.
obiurgatio quotidiana 588.c
Fato tam diuina quàm humana reguntur 141.a.b
Fata an ita immutabilia ſint vt expiationibus & votis auerti non poſſint 701.a b.c
Fata Deus quidem ſcripſit, ſed ſequitur 141.b
Fauere ac plaudere 728.b
Fauete linguis, in ſacris dici ſolitum 250.b
Fauonius idem cum Zephyro 735.d
Fauonij indicium 682.b
Febriculæ longas deſtillationes ſequuntur 530.a
Febris dea Claudium comitatur 765.a
Febris præcordia torrens 532.b. viſcera torrens 410.a
Febris peregrinatione diſcutitur 625.a c
Febris natura 744.b
Febrium genera innumerabilia vnde 599.d
Febrem habere dicimur, cùm illa nos habeat 662.c
Febres quædam valetudinem leuant 68.c
Februarius 559.b
Felicio Senecæ oſtiarius 405.b
Felicitas auida eſt & alienæ auiditati expoſita 420.a. bracteata 652.b. eneruata 138.b. iracundiam nutrit 29.c
Felicitas diuitum perſonata 537.b
Felicitas vera vbi poſita ſit 241.c. Deo proxima 422.b
Felicitatis immoderatę incommoda 225.a. 451.a. inquietudo 447.b. intemperantia periculoſiſſima 138.b. reprehenſio 142.b
Feliciter quod agis 502.c
Felix nemo fit alienâ infelicitate 597.a
Felix vulgi, voluptatum ſeruus eſt 240.b
Felicis cognomen honori datum 199.a
Felices ad ſimilitudinem ſuorum parietum extrinſecus culti ſunt 142.b. cuius rei inopiâ laborent 357.b
Felicium exclamatio, quòd viuere non liceat 218.b
Felicium gaudia & tempora miſera 228.b
Feminæ equo donatę 117.b. podagricæ & caluæ medicorum maximum mendacem faciunt,

ciunt 600.b. per liberos ambitioſę 85.a
quædam non conſulum numero, ſed maritorum, annos ſuos computant 297.a
Feminarum adulteria ibid. luxuria & libido 86.a. 600.a. voluntas mobilis & vaga 795.c
Feminis annus ad lugendum conſtitutus 491.a
luctus ſpatium decem menſium datum 86.a
Fenerator quando malè audiat 280.b
Fenerator valetudinarius 61.a
Feneſtella 637.a
Fenus quid 374.a
Feræ nullum eſt beneficium 282.a
Feræ primę formę 135.a
Feræ hominis conuictu manſueſcunt 45.a
irâ carent, ſed non impetu 3.b
Ferarum domitores 555.b
Ferarum venatio & poſſeſſio periculoſa 240.b.c
Ferculum alienum 249.a
Fercula pro congiariis numerare 155.a
Ferias menſtruas certis diebus ſibi quidam dederunt 167.b
Feritas quid 210.b
Feritatis origo & deſcriptio 20.b
Ferrum cur effoſſum 374.a
Ferrum in igne eſt 766.c
Feſti dies cur inſtituti 167.b. quomodo philoſopho agendi 417.b.c. vide *Dies*
Fictiles 443.a
Fictiles dij 81.a
Fictilia 393.a
Fides 568.c
Fides hominum impreſſis ſignis creditur 296.a
Fides penes auctores erit, dictum hiſtoricorum 727.a. 764.d
Fidiculæ 42.a. 53.a. 123.a
Fido Annæo longior 722.d
Fidus Cornelius ob Corbulonis contumelioſum dictum lacrimatus eſt 184.a
Figuli rotę inuentor 579.a
Figura 277.a
Filiæ malè conſulens 320.b
Filius quantum patri debeat 304.a.c
Filio datum beneficium, an ad patrem pertingat 339.b
Filiorum exempla patres beneficiis vincentium 306.c.
exempla patres illuſtrantium 304.c
Fines Athenienſium aut Campanorum quos vocemus 370.a
Finita fulmina 703.b
Finitio 3.b
Finitor ſeu finiens, ὁρίζων Græcis 736.a
Fiſcus 371.a. tanti eſt, quantum habet 562.a
Fiſci in angulo iacentes 60.c
Fiſtulæ plebeię 557.a
Fitilla religioſi 266.c
Flacci mors 489.c
Flamma ingentis pilæ ſpecie viſa 680.b
Flaminius circus 338.a
Flaui cur iracundiſſimi 28.a
Flectendum interiùs in curſu, circi certamine, & vitæ ſpatiis 157.b
Flendi ius ab Homero præſcriptum 489.c
Flendi larga & aſſidua materia 93.c
Fletus primum naſcentium omen ibid.
Fletus naſcentium cauſſa 623.a
Florales ioci nudarum mulierum 609.a
Floſculi non ſunt viro ex auctoribus captandi 445.q
Fluctus quid 731.c.d
Flumen in idem bis non deſcendimus 483.c
per Flumen gratis vehens an beneficium det 352.b
Flumina in vſum hominum à Deo tributa 310.b.
cur aliquando ſiccentur, aliquando noua emergant 710.c. cur quędam æſtate augeantur 715.c.
cur quædam certis menſibus magna, certis anguſta 712.b. cur quędam in ſpecum palàm decidunt, quędam paullatim intercidunt, eademque ex interuallo reuertuntur 715.d. quædam cum ipſo mundo cœperunt 714.b. ſubterranea 734.c.d. 735.a. 742.c
Fluminum curſus quomodo continuetur 709.b.
711.a. quorumdam vis mira 714.d
Flumina magnorum capita veneramur 453.c
Fluminibus gratię non aguntur 347.c
Focale 730.a
Focos cum obſoniis tranferre luxuria commenta eſt 532.c
Fœcundas facientes aquę 715.b
Folliculi 736.c
Fontem monſtrare ſitientibus, beneficium eſt 294.a
Fontes certo tempore purgamenta eiectantes 716.a
cur aliquando ſiccentur, aliquando noui emergant 710.c. cur quidam ſenis horis pleni, ſeniſq; ſicci ſint 712.b. quidam ſacri 453.c
Fontium perpetuæ cauſſę 709.b
Forati animi 221.a
Forma Ariſtoteli idos 493.a
Forma non cauſſa eſt, ſed pars 494.a
Formido 25.a. 198.a
Formido nimia multos ad mortem coëgit 391.a
vaticinantes & attonitos reddit 749.b
Formidoloſa 140.a
Formulâ cadere 464.c
Formulâ excidere 210.a
de Formulâ diſputare 731.d
ad Formulam ſpectat 700.d
ad Formulam viuere 160.c
Fortis 318.a
Fortis quis abuſiuè 288.a
Fortis vir quis 178.a
Fortis ſine timore eſt 553.d
Fortes naturâ iracundi ſunt 26.b
Fortitudo quid 288.a. 554.a. 568.b. 646.a. tam
in Perſas quàm in altè cinctos cadit 444.b
Stoicis eſt animal 643.c
Fortuita non ſunt bona 561.b
Fortuitorum metus inanis 517.c
Fortuitorum præmeditatio & contemptus 581.c. 631.c. 646.a remedia 793.a
Fortuitis omnes ſubiecti ſunt 391.b
Fortuna neque boni neque mali aliquid nobis tribuit 610.b. non habet longas manus 542.c
quos ſibi aduerſarios aſſumat 134.b.c.
relinquenda eſt 542.c
Fortuna magna, ſeruitus magna 95.a
Fortunæ contemptus 142.c. ius nullum in præteritum 220.c. ludus 518.a. momentanea varietas 391.b. munera philoſopho vitanda 397.b. potentia 581.c. 583.a. regnum 112.b. inſtabilitas 708.a
Fortunæ bona non excluduntur à ſapiente 245.a. 246.a.b
Fortunæ certamen fortiores reddit 139.a
Fortunæ indulgentiâ opus eſt ad virtutem tendenti 242.a
Fortunæ manus ſunt homines potentes 178.a
Fortunæ nihil intactum 102.a
Fortunæ omnes copulati ſunt 159.a
de Fortunæ fide nihil ſibi promittendum 163.b
de Fortunæ iniquis præmiis quid ſentiendum 166.a
cum Fortunâ expoſtulatio 92.a. 93.b
Fora trina 23.a
Frænos mordere 169.a
Fragor 699.b

Frater, alterius frater est 334.a
Fratrum dissidentium alter si seruetur, an alteri fratrem non perisse molestè ferenti beneficium detur 340.b
Fratrum morte separatorum exempla 100.b
Fraudator beneficiorum 320.a
Frendens 15.b
Frigidum nihil sine aëre 442.a
Fritillus 767.d.768.c.d
Fritinnire 69.b
Frontis infirmitas 273.c
Frugalitas quid 416.a. commendatur 157.a. senectutem producit 484.b
Frugalitatis indiciũ non est auri & argẽti odium 392.b
Frumentum publicum 320.c
Frumentum vendenti quantum emens debeat 350.c
Frumenti publici cura 230.a
Fucinus lacus 709.b
Fugit dies Virgilio 636.a
Fugitiui diuites in mimo 648.a
Fulgere mediâ correptâ dicebant antiqui 705.a
Fulgetra ibid.
Fulgor ibid.b
Fulgores quomodo fiant 689.a
Fulguratio quid 705.a
Fulgurationis & fulminis discrimen 697.a.b.d
Fulgurationes, fulmina & tonitrua simul fiunt 696.a
Fulgurationum caussa 680.c
Fulguris caussa, nocte tranquillâ 699.a
Fulguritus 56.b
Fulguritis odor sulphureus 697.d
Fulguritorum capita ad exitũ fulminis spectant 700.a
Fullo 683.a
Fullonius saltus 413.a
Fulmen cur igneum cùm sit terram petat 698.b cur obliquè feratur 705.c. cur subitum appareat & sine ignis continuatione ibid.b.
Fulmen placabile, & pernitiosum 702.b.d
Fulmen & fulgor quid differant 705.b
Fulminis mira opera 700.a
Fulminis & fulgurationis discrimen 697.a.b.d
Fulmine cur montes plerumque feriantur 705.c
Fulmine icta verminant 700.a
Fulmini vis inest pestifera 704.b
Fulmina an à Ioue mittantur 702.b.c. 703.a.b. cur æstate plurima 705.b. futurorum prænuntia 700.a. priuata & publica 703.c
Fulminum ars triplex 700.d. auctoritas in auguriis & auspiciis ibid. caussa 680.c. diuisio iuxta Attalum 703.d. diuisio iuxta Etruscos ibid.b. tria genera iuxta Cæcinnam 701.d. genera vera 702.a. metus eximitur 705.c. metus ad quid prosit 702.d. nomina 703.c. procurationes & expiationes quid proficiant 701.a.b. vis 704.a
Fulminum scientiâ valent Tusci 700.b
Fulminant inferiora 44.a
Fulminatio 696.a.b
Fumus, hospitum indicium 491.c
Funebris laudatio, non laus, dicitur 621.c
Funerare 72.a
Funerari 83.a
Funestare 102.b
Funus tacitum 148.a
Funera quomodo deflenda 614.a
Funeribus necessaria vendens damnatus Athenis 362.b
Fur deprehensus 477.a
Furem signata sollicitant 503.c
Furant 601.a
Furentium indicia 2.a
Furiæ inferum 38.c
Furimus 602.a
Furnius quomodo patri Antonianas partes secuto venia impetratâ Augustum demeruerit 284.a
Furor ex irâ 39.b. vt curandus 591.d
Furtum quomodo sapienti fieri possit 371.b
Furtiua scelera 22.b
Futuri cur homines auidi 43.c
Futura, bona non sunt 658.a. prospiciendo molliuntur 160.c
Futurorum metus taxatur 521.a.610.d

GALATIÆ fluuius colorem animalibus mutans 714.d
Gallia cur fluminibus abundet 709.c. salubritatem cæli Circio vento debet 736.b
Galliæ populi truces & inconditi 77.a
Galliæ 679.b
Gallus in suo sterquilinio plurimum potest 765.d
Galli in Græciâ 76.a
Galli Germanos ceciderunt 8.c
Gallorum gens à Cassandro obsessa 710.d
Gallis omnibus ciuitatem si princeps dederit, quantum singuli debeant 352.c
Gallos togatos videre constituerat Claudius 763.d. 764.a
Gallio Senecæ frater 232.d. adulationis osor 722.d. in Achaiâ febricitans, nauem adscendit vt morbum euitet 625.b
Gallio citatur 733.d
Ganea 761.d
Gaudium inuectitium 427.b. verum 610.b
Gaudium securum sola virtus præstat 434.b
Gaudium ex consulatu, ex nuptiis, &c. percipere, an benè dicatur 485.b
Gaudij & voluptatis discrimen apud Stoicos ibid.
Gaudio vero soli sapientes fruuntur 427.a
Gaudia mala impropriè dixit Virgilius 485.b
Gaudia occupatorum trepida 228.a
Gaudere non potest nisi bonus & sapiens 487.c
Gausapatus 472.c
Geminus Varius Vinicium tractim dicentem, disertum negat 452.c
Gemma ministrare 136.b
Gemmea supellex 641.a
Generosus quis 456.c
Genius singulis adsignatus 640.a
de Genu pugnare 133.a
Genus generale, & genera specialia 482.b
Genus summum, Quod est ibid.
Genus Stoicis summum quodnam ibid.
Genus esse aliquod probatur 482.a
Generis humani conuitium 336.a.338.b
Geometres quid doceat 566.b.c. 568.a
Geometrarum rationes cogunt 684.c. 685.d
Geometria non facit virum bonum 565.a. ob subtilitatem lubrica 292.a
Geometriæ placita 599.a. puluis 569.c
Geometriam discere cœpit Alexander 583.b
Germania 99.b.101.b. 108.b.337.b.679.b. cur fluminibus abundet 709.c
Germanicus C. Cæsaris pater 322.b. frater Claudij Cæsaris 102.a
Germanici mors non fuit sine denuntiatione 680.b
Germanus puer protinus hastile vibrat 448.b
Germani cuiusdam ad spectaculum ducti mors fortissima 508.a
Germani, auida belli gens 742.a. capillum nodo vinciunt 676.a. iracundissimi 26.b
Germanorum animositas & patientia 8.b.139.b
Germanorum transitus non inhibuit Pyrenæus 76.a
Germanis iracundia cladis caussa 8.b
Germanis rufus crinis & coactus in nodum 57.c
Geruli 303.a

Geſtatio exercitationis ſpecies 475.b
commoda eſt 413.a
Geſtationum horæ 223.b
Gigantes 482.c
Glacies 727.b. potui miſta 729.d
Glacie rigorem potionis renouare 532.c
Gladiator ignominiam iudicat cum inferiore componi 134.c
Gladiatorem in arenâ capere conſilium, vetus prouerbium 425.b
Gladiatores 160.b.183.b
Gladiatores ira denudat 8.b
Gladiatoribus ignauis populus iraſcitur 3.a
Gladiatorius ludus 22.a
Gladiatorij muneris dies 227.c
Gladius bonus 525.a
ad Gladium vel ad cultrum locare 561.a
Globi ignei 680.c
Gloria quid 674.a ex ſcriptis & conuerſatione eruditorum comparatur 423.b. multorum conſenſum requirit 621.b. vmbra virtutis eſt, aliquando ſequens, aliquando præcedens 535.a
Gloriæ & claritatis diſcrimen 622.a
Gorgonius 558.b
Grabatus 418.a.422.b
Gracchana mala 217.a
Gracchus quibuſdam nimis cultus 649.a.
vide *C. Gracchus*
Gracchorum mater Cornelia 86.c
Gradarius 453.a
in Gradus quatuordecim deducere 294.b
Græca quomodo in Latina vertenda 149.a
Græcæ linguæ gratia 92.b
Græcæ ineptiæ 542.d
Græcę vrbes in mediis Barbarorum regionibus 75.b
Græcia maior 76.a
Græcia admiratur patrem ſacra ritè peragentem, filij morte nuntiatâ 115.a. Epicurum & Metrodorum pænè inauditos habuit 535.b
ſtellis numeros & nomina fecit 759.b
Græcus poëta 168.b. tibicen 523.c
Greci in Galliâ 76.a
Greci nominibus in ſpecies iram diſtinguunt 4.a
Greci quidam dicaces in Antigonum 55.b
Grecorum inutilia ſtudia 224.a.
prouerbium 646.d
Græcos hiſtorię coarguunt 682.d. togatos videre cupiebat Claudius 764.a
in Grecis dicendi celeritas fertur 452.c
Grecinus Iulius vir egregius à C. Cęſare occiſus 282.c. 283.a
Grecini Iulij ob non acceptam à Fabio Perſico & Rebilo infamibus pecuniam obiurgati reſponſa 283.a
vide *Iulius Græcinus*
Graij Maſſiliam incolentes, diu in Corſicâ conſederunt 76.c.77.a
Graius mons 442.b
Grammatica 561.c
Grammaticus circa curam ſermonis, hiſtorias & carmina verſatur 565.a. non erubeſcit ſolœciſmum, ſi ſciens facit 599.a. quo animo Virgilium legat 636.a. & Ciceronem 637.a
Grammatici analectę 435.a
Grammatici cuſtodes Latini ſermonis 606.b
Grammatici oculi 636.c
Grandiſcapię arbores 559.b
Grando quid 727.b. cur non hieme cadat ibid.c. cur rotunda ibid.a. quomodo fiat ibid.
Grandinis venturę ſpeculatores nubibus immolant 728.a
Graphio pungere ibid.
Graphiis confodere 199.b
Gratia ne referenda iis qui inuiti proſint 347.b
apud paucos poſt rem manet 270.a. per quę etiam felicibus referri poſſit 357.b.360.a
Gratiam referre beneficiis an res per ſe expetenda 308.c.315.c
Gratię tantum demitur, quantum morę adiicitur 275.a
Gratiam an retulerit beneficium grato animo accipiens 287.c
Gratiam an ſibi quis referre poſſit 332.a
referre ſcit ſolus ſapiens 539.b
Gratiam referre, & non reddere, dicimus 539.a
ad Gratiam reddendam quę requirantur 291.a
Gratię non ſunt furtiuę agendę, in angulo, & ad aurem 283.b
Gratias ago mihi cùm dicimus, quid velimus 334.b
Gratię Iouis & Eurynomes filię, ætate minores quàm Horę 264.a.b. cur tres, cur ſorores, cur manibus implexis, ridentes, iuuenes, virgines, ſolutâ veſte 263.b. Veneri comites datę 264.b. apud quemdam poëtam pręcinguntur ibid.a
Gratiarum nomina ibid.
Gratiis cur Mercurius adſtet ibid.
Gratuita quæ vocemus 455.b
Gratus ſine impendio 291.a
Gratus eſſe poteſt ſolâ voluntate 286.c
Grati & ingrati comparatio 298.a
Grato animo nihil honeſtius 541.b
Grati ne videantur qui incommoda precantur iis quibus obligati ſint 355.b
Gratorum duo genera 317.c
Grauia an ſint quæ tardiùs mouentur 760.c
Gregalia poma 270.b
Gregale tectorium 557.b
Gregibus maxima corpora vel vehementiſſima præſunt 574.c
Gryllus propter Xenophontem notus 304.d
Gubernator deterior ne fiat tempeſtate 554.b.c
duas perſonas habet ibid.d
Gubernator etiam qui in ſicco 318.a
Gubernator nauſeabundus 637.c
Gubernatoris temerarij & cauti comparatio 410.b
Gulæ libido inſatiabilis & luxuria 80.b.573.c. 650.c
Guloſi oculis 713.b
Gyarus 74.b
Gylippo Syracuſas petenti viſa eſt ſtella ſuper lanceam 681.b
Gymnicum certamen 26.b
Gyndes fluuius à Cyro in CCCLX. riuos diſperſus 54.b

HABENT, & non habetur 13.b
Habere dicimur febrem, cùm illa nos habeat 662.c
Habitus qualis conueniat 392.b
Habitus animi rectus 605.b
Hadrianum mare 573.b
Hadriaticum æquor 719.a
Hædi 680.b
Hæmus aliquando aquarum inops fuit 710.d
Hallucinationes 250.a
Halo quomodo fiat 682.a
Hannibal 9.a.707.d
Hannibalis crudelitas 21.a. victor Scipio 228.c

Hanni-

Hannibalem fomenta Campaniæ eneruarunt 468.c
Haphe 479.d
Harmodius & Aristogiton tyrannicidæ 376.c
Harpago liberi epulandi appositi 50.a
Harpaste Senecæ vxoris fatua, se cęcam esse nesciens 497.a.b
Harpocras Claudij libertus 768.b
Haruspices 192.b
Hasta ciuilis 2.b. prætoris 222.a
Hastulæ contra fulmina 700.a
Haterij oratoris celeberrimi celeritas in dicendo improbatur 452.c
Hecaton 264.a.280.c.393.a.394.b reprehensus 282.c
Hecatonis dictum 399.c. exemplum de Callistrato 362.a. quæstio 298.b
Hecuba minor an Helena 565.b
Hecuba seruiit 462.a
Hederæ idoneæ eliciendis ignibus 698.a
Helena an Hecuba minor 565.b
Helice mersa 747.b.748.a.c. 750.d.753.c 757.a
Helis vrbs 748.a
Heluiæ Senecæ matris infelicitas 71.b. laus 85.a. 86.b.87.c. pater 88.c. soror ibid.
Hemina sanguinis 164.a
Heminam propinare 37.a
Heraclitus in publicum procedens flebat 23.b. 24.a. 165.b
Heracleti dictum 483.c. dictum de dierum paritate 406.a. opinio de fulguratione 705.a
Heracleto cognomen fecit orationis obscuritas 406.a
Heracleoticum ostium Nili 725.c
Herba flauescit, & ad aream spectat 667.c
Herculanensis oppidi pars terræmotu corruit 738.d. 748.c
in Herculanensi villâ à C. Cæsare dirutâ 55.a
Herculaneus nodus 564.a
Herculaneus scyphus 548.b
Hercules 172.a. minimè vafer 765.a solus à Corinthiis ciuitate donatus. 270.b. totum orbem pererrauit 764.d. viuus vstus 166.b
Herculis laus 270.c. templum 765.d. vestigia 369.a. 596.c
Herculis appellatio Deo aptari potest 312.a
Hereditas equestris 293.b
Hereditatem iurisconsulti negant vsucapi posse, sed ea quæ in hereditate sunt 346.c
Herennius Macer 185.b
Hermachus 444.c ex tertiâ sorte ingeniorum 470.c
Hermachum magnum virum fecit Epicuri contubernium 394.b
Hesychia, quies 585.a
Hesiodus maior ætate, an Homerus 565.b
Hesiodus quæ nomina, & cur Gratiis imposuerit 264.a
Hesiodo Thalia Charis est, Homero Musa 265.a
Hiemantibus aquis 649.c
Hiemauit tempestas, annus, aquilo ibid.
Hieme calor sub terris non est maior 726.c
Hieme cur putei & specus caleant 743.d
Hieronymi dictum 15.b
Hieran facere 546.a
Hippias tyrannus 30.b
Hippocrates in mendacio deprehenditur ob feminarum intemperantiam 600.a.b
Hippocratis medicorum maximi exclamatio 213.d secta 599.a
Hippoperæ 560.c
Hispana machæra 542.a
Hispania 80.a. 679.b
Hispaniæ incolæ Pœni 76.a
Hispanias à contextu Africæ mare eripuit 749.c
Hispani Corsicam coluerunt 77.a. Germanos cædunt 8.c
Hispanis immunitatem si princeps dederit, quantum singuli eo nomine debeant 352.c
Hispanos togatos videre Claudius constituerat 764.a
Histriones non irati sunt, sed iratum agunt 27.a
Historiæ ingentis, minutissimè scriptæ & arctissimè plicatæ, recitator 598.b
Historica lingua 688.b.
Historicus iuratus 763.b
Historici 311.c. parelia soles vocant 687.d vel falsa, vel incredibilia referre solent 757.a
Historicorum mos, cùm multa mentiti sunt 727.a
Homerus 451.c. citatur 748.b
Homerus maiórne ætate fuerit an Hesiodus, quæstio inutilis 565.b. Neptunum ἐννοσίγαιον vocat 747.c. non fuit philosophus, quòd modò Stoicus, modò Epicuréus, modò Peripateticus, modò Academicus dicatur 565.b. Odysséa & Iliade consummatâ, principium operi suo adiecit 570.a. poëtæ nomine innuitur 483.a. rotæ figuli meminit 579.a. vni Gratiarum nomen mutauit, & in matrimonium produxit 264.a
Homeri carmina à Polybio conuersa 95.c.98.b
Homero Musa, quæ Hesiodo Charis 265.a
Homero vnus seruus fuit 83.a
Homericus Achilles 150.c. sacerdos 342.c versus 17.a.765.a
Homo quid 113.b. 454.b. in adiutorium mutuum generatus est 5.a. non est tumultuarium opus 355.a. non ex veste aut conditione æstimandus 462.c. nudus, ratione & societate munitus est 316.c. rationem proprium bonum habet, cetera cõmunia cum animalibus 524.b. saccus est 529.b. sacra res, per lusum & iocum occiditur 602.b
Homo, species est Aristoteli, Senecæ genus 482.a.b
Homini ex homine periculum vitandum 624.a
Homines cur futuri auidi 443.c. mali sunt, fuerunt & futuri sunt 268.b. 269.a. proximi à diis 286.b. quàm curæ sint Deo 354.b. quomodo æstimandi sint 526.d.538.a
Homines non sunt qui ventri obediunt 488.b
Hominum fraus ac perfidia notatur 296.b
Hominibus quomodo sit vtendum 604.b
Homunciones 654.c
Honestamentum 495.c
Honestum, verum & vnicum bonum 517.c. 518.c. 524.a. per se expetendum 308.d. 312.b. 315.c
Honestum omne voluntarium 497.a
Honestum & bonum apud alios diuersa sunt, apud Stoicos tantùm diuisa 663.b
Honestum & iucundum idem esse nequit 240.c
Honesti amor etiam malis innatus 316.a
Honesti comes ratio 313.a
Honesti & boni discrimen 660.b
Honesti & boni notitia prima quomodo ad nos peruenerit 663.c
Honor consulis & prætoris 492.b
Horæ maiores ætate quàm Gratiæ 264.a.b
Horatij Coclitis egregium facinus 664.a
Horatius Flaccus quomodo infamem describat 558.b
Horatij verba 662.a.768.a. versus 663.c. 665.c
Hospitalia fulmina 703.d
Hospitari 635.b
Hospitis ingrati pœna 325.b

Hostes tot, quot serui, prouerbium 460.b
Hostius quidam nefandæ obscœnitatis 689.c
Humanæ sortis iniqui æstimatores culpantur 285.b
Humanas res videri in deterius labi, stare tamen eodem loco 268.a
Humani officij formula 604.c
in Humanis rebus quid præcipuum sit 708.b
Humanitas 568.c
Hydra 644.b
Hyperbole 380.b
Hypocrisis notatur 392.b
Hyrcani ab Alexandro vastati 646.a

IANVS pater 766.a
Iapyx ventus Calabriæ 736.b
Idæa deorum mater 186.a
Ideæ Platonis 483.a.493.b. quid vtilitatis adferant 483.d
Ideæ definitio & explicatio ibid.a
Idos Aristoteli forma 493.a. quid ab ideâ differat 483.b
Idomeneus ex epistolis Epicuri clarus 423.b
Idomeneo scribitur de occasione captandâ 425.c
ad Idomenea nobilis sententia Epicuri 424.a
Ignis an terræmotus caussa 742.d. 743.b. quædam etiam creat 732.c. exitus mundi est Stoicis 711.b. masculus, & femina ibid.c. mirabilis in Lyciâ 534.a. naturâ adscendit, violentiâ descendit 698.b. non descendit 696.c. quemadmodum fiat 698.a. quomodo è nube gignatur 698.c
de Igne, sitne in nubibus, an ad tempus fiat, & vnde proferatur, variæ opiniones 696.b.c. 698.a
Ignes terris operti 695.d
Ignium plura genera 688.c
Ignium in aëre multæ variæque facies 680.b. in aëre visorum caussæ ibid.c
Ignominia nihil detrahit sapientis virtuti 83.b. 84.a
Ignoscere quid sit 212.b
Ilias an Odyssea prior scripta, ineptè quæritur 224.a
Illitteratus quis 335.c
Imago obscœnis admota 301.b
Imago, i. simile 586.c
Imago Attali 514.c
Imaginem suam quidam vbique vident 683.d
Imagines in atrio positæ 302.b
Imagines veterum, incitamenta animi 492.b
Imagines non solis poëtis concessæ 486.a cur adhibendæ in orationibus ibid.
Imaginaria paupertas 422.c
Imaginarius honor verborum 173.a
Imbres an amnibus continui cursus caussæ sint 709. c.d
Imbres bonis & malis communes 321.a
Impatientia quid 399.a
Impedimenta 561.a
Impendium sentire 294.a
Imperandi varia genera 200.b
Imperare sibi, maximum est imperium 646.b
Imperare, medicorum est 12.b
Imperatoris Romani vox laudata 371.b
Imperatoris Scipionis glorioſa mors 429.b.c
Imperatori etiam victo quando laus debeatur 376.a
tamquam Imperatorem videre 351.b
Imperia penes quos esse soleant 26.c
Imperiosus 303.a
Imperiosus pater 307.a
Imperitorum voces 527.a
Imperturbatus quis Peripateticis 551.c
Implere argumentis 635.b
Impluere 686.a
Impingere epistolam ingentem 598.b
Impingere in litem 655.a
Impingere laqueum 158.b
Impingere naturæ munus suum 143.a
Importuosum mare 77.a
Imprecatio quæ grauissima 640.a
Improbi argumentum 471.b
Impudici indicia ibid.
ab Impudico an captiuus se patiatur seruari 282.b
Imputat pereuntis dies 66.a
Imputatores 280.b
Inædificare 108.a
Inagitabilis 732.c
Inagitati terroribus 523.a
Inane aëri quidam permiscent 695.a
Incauti 27.a
Inclinatio, terræmotus species 746.d. 747.a
Incomitata lectica 426.a
Incommoda suo iure bona vocari possunt 509.d quædam pro his sunt quibus accidunt 134.b
Incomprehensibilis amor 196.a
Inconstantia animorum 149.b
Inconstantia hominum in suis actionibus 252.a
Incontinens sui 719.c
Incuruat iniuria 44.a
Indeclinabilis 520.c
Indefatigabilis vigilia 25.b
Indeprauata virtus 525.b
Indi 75.b. 662.a. 737.a ab Alexandro domiti 646.a
apud Indos mel in foliis arundinum inuenitur 549.c
Indicum mare 724.c
Indifferentia 543.a. alia aliis potiora 246.a
Indigere & opus esse differunt 400.c
Indignatio quorumdam dementissima 215.a
Indolentia 499.d. bonum non est 562.a
Indolescere 16.b
Indormire 238.a
Indulgentia patrum & matrum diuersa 132.b
Inemendabilis 630.c
Inemendabiles quid faciat 609.b
Inermis 111.c
Inertes & inepti vocantur philosophi 524.a
Inexercitata mens 593.a
Inexsuperabile 553.b
Iufamia 621.a.b
Infans caret ratione 667.c.674.d
in Infantibus non est summum bonum 674.b.d
Infatigabile 236.b
Infatuare 487.a
Infector gratuitus 714.d
Infelicitas consummata 451.b
Infelix arbor 50.b
Inferna fulmina 703.d
Infernus carcer 544.a
Inferorum metus vanus 430.b
Inferos terribiles fabula facit 122.a
Inferum furiæ & monstra 38.c
Infitiationes 23.a
Infitiator 298.a
Infracta ætas 216.b
Infrunita mulier 297.a
Infrunitus animus 246.b
Infulæ 84.b
Ingemiscere 246.a
Ingenium beatissimum sub qualibet cute latere potest 495.c
Ingenium nullum magnum sine dementiæ mixturâ 169.a
Ingenij publicandi gloria 396.b

Ingenia quò illustriora, eò breuiora 127.a
Ingenia Deus producit 311.b
Ingeniorum dignatio numquam interit 424.a
Ingeniorum monumenta etiam indignis publicauit editio 321.a
Ingeniorum triplex genus 470.b
Ingratus animus omnium vitiorum maximum 269.a
Ingratus quis 283.b.317.b.327.a.355.c.364.a. quam iniuriam inferat 269.a
Ingrati actio an iustè detur 292.b. huic actioni nemo iudex sat idoneus 294.a
Ingrati animi vitium cur tam frequens 260.c
Ingrati hospitis pœna 325.b
Ingrato cur nulla lex posita 316.a
Ingrato noto an vir bonus beneficium dare debeat 319.c
Ingrato sitne consilium dandum, aquam haurire permittendum, & via monstranda 321.b
Ingratum neminem esse probatur 335.a
Ingrati publicè sumus omnes 338.b
Ingrati etiam de ingratis queruntur 290.c
omnes miseri 540.c. quemadmodum ferendi sint 381.a.b. quomodo possint grati effici 262.c.263.a
Ingratorum duo genera 319.c. multa genera 290.c. plurima exempla 337.a.338.a. pœna 297.b
Ingratorum caussâ non sunt omittenda beneficia 538.b
Ingratorum turba non debet tardiores ad benè merendum facere 261.b
Ingratos ipsi facimus 260.d.280.b
Ingratos quid maximè faciat 284.b
Ingratitudo an impunita esse debeat nec ne 292.a.b
Ingratitudinis mala 316.b
Inhabilis intentioni 412.c
Iniqua quæ iudicari soleant 35.a
Initia rerum in potestate nostrâ sunt, exitus fortunæ est 411.c
Initiamenta 578.b
Initiati tantùm sanctiora sacrorum norunt 606.a
Iniuria alicui fieri potest, nec tamen ille accipere 177.a
Iniuria beneficio contraria 300.a.315.b.332.c
Iniuriâ sapiens non potest affici 172.a.b.173.a. 174.a.c
Iniuriæ & contumeliæ discrimen 174.b.
Iniuriæ opinioni non facilè credendum 30.a
Iniuriæ pœna 57.c. vindicandę tres scopi 204.b
Iniuriæ altiùs quàm merita descendunt 261.a. quomodo nos moueant 35.a
Iniuriarum materia latissimè patet 178.b
Iniurias iniuriis repensare honestum non est 36.a
Iniurias sapienti tolerabiles esse, Epicurus; iniurias non esse, Stoicus dicit 183.d
Iniuriis dominorum in seruos positus iudex 300.a
Innocentem quomodo se quisque dicat 11.a
Inobsequens arti 680.a
Inobseruatum tempus 716.b
Inobseruatus cursus 453.a
Inoperta veritas 254.b
Inoperto capite luxuriari 239.c
Inopiæ metus 409.c. remedium 642.a
Inquilini philosophorum 633.c
Inquisitio publicorum, secretorumque, teterrimum vitium 163.a.b
Inquisitor 342.b
Insania 210.b. ex irâ nascitur 39.b
Insania publica & quæ medicis traditur, nihil differunt 591.d
Insaniæ hilare genus 438.a.487.b
Insaniam hilarem insanire 239.a
Insaniæ & iræ vicinitas 419.a
Insanis suffragium & iurisdictio committitur 288.b
Insanos, quibus mens mota est, non erepta, denuntiatio & castigatio coërcuit 593.d
Insecabile 661.a
Inseparabilis 553.b.660.b
Inspuere differenti 64.a
Institores artificiorum 352.a
Institores delicatarum mercium 362.b
Insolentia hominum exagitata 303.b
Insula in Ægæo mari surrexit 698.d
Insulam suspendere 351.a
Insulæ an certioris soli 748.c. natantes 715.a. nouæ in mari enatæ 746.c.d
quædam ex se concepêre flammam 697.a
Insularum parietes ruinosi 62.b
Intabescere dolori 94.a
Intelligibile ne an sensibile sit bonum 674.b
Intemperantia litterarum 631.a
Intemperantiæ vituperium 729.c.d
Intentio 20.b
Intentionis caussa 695.a
Intercessor 661.b
Interemptor sui à quibusdam damnatur, à Senecâ laudatur 507.b
Interitui omnia obnoxia 582.c
Interiungere 168.a.546.b
Interpretes, numquam auctores 445.b
Interpungunt Latini, dum scribunt 452.c
Interquiescere 432.a.459.b.531.a
Interrogatio, i. *syllogismus* 543.a. 544.b. 546.b. 561.a.563.c
Interrogatiunculas nectere 545.a
Interuellere barbam 649.d
Inualetudinario robustior 678.d
Inuectitium gaudium 427.b
Inuenta multa cur oblitterentur 761.d
Inuenta inuenturis non obstant 534.b
Inuenta sapientiæ ampliora facienda sunt 492.a
Inuentio cuius rei difficilis 368.a
Inuentis priorum noua addenda sunt 445.c
Inuestire 647.b
Inuidere 291.c
Inuidia, pernitiosum optimis telum 517.c
ingratos facit 284.b.285.a. vitanda 159.b. 411.a. quomodo vitanda 629.b
Inuisior vox 38.c
Inuitum nihil faciendum 488.c.
Inuolutissima res 741.b.c
Inuulnerabile 173.b
Inuulnerabilis animus 330.c.399.b
Ioculare conuicium 180.a
Ionium mare 573.b
Iphicratis responsum, cùm ei mater barbara obiecta esset 186.a
Ira quid 18.d.20.a. affectus ex omnibus maximè rabidus 1.c.2.a. voluntarium animi vitium 19.a. an sit secundùm naturam 5.a. an quia vtilis sæpè fuit, assumenda sit 6.a. breuis insania 1.c. cur vitanda 419.b. feritatis & crudelitatis procreatrix 20.b. iudicio ne an impetu incipiat 18.c. muliebre maximè & puerile vitium 16.b. pernitiosa seruientibus 50.c. quomodo excidenda, vel certè refrænanda sit 40.b. sitne ad fortitudinem necessaria 7.b.16.a. sitne necessaria aduersus hostes 8.b.

ſitne pœnæ cupiditas 3.a. ſitne virtutis calcar 41.c. ſitne vtilis 24.b
Ira aliena quomodo lenienda ſit 64.a
Irâ carent omnia præter hominem 3.b
Iræ cauſſę 27.c.28.a.b. 29.b.c.30.a.32 a. 35.a. 60.b.61.a. 62.a. comites 25.c. comparatio cum ceteris affectibus 40.c. contentio cum luxuriâ 43.b. definitio 3.a. definitio Ariſtotelica ibid.b. deformitas & periculum 38.b.39.b. effectus & damna 2.b.26.b.41.a.53.b.65.a. fœditas 40.c. 41.c. incitamenta varia 19.a. inconſtantia 14.a. ineptitudo ad iudicia & ſententias ferendas 15.a.b. 41.a. irritamentum primum reprimendum 6.b. locus 28.a. pertinacia in iudiciis & ſententiis ferendis 14.b. rabies 15.a.b. 42.a. remedia duo 27.b. remedium maximum mora 34.a.40.c. 48.a
Irę & inſanię vicinitas 419.a
Iræ & iracundię diſcrimen 4.a
Irę præpotentum exempla 49.b
Iræ ſitne aliqua voluptas 36.a
Iram ſupprimi poſſe, exemplis demonſtratur 49.b.c. 50.a
Irę feminarum & puerorum acres magis quàm graues 28.a
Irarum differentię 4.a
Iracundia numquam admittenda, interdum ſimulanda eſt 26.a. ſimplicitatis indicium 43.a
Iracundię leuiſſima initia 59.b. ſolertia ad fingendas furoris cauſſas 15.a
Iracundię quinam opportuni ſint 27.c
Iracundi ſimplices dicuntur ibid.a
Iracundis quæ ſequenda,quę vitanda ſint 43.b. 44.a.45.a.b.46.a.47.b
Iracundiſſimi qui 10.c
ne Iraſcamur, quomodo pręſtetur 43.b
Iraſcantúrne qui in innocentes ſæuiunt 20.b
Iraſcendúmne ſit malis & peccantibus 10.c
Iraſcentium verba minacia ſunt, mens trepidiſſima 16.c
Iraſcíne debeant boni viri pro ſuorum iniuriis 9.b
Iraſcíne debeat ſapiens 21.b.c
Iraſci punientem non decet 11.b
Iraſci quibus ſoleamus & quàm rectè 32.a
Irati deſcriptio 2.a.44.a
Irati an voces emittant quę magno emiſſæ videantur animo 16.b
Iratorum habitus qualis 42.b
Iris, vide *Arcus*
Irrationalis animi pars bipartita eſt 585.a
Irremediabilis 647.b
Iſocrates Ephorum à foro ſubduxit 155.a
Iſter fl. 679.b.726.a. cum mundo cœpit 714.b. circa Iſtrum vagarum gentium tolerantia 139.b
Italia præpotens 77.a. cur riuis abundet 709.c
Italię latus quod infero mari alluitur, maior Græciâ fuit 76.a
Italiæ locis quibuſdam peſtilens vapor exhalatur 749.a
in Italiâ virga aquæ immerſa lapideſcit 713.d
Italico agro acquiſito mos erat pomœrium proferre 225.b
Ithacę ſaxa 498.a
Iter ingredientibus quid adclamari ſolitum 750.c
Itinera vrbana ac peregrina 442.b
Iuba rex 510.b
Iuba & Petreius ſe mutuò interemerunt 133.b
Iucunda vt nobis ſint ſola honeſta, quid faciendum 673.b
Iudex & arbiter 293.a
Iudex ex turbâ ſelectorum 294.a
Iudex ingrati actioni nemo ſat idoneus ibidem
Iudex quomodo in puniendo affectus eſſe debeat 12.a. b.13.a.15.b
Iudices ex longinquis regionibus euocati 61.a
Iudicio fauor officit 148.a
Iudicium accipere 666.a
Iugurtha 162.a. 597.a
Iuliæ duę proneptes Auguſti à Claudio occiſæ 766.d
Iulius latum clauum Sextio dedit 611.c
Iulius Cæſar victoriâ liberaliter vſus eſt 59.c
I. Cæſari quomodo beneficia veteranus quidam in memoriam reuocauerit 342.a
I. Cæſari talus in Hiſpaniâ tortus ibid.
à D.Iulioan vitam accipere debuerit M. Brutus 282.a
D. Iulium plures amici confecerunt quàm inimici 59.c. vide *C. Iulius*
Iulius Græcinus de Ariſtone philoſopho rogatus quid reſponderit 437.c. vide *Græcinus Iulius*
Iulius Montanus, vide *Montanus Iulius*
Iumenta fortia dorſo 524.b
Iunior 708.d. 722.d
Iunius menſis 559.a
Iunius Prętorius 768.a
Iuno ſingulis adſignata 640.a
Iunoni ſpeculum tenere 604.a
Iupiter an fulmina mittat 702.b.c. & qualis Iupiter 703.a. an fulminibus interdum leuioribus vtatur 702.d. Capitolinus 81.a. opt. max. quis 311.b. poëtarum ineptias fert 250.a. quo antecedat virum bonum 516.c. quod mittit fulmen ſolus,cur placabile 702.d. retrogradus 759.c. vni Vulcano crus fregit, & vxorem ſuſpendit 766.d. voluptate delinitus noctem duplicauit 228.a
Iouis allocutio 632.b. color 681.a
Iouis & Eurynomes filię Gratiæ 264.a. 265.b.
Iouis vita reſoluto mundo 401.a
Ioui lintea & ſtrigiles ferre 604.a
Ioui tres manubię 702.b
Ioui de felicitate controuerſia facienda 641.d
Iouem ad pugnam vocauit C. Cæſar 17.a
cum Ioue de felicitate quis contendere poſſit 432.a
cum Ioue reponi 228.c
Iurabatur per fictiles deos 81.a
Iurandi modus 302.a
Iuriſconſultus 340.a
Iuriſconſulti negant quidquam publicum vſucapi 534.b.566.b
Iuriſconſulti pallidi, graciles 767.b
Iuriſconſultorum acutæ ineptię 346.c. verbum 693.c
Iuriſconſultorum reſponſa valent etiam non redditâ ratione 592.d
Iuriſdictio inſanis committitur 288.b
Ius fori 321.a
Iuſſo, *pro* iuſſero 481.b
Iuſtitia Stoicis animal eſt 644.b
Iuſtus Catonius prętectus Claudij 768.b
Iuuentutis ingratitudo 338.b. ſtudia 567b.
Iuuentuti magiſtratus domeſtici impoſiti 295b.
Ixion 413.b.430.b.768.c

KAIKIAΣ 735.d
Kalendarium quid 374.a
Kalendarium verſare 412.a
Kalendarij liber magnus 560.b
in Kalendario nemo beneficia ſcribit 262.c

Kalen-

Kalendis Ianuariis, i. anno nouo, legere, scribere, dicere aliquid, & in Virginem desilire solitus Seneca 546.a
Κατὰ σέρησιν, per orbationem 564.a
Κρύσταλλος quid Græcis 715.c

LABERIANVS versus totum in se populum conuertens 24.c
Labor, neque bonum, neque malum 441.c.442.a
Labor optimos citat 140.b
Labra concurrunt dicturis 403.b
in Labris primis animam habere 708.c
Lac retinet pabuli saporem 714.a
Lacedæmona seruire iussit Alexander 596.c
Lacedæmonij cur suos ciues pancratio aut cestu decernere vetuerint 329.b. liberorum indolem publicè verberibus admotis experiuntur 139.a. vnguentarios vrbe expulerunt 730.a
Lacedæmoniis corium vsum pecuniæ præstitit 336.a
Lacernæ coloris improbi 649.d
Lacertosus 497. d
Lachesis 764.a.c
Lacon impubes, ne seruiret, illisum parieti caput rupit 529.a
Lacones 544.c. trecenti 358.b
Lacrymæ iussę & iniussæ 614.a
Lacrymarum ostentatio 166.a
Lacrymandum quomodo ob nostrorum amissionem 613.c. 614.a
Lactea plaga cæli 756.d
Ladæ velocitas 551.c
Ladon fl. terræ motu effusus 748.a
Lælius Sapiens 492.c. ad exemplum eligendus 404.c. 432.b
Lælij sapientis dictum ad quendam sexagenarium 751.a. sapientia 607.a
cum Lælio viuendum 627.b
Lamellæ æruginosę 222.a
Lamellæ argenti 245.a
Lamina vtriusque materię 374.a
Lampades 689.b
Lanista 350.a
Lapides cur in quibusdam aquis non pessum eant 714.d
Lapidescere facit quædam aqua 713.d
Laquearia versatilia 575.c
Laruis dedi 766.b
Lassare fundamenta 470.c
Lassitudo corporis cauenda 46.a
à Lasso rixam quæri, vetus dictum ibid.b
Latebra 419.a
Latrunculi 224.a
Latrunculis ludere 164.b. 631.a
Latrunculatia tabula 658.b
Latifundia 566.b. 573.a
Latina via 529.c
Latinæ linguę potentia 92.b
Latini sermonis egestas 481.a.c
Latini interpungere soliti dum scribebant 452.c
Lator 154.b
Latro quis 335.d
Latrones philetę 470.a
Latronum insidiæ 795.a
Latrocinia inter rogatos 178.b
Laturam facere 768.c
Lauandi qualis mos apud veteres 558.a
Laudandi licentia aliquando datur 471.b
Laudati an Laudantis bonum sit claritas 621.a. 622.a
Laudationis commodum & incommodum 29.a
Laus & laudatio differunt 621.c
Laude dignus ibidem
Laurea in Capitolini Iouis gremio reposita 81.a
Laureatæ fores 102.b
Laurus idonea eliciendis ignibus 698.a
Lautitia ad cænas translata 648. b
Laxamentum 745.c
Lecti quam premas partem, nihil interest 63. b
Lectica formosis imposita calonibus 641.c
Lecticarius 181.b
Lectio omnis generis voluminum improbatur 388.b. varia delectat, certa prodest 457.b. cum stylo temperanda est 549.b
Legere ossa 134 b. vide *Ossa*
Lex iusti iniustique regula 313.c
Lex naturæ 391. c. 432.a
Lex à L. anno militem non cogit, à L X. senatorem non citat 231.a
Leges cum prologo improbantur 594.a. quando cœperint 574.d. quid sint 593. d
Legum auctores sapientes 574.d
Legum præses quam castigandi rationem sequatur 5. b. c
Lentulus factiosus & impotens in frontem Catoni inspuit 64.a
Leo magistrum suum bestiarium à feris protexit 282. a
Leo mansuetus & incultus 454.a b
Leones rotę motu terrentur 25. a. soluti & alligati in circo dati 225.a
Leones mappa proritat 59.b
Leonidas quàm fortiter allocutus sit Laconas 544.c
Lepidus 194.b. Augusto insidiatur 216. b. suum exercitum fugit 724.a
Lepidus Decimo tribuno ceruicem præbuit C. Cæsaris iussu 391.b
Lepidum principis ornamenta tenentem per multos annos tulit Augustus 196. a
Libarij exclamationes 477.a
Libellum amici bonis suspensum deiicere 314. a
Liber inuentor vini cur dictus 168 a
Liberi currus 248.b. vestigia 270.c. 369.a. 596 c
Liberi patris appellatio Deo conuenit 312.a
Liber patrimonij 374.b
Libri Ciceronis, quomodo Dori vocentur 370.c
Librorum multitudo improbatur 157.c
Librorum multorum lectio pernicioſa 388.b
Libris non multis, sed bonis opus est 457. b
Liberalis tristis ob Lugdunum exustum 581.b
Liberalis Ebucij laus 328.d
Liberales multi ob frontis infirmitatem 273.c
Liberalia studia non numerantur in bonis 564.c. vide *Studia*
Liberalitas vnde dicta 247.b. non debet nepotari 271. b
Liberalitatis materia inuenitur etiam in angustiis paupertatis 267.b
Liberalitatis materia quæ sit sapienti, cuius sunt omnia 369.a
Liberi maiorâne beneficia parentibus dare possint, quàm acceperint 303.b
Liberorum vera laus 307.b. amissio vti ferenda 612.b. 794.d
Liberorum amissione non affligitur sapiens 520.c.
Libertas 186.a. 469.a. 494.b. 495.a. absoluta quæ 523.a. iusta & inter amicos data 247.b. vera 398.a. 536.b
Libertatis pars magna 672.b
ad Libertatem quod iter 50.b
Libertinus quid 443.a
Libertinorum balnea 557.a. virgunculæ 691.a

Libido 17.b
Libidinis effectus 430.b
Libidinis detestandæ exemplum 689.c
Libidini dediti quàm turpiter viuant 217.c
Libitinarij 363.a
Libra tardissimè emergit 760.a
Libramentum 331.c.354.a.688.a. 718.d
Libo Drusus 506.c
Libonotus 735.d
Licinius multos annos Lugduni regnauit 765.b
Licinus diues 662.b
Licinum diuitiis prouocant quidam 655.b
Lictor semitâ deiicit 596.b
Ligures Corsicam incoluerunt 77.a
Liminis introitus pro honore habetur 360.b
Linea pennis distincta 24.c
Lineas admoueri 465.c
Lineis & pinnâ clusæ aues 198.a
Linguarium dare 325.a
Linteatus senex 250.b
Λὶψ, Latinis Africus 735.d
Litare 502.b
Liternum 556.a
Literni Scipio exsulabat 469.b
Litigare 727.d.729.b
Litis ordinator 639.a
Litium numerus, eloquentium votum 362,b
Litteræ seruiles 158.a
in Litteram senes orbos digerere 504.b
Litterarum inutilium studia reprehenduntur 224.a
Litteratura prima 567.b
Litura 237.a
Liuia vxor Augusti 107.c. Areo philosopho se consolandam præbuit 109.b
Liuiæ consilium Augusto datum 194.b. filius Tiberius 109.b. luctus ob Drusi mortem 108.b
Liuius Drusus primus turbam suam segregare instituit 360.b. queritur, quòd nullæ sibi, ne puero quidem, feriæ contigerint 217.a.b
Liuij Drusi immatura ambitio,& mors 117.b. 217.b
Liuius Alexandrinam bibliothecam laudat 158.a. dialogos & libros philosophicos scripsit 617.a. Eurum, Vulturnum vocat 735.c
Liuij viri disertissimi dictum improbatur 16.c. vide *T. Liuium*
Loculamenta librorum tecto tenus exstructa 158.b
Loculis integris argentum fulmine conflatum 700.a. 704.b
Locus moribus salubris quis eligendus, & quis vitandus 468.b.c
Locus non multum ad tranquillitatem confert 476.a. non multum confert studiis 626.a
Loci commutatio, grauis non est 74.a
Locorum mutatio vitanda 388.b. mutationibus nihil proficiunt vitia secum circumferentes 436.a
Loryma vrbs 713.b
Lucani saltus 150.c
Lucifugarum turba 671.b
Lucis ictus & calor 733.b
Lucis & splendoris discrimen 423.b
Lucilius clarus redditus epistolis Senecæ ibid.c. distillationibus & febriculis vexatus 530.a. Siciliæ procurator 722.b.724.a
Lucilij carmen de Ætnâ 534.b. laus 419.c. 420.a.723.b. poëma 716.a. versus 398.b. 430.c
Lucius C. Cæsaris frater 101.b
L. Bibulus vno die duos filios, consulatum anno luxit 116.a
L. Cinna Cn. Pompeij nepos insidiis Augusto structis veniam consequitur 194.a
L. Piso vrbis custos, arcana ab Augusto commissa, quamuis ebrius, continuit 547.b
L. Sylla tam felix, deorum crimen 115.a. Corneliam legem tulit 136.a. ingratus, quia patriam durioribus remediis quàm pericula erant, curauit 337.a. meritò tyrannus ob crudelitatem appellatur 197.a. primus in circo leones solutos dedit 225.a. quomodo filij mortem tulerit 114.c
L. Syllę crudelitas in Marium 52.a
L. Syllæ tyrannis 135.b. vide *Sylla*
L. Syllanus gener Claudij 766.a. 767.a. à Claudio occisus 766.d
L. Vinicij comes Varus 670.c
Lucretia 117.a
Lucretij versus 151.a.599.b.640.b
Lucrina ostrea 532.c
Lucrum suppuraturum 222.a
Luctator magnus quis 367.a
Luctator ter abiectus 329.b
Luctatores 567.c
Luctus immodici improbatio 612.b. pertinacia vnde 111.b
Luctus tempus feminis constitutum 86.a. 491.a
in Luctu filios tondere moris erat 331.c
in Luctu quid dici solitum 58.b
Luctibus frangi, naturale non est 111.a
Lucullorum duorum dirempta morte concordia 101.a
Lucus fidem numinis facit 453.c
Ludus bestiarius 508.b. litterarius 591.b
Ludus litterarius philosophorum 510.a
Ludo eximere 211.b
Ludorum ordinem perlegere 658.b
Lugdunensis colonia, prouincialium ornamentum monti imposita, centesimo ab origine suâ anno exusta est 581.b. 582.b. 583.a
Lugdunum 765.b
Lugendi quomodo sint amici 489.c
Lugubria 86.a
Lunæ quid debeatur 353.a. 354.a
Lunæ & solis circuitus commoda 318.c
Lunare sidus æstus marini caussa 131.b
Lunaris orbita irreuocabilis 755.a
Lupus 768.b
Luscitiosi 291.a
Lusitanus latro 69.d
Lusor malignus 280.b
Lusoria arma 657.d
Lusoriæ naues 379.a
Lusorium spectaculum 536.a
Luxuria 17.b.479.a. iracundiam alit 32.a. non nostri sæculi vitium tantùm est 608.b. scænam desiderat 597.b
Luxuria conuiuiorum & vestium corruptę ciuitatis indicium est 648.c
Luxuriæ castigatio 80.b.641.a. 669.a.b. 691.a. 712.c.d. 729.b.c. 761.c. commenta 532.c. exempla 603.b. gradus 648.b. incrementum 576.c. loca vitanda 468.b. ministri 601.a propositum 669.b. tormenta 662.c
Luxuriæ publicæ argumentum est orationis lasciuia 647.a
Luxuriari inoperto capite 239.c
Luxuriosus diligens 388.a
Luxuriosorum natura 671.a
Lychnobius ibid.b
in Lyciâ aquæ conceptum feminarum custodiunt 715.b
in Lyciâ solum perforatum ignis circuit sine nascentium damno 534.a

Lycus fl. intercidit & renaſcitur 715.d
Lycurgus 574.d
n Lydiâ inſulæ natant 715.a
Lymphatici 749.b
Lymphatici metus 408.a. 554.a
Lynceo ſimilis acies 320.b
Lynceſtius amnis potus furore mentem mouet 714.a
Lyrici nouem 435.a
Lyricos vt legat, ſe tempus habiturum Cicero negat 466.a
Lyſimachus ab Alexandro leoni obiectus fuit 51.b. 205.b
Lyſimachi in amicum ſuum ſæuitia inaudita 51.b

MACEDONIA 216.b. terræmotu agitata 739.d
Macedoniæ opida deuorata 582.b. vrbes terræmotu prorutæ 760.c
in Macedoniâ fl. albas oues faciens 714.d
Macedonis querela de hoſpite ingrato 325.a.b
Macedonum gazæ à Diogene calcatæ 330.b
Macedonicus ſermo inter Indos & Perſas 75.b
Macellum 378.a
Machæra Hiſpana 342.a
Machinatores 567.c
Macte virtute eſto, ex acie redeuntibus dicitur 500.b
Mæander fluuius poëtarum omnium exercitatio & ludus 626.d
Mecænas vir ingenioſus, & magnum exemplum Romanæ eloquentiæ daturus, niſi felicitas eum caſtraſſet 420.b. abſentis Cæſaris partibus functus eſt 648.a. ab Auguſto deſideratur 359.b. ingenium grande & virile habuit, niſi illud ipſe diſcinxiſſet 588.b
Mecænatis dictum 325.a. dictum è libro qui Prometheus inſcribitur 420.b. infelices moroſæ vxoris repudia deflentis vigiliæ 136.a. vt vita diſcincta, ſic oratio ſoluta 647.a verba citata ibid.b. verſus 588.b.
Mecænatis veſtitus & comitatus mollitiem præ ſe tulit 648.a. votum turpiſſimum 618.c. & carmen effeminatum 618.c. 619.a
Mecænatem quidam deliciis prouocant 665.b
Magiſter equitum 637.a
Magiſter populi antiquis qui nunc Dictator 636.d
Magiſtri puerorum 343.a
in Magiſterium recepta mancipia 412.c
Magiſtratu Charino, i. ἄρχοντ@ Χαρίνου 418.a
Magiſtratui quando peruerſa veſtis induenda 12.b
Magiſtratus domeſtici 295.b
Magiſtratuum contemptores perperam exiſtimantur philoſophi 515.b
Magnanimitas quemlibet decet 191.b
Magneſia 710.d
Magni cognomen honori datum 199.a
Magnitudinis non eſt certus modus 455.d
Magnum à bono ſeparari non poteſt 16.c
Magi Platoni defuncto cur immolauerint 484.b
Mago imperium ablatum 51.a
Maiores virtutibus ſuis poſteros illuſtrant 322.a
Malacia 502.c
Malacisſandos articulos exoletis præbere 500.b
Malefaciendi non animus, ſed vires quibuſdam deſunt 454.d.455.a
Malleus ne priùs in vſu an forcipes 575.b
Malitia omni ſæculo ferè eadem, paullulùm dumtaxat vltrò aut citrò mota 268.a
Malitia ipſa maximam partem veneni ſui bibit: dictum Attali 540.c
Malum vnicum 174.c
Mali nullus ſenſus ad mortuum peruenit 615.a
Mala cur bonis viris accidant, cùm ſit prouidentia 130.d.132.a.b. fortuita præmeditando molliuntur 160.c. interdum honeſti ſpeciem offerunt 664.a. naturalia minùs terribilia quàm quę ex alienâ potentiâ pendent 409.c. opinione vulgi ſolùm terribilia 73.b. plura contingunt nobis quàm accidunt 640.a. quæ optimis quibuſque accidunt, pro vniuerſis ſunt 140.a. omnia remouit Deus à viris bonis 142.a
Malorum fortuitorum metus remedia 407.b. 429.c.430.a
Malorum futurorum contemptus & præmeditatio 631.c
Malorum futurorum metu torqueri, quàm ſtultum ſit 428.b
Malorum noſtrorum cauſſa 672.c
Malus nemo eſt animi cauſsâ 316.b
Mali commodis fruuntur propter bonos 320.c. nullo vitio carent 319.c. 320.a. qualia beneficia accipiant 335.b
Mali ſumus, fuimus, & erimus 268.b.269.a
Malis etiam honeſti aliquid ineſt 316.a
Mamercus Scaurus Coſ. ancillarum menſtruum ore exceptans 322.b
Mamerci Scauri dictum obſcœnum ibidem
Mancipia reiicula 461.a
Mancipia peculium pro capite numerant 536.b
Mancipia ementes vendenteſque 181.a
Mancipiorum vrbanitas contumelioſa 180.a
Manes Diogenis ſeruus 156.b
Mango 314.b.538.a
Manipulares duo de rege ſuo malè loquentes 55.a
Manlij pietas in patrem imperioſum 307.a
Manni obeſi 561.a
Manubia Ioui triplex 702.b
Manuleatus 444.b
Manupretia 618.b
Manus manum lauat 766.c
Manus iniectio 175.b
Manum tactumque quotidie pati 291.a
Manu facere morbos 215.b
Manu facere orbitatem 122.a
Manus pondere aliquo motæ 413.a
Mapalia mera facere 766.a
Mappa vrſos leoneſque proritat 59.b
Marcellinus homo ingenioſus & vrbanus, non facilis ad corrigendum, nec tamen deploratus 437.a.b
Marcello reditus à ſenatu impetratus 79.b
Marcellum Mitylenis exſulantem Brutus relinquere non potuit, Cæſar videre 79.a.b
Marcelli Octauiæ filij laus, & mors ſine fine à matre defleta 107.c. 108.a
Marcelli memoriæ celebrandæ carmina compoſita 108.a
Marcia Liuiam Auguſtam familiariter coluit 109.b
Marciæ auus 129.a. filius qualis 114.b laus 108.a liberi & nepotes 118.a. pater 105.d. ſuffragatio pro ſacerdotio filij 128.a
Marci municeps 765.b
M. Agrippa 305.a. vir ingentis animi, fatetur ſe multum debere ſententiæ Salluſtianæ de concordiâ 594.c.d
M. Allius prætor à Tiberio Cæſare ære alieno liberatur 275.b
M. Antonius auus Claudij, fratris obitum fortiter tulit 101.c. 102.a. fratri x x. legionum ſanguine parentauit 102.a
M. Antonij egregia exclamatio 344.d. conſulis latus petiit Auguſtus inſidiis 194.a
M. Antonio proſcriptionis edictum inter cænam dictatum ibid.

M. Antonium ebrietas & Cleopatræ amor perdidit 548.c
M. Brutus an à D. Iulio vitam accipere debuerit 282.a. doluit se reuerti sine Marcello exsule 79.a
M. Bruti liber περὶ καθήκοντος 603.c. liber de virtute 79.a. remedium aduersus locorum mutationem 77.b
M. Cato vterque 492.c. vide *Cato*
M. Cicero, vide *Cicero*
M. Heluius Trogus 768.a
M. Mario vicatim statuæ positæ, & ture ac vino supplicatum fuit 51.c. 52.a. eius crudele supplicium ibidem
Marcus Senecæ F. 69.b. 88.a
Mare & terra sibi vndique paria sunt 718.a
Mare vnde sit 711.c. immunda litoribus impingit 716. a.b
Maris commercium, commune bonum 320 c. 321.a
Maris nomina varia 719. a. sapor dulcis Euthymeni 726. b
Maria cur non crescant fluminum accessione 709. b.c
Marius coloniam in Corsicam deduxit 77.a
Marij ambitio reprehenditur 597.a
Marium vbi caliga dimisit, consulatus exercet 228.c. quære *C. Marius*
Mariana clades 462.a
Marmorarius faber 576.a
Marmorarij 567.a
Maro vestigator tempore Tiberij 301.b
Mars communis 10.a
Mars & Saturnus 566.c
Martis & Saturni congressus 753.b
Martis rubor remissior 681.a
Marsorum prætor 301.a
ad Marsyam concursus 359.a
Martius campus 767.d
Martius mensis 559.b
Martius tubarum sonus 19.a
Marullo filium lugenti scripta epistola à Senecâ 612.b
Massiliæ delegatum exsilium 200. a
Massiliam Graij colunt 76. c
Matella 301.b
Materia quid Stoicis & Aristoteli 493.a
Materiæ & partis differentia 694.a
Mathematica 568.b
Mathematici munus ibid.a
Mathematici 763.d
Matrimonium vnius adulterium 297 a
Matronæ quos detestentur 268.a
Maturitas imminentis exitij indicium est 127.a
Maximus cum Senecâ agit 559.c
Medendi ars 561.c. 562.a
Media ac indifferentia 543.b
Medicamentum aquatius 684.b
Medicamenta oculorum 492.b
Medicamenta valetudinario non sunt dono mittenda 270.a
Medicamentis in similitudinem veri colorari 373.a
Medicamentis polluta 236.b
Medicatorum torrentium venę 310.b
Medicina aliis in remedium, aliis in leuamentum adhibetur 592.c
Medicina & decreta & præcepta habet 599.a. etiam sceleratis opem ministrat 321.a. quando proficiat 573.a.
Medicina veterum qualis 599.c
Medicinæ vsus apud ægros, honor apud sanos 189.b
Medicus regis filiam curans 64 b
Medicus ægros perambulat 351. b. ægris prodest, sed hos non obligat 314. b. bonam valetudinem non præstat 514.b. cibi aut balnei tempus non potest per epistolas eligere 425.a. & curat & monet 592.a. quam viam teneat in curandis morbis 5.b. quando peregerit suas partes 376.a. quid ęgro præcipiat 530. c. vitam dat 306.b
Medici affectus erga ægros 180. c. infamia grauissima 362 a
Medici boni officium 351 c. 352.a
Medico quantum debeatur 350.c. 351.b
Medicum non facit peregrinatio 627.a. sanantem, non eloquentem æger quęrit 521.d
Medici antiqui multa ignorant 600.b. familiares 171.a
Medici quid mortis meditationem vocent 474.b
Medicorum lacerationes 125.b. supellex 600.a
Medicorum genua tangentes 219.a
Medicorum maximus ob feminarum luxuriam in mendacio deprehensus 600.b
Medicorum maximi exclamatio 213.d
Medicis grauis annus in quæstu est 362.b
Medus 767.c
Medi 181.b
Medi soli actionem ingrati dederunt 292.b
Medorum extrema 513.b. rex 181.a
Megalepolis 748.a
Μεγαλιηφορία 767.a
Megara cepit Demetrius 175.a
Megarici 570.b
Megistanes 423.b
Mel in arundinum foliis inuenitur 549.c. quomodo fiat ab apibus 549.c.550.a. quibusdam morbi vitio amarum 638.c
Melas fl. miræ naturę 714.d
Membratim 619.b
Meminisse & scire quid differant 445.b
Memoria certior quę nullum extra se subsidium habet 568.d. frequenti cogitatione conseruatur 291.b
Memoria beneficiorum cur caduca ibid.c. subinde reficienda 283.c
Memorię malę quàm compendiariam excogitarit sibi Sabinus 434.c.435.a
Memphis 725.a
Menander libertus C. Cęsaris 768.d
Menander velut rusticus poëta in scenam prosiluit 723.d
Mendacia in quibus os præcidi, non oculi erui solent 727.c
Menenius Agrippa ære collato funeratus est 83.a
Mens sine Deo nulla bona 517.a. sui iuris est 299.b
Mens bona à seipso impetratur, non ab alio 453.b. bona non emitur, sed mala 435.b
Mentis bonæ fundamentum & culmen 427.a. malę indicium 665.b
Mensa per multas dominorum successiones ciuitati nota 146.a
Menstruum ancillarum ore exceptans Cos. 322. b
Mensis 406. a
Mercedula 413. b
Mercenarius perpetuus 299.c
Mercurius 566.c. 767.b. 768.a cur Gratiis additus 264.a. cum Parcâ expostulat de Claudio 763.d
Mercurij nomen Deo aptatur 312.a
Meridianus circulus 736.a
Meritoria salutatio 226.b
Meritoria artificia 564.c
Meritorum frequens commemoratio odiosa 276.c. 277.b. memoria subinde reficienda 283.b
Mersati condimento suo boleti 730.a
Messalla Ætnam Siciliæ montem, vnicum dixit 468.b

Messallæ nominis origo 225.a
Messallæ Coruini disertissimi viri sententia 766.c.d
Messalla & Narcissus diu publici hostes 723.b
Messallę Augusti clementiam experti sunt 195.b. 196.a
Messallina vxor Claudij 767.a.768.a. à Claudio occisa 766.d
Messana capta Valerio Coruino nomen Messallæ dedit 225.a
circa Messanam mare fimo quiddam simile eiicit 716.b
Meta sudans 478.a
in Metallum antiquum densissi, flumina & aquas ingentes viderunt 734.d
Metalla in hominum vsum à Deo data 310.c
Metalla ferri & æris non sunt à sapientibus inuenta 575.b
Metellus cur luce priuatus 140.a
Metellus fortiter tulit exsilium 428.c
Metellus triumphans c x x. elephantos duxit 225.b
Metilius Marciæ F. 118.a.124.a. eius laus 127.a.b
Metrodorus 444.c. secundæ sortis ingeniorum 470.b. admiratur Stoicorum ἀδιάφορα, cùm tamen ipse eiusdem sit opinionis 539.b. asse toto pasci solitus 418.b. Græcię pænè inauditus fuit 535.b
Metrodori amicitia cum Epicuro ibid. dictum 412.a. dictum ex epistolâ ad sororem 611.a. epistola 535.b. opinio cognatam aliquam tristitiæ voluptatem dicentis improbata 614.c
Metrodori Chij sententia de terræmotu 745.d
Metrodorum magnum virum Epicuri contubernium fecit 394.b
Metronactis philosophi mors 588.c
Metronactis domus 523.c
Metus sceleratis perpetuus 609.c. lenocinium est muneri 269.b
Metus rerum inanis esse docetur 640.b
Metus nostri caussæ duę 441.c. remedia 407.b. 429.c.705.c.739.a.740.a.750.a
Metu futurorum malorum torqueri, quàm sit stultum 428.b
Metus lymphatici 408.a. vide etiam in *Timor*
Miles à quinquagesimo anno non cogitur 231.a
Miles bellum optat 362.b. ex confragoso fortior, vrbanus & verna, segnis 469.b
Miles Iulio Cæsari beneficia à se præstita in memoriam reuocat 342.a
Miletus l x x v. vrbium 76.a
Militis erga hospitem ingrati pœna 325.b
Miliaria 714.b
Miliaria minora 728.c
Milliarij apri 641.a
Militares viri gloriantur vulneribus 137.b
Militiæ vinculum 602.c
Mindyridis mollities 31.b
Ministerij, officij & beneficij discrepantia 298.b. 299.a.c
Ministeriis non sunt serui æstimandi 462.b
Ministratores 601.a
Miracula septem 91.c
Mirari quæ soleamus 652.a.752.b.c
Mirator sui 236.d
Mirmillo sub C. Cæsare de raritate munerum quęstus 137.b
Miser quis sit 138.a. 401.c
Miseratio 540.b
Misericordia non virtus, sed vitium est 210.c. 211.a
Misericordię genus, citò occidere 275.a
Miserum nihil est 607.c
Missilia 518.a
Missio 449.b
Missionem dare 282.b. 768.c
sine Missione ad pugnam vocare 17.a
Mithridates Armenię rex inter Caianas custodias 162.a
Mitylenæ 79.a.b
Mnester Pantomimus 768.a
Mora, iræ remedium 34.a.40.c.48.a
Moralia non omnia bonos mores faciunt 666.a
Moralis philosophiæ partitio 572.a
Moralibus quædam rationalia immixta sunt 620.b
Moderatio vocatur ignauia 458.a
Modi flebiles 566.a
Modios quinque, & quinque denarios accipiens 537.a
Molestè fero 502.c
Mollimentum 159.a
Molliter vixit: vox vitam quorumdam laudans 542.b
Monentis auctoritas quomodo prosit 592.d
Monendi ordo quis teneri soleat 107.b
Moneri velle ac posse, secunda virtus 342.c
ex Monetâ nostrâ aliquid proferre 306.a
Monitiones non sunt superuacuę 592.b.c.593.b
Monitionum genera 594.a
Monitores ad latus habendi 597.c
Monitorium fulmen 701.d.703.c
Montium cacumina an calidiora ob solis viciniam 728.d
Montanus Iulius tolerabilis poëta, & amicitiâ Tiberij notus & frigore 670.b
Montani Iulij carmen ibid. b.c
Monumenta viam disparia prætexunt 583.b
Morbus omnis tria grauia habet 530.c. aut longus, aut breuis 532.a
Morbi metus vt pellendus 409.c.410.a.794.a
Morbi prænuntia signa 46.c.521.a
in Morbo consumat 326.a
Morbi supplicia luxurię 599.d.600.a
Morbi non extimescendi, sed fortiter ferendi sunt 530.c. 532.a.b
Morbi, vitia mentis inueterata 552.b
Morborum animi & affectuum discrimen 522.b
Morborum tam varia genera vnde orta 599.c. 613.d.749.a
Morosus 4.a
Moris boni negligentia omni tempore fuit 608.b
in Mores fortuna ius non habet 448.a
Morum argumentum ex minimis interdum capitur 471.b. corruptio è turbâ & spectaculis 395.a.b. euersio quanta 602.a. corruptorum indicium oratio corrupta 648.c
Mori totâ vitâ discendum est 218.a. vnum ex vitę officiis est 529.c
Mori suâ morte, bellam rem esse, falsum verbum 505.b
Morimur peiores quàm nascimur 426.b
Morimur quotidie 430.c
Morituri cur se gratos ostendere velint 318.a
Mortalia omnia mortalium bona 611.a
Mortalitatis extendendę ratio 227.a
Mors quid 495.a. 674.a cur timeatur tantopere 543.c. 544.a. facilis & in proximo est 143.a. inter indifferentia ponitur 543.a.c. interdum in suorum vtilitatem reuocanda 625.b. naturalis est 440.a.b. naturæ lex est 751.a. nec bonum, nec malum est 122.a. numquam recusanda, aliquando adsciscenda 506.a. omnes æquat 583.b. omnibus ex æquo communis 406.a. optimum naturę inuentum 122.b. quid mali afferat 430.b. sitne ob senectutem, vel morbum, vel dolorem, sibi

conſciſcenda 484.b.485.a. ſitne occupanda an exſpectanda, cùm eam vis externa denuntiat 507.a vitam intermittit, non eripit 448.c. omnium par eſt, ſed per quæ venit, diuerſa ſunt 499.c
Mortis cauſſæ variæ 113.b. commoda 123.b. contemptores 429.a.c. 508.a. 528.a. 529.a. contemptus 143.a. 391.a. 429.a.b.c. 448.b. 530.c. 705.d. 750.a.b. contemptus & præparatio ad eam 439.c. effugia quæ homines quærere ſolent, refutata 528.c. 529.b.c. infamia certatim à multorum ingeniis aucta 544.a. malum nullum 439.c. 474.c. metus 618.c. metus remedium 794.b.c
Mortis moræ 395.b. 543.b. præmeditatio 433.c. 507.c. 542.d. 618.b. ſolatium 740.b.c. viæ variæ 50.c. 143.a
Mortis contemptus argumentum eſt animi ab altiore venientis ſede 665.a
Mortis genera alia præter ſenectutem, ſpei mixta ſunt 439.b
Mortis meditatio medicis dicitur aſthma morbus 474.b
Mortis omnes æquè timidi 426.b
Mortis timore mori ſtultitia eſt 506.b
Mortem ante oculos habere, non moleſtum ſenectuti 406.a
Mortem concupiſcentes & timentes obiurgat Epicurus 430.c
Mortem cur aliquando inuocent homines 227.b
de Morte, publica querela 339.a
Mortium ſigna an dij præmittant 680.b
Morticina caro 669.b
Mortuis nulla mala ſunt 122.a
Mortuum alienum tollere 405.b
Motus affectuum triplex 20.b
Motus quatiens terram 746.d
Motus animorum non omnes, affectus ſunt 19.b
Motus inuoluntarij ibid.a
Mucius 320.a. dexterâ ignes premit, & erroris ſui à ſe exigit pœnas 135.a. ignem vicit 611.b. ſpectator diſtillantis in hoſtili fóculo dextræ 429.a. 500.b. truncâ manu duos reges vicit 500.b
Mucij manus inſtar occiſi Porſenæ fuit 376.c
Mucio faciliùs ignouit Porſena, quàm Mucius ſibi 429.a
Muliebris in cultu inſania taxatur 373.a
Muliebria ingenia 117.a
Mulierum vituperatio 181.b
Mulio 462.b. excalceatus 560.a. perpetuarius 765.b
Mullus quinque millibus H-S emptus ab Octauio 603.b
Mullorum morientium color obſeruatus 712.d. 713.a
Mulſum à balneo poſcitur 671.b
Munda 342.a
Mundus muliebris 691.b
Mundus Dei nomen 703.a
Mundus deorum templum 371.a
Mundus non ſemper ſuum ordinem tenebit 510.c
Mundus non eſt cauſſa 494.a
Mundus vel anima, vel corpus 718.c
Mundi cauſſæ quinque 493.c. concordia ex diſcordibus conſtat 760.a. contemplatio 120.a. conflagratio 718.b. variæ dotes 318.c. 319.a. noui generatio 719.c. officium 314.a. partes 694.d
Mundum prouidentiâ regi, pluribus probatur 130.d
Munus accipi poteſt, accipiendo quod ſuum eſt 370.c
Munus munere expungere, reiiciendi genus eſt 327.a
Munera ad rogum 231.b
Munera amicorum ſæpè non differunt ab hoſtium votis 279.a
Munera duratura danda ſunt, vt memoriam excitent 270.a. ſuperuacua, aut morbum exprobratura, non ſunt mittenda 269.c. 270.a
Munerum diuinorum æſtimatores reprehenduntur 285.b
Muræna 194.b. inſidiatur Auguſto 216.b
Mures ferrum rodunt 765.b.
molas lingunt 766.a
Mures ſubterranei 712.c
Murium tergis induuntur Scythæ 576.a
Muri vſus 351.a
Murmuratio 56.b. 336.b. 632.b
Murrhinum poculum 373.a. 661.c
Murrhina & cryſtallina 672.c
Muſa Homero, Heſiodo Charis eſt 265.a
Muſcam excitare non poteſt 766.d
Muſcipula 464.a
Muſica non facit virum bonum 565.a
in Muſicâ arte bonum dicitur duobus modis 561.a.b
Muſici munus 566.a
Muſto dolia rumpuntur 547.c
Mutuari per interceſſorem 661.b
Mycenarum nobiles muri 498.a
circa Mylas ſimo quiddam ſimile è mari eiicitur 716.b
Myron Claudij libertus 468.b

N

NÆNIA 767.b
Næuis crebris diſtincta menſa 62.b
Nandi imperitos ferunt quidam lacus 714.d
Narciſſus 723.b. libertus Claudij 768.a. quos duci iuſſerit ibid.
Naſonis gener Fidus Cornelius 184.a. vide *Ouidius*
Natalis, in cuius ore feminæ purgabantur, heres fuit multorum 561.c
Natales veterum celebrandi 492.b
Natalium periti 700.c
Natalibus liberorum potiones vix honeſtæ 37.a
Natta Pinarius 670.b
Natura, Deus 311.b. 703.a
Natura cur vultus noſtros in cælum erexerit 595.c. dux vitæ eſſe debet 234.b. 236.c. homines ad contemplationem & ad actionem genuit 256.a. 257.b. paucis contenta 488.b. per conſtituta procedit 712.b
Natura rerum cur nihil dicatur perdere 333.a. eadem eſt erga omnes 583.c. ſua ſacra non ſimul tradit 761.b
Naturæ lex 391.c. 432.a
Naturæ contemplationis vſus 708.c. 741.a
Naturæ in nos meritum 316.b
Naturæ maxima gloria homo 355.a
Naturæ conuenienter viuere quid ſit 236.c
Naturæ legibus obtemperandum 632.b
Naturæ ordinem in vitæ ratione immutantes taxantur 669.a.b c.670.a
Naturæ Dei & noſtræ diſcrimen 679.d
Naturæ nihil negandum paucis contentæ 661.b
de Naturæ malignitate querela 213.b. 374.b
ſecundùm Naturam viuendum 391.c. 392.c
Naturale quas proprietates habeat 111.a
Naturalis philoſophiæ partis diuiſio 572.b
Naturalia deſideria finita ſunt 415.b
Naturalia vitia arte vinci nequeunt 403.b
Naufragij conſolatio 795.a

Naufra-

Naufrago ignoto benefacere solemus 313.b
Nauigabilia flumina 294.a
Nauigatio belli causâ suscepta improbatur 736.c.c
Nauigij gubernacula piscium exemplo facta 577.d
Nauigia quid natare faciat 695.b
Nauis bona 524.c
Naues caudicariæ 225.â. tabellariæ 527.b
Naumachiæ spectaculum secundum 508.c
Nausea maris 472.c. 473.a
Nauseabundus gubernator 637.c
Nauseare 63.b
Nauseator 473.a
Nausiphanis opinio 570.b
Nautis in tempestate terra magis quàm quidquam aliud timetur 472.b
Neapolis 123.b.465.b.479.c. terræmotu agitata 738.d
Neapolitana crypta 479.d
Neapolitanorum theatrum 523.c
Nebulæ sub terrâ 734.c
in Necessitate viuere, nulla est necessitas 406.c
Negotiatio 362.b
Negotiorum turba non obstat studiis 489.b
Negotiis alienis se offerentes 162.b
Negotiis quomodo se extricare debeat philosophiæ cupidus 425.a
Nemora suspendere 17.b
Nepotari 271.b
Nepotes 27.a
Nepotum iuuentus 601.a
Neptunus 174.a. 516.a. ἐννοσίγαιος 747.c
Neptune numquam hanc nauem nisi rectam 554.c
Nequitiæ certamen 22.b
Nero Cæsar veritatis amantissimus 742.c
ad inuestigandum Nili caput misit ibid.
Neronis Cæsaris cum Augusto comparatio 196.b.
clementia 189.a.196.a. laudes 187.d.
188.b.191.a.196.a.764.c. versus 685.b
Neronis in latrones animaduersuri vox generosa 208.c
Neronis principatu cometes sex menses visus 758.b.
760.d
Nerui, sedes dolorum 531.a
Neruorum contractio 499.c
Nesciebam, imperitorum vox 527.a
Nesida 472.b
Nestoris vita breuis naturæ respectu 529.c
Nicopolis nobilis terræmotu 748.c
Nilus 626.d.741.d. Ægyptum dilatat 748.b.
æstate augetur 715.c. cum mundo cœpit 714.b.
cur æstiuis mensibus abundet 724.b. nihil exedit, nec abradit terras 725.b. quoties non exundauerit ibid.c.d
Nili animalia 725.b. cataractæ & fragor 724.c.d.
inundationis caussa 742.c. miracula 724.d.
primum incrementum & progressus ibid.c.d.
725.a. septem ostia 725.b. caput qui inuestigarent, à Nerone missi 742.c. Nili fragor cadentis caussa vrbis transferendæ 478.a
Nili venæ, scopuli duo dicti 725.a
de Nili incremento variorum auctorum opiniones 725.d
Nilo beneficium non debetur 347.c
Nilotica aqua feminas fœcundiores facit 715.b
Niualis dies 727.c
cùm Ningat hieme ibid.
Nix quid ibid.b. fixa & dura minùs alget quàm tenera & labefacta ibid.d. vbi fiat 728.b.729.a. à quibusdam editur 730.a.
emi solita 729.b
Niuis reponendæ officinæ 730.a. asseruatio & potio luxuriosa 729.b.d
Niuem vino diluere 532.c
Nobiles quid faciat 456.b. 457.a
Nobilitas turpissimos quosdã industriis prætulit 321.c
Nobilior quisnam altero 302.b
Nocens aliquando latendi fortunam habet, numquam fiduciam 609 b.630.a
Nocens nobis posteaquam profuit, an nos debito soluat 538.c
Nocens fit etiam non nocendo 177.a
Nocitura potentibus neganda 278.b
Noctis & diei officia commutantium reprehensio 669.a
Noctes quibusdam breues videntur 227.c
Nomen lusorium 353.a
in Nomen laborare 493.b
Nominis illustris prætextus Deus 302.b
Nomina facere 247.a
Nomina lenta 341.b
Nomina secum fieri quidam nolunt 283.b
Nomenclator 163.a.421.a. vetulus 435.a
Nomenclatori memoriæ loco audacia est 265.a
Nomenclatorum aut memoria, aut manus 360.a
Nomenculatoris superbia 182.a
Nomentanum 625.a.639.d
Nomentanus luxuriæ magister 38.b.c
Non putaui, turpissima excusatio 35.a.b
circa Nonacrin in Arcadiâ aqua mortifera 714.c
Nosce te 113.a
Notarius 766.b
Noti 302.b
Notorem dare 450.c
Notorem petere 765.d
Notus ventus 735.c. Latinè Auster ibid.d
Nouatilla 88.b
Nouit tam benè, quàm pædagogos nouimus 435.a
Nouitas, magna pars mali imperitis 527.a
Nouitas pondus calamitatibus adiicit 581.c
Nouorum cupiditas, priora obscurat 291.b
Noxiissimum animal 206.b
Nubes quid 709.a. resoluta ventum facit 734.a
Nubes attritæ, cùm sint vdæ, quomodo ignem gignere possint 698.c. subterraneæ 734.c
Nubium obseruandarum periti grandinem prædicunt 728.a
Nubibus quidam immolant ibidem
in Nubibus vnde & quomodo ignis, & quâ ratione è nubibus emittatur 696.b.698.a
Nucerinorum colonia 738.d
Nudus, etiam malè vestitus 335.c
Nugatorius 447.c
Numæ nepos 636.d
Numantia 9.a.91.d
Numantiæ mœnia vnâ manu capta 176.b
Numeratio 419.a
Numeratio de domo fiet 433.c
Numerus perfectissimus 484.b
ad Numeros mouere corpus 167.a
Numidæ 561.a
Numidarum equitatus 672.c
Numidicæ crustæ 556.b
Nummarium tribunal 268.a
Nummus malus 340.b
Nummulariolus 766.b
Nundinis lauari toti veteres soliti 558.a
Nutricis cur minima auctoritas 382.b

OBIRASCENS 150.b
Obliti 290.c
Obrigescere 542.b
Obrussa 407.b
Obruta fulmina 703.d

Obso-

Obſonatores 461.a
Obſonij ſcindendi magiſter 242.b
Obſtinatio animi 525.c. 591.a
Obſtrigillare 651.c
Occaſio in rebus obſeruanda 425.b
Occaſus quotuplex 735. c
Oceanus 714.a. terrarum vinculum 120.b. ad lunę arbitrium exundat 131.b
Occaſus veſpertinus 566.c
Occupati qui dicantur 221.c
Occupatorum conditio miſera 230.b. vita breuiſſima 218.a. 220.b
Occupatio deſidioſa 222.a
Occupationes nouę veteribus ſubſtitui ſolent 228.b. non tanti eſſe debent vt philoſophiæ ſtudium differatur vel omittatur 514.a
Occupationum præmia contemnenda occupationes fugienti 426.a
Occupationibus diſtrictus quomodo ſe explicare debeat, ſi philoſophiæ ſtudium amplecti cupiat 425.a
Octaua regibus interdum prohibetur 672.b
Octauia ſoror Auguſti 101.a
Octauiæ impatiens luctus ob Marcellum amiſſum 107.c
Octauius Auguſti pater 305.a
Octauius quinque millibus H-S mullum emit à Tiberio Cæſare 603. b
Oculi erui ſolent in quibuſdam mendaciis 727.c
Oculi imbecilles 212.a
Oculorum amiſſio vt ferenda 794.d
Oculorum dolor cur acutiſſimus 531.a
Oculorum in rebus viſis fallacitas 684.a
Oculorum faſtidium reprehenditur 62. b
Oculos ægros non ſolùm curat medicus, ſed etiam monet 592. a. defatigatos liberâ luce delectant artifices 494 b
Oculos noſtros multa fugiunt 761.a
Oderint dum metuant, verſus exſecrabilis 16.b. 197.b. 209.b
Odium blandum & affabile 278.c. vitandum 410.b. quomodo vitandum 629.b
Odorifera 444. b
Odyſſea 224.a
Oebaſi tres liberi à Dario occiſi 51.a
Oenopidis Chij ſententia de Nili incremento reiicitur 726. c
Oeſtrus Græcis, Latinis aſilus dictus 481.a
Offa mortifera 24.c
Offendentia nos quomodo accipienda 34.a
Offenſationes memorię labentis 343. a
Officij, beneficij, & miniſterij diſcrimen 298.b
Officij humani formula 604.c
Officia præceptis diſponuntur 593.c
Officia ciuilia an gerat virtutis ſtudioſus 151.a. 152.b
Officiorum quàm iuris regula patet latiùs 33.a
Οἰκονομικὴ 571.c
inter Oleum & vinum occupati homines 412.c
Oliuetum alteri ponere 558.b
Oliuetum duobus modis diſpoſitum 559. a
Olympia 716.a
ad Olympia deſcendere 137.a
Olympus 767.b
Olympus & Oſſa terræmotu receſſerunt 748.a
Omen triſte matribus occurrere 109 a
Omnia fiunt ex omnibus 710.b
Omnia in omnibus ſunt ibid c
Ὂν Latinè dici nequit 481.c. ſex modis dicitur ibid.d. 482.a
Oneſicritus præfectus claſſibus Alexandri 369.a
Opera antiquis auxilium ſignificat 637.a
Opera pertinax nihil inexpugnatum relinquit 467.c
Opera vtilis non omnis beneficium eſt 321.b
Operati in canticis 223.a
Operatum ſuperuacuis ſtudium 658.a
Opertorium 559.c
Opes non ſunt bona 561.b
Opum poſſeſſio non interdicitur 419.a
Opinio nos cruciat 121.b
Opium 549.a
Optabilia ſintne omnia bona 501.b
Optantium voces nocent 595.b
Opus eſſe & indigere differunt 400.b.c
Oraculo reddita præcepta 593.a
Oratio quid 621.a. animi vultus eſt 651.b. certam regulam non habet 649.a. etiam timidiſſimis audax 433.b. qualis philoſophum deceat 616.a
Oratio popularis & philoſophi multum differt 451.c. 452.a
Oratio talis hominibus, qualis vita 646.d
Orationis celeritas Græcis potiùs quàm Latinis permiſſa 452.c
Orator iratus an aliquando melior 27.a
Oratori quando conſtet eloquentię officium 376.a
Oratori qualis oratio apud Homerum data 451.c. 452.a
Oratorius vigor 616.b
Orbatio 111.a
per Orbationem; antiqui dixerunt, quod Græci χηρεύειν 564.a
Orbis in tres diuiſus 172.a
in Orbe omnia æqualia 333.a
Orbitatis gratia 121.b
Orci ianitor 544.a
Ordinare cupiditates 402. b
Ordinare ſpes ſuas 236.a
Ordinarij 395.b
Ordinarium officium 303.a
Organorum ac tibiarum genus ex pulpito conſonabat olim 550.c
Origo omnium eadem 302.b. 456.b
Ὁρίζων ſeu finitor, ſeu finiens 736.a
Ornamenta ſua traducere 323.a
per Ornamenta ferire 722. c
per Ornamenta percuti 411.c
Orpheus 569.c
Ortus quotuplex 735.c
Os concurrit 50.a. 273.d
Os morituorum ſpongia vel panno occludi iuſſit C. Cæſar 53.a.b
Os libidini non exceptum 23.a
Os præcidi in mendaciis leuioribus ſolet 727.c
Oris libido 690.a
Oſſa Olympo olim cohæſit 748.a
Oſſa, firmamenta totius 18.d
Oſſa leguntur 37.b. 125.b. 134.b. 342. a
Oſtiarius 303.a
Oſtiarij difficultas 182.a. virga ibid.
Oſtiario difficili non iraſcendum eſt 63.a
Oſtienſis colonia 689.b
Oſtrea 601.b. 634.d
Otioſi qui vulgo dicantur 222.a. 224.a. 475.c
Otioſi ſoli ſunt ſapientes 226.a
Otium an ſapienti conceſſum 255.a. 257.c. ſectandum, ſed non iactandum 503.b
Otium ſine litteris mors eſt & hominis viui ſepultura 542.b
Otium nonnullorum occupatum 222.a
Otij ægra patientia vnde 150. a
Otij vitia negotio diſcutienda 478.c. vota 215.c
Otij philoſophici finis 151.b
Ouidius Ætnam deſcripſit 534.b. citatur 640. a

Ouidij laus & cenſura 717.c. gener 184.a.
μεταμορφώσεις 766.c
Ouidij verſus 315.a. 336.b. 683.b. 702.d. 703.a. 708.d. 713.d. 714.a. 715.d. 717. c.d. 723.d. 724.c. 727.a
Ouium ſexcentarum grex terræmotu exanimatus 738.d. 748.c
Ouium greges inficientia flumina 714.d
Οὐσία 481.c

PACVVIVS qui Syriam vſu ſuam fecit à cænâ quotidie ſe ad ſymphoniam efferri curauit 406.b
Padus fluuius 352.b
Pædagia oblitâ facie vehuntur 672.c
Pædagogium pretiosâ veſte ſuccingitur 242.b
Pædagogij apparatus 146.a
Pædagogus 29.b. 30.a. 488.a. 572.a. 591.a
Pædagogus fatuę 467.b
Pædagogus vnicuique datus deus inferioris notę 639. d. 640. a
Pædagogi publici 673.b
Pædagogos noſſe 435.a
Palla 55.a
Pallor, corporis pulſus; non affectus indicium eſt 19.b
Palma in certaminibus meliorem declarat 329.a
Palmę ſpatium ſeptimum 440.c
Palpare 46.a
ad Palum exerceri 418.a
Pamphiliæ ventus Catægis 736.b
Panætius 444 b. eleganter reſpondet adoleſcentulo quærenti, An ſapiens amaturus eſſet 654.c. quid de Cometis ſtatuerit 761.a
Pancratio decernere vetantur Lacedæmonij 329.b
Panis lapidoſus 275.b. plebeius aut ſiligineus 661.b. ſiccus 546.a. ſiligineus 672.b
Panis in fame vnus, beneficium eſt 294.a
Panis olim cinere calido & feruente teſtâ percoctus 577.b
Panis quadra non eſt beneficium 321.b
Panis hordeaci fruſtum 418.b
Pantomimæ 83.b
Pantomimi 17.a 761.d
Pantomimo non neceſſe eſt de arte ſaltandi quærere 605.b
Pantomimorum mancipia 463.a
Pantomimica ornamenta 438.b
Paphus aliquoties corruit 582.b. 748.c
Papulas alienas obſeruatis ipſi obſiti vlceribus 251. b
Par alicui par eſt 334 a
Par acerrimum 66.a. Deo dignum 133.a.
niſi Par non pugnat 38.a
Parem rationem facere 420.b
Pares ſinguli 132.b
Paria ordinaria & poſtulatitia 395.b
Paria facere 57.b. 155.a. 286.c. 294.c. 399.c. 618.b. 723.b
Parabolis in ſcribendo qui vſi 486.a
Παράδοξα, inopinata omnibus 539.b
Παρηγυρικὴ 598.a
Pararij 283.b
Parariis interpoſitis nomina facere 296.b
Parcæ tres 763. d
Parciſſimus, homo puſilli & contracti animi vocatur 288.a
Parelia quid ſint, & quomodo fiant 687.d. bina quomodo fiant 688. a
Parentatur interdiu mortuis 669.a
Parentes liberos beneficiis vincunt 330.c
Parentum amor magis in ea quorum miſeretur inclinat 498.a. beneficia in liberos 355.a. caſtigatio quemadmodum accipienda 33.a. cura de infantiâ liberorum 355.a. exhortatio ad liberos 306.c. officium 199.a. veneratio 306.b
Parentibus cur quædam priuilegia data 295.a
Parentibus maioráne beneficia liberi dare poſſint quàm acceperint 303.b
Parianus Artemidorus 684.c
Parmenidis dictum 570.b
Parricida culleo inſuitur 13.a
Parricidę cum lege cœperunt 205.a
Pars & materia differunt 694.a
Parſimonia 288.a. ſera in fundo eſt 388.a
Parſimonię laus 157.a
Parthenope 472.b
Parthus de Craſſo ſententiam tulit 391.b
Parthus infans arcum ſtatim tendit 448.b
Parthi capillum effundunt 676.a
Parthos reges ſine munere ſalutare non licet 416.c. 417.a
Parthici belli apparatus 101.b
Paruo adſueſcendum eſt 672.b
Paſithea vna Gratiarum Homero, & nupta 264.a
Paſtor eques Rom. vt dolorem ob filij mortem apud C. Cæſarem ſuppreſſerit 37.a
Patauij conditor 76.b
Pater an beneficium accipiat ab eo qui filio dederit 339.b.c.d
Pater patriæ cur princeps vocetur 199.a
Pater quidam, morte filij nuntiatâ, ſacra ritè perfecit 115.a
Paterfamiliæ olim, qui nunc dominus 462.b
Paterfamilias malus 320.b
Patri quantum præſtare debeat filius 304.a.c
Patrum & matrum indulgentia diuerſa 132.b
Paterculus & Vopiſcus Coſſ. 760.c
Pateſco 220.c
Patientia infelix 690.a
Patientię expoſitus ibid.
Patientiæ laus 139.a
Patræ de Ægio terræmotu iactato nihil audiuerunt 748.a
Patriâ carere, intolerabile non eſt 74.a
Patriam relinquendi quærendique cauſſæ varię 76.a
Patricia 161.b
Patrimonij liber 374.b
Patrimonia bina auriculis dependent 795.c
Patrimonia, maxima humanàrum ærumnarum materia 155.c. 156.a
Patrimoniorum exitium culina 268.b
Patrocli & Achillis anni 565.b
Patronus 22.a. 218.b. 768.b
Paulina vxor Senecę 625.a
Paulinus 213.c. curæ frumenti publici præfectus 229.a.b
Paulus 195. a. Perſen victum egit in triumpho 115.b. filiorum circa ſui triumphi dies orbationem magno animo tulit ibidem
Paulo bellum aduerſus Perſeum gerente, ignis lunari magnitudine apparuit 680.b
Paulus prætorius imaginem Tiberij obſcœnis admouens à ſeruo ſeruatur 301.b
Pauonum ceruix cur varij coloris 685 b
Pauper quis ſit 389.a
Pauper quomodo numquam fias 415.b
Pauper non eſt, cui nihil deeſt quod ſatis ſit 662.a. & cui modicum ſat eſt 388.a
Pauperis & diuitis comparatio 536.b. 537.a
Pauperis cella 616. b
Pauperum cellæ 418.a
Pauperibus quoque licet eſſe liberales 267.b
Paupertas non per poſitionē, ſed per detractionem ſeu orba-

orbationem dicitur 564.a
Paupertas imaginaria 422.c
Paupertas, parui possessio 564.b. cur amanda 422.a. non est mala 536.b. non obstat philosophiæ 415.d.416.a. nulli malũ nisi repugnanti 674.a. philosopho contemnenda 422.a
Paupertas & egestas 481.a
Paupertatis commendatio 389.a.416.a.791.a. contemptus 142.c.794.b.c. experimentum certis diebus faciendum 417.c.422.c. circa initia plurima mora 617.c
Paupertatis metu philosophandi tempus non est differendum 415.c
Paupertatem omnibus mensibus quidam sunt imitati 417.c.422.c
in Paupertate nihil mali est 80.a.82.c
Pausanias pœnam de ingrato sumit 325.b
Pausarius 478.a
Pax feliciot 499.b
Peccandi pudor demitur poëtarũ fabulis de diis 250.b
Peccantium multitudo consuetudinem peccandi facit 204.b. pudorem sceleris tollit 297.a
Peccantium pœna 609.c
Peccantibus non irascendum 11.a
Peccati notitia, initium salutis 436.d
Peccata quomodo vitentur 404.b.432.b
Peculium mancipia pro capite numerant 536.b
Pecunia ex quo in honore esse cœpit, verus rerum honor cecidit 652.b. multorum malorum caussa 60.b. neminem diuitem fecit 662.b. nihil ad animum pertinet 82.b. sic in quosdam, vt denarius in cloacam incidit 561.c
Pecuniæ mala 156.a. modus optimus 157.a. possessio quàm anxia 653.b. amissæ consolatio 791.c. pecuniæ certæ actio ex conducto & locato 292.b
Pecunię contemptus versibus traditus magis afficit animum 634.b
Pecuniæ creditę dies dicitur 294.c
Pecuniam quando reddidisse dicimur 346.b
Pedo Albinouanus fabulator elegantissimus 671.a
Pedo Pompeius 768.b.c
Pegmata 567.c
Penelopa 566.a
Peneus fluuius Thessaliæ paludes siccauit 748.a
Pennam tenere, non pedem 455.a
Pennis distincta linea 24.c
Pensionem remittere 438.a
Penulati 303.a
Perbibere 591.b
Perbibere nequitiam 12.b
Perbibere liberalia studia 448.a
Percipere voluptatem, & gaudium ex consulatu, ex nuptiis, an benè dicatur 485.b
Percussores 321.a
Peregrinatio hominum reprehenditur 672.c
Peregrinationis vtilitas 626.c
Peregrinationes quando prosint, quando non 436.a. 626.a.c
Peregrinationes vagæ 150.c
Peremptalia fulmina 703.d
Perfectum quid sit 675.c
Perfusoria voluptas 427.b
Pericula alia non æquè pernitiosa, atque ea quæ ex homine sunt 624.a
Peripatetici an rectè temperent affectus 654.a. minuta beneficia ad malos peruenire aiunt 355.b.c
Peripateticorum responsa ad Stoicorum argumentum 551.c.561.b.564.a
Peripateticis nihil interest inter sapientiam & sapere 656.a.b
Περίστασις 695.a
Perlibrare 718.a
Permadere deliciis 422.c
Permadescunt animi felicitate 138.b
Perpessitius 473.a
Perpetua fulmina 703.b
Perpetuarius mulio 765.b
Persæ 75.b. quoque fortes 444.b ab Alexandro fugati 646.a
Persarum rex Harpago liberos epulandos apposuit 50.a lacrymas fudit ob sui exercitus fatum 228.a. stolidissimus exercitum in Græciam traiecit 737.a. totius populi nares in Syriâ recidit 53.b. 54.a
Persas primus obtinuit Darius 51.a
à Persis gens ad Nilum collocata, ob fluuij fragorem sedes mutauit 724.d
Perses victus ante currum in triumpho actus 115.b
Perseus 680.b
Persica seruitus 51.b.277.c
Persici regni stemma totum imperij cupidum 369.a
Persona rebus demenda 429.d
Personarum ac dignitatum ratio habenda 279.b. 280.a
Personata felicitas 537.b
Personati 429.d
Persultare 35.b
Peruersa vestis 12.b
Peruigilare pro vallo 448.b
Perusinæ arę & proscriptiones 196.b
Pes, vox πολύσημος 288.a
Pedes quibus dolent, vino aut balneo abstinent 504.a
Pedibus in sententiam itum 767.b
Pestifera fulmina 703.d
Pestilens vapor exhalans in Italiâ 749.a
Pestilentia à terræmotu 748.d. imbecilla robustaque inuadit 43.a. manu facta 23.a
Petreius & Iuba se mutuò interemerunt 133.b
Phęcasia 379.a
Phędon citatur 594.b
Phædrus Socrati obiectus fuit 252.a
Phalaris tyrannus 20.b.378.a.b. crudelis 210.b
Phalaridis taurus 497.b
Pharos quantum absit à continenti 748.b
Phasis 80.b.726.a
Pheronactes Claudij libertus 768.b
Phidias 399.c.555.a. triplicem fructum operis habet 287.b
Philæ insula 724.c
Philetæ latrones Ægyptiis dicti 470.a
Philippus Macedonum rex ciuitates aut vicit, aut emit 596.c. plures in metallum antiquum dimisit explorandi gratiâ 734.d
Philippi Macedonum regis pœna militi ingrato illata 325.a. patientia in legati Athenienſium contumeliis audiendis 55.c. latrocinia 707.d
Philippus medicus Alexandri 30.b
Philologia 636.a
Philologus quo animo legat Ciceronis libros de Rep. ibid.d
Philologi homines 765.a
Philositus villicus Senecæ 405.b
Philosophandi tempus non est differendum paupertatis metu 415.c
Philosophandum est re & vitâ, non verbis 421.b
Philosophari, valere est 412.b
Philosophia quid 571.b.594.a iactanda non est 624.b. in viros transcribit 390.c. insularum loco est 411.a. murus inexpugnabilis 542.c. modestè tractanda 411.a.

nec

nec reiicit, nec eligit quemquam 456.b. non est inutilis, siue fato, siue casu omnia administrentur 415.a. primùm simplex, cur operosior facta 602.a. quid præstet 438.b. quid promittat 392.b. 464.a. sine virtute non est 571.b. submissis verbis, non clamore docenda est 450.a
Philosophia facta est philologia 636.a
Philosophia & sapientia quomodo differant 571.a
Philosophiæ decreta & præcepta quid differant 593.b. 599.b
Philosophiæ plures diuisiones 571.c.d. 572.a. effectus 414.c. laus 473.b.474.a.574.b. nomen inuidiosum 392.b. officium & iudicium 421.b. placita perquàm necessaria 602.c.d. partes duæ 599.a partes tres 568.a.571.c. partium ad homines & ad deos spectantium discrimen 678.b. pars præceptiua an ad vitam beatam sufficiat 598.a. pars præceptiua solánerecipienda,an,vt Aristo vult,reiicienda 590.b.&c. per totam epistolam regnum quale 473.b. seruitus, vera libertas 398.a. studiosus quomodo se ex negotiorum procuratione expedire debeat 425.a. studium ob nullas occupationes differendum 514.a. vis 633.b. vtilitas 415.c
Philosophiæ decreta præceptis præfert Aristo Stoicus 590.b
Philosophiæ inuenta non esse artes vulgares 574.d
Philosophiæ pręceptis animus penitus imbuendus,non leuiter tingendus est 414.b
Philosophię studiosus, & philosophiam adeptus, diuersi sunt 247.b
Philosophiæ deditus quomodo se gerere debeat diebus luxurię dicatis 417.b
Philosophiæ deditos non esse refractarios, nec magistratuum ac regum contemptores 515.b
Philosophiam clamores dedecent 471.a
Philosophiam conlatrantium conuicia 242.a.244.c. 251.a
Philosophiam in opere discere 612.a
Philosophiam velut venale aliquod artificium discentes arguuntur 637.b.c
Philosophus quo animo Virgilium & Ciceronem legat 636.b.d
Philosophus verus qualis sit 642.b
Philosophi schola quibusdam otij diuersorium est 633.c
Philosopho fortunæ munera fugienda 397.b
Philosophum qualis oratio deceat 451.c. 616.a
Philosophi cathedratij 220.b
Philosophi ad quid audiendi vel legendi sint 637.b. permulta habent superuacua 570.a. olim Româ eiecti 81.b
Philosophorum auditores variè affecti 633.c. credula natio 748.b. defensio contra vulgò iactatum dictum, quòd aliter loquantur, aliter viuant 242.a. 243.a. 244.a.c. 249.b. 251.a. familiæ cur deficiant 761.d. index 450.c. inquilini 633.c. lingua 694.a. ludus litterarius 510.a
Philosophorum veterum chorus qualis 550.b
Philosophis non sollicitè verba quærenda 521.b. pecunia non interdicitur 246.a. quale vitæ genus deligendum 392.b
inter Philosophos faciliùs quàm inter horologia conueniet 763.c
Phocis 76.c
Phœnicopterorum linguæ 641.a.b
Phœnix 454.c
Phreneſis 10.b
Phrenetici verba 57.b
Phrygianis auro spissis prodeunt Gratiæ 264.a
Phrygius tibicen 633.c
Phthisis 522.b. 582.a
Piamentum 88.b
Pictor inter ceram opusque facili vultu ac manu commeat 666.c
Pictores non recipiuntur in artes liberales 567.a
Pigri in os senatoris ingesti 278.a
Pij sumus ad mercedem 652.b
Piissimi sensus 95.c
Pilæ operibus subditę 749.d
Pilæ proprietas 728.d
Pilę lusus beneficia reddenda docet 287.a
Pilæ lusui beneficia comparat Chrysippus 280.a
in Pilâ omnia æqualia 333.a
Pila in castris ardere visa 681.b
ad Pileum seruos vocare 463.a
Pilicrepus 477.a
Pinarius Natta 670.b
Pindarus 748.b
Pingere quàm pinxisse iucundius 399.c
Pinna rubens 25.a
Pinnâ & lineis clusæ aues 198.a
Pirenęus 679.b
Pisatio 559.a
Pisistrati Athenienſium tyranni moderatio in conuiuæ ebrij conuitiis ferendis 47.b
Piscatum ire dolabrâ 712.c
Pisces quibusdam locis è terrâ eruuntur ibid.c.d
Piscium subterraneorum esu homines mortui 713.b
Pistrinum sapientum inuentum esse vult Posidonius 577.b
Pithaules 523.c
Pithiæ 688.c. an inter cometas ponendę 689.b
Plancus artifex 722.c
in Planum fortunam deferre 159.b
Plagiarij 156.b
Platanona riuus diuidit 476.a
Plato 492.c. à duobus pueris quęritur 349.a. citatus 168.b. irę pœnas à se exigit 48.a. plus ex moribus quàm ex verbis Socratis traxit 394.b. pueris vinum negandum putat 28.b. quæcumque sunt, in sex modos partitur 482.c. quinque causſas statuit 493.c. serui castigationem Speusippo commisit 48.b. seruiit 462.b. Socrati de eruditione agit gratias 332.b.
Platonis argumentum de irâ 6.a
Platonis dictum 127.a.323.b.456.c. dictum de animaduersione 16.a. dictum de officio portitoris sibi præstito 352.b. ideæ 483.b. liber à Catone lectus vltimâ nocte 429.a. nauigationes 484.a. pater 304.d. testimonium 737.c
Platonis legibus adiecta principia improbantur 594.a
Platoni nomen latitudo pectoris fecit 484.a
Platoni obiectum quòd pecuniam petierit 251.b quòd aliter viueret, aliter loqueretur 243.a
Platoni tres serui fuerunt 83.a. vnde contigerit, vt suo natali decesserit, & annum vnum & octogesimum impleuerit 484.b. defuncto Magi immolauerunt ibid.
Platonem nobilem fecit philosophia 456.b
apud Platonem educatus puer 30.a
Plebicola 337.b
Pluuia vltra x. pedes terram non madefacit in altitudinem 709.c.d
Pluuiæ an quid conferant fluminibus ibid. quando copioſę, quando lentæ 727.c
Podagra 24.b.473.a. ad tempus respondet 712.b.

quomodo interquieſcat 531.a
Podagrâ diſtortus 501.b
Podagrę delinimenta magis quàm remedia componuntur 243.a
Podagricæ feminę contra Hippocratis doctrinam 600.a.b
Podagricus 430.a. 768.a
Podagricus ſenex 37.a
Pœna omnis, remedij genus eſt 12.a
Pœna quid ſpectet 204.b
Pœnæ inferendę duo fines 16.a. 36.a
Pœni 228.c. in Africâ à Regulo fuſi 83.a. Hiſpaniam incolunt 76.a. in Siciliâ à Metello victi 225.b
Poëta nomen commune in Homeri notam conceſſit 482.c
Poëtæ antiqui dictum 622.a
Poëtę comici verſus 401.c
Poëtę comici ſales ſuos in Socratem effuderunt 251.a
Poëtę non ſolliciti de vero, id ſpectant quod bellè facit ad verſum 265.a. temporum nimis accurati deſcriptores 763.c
Poëtarum carmina, quibus diuitiæ laudantur, facem hominibus ſubdunt 652.c. fabula de inferis 122.a. furor fabulis humanos errores alentium 227.c. 228.a. ineptiæ de Ioue 250.a
Poëtarum omnium exercitatio & ludus eſt Mæander fluuius 626.d
Poëtarum ſcopus eſt aures oblectare & dulcem fabulam nectere 265.b
Poëtarum maximi verſus 214.a
Poëtis ſollennis locus, Ætna 534.b
Poëtica verba 649.a
Poëticas fores fruſtrà ſui compos pepulit 168.b
Pogoniæ 689.b
Polenta 418.b. 641.d
Poliorcetes 175.a
Pollionis Aſinij compoſitio qualis 616.b. amicus Timagenes 56.a
Pollioni Aſinio quid dixerit Scaurus homo obſcœnus 322.b
Pollionem Aſinium oratorem magnum nulla res vltra decimam retinuit 167.b.c
Polluta medicamentis 236.b
Pollux & Caſtor 681.b
Polyænum magnum virum fecit Epicuri contubernium 394.b
ad Polyænum epiſtolę Epicuri 418.a
Polybius Claudij libertus 768.b. fabellas & Æſopeos logos connectit 96.a. Homeri & Virgilij carmina reſoluit & tranſtulit 95.c 98.b
Polybij apud Claudium potentia 94.c.d. 95.a.b. laus 92 a. 95.c
Πολυπράγμονες enumerantur 162.b
Poma gregalia delectant, ſi prouenêre maturiùs 270.b
Poma per vitrum aſpicientibus multò maiora, vt & aquę innatantia 684.a. 686.c
Pomorum ingenti ſtrue cingere primæ formæ feras 135.a
Pomaria in ſummis turribus 670 a
Pomœrium Rom. quando proferre licebat 225.b
Pompeij 465.b. 505.c. Campaniæ vrbs terræmotu deſedit 738.c.d. 748.c
Pompeiorum fortuna 101.a
Pompeius ab vltimo mancipio transfoſſus 225.b. alienum exercitum fugit 724.a. clienti prębet ceruicem 166.a. primus in circo elephantorum duodeuiginti pugnam edidit 225.a
Pompeij cognominis inanis iactatio ibid.b. hoſtis ac victor 337.b. vereçundia in concionibus 404.a
Pompeij theatrum exuſtum, à Cæſare refectum 125.c
de Pompeij capite pupillus & ſpado tulere ſententiam 391.b
Pompeio locupletior Demetrius libertus 156.b
Pompeio Cato oppoſitus 137.a. vide *Cn. Pompeius*
Pompei exaltati ruina Pompeij Magni 321.c. 322.a
Pompeio ditior 161.b
Pompeius Magnus gener Claudij 767.a
Pompeio Penno ſiniſter pes oſculandus porrigitur à C. Cæſare 277.b
Pompeiani poſt Pompeium 59.c. 60.a
Pomponij ſcriptoris præceptum 390 b
Ponticis littoribus Achaiæ ciuitates impoſitæ 75.b
Pontificales libri 637.a
Pontificalis carminis verba ſollennia 115.a
Pontificis oculi velamento à funere arcebantur 116.b. 117.a
Pons ſublicius 248.a
Pontus 719.a. 727.d. cur in inferum mare aſſiduè fluat, non autem refluat 726.d
in Ponto quidam amnes æſtate creſcunt 715.c
Popinarum inſtitores 477.a
Populus in tribus deſcribitur 571.a. cur reges principeſque amet & protegat 190.b. vitiorum auctor 396.a
Populi ſcita 73.c
Populo non placeat ſapientiæ deditus 438.b
Populorum tranſportationes publica exſilia ſunt 76.b
Porſena faciliùs Mucio ignouit, quàm ſibi Mucius 429.a. Mucij gloriæ inuidit 500.b
Porſenæ caſtra 338.a
Porſenæ occiſi inſtar Mucij manus fuit 376.c
Portentoſi fœtus 11.b
Portionem ferre 326.a
Portitor gratis Platonem naue tranſuehens 352.b
Portorium ſoluere 436.d
Poſidonius 536.b. 666.a. citatur 698.d. 747.d. plurimùm philoſophiæ contulit 577.a. ſuaſionem, conſolationem, & exhortationem neceſſariam iudicat 606.b. quattuor ait eſſe artium genera 567.c. virtutem futili carni committi ait 585.b. Zenonis cauſſam agit de ebrietate 546.c
Poſidonij auditor Aſclepiodotus 699.d. 745.b. collectiones de diuitiis 563.c. 564.a. elegans dictum 533.b. opinio de colore arcus 685.c.d. de grandine 727.a. opinio de tonitru 704.c. ſententia 646.a
Poſidonio duo ſunt terræmotus genera 746.d
Poſidonio de artium inuentione non aſſentitur Seneca 574.d. 575.b. 577.a
à Poſidonio diſſentit Seneca 593.d
à Poſidonio ſcripta miracula 757.d
cum Poſidonio viuendum 627.b
Poſſeſſio rei & vſus 369.c. 370.a
in Poſſeſſione ponere 6.a
Poſtmeridianæ horæ 707.d
Poſtulaticij 395.b
Poſtulatoria fulmina 703.c
Potatio extrema delectat 405.b
Potentes cur magni videantur 526.c.d
Potentia aliena terribilis quomodo vitanda 409.c. 410.a.b
Potio liberalior interdum conceſſa 168.a
Præceptiua philoſophiæ pars an ſatis ſit ad conſummandam ſapientiam 598.a. ſitne à philoſophiâ remouenda 591.c. per totam epiſtolam.

Præ-

Præceptio 606 b
Præceptor liberalibus ſtudiis quis dignior 200.c
Præceptoris beneficia 306.a. officium 352. a
Præceptoris cur nulla veneratio 382.b
Præceptori quantum debeatur 350.c. 351.b
Præceptores plus laboris ab his exigunt in quibus certior ſpes eſt 138.c.139.a
Præceptores ſapientiæ quales eligendi 471.a
Præceptorum beneficia cur intercidant 291.c.
caſtigatio quomodo accipienda 33.a
Præceptorum generis humani veneratio 492.b
Præceptum vetus 241. b
Præcepta carmini inſerta, aut proſâ oratione in ſententiam coartata, multum habent ponderis 592.d. 593.a
Præcepta minùs proſunt quàm exempla 394.a.
ſeminibus comparantur 450. a. ſine decretis nihil proſunt 603.a.605.c. generalia mandari & ſcribi poſſunt, ſpecialia ex rebus ipſis pendent 425.b. ſpecialia ſeu ſingularia ſintne vtilia 590. b.c. 592.a
Præcipuum quid in rebus humanis 708.b
Præciſi 140.b
Præco vocem experitur in decuriâ primâ 461.a
Præcordia luxu corrupta 729.d
Præcordiorum ſuppurationes 410.a
Prædictio quam vim habeat 700.c
Præguſtare voluptates 238.b
Præiudicium 324.c
Præmordere 191.c
Præneſtina arx 337.a
Præſes legum quam caſtigandi rationem teneat 5.b
ad Præſtationem ſcribere 225.c
Præſtigiatorum acetabula & calculi 458.b
Præſtitiſſe verbum ad alios ſpectat 333.c
Præſumptioni omnium hominum multum dari ſolet 655.c
Prætexta non honor, ſed honoris inſigne 266.b
Prætextatus & candidatus 248. a
Prætor vrbanus 151.c
Prætori quis honor exhibitus 492.b
Præxaſpi quę merces à Cambyſe relata fuerit ob fidele conſilium 49.b
Prandium ſine mensâ 546.a
Precantium voces deum beneficum teſtantur 309.b. 310.a
Precibus empta omni re cariora 274. a
Πρηστὴρ ventus quî fiat 734.b
Pretium cuiuſque rei pro tempore eſt 351.a
Priamus vt iram diſſimulauerit 37.b
Priapi ſignum 185.a
Primipilarius ibid. b
Princeps cur pater patrię dicatur 199.a. quibus de cauſſis punire & quomodo debeat 203.b
Principis pręcipua virtus clementia 190.a. 191.a.b
Principe quę digna corona 207.a
Principes cur amentur 190.b.191.a deorum exemplum imitari debent 192. b. quâ re laborent 357. b. 360.a
Principum officium 199.a
Principale & regium, τὸ ἡγεμονικὸν 3.c
Principali, id eſt ἡγεμονικῷ, ineſt aliquid irrationale & rationale 584.b
Principia omnium exigua 303.b. à ſequenti magnitudine obruuntur ibid.c. longè à perfecto abſunt 741.c. totius operis dimidium 446.b
Priuilegia parentum 295.a
in Probo & aſpero accipere 420.c
Procari 722 c
Procella vti fiat 733.d
Proceſſus 150.b
Proceſſus alieni 96.c
Procliua omnia 768.a
Proconſul de tribunali deſiliens & lictori faſces auferens 15.b
Procruſtes 210.b
Procurare heredi ſuo 673.b
Procuratio 420.a. Procuratio mercenaria 228.c
Procurationis otioſę officium 722 b
Procurationes 618. b. Procurationes quorſum fiant ſi fata immutabilia ſunt 701.a.b
Procuratiuncula 442.b
Procurator ex domino 412.a
Prodeſſe & beneficium dare differunt 340.a
Prodeſſe qui dicantur 638.d
Prodigus non ſine auaritiâ 320.a
Proditor Tarpeio imponitur 13.a
Producta ſeu commoda 519.b
Proficientium tres claſſes 514.b.c. 515.a. 522.a
qui Profuit nobis, ſi poſteà nocuit, an nos debito ſoluat 538.c
Progener 423.c
Progymnaſij, vel potiùs progymnaſtæ 545. c
Prometheus Mecænatis liber 420.b
Promiſſa quatenus ſeruanda 324.b. 326.a
Promiſſorum dilatio arguitur 274.c
Propinatio 283.a. Propinationes 548.c
Propinationibus crebris laceſſere 37.b
Propontis 719.a
Propoſitum ſitne cauſſa rei 493.b.494.a
Prorogatiua fulmina 703.b
Proſcriptione triumuirali ſeruatus quidam Cæſari reddi cupit 276 c
Proſpicere mortem 387.c. Proſpicere vitam 499.b
Proſtitutæ lenonis ſunt 370.b
Protagoræ dictum 570.a.b
Prouerbia, Aut regem, aut fatuũ naſci oportere 763.b.
Totidem eſſe hoſtes, quot ſeruos 460.b.
Gladiatorem in arena capere conſilium 425.b
Prouidentia Deus dici poteſt 703.a
Prouidentia maximũ bonũ conditionis humanę 393. b
Prouidentiâ ſi mundus regitur, cur multa bonis viris accidant mala 130.d
Prouidentiæ argumenta plurima ibidem
Prouincialium ornamentum Lugdunum 582. b
Prouocatio à regibus ad populum fuit 637.a
Proxenetę 661.b
Prudentia adhibenda in commodorum vſu 519.b
Pruina 727.b
Prytanes 152.c
Pſeudomenos 458.c
Pſychroluta 472.c
Pſychrolutes 546.a
Ptolemæus Africę rex inter Caianas cuſtodias 162.a
Publicum ſalutationum exercere 182.a
Publius tragicis comicisque vehementior 161.a
Publij verſus laudati 111.c.161.a. 398.b
P. Claudius remp. venumdedit 172.a
P. Petronius, Claudianâ linguâ diſertus 768.c
P. Vinicij tarditas in dicendo 452.c
Pudica dici quæ non poſſit 315.a
Pudor deprehenſus amittitur 382.c
Puer ſaturâ ingentis viri 127.a
Puerorum educatio ſalubriter inſtituenda 29.a. 595.b. ira vt placetur 5.b. ludi 180.b. diſcentium offenſationes patienter ferunt magiſtri 343 a
Puerorum infelicium greges 601.a
Pueris quibus omne ludicrum in pretio eſt, ſimillimi ſumus 652.a
Pueros perſonati terrent 429.d
Puerilitas 180.a. Pueritia & puerilitas 390.c
Pugillares 560.a.633.c

Pugillaribus imminere 413.a
Pugnare de genu 133.a
Pilleata turba 417.b
Pullus nubibus immolari solitus 728.a
Pulmentarium 560.a
Pulla lana 714.d
Pulpæ 747.c
Pulpitum 761.d
ex Pulpito tibiarum omne genus organorumque consonuit 550.c
Puluerem soluere in quo circulus scriptus 520.b
Puluerulenta virtus 236.b
Puluillo Capitolium dedicanti filij mors nuntiata 115.a
Puluinaria 102.b. 103.b
Puluinus 63.b. 117.b
Pumilio 526.d
Punctiunculæ 473.a
Punctiunculæ dolorum 241.a
Puniendi tres causſæ 204.b. finis 16.a
Puniens irasci non debet 11.b
Punire quomodo princeps debeat 203.b
Pupulus 405.b
Purgamenta 715.b.716.a
Purgatio statum diem seruat 712.b
Purpura conchylio saturata 82.a. Tyria 685.d
Purpure color diuersus vnde 684.b
Purpurati 526.c
Pustularum eruptiones 514.b
Pusula 66.b
Putei cur hieme caleant 743.d
Puteolanus puluis miræ naturę 713.d
Puteoli 472.b
Puteolorum turba 527.b
Pyladis domus 761.d
Pyrenæus Germanorum transitus non inhibuit 76.a
Pyrrhonis præcepta 761.d
Pyrrhonij 570.b
Pyrrhus certaminis gymnici præceptor 26.b
Pyrrhi regis aurum repulit Fabricius 663.d
Pyrrhum Fabricius monet, vt insidias medici caueat ibidem
Pythagoras 226.b. ait alium animum fieri intrantibus templum & oraculi opperientibus vocem 594.b. cur animalibus abstinuerit 635.a. perturbationes animi lyrâ componebat 46.a
Pythagoræ amorem Senecæ iniecit Sotion 635.a.
discipuli quinquennium tacebant 471.b.
tacitus secessus 574.d
Pythagorica schola præceptorem non inuenit 761.d
Pythagoricus quidam sutori etiam mortuo debitam pecuniam reddit 379.a
Pythicis oraculis adscripta vox 113.a
Pythij filius à Xerxe occisus 51.a
Pythocles vt locuples faciendus 424.a
Python 545.a
Pyxis & argentea & aurea 335.c
Pyxides medicorum 600.a

QVADRA panis non est beneficium 321.b
Quadrantaria res 557.a
Quadruplatores beneficiorum 380.c
Quæsitor est, vbi iudex desiit esse 228.c
Quæstiones inutiles damnantur 565.b. 566.a
Quæstionum liber 573.a
Quæstionum de vniuerso diuisio 693.b
Quæstionum operosa solutio quid vtilitatis ferat 334.c
Quæstores 192.a
Quæstuaria 359.a
Quæstuosissimè habere 309.b
Quæsturæ suffragator 382.b

Quàm diu hæc, delicatorum sollicita cogitatio 228.a
Quartana ad horam venit 712.b.
flagellis discussa 348.a
Quassus 439.a
Quattuordecim gradus 294.b.456.b
Querela familiaris 274.b. publica 338.b
Querela de hominum nequitiâ omni tempore 268.a
Quercus & ilex antiqua alimenta 716.d
Quies an summo bono adiici debeat 584.d
Quies, bonum non est 562.a
Quies quibus vtilior negotio 154.a.b
Quiescentes semper & inquieti reprehenduntur 390.a
Quintius dictaturam properat euadere 228.c
Q. Catuli bustum 52.a
Q. Sextij patris, magni viri & Stoici liber laudatur 491.c. vide *Sextius*
Quiritium ius 708.c
Quod est, seu τὸ ὄν, sex modis dicitur à Platone 481.c.d. 482.c
Quod est, summum genus rerum 482.b
Quousque eadem, vox rabidarum deliciarum 151.a. 431.a. 573.a

RABERE 438.a
Rabiosus 4.a
Rabirius poëta 344.d
Radicescere 559.b
Ramalia 575.b
Rapto viuere, iniuriosum, rapto mori, pulchrum 509.a
Rastrum alleuare 31.b
Ratio quid 496.c. 499.a. arbitra est bonorum & malorum 498.d. bonum proprium hominis 524.b. diis hominibusque communis 587.b. non eget affectuum armis 13.b. numquam in adiutorium affectus assumit 8.a. omnis honesti comes 313.a. vbique respectanda 280.c
Reapse, id est re ipsâ 637.a
Rationalis philosophiæ partis diuisio 572.c
Rebili consularis, hominis infamis pecuniam renuit Iulius Græcinus 283.a
Recaluaster 498.a
Recens à voce 134.b
Recentes à diis 580.c
Recita quibus adclametur 598.b
Recogito 234.a
Recorrigere 467.c
Reddere quid 346.b.377.c.d. duos exigit 333.c
Reddidit gratiam, non dicimus 539.a
Refectus consul 626.a
Referire 38.b
Referre quid 539.a
Refigere se crucibus 243.c
Reformare chirographum 595.b
Refouere 80.a
Refouere arma 217.a
Refractarius 515.b
Regalia fulmina 703.d
Regalis ingenij mos 359.b
Regelari 501.a
Reges, vide *Rex*
Regiæ potentiæ ministri arguuntur superbiæ 274.c
Regiam ad mensam adhibitorum quale vitę genus 50.a
Regiones à bonis moribus alienæ vitandæ 468.b
Regionum electio parùm confert studiis 626.a
Regnum aureo sæculo penes sapientes fuit 574.c
Regula 511.c
Regula lex 313.c
Regulus & Virginius Coss. 738.d
Regulus 502.c. à Pœnis captus est, non victus 330.a. clauis confixus 166.b. crucem vicit 611.b. fidei & patientiæ documentum 136.a

Reguli arca 502.a
Reguſtare bilem ſuam 137.a
Reiicula mancipia 461.a
Reiiculi dies 218.b
Relatiua parem deſiderant regulam 280.c
Relatiuorum natura 334.a
Religio primum militiæ vinculum 602.c
Religioſi ſunt boni etiam farre ac fitillâ 266.c
Remedia extrema in deſperatione tentanda 437.b
Remedia non ſunt quæ fortuitò ſanant 348.a
Remediorum compoſitiones 321.a.
crebra mutatio nocet 388.c
Remediorum qualium vſus apud veteres 599.c
Remetiri dicta & facta 63.a
Remetiri vinum vomitu 137.a. 600.a
Remigare contra aquam 671.c.
Remiſceri 511.a
Remiſſio animis danda 167.b
Remus auſpicans 225.b
Remus integer in aquâ fracti ſpeciem reddit 684.a
Replumbatur argentum 725.d
Reponere poſt longam diem, & in anteceſſum 323.b
Repoſitorium 533.a
Reprehenſiones in beneficiis cauendæ 275.b
Reptabundus 239.b. 243.a
Res ab hoſtibus repetere 292.b
Rerum natura cur nihil perdere dicatur 333.a
Rerum maior copia quàm verborum 288.a
Rerum potiùs quàm verborum ratio habenda 457.c. 458.a
in Rebus aduerſis filios tondere moris eſt 331.c
Reſalutaturus 163.a
Reſes animus 593.c
Reſp. an, quomodo, & quando ſapienti adminiſtranda 151.a. 152.b. 154.a. ſitne ſapienti capeſſenda, ambigitur inter Stoicos & Epicuréos 254.b. 255.a
Reſpubl. ſine Cæſare eſſe non poteſt 191.a
Reipubl. ingratitudo in optimos ciues 338.a
Reip. qui proſint 151.b
Reſpublicæ duæ 255.b
Reſtagnare 717.b
Reſupinare 673.c.
Reſupinus 537.a
Retenta ac reuocata virtus 134.a
Retentare 220.c
Retentare memoriam 513.c
Retexere 597.a
ῥητορικὴ 572.c
Retorrida arbor 50.b
Retorridi rami 405.b
Retrahere ingenij vires 534.b
Retrò viuere 671.c.
Reuileſcere 167.a
Reus ſententiis paribus abſoluitur 541.a
in Reum exire 294.a
Reorum mutuæ ſordes 5.a
Rex animum latronis & piratæ habens 281.b
Rex omnis ex ſeruis oriundus 456.c
Regis & tyranni diſcrimen 197.a
Regis quomodo omnia eſſe dicantur 369.c. 370.b
Regi verborum intemperantia nõ eſt ex maieſtate 193.a
Regem maximè decet clementia 190.a. 191.b. 202.a
Regem natura commenta eſt 202.a
aut Regem, aut fatuum naſci oportet 763.b
Reges cuius rei indigi 357.b. 360.a. cur amentur 190.b 191.a. multa opertis oculis donant 325.b. mali cur regnent 323.a
Reges Romani duo, quorum alter patre, alter matre caruit 636.d
Reges quid ſecuros præſtet 203.a
Reges Parthos non poteſt quiſquam ſine munere ſalutare 416.c. 417.a
in Reges quid homines armet 60.a
Regum animi notantur 463.a
Regum contemptores perperàm philoſophiæ dediti cenſentur 515.b
Regum conſuetudo 360.b
Regum amicis quanti conſtent bona conſilia, exemplò declaratur 49.b. 50.a
Regibus exemplum poſitus Iupiter 702.d
Regibus maior ſecuritas eſt ex manſuetudine 193.c.
eis vtilis eſt iræ continentia 51.a
à Regibus prouocatio ad populum fuit 637.a
Rhenus 216.b. 303.b. 679.b. 717.a. 726.a. 742.a
Rhinocolura 54.a
Rhodanus 717.a. 726.a. 765.b c
Rhodij vox effeminatiſſima 506.b
Rhodiis libertas cum immunitate data 338.a
Rhodiorum fons ex interuallis fæda fundens 716.a
Rhodos 626.a
Ridens in tormentis 532.a
Ridiculis diducta veſtimenta 683.a
Rixam à laſſo quæri, vetus dictum 46.b
Rogantis verba intercidenda 274.a
Rogo, moleſtum & oneroſum verbum ibidem
Roma quòd tantùm ſemel capta eſt, Scipioni debet 556.a. tributum ſpadonibus pendit 338.a
Romæ incendia dolet Timagenes, quòd meliora ſciret reſurrectura quàm arſiſſent 583.a
Romæ puer ſtaturâ ingentis viri 127.a
Romæ aut Scipio deeſſe debebat, aut Romæ libertas 556.a
Romana eloquentia à Cicerone exſtitit 452.c. 453.a
Romana pax 139.b
Romanæ pacis exitium 191.a
Romana vitia 222.a
Romani ducis verba ad milites locũ occupaturos 544.d
Romani imperatoris vox notatu digna 371.b
Romani imperij exſul auctor 76.b
Romani roboris ſecta 761.d
Romani mores 9.a. 51.c. 300.a. 486.a
Romanis ingeniis intentatum opus 96.a
Romanis quis primus perſuaſerit nauem conſcendere 224.b
Romanorum duæ coloniæ in Corſicam deductæ 77.a
Romanorum ſtudia inutilia 224.a
Romanorum vltimus Sylla pomœrium protulit 225.b
Romanus pop. vbicumque vicit, habitat 76.b
eius fideliores ſocij 38.a
Romanus luctus 101.c
Romanus ſermo non tam præproperus quàm Græcus 453.a
Romulus perit ſolis defectione 637.a
Romuli caſa 79.a
cum Romulo feruentia rapa vorare 766.c
Rorare 686.a
Roſa hieme concupita 670.a. toto lacu fluitans 469.c
in Roſâ iacere 448.b
Rubentes cur iracundiſſimi 28.a
Rubor ſubitò viris grauiſſimis offuſus 403.b. 404.a
Rubrum mare 719.a
Ruffus Pompeij F. 768.b
Rufillus 558.b
Rufus ordinis ſenatorij ab offenſo Cæſare gratiam & munus impetrat 302.a
Ruinoſi parietes 62.b
Ruſticitas 274.b
Rutilia Cottam filium ſecuta eſt in exſilium 87.a
Rutilius ob innocentiam exſul 125.b. 338.b. maliuolentiæ expoſitus 243.a. in exſilio viuit 166.a. ſolus Sullę dictatori aliquid negauit 135.a.

ſuam damnationem libenter tulit 428.c
Rutilij exſilium 135.a. 502.a. innocentia violata effulſit 535. a. exſulis animoſitas in reditus abominatione 362.a

SABBATHIS lucernam accendere 604.a
Sabianum littus 738.d
Sabinus, vide *Caluiſius Sabinus*
Saccus homo eſt 529.b
Sacerdos Homericus 542.c
Sacerdotiorum candidatus 382.b
Sacra conficere 433. c
Sacramento adacti 216.b
Sacramento rogatus 494.a
ad Sacramentum adacti 241.b.c
Sacramenta 604.c
ad Sacrificium acceſſuri vultum ſubmittunt 760.d
Sacrilegium quarum rerum ſit 371.a. an ex aliqua parte bonum 562.b.c
Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur ibid.c
Sacrilegi 335.d
Sacrilegos omnes eſſe probat Bion 371.a
Sacrilegus Deo iniuriam non poteſt facere ibid.b
Sacrarium 624.b.761.b
Sacrum municipale 578.b
Sacra alienigenarum gentium mota 635.c
Sacrorum ſanctiora ſolis initiatis nota 606.a
Sæculum aureum 574.c.579.c. 580.b.652.c
Sæuitiæ deteſtatio 205.b. inſtrumenta 409.c
Sagum 418.a
Salarium 608.b
Saliaris ſaltus 413.a
Saliuam mouere 534.b
Salluſtius 195.b.308.c
Salluſtij verba 488.b.754.c
Salluſtij imitator Arruntius 649.b
Salluſtio vigente qualis orationis cultus ibid.
Saltus ſaliaris aut fullonius 413.a
Saluidienus 194.b
Salutare Parthos reges nemo ſine munere poteſt 416.c. 417.a
Salutatio meritoria 226.b
Salutatio potentum 360.b
Salutationes matutinæ 604.a
Salutationum publicum exercere 182.a
Salutator 420.a
Salutis initium, peccati notitia 436.d
Samnitum legati 81.a
Sanabilis 341.c
Sanguis, pars & materia noſtri 694. a
Sanguine nubibus litatum 728.a
Sanguine vitalis calor continetur 311.a
Sanitas etſi de fato, debetur tamen & medico 701.d
Sapiens quis 487. a. Deum aliquo antecedit 474. a. Deos æquat 587.c. etiam in Phalaridis tauro peruſtus exclamabit, Dulce eſt 497.b. exercitui pugnæ parato aſſimilatur 486.a. externa incommoda ſentit, nulla interna 514. a.b. incuruari & ſuccumbere non poteſt 512. b. miſer fieri nequit 587.a. nec liberorum, nec amicorum amiſſione affligitur 520.c. nihil cupit 369.a.b. non eſt dolorum expers 512.b. 554.b. non ignoſcet, nec veniam dabit 211.a. 212.a. non miſerebitur, ſed ſuccurret & proderit 211. a.c. non ſe indignum vllis fortunæ muneribus putat 245.a.246.a. non timet 554 a. nullâ iniuriâ vel contumeliâ affici poteſt 172.a.b. 173.a. 179.a. 288.b. nullâ re indiget, & tamen multis illi opus eſt 400.b. numquam commouetur 447.a. omnibus affectibus vacare debet 552.a. ſimilis Deo, exceptâ mortalitate 178.a. ſolus ſcit referre gratiam & beneficium dare 539.c. ſurdum ſe amantiſſimis præſtare debet 441.c. tremet, dolebit, & expalleſcet 512.c
Sapiens an ad remp. accedat, controuertitur 254.b. 255.a. an beatior qui diutiùs vixerit 586.d. an iraſci debeat 21. b.c. an lacrymari debeat 614.a. an munus accipere, debere, emere, & conducere poſſit 370.b.371.a. an ſapienti proſit 638.a. colaphis percuſſus quid faciat 182.a. corpore parùm proſpero vſus, an neque miſer, neque beatus habendus 586.b. cùm non accipiat iniuriam, cur puniat hanc inferentes 180.b. deliberaturus ſitne aliquem in conſilium aduocaturus 639.a. ſitne beatior amicorum & liberorum turbâ ſuccinctus 519. d. ſitne ſeipſo contentus, & propter hoc amico non indigeat 399.a.c.d. 400.b
Sapiens Stoicorum an alicubi inueniatur 176.c
Sapientis animus qualis debeat eſſe 584.c. animus talis, qualis mundi ſtatus ſuper lunam 487.b.c. comparatio cum Ioue 516.c. deſcriptio 368.c. fiducia quanta 160.a. inuenta 579.b. partes duæ 512.b. patria, & virtutis exercendæ campus 152. c
Sapientis amicis carentis vita qualis 401. a
Sapientis omnia ſunt 369. b. quomodo hoc intelligatur 369.c. 370.b
Sapientis & gubernatoris diuerſa conditio 554.c
Sapientis & ſapientiæ aſſectatoris diuerſa remedia in contumeliis ferendis 186.a
Sapientis Stoici & Epicuri diſcrimen 399.b
Sapienti an aliquid donari & beneficium dari poſſit 369.b. etiam in afflictâ rep. occaſio eſt ſe proferendi 153.c. furtum quomodo fieri poſſit 371.b. nec paupertate, nec à dolore nocetur 554.b.555.a. nihil contra opinionem accidit 163.b. non interdicitur naturæ contemplatione 494.c. potentium iræ declinandæ 410.a. vt Deo, omnia ſæcula ſeruiunt 227.b
Sapientem ſe non eſſe, quomodo quis intelligat 487.a
Sapientem an numquam ſui facti pœniteat 324.a
Sapientem inter & ſtultum quid interſit, ſi vterque habere vult 249.b
Sapientes non fuerunt in ſæculo fortunato 579.c. 580.c
Sapientes omnes pares ſunt & æquales 534.b. quo Deum antecedant 142.c. ſoli veri gaudij participes 427.a
Sapientes quidquid oportet, iuuat 281.a
Sapientium in diuerſum itura turba plus ex moribus quàm ex verbis Socratis traxit 394.b
Sapientium voluptates quales 239.a
Sapientia quid 234.b.422.a. 571.a. ars eſt 437.b. de quibus rebus ſit 568. d. non eſt in literis ibid. ſola, libertas 449. c
Sapientia an bonũ ſit, ſapere verò bonum non ſit 655.a
Sapientia futura an bonum ſit 658.a
Sapientia vetus, rudis fuit 599. b. c
Sapientia ſumma 510.a
Sapientia & philoſophia quomodo differant 571.a
Sapientiæ effectus 487.b.578.a. inuenta amplificanda ſunt 492.a. præcepta pauca tenenda, ſed ita vt in promptu ſint 366.d præceptores quales eligendi 471.a. ſtudium verè liberale 564.c.d
Sapientiæ conſummatæ & procedentis viri quo differant 514.b
Sapientiæ alludentes 515.a

Sapientiam professi reprehenduntur à Senecâ 507.b
Sapientiam sectantium magnum discrimen 513.a
Sappho 569.b
Sardes, Asiæ ciuitas maxima 359.a
Sarmatas Danubius cohibet 742.a
Sarmatiæ rex 538.a
Sarmatica 679.b
Satagei 611.a
Satellij Quadrati diuitum arrosoris, arrisoris & derisoris consilium Sabino datum 435.a
Satrapæ 423.b
Satrius Secundus 125.c
Saturitas etiam in aquâ & polentâ 418.b
Saturnalia 417.b. 766.a
Saturnalia non semper erunt 767.b.c
Saturnius Luscius 768.b
Saturnus & Mars 566.c
Saturni stella 753.b.760.c
Scabies fœda 150.b.251.b
Scapulæ nudæ ac fœtentes 248 a.b
Scapulas tegere 490.c
Scapulas verberibus præbere 48.a
Scapulis suum reddere 416.c
Scaurus senatus princeps 322.b
Scauri iocus de Aristone philosopho 437.c. vide *Mamercus*
Sceleratis numquam contigit securitas 609.b 629.d
Sceleris in scelere supplicium est 609.c
Scelerum enumeratio & reprehensio 21.c.22.b
Scenæ artifices 379.a. periti 666.c
in Scenâ elatus 526.c. 537.a
Scenici artifices quomodo verecundiam repræsentent 404.a
Schola deserta, theatrum fractum 523.c
Schola philosophi, quibusdam otij diuersorium est 633.c
Sciathus 74.b
Sciebam, sapientis vox 527.b
Scientia rerum, bonum 442.a
Scientia quarumdam rerum, inutilis 224.a.b
Scientia quæ vtilis ac necessaria 368.a
Scipio Æmilianus eodem ferè tempore patris triumphum, & duorum fratrum funera spectauit 100.c. à Paulo Patre in adoptionem datus 115.b
Scipio Africanus rusticitatis ab aliquibus damnatur 558.a. à Repub. dimissus 338.a. exsul Liternum se recepit 229.a.469.b.556.a. Carthaginis horror 556.a. Hannibalis victor & Antiochi 228.c sine irâ bellum gessit 9.a. tripudiare solebat 167.a.b
Scipionis Africani pietas in fratrem captum, & mortuum 100.b. villa, manes, ara & sepulchrum 555.c.556.a. balneum quale 556.a.557.a. erga patrem beneficia 305.b. filia Cornelia 117.b. filiæ ex ærario dotem acceperunt 83.a.691.a
Scipio alter cunctatur circa Numantiam 9.a
Scipio Numantiam claudit & comprimit 496.d
Scipio Cn. Pompeij socer morte suâ maioribus se parem fecit 429.b.c
Scipionibus fatalis in Africâ gloria ibid.c
Scire & meminisse quid differant 445.b
Scire plus velle quàm sit satis, intemperantiæ genus est 569.b
Sciron, ventus Athenis infestus 736.b
Scordalus 477.a. 547.c
Scorpiones 697.b
Scorteum 728.a
Scribendum & legendum simul 549.b
Scribonia amita Drusi Libonis 506.c
Scribonia socrus filię Claudij 767.a à Claudio occisa ibid.
Scripta eruditorum hominum ignotos notos faciunt 423.b
Scripta quorumdam clarum nomen habent, sed exsanguia sunt 491.c
Scrutationem populo præbere 246.b
Scythæ comam spargunt 676.a iracundissimi 26.b. tergis vulpium & murium teguntur 576.a
Scythis bellum indixit Dareus 51.a
Scythia 75.b. 727.d
Scythiæ rex 538.a
Scylla 442.b. 457.c.585.b.719.a
Scylla saxum est non terribile nautis 533.c
Secedere & in aliâ parte considere 655.b
Secreta eloqui nulla lex vetat 341.a
Secundas agere 45.b
Secundas sortiri 286.a
Securitas securitate mutuâ paciscenda est 203.a
Securitatis pars maxima quæ 629.d
an Sedeat, delicatus interrogat 223.b
in Seductu 151.b
Segregem vitam agere 316.c
Seianus ad latus Tiberij stetit 117.a. Cordium Satrio Secundo congiarium dedit 125.c. summis honoribus functus, à populo in frusta diuisus fuit 162.a
Seiani crudelitas 126.a
Seiani tam odium, quàm amor periculosus 475.c
de Seiano cùm actum est, prodigium visum 680.b
Seiani satellites 105.d. Seianianum iugum 106.a
Sela 689.a
Selectorum turba 293.b
in Sellâ prostare 268.a
in Semen relinqui 764.a
Seminum vis 303.b.694.d
Semianimis 325.b
Semiliber 217.a
Seminudus 489.b
Semiorbis 687.b
Semisomnis 668.d
Semiuiri 633.c
Senatorem à sexagesimo anno lex non citat 231.a
in Senatu post decimam horam nouam relationem fieri, vetitum erat 168.a
Seneca animum animal esse concedit, actiones eius animalia negat 645.c. sedulus auditor Attali fuit 633.b. & Fabiani Papyrij 617.b. Claudio Cæsari adulatur 98.c. 99.b. 102.b. Ciceronis exemplum secutus est in Cleanthis versuum conuersione 632.b. decrepitum se vigore animi non destitui, nec mortis metu teneri scribit 432.c. 433.a. cum Earino cursu contendit 545.c. Demetrium secum circumferre solitus 489.b. diligens vinearum fossor 709.c. dissentit à Stoicis 643.c.644.a.655.a.c.657.a. dormiturus facta & dicta diei remetitur 63.a. dubitat de animarum æternitate 626.a. epistolis suis clarum se Lucilium reddere promittit 423.c. immodicè Annæum Serenum fleuit 491.a. in quantum Stoicos sequatur 234.b.253.d.254.a. iuuenis edidit volumen de motu terrarum 741.b. magnorum virorum imagines & natales celebrat 492.b. matrem de suo exsilio consolatur 70.c. medico vsus 625.a. meminit librorum suorum de Beneficiis 538.c. naufragium fecit 559.c. nihil sibi mali in exsilio esse probat 72.b. non turbatus fuit clamoribus 546.b. ob senectutem lectulo adfixus 501.b. patre rogante animalium abstinentiam reliquit 635.c. puer apud Sotionem philosophum sedit 465.b. quæsturam gessit 89.a. qualis in exsilio fuerit 90.b. quantum profecerit ex Attali auditione 634.c. Scipionis manes

nes ad aram adorat 555.c. se paruo contentum scribit 672.a. senectutis sue argumenta colligit 405.a. senex philosophum disputantem audit 523.b. vrbis fugâ febrem fugit 625.a
Senecæ abstinentia 634.d.635.a. auunculus 89.a cibus 625.c. condiscipulus Claranus 495.b. filius 69.b. 72.a. 88.a. fratres 69.b. 88.a. frater Gallio 232.d. 722.d. infelicitas in nauigando 472.b.c. 473.a. infirmitas mentis iam ad recta, iam ad praua vergentis 145.a.b. 146.a. iuuenta in Tiberij Cæsaris principatum incidit 635.c. libri moralem philosophiam continentes 633.a. 639.b. lectus, prandium, vehiculum 559.c. 560.a. 635.c. mala valetudo 474.b. mens inter varios clamores constitit 476.c. nomen, prænomen & cognomen 312.a. opus & quæstiones de morali philosophiâ 130.d. 630.b. spes de sui restitutione 99.b. somnus 546.b. vigiliæ, & de posteris cura 397.a.b. villicus 405.a.b. vxor Paulina 625.a. vxor mortua 88.b. vxoris fatua Harpaste 467.a
Senecæ pater philosophiam oderat 635.c. ideò Heluiam minùs studiis indulgere passus 87.c
Senecæ amorem Pythagoræ iniecit Sotion 635.a
Senecam patris senectus in vitâ retinuit 530.b
Senectus quid 114.a
Senecio Cornelius, eques Rom. ex tenui principio se promouens, subitò anginâ suffocatur 617.c.d
Senectus & morbi coniuncti apud Virgilium 636.c
Senectus lassæ ætatis, non fractæ, nomen 412.c
Senectus quando attentiùs conseruanda 625.c
Senectutis commendatio 405.b
Senectutis extrema an fastidire oporteat, & finem non operiri, sed manu facere 484.b
Senectutem in aulâ quomodo quidam consecutus sit 37.a
Senex elementarius, res turpis 448.a
Senex linteatus, laurum & lucernam medio die præferens 250.b 251.a
Senis & iuuenis corrigendi diuersa ratio 431.c
Seni quoque discendum est 523.c
Seni turpe, ex commentario sapere 445.b
Sene viuere incipiente nihil turpius 409.a
Senes pueris simles 180.a. queruli & iracundi 28.a. 46.b
Senes orbos in litteram digerere 504.b
Senes puerorum vitia habere, turpe 390.c
Senum decrepitorum querela de vitâ 221.a
Senibus infantia exprobratur 426.b
Senile corpus naui dehiscenti & ædificio putri comparatur 439.a
Senilis anima in primis labris est 441.a
Sensibile ne an intelligibile sit bonum 674.b
Sensus, id est *sententia* 646.d
Sensus de bonis ac malis non iudicat 498.d
Sensus in homine quàm in aliis animalibus tardior 674.c
Sensus constitutionis suæ an sit animalibus 666.c
Sensus communes 401.c
Sententiam alicuius in senatu sequi 499.b
Sententiam diuidere 234.b. 424.b
Sententiæ abruptæ & suspicioſæ 646.d. 648.b
Sententiæ pueris ediscendæ 445.b
Sententiis paribus reus absoluitur 541.a
Sententiarum vitia 649.b
Sepelire mortuum an beneficium 340.c
Sepse, id est *se ipse* 637.a
Septa 22.a
Septentrio ventus 735.d
Septentrionalis plaga 727.d
Septimum palmæ spatium 440.c
Sepultura sapienti negligenda 588.a
Sepulturæ iactura non æstimanda est 793.d
Sequius 364.b
Serapio philosophus volubilis linguæ 451.c
Serenus 148.b. 169.a. 171.a. 174.b
Serenus Senecâ minor mortuus 491.a
Seres 576.a
Seriphus 74.b
Sermo improborum vitandus 672.d
Serpens in Africâ sæuus 545.a
Serpens pestifera 455.a
Serpentes paruulæ 205.c
Serræ inuentor 575.c
Serrarius 478.a
Sertoriana arma 596.c
Seruator 281.b
Seruientibus ira pernicioſa est 50.c
de Seruij regis matre dubitatur 636.d
Seruilij 195.a
Seruilij Vatiæ villa 475.b. 476.a
Seruilius lacus 135.b
Seruilium litterarum ignari 158.a
Seruitus corporis solius est, non mentis 299.b
Seruitus quæ grauissima 708.c.
vrbana & feriata 59.a
Seruitus paucos, plures seruitutem tenent 426.a
Seruitutem morte effugit Lacon puer impubes 529.a
Seruus nomen est ex iniuriâ natum 443.a
Seruus an domino beneficium dare possit 298.b.
omnis ex regibus oriundus 456.c.
cænanti ad pedes stat 302.a
Seruus cum peculio licet domini sit, huic tamen munus dare potest 370.a
Seruus in primam decuriam coniectus quam gratiam retulerit domino 461.a
Serui definitio Chrysippea 299.c
Serui à pedibus domini stare soliti 435.a.
cœmti ad memoriam refricandam ibidem.
etiam mensæ admouendi 460.a
Serui, olim familiares appellati 462.b.
quomodo tractandi 460.a. 462.a
Serui ex dominis facti, & ex seruis domini 461.b. 462.a
Serui omnes sumus 462.c
Serui quot, tot hostes 460.c
Seruis ad statuam confugere licet 201.c
Seruis colendi potiùs domini, quàm timendi 463.a
Seruorum dies festus 462.b
Seruorum fidelitatis erga dominos exempla 299.a 300.b. 301.a b. 302.a. fuga non ægrè ferenda 631.b.c. varia ministeria 460.c. numerus Demetrio quotidie relatus 156.b
Seruorum irâ non pauciores ceciderunt quàm regum 391.b
Seruos ad pileum vocare 463.a
Seruos Epicurus amicos vocauit 631.b
Seruos vt à liberis cultus distingueret, aliquando dicta in senatu sententia est 205.a
Seueritas non est contraria clementiæ 210.b
Seuerus Cornelius Ætnam descripsit 534.b.
vide *Cornelius*
Sextius cur animalibus abstinuerit 635.a. dicebat, Iouem plus non posse quàm virum bonum 516.c. iter ad deos monstrat 517.a
Sextius pater latum clauum D. Iulio dante repulit 611.c. vide *Q. Sextij*
Sextij Græcis verbis, Romanis moribus philosophantis imago de exercitu & sapiente 486.a.
consuetudo excutiendi totum diem 62.b.
dictum 39.a
Sextiorum noua & Romani roboris secta, inter initia sua exstincta est 761.d

Sextus Papinius flagris à C. Cæſare animi cauſsâ cæſus 52.a
Sextus Pompeius ſorori & fratri ſuperſtes 101.a. cur conſul factus 321.c.322.a
Sex. Trallus 768.a
Sicilia 216.a. 574.d. ab Italiâ inundatione ſecluſa eſt 749.c
Siciliæ circumitus 533.b. laus 724.a. in Siciliæ ſtagno quodam iniecta non merguntur 714.d
Siculorum iuuenum pietas in parentes 306.d. 307.a. 361.c
Siculum æquor 719.a. pelagus auſter exaſperat 410.b
Sidera ſemper vt in opere, ita in paſtu 694.b.c
Sidera quinque 120.a
Sidera volantia 680.c
Sidera circumnectentis fulgoris cauſſæ 682.a
Siderum defectio cur breuis 755.d
Siderum vis 715.d
Sidon mari ſuperfuſa 747.d
Signare rationem parem 363.b
Signatores 283.b
Signifer 758.d.759.a
Signum petere 308.d
Signorum deteſtatio 296.b
Silentium non eſt ſtudiis neceſſarium 476.c
Silenum habeo in caſtris 55.b
Siliceus vir 45.a
Siluæ in tectis domorum ac faſtigiis 670.a
Siluæ fulmine crematæ 697.d
Siluę tonſiles 679.a
Simplices qui 27.a
Simplicitatis indicium iracundia 43.a
Sinnis 210.b
Sipario fortiora dicta 161.a
Siremps lex eſto 583.b
Sirenes 479.c
Siſtrum concutiens 250.b
Siſyphus 430.b.768.c
Sitis luxurioſorum 730.a
Smaragdus 579.b
Sobrietas interdum remouenda 168.a
Soccatus 278.a
Socculus aureus margaritis diſtinctus, oſculandus porrigitur 277.b
Sociale animal 368.a
Societas ſalua quando ſit 35.c. 36.a
Societatis appetitio naturâ innata 401.b
Societatis commoda 316.c
Sociorum garum 601.b
Socrates 492.c. ab amicis ſe coargui paſſus 49.a. ab Athenienſibus damnatus fuit 258.c. damnatus an iniuriam acceperit 177.a. ad Archelaum regem cur venire noluerit 331.b. an ſibi agat gratias, quòd ipſe ſe docuerit 332.b. Ariſtophani iocorum materiam præbuit 251.a. carcerem intrauit ipſi loco ignominiam detractaturus 84.a. carcerem omni curiâ honeſtiorem reddidit 251.a. in carcerem coniectus 125.b. in carcere diſputat & exire noluit 428.c. xxx.dies in carcere exegit 506.b. in carcere moritur 166.a. colapho percuſſus quid dixerit 47.b. cum pueris ludere non erubuit 167.a. facetus, deriſor omnium, maximè potentium 332.a. loquens inducitur 248.b.250.a. 251.a. non fuit patricius 456.b. pallium verecundè ab amicis petit 380.c. perpeſſicius ſenex, per omnia aſpera iactatus 628.a. totam philoſophiam ad mores reuocauit 510.a. quam ſummam dicat ſapientiam ibid. ſerui caſtigationem, ne iraſceretur, diſtulit 12.a. Sophroniſcum exſpirare non patitur 304.d. venenum vicit 611.b. veritatem & virtutem idem eſſe dicebat 511.a
Socratis æqualitas in fortunæ inæqualitate 628.b. calamitatum enumeratio ibid.a. idem vultus 21.c. irati ſignum 49.a. libertas & conſtantia ſub triginta tyrannis 153.b. 336.c. mors laudatiſſ. 136.b. patientia in comœdorum ſalibus & vxoris iniuriis ferendis 185.b.186.a. reſponſum datum cuidam quęrenti quòd peregrinatione nihil profecerit 436.a.626.a
Socratis ex moribus plus quàm ex verbis philoſophi traxerunt 394.b
Socrati Alcibiades & Phædrus obiecti 251.b.252.a
Socrati ſeipſum donauit Æſchines pauper 267.a
Socratem calix venenatus è carcere in cælum tranſtulit 502.a. cicuta magnum fecit 408.c. in carcere Athenæ occiderunt 153.b. vix fama recepit 535.a
cum Socrate diſputare licet 226.a
cum Socrate viuendum 627.b
Socrati fœtus prouentus 155.b
Sol quibuſdam ſaxum aut fortuitorum ignium globus 383.b. 384.a. etiam ſceleratis oritur 319.c.320.c. aliquando cauſſa venti 732.c.733.b
Solis alimentum 744.d. area viſa 682.a. defectio perfecta 683.a. defectio quomodo deprehendatur ibid. quomodo fiat 331.c
Solis defectionem quantopere Archelaus rex metuerit ibid.b.c
Solis & lunæ dotes 318.c
Solis lux & vis integra eſt, etiam inter oppoſita 586.b
Solis miracula 752.c. officium 314.a. radiorum duplicatio, cauſſa caloris 728.b
Solis boues vbi ſtabulare fingantur 716.b
Soli quantum debeatur 353.b. 354.a.b. 383.b
Solem quidam pedalem dixerunt 684.a
Soles bini ternique viſi 687.d
Solatium maximum mortis noſtrorum 91.d
Soleatus 52.b
Solitudo mala ſuadet 432.b. quibus vitanda 402.b
Solitudo & frequentia miſcenda ſunt 167.a
Solœciſmum ſcienter commiſſum non erubeſcit grammaticus 599.a
Solon Athenas æquo iure fundauit 574.d. vino indulſit 168.b
Solſtitium & bruma in quibus ſignis fiant 718.c
Soluere in debitum 396.b
Solutio omnis non idem, ſed tantumdem reddit 346.b
Solutio difficilium quæſtionum ad quid proſit 734.c
in Solutum imputo 398.b
Σοφία 571.b. apud Latinos quoque in vſu eſt ibid.
Sophiſmata, id eſt captiones 458.b. Latinè cauillationes dicuntur 642.b
Sophoclis opinio de Nili incremento 725.d
Sophroniſcus Socratis pater 304.d
Sorbitio 533.a
Sordes detractæ 288.c
Sordes mutuæ reorum 5.a
Sorites inexplebilis 340.b
Sotion philoſophus 465.b. Pythagoræ amorem Senecæ iniecit 635.a
Spadonibus tributum Roma pendit 338.a
Sparſio 695.b
Spata 577.a
Species 482.a.b
Spectaculum naumachiæ ſecundum 508.c
Spectaculum meridianum 395.b
Spectacula matutina 66.a. 508.a.b. ſcenæ ludicra 19.a. bonis moribus damnoſa 395.b. manè & meridie fiebant ibid.

Specu-

Specularia 138.b.729.d
Specularium vſus Senecæ tempore innotuit 577.c
Specularibus latis diem admittere 558.a
Speculator 15.a
Speculum iratis opponendum 39.a. concauum qualem imaginem reddat 684.c
Speculi ratione imago redditur ibid.
Specula cur inuenta 690. c. ex multis minutis compoſita 685.a
Speculorum variæ naturæ 685.d. 686.a. 689.c. luxuries 691.a
de Speculis duæ opiniones 684.d
Specus veneranda 453.c
Specus ſubterranei 712. c
Spes, nomen incerti boni 402.b
Spes improborum vt vitanda 629.b
Spes longas inchoantium dementia 618. a
Speuſippus putat beatum ſolâ virtute fieri poſſe, non tamen vnum bonum eſſe quod honeſtum eſt 553.a
Speuſippo ſerui caſtigationem Plato commiſit 48.b
Sphæromachia 535.d
Spiramentum 143.b
Spiramenta 744.c.756.b
Spiritus & ſanguis corporis humani 744.a
Spiritus ſacer intra nos ſedet 453.b
Spiritus quomodo ſubeat terram 747.c
Spiritus vitalis terræ ineſt 744.d
Spiritus terræmotus cauſſa ſtatuitur 743. b.c. 744 a. 745.a
Spiritus vis 694.d. 695.a
Spiritus & venti diſcrimen 734.c
Spiſſamentum 441. c
Spiſſiſſimum 540.c
Splendidum nihil ſine luce 442.a
Splendoris & lucis diſcrimen 423.b
Spoliarium 135.b.590.a
Spolium 196.a
Spondere pro iudicato 314.a
Spondyli 601.b
Spongia ad emundanda obſcœna 508.a.b
Spongiâ inſertâ os morituris incluſum 53.a
Sponſalia 326.b
Sponſaliorum genus decentiſſimum eſt adulterium 268.a
Sp. Anij lucifugæ vita deſcribitur 671. a. b
Stagna quædam ſine fundo 713.c. ſacrata 453.c. ſubterranea 712.c
Stamen rectum 577.a
Statilia inſcribi ſuo monumento iuſſit, ſe x c i x. annos vixiſſe 529.c
Stabilitor, Dei cognomen 311.c
in Stationenſi lacu natat inſula 715.a
Stator Deus 311.c
Statuarij 567.a
Status fulmen 701.d
Stella ſuper lanceam viſa 681.b
Stellæ Artemidoro innumerabiles 756 a. cur ſtare vel redire dicantur 759.c. falsò putantur decidere aut tranſilire 681. a. variæ 78.a. volantes 688.c. tranſuolantes tempeſtatis ſignum 681.b
Stellarum tranſuolantium cauſſæ 696.d
Stellarum alimentum 694. b.744.d. curſus 318.c. 319 a. effectus 696.a numerus & nomina quamdiu fuerint excogitata 759.b
Stellarum concurſu non fit cometes 755.c
Stellarum quinque curſus ſolùm quando notus eſſe cœperit 759.a.c. poteſtas à Chaldęis obſeruata 700.c
Stellis duplex motus 758.b
de Stellis quæſtiones 752.c
Stemma non inſpicere docet philoſophia 456.b
Stemmatum flexuræ 302.b
Stercoroſum 716.a
Stigmata ingratum hoſpitem teſtantia 325.b
Stilponis auditor Crates 402. a. obiurgator Epicurus 401. b.c. reſponſum Demetrio datum interroganti, numquid perdidiſſet ibid.b. 176.a
Stilponi quid Epicurus obiecerit 399.a.401.b
Stilus & lectio coniungenda ſunt 549. c
Stipatores 198 a
Stips æris abiecti non eſt beneficium 321.b
ad Stipem manum in ponte porrigere 248.a
Stoica lingua 407.b. ſententia 425.c. ſignificatio 485.b
Stoicæ ſectæ paradoxum 286.c
Stoicæ ſectæ ſpecie quidam ad vitia hortantur 673.c
Stoicus quidam Senecæ amicus Marcellinum ad mortem ſubeundam hortatur 528. a.b
Stoico vox communis cum Stilpone 401.b.c
Stoici animam hominis magno pondere extriti permeare non poſſe exiſtimant 480. b. defenſi 320.a. Deo rotundam formam dant 645.b. duos ingratos ſtatuunt 319.c. genus ante ſuperius ponunt 482.b. ſingulis & Genium & Iunonem dederunt 640.a
Stoicorum animalia infinita deridet Seneca 643.c. 645.b. cum Peripateticis diſputatio 554.b. decretum de perpetuo actu ſapientis 253.d. exempla & præcepta 254.a. 503.b. paradoxa aliquot 335.a. paradoxum, ſapientem numquam facti ſui pœnitere 324.a. placitum, ſapientiam bonum eſſe, ſapere bonum non eſſe, examinatur 655.a. præcepta in actu mori imperantia 397.a. quæſtio, an ſibi aliquis beneficium dare poſſit 332.a. opinio de cometis & ceteris cæli oſtentis 758.a. opinio de paritate bonorum probatur 495.d. opinio de rerum principiis 711.b. ſapientia à Zenone cœpit 83.a. ſecta vulgò nimis dura, ſed reipsâ lenis & benigna eſt 211.a
Stoicorum ſecta de fati immutabilitate defenditur 701.a
Stoicorum & ceterorum ſapientium diſcrimen 171.a
Stoicorum & Epicureorum diſſenſio de otio ſapientis 254.b
Stoicorum auctorum contextus virilis & continuus 444.a.b
Stoicorum paradoxorum nullum falſum eſt 559.c
Stoicis vna ſaltem cauſſa 493.a
Stoicis publicâ voce occurri ſolet 654.c
Stoicis præceptis quæ fidem detrahere ſoleant 172.b
cum Stoicis hominis naturam vincere 226.a
Stolâ indutus 240.a
Stomachicus 430.a
Stomachus intemperans 729.c.d. moroſus 531.b ſuſpectus 46.b
Stomachi faſtidientis eſt multa deguſtare 388.c
Stomachi morbo vitiati ſimile 335.b
Stomachoſus 4.a
Stratonis Peripateticæ philoſophiæ cultoris decretum de terræmotu 743.d
Strigare 441.d
Strophis ac fucis remotis 433.b
Struthiocamelus depilatus 184.a
Strymo 679.b
Studia inutilium litterarum arguuntur 224 a
Studia liberalia cur ita dicta 564.c. ad alia multum, ad virtutem nihil conferunt 567.b. non cenſentur inter bona 564. c. præſidia certiſſima ſunt 87.b.c
Studiis liberalibus non obſtant negotia 489.b
Studiorum modus tenendus 157 b.c

Studiis non necessarium est silentium 476. c
in Studiis vtilia, non subtilia quærenda 457.c
Studiosa luxuria 158.a
Stultitia 449.c. cur nos tam pertinaciter teneat 486.b. semper incipit viuere 409.a
Stultus omnia vitia habet 320.a
Stulti & sapientis quod discrimen, si vterque habere vult 249 b
Stulti res non est 288.b
Stulti vita qualis 413.b
Stulto nullâ re opus est, sed omnibus eget 400.c
Stulti omnes mali 336. a. omnes insaniunt, nec tamen omnes elleboro curantur 288.b
Styx in Arcadiâ mortifera 714.c
Sub ictu 515.a. sub manu 509.b
Subinfluere 719.b
Sublimia quæ dicantur 693.c
Suboles 118.a
Subrecti montes 746.c
Subrectis ire vexillis 336.c.679.b
Subrigere plana 741.a
Subriguntur capilli 2.a. 19.a
Subrubicundus 42.b
Subscriptionem edere 768.b. componere 301.b
Subsiciua res 473.b
Subtemen 577.a
Subtilitas nimia veritati infesta est 570.a
Subulâ armatus 551.c
Subulâ leonem excipere 545.a
Succussio terræmotus species 746.d
Sucro 342.a
Sudare & bibere, cardiaci vita est 412.c
Sudatoria 236.b
Sudatoria sicci vaporis 469.a
Sudor quibusdam etiam constantissimis in populi conspectu erumpit 403.b
Sudorem quid aquileges vocent 712.a
Sufes 153.a
Sufflaminanda rota 768.c
Suffragatio materna 128.a
Suffragator 382.b
Suffragatores 228. b
Sulphuratio 711.d
Summa summarum 453.a
Summatium 450.c
Summulæ minutæ 528.b
Superadornatæ materiæ 725.d
Superbia in beneficio dando vitanda 277.b.278.b
Superbia ministrorũ regię potentię reprehẽditur 274.c
Superbiæ proprium 360.b
Supercilioſi censores 673.b
Superfundi 157.a.741.c
Supermicare 305.a
Superstitio quid 674.a
Superstitionis argumentum, abstinentia quorumdam animalium 635.c
Superuacua studia reprehenduntur 224.a. 225.b
Superuacuis supersedendum 162.a
Supinata testudo 667.a
Supparum 527.c
Supplicium militare 13.a
ad Supplicium decem dies medij 164.b
Supplicij verba sollennia 13.a
Supplicia scripta 610. a. multa principi turpia sunt 205.a. de sceleratis sine irâ sumenda 13.a
Suppurare 222.a. 487.c
Suppurata tristitia 537.a
Suppurationes præcordiorum 410.a
Surrentinum littus 738.d
Sus confector 66.a
Suspectus sui nimius ingratos facit 284.b
Suspensurę balneorum 577.c
Suspicionibus locus dandus non est 30.b. 31.a
Suspicioſi 397.b
Suspicando ius peccandi fit 390.a
Suspirium, id est asthma 474.b
Sutrinum 577.c
Sybaritarum ciuitas 31.b
Sylla coloniam in Corsicam deduxit 77. a. Romanorum vltimus pomœrium protulit 225.b. septem millia ciuium trucidari iussit 197. b. violentissimus erat rubore suffusus 404.a
Syllæ dictum ad senatum ob gementium conclamationem exterritum 197.b. crudelitas 337. a. proscriptio 19.a
Syllæ dictatori solus aliquid negauit Rutilius 135.a. 428.c. vide L. *Sylla*
Syllanæ crudelitatis exemplum, quòd à rep. liberos proscriptorum remouit 38.a
Syllanæ proscriptionis spoliarium 135.b
Syllogisimi 634.c
Symphonia 406.b.673.a
Symphonia & classicum 469.c
Symphoniarum cantus 468.c
Syngraphę 374.a
Syphonis in modum exprimere 697.b
Syracusæ 118.b
Syria 216.b
Syriæ molles bello viri 8.c. oppida terræmotu agitata 582.b. rex Demetrius 756.d
in Syrię stagno natant lateres 714.d
in Syriâ totius populi nares recisæ sunt 53.b. 54.a
Syrtes 442.b. Syrtium incerta vada 128.c
Syrticæ gentes in defosso latent ob æstum 576. b
Syrticum mare 240

TABELLAM dimittere 293.b
ex Tabellâ recitare 767.a
Tabellæ feneratorum 176.b
Tabellariæ naues 527.b
Tabernaculum in cubiculo 528.b.c
Tabulæ 374.b. Tabulæ nouę 541. a
Tabulæ nouę beneficiorum 265.c
Tabulæ publicę 33.a. eædem codices dicti 224.b
Tabularum duodecim cautio 728. b
Tabulas XII. loqui 649.a
Tabularios lassat patrimonium 566.b
Tædium rerum quomodo tollendum 151.a
Talaria, tormenti genus 53.a
Talthybius deorum nuntius 767.d
Tamusij annales 590. a
Tamen etsi 312.b
Tantalus 768.c
Tanto fortior, tanto felicior, laudandi formula 166.b
Tanto melior surge 441.d. 442.a
Tanto melior, tanto felicior 512.c
Tardiloquium laudatur 453.a
Tarentum 150.c
Tarpeio proditor hostísve publicus imponitur 13.a
Tarquinius 282. b
Tauromenitanum littus 533.c
Taurus colore rubicundo excitatur 59.b
Tauri & vrsi pugnam sus confector expectat 66.a
Tectorio gregali inducta balnea 557.b
Tectorum machinationes non excogitauit philosophia 575.a
Tegimen 748.a
Tegulâ in extremâ stare 405.c
Telesphorus Rhodius decurtatus in caueâ pastus fuit 51. b
circa Tempe noxia pecori aqua 741.c
Temperantia 568.c

Tem-

Temperatura corporis tolli arte nequit 404.a
Tempestatis argumenta 681.b.682.c.686.a.688.c
Tempestates an munusculis redimantur 728.a.b
Templa compositi intramus 760.d
Templorum foribus assidere 604.a
Temporariæ amicitię 400.a
Tempus ad necessaria discenda non sufficit 466.a
Temporis breuitas 658.c. dispendia varia 152.b. 658.c. edacitas 69.a. fuga colligenda & seruanda 387.b. iactura triplex ibid. partes tres 675.c. partes inter se comparatæ 220.b.c. 221.a. velocitas 636.a.b. 750.d. vilitas cur tanta 219.a
Temporis præsentis sola ratio habetur 291.c
Temporis vnius honesta auaritia est 215.b
Temporis vnius possessio nobis data 387.c
Temporis velocitas non patitur superuacua discere 465.c
Tempori parce 569.c.593.a
de Tempore quàm multæ sint quæstiones 569.a
Tentyritæ quomodo crocodilos superent 725.c
Terentia 136.b
Terra corpori humano confertur 711.c. cum mari globum facit 718.a. mas, & femina 711.c. non est sine spiritu vitali 744.d. puncto comparatur 679.b. pars mundi & materia 694.b. quibusdam animal 744.b. quibusdam terræmotus causa est 743.a. quomodo ad continuanda flumina sufficiat 709.b. sub finem mundi in humorem soluetur 718.d
an Terra mundo stante vertatur 752.d
de Terrâ quæstiones 693.c
sub Terrâ specus & stagna 712.c
Terram aquę innatare, rudis & inepta opinio est 711.b. 741.c
Terræ multa habent mortifera 749.a
Terrarum orbis pila est 728.d
Terræmotus ingens in Campaniâ 738.c.d. insanis aliquot similes discurrere fecit 749.b. per c c. milliaria non extenditur 748.a.
Terræmotus caussæ 741.a.b. 742.d. 743.a.b.c.d. 744.a.c.d. 745.b.746.a.b. effectus 741.a. 748.c.749.b.d. genera 749.d
Terræmotu qui fiat vt loca disiiciantur & intereant 747.d
Terræmotum præcedit aëris tranquillitas 743.c. sequitur pestilentia 748.d. & ventus 745.b
Terræmotus timor demitur 739.a.750.a
Territorium 119.a
Tessellæ in balneo separatæ, iterumque commissę terræmotu 750.a
Testamenti ordinatio quàm diligenter curetur 313.b. 318.b
Testamenti tabulis annulum imprimere 398.a
Testamentorum captator 317.b
Testamentorum captandorum artem professi 362.c
Testes cur adhibeantur 296.b
Testes secundæ notę 727.a
Textorium 645.d
Textricum ars malè dicitur à sapientibus inuenta 577.a
Thales Milesius terram aquę innatare opinatur 741.c
Thaletis opinio de Nili incremento refellitur 726.a. opinio de terræmotu improbatur 741.c. sententia de aquæ elemento 711.b. sententia, quòd terra aquæ innatet, exploditur 711.b
Thalia Gratiarum vltima 264.a. Hesiodo Charis est, Homero Musa 265.a
Thasius lapis, rarum quondam in aliquo templo spectaculum 556.b
Theatrum Neapolitanorum fractum 523.c
Thebę non sunt motæ in Chalcidis tremore 748.a
Themisonis secta 599.a
Theodorus philosophus quid tyranno mortem minanti responderit 164.a
Theodorus 19.a
Theophrastus 226.b. 260.c. discipulus Aristotelis 743.c. non diuini, dulcis tamen eloquij vir, & nitidi sine labore ibid. arguitur 9.b. 10.c.710.d. citatur 710.d.712.c. 714.d. 715.c. 725.c
Theophrasti præcepta 389.c. sententia de terræmotu 743.c
Therasia insula in Ægeo mari enata 746.c.d
Θηελυγρεῖς 56.b
Thermarum fundamenta in mare iacta 670.a
Thermopylarum angusta 358.b.544.c
Thersites 56.a
in Thessaliâ noxia feris aqua 714.c
Thessaliæ paludes quomodo siccatæ 748.a
Theutonici à Mario cæsi 597.a. cladis caussa 8.b
Thraces 679.b
Thraciæ angulus 331.b. iuga 726.a. præpositus L. Piso 547.b
Thracias ventus 735.d
Threcę incompositi staturâ 722.d
Thucydides allegatur 747.d.748.c
Tiara recta in capite, solis regibus data 359.a
Tiberis 546.a.767.d
in Tiberis ripâ regna Arcadum 76.b
Tiberius filius Liuiæ Augustæ 109.b
Tiberius Cæs. Appiâ viâ ad deos iuit 763.b. amicorum notitiam auersatus 342.b. Atilio Butę prodigo paupertatem confitenti, Serò, inquit, experrectus es 670.b. à pluribus rogatus, vt æri alieno succurreret 276.a. Cossio ebrioso & vrbem & arcana multa commisit 547.b. M. Allium prętorium à creditoribus liberat 275.b. fratris Drusi mortem æquo animo tulit 101.b. mullum ingentis formæ vendit 603.b. pro rostris filium mortuum laudauit 116.b
Tiberij imago ectypa 301.b. obliuio 342.b. prima tempora 188.b
Tiberij amicitia & frigore notus Montanus Iulius 670.b. Tiberij Cæsaris principatu alienigenarum gentium sacra mota sunt 635.c. eius tempore publica accusandi rabies 301.b
sub Tiberio Cæsare cæli ardor visus 689.b
Tib. Gracchus 117.b. vide *Gracchus*
Tibiarum ac organorum genus ex pulpito consonabat 550.c
Tibicen Græcus 523.c
Tiburtinum 314.a
Tiburtinus calix 661.c
Tigrim osculatur custos 555.b
Tigris fl. 626.d. euanescit, & tandem iterùm emergit 716.a.742.c
Tillius Cimber acerrimus Cęsarianarum partium defensor Cæsarem posteà interfecit 59.c. eius iocus in se 547.b. Tillio Cimbro ebrioso creditum fuit de C. Cæsaris cæde ibid.a
Timagenes historiarum scriptor, exclusus Augusti domo, in Pollionis Asinij contubernio consenuit 56.a. felicitati vrbis Romæ inimicus 583.a
Timenda quibus depelli possint 409.c.410.a
Timendorum tria genera 409.c
Timeri non est potentię signum 24.b
Timeri quàm despici periculosius ibid.
Timidus duorum generum est 320.a
Timidus pro cauto accipitur 458.a
Timor acer & assiduus quid efficiat 198.a

Timo-

Timoris reprehenſio & remedia 393.a.407.b.c. 408.b. 610.d
Timor, vide reliqua in *Metus*
Tiro palleſcit ad vulneris ſuſpicionem 138.a
Tirunculorum impetus primi 636.a
Titulus ſepulchri 230.b
Titulum impingere 461.a
T. Arij liberalitas & clementia in filium parricidam 199.b.200.a
T. Manlij pietas in patrem imperioſum 307.a
T. Liuius ſuos libros à Doro emere poteſt 370.c
à T. Liuio poſitum dictum de Cæſare vulgò iactatum 736.c. vide *Liuius*
Τὸ ὂν Latinè exprimi nequit 481.c. ſex modis dicitur 482.c
Togatæ antiquæ 571.b
Togatæ inter comœdias & tragœdias mediæ 398.b
Togati 247.a
Togati purpuratique 180.c
Togis inter ſe corona ſordidior & turba cultior diſtant 648.c
Tollutarij 561.a
Tolerantia fortis aſperorum ſitne optabilis 501.c
Tolleno 695.b
Tomentum Circenſe 248.a
Tonans 311.b
Tonat aliquando ſereno cælo 681.c
Tondere filios in luctu moris erat 331.c
Tonitru quomodo fiat 696.b.c.697.b.c. 704.c
Tonitrua, antiqui tonitruum aut tonum dixerunt 705.a
Tonitrua quædam abſque nubium concurſu 699.d
Tonitrua, fulmina & fulgurationes ſimul fiunt 696.a
aduerſus Tonitrua ſubterraneæ domus excogitatæ 739.b. 740.b
Tonitruum diſtinctio 699.a
Tonſor 222.a
Tonum dixerunt antiqui tonitrua 705.a
Tormentorum patientia ſitne optabilis 501.c
Torqueri, & in conuiuio iacere, pariáne ſint 497.b. 511.c
Torpor letalis 542.b
Torrens curſus 717.a. vnda 240.b.452.b. impetus 427.c
Tortor 410.a
Trabes igneæ 680.c.681.d. an inter cometas ponendæ 689.b. quomodo fiant 753.b.c
Tractatori manum præſtare 500.b
Traductio & dedecus 5.c
Tragici 398.b
Tragici dictum 466.c. 622.a
Trama 577.a
Tranquillitas, Græcis εὐθυμία 149.a
Tranquillitas Epicureorum 314.b
Tranquillitas quæ vera 478.b. quibus remediis procuretur 149.a.151.a
Tranquillitatis cauſſa non locus, ſed animus eſt 476.a.b
Tranquillitati infeſta vitia 164.a
Tranquillum mare 731.c
Transfigurari 393.c
Tranſlationes verborum 486.a
Traſimenus 21.a
Tremor terræ 746.d
Tremoris corporum cauſſa 745.d.746.c
Triarij 153.a
Tribunal honoris inſigne, non honor 266.b
Tribunal nummarium alteri addicere 268.a
Tribunus à Manlio in ordinem impunè redactus 307.a
Tributum principale 276.a
Tributum prouinciarum vnâ cænâ conſumptum 80.c
Tripudiare virilem in modum 167.b
Triſtionia à Claudio occiſa 767.a
Triſtitiæ ſitne cognata voluptas aliqua 614.c
Tritici bonum 675.b
Triumuiralis proſcriptio 276.c
Trogloditæ 725.d
Troſſuli 561.a
Troſſuli & iuuenes 523.b
Tuber tyranni gladio diuiſum 281.b
Tubero fictilibus in publicâ cænâ vſus 611.b.c. quibuſdam parùm frugi eſt 665.b
Tuberonis lignei lectuli, hædinæ pelles & vaſa fictilia 607.a
cum Tuberone viuendum 627.b
Tubicen 531.d
Tullius Marcellinus conſilio de morte cum amicis habito, tridui inediâ ſibi vitam ademit 528.a.b
Tumultuarius miles 41.b
Turannius ſenex, procurationis vacatione acceptâ, tamdiu ſe plangi iuſſit, quouſque labor illi ſuus reſtitutus fuit 231.a
Turba vitanda 395.a. 397.a. 402.a
Turbo 753.c
Turbo igneus 734.b
Turbinis cauſſa ibidem
Turdilli 608.a
in Turno nulla mora 364.a
Turpia quæ 442.a
Tuſcis ſumma fulminum ſcientia 700.b
Tuſcos Aſia ſibi vendicat 76.a
Tuſculanum 314.a
Tuſcis continua 532.a
Tutela ebore cælata 525.a
Tutò vt viuas, quæ obſeruanda 629.b
Tympanum in manu eſt 240.a
Tympana cur ſonent 699.c
Tyrannicida conſcios tyranni amicos nominat 30.b
Tyrannus an beneficium det 281.b. 282.a
Tyranni & regis differentia 197.a
Tyranni tuber gladio diuiſum 281.b
Tyrannóne beneficium dandum 378.a.c
Tyranni triginta Athenienſium, 1300. ciues occiderunt 153.b
Tyrannorum pœna 206.a
Tyria purpura 685.d
Tyrij Africam incolunt 76.a
Tyros aliquando ruinis infamis fuit 739.d. mouetur & diluitur 748.d

VACATIO procurationis 231.a
Vacationem dare 71.b. 253.b. 767.b. petere 51.a
in Vadimonis lacu inſula natat 715.a
Vadimonium 398.a
Vade fortiter, vade feliciter 750.c
Vagellij carmen 740.c
Valdiſſimè 219.b
Valens 768.a
Valgius Ætnam vnicum dixit 468.b
Valere, philoſophari eſt 412.b
Valerius Aſiaticus 185.a. conſul 698.d
Valerius Coruinus ob Meſſanam captam Meſſalla dictus 225.a
Valetudinarium 12.b. 434.b
Valetudo animi primùm, deinde corporis curanda 412.b
Valetudo felicior 499.b
Valetudine feſſi, iracundiores 28.a. 46.b

Vapor ſiccus & humidus 696.b
Varices quidam exſecandas præbens, legere librum perſeuerauit 532.a
Varro citatur 765. d. quâ arte ventos ordinet 735.c. Vulturni nomen vſurpat ibid.d
Varronis Romanorum doctiſſimi remedium aduerſus mutationem locorum 77.a.b
Varus eques Rom. cænarum bonarum aſſectator 670.c
Vaſa colligere 419.c
Vatiæ felicitas vulgò celebrata 475.c
Vaticinantium copia vbi 749.b
Vatinius ſcurra quomodo Ciceronis vrbanitatem effugerit 184.a.b
Vatinius remp. venumdedit 172.a
Vatinio poſtpoſitus Cato 137.a
in Vatinium Calui ſententia 592.d
Vatinij 659.c.665.b
Vdum plus eſt quàm humidum 698.c
Vectatio 168.a
Vedius Pollio murænas ſanguine humano ſaginabat 201.c. ob ſæuitiam in ſeruos caſtigatus ab Auguſto 64.b.c
Velleius 722.c
Vellem quæ velles 502.c
Velocitas quæ laudabilis 38. b
Velum alleuatur 536.a
Velis cænatio muniebatur 729.d
Vena ad extenuandum corpus percutitur 507.c. medico tangenda eſt 425.a
Venæ aquarum 711.d
Venæ ſanguinis receptacula ibid. c. incertæ & naturalem turbantes modum, febris indicium 625. a. quibuſdam remedij cauſsâ extrahuntur 134.b
Venarum imperturbata mobilitas, valetudinis bonæ indicium 744.b
Venas cadentes vino reficere 294. b
Venati in mari 712.c
Vendens funeribus neceſſaria & lucrum optans, an meritò à Demade ſit damnatus 362.b
Vendere quæ emeris, gentium ius eſt 268. a
Venditio quid 333.c
Veneficus 335.c
Venenata fulmine icta, venenum amittunt 700.a
Venenum 281. c
Veneriæ 601.b
Veneris comites ſunt Gratiæ 264.b. ſignum 185.a
Veneris genitricis ludi 757.b
Venerem ſuam habere 285.b
Venia 212.a.b. quàm laudabilis ſit 38.a
Venter benè moratus, magna pars eſt libertatis 672.b. paruo dimittitur 425.a
Ventris cauſsâ quantum laboretur 650.c
Ventri obedientes, animalia ſunt, non homines 488.b
Ventilare 150.c.657.d
Ventus quid 711. b. 731. c.d. bonis & malis communis 320.c. quomodo fiat 731.d. 732.b. ἐγκελτίας 732.d
Venti & aëris diſcrimen ibid.c
Venti & ſpiritus diſcrimen 734.c
in Ventum iactare brachia 736.b
Venti ἀνεμίαι 733.d. Eteſiæ ibid.b. ſubterranei 734.c. quidam quorumdam locorum proprij 736.a. quando & vnde flent 732.d.733 b.734.a
Ventorum abuſus 736.c. numerus & nomina 735.b.c.d. vtilitas 736.b.c. 737.b
Verba ad ſummam caueam ſpectantia 161. a multa apud antiquos ſitu occupata 481.c. pauciora rebus 288.a. ſollennia 13.a. philoſophantium qualia eſſe debeant 521.b
Verba aſſeſſoris prætor adeuntibus pronuntiat 152.a
Verba ex alieno ſæculo petere 649.a
Verborum cura non nimis anxia eſſe debet 651.a
Verborum notæ 578.a. tranſlationes 486.a. Latinorum magna paupertas 481.a
Verborum non tam quàm rerum cura habenda 457.c. 458.a
Verbis opera concordare debent 421.b.c
Verecundia quorumdam extimeſcenda 404.a
Verecundiæ laus, & quòd nulla ſapientia eam abigat 403.b
Verecundiam ſcenici artifices penitus exprimere non poſſunt 404.a.b
Veritas & virtus idem 511. a
Veritas inuoluta in alto latet 367.a. 368.a
Veritias argumentum eſt, publicus conſenſus 655.c
Veritatis ſimplex oratio 452.a. 466.c
Verminare 700.a
Verminatur 243.a
Verminatio 531.a
Verminationes cerebri æſtuantis 599.d
Vernilitas 598.b
Verniliter 277.a
Vernula rudis 146.a
Verrucoſus 322.a
Verſura domi fit 333.a
Verſuram facere 420.c
Verſus 593.a.605.a
Verſus de auaritiâ 634. a. b
Verſus Græcus deteſtabilis 209.b
Verſus diſertiſſimi inter mimos iacent 398.b. multò efficaciores ſunt ſolutâ oratione 634.a.b
Verſuum duorum de beneficiis examen 262.b
Veruex marinus 184.a
Verum non niſi audituro dicendum 437.a
Verum dicere & audire adſueſcendum 504.a
Verum omnibus publicè dicit Seneca 573.a
Verum qui dicat, potentibus deeſt 357.c
Veriſimilitudo, non exploratio ſpectatur 323.b
Vertebrarum dolor quomodo interquieſcat 531.a
Verticoſus 754.c
Veſtales virgines 254.a
Veſtiarium 157.a. 299.c
Veſtis quando mutetur 417.b
Veſtis peruerſa magiſtratus 12.b
Veſtis nihil celatura 577. a. ponderibus aut tormentis ſplendere cogentibus preſſa 146.a
Veſtis ſapienti non omnis conueniens, nec quiuis color 468.b
Veſtis mundæ electio appetenda homini 585.c
Veſtes è corticibus arborum, auium plumis, vulpium tergis, &c. 576.a
Veſtes ſericæ exprobrantur 373. a
Veſtium color 233.b
Veteranus audaciter cruorem ſuum ſpectat 138.a
Veterare 107.b
Veteraria 650.c
Veternoſus animus 16.b
Veternoſiſſimi artificij nodi 544.c
Veterum opiniones parùm exactæ, & rudes 741.b
Veterum præceptum de optimâ vitâ ſequendâ 236.c
Veteribus mos fuit terram ſubigere 556.b
Vexillis ſubrectis vrbem intrare 336.c
Via Latina 529.c. recta 767.d. ſacra 117.a.767.b. vicinalis 342.b
Viáne monſtranda ſit ingrato 321. b
Viator 100.b
Vicarij duo 156.b
Vicæ Potæ filius Dieſpiter 766. b
Victimæ quando gratæ 266.b

Viduus cælibatus 268.a
Vienna 765.b
Vigiliæ peruersum tempus arguitur 669.a
Vigiliarium 480.b
Villa totius anni 476.a
Villæ castris similes 469.b
Vinctorum greges in ætatum & colorum paria deducti 222.a
per Vinctos terra colenda 374.b
Vindemitor 763.c
Vindicta quando laudata, quando non 36.b.37.a
Vinicij tarditas in dicendo 452.c
Vinum calentibus ingeniis & pueris subtrahendum 28.b. iram cur incendat ibid.a. fulmine gelatum, cur potum exanimet, aut dementes faciat 704. b. fracto dolio rigidum stat 700.a
Vini inuentor cur Liber dictus 168.a
Vini ministèr in muliebrem modum ornatus 460.c
Vini veteris amaritudo ipsa delectat 490.b
Vino deditorum vita quàm turpis 217.c
Vino interdum indulgendum 168.a.b
inter Vinum & oleum occupati homines 412.c
Vina per sapores & ætates disponere 729.b
Vir bonus an beneficium ingrato noto daturus sit 319.c. an non irascatur si patrem cædi vel matrem rapi viderit 9.b
Vir bonus duplicis notæ 454.c. non potest non facere quod facit 353.b. summæ pietatis erga deos est 526.a. vinci nequit 329.b
Viri boni animus qualis 651.b. exemplum semper intuendum 404.b. 432.b. similitudo cum Deo 132.a
Virum bonum non faciunt studia liberalia 565.a
Viri boni omnes pares 498.c
Viris bonis cur mala accidant 130.d.132.a.b
Viris bonis inest quiddam diuinum 453.c
Viros bonos, candidatos dicimus 389.c
Viri diserti turpissimum principium 657.c.d
Viri gratiosi timendi interdum 410.a
Vir fortis & strenuus 425.d. eius descriptio Virgiliana 606.c
Viri fortes qui 608.a
Virorum magnorum imagines & natales celebrandi 492.b. exempla sequenda 627.b
Virorum sapientium conuersatio vtilis 594.a
Virgæ aureæ 147.a
Virgarum, coronarum, & arcus differentiæ 687.c
Virgarum significationes & causſæ ibid.
Viridia 556.a
Virgilius à Polybio conuersus 95.c.98.b
Virgilius Ætnam descripsit 534. b. Ennium imitatus est 637.b. parùm propriè dixit, mala mentis gaudia 485.b. reprehenditur 558.b.c
Virgilij præcepta nautica 472.c versus duobus æternam memoriam promittentes 423.c. versus 39.a.118.c.190.c.220.a.310.b.311.a. 347.b.381.a.419.a.436.a.b. 478.b. 481.b.c. 487.c. 492. a. 502.a. 505. d. 516. c. 527. a. 528. d. 542. d. 544.a.b. 549.c. 551.d. 558.b.c. 560.b. 562.b. 575.a.b. 585.b.606.c.618.a.619.b.623.c.627.c.628.c.631.c. 636.a.b.c. 637.b. 645.d. 650.a 651.c.669.a.686.a. 687. d. 688. c. 690. d. 708. d. 716. a. 723. d. 727. c. 731. c. 735. c. 740. a. 744. a. 745. c. 747. a. 748. b. 749. b. c. 760. b. c. 792. a
Virgilium aliter grammaticus legit, aliter philosophus 636.a. b
Virginius & Regulus Coss. 738.d
Virgo aqua 546.a
Virtus animi vna, sed multæ species 496.a
Virtus à voluptatum ministerio defenditur 308.d. ad benè beatèque viuendum satis esse probatur, opinionibus contrariis breuiter refutatis 242.a. 551.b. 561.a. cur nullo egeat 518.c. experimento innotescit 137.b.c. in quocumque habitu est, prodest 153.a. maior vel minor fieri non potest 175.a. 510.b. 511.a.c. naturâ glorioſa 306.c. nihil in se habet venale 308.c. non cohonestatur pulchritudine corporis, nec deformitate fœdatur 495.c. non dedisci tur 468.a. non propter voluptatem petitur 237.b. omnibus patet 298.b periculi auida est 137.b. quædam effugere non potest 480.a. quid sit 513.a. suâ magnitudine omnes dolores, molestias, iniurias elidit 497.b. suapte naturâ placet 316.a. vnicum hominis bonum 524.c. 525.a
Virtutis ardui aggressus 141.b.c. 244.a. comitatus indiuiduus 502.b. documentum numquam molle 139.a. duæ partes 594.c. opera omnia bona 525.a. vis 316.b
Virtutis & voluptatis dissimilitudo 236.b
Virtutis & voluptatis societatem quid prohibeat 240.c
Virtuti etiam in lectulo locus 532.b
Virtuti oppositæ nihil detrahunt 586.b
Virtutes inter se pares, vt virtutum opera 496.a.c. quædam stimulis, quædam frænis egent 249.a
Virtutes si animalia sint, quàm multa absurda sequantur 643.c.644.a
in Virtutes arduum iter non est 26.a
Virtutum humanarum vnica regula 496.c
Virtutum pretium in ipsis est 540.b. semina naturâ insita sunt 634.a
Virtutum magnarum memoria sacra 321. c
Vis electioni obest 281.b
Viscata beneficia 397. b
Visceratio 420.c. 516.b
Visus noster in humido labitur 686.c
Visus fallax 684.a
Vita actu, non tempore metienda est 588.c. 589.a
Vita longissima 218.a. 221.b. cur breuis videatur 213.d.215.c.217.b.c. 218.a.b. errorum plena 232.d. 233.a. fortunę expers, mare mortuum est 502. c. ficta & ostentationi parata 166.c. inter bonos & publicos mores temperanda. 393. a. melior quàm vulgus viuit instituenda, non contraria 392.b. nuda, muscarum ac vermium bonum 304.c. non sentientibus effluit 505. c. potiùs deridenda, quàm deploranda est 165.b. quomodo hominibus elabatur 387.b.c. quorum breuissima, ideoque miserrima sit 227.b. 228.b. 230.b. seruitium est 159.a. supplicium est 97.a. similis fabulæ 530.a. similis ciuitati captæ 381.c. stulta 97.a. vt tuta sit & secura, quæ obseruanda 629.b
Vita otiosa & ignaua differunt 475.c
Vita occupatorum breuissima est 217.c. 218.a 220.b
Vita quorumdam contra naturam instituta taxatur 669.a.b.c. 670.a
Vita quorumdam formicis per arbusta repentibus similis 162. b
Vitæ amor catenæ comparatus 434 a. breuitas 124.a.443.b. 529.c. conditio qualiscumque æquo animo ferenda 631.b. consensus cum oratione laudatus 421.b. diuturnitas non canis vel rugis æstimanda 219.a. exordium à fletu 93.c. fastidium quomodo effu-

giatur 152.a. forma ſana & ſalubris 397. c.
genera tria, quodque ſit optabilius 258.a.
genus auſterum fugiendum 392.b. iactura
maxima, dilatio 219.c. inæqualitas 149.b.
inconſtantia 253.a. inconſtantia vnde 421.c.
mendicatio fœda 618.c.619.a. mimus 537.a.
opera quâ regulâ diſtribuenda 368.b. ſpatium ampliſſimum 589.b. tria tempora 220.b. tributa 607.c. vitium maximum 618. b
Vitæ beatæ ſumma 457.a
Vitæ in contrarium circumactæ cauſſa 671. a
de Vitæ breuitate an iuſtè mortales conquerantur 213. c
Vitæ ſuæ ſitne vis inferenda 507.b
Vitam contemnere, & regere vix totâ vitâ diſcitur 642.c
Vitalia eruere 614. b
Vitalia in homine priùs ordinantur 18.d
Vitalis calor 311. a
Vitiligo & fœda ex albo varietas 715.b.c
Vitis ex arbuſto ſuo annoſa quoque transfertur 559.b.
non quælibet inſitionem patitur 643.a
Vitis virtus 454.b
Vitium commune ſingulis obiicere, iniquum 57.c
Vitia contactu nocent 155. b. excuſantur deorum exemplis 228. a. malè rebus, locis & temporibus adſcribuntur, cùm cuiuſque propria ſint 467.a. naturalia nullâ arte vinci poſſunt 403.b. non in vſum recipienda ſunt, quia aliquando boni quid effecerunt 10.a. non ſtant vno loco, ſed ſe inuicem pellunt 268.b. omnia in omnibus, ſed non omnia in ſingulis exſtant 320.a b. ſub virtutum nomine obrepunt 458.a. virtutibus confinia 664.a
Vitia vulgi nobis ridicula videri debent, non inuiſa 165.b. 166. a
Vitia corporis & animi cur diſſimulare ſoleamus 473.a.b
Vitia illinunt turba & ſpectacula 395.a.b
Vitia non temporum, huius vel illius ſæculi eſſe, ſed hominum 608. b
Vitiorum proceſſus 761.c. remedia 641.a
Vitrarius 579. a
Viuarium 201.c.713.a
Viuendi corrupta ratio corruptum dicendi genus producit 646.c.d
Viuere beatè,& ſecundùm naturam, idem eſt 236. c
Viuere benè, omni loco poſitum 436.c
Viuere in neceſſitate,nulla neceſſitas 406.c
Viuere non licere multi falsò queruntur 218.b
Viuere oſtio aperto vix eſt qui poſſit 456.a
Viuere ſemper incipientium ſtultitia 409.a
Viuere ſecundùm naturam oportet 391.c. 392.c
Viuere quidam ſemper incipiunt, quidam tum cùm deſinendum eſt, quidam viuere deſinunt cùm incipiunt 427.c.d.428.a
Viuere totâ vitâ diſcendum eſt 218.a
Vlceribus plurimis obſiti papulas alienas obſeruatis 251 b
Vlcuſcula 514.b
Vlixes 172.a. ad Ithacæ ſuæ ſaxa properat 498.a. ſociis aures cluſit 441.c. vbi errauerit 565.b. voces Sirenum niſi alligatus præteruehi noluit 673 b
Vlixis nauſeatoris naufragia 473.a. remedium aduerſus Sirenas 479.c
Vltio, verbum inhumanum 36.a
Vltio duas res præſtare ſolet 203.c. improbatur 43.c
Vltionis genus contumelioſiſſimum 36.b.
incommoda 58.a.c
Vltione quomodo principi vtendum 203.c
Vltrotributa 308.c
Vnctio plebeia 477.a
Vnctione corpus recreare 473.a
Vnctus & nitidus 497.d
Vnguentaria taberna 633.b
Vnguentarij 567.b. à Lacedæmoniis vrbe pulſi 730.a
Vnguentum bis die terque renouari ſolitum 558.b
Vnguentum mittere 37. a
Vnici 29.b
Vniones 373.a
Vnitas quid 693.d
Vniuerſi formator 77.b
de Vniuerſo quæſtio quotuplex 693.b
Vniuerſa ex materiâ & deo conſtant 495.a
Vocabulum & verbum 481.d
Vocaliora ſunt vacua quàm plena 699.c
Vocator 63.b
Volaticus 455.a
Voleſi Aſiæ proconſulis crudelis exclamatio 21.a
Voluntas recta 605.b
Voluntas officij cauſſa 349.b
Voluntas tribuentis iucundiſſima in beneficio 273.c
Voluntatis mutatio, cuius rei indicium 447.a
Voluptaria ſecta in actu eſt 258.b
Voluptas quid 485.c. nihil ad beatam vitam facit 235.c. pecoris bonum 585.a. quæ homine digna 368.b. ſitne aliqua iuncta dolori 614.c. perfuſoria 427.b
Voluptatis laudatio periculoſa 239.b. poſſeſſio periculoſa 240.b.c. vituperium 368.b. 427.b.434.b.674.a
Voluptatis & gaudij differentia iuxta Stoicos 485.b
Voluptatis & virtutis diſſimilitudo 236.b
Voluptatem à virtute diduci poſſe negantes refutantur 236. a. 237.c
Voluptatem capere ex epiſtolâ, an benè dicatur 485. b.c
Voluptatum duo genera 532. c
Voluptatum miniſtra virtus eſt Epicuréis 308.d
Voluptatibus non eſt locus dandus 468.c
Voluptatibus obſeſſos plurimos malos eſſe demonſtratur 238.b
Vomica & collectio 504.a
Vomitores ieiuni 567.b
Vopiſcus & Paterculus coſſ. 760.c
Vortex fluminum 734.b
Vota deos admonent 342. c. parciora eſſent, ſi palàm fierent 274.a. quæ ſuſcipienda 402.b. quomodo proficiant, ſiquidem fata inexorabilia 701.b
Vota hominum deos beneficos eſſe teſtantur 309.b. 310. a
Vota inhumana 356.a
Vota negotiatorum 362.b
Vota parentum & amicorum inimica nobis 488.a
Vox quid 694.c.d. 699. c. qua ratione per parietes tranſmittatur 695.c
Vox contra Stoicos publica 654.c
Vox viua oratione efficacior 394.a
Vocis intentio, vtilis exercitatio 413.a
Voces optantium & exſecrantium nocent 595.b
Voces imperitorum eodem loco quo ventris crepitus ſunt 583.c
Vocum genera aures in odium adducentia 476.c
Vrbanitas contumelioſa 180.a
Vrbis mores priſcos quidam tradiderunt 558.a
Vrbes an certiores ſoli quò propiores mari 748.c

Vrbium fata 511.a. 582.a. b.c.
Vti virgis ferroque necari, auctoramenti verba 449. b
Vsura quid 374.a.b
Vsura haud milleſima 61.a
Vtica 469.b
Vtilitas accipientis ſola in beneficiis dandis ſpectanda 312.b. 314.b
Vulcano crus fregit Iupiter 766.d
Vulgus veritatis peſſimus interpres 233.b
à Vulgo quomodo quis tutus eſſe poſſit 410.b
Vulturnus, Euri nomen, vſurpatum à Liuio & Catone 735.c
Vultus in cælum cur erecti 595.c
Vulua parùm tenax 715.b
Vxoris bonæ amiſſio quâ ratione ferenda 795.b

XANTHIPPE Socratem immundâ aquâ perfudit 186.a
Xanthus 765.b
Xenocrates putat beatum ſolâ virtute fieri poſſe, non tamen vnum bonum eſſe quod honeſtum eſt 553.a
Xenophanto canente Alexander manum ad arma miſit 19.b
Xenophontis pater 304.d
Xerxes Pythij filij cæde exercitum luſtrat 51.a
Xerxis ſtoliditas 174. a
Xerxi ſolus Demaratus verum dixit 358.a.b
Xyſtus hortorum 52.a

ZALEVCI leges 574.d
Zeno Eleates nihil ait eſſe 570.b
Zeno 226.b. 492.c. auctor eſt Stoicæ ſapientiæ 83.a. ſectæ ſanctiſſimæ & fortiſſimæ conditor 546.b. multum profuit, etſi non adminiſtrarit remp. 147.a. 257.c. 258.a. nullum ſeruum habuit 83.b
Zenonis collectio ab ebrietate dehortantis ridetur 546.b. collectiones de morte irridentur 542.d. 543.a. 544.b. dictum 13.b. dictum, cùm ei naufragium nuntiatum eſſet 164.a. ſententia de cometis 757.c. quingentos denarios cuidam eredentis excuſatio 326.a
Zenoni actionis & doctrinæ diſſidentia obiecta 243.a
Zenonem Cleanthes expreſſit 394.a
cum Zenone viuendum 627.b
Zephyrus 735.b. Latinis Fauonius ibid.d

FINIS.

APPROBATIO.

Hoc Annæi Senecæ opus doctiſſimis I. Lipsi Hiſtoriographi Regij Notationibus illuſtratum magna legentium vtilitate in lucem proferetur.

Guilielmus Fabricius Nouiomagus Apoſtolicus ac Archiducalis librorum Cenſor.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

RVDOLPHVS SECVNDVS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & VVirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Noſtro & Sacri Imperij fideli dilecto IVSTO LIPSIO gratiam noſtram Cæſaream. Poſtquam inter alia, quæ DEVS immortalis hominibus liberali manu dedit dona, illuſtria inprimis illa & quaſi diuina ſunt, quæ in litteris liberalibuſque diſciplinis conſiſtunt, quibus ſcilicet homines non tantùm ab animalibus ceteris rationis expertibus, ſed à rudi etiam & imperito hominum vulgo ita diſtinguuntur, vt tamquam Dij quidam ſplendeſcere in terris videantur: rem ſanè præclaram ſeque dignam illi præſtant, qui diligentem iis ipſis in litteris ac diſciplinis operam ponunt; præclariſſimam verò & Reipub. vtiliſſimam, qui eas ita excolunt, vt aliorum menti docendo, ſcribendo lumina præferant, eoſque ex ignorantiæ tenebris quaſi manu educant. Quos excitare, quos amare atque animare ad dignitatis noſtræ munus, ad quod Diuino vocati beneficio, conceſſuque ſumus, inprimis pertinere exiſtimamus. Cùm itaque ab iis, quorum nobis ſpectata fides, quique iudicare de Litteris poſſint, acceperimus, inſignes te animi ingeniique tui dotes tibi à natura inſitas à primis temporibus ætatis tuæ ita litterarum ac diſciplinarum ſtudiis excoluiſſe atque exornaſſe, vt olim iuuenilibus adhuc annis præclara floreſcentis minimeque vulgaris eruditionis ſpecimina præbueris, dum obſcura in antiquis ſcriptoribus loca, quæ quædam tamquam luſtra erant, illuſtraſti, quæque in iis iniuria temporum deprauata & corrupta fuerunt, reſtituiſti, dum vetuſta Latinæ antiquitatis rudera in nouam ſubinde ſtructuram ſingulari artificio eleganter conuertiſti: ad exquiſitam adeò & raram doctrinam, quæ magnam de te apud doctos quoſque viros opinionem excitarit, peruenisſe, eámque variis abs te libris acri & graui cum iudicio ſcriptis atque in lucem editis oſtendiſſe, vt in eo quod tam feliciter tractas ſcriptionis genere paucos tibi pares hodie reperire ſit: iam verò matura te ætate virum, viro magis magiſque digna, & viris doctis grata ac Reipub. vtilia ſcribere, quæque à primis illis Romanis olim auctoribus ſcripta fuerunt, à mendis purgare, & lectiſſimos quoſque ex Muſarum hortis, in quibus aſſiduè verſeris, flores colligere, concinnare, quibus Lectores mirificè recrees, & eorum pectus ad prudentiam, probitatémque informes: haudquaquam prætermittere voluimus, quin Reipub. ad quam hæc abs te ornamenta conferuntur, cauſa, Cæſareo te noſtro elogio decorandum, & quamuis per te ſatis ipſe animatus ſis, animandum magis patrocinióque noſtro defendendum pro benigna noſtra in te ſuſciperemus voluntate. Quoniam verò lucubrationibus atque operibus tuis in lucem edendis, peculiarem te eligere velle Typographum, accepimus, Diplomate hoc noſtro priuilegióque te & Typographum tuum aduerſus quorumcumque fraudem, qui lucri cauſa, quod fieri ſolet, eadem excudere aut typis imitari fortè velint,

velint, munitos cupimus. Quamobrem pro auctoritate noſtra Cæſarea decernimus, ſtatuimus, vetamuſque, ne quis Typographorum, Bibliopolarum, aut aliorum, qui librariam negotiationem exercent, eos libros, quos tu edituras es, quocumque modo, charactere, aut forma, ſiue integros, ſiue aliquam eorum partem typis imitari, edere, excudere, aut venundare intra ſacri Romani imperij, regnorumque ac Dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines triginta annis proximis à primo editionis die computandis, abſque tuo tuorúmve hæredum conſenſu audeat: Hac autem lege addita, vti tria vt minimùm cuiuſque libri exemplaria, quemadmodum moris eſt, ad Imperialem noſtram Cancellariam mittantur. Si quis verò edictum hoc noſtrum tranſgredi, violare, aut contemnere deprehenſus fuerit, eum non ſolùm eiuſmodi libris, tibi, hæredibúſve tuis, auxilio Magiſtratus, vbicumque reperti fuerint, vendicandis, priuari, ſed triginta etiam Marcharum auri puri mulcta, cuius ſemiſſis quidem Fiſci noſtri Procuratori, fraudis vindici; alter verò ſemiſſis, tibi hæredibúſve tuis pendatur, puniri volumus. Mandantes vniuerſis & ſingulis noſtris & ſacri Romani Imperij ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis quàm Politicis, cuiuſcumque ſtatus, gradus aut ordinis exſtiterint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel ſuo vel ſuperiorum ſuorum loco aut nomine, ius dicunt, iuſtitiámve exercent, ne quemquam hoc Priuilegium noſtrum impunè violare, ſpernere aut negligere patiantur: Sed, ſi quos contumaces compererint, conſtituta à nobis mulcta, eos puniri & quibuſcumque modis coërceri curent, ni & ipſimet grauiſſimam noſtram in ſe conuertere indignationem velint. Id quod hoc Diplomate, manu noſtra ſubſcripto, & Cæſarei noſtri ſigilli impreſſione munito, confirmamus. Datum in arce noſtra Regiâ Pragæ, die prima menſis Auguſti; Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Nonageſimo ſecundo: Regnorum noſtrorum Romani decimo ſeptimo, Hungarici vigeſimo, & Bohemici itidem decimo ſeptimo.

Subſign.

RVDOLPHVS.

Iacobus Curtius à Senfftenaw.

Ad mandatum ſacræ Cæſareæ Mtis proprium

Io. Baruitius.

Additum ſigillum Cæſ. Mtis in cerâ rubrâ.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS *Dei gratia Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, diplomate ſuo ſanxit, nequis, Juſti Lipſi Hiſtoriarum in alma Vniuerſitate Louanienſi Profeſſoris, & item Hiſtoriographi ſui libros quoſcumque, à Cenſoribus legitimis approbatos, præter ipſius, heredúmve eius, voluntatem, intra triginta annos à prima ſingulorum librorum editione computandos imprimat, aut alibi terrarum impreſſos, in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, præter librorum confiſcationem triginta marcharum auri puri illatione mulctabitur. Vti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ* XIV. *Febr.* M. D. XCVII.

Signat.

Verreycken.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

HENRICVS *Dei gratia Galliarum & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari priuilegio ſanxit, nequis per vniuerſos Regnorum ſuorum fines, Juſti Lipſi, quos vel hactenus edidit, vel in poſterum editurus eſt libros, & nominatim* L. ANNÆI SENECÆ *Philoſophi Opera, quæ recèns ille emendauit & Scholiis illuſtrauit, excudere intra decennium præter voluntatem ipſius poſſit. Qui ſecùs faxit, præter librorum confiſcationem, ter mille florenorum illatione mulctabitur; vti latiùs patet in litteris, datis Pariſiis,* XIII. *Julij,* M. DC. V.

Signat.

Perrochel.

TIBI IOANNES MORETE, pro amicitiâ quæ mihi cum Plantino (heu, quondam meo) & Plantinianis eſt ac fuit, tibi, inquam, permitto, vti L. ANNAEI SENECAE PHILOSOPHI OPERA, *quæ emendaui & Scholiis illuſtraui*, typis tuis excudas ac diuulges. Nequis alibi alius præter te, cupio ſiue iubeo, ex lege quam magnus Cæſar & Reges dixerunt.

Juſtus Lipſius.

SVMMA PRIVILEGII PRINCIPVM BELGARVM.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA, *Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimi Belgarum Principes, diplomate ſuo ſanxerunt; nequis* IVSTI LIPSI *Hiſtoriarum in almâ Vniuerſitate Louanienſi olim Profeſſoris, itemq; Hiſtoriographi & Conſiliarij ſui Libros quoſcumque, præter Martinæ Plantinæ viduæ & Balthaſaris & Ioannis filiorum Joannis Moreti p. m. voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſos, in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ,* XVII. *Januarij,* M. DC. XI.

Signat.


S. de Grimaldi.

Et in Concilio Brabantiæ,

I. de Buſchere.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
APVD VIDVAM ET FILIOS
IOANNIS MORETI.
M. D C. XIV.


LABORE ET
CONSTANTIA


Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Farbkarte #13
B.I.G.
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black


Grauskala #13
C
Y
M
B.I.G.
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19